





MONVMENTA GERMANIAE HISTORICA.

TOMVS VI. IV

MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMAE FAMILIAE WELFICAE AB HISTORIA SCRIBENDA.

SCRIPTORVM
TOMVS IV.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCXLI.



TOMO QUARTO CONTINENTUR:



Aevi Saxonici annalibus superiori tomo propositis iam supplementa quaedam in itinere Parisiensi anno **1839**. exscripta, tum chronica et historias eius temporis adiungimus. Inter annales antiquissimi omnium Lindisfarnenses et Cantuarienses primum sibi locum vindicarunt; sed reliqui etiam, Leodiensis praecipue dioceseos, magno cum fructu evolventur. Inter chronica Folcuini liber et Ademari opus eminent, quod Waitzii nostri opera hic integritati restitutum rerum earum studiosi gaudebunt. Historiarum quas primo loco statuimus, translatio S. Liborii, vita Liutbirgae et libri Agii, scriptoribus tomo II. editis addendi, subsidiis editioni necessariis nunc demum comparatis, non incommode reliqua Saxonicae familiae monumenta praecedunt. Maximam enim voluminis partem vitae virorum et mulierum saeculo X. et XI. usque ad exitum Saxonicae stirpis clarorum explent. Quarum quidem nonnullae, scilicet Panegyrici

Berengarii I. et Ottonis I, vitae Mahthildis reginae, Adelheidae imperatricis, Brunonis archiepiscopi, Heinrici II. et Cunegundis impp. res ab imperatoribus et propinquis eorum gestas explicant; reliquae tum plurima ad res imperii universi facientia tradunt, tum singularum Germaniae provinciarum, Saxoniae, Franciae, Lotharingiae, Alamanniae, Baioariae, Austriae, Bohemiae historiae illustrandae inserviunt. Quibus absolutis, Tomis proxime sequentibus scriptores de Chuonrado II. Heinrico III. IV. et V. agentes aggrediemur.

Dabam Hannoverae Idibus Iuliis anno 1841.

ANNALES LINDISFARNENSES,

CANTUARIENSES ET SANCTI GERMANI MINORES.

Quum superiori Monumentorum tomo absoluto mense Octobri anni praeteriti Parisios iterum adiissem, ut codices in itinere anni 1826 et 1827 haud inspectos evolverem et supplementa praecipue bibliothecae regiae post absolutum catalogum typis expressum diversis e fontibus illata perlustrarem, inter reliquos praecipue codicibus ex bibliotheca monasterii S. Germani Parisiensis regiae illatis operam dedi, atque in codice N. 989 signato Bedae de ratione temporum annales monasterii illis quos T. III. pag. 166 vulgavi antiquiores reperi. Constant duabus partibus; siquidem codex ipse manu saeculi noni ineuntis ante annum 814. ex altero quodam paulo antiquiori descriptus est, qui notas historicas cyclis decennovennalibus usque ad a. 787. adiectas exhibebat; et notas annorum 814—1146. manibus saeculi IX. X. XI. XII. diversis sibique succedentibus deberi, ipsa scriptione apparet. Anterior pars, iis exceptis quae ei manu tandem saeculi X. inserta Sancto Germano vindicavi, ex notis Anglosaxonicis et Francicis constat. Anglosaxonicae aut L i n d i s f a r n e n s e s *sunt, quales T. I. et III. in Ann. Fuldensibus antiquis et Corbeiensibus et Iuvavensibus occurrunt, aut* C a n t u a r i e n s e s, *quarum specimen Annales Iuvavenses praebuerunt. Iuvavenses nostris proximas esse, neutras tamen ab alteris sed ab authentico antiquiori, quod ex Anglia in Franciam advectum ibi annis 782—787. notis aliis auctum sit, pendere, patet. Notae igitur Lindisfarnenses fortasse a S. Bonifatio in Germaniam allatae, saeculo VIII. exeunte Fuldae et saeculo nono Corbeiae in codicibus, quibus annales antiqui Fuldenses et Corbeienses deinde illati sunt, extiterunt; alterum eorum exemplar annis 673—690. notis Cantuariae ut videtur adauctum, anno circiter 781. aut 782. ineunte cum Alcuino, ut mihi videtur, qui tunc temporis Karolum Magnum adiit, in Galliam devenit, ibique annis 782—787. ab Alcuino notis locorum quibus Karolus rex pascha celebravit auctum, et primum a monacho S. Germani Parisiensis transscriptum est*[1]. *Iterum annis* 1 *788—797., scilicet quamdiu Alcuinus regis in aula degebat*[2], *continuatum, et ab Arnone aut monacho Iuvavensi transscriptum, in annalibus Iuvavensibus maioribus hodie adservatur*[3]. *Notas Anglicas non ex Bedae historia gentis* 3

1) codex noster. 2) cf. Alcuini Opp. Frob. I. p. XL. sed Alcuinum nonnisi post pascha a. 797. ab aula secessisse, statuendum erit. 3) Ita quae T. II. 237 minoribus subsidiis fultus dixeram, corrigo.

Anglorum decerptas, sed antiquiores et cyclis ab eo in rem suam versis inscriptas fuisse, amplior temporis enuntiatio, apud Bedam minime obvia, probat. — Iam quantum ad annales nostros, monachus S. Germani quae ex codice Alcuini transscripsit, alia haud intellexit, alia anno non suo adscripsit. Notae manu saeculi X. quae anno* 919. *desinit insertae, cum annalibus S. Amandi, Laubacensibus et Murbacensibus, maxime tamen cum annalibus Augiensibus brevissimis SS. III.* 136, 137 *congruunt, neutros tamen ex alteris haustos esse liquet.*

ANNALES LINDISFARNENSES ET CANTUARIENSES A. 618—690.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI

618[1]. Filius[a] rex Edilbert Cantioriorum Irminrici obiit 6. Kal. Mart. feria 4.
643. Oswi[2] regnare incipit.
651[b]. Aidan[c] episcopus[3] obiit.
658. Finan[3] moritur.
664. Colman[3] abiit[4].
673[5]. Ecbert[d] Cantuariorum rex depositus 4. Non. Iul. fit.
680. Kap. scili.
685[6]. Hlotheri frater Ecberti[e] Cantuariorum deponitur 7. Id. Febr.
687[7]. Edric Cantuariorum rex deponitur 2. Kal. Sept. feria 6.
690[8]. Theodorus episcopus deponitur 13. Kal. Octobr. feria 2.

ANNALES UT VIDETUR ALCUINI A. 782—797.

Pars prior a. 782–787 ex cod. S. Germani et Ann. Iuvavensibus.

782. in Carisiaco.
783. in Theudunvilla.
784. (786) in Aristalle.
785. (787) in Eresburgi.
786. (788) Attinago.
787. (790) Romae cellebravit[f] pascha domnus.

Pars altera a. 788–797. ex Ann. Iuvavensibus.

788. Domnus rex Carolus celebravit pascha in Inglimhaim.
789. in Aquis.
790. ad Wormatiam.
791. Carolus in Pannonia.
792. ad Ragenesburc.
793. ad Franchonofurt.
794. ad Aquis.
795. ad Aquis.
796. ad Aquis.
797. ad Aquis.

Manus saeculi IX. ineuntis in cod. S. Germ. addit:

814. 5. Kal. Febr. obiit Karolus [*magnus*[g]] imperator.

a) f. *c.* b) *De numero anni haud plane constat.* c) Aldan *c.* d) Echero *c.* e) *ita correxi;* Hlotheri frni *c.* f) celle *c.* g) *manu saec X. ineuntis additum.*

*) notae annorum 786—790. annis 784—787. adscribendae sunt. 1) a. 613. ex Bedae hist. Angl. II. 5. 2) Nordanhumbrorum rex. 3) episcopus Lindisfarnensis. 4) Lindisfarna Ionam. 5) cf. Bedae l. IV. c. 5. 6) cf. Bedae IV. 26. 7) ibid. 8) cf. Bedae V. 8.

ANNALES SANCTI GERMANI MINORES A. 642—919.

642[a]. Obiit Dagobertus rex.
657. Obiit Clodoveus rex, filius Dagoberti.
660. Adventus sancti Benedicti in Gallia.
677. Audoenus episcopus[9] migravit ad Dominum. 9
688. Pippinus primus regnare cepit.
707. Intravit Pipinus in Alimannia.
712. Pipinus moritur.
714[b]. Karolus regnum cepit. Grimoaldus est occisus.
715[b]. Karolus contra Radbodum[b*] pugnavit.
717. Leo imperium suscepit.
730. Karolus pugnavit contra Sarracenos in Pictavis.
737. Bede presbiteri dormitatio.
740. Karolus obiit.
741. Karolus magnus et Pipinus regnum acceperunt.
750. Pipinus benedictus est ad regem.
752. Pipinus in Italiam perrexit.
755. Pipinus Longobardos superavit. r. c.
763. Pipinus moritur 8. Kal. Octob.
764. Karolus et Karlomagnus eliguntur in regna.
769. Karlomagnus obiit.
770. Karolus, qui et magnus dictus est, in Italiam perrexit.
776. Karolus perrexit in Ispaniam.
785. Karolus reversus est victor de Roma.
791. Fuit fames[c] maxima in Frantia.
793. Huni subiecti sunt Karoli.

822[d]. *Toringa[10] cespis longitudine pedum 50, latitudine 40, altitudine 6, sine manibus praecisus, spacio ab eo loco 25 pedum sublatus invenitur.* 10

823[e]. *Karolus[10] calvus nascitur. Pago Tullensi puella 12 annorum per menses 10 incibata sana permansit.* 10

841. *Fit bellum Fontanido.*

844. Gregorius discessit; Sergius successit, decessit; Leo successit, quo anno Saraceni basilicam sancti Petri et Pauli vastaverunt.

845. Normani Parisius primitus veniunt, necnon Hugo et Ricbodus eodem anno interimuntur.

865. Normani coenobium sancti Dyonisii primitus 20 diebus, a 12. Kal. Novembr. usque in 5. Idus Novembr. obsederunt.

870. Hyrmintrudis regina obiit, et Lotharius iunior.

878. Obiit Karolus tertius [*calvus*[f]] Ludovici imperatoris filius.

888. *Karolus imperator tercius moritur. Odo rex a Francis elevatur 2. Kal. Mart.*[f. 11]

919. Tempore vespertino facta est tempestas valida, quae non solum fruges ad nichilum redeit et arbores radicitus evulsit, sed et animalia et homines in locis quibusdam interfecit, cuius lapides tante ferebantur magnitudinis esse, ut aliquanti ova anserum[g] sua magnitudine superarent[h].

ANNALIUM SANCTI GERMANI CONTINUATIO A. 923—1146.

923. Rotbertus rex moritur.
947. Oddo rex Saxanorum Montem Martyrum venit.
954. Obiit Ludovicus rex, filius Karoli.

a) *Quae sequuntur manu tertia sec. X. ineuntis scripta sunt.* b) 715 *loco* 714 *et vice versa habetur.* b*) radbodum *corr.* ratbodum *c.* c) fama *c.* d) *notae annorum* 822, 823, 841, 888. *ut voces annorum* 814. *et* 878. magnus *et* calvus *manu quarta, saeculo X. ineunte additae sunt.* e) DCCCXXXIII *codex.* f) *manu saec. X. additum.* g) anstru| c. h) *hic manus tertia desinit; reliqua diversis saeculi X. XI. XII. manibus per temporum decursum addita sunt.*

9) Rotomagensis. 10) ex Einhardi Annalibus. 11) hinc in Richero I. 5. idem dies scribendus est.

958. Obiit Hugo Magnus.

965. Hoc anno 5. Kal. Aug. consecratio altaris in honore sancti Petri. Vespertino tempore cecidit tempestas secus coenobium *sancti* Dyonisii mire magnitudinis sed non longe a castello, et tunc secutae sunt fulgure, iam fratribus aliquantis quiescentibus, quae interfecerunt duos fratres. Quorum unus erat iuvenis, qui cecidit ante altare sancti Petri, et statim expiravit. Alter vero senex atque presbiter, qui dum psalmos decantaret, prostratus ante altare sanctae Trinitatis, subito extinctus est, non sine grandi merore atque fletu[a] ceterorum.

978. Otto, filius Ottonis, Parisius venit.

980. Hoc anno reduxit dux Hugo Ludovicum de Aquitania, filium Lotharii regis.

986. Obiit Lotharius, filius Ludovici. Regnavit[a*] annis 32.

987. Obiit Ludovicus rex, filius Lotharii; et ipso anno 5. Non. Iulii Hugo rex factus est[b]; et in eodem anno Kalend. Ianuarii Rotbertus, filius Ugonis, iuvante Deo rex elevatus est.

998. Obiit Hugo rex.

1006. Obiit Morardus pie memorie abba. Ingo quoque abba suscepit regimen loci.

1031. Obiit Rotbertus Francorum rex.

1034. Urbs Parisii flagravit incendio.

1040. Obiit Nivardus.

1042. Tempus famis incoepit.

1049. Hoc anno dedicata est ecclesia sancti Remigii[b*] a domno Leone papa nono.

1056. Hainricus imperare coepit, rex Lotharingorum.

1059. Hoc anno consecratur Phylippus rex praesente patre, in pentecostem Remis.

1061. Henricus rex obiit, et Phylippus succedit. Obiit Adraldus abbas.

1066. Obiit abbas Hubertus. Hoc anno 7. Kal. Mai cometes apparuit diebus quinque flagrans a parte occidentis. Hoc quoque anno Normannorum comes invasit Anglorum regnum.

Cometa[c] visus est 6. Kal. Maii per novem dies a vespere usque ad gallicinium. Ipso anno Willelmus regni diademate, dux Normannorum, Angliam intravit, Hairoldum regem occidit, seque coronavit.

1067. Obiit comes Balduinus.

1072. Obiit Rotbertus abbas.

1088. Obiit Guillelmus dux Normannorum et rex Anglorum. Hoc anno contigit eclipsis lunae 3. Idus Ianuar., luna existente 14. in 12. parte cancri, 9. noctis hora.

1097. Motio gentis Iherusalem.

1109. Obiit Philippus rex.

1114. Hoc anno apud monasterium sancti Germani Parisiensis 6. Idus Mai revelata sunt corpora sanctorum martirum Georgii Bethleemitae monachi, et Aurelii viri popularis Cordubensis, cum capite uxoris sue Nathaliae, a domno Walone Parisiensis episcopo et domno Rainaldo abbate praedicti monasterii, regnante domno Ludovico rege Francorum, anno sexto regni ipsius.

1125. Obiit Henricus imperator Theutonicorum.

1126. Obiit Guillelmus comes Pictavorum.

1129. Hoc anno consecratus est Philippus rex duodecimo anno etatis suae Remis a Rainaldo archiepiscopo[d], praesente etiam Ludovico inclito rege patre suo, in sollempnitate paschali, luna 19. epacta 17.

1131. Hoc anno in natali Domini Augustiduno domnus papa Innocentius coronatus est, et in sequenti pascha apud sanctum Dyonisium post colloquium Theuthonici regis Lotharii[e] Leodio factum, iterum coronatus est. Eodem quoque anno choruscatio et tonitruum Kal. April. visa et audita sunt.

1146. Hoc anno obiit Hugo abbas sancti Germani, qui libertatem huius aecclesiae plenarie restituit cum magno labore et multis expensis.

a) flecti cete2, c. a*) r. a. 32 *manu alia quae notam anni* 987. *scripsit.* b) *in Ann. S. Germani SS. III.* 168 *ad a.* 987. *corrige:* Hugo captum in. b*) R. c. c) *Haec alia manu.* d) R. a. *iam erasa.* e) L. *cod. sed erasum.*

ANNALES ENGOLISMENSES.

Notas codici olim S. Martialis Lemovicensis iam inter regios Parisienses N. 2400 signato mbr. sec. X. exeuntis inscriptas Knustius V. Cl. nobiscum communicavit. Chronicon Engolismense a Labbeo Bibl. Mss. I. 323—325 typis vulgatum, ex nostris et chronico Aquitanico (SS. II. 252.) conflatum esse videri potest, paucis verbis mutatis, additisque fortasse ex necrologio quodam nonnullis notis temporum. Eiusdem codicis folia 132 et 133 chronicon de sex aetatibus mundi usque ad Karolum M. productum exhibent.

815[a]. 5 Kal. Febr. Karolus Magnus imperator augustus moritur, et Ludovicus filius eius imperium assumpsit.

864. 10. Kal. Ianuar. Girbaldus episcopus Egolismensis obiit.

866. Emeo comes Egolismensis interfectus est 10. Kal. Iul.

868. Tanta fames fuit, ut unus homo alium interficeret et bestiarum more dentibus laniaret; et ipso anno Egolisma civitas aggreditur reedificari.

886. Vulgrimnus comes obiit.

892. Ooliba episcopus Egolismensis obiit 3. Non. Septembr.

895. Anatolus episcopus Egolismensis obiit 12. Kalend. Mai.

916. Ilduinus comes Egolismensis obiit 6. Kalend. April.

918. Lanbertus vicecomes Egolismensis et Arnaldus frater eius gladio sunt trucidati 4. Id. April.

930. Ademarus comes Egolismensis, maritus Sanciae comitissae, obiit 4. Non. April.

940. Gunbaldus episcopus Egolismensis obiit 10. Kal. April. sedit annos 43, dies 21.

951. Fulcaldus episcopus obiit 4. Id. Febr. sedit annos 12, menses 11, dies 10.

962. Willelmus comes Egolismensis Talerandus obiit 8. Id. Aug.

964. Ebulus episcopus Egolismensis obiit 15. Kal. Febr. sedit annos 12, menses 9, dies 16.

973. Rannulfus episcopus Egolismensis obiit 19. Kal. Febr. sedit annos 9, menses 9, dies 13.

975. Ramnulfus comes Egolismensis gladio interfectus est 6. Kal. Aug.

993[b]. Ugo episcopus Egolismensis obiit 8. Kal. Decbr.

ANNALES SANCTI MAXIMINI
TREVIRENSIS.

Tomo Scriptorum II. 212. editos iam ex autographo paulo ampliores et emendatiores proponere licet. Codicem ipsum membr. s. IX. in 4° Waitzius noster Confluentiae in bibliotheca Goerresiana N. 16. signatum exscripsit; continet Dionysii cyclos paschales a. 532—1063, cuius in margine notae historicae leguntur, prima manu, quae in numeris annorum nonnumquam erravit, usque ad a. 840, et reliquae diversis saeculi IX. et X. manibus

a) *anni* 814—868. *fol.* 182', *reliqua in schedula inter fol.* 137 *et* 138 *leguntur.* b) *a.* 990. *Chron. Lemovicense.*

exaratae. Calendarium subiectum notas paucas exhibet, e. g. Kal. April. Ordinatio Hedenulfi episcopi. *In fine codicis Adbreviatio chronicae usque ad a.* 809. *aut* 810. *habetur.*

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE

538. Eclypsis solis facta est 14. Kal. Mart. ab hora prima usque ad tertiam.

540. Eclypsis solis facta est 12. Kal. Iul. et apparuerunt stellae pene hora dimidia[a] ab hora tertia.

708. Princeps Francorum Drogo obiit.

709. Primum Pippinus perrexit in Alamanniam contra Wilharium ducem.

711. Hildebertus rex obiit.

714. Pippinus obiit.

715. Dagobertus rex obiit.

716. Primum pugnavit Karolus dux contra Ratbodum ad Coloniam.

731. Beda presbiter Anglorum obiit.

741. Karlus princeps obiit.

742. Karlomannus et Pippinus contra Hunaldum perrexerunt.

750. Pippinus electus est in regem, et Hildericus tonsuratus.

764. Pippinus rex obiit, et Karlus et Karlomannus regnum suscipiunt.

767. Karlomannus obiit.

778. Hludowicus natus est.

804. Alcuinus abbas obiit.

806. prid. Non. Iun. luna 14. signum crucis mirabili modo in luna apparuit hoc modo ⊕ feria 5. prima aurora incipiente. Eodem anno 3. Kal. Sept. luna 12. die dominica, hora 4. corona mirabilis in circuitu solis apparuit.

809. indict.[b] 2. 17. Kal. Agust. feria 2. incipiente hora diei 5. eclypsis solis apparuit luna 29.

814. Karlus imperator obiit, et Hludowicus imperium suscepit.

833. Hludowicus imperium amisit, et Hlotharius illud suscepit. Item

834. Hludowicus recepit.

840. Eclypsis solis facta est quarta feria ante ascensionem.

843. Manno nascitur.

865. Karlus rex per Hedennulfum Laudunensis ecclesiae presbiterum, postea quoque eiusdem ecclesiae episcopum, coepit congregare clerum sub norma canonica Deo militaturum in coenobio a se fundato, quod prius regium ac deinceps apostolica auctoritate vocatum est novum.

876. Rex Karlus, Hludowici imperatoris filius, ab apostolico[c] in nativitate Domini Romae in imperatorem ungitur, anno regni sui 36. — Manno[d] sacerdos est ordinatus 16. Kal. Iulii.

882[e]. Northmanni Treverim cum monasterio sancti Maximini vastantes, Galliam cremaverunt.

888. Karolus rex, frater Karlomanni, defungitur, et Arnolfus rex constituitur.

899. Arnolfus rex obiit.

900. Zuentibold a suis interficitur.

917. Ruodpertus episcopus obiit.

923. Bellum in Sexonis[1]. — Eodem[e*] anno Karolus rex custodiae datur.

929. Gisalbertus dux Gerbirge duxit uxorem.

930. Otto rex ab Anglis duxit uxorem; et Carolus rex obiit in custodia.

931. Ordinatio Ruodperti episcopi.

933[f]. Cecidit eclesia sancti Maximini.

934. Conversio manachorum sancti Maximini; et Ugo abbas efficitur.

935. Obiit Hildierus laicus.

a) hor dim̄ *c.* b) idict. *c.* c) anpostolico *c.* d) m:nn:::: *c.* minnobo *vel* minnulo. e) *anni* 882 - 900. *eadem manu scripti.* e*) *haec et a.* 929, 930, 934 *init.*, 935, 937. *eidem manui debentur.* f) *haec et altera pars a.* 934; *a.* 942, *ultima a.* 945 (*inde a* et Ugo), 951. *et* 966. *uni manui debentur.*

1) *i. e.* Suessionibus.

937. Heinricus rex obiit; Otto filius eius successit. Arnoldus dux Bawariorum obiit. Fulda monasterium crematur, et rex Otto Hungros usque Mettis civitatem[a] persequitur. Wolmarus laicus obiit.

942. Dedicatio ecclesiae sancti Maximini[2]. [2]

945. Hoc igitur anno 17. Kal. Octob., hora prima noctis, apparuit signum in caelo in septentrionali parte, quod signum quidam Antichristi esse dicebant; et Ugo episcopus Leudie efficitur, et Willerus abbas constituitur.

957. Willerus abbas obiit; Wikerus sucessit.

961[b]. Otto iunior rex efficitur, et eclipsis solis facta est.

966. Wikerus obiit; Asolfus successit.

967. Asolfus obiit; Dietfridus successit.

968. Idem Otto imperator.

974. Otto primus imperator obiit.

983[c]. Dietfridus decessit; Ogo successit.

984. Otto secundus imperator decessit; et Otto tertius in regem elevatur.

987. Hogo abbas obiit; Folmarus successit.

a) ciū *c.* b) *a.* 961. *et* 968. *eadem manu.* c) *a.* 983. *et* 984. *notae eadem manu exaratae sunt.*

ANNALES VIRDUNENSES

EDENTE V. CL. GEORGIO WAITZ PH. D.

Ex codice Virdunensi N. 3. fol. max. olim S. Vitoni hos annales exscripsi, ubi ad cyclorum marginem f. 2 sqq. magnam partem ex codice antiquiori fortasse Theolegiensi[1] sumti, duabus manibus saeculi XII. exarati leguntur. Cum [1] anni quibus asscripti sunt semper 10[2], 15, 20, 22 aut 23 iusto sint maiores, [2] codicis numeris uncis inclusis veros ubi potui praefixi. Quae Karoli Crassi tempora antecedunt omisi, paucis tantum, quae ad res Virdunenses faciunt, notitiis servatis. Iisdem cyclis postea auctis et continuatis s. XV. medio monachus quidam S. Vitoni uberiores annales adscripsit alio collectionis nostrae tomo edendos. *G. WAITZ.*

822[a]. [Obiit[b]] Herilandus[c] episcopus Virdunensis[c*].

869[a]. [Obiit[b]] Hatto[c] episcopus Virdunensis[d].

880. (891) Berhardus episcopus Virdunensis[e].

884. (899) Karolus, filius Ludovici filii Ludovici imperatoris, monarchiam regni Romanorum et Francorum assumit.

888. (903) Karolus imperator obiit. Arnulfus nepos eius succedit.

899. (916) Arnulfus imperator obiit. Ludovicus filius eius succedit.

911. (923) Ludovicus obiit; successit Heinricus, qui primus regnavit de genere Saxonum.

936 (957). Heinricus primus obiit. Otto regnum sortitur.

a) *ita c.* b) *add. m. s. XV.* c) *alia manu qua caetera, tamen s. XII. scripta.* c*) *m. s. XV. add.* succedit Hildinus. d) *m. s XV. add.* succedit Berhardus. e) *scilicet* obiit; *m. s. XV. add.* succedit Dado.

2) Calendarium manu eius temporis haec habet: „3. Idus Oct. Treveris dedicatio basilice sancti Io„hannis euangeliste. Et translatio corporum beatis„simorum confessorum atque pontificum Maximini, „Agricii atque Nicetii in eandem aecclesiam. Facta „sunt autem haec anno ab incarnatione Domini 942. „indictione prima."

1) Nam abbates a. 990. et 1003. nominati, qui non coenobio S. Vitoni Vird. praefuerunt, fortasse monasterio illi, cuius historia tenebris obruta iacet, asscribi possunt. 2) Nam anno 824. Karoli Magni mors adscribitur.

940. (962) Obiit Bernuinus episcopus. Succedit Berengarius.
955. (976) Hungari populantur et ab Ottone opprimuntur.
962. (984) Otto imperator fit.
973. (994) Otto primus obiit.
974. (995) Otto secundus imperator. Monasterium sancti Pauli a Wigfrido episcopo consecratur.

(1001). Principes Francorum expellunt Carolum regem suum de regno; quem Otto imperator restituit gravi bello Suessionis, eisdem principibus superatis, et ob hoc Lota-
1 riense regnum ab eo dono accepit[1].

982. (1004) Otto imperator debellat Sarracenos in Calabria.
983. (1006) Otto tercius imperator.
988. (1010) Hungari christiani fiunt ab Ottone coacti.
990. (1012) Blichero abbati Gardinus succedit.
992. (1014) Girbertus Aquitanicus monachus[a] studio et sapientia claruit, in tantum ut ab Ottone archiepiscopus Ravennatium et postea papa Romanus daretur, et multa studia veterum philosophorum renovavit, post Boetium apud Latinos insignis habitus.
2 1001. (1023) Gardinus obiit. Ebervinus[2] successit.
1002. (1024) Otto tercius obiit. Heinricus secundus imperator.
1012. (1035) Heinricus imperator Bavebergensem civitatem condidit.
1024. (1047) Heinricus secundus obiit. Cuonradus imperator.

ANNALES LAUBIENSES LEODIENSES ET FOSSENSES.

Post antiquissimos quos monasterio Laubacensi adscribendos iudicavimus annales et Lobienses T. I. et II. SS. editos, tertium eiusdem generis opus in eodem monasterio scriptum hic proponimus. Ediderat id Martenius in Thesauro anecd. T. III. 1409 *sqq. sub nomine Chronici brevis Lobiensis ex autographo Lobiensi, circa a. millesimum exarato, cui posteriores annorum annotationes a tot fere scribis quot facta enumerentur additas dicit. Cuius codicis iterum evolvendi quamdiu spes remanserat, ab edendo opere abstinuimus, modo vero plurimis Belgii bibliothecis a Bethmanno nostro explosis, quum paucissimos tantum codicum Lobiensium superesse constet, libello Folcuini de gestis abbatum Lobiensium infra edendo annales nostros praemittendos duximus. Accessit, quod Parisiis codicem autographum annalium, qui nostris usque ad a.* 1054. *congruunt, Leodiensium et Fossensium, nacti, hanc operis partem emendatiorem sistimus. Utrique tamen, Laubienses scilicet annales et Leodienses, antiquiorum cyclorum annotationibus, quae annis* 939—960. *aliquam cum annalibus Lobiensibus affinitatem ostendunt, innituntur; quibus Laubiensis editor complura ex Annalibus Herolfesfelden-*
1 *sibus usque ad a* 984. *continuatis*[1] *depromta et nomina episcoporum dioceseos suae Cameracensis, Leodiensis, archiepiscoporum Coloniensium et ex Gregorio Turonensi episcoporum Turonensium nomina inseruit. Sed anna-*

a) mō c.

1) Haec falsissima sunt. 2) fortasse abbas Theolegiensis, de quo Mabillon Ann. IV. p. 291, 343 ex Trithemio monet. 1) cf. annales Hildesh. Quedl. Weissemb. et Lamberti SS. III. e. g. a. 727, a. 742, 747, 755, 815, 826, 860, 907, 937, 938, 980, 982.

libus ***Laubiensibus*** *nonnulla eorum, quae annum millesimum aut antecedunt aut subsequuntur, posteriori aevo inserta esse, notae annorum* 958, 960. *et* 1098. *probant.* ***Annales Leodienses*** *post Labbeum*[2] *ex codice bibliothecae regiae Parisiensis, inter libros S. Victoris Parisiensis N.* 151 *insignito, proponimus. Codex iste membranaceus in paginis maximis binos cyclos decennovennales inde a Christo usque ad a.* 1595. *exhibet, et saeculo XI. ineunte in ecclesia Leodiensi conscriptus, adnotationes anteriores eodem calamo, reliquas inde ab a.* 1055. *manibus diversis per tempora sibi succedentibus insertas praebet. Anteriora igitur nonnunquam minus accurata*[3] *e Laubiensibus emendari possunt, tum vel iis praestant*[4], *vel in commune peccant*[5]. *Liber usque ad a.* 1087. *a Lamberto Parvo in Annalibus S. Iacobi Leodiensis transscriptus, circa annum* 1123. ***Fossas*** *translatus est, ubi in monasterio S. Foillani per saecula succedentia continuatum apparet. Quonam fato Parisios devenerit, incertum.*

ANNALES LAUBIENSES.	ANNALES LEODIENSES.
ANNI INCARNATIONIS DOMINI	ANNI INCARNATIONIS DOMINI[a].
	58. Tornacus condita est.
	123. Aquila interpres habetur.
	187. . . . .[b] interpres habetur.
	202. Simmachus interpres habetur.
	336. Athanasius mittitur a Constantino Treverim in exilium.
	345. Iterum Athanasius bis fugatus, a Maximino Treverorum suscipitur.
	(346). Interim Coloniae synodus agitur eo praesente, ubi Effrata dampnatur. Huic synodo interfuit sanctus Servatius[6].
	358. Obiit sanctus Paulinus, Treverorum episcopus.
	396. Prudentius poeta claruit.
	400. Obiit sanctus Martinus anno 2. Archadii, nocte dominica.
	401. Obiit sanctus Ambrosius.
	403. Augustinus episcopus claruit.
	408. Obiit sanctus Alexis.
	409. Honorius imperator cum Theodosio filio Archadii.
	411. Maximus Taurinensis episcopus claruit.
	413. 9. Kal. Sept. Roma capitur ab Alarico Gothorum rege.
	415. Translatio[c] corporum Stephani Gaml. Nich. et Ab.
	417. Hucusque Orosius.
418. Pharamundus regnat in Francia.	418. Faramundus regnat in Francia.
420. Obiit sanctus Ieronymus nonagesimo aetatis anno.	421. Obiit sanctus Hieronimus.
423. Honorius moritur.	423. Honorius moritur.
425. Theodosius imperator solus.	425. Theodosius imperator solus.
429. Clodius regnat in Francia.	429. Clodius regnat in Francia.
431. Obiit Augustinus.	
432. Tertia synodus apud Ephesum.	433. Tertia synodus apud Ephesum.
438.	438. Hic incipit ciclus sancti Cirilli 95 annorum, anno Diocletiani 153.
440.	440. Wandali devastant Affricam. Sub quo turbine tertio mense obsidionis suae urbis obiit Augustinus episcopus.
447.	447. Obiit Briccius episcopus. Succedit Eustochius.
448. Merovecus regnat in Francia; ab isto Franci dicti sunt Merovingi.	448. Merovecus regnat in Francia.
451. Marcianus imperator.	451. Martianus imperator.
452.	452. Quarta synodus Calcidonensis.
453.	453. Huni Gallias depopulantur.

a) *Annales Leodienses inde ab a.* 768. *integri dantur.* b) *vox abscisa.* c) tran::::: c.

2) Bibl. mss. I. 334—339 et 405–408. 3) v. a. 875 880. 4) v. a. 936, 939. 5) a. 956. victoria de Ungariis. 6) Tungrorum episcopus.

456. Sanctus Remigius, et Germanus Autissiodorensis, et Leo Tricassinensis episcopi insignes habentur.

459. Leo imperator.

460. Childericus regnat in Francia.

466. Hilarius papa. Hoc iubente scribit Victorinus ciclum.

476. Zenon imperator. Sub hoc corpus Barnabae et euangelium Matthaei ab ipso conscriptum invenitur.

482. Chlodoveus regnat in Francia.

487.

488.

489. Anastasius imperator.

494.

495.

497.

511. Cludoveus rex obiit; succedit Lotarius cum fratribus. A transitu sancti Martini usque ad obitum Clodovei anni 112 computantur.

513.

519. Iustinus imperator. Huius 2. anno Iohannes fit papa.

524. Sanctus Benedictus magnis pollet virtutibus, Boetius occiditur.

525. Symmachus et Iohannes papa interficiuntur.

526.

526. Theodericus rex periit.

527[a]. Iustinianus imperator. Sub hoc corpus Antonii divinitus repertum Alexandria infertur.

532. Hic orditur ciclus Dionysii anno sexto Iustiniani.

533.

549.

551. Quinta universalis synodus Constantinopolitana.

555. *vel* 556. Obiit sanctus Medardus, quem Lotharius rex honorifice sepelivit, et ecclesiam super eum fabricavit.

562. Lotharius rex obit.

563. Hilpericus regnat in Francia.

564. Sigibertus rex Brunechildem, Atanagildis regis Italiae filiam, uxorem duxit.

565. Iustinianus imperator obiit. Iustinus imperator.

568.

570. Obiit sanctus Vedastus.

572.

573.

576. Tiberius minor imperator.

583. Mauritius imperator.

586. Lotharius regnat in Francia.

598.

604. Phocas imperator.

607. Bonifacius papa. Huius rogatu per Phocam imperatorem Romana ecclesia caput omnium ecclesiarum efficitur. Hic etiam templum omnibus daemonibus prius dicatum, postea omnium sanctorum consecravit.

612. Heraclius imperator.

613.

616.

617.

618.

625. Lotharius rex quadragesimum agit annum, et Heraclius 14.

454. Obiit sanctus Germanus Autisiodorensis episcopus.

457. Roma capitur a Genserico Wandalorum rege.

458. Leo imperat. Hildricus regnat in Francia.

460.

465. Obiit Eustochius Turonensis episcopus.

466.

474. Zenon imperator.

483. Chlodoveus regnat in Francia.

487. Remigius et Vedastus episcopi claruerunt.

488. Zenon imperator Italiam donat Theoderico regi Gothorum.

491. Anastasius imperator.

494. Obiit Perpetuus Turonensis episcopus.

495. Fulgentius episcopus claruit.

497. Sollempnes laetaniae ante ascensionem Domini hoc tempore a Mamerto episcopo institutae sunt.

511.

512. A transitu sancti Martini usque ad obitum Clodovei anni 112 computantur.

513. Lotharius filius Chlodovei cum fratribus suis regnat in Francia.

519. Iustinus imperat. Huius secundo anno Iohannes fit papa.

524. Boetius occiditur.

525. Simmachus et Iohannes papa interficiuntur.

526. Sanctus Benedictus magnis pollet virtutibus.

527. Iustinianus imperator.

532. Hic orditur ciclus Dyonisii anno 5. Iustiniani.

533. Cassiodorus et Dyonisius abbas et Arator poeta et Iordanis hystoriographus et Priscianus grammaticus claruerunt.

549. Domitianus Tungrensis et Nicetius Treverensis episcopi claruerunt.

551. Quinta universalis synodus Constantinopolim.

556. Obiit sanctus Medardus episcopus.

562.

563. Hilpericus regnat in Francia.

564.

565. Iustinianus imperator obiit. Iustinus imperator.

568. Langobardi invadunt Italiam.

570. Obitus sancti Vedasti.

572. Obiit Eufronius Turonensis episcopus. Succedit Gregorius hystoriographus.

573. Obiit sanctus Germanus Parisiacensis episcopus.

576.

583. Mauricius imperator.

586. Lotharius regnat in Francia.

598. Sanctus Perpetuus[b] Tungris antistat.

604. Focas imperator.

607.

612. Heraclius imperator.

613. Ysidorus Hispalensis episcopus claruit.

616. Hierusalem a Persis capta, templum crematur, et crux Domini absportatur.

617. Obiit Iohannes elemosinarius.

618. Sanctus Ebregisus Tungris antistat.

625.

626. Iohannes Tungris ordinatur episcopus.

LA. a) DLXXXVII *add.* LE. b) *vox iam erasa.*

629. Obiit sanctus Bavo.

630. Mortuo Lothario rege, Dagobertus regnat; qui in Austria[a] ante plures annos a patre missus fuerat regnare sancto Arnulpho et Pipino.

632. Autbertus Cameracensis episcopus insignis habetur.

637. Hoc anno Landelinus, qui et Maurosus, ab Autberto Cameracensi ex praedone conversus, iecit fundamenta Lobiensis ecclesiae.

639. Heraclius imperator. Dagobertus Sigibertum filium suum regem dat Austrasiis, retinens secum Clodoveum.

641. Constantinus filius Heraclii imperator menses sex.

642.

646. Mortuo Dagoberto, Clodoveus filius eius regnat in Neustria. De quo Dagoberto cuidam per visionem revelatum est, quod ad iudicium Dei raptus, et multis sanctis contra eum pro exspoliatione ecclesiarum reclamantibus, a poenis sibi iam paratis per sanctum Dionysium, cui maxime devotus fuerat, liberatus est.

647. Sanctus Remaclus ordinatur Traiectensis episcopus. Modoaldus, frater Ittae matris sanctae Gertrudis, archiepiscopus Trevirensis, sororque eius Severa abbatissa sanctitate clarent.

648. Pipinus maior domus moritur. Grimoaldus filius eius in aula Sigiberti regis principatur.

649. Sanctus Furseus, in Hybernia clarus, ad Gallias usque peregrinatur, quem non multo post, cum iam coenobium Latiniacum fundasset, fratres sui Foillanus et Ultanus pari voto sequuntur.

650. Synodus a Martino papa. Eligius Noviomi, Audoenus, qui et Dado, Rotomagi clarent episcopi, et Philibertus et Richarius Pontivii abbates. Anzegisus etiam filius sancti Arnulphi; Autbertus quoque Cameracensis episcopus.

651. Sanctus Remaclus in Stabulaus monachicae vitae habitum sumit, cui Theodardus succedit.

652. Sanctus Landelinus, qui et Morosus, fundator coenobii Lobiensis, Gilenus Cellensis, Madelgarius dux, qui et Vincentius, Altimontensis et Sonegiensis, eiusque coniunx Valdetrudis Castrilocensis, et Aldegundis Malbodiensis, Trudo etiam Hasbaniensis, de Anglia vero vel Scotia Etto, Bertuinus, Eloquius clarent in Gallia.

653. Coenobium Floriacense a Leodobodo abbate fundatur, in quod non multo post corpus sancti Benedicti ab Agilulpho monacho, corpus vero sanctae Scholasticae Cinnomanis transfertur.

654. Sanctus Iudocus, regis Britonum filius, spreto mundo et regno, peregrinus in Pontivo requiescit in Christo.

Sanctus Foillanus martyrio coronatus Fossis requiescit.

655. Grimoaldus maior domus, domino suo Dagoberto, Sigiberti filio, attonso, et per Didonem Pictavensem episcopum in Scotiam directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum regem.

656. Obiit sancta Gertrudis. Sanctus Theodardus martyrizatur, cui succedit sanctus Lambertus filius Apri comitis. Quo praesente et Audomaro Tarvanensi, iam prae senio caeco, sed precibus praesentium episcoporum et meritis sancti Vedasti illuminato, Attrebatis corpus ipsius sancti Vedasti transfertur a Vindiciano archiepiscopo. Audomarus vero aegre ferens se liberatum a caecitate, pro salute a Deo sibi emissa, rursus ad votum excaecatur.

658. Clodoveus rex corpus sancti Dionysii discooperiens, et minus religiose os brachii frangens et rapiens, mox in amentiam perpetuam incidit.

659. Sanctus Nivardus Rhemensis archiepiscopus et

---

629. Obiit sanctus Bavo.

630. Mortuo Lothario, Dagobertus regnat. Qui in Austria ante plures annos a patre missus fuerat regnare sancto Arnulfo et Pipino.

632. Amandus Tungris ordinatur episcopus.

637.

639. Eraclonas et Martina imperant. Dagobertus Sigiberto filio regnare[b] dat Austrasiis sancto Chuniberto et Pippino, retinens secum Chlodoveum. Sanctus Foillanus claruit in Gallia.

641. Constantinus filius Heraclii imperator menses 6.

642. Constantinus filius eius imperator. Sanctus Remaclus Tungris antistat.

646. Mortuo Dagoberto, Chlodoveus filius eius regnat in Francia.

647.

648. [*Fundacio ville Fossensis per sanctam Gertrudem*[c]].

649. Eligius fit episcopus.

651.

652.

653.

654.

655.

659. Obiit sancta Gertrudis.

LA. a) Neustria *ed.* LE. b) regn̄ c) *manu s. XV.*

Reolus successor eius, Bercharius quoque martyr primus abbas Auvillariensium, sancta etiam Berta martyr et abbatissa sanctitate clarent in Gallia.

661. Mortuo Sigiberto in Austria, filius Grimoaldi Hildebertus regnat, et post eum ipse Grimoaldus frater sanctae Gertrudis. Sanctus Amandus obiit.

663. Defuncto Clodoveo in Neustria, Lotharius filius eius succedit.

665. Hildricus regnat in Austria, filius Clodovei, postea etiam in Neustria post Lotharium fratrem suum.

667. Mortuo Lothario in Neustria, frater eius Hildricus ex Austria assumitur.

668. Constantinus imperator.

676. Sexta universalis synodus Constantinopolitana.

678. Hildrico interfecto, Theodericus frater eius regno restituitur.

686. Iustinianus minor imperator.

687. Pippinus senior cepit.

689. Sanctus Ursmarus ecclesiam Lobiensem regendam suscipit; qui mox privilegium eidem loco acquirit, datum sibi Calendis Februarii per manum Iohannis Romanae sedis bibliothecarii.

691. Theodericus superatur a Pippino.

693. Theodericus rex obiit. Filius eius Chlodoveus regnat.

696. Leo imperator.

697. Dedicatio primae ecclesiae Lobiensis, quae facta est 6. Calendas Septembris.

698. Hildebertus regnat.

699. Tiberius imperator.

706. Iustinianus II. imperator.

707. Hildulfus dux obiit Lobiae. Hic sub beato Ursmaro sua pariter et se ipsum Lobiensi loco contulit, sponsa sua, beata videlicet Aia, quae nunc apud montem Castrilocum quiescit, Christo sacrata et beatae Waldetrudi commendata.

709. Obiit beatissima Begga sanctae Gertrudis germana.

712. Philippicus.

713. Obiit sanctus Ursmarus. Cui successit sanctus Erminus.

714. Obiit Pippinus princeps, et Carolus Martellus princeps successit.

715. Dagobertus iunior regnat.

716. Theodosius imperator.

717. Leo imperator.

719. Hilpericus regnat cum Raginfrido, et Lotharium puerum Carolus sibi facit regem.

724. Theodericus regnat.

725. Hucusque Beda.

727. Sanctus Egobertus migravit ad Christum[2].

731. Beda obiit.

737. Obiit sanctus Erminus episcopus et abbas, et sanctus Theodulfus successit.

741. Hildricus regnat. Carolus princeps obiit, et Pippinus succedit cum Carlomanno.

742. Constantinus imperator[3].

745. Carlomannus monachus fit[4].

747. Sanctus Wigbertus migravit a saeculo[5]

750. Pippinus fit rex.

755. Sanctus Bonifacius martyrio coronatur[6].

768. Pippinus rex obiit. Carolus Magnus succedit, et Carlomannus

660.

661. Obiit sanctus Amandus. Mortuo Sigiberto in Austria, filius Grimoaldi Hildebertus regnat, et post eum ipse Grimoaldus frater sanctae Gertrudis.

662. Obiit sancta Aldegundis.

663. Defuncto Chlodoveo in Neustria, Lotharius filius eius succedit.

665. Obiit sanctus Eligius. Hildricus regnat in Austria, filius Chlodovei; postea etiam in Neustria post Lotharium fratrem suum.

667. Lothario mortuo in Neustria, frater eius Hildricus ex Austria assumitur.

669. Constantinus imperator.

676. Sexta synodus universalis Constantinopolim.

677. SANCTUS LANTPERTUS FLORUIT.

678. Hildrico interfecto, Theodericus frater eius regno restituitur.

686. Iustinianus minor imperator.

687. Pipinus senior coepit.

689. OBIIT SANCTA BEGGA.

690. Theodericus superatur a Pippino. Obiit sanctus Remaclus.

692. Theodericus rex obiit.

693. Chlodoveus filius eius regnat.

695. Leo imperator.

696.

697. Hildebertus frater eius regnat.

698. Tyberius imperator.

701. Sanctus Lantbertus martirizatur

706. Iustinianus secundo imperator.

707.

708.

709.

710.

711.

712. Philippicus.

713. Obiit sanctus Ursmarus.

714. Anastasius imperator. Obiit Pippinus princeps, et Karolus Martellus princeps succedit.

715. Dagobertus regnat.

716. Theodosius imperator.

717. Leo imperator.

719. Hilpericus regnat cum Raginfrido. Et Lotharium puerum Karolus sibi facit regem.

724. Theodericus regnat.

725. Hucusque Beda.

727.

731. Beda obiit.

735. Obiit sanctus Hugbertus episcopus.

737. Obiit sanctus Erminus episcopus et abbas.

741. Hildricus regnat. Karolus princeps obiit, et Pippinus succedit

742.

746. Karlomannus frater Pippini fit monachus.

747.

750. Pippinus fit rex.

755. Sanctus Bonifacius archiepiscopus Mogonc. martyrizatur.

768. Pippinus rex obiit. Karolus Magnus et Karlomannus succedunt.

2) cf. Ann. Quedl. Weiss. Lamb. 3) cf. An. S. Bonifacii 741. 4) cf. A. Lamb. Qued. 747. 5) cf. A. Lambert. Weiss. h. a. 6) cf. A. Lamb. Weiss. Quedl.

ANNALES LAUBIENSES.

771. Carlomannus filius Pippini obiit, et Carolus solus regnum obtinuit.

774. Carolus regnum Italiae cepit, et Desiderium regem in exilium direxit Ledgiae[7], Agilfrido episcopo.

776. Leo imperator. Obiit sanctus Theodulfus episcopus et abbas, et Anso succedit.

781. Constantinus et Irene imperant.

788. Synodus iterum apud Nicaeam.

791. Constantinus solus imperat.

797. Hoc anno excaecatus est Leo papa.

798. Irene sola imperat.

800. Anso abbas obiit, cui successit Hildricus. Deinde Ramnericus, post quem piissimus abbas Fulradus.

801. Carolus fit imperator.

803. Nicephorus imperator.

810.

811.

812. Michael imperator.

813. Stauratius imperator.

814. Carolus imperator obiit; et Ludovicus imperator successit.

815. Decretum, ut omnes monachi cantarent cursum sancti Benedicti[9]. Leo imperator.

823. Elevatio sancti Ursmari 7. Calendas Aprilis.

825.

826. Hilduinus abbas ossa sancti Sebastiani in Galliam transtulit[11] ad urbem Suessionis. Obiit piissimus abbas Fulradus, succedit Egardus.

827.

830. Theodericus episcopus Cameracensis. Theophilus imperator.

831.

835. Obiit Ecgardus[a] abbas, succedit Hardebertus.

838.

839.

840. Ludovicus imperator obiit; filii eius succedunt, Lotharius, Ludovicus, Carolus.

ANNALES LEODIENSES.

771.

Karolus regnum Italiae cepit, et Desiderium regem in exilium direxit Leggiae, Agilfrido episcopo. 7

776.

781.

788.

791.

797.

798.

800.

801. Karolus fit imperator Romanorum.

810. Pipinus, filius Karoli imperatoris, moritur. Waltcaudus ordinatur episcopus[8]. 8

811. Karolus filius imperatoris maior natu moritur.

812.

813.

814. Karolus imperator obiit; et Ludowicus imperio succedit.

815. 9

823. Elevatio sancti Ursmari 7. Kal. April.

825. Translatio sancti Hugberti episcopi in Andagio[10]. 10

826. Corpus sancti Sebastiani a Roma in Galliam delatum.

827. Corpora sanctorum Marcellini et Petri a Roma in Galliam allata.

831. Translatio sancti Bartholomei apostoli de Lippari insula in Benevento[12]. 12

838. Ludovicus imperator a suis imperio privatur et custodiae traditur, sed a filio Lothario erutus, imperio restituitur.

840. Ludovicus imperator obiit.

841. Filii eius succedunt, Lotharius, Ludovicus, Karolus.

a) hugardus *ed.*

7) Leodio. 8) Leodiensis. 9) cf. A. Weiss. Quedl. Hild. Lamb. 10) S. Hubert in Ardenna? 11) cf. A. Hildesh. Q. W. L. 12) cf. Ann. Benevent. a. 838. SS. III. 173.

ANNALES LAUBIENSES.

842. Michael et Theodora imperatores.

843. Bellum in Fontanide Lotharii et Pipini, nepotis eius, contra Ludovicum et Carolum, fratres suos.

853.

12 854.

855. Lotharius imperator et monachus obiit.

856. Michael solus imperator. Obiit Rabanus archiepiscopus Moguntinus.

860. Hyems magna et mortalitas anima-
13 lium[13].

863. Carolus filius Lotharii, rex Burgundiae, moritur.

864. Hubertus invadit abbatiam, fugato Hardeberto.

866. Iohannes Cameracensis episcopus ordinatur, et hoc anno beatae Raineldis virginis et martyris corpus levatum est, miraculis innumerabilibus eius sanctitati attestantibus.

867. Basilius imperator[a]. Huic succedunt ad nostra tempora, id est anno ab incarnatione millesimo, Alexander et Leo imperatores, Constantinus et Romanus, socer eius, cum Stephano et Constantino, filiis ipsius Romani imperatoris[b], Romanus filius prioris Constantini imperatoris[c], Nicephorus imperator.

868. Occiso Huberto, fit a Iohanne episcopo polepticum nostrum.

869. Lotharius rex obiit.

14

870. Carolus rex occidentis dat abbatiam filio suo Carlomanno.

ANNALES LEODIENSES.

842.

843. Bellum in Fontanido Lotharii et Pippini, nepotis eius, contra Loduvicum et Karolum, fratres suos.

853. Nortmanni fines Franciae depopulantur.

854. Obiit Harcharius episcopus[12], succedit Franco.

855. Lotharius imperator et monachus obiit.

856. Obiit Rabanus episcopus.

860.

862. Karolus filius Lotharii, rex Burgundiae, moritur.

864.

866.

866. Basilius imperator. Huic succedunt usque ad nostra tempora, id est anno millesimo ab incarnatione Domini, Alexander et Leo imperatores, Constantinus et Romanus, socer eius, cum Stephano et Constantino, filiis ipsius Romani imperatoris, Romanus filius prioris Constantini imperatoris, Nicephorus imperator, Iohannes imperator, Basilius et Constantinus imperatores, filii Romani.

868. Lotharius rex excommunicatus, Placentiae moritur.

869. Obiit Gontharius archiepiscopus[14]. Succedit Willebertus.

870.

872. Iohannes papa. Huic succedunt usque ad annum millesimum incarnationis Domini per annos 128 Stephanus, Formosus, Stephanus, Romanus, Theodorus, Iohannes, Benedictus, Leo, Cristoforus, Sergius, Anastasius, Lantdo, Iohannes, Leo, Stephanus,

a) *Quae iam sequuntur in ed. annis* 868, 869, 870, 872, 873 *tribuuntur, errore editoris manifesto.* b) imperatores *ed.* c) imperator *ed.*

12) Leodiensis. 13) cf. Ann. Weiss. 14) Coloniensis.

ANNALES LAUBIENSES.	ANNALES LEODIENSES.
	Marinus, Agapitus, Iohannes, Octavianus, Leo protoscriniarius[a], Iohannes, Benedictus, Benedictus, Iohannes, Petrus, Iohannes, Gregorius, Bruno[15]. 15
873. Carlomannus, filius Caroli Calvi, abbas Lobiensium et diaconus, a patre excaecatur, et remanet abbatia in manu patris per annos quinque, deinde in manu filii eius Ludovici per annos duos, deinde in manu alterius Ludovici Germanorum regis per annos duos, donec eam Huguni, filio Lotharii ex Valdrada, dedit.	873.
876. Ludovicus rex orientalis obiit.	875. Ludowicus rex orientalis obiit; Ludowicus filius eius succedit.
877. Carolus imperator occidentis obiit. Ludovicus filius eius succedit.	876. Et Karolus imperator occidentalis obiit; Ludowicus filius eius succedit.
879. Ludovicus rex occidentis obiit.	878. Lodowicus rex occidentalis obiit. Filii eius succedunt.
880. Hugo, filius Lotharii regis, Lobiensis abbas efficitur. Thietbaldus[16], filius Huberti abbatis, occiditur ab Heinrico[a*] duce.	16
881. Ludovicus rex orientalis obiit.	880. Lodowicus rex occidentalis obiit.
882. Carolus frater eius fit imperator. Eodem anno Ludovicus rex occidentis obiit.	881. Karolus frater eius fit imperator. Eodem anno Lodowicus rex occidentalis obiit.
883. Hincmarus archiepiscopus Rhemorum obiit.	883. Karlomannus frater eius, rex occidentalis, obiit.
884. Carlomannus rex occidentis obiit.	884. Obiit Hincmarus Remensis episcopus.
887. Obiit Hugo [Lobiensis[17]] abbas, vir mirae potestatis et prudentiae. Franco succedit. Carolus imperator et rex orientis obiit, et Arnulfus filius Carlomanni rex succedit.	886. Karolus imperator et rex occidentalis obiit. Et Arnulfus[b] rex succedit. 17
888. Odo fit rex in occidente.	887. Odo fit rex in occidente.
890. Franco abbas Lobiensium in episcopum Leodiensem translatus, acquisivit episcopatui abbatiam Lobiensem. Huius tempore fuerunt Normannorum incendia.	890.
891.	891. Obiit Willebertus archiepiscopus[18]. 18 Succedit Herimannus.
893. Carolus fit rex in occidente contra Odonem.	893. Karolus contra Odonem fit rex in occidente.
895. Zuendibolchus[a] fit rex Lothariensis. Berno ex comite Burgundiae abbas Gigniacensis coenobii[19] a se fundati, ex dono Avae comitissae construxit Cluniacum coenobium in cellam Gigniacensem.	895. Zuendibolchus fit rex Lothariensium.

LA. a*) henrico *ed. saepius.* a) Quendibolchus *ed. ita et infra.* LE. a) prot' *c.* b) Ar| *c.*

15) idem qui Gregorius V., adde Silvestrum II. 16) cf. Ann. Vedastinos. 17) Hugo Lobiensis abbas anno 885. excaecatus, decennio post obiit; sed Hugo abbas S. Martini et S. Columbae, quem Regino magnae potestatis virum et magnae prudentiae dicit, hoc anno obiit; igitur vocem *Lobiensis* uncinis inclusi. 18) Coloniensis. 19) Gigny. dioc. Lugdunensis.

ANNALES LAUBIENSES.

898. Odo rex obiit, et Carolus totum regnum recepit.

900. Arnulfus imperator obiit, et Ludovicus succedit. Fulco archiepiscopus a Wenemaro interficitur.

901. Zuendibolchus, filius Arnulphi imperatoris, rex interficitur. Obiit Franco episcopus, succedit Stephanus.

907. Adalbertus comes decollatus est
19 iubente rege[19].

911. Ludovicus rex obiit; et Cuonradus rex succedit in orientali Francia et meridiana.

918. Cuonradus rex obiit, et Heinricus succedit.

20 920. Obiit Stephanus episcopus. Ab isto et a Dodilone Cameracensi episcopo secundo dedicatur ecclesia nostra. Succedit Richerius.

921. Bellum Suessionicum.

922. Carolus capitur.

923. Carolus rex occidentalis obiit. Rodulphus rex subrogatur.

926. Ludovicus substituitur regno.

930. Obiit Hucbaldus.

936. Heinricus rex obiit; cui filius Otto succedit.

937. Hebehardus comes Heinricum filium
21 Heinrici regis captum proiecit in vincula[21].

938. Gislebertus dux cum Everardo periit[22].

939. Ludovicus rex filiam Heinrici regis Gerbergam[a], uxorem eius, accepit.

941. Cometes apparuit et fames subsecuta.

23 945. Obiit Richerus episcopus, succedit Huogo.

947. Obiit Huogo episcopus, succedit Farabertus.

24 952.

953. Farabertus episcopus obiit, et Ratherius succedit.

954. Ungri populantur. Lotharius filius Ludovici regnat in occidente.

955. Ratherius episcopus deicitur, Baldricus substituitur.

956. Liedulphus rex obiit. Victoria de Ungris.

ANNALES LEODIENSES.

898. Odo rex obiit, et Karolus totum regnum recepit[a].

900. Arnulfus imperator obiit, et Lodowicus filius eius succedit.

901. Zuendibolchus rex interficitur. Obiit Franco episcopus[20].

907.

911. Ludowicus rex, filius Arnulfi, obiit in orientali Francia et mediana; et Cuonradus rex succedit.

918. Cuonradus rex obiit. Et Heinricus succedit.

920. Obiit Stephanus[b] episcopus[20].

921. Bellum Suessonicum.

922. Karolus capitur.

924. Karolus rex occidentalis obiit.

925. Rodulfus rex subrogatur.

927. Loduwicus restituitur regno.

930.

936. Heinricus rex obiit. Cui filius Otto succedit.

937.

939. Gislebertus dux cum Ewrardo periit. Loduwicus rex uxorem eius accepit.

941. Cometes apparuit. Et[c] fames subsecuta.

945. Obiit Richarius[d] episcopus[23]. Succedit Uhogo.

947. Obiit Uhogo episcopus. Succedit Farabertus.

952. Obiit Wicfridus archiepiscopus[24]. Succedit Bruno.

953. Farabertus episcopus obiit. Et Ratherius succedit.

954. Ungri populantur. Lotharius filius Ludovici regnat in occidente.

955. Ratherius episcopus eicitur. Baldricus substituitur.

956. Liedulfus rex obiit. Victoria de Ungris.

LA. a) Gesbergam *ed.* LE. a) re| *c.* b) *vox paullo obscurior.* c) *haec vox et in Ann. Lobiensibus SS. II. 210. inserenda.* d) Rich̄ *c.*

19) cf. A. Weiss. Hild. Lamb. 20) Leodiensis. 21) cf. A. Hildesh. Weiss. Lamb. a. 937. et Quedl. a. 938. 22) cf. A. Hildesh. etc. 939. 23) Leodiensis. 24) Coloniensis.

957. Herluinus abbas Gemblacensis, abbatia Lobiensi abutens, excaecatur.

958. Obiit sanctus Gerardus, fundator Broniensis coenobii[25]. Raginerus capitur.

959. Baldricus episcopus obiit, Evracrus succedit.

960. Sanctus[26] Udalricus sanctitate claret in Gallia et Germania. Aletrannus abbas ab Evracro constituitur.

961. Otto puer a patre asciscitur in regnum.

962. Otto pater fit imperator.

963. Sanctus Wibertus, fundator Gemblacensis coenobii, apud Gorziam, ubi Deo militabat, obiit; corpus eius Gemblaus relatum est. Arnulpho comite mortuo, Lotharius rex Francorum Flandrias vastat.

965. Obiit domnus Bruno episcopus, et Aletrannus abbas. Fulcuinus fit abbas natale Domini.

968. Otto iunior a patre consors imperii asciscitur Romae.

969. Theodericus[27] Metensium episcopus, cognatus imperatoris, multa corpora sanctorum in Galliam transtulit.

971. Obiit Evracrus episcopus.

972. Notkerus fit episcopus. Immunitas ecclesiae nostrae ab Ottone II. renovatur, et anno sequenti a Iohanne papa confirmatur.

973. Otto imperator obiit, et alius Otto aeque imperator succedit, et bellum in Perona[28]. Aestas pluvialis et frigida, et fames subsecuta.

974. Obiit Ratherius episcopus.

975. Gelu magnum a Calendis Novembris usque medium Martii.

976. Bellum apud Montem Castrilocum.

978. Lotharius rex Aquense palatium videre tantum venit.

980. Lotharius cum imperatore pacem pactus est[30], et imperator Romam proficiscitur.

982. Bellum grande in Calabria[31] actum ab Ottone imperatore contra Saracenos, in quo multi perierunt.

983. Otto II. imperator obiit. Cui filius suus Otto succedit.

986. Lotharius rex obiit. Ludovicus filius succedit.

957. Erluinus abbas excecatur.

958. Raginerus Longicollis capitur. 25

959. Baldricus episcopus obiit. Evracrus succedit.

960. 26

961. Otto puer a patre asciscitur in regnum.

963. Otto pater fit imperator[a].

965. Obiit domnus Bruno episcopus. Succedit Fulmarus.

968. Otto iunior a patre consors imperii asciscitur Romae.

969. 27

971. Obiit Evracrus episcopus.

972. Domnus Nothkerus fit episcopus.

973. Otto imperator obiit. Alius Otto aeque imperator succedit. Et bellum fuit in Perrona inter Raginerum et Warnarium[b]. 28

974. Obsidio Buxudis[29]. Obiit Ratherius episcopus. 29

975. Gelu magnum a Kalendis Novembribus usque medium Martium.

976. Bellum apud Montem Castrilocum.

978. Lotharius rex Aquense palatium videre venit.

980. Lotharius cum imperatore pacem pactus est. 30

982. Bellum in Calabria. 31

983. Otto secundus imperator obiit. Cui filius suus Otto succedit.

986. Lotharius rex obiit. Ludovicus filius succedit.

LE. a) *in Ann. Lobiensibus SS. II. p. 211. lege* Romam peraccedit. b) *ita scribo Sigebertum secutus; Baldericus I. 94. tamen Warnerium ante Brunonem defunctum fuisse tradit;* ut ai *c. reliqua obscura.*

25) Haec saeculo XII. addita esse videntur; cf. a. 1131. 26) Haec igitur post a. 993. scripta sunt, quo Uodalricum in sanctorum numerum relatum constat. 27) cf. Ann. S. Vincentii Mett. a. 970. 28) prope Binche. 29) cf. Ann. Weissemburg. SS. III. 30) cf. Ann. Hildesh. etc. 31) cf. Ann. Hildesh. etc.

ANNALES LAUBIENSES.

987. Ludovicus rex obiit. Hugo succedit.
988. Carolus Laudunum ingreditur.
989. Notkerus episcopus vadit Romam, 32 et H.[32] cum eo.
990. Obiit Fulcuinus, substituitur Herigerus natali Domini.
996. Mortuo Hugone, Robertus filius eius succedit.
999.
1000. Terrae motus factus est permaximus.
1002. Otto imperator obiit, et Heinricus succedit.
1003.
1004. Castellum munitur a filiis Godefridi.....
1006. Fames maxima fuit, apparente longo tempore comete.
1007. Obiit Herigerus, substituitur Ingobrandus.
1008. Obiit Notkerus episcopus, succedit Baldricus. Heinricus[a] rex cum exercitu vadit Flandrias.
1009.
1012.
33 1013. Bellum in Huwardis[33] 6. Idus Octobris.
1014. 4. Cal. Octobris, luna sexta, magna maris inundatio ad vesperam, ubi innumerabiles perierunt.
1015. Pridie Idus Septembris bellum in Florenis inter Godefridum ducem et Lambertum comitem, in quo Lambertus periit.
1018. Baldricus episcopus obiit, Guilbodo substituitur. Dux Godefridus cum comite Reinero perdito exercitu capitur in Frisia.
34
1020. Ingobrandus abbas eicitur. Domnus Richardus abbas substituitur 10. Calendas Octobris.
1021. Guilbodo episcopus obiit; substituitur Durandus.
1024. Heinricus imperator obiit; Cuonradus succedit. Durandus episcopus obiit, Raginaldus substituitur.
1025.
1026.
35

ANNALES LEODIENSES.

987. Ludovicus rex obiit. Hugo succedit.
988. Karolus Laudunum ingreditur.
989.
990.
996. Mortuo Hugone, Robertus filius eius succedit.
999[*]. Silvester papa, qui et Gerbertus.
1000. Terrae motus factus est permaximus.
1002. Otto imperator obiit. Et Heinricus succedit.
1003. Obiit Silvester papa.
1004.
1006. Heinricus rex obsidet Valentianas. Fames valida, apparente longo tempore comete.
1007.
1008. Nothkerus episcopus obiit. Baldricus succedit.
1009. Eclypsis solis facta est circa horam diei secundam.
1012. Heinricus rex pascha celebravit Leodii.
1013. Bellum in Huardis[a] 6. Idus Octobr. Circa meridiem 14. Kal. Decembr. terrae motus factus est.
1014.
1015. 2. Id. Septembr. bellum in Florinis inter Godefridum ducem et Lanbertum comitem, in quo Lantbertus periit.
1018. Obiit Baldricus episcopus. Succedit Wolbodo. Bellum in Fresonia inter Godefridum ducem et Theodericum comitem. Obiit sanctus Heribertus archiepiscopus[34]. Succedit Pilegrimus.
1020.
1021. Obiit Wolbodo episcopus. Succedit Durandus.
1024. Heinricus imperator obiit. Cuonradus succedit.
1025. Durandus episcopus obiit. Raginardus succedit.
1026. Raginardus episcopus coenobium sancti Laurentii in monte publico[35] instituit.

LA. a) H. *ed.* LE. *) *numerum inserui.* a) Huard *c.*
32) an Herigerus? 33) *Huguard;* cf. Anselmi gesta Baldrici in gestis epp. Leod. c. 60. 34) Coloniensis. 35) Leodii.

1028. Cuonradus imperator super Sclavos vadit.

1029. Cuonradus imperator in Hungariam vadit.

1030. Ingobrandus 10. anno postquam ab abbatia eiectus est, apud Stabulaus diem clausit.

1031. Obiit Robertus rex; Heinricus filius eius succedit.

1032. Cuonradus imperator cum Heinrico rege amicitiam firmat. Domnus Richardus reddit abbatiam Lobiensem.

1033. Hugo fit abbas die pentecostes.

1036. Ecclesia sancti Petri Lobiis dedicatur Idibus Ianuarii ab episcopis Raginardo Leodiensi, et Gerardo Cameracensi.

1037. 17. Cal. Decembris bellum inter Gotzelonem[a] ducem Lotharingiae et Odonem comitem Franciae, in quo ipse Odo periit, et victoria duci cessit. Obiit Reginardus episcopus, Nitho succedit.

1039. Cuonradus imperator obiit; Heinricus filius eius succedit.

1040. Odolricus dux Bechemiae[b] rebellat, contra quem Heinricus rex exercitum ducit; sed infecto negotio redit.

1041. Heinricus rex Odolricum ducem Bechemiae[c] subiugat.

1042. Heinricus rex in Hungariam vadit. Nitho episcopus obiit, Watzo[d] succedit. Aestas pluvialis.

1043. Fames exorta, et gelu magnum a Calendis Decembris usque Calendas Martii.

1044. Heinricus Hungariam subiugat magno praelio confecto. Gotzelo[e] dux obiit. Godefridus filius eius rebellat. Fames pervalida.

1045. Benedictus papa et duo cum eo; quibus tribus canonica censura ab imperatore Heinrico depositis, Clemens papa substituitur. Godefridus capitur et custodiae mancipatur.

1046. Heinricus, filius Cuonradi, fit imperator, et tres papae ab eo deponuntur. Godefridus custodia relaxatus, cum Balduino comite concordatur et ambo rebellant.

1047.

1028. Heinricus puer, filius Conradi imperatoris, in regnum sublimatur Aquis.

1029. Conradus imperator contra Sclavos proficiscitur.

1030. Conradus imperator contra Ungaros proficiscitur.

1031. Obiit Robertus rex Francorum. Succedit Heinricus filius eius.

1032.

1033.

1036. Heinricus rex uxorem ducit filiam regis Anglorum. Obiit Pilegrimus archiepiscopus. Succedit Herimannus.

1037. Bellum apud Barum inter Gotzelonem ducem et Odonem comitem. Obiit Raginardus episcopus. Succedit Nithardus.

1039. Obiit Conradus imperator. Succedit Heinricus filius eius.

1040. Rex Heinricus contra Odolricum regem Boemiae vadit, sed inefficax redit.

1041. Rex Heinricus Odolricum regem Boemiae subiugat.

1042. Rex Heinricus contra Ungaros vadit. Obiit Nithardus episcopus, succedit Watzo[f].

1043. Rex Heinricus cum paucis Obbonem de bello fugavit, et lanceam, insigne regis, recepit. Petrum vero, quem Obbo expulerat, regno Ungarorum restituit.

1044. Gotzelo dux obiit. Godefridus filius eius, privatus paterno iure, rebellat. Fames valida.

1045. Godefridus capitur, et custodiae mancipatur.

1046. Heinricus rex fit imperator. Et tres papae ab eo deponuntur. Godefridus cum Balduino rebellat. Clemens papa.

1047. Godefridus palatium Neomagi incendit, Virdunum capit et incendit. — Damasus papa.

LA. a) gothelonem *ed.* b) bethem *ed.* c) bethem *ed.* d) watho *ed.* e) gothelo *ed.* f) Vuatho *c.*

1048. Watzo[a] episcopus obiit, Diduinus succedit. Heinricus imperator cum Heinrico rege amicitiam firmat.

1049. Leo, qui et Bruno, papa. Synodus Remis ab eo agitur, et simoniaci damnantur. Heinricus imperator Balduinum comitem subiugat, Godefridum in amicitiam receptat.

1050. Heinricus imperator per Cameracum super Balduinum vadit.

1051. Balduinus cum filio suo Balduino
36 rebellat, invaso Haino[36]. Annus totus pluvialis.

37 1053. Balduinus iunior Tudinium[a*, 37] incendit. Balduinus maior cum minore[b]
38 Hoium[38] vastant et incendunt utrimque. Hugo abbas obiit, Adelardus succedit.

1054. Heinricus imperator super Balduinum secundo vadit, Tornacum capit.

1048. Dux Albertus a Godefrido perimitur. — Obiit Watzo episcopus. Succedit Deoduinus.

1049. Heinricus imperator contra Balduinum proficiscitur. Balduinus satisfacit imperatori Aquis. — Leo papa, qui et Bruno.

1051. Balduinus cum Balduino filio suo rebellat, invaso Monte Castriloci.

1053. Balduinus iunior Tudinium incendit. Balduinus maior cum minore Hoium vastant et incendunt utrinque.

1054. Imperator Balduinum totis viribus populatur. Tornacum capit[a]. — Victor papa qui et Gebehardus.

(*Continuationem vide infra pag.* 27.)

ANNALIUM LAUBIENSIUM CONTINUATIO A. 1056—1505.

1056. Victor papa Goslaria venit. Heinricus imperator obiit, eique filius suus Heinricus in regnum successit.

1058. Heinricus Palatinus comes, mentis insania captus, uxorem suam Mathildam, Gozelonis ducis filiam, infeliciter peremit.

1060. Obiit Heinricus rex occidentalis. Philippus, filius eius, successit.

1061. Imperatrix Agnes velamen castimonii accepit.

1062. Anno Coloniensis archiepiscopus regem Heinricum matri subripuit, seseque illi magistrum praefecit.

1063. Romae directi sunt papae duo, Parmensis episcopus et Lucensis; inter quos usque ad sanguinis effusionem decertatum est.

1064. Willelmus rex Anglicam terram invasit.

1065. Heinricus rex in 4. feria paschae gladium cinxit Vormatiae, Eberhardo[c] Treverensi archiepiscopo benedicente.

1066. Hoc anno cometa apparuit. Heinricus rex Bertam reginam duxit, Ottonis marchionis filiam, et Eberhardus[c] Treverensis archiepiscopus obiit. Cuono in loco eius substitutus, martyrizatur. Comes Guillelmus rex Anglorum vi efficitur.

1067. Godefridus Lothariensium dux Romam hostium incursus timentem defendere nititur.

1068. Aquae inundaverunt. Magna et inaudita sterilitas vini et pomi facta est.

1069. Hiems magna et aspera. Heinricus rex barbaros trans Alpiam flumen cum exercitu invasit, populum multum occidit, civitates destruxit, et captivitatem magnam victor reportavit. Contra ipsum regem Dedi, marchio Saxonicus, manum levavit et non praevaluit.

1070. Godefridus dux Lotharingiae, vir mirae audaciae, in natali Domini obiit, et Dominus sancti Zebaldi virtutem per opera mundo revelavit. Obiit Balduinus comes, et
39 ad Hanon[39] sepultus est.

1071. Synodus habita est Maguntiae, cui Heinricus rex et legati papae Alexandri et diversarum provinciarum abbates et episcopi interfuerunt; et Carlus episcopus Constan-

LA. a) watho. a*) tuduinum *ed.* b) c. m. *voces lacunae apud Martene obviae intuli.* c) ebehard. *ed.* LE. a) ca[c.

36) Hennegau. 37) Thuin ad Sabim. 38) Huy. 39) Hasnon dioc. Atrebatensis.

tiae de simoniaca heresi convictus est. Sanctus Remaclus a suis Legiam deportatus, de Malmundario ius suum a rege virtutibus extorsit [40]. Otto Bavariorum dux de coniuratione 40 facta in regem deprehenditur, et honore privatur.

1073. Tota Saxonia quasi vir unus recessit a rege et rebellavit.

1074. Heinricus rex coangustatus nimis, Deo poenitentiam promisit, et regnum eius confirmatum est. Eodem anno dissipata sunt castella, quae ad oppugnandam Saxoniam fecerat.

1075. Rex facto exercitu iuxta Unstruot fluvium bellum intulit Saxonibus, et multis milibus utrimque interemtis, rex tandem victor efficitur. Deoduinus episcopus decedit, Heinricus Legiae succedit.

1076. Godefridus dux Gibbosus, filius Godefridi Magni, insidiis interemitur. Lietbertus episcopus Cameracensis obiit 9. Calendis Iulii; Gerardus succedit.

1077. Gelu permaximum a Calendis Novembris usque medium Martii.

1078. Adelardus abbas obiit Idibus Ianuarii; Arnulphus succedit.

1080. Hoc anno Heinricus rex noster de facto contra se rege Saxonum Rodulpho triumphavit. Pridie Idus Octobris renovatur dedicatio oratorii sancti Andreae apostoli a Gerardo episcopo.

1081. Et hoc anno facto rex exercitu vadit Italiam contra resistentem sibi Gregorium papam, qui et Hildebrandus antea; et totam ex omni parte obsidet Romam. Contigit terrae motus vehementissimus 6. Calend. Aprilis.

1084. Hoc anno Heinricus rex, capta Urbe et fugato papa Gregorio, Clementem subrogat; a quo imperator consecratus, victor in Galliam revertitur.

1087. Obiit sanctus Theodericus abbas Andaginensis coenobii, monachus Lobiensis, 8. Cal. Septembris, anno aetatis suae 80. professionis suae 65. sacerdotii 50. Corpus beati Nicolai a Miraea in Barrensem metropolim Apuliae transfertur.

1090. Hoc anno orta est pestis in hominibus quae arsura dicitur, qua etiam multi perierunt.

1091. Heinricus Leodiensis obiit; Otbertus episcopus succedit.

1092. Gerardus Cameracensis episcopus obiit.

1094. Hoc anno magna mortalitas hominum fuit, et visus est igneus draco volare per aerem. Arnulphus abbas obiit; Fulcardus succedit.

1095. Hoc anno dedicata est ecclesia sanctae Mariae et sancti Ursmari ab Otberto Leodiensium episcopo 13. Calend. Februarii.

1098. Hoc anno capta est Antiochia a christianis. Hic refloruit ordo Cisterciensis, in quo quinto decimo abhinc anno sub Stephano abbate factus est monachus sanctus Bernardus [41], primus postmodum Clarevallensis abbas, 22. agens annum. 41

1099. Obiit Vibertus papa, qui et Clemens; Renerus, qui et Paschalis, succedit. Hoc anno capta est Ierusalem a Godefrido duce Lothariensium.

1102. Heinricus imperator cum filio super Robertum comitem Flandrensem vadit, et castra Cameracum devastantia diruit.

1104. Orta est tempestas saevissima grandinis mense Aprili, 5. feria hebdomadae paschalis, et beatus Dei confessor Theodulphus, tertius post beatum Ursmarum Lobiensis episcopus, magnis et innumerabilibus claruit virtutibutibus.

1106. Hoc anno cometa apparuit mense Februario, et turbo immanissimus factus est Nonas Iulii ad vesperam, cui similem se vidisse meminit nullus hominum. Mense sequenti obiit Heinricus imperator 8. Idus mensis ipsius; cui filius suus Heinricus in regnum successit.

1107. Fulcardus abbas obiit; Valterius successit.

1108. Philippus rex Francorum obiit; Ludovicus filius eius succedit.

1109. Ecclesia sancti Ursmari dedicatur ab episcopo Cameracensi 3. Calend. Octobris.

1110. Heinricus rex Romam cum exercitu vadit, cum papa Paschali concordat, imperator ab eo consecratur, privilegia de dandis investituris, baculis et annulis episcoporum et abbatum ab eo recipit, et sic communi pace firmata remeat.

40) v. Triumphum S. Remacli, apud Chapeaville gesta Leod. II. 517 sqq. 41) Haec igitur nonnisi post a. 1174, quo Bernardus Sanctis adscriptus est, addita sunt.

1112. Aestas nimis arida. 4. Idus Maii nocte dominica fit tempestas, exurens multas arbores et segetes. Laudunensis episcopus a civibus interficitur, sanctae Mariae templum et omnia monasteria cum tota pene urbe succenduntur, multa ubique contingunt incendia.

1117. Hoc anno fit terrae motus magnus, et templum sancti Lamberti bis fulminatur.

1118. Hoc anno obiit Paschalis papa; cui succedit Iohannes, qui et Gelasius. Obiit Olbertus Leodiensis episcopus.

1119. Obiit Gelasius papa; cui succedit Vido Viennensis archiepiscopus, dictus Calixtus. Domnus Fridericus in episcopum Leodiensem eligitur.

1120. Maxima synodus ab eodem papa Remis celebratur; a quo ibidem domnus Fredericus episcopus consecratur.

1121. Episcopus Leodiensis Fredericus moritur; ad eius tumulum multae virtutes divinitus factae probantur.

1123. Albero episcopus Leodiensis constituitur et consecratur.

42 1124[42]. Hoc anno inter domnum papam Calixtum et Heinricum imperatorem de nomine quartum firmissima pax promovetur. Eodem anno[43] ipse domnus papa Calixtus obiit; cui succedit Lambertus, qui et Honorius.

1125. Hoc anno hyems contigit asperrima, quam fames subsequitur praevalida. Eodemque anno imperator Heinricus de nomine quartus moritur carens liberis; cui succedit Lotharius de gente Saxonum.

44 1127. Clericis ab ecclesia quae Monasterium dicitur[44] remotis, monachi substituuntur. Carolus comes Flandrensis ab optimatibus suis Brugis in ecclesia dolo interficitur.

1128. Obiit Albero episcopus Leodiensium; succedit Alexander.

1129. Hoc anno pestis ignea in homines fuit, et beata Maria Suessionis miraculis claruit, et morticinum pecorum fuit. Bellum inter Alexandrum episcopum Leodii et Godefridum Lotharingiae ducem, in quo dux fugit victus. Bartholomaeus Laudunensis episcopus super Suessiones vadens, vincitur et capitur, et indecenter tractatur. Abbas Lobiensis Valterus abbatia Rhemis relaxatur.

1130. Hoc anno obiit Burchardus Cameracensis episcopus; succedit Lietardus.

1131. Hoc anno domnus Leonius abbas efficitur; qui cum fere mensibus quinque loci huius regimine functus esset, Valterus praedecessor eius obiit. Et hoc ipso anno elevatus est beatus Gerardus, primus abbas Broniensis, a domno Alexandro Leodiensi episcopo. — Gregorius papa cognomento Innocentius, dum a Petro, qui per violentiam sedem apostolicam tenebat, Roma expulsus apud Franciam exularet, Lobias devenit.

1135. Hoc anno transcendit mare terminos suos in ultimis partibus Flandriae, et submersit insulas multas cum hominibus.

1136. Obiit Alexander Leodiensis episcopus; succedit Albertus.

1137. Hoc anno abbas Leonius in ecclesiam sancti Bertini transfertur; cui succedit domnus abbas Lambertus.

1139. Godefridus Lotharingiae dux, Affligemii monachus effectus, moritur; cui succedit filius eius, de nomine Godefridus.

1140. Domnus Samson archiepiscopus Remensis eligitur et consecratur. Werra inter episcopum Leodii Alberonem et Heinricum comitem Namurcensem, in qua Fossis ab eodem comite incenditur[a].

1141. Hoc anno pestis horrida ignis et gravissimae debilitatis in homines fuit, et beata Dei genitrix miraculis ubique claruit. Sanctus Lambertus a Leodio in Ardennam
45 delatus, Martiam suam olim sibi ablatam, videlicet Bullum[45] castellum, obsidione fatiga-
46 vit, virtute cepit, cum triumpho rediit[46].

1142. Hoc anno hyems aspera, fames plurima, languor hominum extitit. Werra inter regem Franciae et comitem Theobaldum vicos et castella multa vastavit.

1143. Hoc anno extitit aspera hyems et nix permaxima super faciem terrae a Calendis Decembris usque ad Calendas Februarii, et sequitur fames valida 7 annis. Hoc anno

a) incend.... *ed.*

42) a. 1122. 43) a. 1124. 44) Moustier ad Sabim. 45) Bouillon. 46) v. Triumphum S. Lamberti apud Chapeaville II. 577.

obiit Innocentius papa; cui successit Wido, qui et Coelestinus. Qui et hoc eodem anno[47] obiit; cui successit Gregorius[48], qui et Gerardus. 48

1145. Hoc anno capta est Edissa civitas christiana a paganis.

1146. Hoc anno obiit Gregorius papa; cui successit domnus Eugenius, qui et Bernardus. Hoc eodem anno obiit Albero Leodiensium episcopus; cui successit Heinricus.

1147. Hoc anno rex Francorum Ludovicus et imperator Romanorum Conradus cum innumerabilibus exercitibus christianorum in Persidem abierunt, et ultionem Dei in paganos quaesierunt.

1148. Hoc anno concilium permaximum a domno Eugenio papa Remis celebratur, in quo multa utilia ecclesiae Dei statuta referuntur.

1149. Imperator Conradus et rex Ludovicus revertuntur a Ierosolymis, victoriam quam speraverant non adepti, sed magna sui exercitus parte imminuti. Lambertus abbas obiit, Franco successit.

1150. Hoc anno hyems asperrima. Franco abbas, canonicis Antoniensibus electionem substituendorum in eadem ecclesia sibi usurpantibus, Romam super hoc appellatur, mense Octobri proficiscitur. Eodem mense villa Listinies nocturno correpta incendio, per sanctum Ursmarum, quem tunc forte hospitem habuerat, liberatur.

1151. Famis periculo multi intereunt. Annus totus pluvialis. Bartholomeus episcopus Laudunensis Funiaci[49] monachus efficitur; cui succedit abbas sancti Martini ex eadem 49 civitate. Werra gravis et diuturna inter episcopum Leodiensem Henricum et Namurcensem comitem Henricum; et quam plures vici et castella tam bello quam incendio destructa sunt. Ipse quoque Namurcensis comes, primis sui exercitus cum magna multitudine captatis, pluribus etiam occisis, apud Andenam[50] fortiter superatus est Calendis 50 Februarii.

1152. Magna fluminum inundatio hyeme facta est. Obiit Conradus imperator; cui succedit Fredericus, filius fratris eius.

1153. Fredericus rex super Arelatem vadens, sed non perveniens, deficiente exercitu, negotio infecto reversus est. Hoc anno Ascalon a christianis capta est. Obiit sanctae memoriae Bernardus, abbas Clarevallis.

1154. Fredericus rex, ut imperator consecretur*, Romam cum multo exercitu proficiscitur.

1155. Rex Fredericus post Romanorum debellationem, post multa sui exercitus discrimina, ab Adriano papa, contradicentibus senatu et populo, imperator consecratus revertitur, in sequenti nativitate Vormatiae iudicium et iustitiam potenter exercuit.

1156. Hoc anno hiems arida, ver temperatum. Imperator prima quadragesimali Leodium venit. Initio mensis Iunii maxima et eo tempore inaudita fluminum inundatio.

1157. Theodericus comes Flandrensium Hierosolymam cum multo nobilium Flandriae comitatu orationis gratia proficiscitur. Philippus filius eius ad iniuriam imperii castra ad episcopum Cameracensem pertinentia triennium impugnare non cessat, ac cum suo interceptus comitatu, dum reverti parat, occubuit. Abbas Stabulensis et Corveiensis[51] lega- 51 tionis gratia Constantinopolim ab imperatore directus, dum constanter . . . .

1158. Fridericus imperator Italiam rursus multo cum exercitu proficiscitur, ubi potenter Mediolanenses per triennium expugnare non cessat; in qua expeditione Coloniensis archiepiscopus Fridericus obiit.

1159. Hoc anno obiit Adrianus papa; post quem eliguntur duo, Octavianus presbyter, qui et Victor, et Rollandus cancellarius, qui et Alexander; et quod ad maiorem totius ecclesiae factum est errorem, uterque consecratur, uterque suos cardinales, suos episcopos, suos reges, uterque populum qui sibi credat habet. Eodem anno 4. Calendas Novembris obiit abbas Franco; cui succedit Iohannes.

1160. Prae nimia debitorum magnitudine ecclesia nostra filios suos non sine magno dolore simul ac pudore ad alias ecclesias dispergere cogitur, magnamque et inauditam prius calumniam a suis servitoribus patitur, dum nullatenus nisi in manu forti abstinere stipendiis acquiescunt; qui tamen usque dum post triennium domini recolligantur, a dominorum suorum servitio quiescunt. In qua servitorum contumacia dum immoderate

47) d. 9. Martii anni sequentis. 48) Lucius II. 49) Fusniaci, Foigny, dioc. Laudunensis. 50) Andennes dioc. Namurcensis. 51) Wiboldus. *) consecratur *ed.*

magister ipsorum concessam sibi eatenus clavim granarii contra abbatem nititur, iudicio eam perdere cogitur.

1161. Pene ubique terrarum praelia et seditiones grassantur, maxime in Gallia inter regem Franciae et regem Angliae; in Italia inter imperatorem Fridericum et Mediolanenses, inter papam Victorem et papam Alexandrum. E quibus Victor mense Maio Cremonae cogit concilium, ad quod de toto imperio Romano personae confluunt. Ipse etiam imperator praesens adest; quo etiam tempore, reparato exercitu, in Mediolanenses totus invehitur. Obiit Samson piae memoriae archiepiscopus; succedit Henricus Belvacensis episcopus, frater regis Francorum Ludovici.

1162. Fridericus imperator, Mediolanensibus post quadriennii obsidionem in deditionem potenter coactis, ecclesiis conservatis, civitatem destruit, civibus eius per alias civitates, quas pro illa et de illa aedificavit, inlocatis. Hoc anno ecclesia Lobiensis, quae prius ligneis ac vilibus tegulis operta fuerat, lapideis et . . . . . .[a] tegulis ornari coepit, et allodia de Perrona in ius perpetuum huic ecclesiae cesserunt.

1163. Hoc anno imperator Romanorum et Francorum rex, pro amovendo errore, qui in ecclesia pro duobus in papam electis increverat, in decollatione sancti Iohannis baptistae apud Besanchon urbem metropolitanam inauditae antea multitudinis concilium convocant, praesente quidem domno Octaviano sanctae Romanae *ecclesiae*[b] . . . . . negotium convenerunt. Nihilominus tamen re in contrarium versa, dissidium utrimque factum est, et imperator quidem iudicia[c] . . . . . . domno Octaviano sequitur. Rex vero Francorum non absque imperialis coronae *iniuria*[d] Rolandum fovet et retinet. In pago Parisiacensi quidam puer nomine Richardus a Iudaeis crucifigitur, cuius sepulcrum miraculis . . . .[e]

1164. Theodericus comes Flandriae tertio Ierosolymam petit, multis tam ex Lotharingia quam ex Flandria se comitantibus. Domnus Octavianus diem ultimum clausit . . . . . cuius sanctitas et in vita et in morte claruit, et ad eius sepulcrum innumera miracula ostensa sunt, Domino videlicet papatum eius signis evidentibus approbante; cui succedit in papatu Paschalis. Imperator in Alemannia regrediens, Italiam repetit[f], et quosdam Italorum turres suas munitionesque et castella omnino *diruere facit, ne contra*[g] eum in perpetuum possent rebellare. Obiit in Italia Heinricus Leodiensis episcopus; cui succedit Alexander praepositus. Exundatione maris in Flandria perierunt homines plus quam undecim milia.

1165. A domino ac venerabili archiepiscopo Coloniae Agrippinensis Rainaldo ad ipsam civitatem deportantur sumta a Mediolano sanctissima trium Magorum corpora. Ad quae videnda pariter et adoranda non solius Germaniae . . . .

1166. Imperator pentecosten apud Werczeborch[h] et natalem Domini Aquisgrani celebrat; ubi tam ipse quam totius imperii primates, episcopique et abbates, domnum papam Paschalem et eius successorem pro catholico et universali patre se habituros, iureiurando confirmant; sed quibusdam tamen minime assentientibus, aliis vero timore potius imperatoris, uti creditum est, quam amore eum[i] sequentibus.

1167. Anconam civitatem imperator navali praelio superatam ad deditionem compellit; praemissisque archiepiscopis Maguntino et Coloniensi cum maximo exercitu, Romanorum terras vastat et diripit. Romani in ipso die pentecostes Roma viriliter erumpentes, dum se fortiter acturos sperant, pene usque ad internecionem aut captivantur aut trucidantur. Subsequutus est imperator, Romamque ingressus, a monte qui dicitur
52 Gaudii[52] usque ad ecclesiam sancti Petri coram primatibus suis coronatus incedit; factaque a domno papa Paschali eiusdem ecclesiae reconciliatione, imperatrix in augustam promota et consecrata est, Rollando interim a facie imperatoris fuga sibi apud Beneventum consulente. Lues permaxima tam in residuos Romanorum quam in gente imperii desaeviit. Obiit Nicolaus episcopus Cameracensis, et Alexander Leodiensis, Rainoldus Coloniensis.

1168. Hoc anno archiepiscopus Philippus Coloniensis, Radulfus Leodiensis episcopus, Petrus filius Theodorici, comitis Flandriae, Cameracensis eliguntur.

a) *vocabulum deesse videtur.* b) *lacuna in ed. Vocem e. supplevi.* c) *fortasse* i. quae faveat d. O. d) *vox deest; fortasse:* dehonestatione? despectu? e) claret? illustratur? coruscat? f) *an* Italia recedit? g) d. f. ne c. *ex coniectura supplevi.* h) wereheborch *ed.* i) eum *supplevi.* 52) Monte Mario.

1170. Hoc anno translatum est corpus sanctae Raineldis virginis in novo feretro.

1171. Domnus Thomas ecclesiae Cantuariensis archiepiscopus, post multas persecutiones a rege Angliae sibi illatas, dolo, ut creditum est, eiusdem regis, ante altare trucidatur; cuius sepulcrum innumerabilibus miraculis a Domino honoratur.

1177. Huius anni et duorum sequentium tragediam, Lobbiensi ecclesiae lacrymabilem, propria et prolixa decet descriptione transmittere ad posterorum memoriam. Obiit Adalardus Cameracensis episcopus. Succedit Rogerus.

1179. Willelmus Remorum archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, Lobbias venit, comitatus Cameracensi episcopo, et comite Haynoensi; causam adventus eorum alibi require [53]. Maxima synodus Romae celebratur, in qua Rollandus, qui et Alexander, universalis papa confirmatur. Octavianus, qui et Victor, Guido, qui et Paschalis, Iohannes, qui et Calixtus, antipapae damnantur. Iohannes abbas ordinationis suae anno 20. peracto, reddit abbatiam mense Decembri. 53

1180. Lambertus, abbas sancti Gisleni, abbas Lobbiensis efficitur mense Martio; qui cum mensibus fere 7 abbatiae praefuisset, eam resignavit, sola sancti Gisleni abbatia contentus esse coactus. Ludovicus rex Francorum obiit; succedit filius eius Philippus.

1181. Rex Francorum Balduini, comitis Hainonensis, filiam ducit uxorem. Werricus Lobbiensis abbas efficitur.

1182. Domnus Werricus Lobbiensis abbas Romam vadit. Magni motus bellorum inter regem Francorum et regni principes.

1184. Philippus Coloniensis archiepiscopus et Philippus comes Flandriae hostiliter Hainacum devastant.

1185. Hoc anno renovatur dedicatio altaris sepulcri in medio principalis ecclesiae Lobbiensis a domno Rogero Cameracensi episcopo. A Namurcensi et Haynaicensi comitibus monasterium sancti Petri in Gemblaus prophanatur, diripitur et incenditur. Rex Francorum a comite Flandriae Ambianis civitatem cum toto comitatu bello recipit.

1186. Idem rex Francorum de duce Burgundiae triumphavit. Spiritus procellarum Haineyam horribili grandine vastarunt pridie Calendas Iulii.

1187. Exercitu christiano miserabiliter victo a paganis, crux dominica et rex Ierusalem ab eis captivantur, et multae civitates et castella capiuntur, et ultimo ipsa Ierusalem.

1188. Balduinus, Hainoensis comes, Namurcum occupavit et Bovinium. Philippus rex Francorum, et Henricus rex Anglorum, cum summis et infinitis principibus suis devotissime sunt cruce signati; sed paulo post Richardus Pictavensis comes rebellis a rege Francorum armis subiugatur. Interim rex Anglorum rebellis a Philippo Francorum rege victus, statim decedit; pro quo praedictus Richardus, filius eius, regnat in Anglia.

1189. Fredericus, Romanorum imperator illustrissimus, via Constantinopolitana contendit in Syriam cum magno exercitu.

1190. Fredericus idem imperator in Seleucia decedit; Henricus filius eius pro eo imperat.

1191. Obiit Philippus archiepiscopus Coloniae, Radulphus Leodiensis episcopus, Rogerus Cameracensis episcopus, Philippus comes Flandriae.

1192. Albertus Leodiensis episcopus horrida proditione Alemannorum Remis martyrisatur. Accaron civitas, quae Ptolemais dicitur, virtute Philippi Francorum regis expugnatur.

1193. Richardus rex Anglorum capitur.

1194. Balduinus comes Hainoensis victum bello capit Henricum ducem de Limbourg.

1195. Moritur Balduinus Hainoensis comes, vir potentissimus. Albertus et Symon, Leodienses electi duo, contendunt inter se.

1196. Albertus, mortuo Symone, Leodiensis confirmatur. Iohannes Cameracensis episcopus decedit.

1197. Henricus comes Campaniae et rex Ierosolimorum moritur.

1198. Henricus imperator moritur; succedit dissensio regni.

1199. Petrus Cameracensis episcopus in archiepiscopum Senonensem promovetur. Richardus rex Anglorum tragula traiectus [a] interiit.

a) tractus *ed.*

53) Gestorum Lobiensium continuatio iam ante haec tempora deficit.

1200. Obiit Albertus Leodiensis episcopus; succedit Hugo.

1201. Iohannes Cameracensis episcopus ordinatur.

1202. Obiit Wilhelmus Rhemorum archiepiscopus. Hugo Leodiensis in episcopum consecratur.

1203. Otto Pictaviensis et Philippus Suaviensis de Romano contendunt imperio.

1204. Domnus Robertus, Broniensis abbas, efficitur abbas ecclesiae Lobiensis. Balduinus Flandrensis et Hainoensis comes imperat Constantinopolim. Eodem anno Guido, Praenestinus episcopus, Rhemensis archiepiscopus efficitur.

1205. Henricus, frater Balduini, succedit ei in imperio Constantinopolitano.

1206. Obiit Vido archiepiscopus Rhemensis; Albricus eligitur et archiepiscopus efficitur Rhemensis.

1208. Philippus, dux Suaviae et rex, interficitur.

1209. Obiit Verricus abbas.

1211. Ferrandus, Pordegalensis regis filius, comes Flandrensis et Hainoensis efficitur.

1212. Philippus comes Namurcensis dissenteria moritur. Oritur dissentio inter regem Francorum et Ferrandum, movente causam comite Bononiensi. Legia spoliatur ab Henrico duce Lovaniorum.

1213. Dux Bragantinus bello victus ab Hugone episcopo Leodiensi, et ex parte illius interfecta duo milia hominum et quadringenti. Ferrandus Flandriam perdit, insulas destruit, iterum Flandriam recipit.

1214. Debellavit Ludovicus, rex Francorum, Ferrandum, comitem Flandriae et Hainoniae, cum suis fautoribus, et eum cepit et captum detinuit.

1215. Innocentius celebrat concilium Romae, cui interfuit pene totus clerus. Huic concilio interfuit Robertus, abbas Lobiensis, et Henricus in causa ecclesiae.

1216. Ludovicus, filius regis Francorum, invadit Angliam, et obsidet Dovriam castrum, et tandem inefficax redit.

1219. Damieta obsessa a christianis capitur. Ludovicus, filius regis Francorum, profectus ad Albigeos[a] . . . . . Iohannes de Bithinia episcopus Cameracensis obiit peregrinus ad Albigios; cui succedit Godefridus Condatensis.

1220. Laudunum conveniunt abbates totius provinciae.

1221. Fredericus imperator Romae consecratur. Robertus abbas Lobiensis et Broniensis obiit; succedit Hubertus praepositus sancti Gisleni.

1222. Aquisgrani Henricus Apulus, filius Frederici imperatoris, coronatur.

1223. Hubertus abbas cedit post 15 menses, et redit Fusniacum, unde fuerat. Radulphus monachus abbas[b] Lobiensis et praepositus Monasteriensis efficitur. Obiit Philippus,
54 rex Francorum potentissimus; cui succedit Ludovicus filius eius.

1227. Valterus abbas Maricolensis[54] Radulpho succedit, 5 mensibus elapsis cedit.

1229. Valterus abbas resignat abbatiam Lobiensem; Thomas praepositus Lobiensis post ipsum abbas efficitur. Obiit Hugo Leodiensis episcopus bonae memoriae die absolutionis; cui succedit Iohannes maior praepositus. Eodem tempore subsequenti eodem anno sabbato ante Isti sunt dies[55], in castro Tudinio[c] ordinatus fuit in presbyterum, et in crastino ab archiepiscopo Mitil[d] . . . . . . et Cameracensi et Tornacensi episcopis, *praesente*[e] domno Ottone apostolicae sedis legato, in ecclesia beati Theodardi consecratus fuit in episcopum.

56 1235. Hoc anno inventi sunt Bogri[56] apud Cameracum et Duacum, et combusti sunt.

1237. Thomas, filius comitis de Sabaudia et avunculus reginarum Franciae et Angliae, efficitur comes Flandrensis et Hainoensis. Obiit Godefridus Cameracensis episcopus bonae memoriae; cui successit magister Guido de Lauduno[f] et cancellarius Parisiensis[g], et electus fuit in die beati Thomae apostoli.

1238. Obiit Iohannes Oppia episcopus Leodiensis; cui successit Guillelmus, frater comitis Flandrorum.

1239. Obiit Guillelmus episcopus Leodiensis in catacumba; cui successit Robertus

a) infecto negotio revertitur? b) *deest in ed.* c) Tuduino *ed. et ita infra.* d) *corrigo:* Remensi Heinrico. e) *ita suppleo;* cf. Aegidii gesta epp. Leod. c. 129. 130. f) Laud... *ed.* g) Pariensiensis *ed.*

54) coenobii Maroilles, dioc. Cameracensis. 55) dominica Iudica. 56) Bulgari, haeretici ut Albigenses.

episcopus Lingoniensis. Hoc anno perfectus est pons Lobiensis lapideus, tempore domni Thomae abbatis Lobiensis, a tribus annis retro elapsis inceptus supra Sambram.

1241. Hoc anno facta est eclypsis solis pridie Nonas Octobris die dominica inter sextam et nonam, et stella visa est in coelo, et luna opposuit se soli tota pallida, quae erat 18.

1246. Thomas abbas Lobiensis resignavit abbatiam Lobiensem; post quem electus est domnus Bartholomaeus in abbatem Lobiensem, monachus sancti Remigii Remensis ecclesiae.

1248. Profectus est Ludovicus rex Francorum ad partes transmarinas, et ibidem captus fuit a Saracenis, et Robertus frater suus, comes de Artois, occisus. Obiit Girardus Cameracensis episcopus.

1254. Hoc anno invaserunt Flandrenses comitem Hollandiae, intrantes Hollandiam cum magno exercitu; et ibidem devicti fuerunt Flandrenses, et capti Guido comes Flandriae, Iohannes frater eius, comes de Barro, et alii quam plures.

1255. Hoc anno saisivit Carolus comes Andegaviae Hannoniam de voluntate comitissae Hainoensis, in odium Iohannis de Avennis, filii ipsius comitissae.

1268[a]. Hoc anno devicit Carolus comes Andegaviae Manfredum regem, et adeptus est regnum Siciliae.

1274. Henricus episcopus Leodiensis destitutus est in concilio Lugdunensi; cui subrogatur Iohannes Augivus episcopus Tornacensis.

1281. Bartholomaeus abbas Lobiensis obiit; Radulphus succedit.

1282. Obiit Iohannes episcopus Leodiensis; cui succedit Iohannes archiepiscopus Mettensis, filius Guidonis comitis Flandrensis.

1284. Radulphus resignat; Thomas fit abbas Lobiensis.

1285. Hoc anno obiit Carolus, rex Siciliae.

1287. Thomas abbas Lobiensis obiit; Valterius substituitur. Quo post annum cedente, Philippus succedit

1290. Philippus resignat; Iacobus fit abbas Lobiensis.

1292. Obiit Iohannes episcopus Leodiensis; post cuius obitum sedes Leodina vacavit annis 4.

1296. Hugo episcopus Cambolensis[b], filius comitis Avergiensis, creatur in episcopum Leodiensem.

1299. Hoc anno apud Lobias in ecclesia beati Petri die annuntiationis dominicae in capella beatae Mariae virginis sanatus fuit Iohannes dictus Bude, annorum 90 vel circiter, a ruptura et arena in vesica, meritis eiusdem virginis.

1301. Destitutus est Hugo ab episcopatu Leodiensi, et assumtus ad archiepiscopatum Bisuntinum; cui subrogatur Adulphus, et eodem anno obiit. Cui successit Theobaldus, frater comitis Barensis.

1312. Obiit Theobaldus episcopus Leodiensis; cui successit Adulphus a Marchia.

1313. Iacobus abbas obiit; Iohannes succedit.

1319. Iohannes abbas obiit; Nicasius fit abbas.

1330. Comitatus Lossensis, defuncto comite Ludovico, ad episcopum Leodiensem testamento devolvitur.

1340. Eduardus rex Angliae navali praelio apud Sclusam[56] Flandriae Gallos superat. 56
Perierunt ex utroque exercitu 30 milia. Eduardus femur trabula traiectum habuit, sed victor universam classem Francorum, quae 400 navibus constabat, delevit.

1343. Adulphus episcopus Leodiensis obiit; Ingelbertus eius nepos succedit.

1344. Nicasius abbas obiit.

1345. Eduardus rex Angliae cum centum supra mille navibus adversus Philippum, Gallorum regem, Normanniam appulit, omnia depopulatur et incendit; dux Lotharingiae, comes Flandriae, aliique[c] nobiles multi occubuerunt.

1346. Eduardus cum Philippo congressus, ipsum fudit, occisis 30 milibus Gallorum, inter quos rex Bohemiae, dux Alenconii règis frater. Ludovicus imperator obiit; Carolus IV. fit imperator.

a) *lege* 1266. b) *lege* cabilonensis. c) aliqui *ed.*

56) Sluis.

57 1347. Calisiani[57], desperato subsidio Philippi, Anglo se dedunt undecimo obsidionis mense.

1355. Iohannes dux Brabantiae obiit; succedit Vencelaus, Iohannis Bohemiae regis filius, accepta primogenita Iohannis defuncti filia in uxorem.

1359. Guillelmus abbas obiit; Petrus succedit.

1364. Ingelbertus episcopus Leodiensis electus est in archiepiscopum Coloniensem, et episcopatum Leodiensem reliquit; cui successit Iohannes Ultraiectensis episcopus.

1365. Petrus abbas obiit; Petrus secundus successit.

1378. Obiit Iohannes episcopus Leodiensis; cui successit Arnoldus Herveus[a], filius comitis ab Horn.

1389. Iohannes abbas Lobbiensis obiit; succedit Bertrandus.

1390. Arnoldus episcopus Leodiensis obiit; Iohannes a Bavaria succedit, filius Alberti ducis Bavariae.

1408. Iohannes Bavarus, episcopus Leodiensis, Traiecti obsidetur ab Hoianis, Leodi-
58 nis, Dionantibus, Tungaris, Assellensibus[58].

1409. Guillelmus Bavarus, frater Iohannis episcopi Leodiensis, copias usque Tudinium perducit, et cum eo Iohannes dux Burgundiae, eius sororius, denique comes Namurcensis cum plurimis Franciae atque Burgundiae magnatibus, pagos et colonias concremantes.

1410. Bertrandus abbas Lobbiensis obiit; Aegidius succedit. Corpora sanctorum Lobbiensium a Lobbiis ad Binchiensem transferuntur ecclesiam ob bellorum tempestatem.

1415. Blangiana pugna, in qua ceciderunt Francorum quatuor milia genere illustri, et Anglorum quadringenti. Victoria Anglis cessit.

1418. Iohannes a Bavaria, episcopus Leodiensis seu administrator, remisit in concilio Constantiensi pontifici novo; cui substituitur Iohannes a Waldevroda episcopus Rugensis, qui mense decimo suae administrationis diem clausit extremum. Cui successit Iohannes ab Hyusberch.

1447. Aegidius Altomontensis Lobbiensis abbas obiit; succedit Iohannes monachus etiam Altimontanus.

1454. Iohannes ab Hyusberch episcopus Leodiensis cessit episcopatui; cui successit Ludovicus Borbonius.

1468. Leodium capitur a Carolo duce Burgundiae 30. die Octobris.

1472. Iohannes abbas Lobbiensis quartus huius nominis obiit; successit Iohannes quintus Affligemiensis monachus.

1482. Ludovicus episcopus Leodiensis interficitur; Iohannes Herveus succedit.

1505. Obiit Iohannes Herveus episcopus Leodiensis; cui succedit Erardus a Marka, tandem factus cardinalis tituli sancti Chrysogoni[b].

ANNALIUM LEODIENSIUM CONTINUATIO A. 1055—1121.

1055. Obiit Herimannus archiepiscopus. Anno succedit.

1056. Obiit imperator Heinricus. Succedit filius eius, patris aequivocus.

1058. Stephanus papa, qui et Fredericus.

1060. Heinricus rex Francorum obiit. Philyppus, filius eius, succedit.

1064. Alexander papa.

1066. Cometes apparuit.

1070. Godefridus dux obiit; filius eius, patris aequivocus, succedit.

1073. Saxones rebellant. Gregorius papa, qui et Hildebrandus.

1075. Rex Heinricus iterata expeditione Saxones premit, et principes eorum in deditionem accipit. — Deoduinus episcopus obiit. Subrogatur Heinricus. Anno archiepiscopus obiit.

a) *lege* Horneus *i. e.* de Horn. b) *Ex sequentibus usque ad a.* 1641. *hoec tantum referre iuvat:* 1546. Miserabilis ecclesiae et monasterii Lobbiensis conflagratio; in qua periit insignis illa bibliotheca, numquam satis laudata, et multa insignia ipsius ecclesiae. 57) cives oppidi Calais. 58) *i. e.* civibus oppidi Hasselt.

1076. Ducem Godefridum sicarius interimit. Gelu magnum a medio Novembre usque ad aequinoctium vernale. — Hildulfus fit archiepiscopus.

1077. Saxones iterum rebellant, creato sibi tyranno duce Burgundionum Rodulfo, annitente Hildebrando papa. — Siguinus fit archiepiscopus.

1079. Rex Heinricus contra Saxones vadit.

1080. Rex Heinricus Saxones aggreditur, et in congressu Rodulfus tyrannus extinguitur.

1081. Rex Heinricus Romam vadit, Hildebrandum debellaturus. Terrae motus magnus 6. Kal. Aprilis.

1082. Herimannus in Saxonia tyrannidem arripit. Rex Heinricus Romam Leonianam obsidet.

1083. Rex Heinricus Romam Leonianam capit, Romam oppugnat. Rex Heinricus Urbe recipitur. Hildebrandus expellitur. Vicbertus, qui et Clemens, papa sufficitur. Ab eo rex Heinricus in imperatorem benedicitur.

1085. Saxones pacem cum imperatore pacti, iterum rebellant.

1086. Imperator contra Saxones pugnat. — [*Translatio*[a] *beati martyris Foillani in die depositionis beati Remacli confessoris*].

1087. Translatio sancti Nicholai a Mirea Liciae in Barum Apuliae[b].

1089. Herimannus fit archiepiscopus.

1090. Annus[c] pestilens, multis hominum sacro igne computrescentibus.

1091. Heinricus imperator Mantuam capit. — Heinricus episcopus obiit. Otbertus succedit.

1094. Mortalitas hominum maxima.

1095. Fames diu concepta invalescit. Occidentales christiani, indignantes loca sancta Hierosolimis á paganis occupari[d], una conspiratione contra eos proficiscuntur. — Urbanus, qui et Odardus, Guiberto papae aversus, Hildebrandi decreta renovat.

1097. Cometes apparuit in occidente mense Octobris.

1098. Anthiochia capitur. Christiani paganos vincunt. — Cuonradus Ultraiectensis episcopus a quodam suorum perimitur.

1099. Hierusalem capitur. Rex Babiloniorum bello fugatur. — Fridericus fit archiepiscopus.

1100. Godefridus dux et princeps Hierosolimorum moritur in Hierusalem. — Guibertus papa, qui et Clemens, obiit. Rainerus, qui et Pascalis, sufficitur.

1101. Heinricus imperator Heinricum[e] Lemburgensem debellat, eumque postea ducatu donat.

1102. Heinricus imperator contra Rothbertum Flandrensem proficiscitur.

1103. Rothbertus Flandrensis in gratiam imperatoris recipitur.

1104. Hierosolimitae Accaron urbem capiunt.

1105. Filius imperatoris Heinrici a patre aversus, sub optentu religionis in eum insurgit. — Maginulfus, qui et Silvester, in sede apostolica substituitur. Rainerus a quibusdam damnatur.

1106. Cometes apparuit. Heinricus imperator insignibus regni, cogente filio[f], privatus, Leodii ab episcopo excipitur, ubi et non multo[g] post obiit. — Succedit Heinrico patri aequivocus.

1107. Heinricum Lemburgensem, amissum ducatum repetentem, dux Godefridus[h] Lovaniensis bello devicit Aquisgrani[i].

1108. Heinricus imperator contra Rothbertum Flandrensem vadit, et pene inefficax rediit.

1109. Philippus rex Francorum obiit. Ludoguicus filius eius succedit.

1110. In mense Iunio cometes apparuit. Sanctus Guibertus, fundator[k] Gemmelacensis cenobii, elevatur.

1111. Heinricus rex in inperatorem Rome benedicitur á Pascali papa.

1112. Aecclesia sanctae Gualdetrudis, et sancti Michaelis de periculo maris, et sanctae Mariae Laudunensis comburuntur.

a) *manu saec. XII.* b) *Hucusque annales S. Iacobi Leodiensis ex nostris fluxerunt.* c) An *abscisum.* d) occup *abscisa.* e) H. *codex.* f) *vox iam abscisa.* g) m. p. o. *abscisa.* h) G. *c.* i) ni *absc.* k) dator *absc.*

1113. Apud Ravennam et Parmam, civitates Italiae, sanguis pluit.

1114. Heinricus imperator uxorem ducit filiam regis Anglorum.

1115. Fredericus Coloniensis archiepiscopus, et alii quidam principes regni, rebellant Heinrico imperatori.

1116. Heinricus imperator, propter asperos in se motus regni, ad Italiam secedit[a], et terram Mathildis, marchisae Langobardorum, iure propinquitatis occupat[b].

1117. Terremotus magni per loca terroresque de coelo, et signa fiunt[c]; inter quae lunae eclipsis 3. Idus Decembris.

1118. Balduinus rex Iherusalem moritur. Succedit alter Balduinus. — Otbertus episcopus obiit. Succedit Fredericus. Pascalis papa moritur. Succedit Iohannes Gaitanus, qui et Gelasius.

1119. Remis Fredericus á Calixto papa in episcopum Leodicensem benedicitur. — Iohannes, qui et Gelasius, papa moritur. Succedit Guido, qui et Calixtus.

1121. Fredericus episcopus obiit.

ANNALES FOSSENSES A. 1123—1389.

1123. Adalbero Legiensium episcopus ordinatur.

1124. Calistus, qui et Guido, papa obiit. Succedit Lantbertus, qui et Honorius. Annus pestilens. Hyemps aspera, et aggestu nivium nimis humida[d]; et relatio beati martiris Foillani in Ampollinis, ubi et passus fuit.

1125. Hiemps longa et aspera, et fames valida. Heinricus imperator Ultraiectum moritur. Lotharius, dux Saxonum, assensu principum in regem eligitur.

1126. Lotharius rex contra Behemones vadit, et magnam stragem suorum patitur[e].

1127. Karolus comes Morinorum Brugas ante altare psalmos canens occiditur. In Siria exercitus Dei bis congressus Sarracenis, Dei auxilio victor extitit.

1128. 2. Idus Maias Coloniae orta tempestate fulmen maiorem aecclesiam irrupit, et dextrum brachium crucifixi discidit. Eadem die Guilelmus comes Sedunensium ante altare orans per gladium confoditur[f]. Adalbero episcopus Leodiensium obiit; cui Alexander archidiaconus in episcopatu succedit.

1129. Prelium apud Durace[g] inter Alexandrum episcopum Leodiensem et Godefridum comitem Lovaniensem, ubi in multa utriusque strage exercitus episcopus victoriam optinuit. Rex Lotharius longa obsidione urbem Spiram aggressus, victus est[h].

1130. Rex Lotharius urbem Spiram alternis annis vicissim obsessam capit. Balduinus rex Iherusalem obiit; cui Fulco comes Andegavensis in regno succedit[i]. Lambertus, qui et Honorius, papa moritur; cui Gregorius, qui et Innocentius, substituitur.

1132. Rex Lotharius cum Innocentio papa Romam vadit. — Hoc anno Innocentius a Francia in Lotharingiam et usque Leodium transiens, a Lothario rege excipitur, a quo ibidem tam ipse rex quam regina coronantur. Fredericus Coloniensis archiepiscopus obiit.

1133. Domnus Bruno succedit. Quarto Nonas Augusti meridie ita sol obscuratus est, ut stellae in coelo apparerent. Rex Lotharius veterem Romam ingressus, Innocentium papam in patriarchio Lateranensi restituit, et ille eum in imperatorem benedixit.

1134. In Namurco Sambra fluvius a solito meatu penitus cessans, per diem integrum funditus aruit. Obiit Alexander episcopus.

1135. Albero, Metensis primicerius, Leodiensium episcopus eligitur.

1136. Estatis tempore circa solsticium insolitum calorem tam terram et germina quam homines et pecora gravi defectu . . . . . In Nammuco etiam superius in castello draco per noctem . . . .[l]

1137. Aestus maris insolito motu terminos suos transgreditur, et tres comitatus Gualecras[1], Gulles[2] et Zewanc[3] penitus exterminavit.

1139[m]. Lotharius imperator et Fredericus dux Bawariae[n] pacificantur. — Obiit inperator Lotharius; cui successit Conradus.

a) dit *absc.* b) ccupat *absc.* c) unt *absc.* d) mida *absc.* e) itur *absc.* f) ditur *abscisum.* g) *vox in fine paulo obscurior, sed ita a Lamberto Parvo lecta.* Durachium *in Gestis Leod.* h) est *absc.* i) *absc.* l) apparuit? m) *de anno non constat.* n) *sic.*

1) Walchern. 2) Goyland terra, in qua Naarden. 3) Zeevang terra, ab occidente Flevi.

1140. Heinricus comes Namucensis exercitu clam de Renanis[a] partibus collecto, urbem Fossensem assultu et incendio[b], cum nil de eo timeretur, summo mane aggressus, eam[c] cum templo beati martyris Foillani et omnibus officinis et claustro[d] combussit, et direptis omnibus quae inibi fuerunt reperta[e], munitionem cum episcopali domo destruxit.

1142. Flamma[f] ignis divini multos adurit.

1144. Gregorius, qui et Innocentius, obiit. Guido, qui et Celestinus, succedit. Gerardus, qui et Lucius, papa. Bernardus, qui et Eugenius, papa.

1145. Obiit secundus Albero Leodiensis episcopus; cui succedit Hinricus secundus.

1146. Fames gravissima hoc anno multos afflixit.

1149. Hinricus episcopus castrum Fossense reedificat, deinde urbem muro circundat.

1151. Obiit rex Cunradus; cui successit Fredericus nepos eius.

1152. Bellum apud Andanam inter Henricum Leodiensem episcopum et Henricum Namurcensem comitem, ubi episcopus victoriam obtinuit.

1153. Nova[g] ecclesia sancti Foillani Fossis post combustionem consecratur á Heinrico secundo Leodiensi episcopo.

1154. Anastasius obiit. Adrianus succedit.

1155. Rex Fredericus Romam cum exercitu veniens, in imperatorem benedicitur, et sibi rebelles expugnat.

1157. Imperator Fredericus Poloniam cum exercitu ingressus, tam eam quam duces eius ditioni suae subicit. Fridericus[g] archiepiscopus Coloniensis in expeditione Italica moritur, et sepeliendus Coloniae reportatur.

1158. Tempestate oborta, tanta grandinis coadunatio facta est, ut in pago Lomense iuxta villam que Nefla dicitur decem pedum longitudine cecidisse inveniretur.

1159. Imperator Fredericus Mediolanum obsidet et subiugat, dein reliquas Italiae civitates ditioni suae subigit.

1161. Imperator Fredericus Mediolanenses rebelles iterum expugnat.

1162. Fredericus imperator Mediolanum obsidione et fame ad deditionem compulit, et civitatem destruxit.

1166. Heinricus episcopus obiit. Alexander succedit. — Ecclesia sancte Gertrudis Nivelliensis primo comburitur cum omnibus officinis et quadam parte ville.

1168. Alexander episcopus obiit. Raulfus succedit.

1174. Ecclesia Fossensis media nocte comburitur cum claustro et omnibus officinis, cum basi...la[h] episcopi et quadam parte ville predicte.

1176. Hoc anno revelatum est Fossis corpus beati Foillani martiris in medio castro sub Raulfo Leodiensi episcopo.

1177. Ecclesia sancte Gertrudis Nivelliensis comburitur cum omnibus officinis et quadam parte predicte ville.

1182. Alexander papa obiit. Lucius succedit.

1185. Lucius papa obiit. Urbanus succedit. Eodem anno Henricus comes Namurcensis villam Blacensem aggreditur, et eam cum ecclesia beati Petri incendio destruit. Et ecclesia sancti Lamberti in Leodio et sancti Petri comburuntur cum omnibus officinis. Hoc anno media hieme florent arbores, nascuntur . . . .[i]

1186. Urbanus obiit. Gregorius succedit, tribus tantum mensibus; cui succedit Clemens[i]. Capitur Iehrusalem et pene cum tota terra promissionis dominationi[k] paganorum subicitur. Celis gratiam distillantibus[l], Germanus imperator et rex Francie cum omnibus pene eorum obtimatibus, cum innumerabili clero et populo, signo crucis in ultionem Domini insigniuntur.

1188. Comes Balduinus Hannonie avunculum suum, comitem[m] Henricum Namurcensem, contra castrum Namurci obsidens[n], villam incendio vastat, castrum sibi subiugat.

1189. Hoc anno Fredericus imperator cum Raulfo Leodiensi episcopo cum infinito exercitu Ieherusalem pergit; proficiscuntur huius castri homines[o] multi, et canonici sex.

1191. Hoc anno contigit eclipsis solis in vigilia beati Iohannis babtiste. Eodem anno

a) nan *excisum*. b) inc *absc.* c) *absc.* d) et c *absc.* e) re| c. f) na| c. g) *absc.* — *Obiit a.* 1159. h) bastida? (mansione.) i) *abscisa.* k) dominatio *absc.*, l) bus ger *absc.* m) omi *absc.* n) s *abscisum.* o) omines *absc.*

Accaron a christianis capta est. Imperator Fredericus expeditione Iherosolimitana submersus est.

1192. Hoc anno comes Flandrensis trans mare proficiscitur [a]. Obiit Raulfus Leodiensis episcopus. Albertus Lovaniensis successit, et episcopus Remis consecratus, ibidem mortuus est, primo sue consecrationis anno 8. Kal. Decembris. Successit Albertus *episcopus* [h].

1199. Obiit Albertus episcopus; successit Hugo.

59 1205. Hiemis maxima asperitas [c] usque ad festum [d] *sancti Bene*dicti [59].

1208. Hoc anno Philippus Romanorum rex a comite de Witelisbach interficitur. Eodem anno episcopus Virdunensis mortritus [e] est.

1212. Henricus dux Brabancie, cum exercitu suo, cum nullus de eo metus haberetur, in die ascensionis Domini et inventione sancte crucis, quae simul evenit, civitatem Leodium intravit, et quatuor diebus illam devastavit, omnem ordinem et omnem sexum mirabili tirannide violavit, corpus episcopi per manus suorum in ecclesia dehonestavit.

1213. Hoc anno iterum idem tirannus cum exercitu suo in crastino sancti Dionisii ad terram sancti Lamberti in Hesbain [f] venit, et tribus diebus illam incendio et rapina devastavit. Quem domnus Hugo, de presens episcopus Leodiensis, collectis viribus qu*asi sexta hora* [g] dominica 3 [h]. Idus Octobris cum innumero exercitu Brabantie consecutus, ... exercitu . . . . . . tandem divino *fultus auxilio victoriam adeptus est* [i].

1216. Obiit Innocentius papa; sui successit Honorius.

1223. Obiit Philipus rex Francorum; cui successit Ludovicus filius suus.

1224. Hoc anno fuit hiemps continua a festo Dyonisii usque ad festum Marci euangeliste.

1225. Hoc anno archiepiscopus Coloniensis murtritus est a Frederico cognato suo, comite de Althenai, qui postmodum abiudicatus est cum heredibus suis usque ad quartam generationem et fugatus a patria. Cui successit Obertus in archiepiscopatu. Idem vero comes iuxta Leodium captus et postmodum Coloniam ductus, supplicio rote interiit.

1226. Obiit Ludovicus rex; cui successit filius suus equivocus. Obiit Honorius papa; cui successit Gregorius.

1229. Obiit Hugo episcopus. Cui successit Iohannes nepos eius.

1232. Hoc anno repositum est venerabile corpus beati Foillani episcopi et martiris in feretro a Iohanne Leodiensi episcopo. Eodem anno Fernandus comes Flandrie combussit
60 Floreffiam [60].

1238. Obiit Iohannes Leodiensis episcopus; et cum electio celebrata esset in discordia altera parte capituli Leodiensis eligente Willelmum procuratorem ecclesie Valentine, et altera eligente Othonem prepositum Traiectensem, Willelmus in curia Romana optinuit, et in reditu curie Romane in Ytalia decessit; cui successit Robertus Lingonensis episcopus.

1241. Obiit Gregorius nonus papa. Cui successit Celestinus, qui regnavit per tredecim dies tantum. Eodem anno sol passus est in regressu eclipsin a meridie usque ad
61 horam vesperarum in octava beati Lamberti [61].

1242. Eodem anno oppidani Hoyenses ceperunt domum . . . . . . et castri de Acri monte, in quibus prepositus Aquensis et Traiectensis posuerat . . . municiones contra homines Leodiensis diocesis.

1246. A tempore Iohannis Leodiensis episcopi usque ad adventum Roberti episcopi vacavit sedes Leodiensis fere per triennium.

1248. . . . . . . obsedit Willelmus rex villam Aquensem.

1250. 1251. . . . . .

1254. Obiit Innocentius papa quartus; cui successit Alexander quartus.

1258. Hoc anno cepit Henricus comes Luceburgensis castrum Namurcense in die sancti Vicentii martyris. Eodem anno Margareta comitissa Flandrensis obsedit villam Namurcensem circa Augustum.

a) . f . . . *c.* b) *vox abscisa.* c) *vox dubia.* d) *vox dubia,* sancti Bene *ex coniectura.* e) mor *incertum.* f) hesbai *c.* g) asi sexta hora *supplevi.* h) *numerum ex Reinero scripsi, obscurum in c.* i) f. a. v. a. e. *ex coniectura.*

59) d. Mart. 21. — Reinerus frigus circa pascha (d. April. 10.) cessasse scribit. 60) Floreffe, ab occidente Namurci. 61) quae in d. 17. Sept. incidit; igitur d. 24. Sept. vel secundum nostrum calculum d. 6. Octobris eius anni, quo eclipsis ista in „L'art de vérifier les Dates" notatur.

1259. Hoc anno consecratus domnus Henricus in episcopum.

1261. Obiit Alexander papa; cui successit Urbanus.

1263. Hoc anno determinatum fuit in capitulo Leodiensi pro I*aco*bo de Wahart canonico Fossensi contra G. de Iacia scolasticum Fossensem, ut quicumque fieret canonicus Fossensis in minori constitu*tus*, traderetur nutriendus consanguineo suo maiori si quem haberet in ipsa ecclesia, et in eius tutela deberet permanere usque quo fuerit mancipatus, contraria consuetudine scolasticorum Fossensium de habendis minoribus non obstante. Et gradus consanguinitatis deberet computari usque ad septimum gradum.

1270. Hoc anno episcopus Mettensis mutritus est a comite de Bar. Hoc anno Ludovicus rex Francorum ultra mare abiit, et ante civitatem Tuniensem mortuus est, et filius suus Iohannes Tristans. Karolus vero rex Appulie cum exercitu reversi sunt, tributo accepto a rege Tuniensi, terra et civitate ipsius non expugnatis.

1271. Hoc anno domnus Thealdus archidiaconus Leodiensis electus est in papam; vocatus est Gregorius decimus.

1273. Richardus imperator Romanorum obiit; cui successit Rodulfus.

1274. Hoc anno celebrata fuit secunda universalis synodus Lugduni presidente domno Gregorio sanctissimo papa, ubi domnus Henricus Leodiensis episcopus cessit episcopatu suo, et domnus Iohannes episcopus Tornacensis *subroga*tus fuit in dicto episcopatu Leodiensi ab eodem domino *papa*; et fuerunt ibidem circiter 400 episcopi.

1275. Obiit papa Gregorius decimus. Cui successit Innocentius quintus; quo mortuo, successit Andrianus; quo mortuo, eodem anno successit Iohannes papa XXI.

1276. In crastino ascensionis Domini combusserunt Dyonenses[a, 62] plures villas sitas 62
in montana Dovionensi[63] et in reditu[b] . . . 63

1277. Hoc anno Aquenses interfecerunt . . . comitem Iuliacensem cum duobus filiis[c] . . Hoc anno Guido comes Flandrensis, assumptis secum comitibus de *Luceburg*[d] et Limburgensi, et duce Brabancie, et episcopis Vo . . . .

. . . .

devastavit, et villam de Meffe similiter totam combussit cum ecclesia, multis aliis villis tam in episcopatu quam in terra Namurcensi et terra comitis Luceburgensis combussis et destructis.

1290. Hoc anno crastino octavarum Lamberti Egidius miles de Floron fugavit cervum maximum, qui fugiens per fossata castri intravit in coquinam Amelii decani Fossensis, et ibidem detentus est iuxta ignem, que coquina est sub granario ecclesie.

1291. Hoc anno Hugo scolasticus Fossensis fecit reedificari ecclesiam beatarum Ul*rice* et Agathe virg*inum*.

1294. Hoc anno Iohannes dux Brabantie, lancea percussus a quodam milite in fes*tivitate* Henrici comitis de Bar[64], interiit die invencionis sancte Crucis. Eodem anno . . 64

. . . .

1298. Hoc anno Hugo de Chalons episcopus, Fossis fecit condi monetam in domo sua.

1301. Hoc anno discordia exorta inter domnum Hugonem de Chalons, episcopum Leodiensem, contra ecclesiam et cives Leodienses, pluribus hominibus Hoiensibus, qui se pro parte gerebant episcopi, ac aliis peremptis, in diversis conflictibus. Idem domnus episcopus Rome citatus et personaliter comparens, quoquo modo suo cessit episcopatu Leodiensi. Cui successit domnus Adulphus, prepositus et canonicus maioris ecclesie Leodiensis.

1302. Hoc anno combussit dominus de Pitresem vicos extraneos Fossenses, requisitus ad hoc a capitulo sancti Lamberti dominica qua cantatur Letare Iherusalem.

1305. Consecratus fuit Clemens V. papa Lugduni Gallie.

1308. Hoc anno vastatum fuit castellum de Agimont per dominum Th. de Barro tunc Leodiensem episcopum. Eodem anno fuit conflictus inter homines terre de Florinis et de Morialmés, et obtinuit victoriam dominus de Morialmes et multos cepit.

1315. Hoc anno valuit modius spelte 6 solidos veterum grossorum, fuitque gentium imortalitas inenarrabilis; et anno sequenti

a) dyoñ (s) *c.* b) *vox obscura.* c) et armigeris plurimis *Corn. Zantvliet.* d) *haec vox supplenda videtur; cf. Corn. Zantvliet a.* 1275.

62) cives oppidi Dinant. 63) Douvigne ad Mosam. 64) qui filiam Eduardi Angliae regis duxit.

1316. valuit modius spelte per totum annum 40 grossos.

1318. Hoc anno valuit modius spelte per totum annum tantummodo sex grossos.

1320. Hoc anno fuit guerra inter Adulphum, episcopum Leodiensem, ex una parte, contra comites Luciburgensem, Restelensem et Namurcensem.

1333. die Praxedis mensis Iulii 21. die calidissima in crepusculo noctis irruit subito tanta tempestas, que vastavit per infinita loca, et specialiter totum locum parrochie Fossensis, omnia bona in campis et arboribus; que incepit in Hannonia et duravit usque Coloniam. Eodem anno in die Augustini 4. die mensis Augusti in fine quodam sabbato in secundo pulsu none exivit ignis de quadam domo iuxta portam Muille, qui combussit domum custodie et grangiam et mediam partem claustri Fossensis que contigua est de turre, insuper domus claustrales subtus turrim, domum investiti, et totam domum episcopalem, insuper et totam villam, ita quod non remansit nec una domus[a].

1349.
Alle Maszelaine mil treicent[a]
Un mains de cinquante[b],
Pellerins aloient leur cors batant
Deis cornes[c] de fier treis poindant,
Si kal teirre chaioit li sant.
De dieu Mariie aloient chantant,
De leur peichiens mierchit criant.

1356. mensis Augusti die nona decima balivus Florucensis conbusit Aysal et Rodium desuper Viterval. Eodem vero die Iohannes comes Namurcensis cepit Gemblacum, et eodem anno mensis Octobris die ultima, videlicet nocte omnium sanctorum, conbustum fuit Florucum per dominos de Borgueval et de Aysal. Fueruntque menses Septembris et Octobris adeo pluviosi, ut vix semina possent seminari sine pluvia solo die. Et eodem anno Wescelinus dux Brachantie conbusit et arsit in nocte beate Katherine virginis Thenas in Hesbania, Wasegium, Brauchem, Ays, Arefayt, Liernunt, Meiis et plures alias bonas villas comitatus Namurcensis.

1357. Fuit captus Iohannes rex Francorum ab Eduardo rege Anglorum seu eius filio, et in captivitate ductus in Anglia. Duraveratque guerra inter duos reges fere quinquaginta annis anno 1376. Item l'an 1357. et l. par un Ieudi[d] saint Gontauche, le qual jour de May alencien commenchat on Fosses apanen, la muchier prouuet. I qual devant le maison cadorias.

1358. nona die mensis Februarii fuerunt audita tonitrua magna, viseque magne coruscaciones post[e] licentiam scolarum de sero, ceciditque tempestas super monasterium de Spies[f] illa nocte, fuitque hyemps magnus a festo beati Thome usque ad purificacionem.

1360. Fuit mensis Augusti adeo siccus, ut vix fuit dimissum solum instans in collectione bladorum; cepitque mortalitas hoc anno post Augustum per maiorem partem terrarum ut dicebatur, et quasi gens infinita moriebatur ex impedimia, et maxime in mensibus Septembris Octobris et Novembris; et hoc anno cepit gelu ad festum Nicholai et terminavit ad . . . .[g] Fuitque magna copia fructuum et vinorum; et sequenti scilicet

1361[h]. fuit eciam mortalitas et in tali tempe[i].

1363. mensis Septembris die 23. in prima hora noctis fuit eclipsis lune, duravitque per unam horam; et hoc anno fuit mortalitas Parisius et Leodii, ita ut canonici Leodienses exirent civitatem propter mortalitatem. Et anno sequenti scilicet

1364[k]. fuit sol passus eclipsim mense Martii die quarta, inter meridiem et nonam; et hoc anno cepit hyemps ad festum Nicholai, duravit per quatuordecim septimanas nive existente semper super terram, fuitque magna caristia pastinarum animalium.

1365. Fuit captum a domno Iohanne de Eicke, episcopo Leodiensi, cum suo exercitu castrum Ruminense feria sexta ante Dionisii; seditque exercitus idem ante dictum castrum per novem septimanas, et Stokchem fuerat captum ante per quinque annos. Et hoc anno fuerunt aque ita magne in secundo festo pentecostes tercia die mensis Iunii, ut trabes, vacce, porci et animalia venirent per villam Fossensem flotando de porta ad posticum usque ad portam vallis.

a) MCCC *cod.* b) L *cod.* c) *vel* coriies *c.* d) p. ? indi *cod.* e) p̄t *c.* f) *vel* Spics. g) *erasum c.*
h) LXI. *et ita deinceps nonnisi numerus minor exprimitur in c.* i) *ita c.* k) LXXIIII *c.*

1366. Incepit pluvia in primo festo pasce, et quasi continue duravit usque ad mensem Augusti; et fuit bladum satis carum usque post Augustum.

1367. Die conceptionis beate Marie virginis fuerunt audita tonitrua et magne coruscationes vise in aurora diei, et in octavis eiusdem conceptionis fuit maximus ventus usque ad medium noctis; fuitque hiemps quasi nullus; et fuerunt multa blada et vina hoc anno.

1371. Mense Augusti die 22. captus fuit Wescelinus dux Bracbantie, dominus Robertus et dominus Ludovicus Namurcensis fratres, pluresque alii nobiles et ignobiles ante Iuley; stetitque ipse dux fere per annum in Niudex[a, 1] castro captivatus. Et hoc anno fuit parum vini, adeo ut maxima pars hominum biberet multas cerevisias et medones. Et sequenti anno

1372. fuerunt multa vina et multi fructus, in tantum ut ad nativitatem Domini adhuc essent satis in silvis et in ortis. Fuitque hoc anno interfectus frater Symon de Fossis, prior ecclesie Cognacensis Leodiensis diocesis, super Sambram et prope Tamines in nocte beati Martini summo mane[b] in sua ecclesia prope suam cameram a duobus iuvenibus de Tamines. Anime ipsius misereatur Deus[c].

1373. Fuit habundantia bonorum, precipue fructuum, adeo ut in quadragesima modius pomorum haberetur pro tribus antiquis grossis, modius spelte pro septem antiquis grossis, sextarius ceparum pro uno grosso antiquo, sextarius vero pisorum pro uno antiquo grosso cum dimidio. Fuit eciam habundancia glandium, ut multi porci in nemoribus canonicorum istius ecclesie et alibi efficerentur pingues.

1374. Fuerunt saltatores seu balatores quedam gentes Leodienses et de diversis partibus, que obsesse erant demonibus; saltabant et chorisabant per plateas, vicos ac eciam ecclesias, eorum opera facientes quasi furibundi, in civitate Leodiensi maxime et circa hanc provinciam vel patriam, quasi a pasca usque ad nativitatem Domini. Denique vero mediantibus quibusdam sacris coniurationibus a clero Leodiensi inventis, clerus Leodiensis eos, mediante adiutorio divino, sine quo nichil, eos sanabat et eiciebat demonia ex dictis obsessis corporibus. Et hoc anno fuit conbusta Andana die Donati fortuitu et casu per quosdam pueros qui coquebant pisa in quadam grangia, vicus Petioni pars dextra versus silvam et alie grangie pluresque grangie et domus per Viliam. Et hoc eciam anno versus ephifaniam fuit maxima copia aquarum, ita ut navicula duceretur Leodii de ecclesia ad ecclesiam, periclitabanturque multe ville in inferioribus partibus Almanie.

1375. Fuerunt aque adeo magne in fine Martii, quod multi dicebant, quod in tantum magne erant, sicuti fuerant anno 1374. Et hoc anno fuit terra episcopatus Leodiensis pro dicta racione litis mote inter dominum Iohannem de Eicla et patriam a die Remacli usque . . . .[d]

1376. Mensis Ianuarii die quarta quasi in crepusculo diei fuit interfectus Bernardus de Videzalle canonicus Fossensis ante parvisium[e] Fossense a duobus hominibus iuvenibus, uno de Castelnus, altero de Raus; ipsius animam absolvat Christus.

1389. Mense Augusti die 17. patiebatur sol eclipsim ab hora terciadecima ipsius[f] diei usque ad horam quartamdecimam vel ultra, et hoc pro tercia parte quantitatis ipsius, prout respicientibus spectari poterat, residuo remanente in suo lumine.

a) *vocabulum incertum.* b) s. m. *obscura sunt in c.* c) *infra in margine legitur:* Hec ita evenerunt prout debilitas mei parvi intellectus et retinentie . . . . dere et . . . . re valuit. Et si quis melius sciverit lima correctionis . . . . d) *vacat in c.* e) *i. e.* paradisum. f)) ipuu 1) Nidecken.

EXCERPTA ALTAHENSIA.

Hartmannus Schedel, medicus Ambergensis, in monasterio Altahae inferioris ad oram codicis Ottonis Frisingensis notas historicas allitas repperit, quas ex schedis eius bibliothecae regiae Monacensi illatis Mss. Bavar. N. 472. in 4. ab Oefelio in SS. rerum Boic. I. 337 vulgatas hic proponimus.

Anno Domini 514. Theodo dux Baioariae obiit; cui successit filius eius Theodo.

580. Sanctus Ruodpertus Wormatiae claruit episcopus, unde postea depulsus, Baioariam petit, et Theodonem ducem baptisavit.

593. Otharius rex Longobardorum Theodolindam, filiam Gerwaldi regis Baioariorum, duxit uxorem.

670. Regnat Theodebertus dux in Bavaria.

741. Monasterium Altaha[a] ab Udilone duce Baioarico ex consilio sancti Pirminii construitur, in honorem sancti Mauritii et sociorum eius.

851. Lupicinus archiepiscopus sanctum Hermetem ad Saltzburch attulit.

859[b]. Adelwinus archiepiscopus corpora sanctorum Chrysanti et Zoariae Saltzburch attulit.

880[c]. Eo tempore Karolomannus in loco Baioariae, Odingas dicto, sepelitur, relinquens filium Arnolfum.

954. Heinricus dux Bavariae, frater Ottonis regis, Heroldum archiepiscopum Saltzburgensem cepit, et oculis mutilavit.

998. Gebhardus Ratisponensis ecclesiae episcopus construxit monasterium in Prule et dedicavit tempore sancti Heinrici imperatoris, tunc ducis Bavariae.

a) Altahn *Oef.* b) *ita correxi; Oefele* MCCCLVIIII. c) *numerus deest in ed.*

GESTA EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM

AUCTORIBUS BERTARIO ET ANONYMO MONACHIS S. VITONI,

EDENTE DR. G. WAITZ.

*Virdunensis episcopatus historiam plures diversi temporis conscripserunt
monachi, quorum primi Bertarius et continuator eius iam hoc loco edendi,
Laurentius vero et qui eum secutus est alii tomo sunt inserendi. Bertarius,
1 presbyter[1] et canonicus S. Vitoni[2], episcopo Hattoni, qui annis* 846—878.
*ecclesiae Virdunensi praefuit, coniunctus[3], ab eius successore Berhario „in
humanis et in divinis libris" eruditus[4], etiam Dadoni, qui huic successit, familiaris[5] fuit. Nam cum eius tempore principalis ecclesia Virdunensis incensa
librique et vitae sanctorum essent combusta, Bertarius „licet infirmitate et tristitia attritus" brevem episcoporum historiam componere suscepit, quam Dadoni
7 inscripsit[6]. Qui cum primis anni* 880. *diebus episcopus sit electus[7], tricesimus
septimus annus, quo incendium illud contigerat[8], in annum cadit* 916. *vel* 917,
*et paulo post Bertarium historiam suam conscripsisse verisimile est, quam
tamen non ultra Arnulfi regis tempora deduxit. — Fontibus uberioribus desti-
9 tutus, nonnisi brevissimam[9] rerum Virdunensium notitiam potuit exhibere,*

1) praef. 2) Hugo Flav. ap. Labbeum I. p. 123. 3) c. 2. 3. 4) c. 19. 5) Wassebourg premier volume des antiquitez de la Gaule Belgicque f. 174' ipsum Dadonis capellanum dicit, qua fultus auctoritate nescio. 6) Praef. Eum Dadonis rogatu hoc munus suscepisse, Vitae S. Pauli auctor dicit Mabill. Acta II. p. 272. 7) Annum 893. ipse Dado 13. ordinationis suae numerat; cf. infra. Obiit antecessor eius die Dec. 31. anno ut videtur 879. Rivet Hist. litt. VI, 154 Dadonem iam anno 879. electum esse putavit, cum anno 2. suae ordinationis a Ludovico rege anno 882. mortuo diploma acceperit (Bert. c. 20); sed non duobus annis expletis, sed secundo anno hoc factum esse, Bertarius diserte dicit. Ipsum diploma deperditum dolemus. 8) *vestro tempore per triginta et sex annos — nobis multa venerunt prospera; nunc autem — principalis aecclesia nostra igne succensa.* Praef. Hugo Flav. p. 123 *per* 35 *annos* legit ideoque pergit; *cum* 36. *anno etc.*, Laurentius vero (Praef.) Dadonis a. 37. incendium accidisse dicit. 9) *breviato sermone*, praef.; *mira brevitate*, Vita S. Pauli ap. Mabill. Acta II. p. 272. Ideo Laurentius hoc opus *catalogum*, codices *excerptum* nominant.

quippe qui fabulas, quales in posterioris aevi scriptoribus de primis episcopis Virdunensibus legimus, aut nesciisse aut sprevisse videatur. Plures tamen sanctorum vitas antiquiores consuluit, Dionisii[10], *Servatii*[11], *Lupi Trecensis*[12] *et Maximini Miciacensis*[13]. *Ipse „Gesta Francorum“ affert*[14], *sed hoc nomine* 13
non opus vulgo ita inscriptum, in quo haec minime leguntur[15], *sed Gregorii Turonensis indicavit historiam. Sed etiam ab hac in quibusdam discrepat*[16], 16
neque omnia, quae ille de episcopis Virdunensibus narrat, repetiit[17], *ita ut, quamvis interdum ipsa Gregorii verba exscripserit*[18], *eius narrationem potius memoria tenuisse quam librum evolvisse videatur. Fortunati carmina ad episcopum Agericum scripta operi suo inseruit*[19]. *Etiam episcoporum catalogum* 19
ad manus habuisse videtur[20], *eorum vitas vero, quas extare audierat, aegre desideravit*[21]; *diplomata quoque in ecclesiis servata saepius consuluit*[22]. — *Quae Hattonis, Berharii et Dadonis tempore gesta sunt, ipse vidit, sed etiam haec brevissime perstringit, de Dadone paucis tantum lineis conscriptis, fortasse eo permotus, quod ipse Dado horum episcoporum suique temporis notitiam reliquerat, cuius fragmentum a Wasseburgio servatum quod hic inseratur dignum duxi*[23]: 23

„Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi octingentesimo nonagesimo tertio, regnante vero domino Arnulpho gloriosissimo rege anno quinto, nostrae autem ordinationis decimo tertio, indictione nona[24], ego Dado Virdunensis ecclesiae episcopus coepi 24
tractare in animo meo varios praesentis seculi casus, et priorum pontificum facta ad memoriam reducere, et eorum a nostrae ecclesiae fidelibus sedulo ac salubriter investigare. Idcirco etenim facta orthodoxorum praesulum litteris annotavi, ut eorum memoria sit nobiscum aeterna, quorum nomina in caelo credimus aeternaliter esse scripta.

Dominus igitur Hatto antecessor noster fuit temporibus Lotharii imperatoris, et item Lotharii filii eius, et pervenit usque ad annum primum Caroli regis, qui pontifex venerandus multa memoria digna contulit ecclesiae; de quibus pauca stilo commendare commodum duximus. Obtinuit namque apud regem Lotharium res per multa loca iacentes, id est in comitatu Virdunensi Alberevillam *etc.* Idem etiam venerabilis episcopus istam novam basilicam inchoavit; sed a successore eius, avunculo videlicet nostro domino Berhardo episcopo, honorifice perfecta est. Qui etiam temporibus Caroli regimen istius ecclesiae suscepit, et usque ad tempus Ludovici Germanici regis eam feliciter gubernavit. Nam — ut pauca de felicibus eius actibus ad memoriam reducamus — iste inclytus pastor dominus Berhardus, avunculus videlicet noster, in ecclesiasticis disciplinis ultra quam credi vel fieri possit ferventissimus extitit, et episcopale ministerium et religiosam vitam admodum diligens, quam plurima isti ecclesiae contulit, que nunc zelo eius eternaliter testimonium perhibent. Dedit *etc.* In basilica etiam sancti Petri et sancti Vitoni posuit canonicos octo, et dedit illis res que ad ipsam ecclesiam pertinent, sicut eas tunc in suo dominatu habebat, decimam quoque arietum, qui ad nostrum opus ex Brasensi centena congruis temporibus accipiuntur. Dedit etiam ad ipsum altare unum sacerdotale vestimentum auro ornatum, platenam scilicet, id est ex dirotano cum guttis *etc.* Pallium quoque unum super ipsius sancti patroni posuit glebam *etc.*

Nos etiam, qui divina dispositione eius successor et tempore[a] domini Lodoici regis post avunculum nostrum istam ecclesiam gubernandam suscepimus, et post mortem eiusdem dominum Carolum fratrem ipsius imperatorem suscepimus, et usque ad tempus domini Arnulphi gloriosissimi regis, nepotis scilicet eorum, iam pervenimus, quicquid mihi commisse ecclesie in rebus et familiis, in omnibus ornamentis ecclesiasticis, Domino adiuvante, addere potui, huic operi addere saluberrimum duxi. Dedit *etc.*

a) ipse *ed.*

10) c. 1. 11) c. 1. 12) c. 3. 13) c. 4. 14) c. 5. 15) Etiam in Fredegarii historia epitomata nonnisi brevis huius rei notitia reperitur. 16) cf. quae notavi ad c. 5. 6. 17) e. gr. quae apud Gregorium IX, 8 sqq. leguntur. 18) c. 7. 19) c. 6. 20) c. 7 fin. 21) c. 4. 12. 22) c. 8. 12. 23) Nullum huius scripti, si integrum exstaret pretiosissimi, in bibliotheca Virdunensi vestigium reperi; fragmentum vero genuinum esse minime dubito. 24) Annus 893. Arnulfi est sextus, indict. 11.

Hec omnia solemni more supradicte ecclesie dominus Carolus imperator delegavit, atque ad habendum perhenniter concessit. Arnulphus quoque gloriosissimus rex dedit in proprium per authoritatis sue preceptum supradicte ecclesie abbatiam, que vocatur Montisfalconis, quae est in honore sancti Germani constructa et in comitatu Dolinensi est sita, cum omnibus et sibi pertinentibus *etc.*"

Cum catalogus episcoporum Virdunensium, cui Dado haec addidisse dici-
tur, deperditus esse videatur, Bertarii breve historiae compendium eo maioris
est faciendum. Pauca tantum suo aevo Laurentius illius operi addenda inve-
25 *nit. Hugo Flaviniacensis, Bertarii narratione fundamento posita*[25]*, multa qui-*
dem undique collegit et uberiorem rerum Virdunensium segetem posteris tradi-
dit, sed plerumque falsa, fabulosa et historiae nomine indigna consarcinavit.
Etiam vitae S. Pauli scriptor Bertarium antiquitatis non spernendae auctorem
laudat sed et negligentiae arguit, quippe qui non omnia sibi comperta scrip-
26 *serit*[26]*. — Bertarius quo anno obierit non constat. Fortasse etiam sub Barnoino,*
qui anno 925. *episcopatum suscepit, in vivis erat. Hoc enim apud Wassebur-*
gium polyptici Virdunensis ipsius tempore confecti initium legimus:

„Fratribus Virdunensis ecclesiae sub canonica authoritate in domo beate virginis Christo servientibus salus continua. Cum multe tribulationes temporibus nostris istud Verdunense pregravarent episcopium, maxime tamen duo immanissimi casus, nostris pravis exigentibus meritis, a proprio deiecerunt statu. Quorum unus accidit, quando tempore venerabilis memorie Dadonis episcopi ignis exosus totam pene civitatem concremavit, et ecclesiam sancte Marie solo tenus prostravit. Et proh dolor, omnia ornamenta ecclesiastica, cum armario et apostolicorum privilegiis et episcoporum decretis et chartarum rerum ecclesiasticarum instrumentis atque scriptis, vulgo pulegiis nominatis, flamma consumpsit. Ad cumulum vero tanti mali, succedente in eodem loco nepote domini Dadonis, venerabili episcopo Barnoino, primo eius ordinationis anno, crudelissima gens Hungarorum improvisa ipsum adiit episcopium, et incensis pene omnibus villis, homines extra oppida repertos aut neci dedit aut captivitati destinavit. His gravibus duabus pressa calamitatibus, congregati simul eiusdem venerabiles et maiores natu canonici, scilicet Ewenardus prepositus, Bertarius decanus, cum archidiaconis Leutfredo et Odilone, et cum paucis villanis, qui in fratrum villis de predicta vastatione remanserant, ne institutio antiqua et redditus villarum atque census earum prorsus ignorando aboleretur, ad communem utilitatem presentium et futurorum solerti indagatione hoc pulegium super res canonicorum condere opere precium duxerunt. Pulegium autem, ut mihi videtur, nil aliud significat aut latialiter sonat quam publica lex vel popularis lex. Si quis rectius hoc commentatus fuerit, ego Sarovardus cancellarius iussis preceptorum meorum obtemperans, qui huic operi me prefecerunt, intellectui eius humiliter concedo."

27 *Si Bertarius decanus hic memoratus idem est qui historiographus*[27]*, quem*
iam Hattonis tempore adultum vidimus, senex diem obierit necesse est. Sepul-
tus est in coemeterio sancti Vitoni[28]*.*

29 *Historiam a Bertario inceptam monachus S. Vitoni*[29] *usque ad annum*
1047*, Theoderico episcopo sedente*[30] *continuavit. De primis saeculi X. tempo-*
ribus nihil fere compertum habuisse videtur, postea vero res Virdunenses,
quamvis non copiosa et per partes deducta, satis accurata tamen narratione
31 *exposuit, et quae ab aliis audivit*[31] *aut ipse vidit, florido dicendi genere usus,*

25) Quae ex illo, cuius „memorialis antiquitas" magnam apud ipsum parabat auctoritatem, p. 113. descripsit apud Bert. c. 4. leguntur. 26) *Haec ita se habere, ipsius viri auctoritas et non spernenda antiquitas satis fidei ad id credendum videtur conferre. Sed quod ipse prosequitur* (c. 8.), *multa se legisse et picta vidisse, quae per negligentiam non sunt scripta, ipse quoque negligentiae nota redarguitur, cum de scriptis vel de visis pictum ad aedificationem posterorum conscribere neglexerit,* Mabill. Acta II. p. 273. 27) ita Wassebourg f. 174'. 28) Hugo Flav. p. 123. — In diplomate Ottonis II. ecclesiae S. Vitoni molendinum a Bertario canonico datum confirmatur. 29) c. 9. 30) c. 11. 31) *multis referentibus audivi* c. 2; *ab abbate istius loci audivi* c. 3.

retulit, sed pariter atque Bertarius rerum gestarum tempora annotare[32] *prorsus fere neglexit. Fontes scriptos praeter diplomata ecclesiis concessa se habuisse, nusquam indicat, neque alia historiae Virdunensis monumenta ipsius tempore extitisse, verisimile est. Laurentius eius narrationem postea excepit, Hugo Flaviniacensis partim descripsit partim auxit. Etiam qui vitam S. Richardi abbatis composuit*[33] *ex hoc opere plura hausisse videtur*[34]. *Cum enim ipse minime Richardum viderit, sed se scripturum esse dicat* „quae ab ipsis qui ea viderunt et certissime cognoverunt fideli narratione didicimus", *post Richardi tempora vixisse videtur; continuationis scriptor vero duobus tantum post illius obitum annis historiae finem imposuit, ita ut vita illa uti nequiverit.*

In hoc opere edendo usus sum codice

1) *Virdunensi Nro.* 3. *mbr. fol. maximi, olim S. Vitoni Virdun., cui* 6 *folia s. XII. exeuntis inserta sunt, quae fol.* 159—162 *Bertarii et continuatoris historiam inter se coniunctam et nullo titulo distinctam continent. Hunc librum optimum, ab urbis Virdunensis bibliothecario viro clarissimo Clouet eiusque filio viro doctissimo et humanissimo, gymnasii et seminarii professore, qui summa liberalitate et singulari urbanitate laboribus meis favit, mecum communicatum, ipse Virduni constitutus accuratissime cum editis contuli et textum genuinum ex ipso restitui.*

2) *Virdun. Nro.* 36. *mbr. s. XIII. fol. min. f.* 116 *sqq. idem Bertarii et continuatoris opus continet, sed valde mutatum*[35], *erroribus et mendis depravatum, ita ut verbis emendandis vix singulis quibusdam locis adhiberi potuerit. Codex, qui monasterii S. Pauli fuisse videtur, ad finem quaedam de ecclesia S. Agerici monasterio illi subtracta addit, quae praetermittere nolui.*

Bertarii historiam a Wasseburgio saepius allatam primus D'Achery (Spicileg. Vol. XII. p. 251) *a Barth. Senocq Virdunensi ex codice S. Vitoni descriptam sibique transmissam edidit ipsique continuationem subiecit. Inde Calmet (Hist. Loth. Tom. I. Probatt. p.* 194) *et de la Barre in secunda Spicilegii editione (II. p.* 234) *utrumque opus repetiverunt. Gallica versio a. I. I. Caiot confecta anno* 1775. *Virduni prodiit*[36].

G. WAITZ.

INCIPIT EXCERPTUM DOMNI BERTARII[a] SACERDOTIS IN GESTIS PONTIFICUM SANCTAE VIRDUNENSIS AECCLESIAE AD DOMNUM DADONEM EIUSDEM SEDIS ANTISTITEM.

Reverentissimo et sanctissimo seniori meo domno[b] *Dadoni, Virdunensis aecclesiae*[c] *inclito episcopo, Bertarius*[d] *vester presbiter devote pro vobis orando felicitatem aeternam in Christo. Quoniam vestro tempore per triginta et sex annos vestro bono studio et inclita fama nobis multa venerunt prospera, nunc autem peccatis nostris exigentibus principalis aecclesia nostra*

a) bertharii 1. b) donno 1. c) *ita semper scripsi;* ęcclesia 1. *plerumque.* d) bercarius 1.

32) In his definiendis multum laboravi; quae Wasseburg habet plerumque nullo fundamento nituntur. Calmet haec exscripsit novisque erroribus auxit. Historiam Virdunensem a Roussel conscriptam neque in regia neque in Gottingensi bibliotheca inveni. 33) Mabillon Acta VI, 1. p. 519. 34) c. 4. 5. 9. ex Cont. c. 9, c. 19. 20. ex Cont. c. 11. 35) ita c. 2 fin. ita mutatum legitur: *ad quod miraculum domnus episcopus Hatto eadem veniens die, simul cum illo vidimus crura eius et coxam eius usque ad natem excoriatas, et quasi nil aliud habuisset nisi ossa in crura et in coxa. Et qui vix in vehiculo venerat, iam senex et plenus dierum, pedes et sanus reversus est.* c. 4. initio: *Defuncto autem sancto Firmino, habitatores istius civitatis rebellaverunt contra Lodtharium Francorum regem. Qui cum ab eo etc.* 36) Almanach historique de la ville et du diocèse de Verdun 1775. 12. p. 67.

igne succensa, libri et memoriae sanctorum patrum nostrorum[a] *ex magna parte eidem flammae sunt traditae, ne autem penitus oblivioni traderetur antecessorum vestrorum sacrosancta memoria, venerabile studium et operatio sancta: licet infirmitate et tristicia attritus, quae de sanctis antecessoribus vestris legi et a fidelibus audivi, breviato sermone comprehendere commodum duxi, vobis quidem gratum, posteris autem utile.*

1. Legimus in ista aecclesia, quae est in honore sanctae Dei genitricis constructa[b], iam praecessisse triginta episcopos, quorum primus sanctus Sanctinus vocatur. De quo
1 quod sentimus, notare hic studuimus. Nam legimus[1], quod sanctus Dionisius Sanctinum Meldensis[c] aecclesiae episcopum et Antoninum presbiterum mitteret cum gestis suae passionis Romam ad sanctum Clementem, et iter illorum fuisset per istam civitatem, et in eundo ac redeundo hic primi praedicassent verbum Dei. Et ferunt, quod idcirco in ordine episcoporum istius aecclesiae primus ponatur. Legitur vero in vita sancti Servatii episcopi[2], ubi de Agripinensis aecclesiae archiepiscopi depositione res agitur, quod
3 interfuisset Sanctinus urbis Clavorum episcopus[3]. Ubi tamen corpus eius sepultum sit, nusquam reperimus, nisi Meldis.

2. Post hunc legimus fuisse sanctum Maurum, et sanctum Salvinum, et sanctum Aratorem. Quorum merita ad sepulcra illorum ostendunt frequentia miracula. Siquidem sancto Agerico divinitus ostensa sunt eorum monumenta, et ab eodem honorabiliter et sanctissime ordinata. De istis enim quae nostris oculis vidimus, quam plurima referre possumus. Tempore etenim Lotharii iunioris regis et domni Hattonis nostrae civitatis
4 episcopi de istis sanctissimis viris reliquiae sunt sumptae et ad Theolegium[4] monasterium, quod isti aecclesiae est subiectum, nostris temporibus sunt delatae. Deus testis est conscientiae meae, quia non possum ad memoriam reducere, quae a pueritia usque ad perfectam aetatem meritis sanctorum istorum ad sepulcra illorum divina clementia operari vidi; quot ceci illuminati, quot surdi sanati, quot claudi erecti, quot demoniaci liberati[d], quot egroti a variis languoribus curati, nullatenus stilo comprehendere queo, aliqua tamen sub compendio colligam. Duo contracti causa orationum aecclesiam ipsorum ingressi, protinus meritis sanctorum istorum sunt erecti. Quaedam femina, nomine Emma, multis diebus lumine praesentis seculi privata, in mea praesentia ibidem est illuminata. Similiter et altera femina, quae erat muta, post peractas matutinas me audiente coepit loqui. Quidam etiam homo per 40 annos contractus, et per multos annos in porticu sancti Stephani Mettensis aecclesiae iacens, curriculo evectus ad istorum sanctorum sepulcra delatus fuerat. Prima vero parte noctis coepit voces emittere, et usque ad matutinas easdem emittens voces, sospitatem meruit optinere. Ad quod miraculum cum domno Hattone episcopo eadem die venimus, simulque cum illo vidimus coxam eius cum crure usque ad nates excoriatam, quasi nil aliud habuisset nisi ossa, et qui vix in vehiculo venerat, iam senex et plenus dierum, pedes et sanus reversus est ad propria.

3. Post hos extiterunt sancti Pulcronius, Possessor et Firminus; de quorum memoria nihil[e] aliud scimus, nisi quod a primis temporibus eorum merita Deo fuerint grata, et inter cives sanctorum sint annumerati. Legitur etiam in vita[5] sancti Lupi Trecas-
c. 450 sini episcopi, Pulcronium admirandae sanctitatis virum Virdunensis aecclesiae episcopum praefulsisse tanta gratia curationum, ut, religatis post tergum manibus, demoniacis imperaret, et dicto citius prius sensum reciperent, quam in collisione suorum corporum cernui laberentur. Certe quando reliquiae de praedictis sanctis fuerunt acceptae tempore domni Hattonis episcopi, tunc etiam monumenta istorum honorabiliter ac venerabiliter, sicut decet sanctos, sub monumento beati Vitoni reperta sunt. Pars autem corporum illorum ab aliquibus visa satis ostendit, quod animae eorum in beata felicitate gaudio fruuntur aeterno.

a) nostrarum *postea corr.* nostrorum 1. b) contructa 2. quae — constructa *in* 1. *erasa.* c) meldensem 2. d) leberati 1. e) nichil 1.

1) cf. Hincmari epist. de S. Dionysio ap. Surium V. p. 660. ubi tamen Sanctinum Viridunum venisse non legitur. Aliam legendam, in qua haec referuntur, memorat Calmet I. p. XLI. 2) Haec vita deperdita esse videtur. Vide quae monuit I. Bollandus Acta SS. Mai III. p. 210. et de synodo Agripinensi Conc. ed. Labb. II. p. 615, ubi etiam p. 617. fragmentum vitae S. Servatii editum est. 3) cf. Calmet I. p. XXXV -XLIV. 4) Tholey prope S. Wendel. 5) V. Acta SS. Iul. VII. p. 70.

4. Tempore[5] igitur beati Firmini habitatores istius civitatis rebellaverunt contra c. 500. Clodoveum regem Francorum, a beato Remigio baptizatum. Qui cum ab eo obsiderentur, defuncto interim eodem sanctissimo pontifice, beatus Euspicius presbiter istius aecclesiae egressus, obtinuit apud regem pacem et salutem civium suorum. Postea cum rex praefatus creari vellet eum istius civitatis episcopum, et ille omnimodis abnegaret, beatissimus pater Vitonus, nepos illius, hic ordinatus est episcopus; sanctus vero Euspicius cum altero nepote suo, beato videlicet Maximino, qui sanctissimo patri Vitono germanitatis propinquitate iungebatur, peticione eiusdem regis cum ipso Aurelianis perrexit, et ibidem monasticam vitam ducens, obiit in pace. Sanctus vero Maximinus Aurelianis postea factus abbas, multa miraculorum copia refulget. Vitam autem beatissimi Vitoni a multis audivi se vidisse descriptam, sed actenus a nobis est invisa[6]. Basilica siquidem, ubi 6 praedicti requiescunt sancti, in honore sancti Petri apostoli est antiquitus constructa, quae etiam pro antiqua dignitate habet multa episcoporum sepulcra, et propterea a fidelibus cunctis multum est veneranda.

5. Post hunc extitit Desideratus episcopus, cuius tempore, sicut in gestis Franco- c. 520. rum[7] legimus, ingravescente fame, cives istius civitatis erant in afflictione maxima. Qui cum abisset ad Theodericum regem, et de thesauro[a] illius quingentos aureos mutuasset, distribuit eos civibus suis, sub tali tenore, ut de eis negotiarentur per diversa loca, et de adquisitu illorum viverent, transactaque necessitate praedictam summam regiis thesauris restituerent. Quo facto, et de penuria famis sunt erepti, et divites effecti. Cumque episcopus praedictos aureos regi reddere vellet, rex Domino gratias agens, quod sui cives ex regis thesauro de tam flebili miseria erepti essent, praedictos aureos reddere ei iussit, quorum incremento usque hodie negotiatores effecti sunt[8].

6[b]. Post huius excessum de istis civibus ordinatus est in ista aecclesia sanctus c. 550. Agericus episcopus. Cuius tempore cum vellet Childebertus rex placitum habere in ista civitate, pro amore illius tenuit eum Mettis, ubi depositus est Egidius Remensis aeccle- 590. siae archiepiscopus[9]. Quidam autem vir valde nobilis cum pro suis sceleribus a rege vita debuisset privari, petitione praefati antistitis salvatus est; et ob hoc dedit ille vir fratribus quod ad Arcus et ad Mantuam habemus. Rursus rex praelibatus cum per Virdunum iter habuisset, et praedictus sanctus antistes nonnisi parum vinum in uno vasculo habuisset, et omnipotens Dominus ipsius meritis sic illud dilatasset, ut rex cum suis omnibus de ipso omnem sufficientiam habuisset, plus inveniretur vini in ipso vasculo in fine quam initio: rex tanto perterritus miraculo, audivit, quod ista aecclesia non habuisset locum unde colligeret vinum. Idcirco ergo dedit isti aecclesiae duos amandos[10] super 10 Mosellam et Modinum[11], et quicquid[c] intra Luceium[12] et Baiam est, et omne quod subtus Treveris habemus. Addidit etiam Marseium[13] et Sampiniacum et Commenias et Mercast villam et Hairici villam et contiguas villas isti civitati Carniacum[14] et Novam- 14 villam, multaque alia loca, quae sunt oneri hic enumerare, quae pro reverentia tanti viri rex et sui fideles isti aecclesiae ad habendum tradiderunt. Cuius venerationis tunc temporis vir iste fuerit, ostendit sanctus Fortunatus in versibus, quos ex.....te[d] in laude ipsius composuit, quos hic subinferre commodum duximus. Nam[15] cum idem 15 Fortunatus esset in Italia et nimium dolorem oculorum suorum pateretur, venit ad quoddam monasterium in honore sancti Martini constructum, et visum est illi, ut de oleo, quod erat in lampade coram altare sub nomine sancti Martini, oculos liniret. Quod ut fecit, protinus sanitatem meritis sancti Martini suscepit. Qui postea flagrans desiderio, ut inviseret sepulcrum sancti Martini, de Italia venit in Galliam, et fuit iter

a) thessauro 1. *et ita infra.* b) *deest* 1. c) quidquic 1. d) ex::::'te *erasum* 1.

5) Totum caput ex vita antiqua S. Maximini Miciacensis n. 5—10. ap. Mabill. Acta SS. I. p. 582. haustum est. 6) Vita antiquior nulla quod sciam edita est. 7) Gregor. Turon. III. 34. qui tamen septem millia aureorum regem Theodebertum dedisse dicit. 8) cf. Liudpr. VI. 6. Richer. III. 103. Negotiatores Virdunenses ex Hispania reversi etiam in hist. transl. S. Sanctini s. XI. memorantur; cf. Calmet I. p. XL. 9) cf. Gregor. Turon. X. 19. qui tamen nihil de urbe Virdunensi dicit, et haec post Agerici tempora narrat. 10) mansos? quid sibi velit nescio. 11) Moulin prope Metim, ut Wassebourg et Calmet, quos in his nominibus explicandis secutus sum, statuerunt. 12) Luce et Bage. 13) Marcey, Sampigny, Commenieres, Marchainville, Harville. 14) Charny et Neuvilly. 15) cf. Paul. Diac. hist. Lang. II. 9.

illius per Virdunum. Et susceptus a sancto Agerico benigne et cum caritate, quod in eo vidit, sacris expressit litteris.

16 Versus Fortunati[16].

Urbs Virduna, brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Maior in angusto[a] praefulget gloria giro,
Agerice, tuus quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quae matura opere fertilitate metes.
Tempore praesenti victum largiris egenis,
Unde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis archani reseras penetralia, pastor;
Non solum dapibus, pascis et ore greges.
Templa vetusta novas pretiosius et nova condis;
Cultior est Domini[b] te famulante domus.
Egregios fontes sacri baptismatis exples;
Tam[c] pia divino fonte repletus agis.
Candida sincero radiat haec aula sereno,
Et si sol fugiat, hic manet orta dies.
Ad nova templa avidae concurrunt undique plebes.
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te solamen inops meruit, te nudus amictum,
Et solus cunctis potus et esca manes.
Felix qui meritis, aeternae lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.

Phoebus ut elatum suspendit in aethera currum,
Purus et igniferum spargit ubique iubar,
Effusis radiis totum sibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet:
Sic praesul splendore animi cum sole choruscas,
Ille suis radiis fulget, et ipse tuis,
Agerice sacer, cuius sermone colente,
Aecclesiae segetes fertilitate placent,
Terrenis sterilis rebus, fecunde supernis,
Humana spernens, dives iture polis,
Illecebris mundi mundus lasciva repellens,
Nil cui subripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cum tua delictis libera menbra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis,
Ut tua corda, pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali Christus se vase recondi;
Quam sibi purgavit, possidet ipse domum.
Non dolus in labiis, nec sunt fera nubila mentis;
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloqum flumen salienti fonte refundis,
Et sensus steriles voce rigante foves.
Ardua caelorum pandis misteria terris;
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate divino, praesul facunde, triumphas,
Dans pastor monitis, ne premat error oves.

a) augusto 1. b) dns 1. c) *Tres versus sequentes, qui in 1. maximam partem legi nequeunt, ex 2. descripsi.*
16) Fortunati carmina III. 29. 30.

Delitiis reficis, quas caelum[a]*, arva, unda ministrat,*
Et satiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum.
Omnia quicquid[b] *habes omnibus esse facis.*
Hic tibi longa salus maneat, licet inde futura,
Atque diu, pastor, pro grege vota feras.

7[c]. Post sanctum Agericum Buciowaldus quidam abbas episcopatum ambivit, sed quia esset superbus, nihil optinuit. Caramerum[d] referendarium cum consensu civium regalis decrevit auctoritas[e] fieri episcopum[17]. Post[f] Caramerum[18] Ermenfridus fuit. De quibus nullam aliam habemus memoriam, nisi quod in ordine episcoporum episcopi sunt reperti. 588. 17

8. Post Ermenfridum tractus est de monasterio Theolegio[19] sanctus Paulus, qui fuit frater[20] sancti Germani Parisiacensis episcopi, et in ista aecclesia episcopus consecratus. Cuius memoria aeterna est. Nam nepos Dagoberti regis Grimo diaconus, qui et Adelgisus dicitur, cum fuisset a sancto Paulo ab infantia reverenter educatus, pro amore ipsius antistitis suam proprietatem, id est Theolegium monasterium, sanctae Mariae in Virduno, suo pariter et multorum fidelium scripto, in sempiterno habendum tradidit, roboravit et omni auctoritate firmavit. Frasnidum[21] vero villam idem Grimo pro sua pietate victui fratrum nostrorum delegavit. Sanctus vero Paulus Basonisvillare de suis reditibus comparavit. Privilegium etenim nostris canonicis de antiquioribus villis fecit, et suis manibus aliorumque episcoporum ipsum sub divina attestatione roboravit. De virtutibus autem sancti patris nostri istud mirabile audivimus. Cum adhuc monasticam vitam ducens in pistrinum fratrum obedientiam habuisset, et timeret, ne hora statuta fratres panem habere potuissent: eiecto igne de clibano, ipse intus ingressus, cum cuculla sua clibanum purgavit, et panem illic ad coquendum[g] ordinavit, sanusque foras egressus, panem sanctum fratribus in refectorio tempore statuto distribuit. Legi et picta vidi multa miracula, quae vivens in episcopatu egit, et post excessum positus in basilica sancti Saturnini Deo cooperante fecit. Caecos namque illuminavit, surdis auditum dedit, claudis gressum praebuit, aegrotos a variis infirmitatibus curavit. Et quid plura? Istam aecclesiam rebus temporalibus dilatavit. Et Deus omnipotens animam illius cum omnibus sanctis in aeterna gloria sine fine gaudere facit. c. 630. 21

9. Post hunc extitit Gisloaldus, Gerebertus, Armoinus, Agrebertus episcopi. Huius tempore sanctus Crodingus Waslogium[22] monasterium construxit et sub ditione nostrae aecclesiae posuit. c. 648.

10. Post hunc Bertalamius episcopus. Huius studio et industria Mactigisilus et uxor eius Hechia Tilliacum[23] fiscum et Stagnum et Casam Petriam nostrae aecclesiae, Frumisiacam[24] villam fratribus nostris, et alia quam plurima pro remedio animae suae dedit. c. 710.

11. Post hunc Abbo episcopus; et deinde Peppo episcopus. Huius tempore extitit seditio non modica inter Karolum primum, qui dicitur Karolus Martellus, et Rainfridum Francorum principem. Et quia Peppo partibus Karoli tempore seditionis favit, obtinuit pretio cum Karolo et quodam nobili vasallo eius Calmontem villam[25] cum omnibus appenditiis suis. Postquam vero Karolo Deus solidavit Francorum regnum, dedit etiam aecclesiae nostrae Pontem Petrium[26], et suo scripto nobis eam solidavit. Merlam[27] vero et Casam[h] Petriam, quia eas sui satellites invaserant, retinuit, et adhuc Casa Petria retenta est. 716. 25

12. Post hunc extitit Voschisus episcopus, et Agroinus episcopus. Et post istum fuit multis diebus episcopatus vacuus. Deinde extitit domnus Madelveus episcopus, qui fuit de familia huius aecclesiae, et extitit vir sanctus et iustus. Cuius industria et studio fertur per precariam obtinuisse eum Wasnaum[28] et Warnunci curtem et Ramisbatium[29] c. 725. c. 735

a) cellum 1. b) quidquic 1. c) VI. 1. d) *rubro atramento in* 1. *super nomine* XI. *scriptum est, et ita semper numeri adiecti.* e) actoritas 1. f) c. VII. *incipit* 1. g) quoquendum 1. h) casiam 1.

17) Ex Greg. Tur. IX, 23. 18) Bertarius omisit Godonem, qui subscripsit concilio Remensi a. 625. Conc. ed. Labb. V. p. 1689. 19) Tholey prope S. Wendel. 20) Quod falsum esse monuit Mabill. Acta II. p. 268 n. 21) Fraisne. 22) Beaulieu in silva Argonna. 23) Tilly, Estain et Cassepierre. 24) Fromesy. 25) Clermont in silva Argonna? 26) Pierrepont. 27) Merle. 28) Vaneau. 29) Rembécourt.

c. 750. et alia plurima, sicut egomet in cartis eius manibus roboratis legi. Cuius etiam tempore domus istius aecclesiae peccatis exigentibus fuit succensa. Et ob hoc per Galliam et Italiam et sic per Graetiam et Ioppen cum magna viarum angustia Iherosolimam pervenit, et a patriarcha ipsius loci multorum sanctorum reliquias obtinuit, et eas cum calice cristallino, opere mirifico sculpto, Virdunum apportavit, et in principali aecclesia nostra venerabiliter eas collocavit. Reliquias vero, quae fuerunt in antiquiori aecclesia in dextera parte altaris sanctae Mariae, in cripta subterranea reposuit. Fuit enim tempore Pipini regis usque ad tempus Karoli Magni, et obiit in proxima villa quae dicitur Novavilla. Cum vero inde portaretur ad Sanctum Petrum sive ad Sanctum Vitonum, fertur quod super crucem, videntibus cunctis, duae columbae candidae sicut nix venerint, et in eadem, usque dum corpus eius sepulturae traditum fuisset, sederunt. Multa siquidem bona in ista aecclesia constituit. Nam et aecclesias in ista civitate valde bene construxit, et clerum et populum istius aecclesiae venerabiliter ordinavit, et evidens pater et episcopus istius aecclesiae extitit. Res etiam, quae sunt in Equitania antiquitus isti aec-
30 clesiae subiectae, id est abbatia sancti Amantii[30] in Rodonia sita et Maderniacum et Puliniacum, frequenter visitabat, et gesta praedictorum pontificum nostrorum secum ferebat, ut per illorum merita illas res longius sitas liberius possidere quivisset. Et pro hac occasione dicunt, quod miracula sancti Agerici in Massilia descripta habentur. Et vita
31 sancti Vitoni et sancti Pauli[31] per contigua loca ultra Liggerim reperiri feruntur. Cuius corpus, dictu mirabile! post quadraginta annos integrum repertum est, et ubi nunc iacet venerabiliter reconditum est.

13. Post hunc episcopatus istius aecclesiae per duodecim annos vacuus extitit. Sed
c. 770. quidam servus Dei Amalbertus nomine, iuxta morem illius temporis corepiscopus factus, ipsam regebat aecclesiam, et in quodam oratorio sub honore omnium apostolorum quasi solitariam vitam ducebat[a]. Et tunc perdidit ista aecclesia Waslogium et Tilliacum et Stagnum et Merlam et Casam Petriam et alia quam plurima. Fuit enim hoc sub tempore Karoli Magni.

14. Post hunc extitit Petrus, vir Italicus. Nam cum esset exercitus Francorum circa
774. Papiam et obsideret eam, ab isto, ut fertur[32], tradita est, et ob hoc a Karolo Magno de isto episcopatu honoratus est. Fuit enim in episcopatu per viginti quinque[33] annos, et passus est in eo multa adversa. Certe etiam infidelitatem imperatoris obiecerunt illi, et ob hoc per duodecim annos imperatorem videre non est ausus. Sed a filiis istius coram
794. principe recte purgatus, postea illius adhiit praesentiam[34]. Multas precarias inutiles fecit, et in diebus illius multae res ab ista aecclesia subtractae sunt.

15. Post mortem vero illius elegerunt sibi episcopum de regis palatio Anstrannum, cantorem ipsius, virum strenuum, cuius industria Bracenses[35] negotiatores isti aecclesiae
c. 800. redacti sunt. Superfuit quinque annis.

16. Deinde Herilandus suscepit istum locum, vir multum simplex et ultra modum infirmus. Cuius etiam tempore multa mala perpessa est ista aecclesia. Post viginti quatuor annos sui episcopatus obiit Aquis, et est sepultus iuxta Anstrannum in basilica sancti
c. 823. Vitoni.

17. Defuncto autem isto, abiit pars cleri et plebis ad Ludovicum imperatorem, et petierunt sibi dari domnum Hildinum de Alemannia, virum bonum et sanctum, qui construxit multas aecclesias in isto episcopatu, et multa bona operatus est. Sed post bellum
841. in Fontanido actum a Lothario imperatore magno habitus odio, in ista civitate octavis
c. 847. epiphaniae cum magna tristicia et dolore obiit in Christo; vir plenus omni bonitate et karitate. Fuit autem in episcopatu per viginti quatuor annos. Deinde quod oculis vidi, liberius valeo litteris exequere[b].

18. Domnus Hatto post istum in ista aecclesia ordinatus est episcopus, et pro praedicto imperatoris odio invenit tunicam sanctae Mariae per multa scissam et disruptam, id

a) duca·bat 1. b) exequ: :: 1.

30) S. Amand à Rodez. 31) Vita S. Pauli edita Acta SS. Febr. II. p. 173 et Mabill. Acta II. p. 268. recentioris aevi est. 32) In annalibus huius temporis de hac re nihil legitur. 33) Hi et sequentes episcoporum anni inter se minus bene conveniunt, ita ut certos definire sit difficillimum. 34) V. Capitulare Francfurt. a. 794. Legg. I. p. 73. 35) cervisiae confectores, gallice *brasseurs*, Dachery intellexit. Sed Bracensis centena in dipl. Ottonis II. ecclesiae S. Vitoni Vird. dato occurrit.

est res istius aecclesiae nimium subtractas et alienatas. Pro quarum alienatione et suorum afflictione toto nisu erexit se contra inimicos istius aecclesiae, donec miserante Deo tunicam sanctae Mariae redintegratam habuit et ad proprium statum reduxit. Insuper etiam obtinuit apud regem Lotharium iuniorem Marcelliacum fiscum et Arbereivillam et Maureium ad opus fratrum, et Mercuringas et Brasaidam et Walacras, et per precarias Metganis villam et Commenarias et Gaugiacum. Et intentio eius et labor eius nimius in hoc extitit, ut ista aecclesia exaltaretur et pace frueretur; quod et fecit diebus vitae Lotharii[a] iunioris. Illo vero mortuo in mense Augusto, iste etiam obiit Kalendis Ianua- 869.
rii, et sepultus est in basilica sancti Vitoni in cripta iuxta corpus domni Hildini episcopi. Aug. 8. 870.
Fuit autem in episcopatu per annos viginti[b] et tres. Ipse etiam inchoavit nostram novam Ian. 1.
aecclesiam, et ex magna parte construxit.

19. Post cuius excessum domnus et sanctissimus pater noster Berhardus episcopus factus est; qui acclamatione cleri et plebis suscepit sub suo regimine istam aecclesiam. Cuius intentio et studium sanctissimum fuit, basilicam inceptam ad perfectionem usque perducere; quod miserante Deo et fecit. Signa[36] grandia et honorabilia et minora valde bona in illa basilica suo opere ibidem esse constituit. Pontificalia vestimenta et euangelium auro gemmisque paratum, turibulum aureum et aliud argenteum valde bonum, et feretrum, ubi sunt nunc reliquiae sanctorum, honestissimo decore composuit, et alia quam plurima aecclesiastica ornamenta isti aecclesiae suae tribuit. Canonicos suos canonice vivere fecit, et villanis presbiteris viam iusticiae viriliter ostendit; et pueros, inter quos ego Bertarius unus fui, in humanis et in divinis libris per se et per alios cum 879.
summa caritate instruxit. Obiit autem in Teolegio monasterio, ubi et corpus eius con- Dec. 31.
ditum est, pridie Kalendas Ianuarii.

20. Christo miserante habemus nunc seniorem nostrum Dadonem venerabilem episcopum, qui suscepit istum temporibus Ludovici Germanici regis[37]. Cum quo etiam anno secundo suae ordinationis obtinuit Meinrodum fiscum per praeceptum ad opus sibi com- 881.
missae aecclesiae.

21. Post Ludovicum accepit germanus suus Karolus monarchiam totius imperii, apud 882.
quem adeptus est suo altari Tilliacum fiscum, qui fuerat antea de ista aecclesia. Post Karolum accepit Arnulfus nepos illius regnum. 887.

CONTINUATIO.

1. Post hunc extitit Barnoinus[c] episcopus; cuius vitae priorum desidia solo nomine 925.
posteris manet memoria.

2. Deinde domnus Berengarius, primi Ottonis[d] imperatoris consanguineus, vir nobi- 940.
lis et Saxonicus, factus est huius civitatis episcopus. Hic basilicam sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in qua requiescit corpus sancti Vitoni cum multis decessoribus suc- 952.
cessoribusque suis, in meliorem reddidit statum, auxit et ornavit[38], clericosque in ea degentes et multis vilibus negotiis deservientes abiecit, monachosque inibi Deo servituros constituit, quibus abbatem praefecit nomine Humbertum, olim eiusdem aecclesiae clericum, sed tunc temporis divini amoris instinctu apud Sanctum Aprum Tullo monachum, ipsique loco iam a Deo patrem factum. Quorum victui delegavit Scantiam villam cum banno, abbatiam quoque sancti Amantii in Aquitania cum multis aecclesiis huius episcopii. Fuit autem temporibus praedicti Ottonis regis Germaniae, de quo dictum est[39], quod ad triumphum aecclesiae coepit Otto crescere et ad profectum venire. Huic successit secundus Otto ad imperium, ut floreret seculum. Hic Romae defunctus, nescientibus Romanis a suis est ablatus, et Aquis quiescit sepultus[40]. Vixit autem in ipso episcopatu hisdem[e] bonae memoriae Berengarius multis diebus, et sepultus est in basilica sancti Petri in sinistra parte chori, super quem positum est altare usque in praesens[41]. Huius ego

a) lottonii *corr.* lottarii 1. b) XXX *corr.* XX 1. c) *superscr.* XXVIIII *et ita sqq.* 1. d) :ottonis 1. e) *i. e.* isdem, idem.

36) *i. e.* campanas. 37) iunioris, qui a. 876—882. regnavit. 38) cf. diploma Berengarii ap. Calmet I. p. 541. 39) *ad triumphum — crescere* et post *imperium ut f. s.* ex rhythmis de obitu Ottonis III. sumta sunt, ubi tamen uterque versus ad hunc imperatorem spectat. 40) non Otto II., sed Otto III. 41) Huc Richardi tempore corpus translatum esse, narrat Hugo Flav. ap. Labbeum I. p. 165.

c. 960. casulam qua indutus erat in sepulcro[a] positus vidi, quae postea ab eius corpore evulsa fuit. Multis autem referentibus audivi, quod eius pes ante mortem factus est aridus. Nam quadam die descendente eo ad aecclesiam beatae Mariae, invenit clericum quendam solo prostratum beatae Mariae memoriam celebrantem. Hunc percussit pede, ut surgeret. Mox ille surrexit[b], et viso eo, patienter tulit. Sequenti autem nocte lectulo iacentis et necdum dormientis episcopi cum beata Tecla astitit virgo Maria: *Percute,* inquit, *istius pedem Tecla, et clerici mei iniuriae ultrix existe.* Hac percussione ab eadem hora coepit ardere pes eius, et in iam dicto loco monachus factus est. Hisdem praefatus episcopus fratribus sanctae Mariae Bellamvillam dedit. Huius etiam temporibus in praedicta beati Vitoni aecclesia revelatum et inventum est corpus sancti Firmini per devotissimam feminam Eugeniam, et pro tuitione civium suarumque amplificanda opinione virtutum, petitione praedicti abbatis Humberti, in villam Flaviniacum regalem quondam fiscum honorifice translatum est.

40 3. Post cuius excessum extitit domnus Wicfridus episcopus[40], de Bawariorum partibus vir Teutonicus. Iste diligentissime antecessorum suorum acta requirebat, et vitam eorum amplectendo, quibus poterat modis imitari cupiebat. Cum autem de eorum virtute et bona opinione multa legeret, et de statu aecclesiae istius, a quibus ditata fuerat, satis exquireret, invenit Paulum episcopum inter alios praecipue eam rebus collatis exaltasse et ex inope divitem fecisse. Erat enim extra muros urbis in honore sancti Saturnini aecclesia, ubi corpus eius conditum iacebat, supra flumen posita, in qua multa beneficia praestabat Dominus per meritum et intercessionem sui confessoris. Nam ex tumba eius oleum revera defluebat, cuius tactu plures infirmi sospites efficiebantur, et ab incolis dicebatur huius sepulcrum plorare, eo quod incultum videretur esse. Hanc ergo studiose, et sicut erat pius voto, in honore tanti praesulis magnificare devovit. Quam mox a fundamentis erexit, et Deo volente peregit, et ad peticionem civium, non immemor sui voti, monachos ibi posuit, qui die noctuque servirent Deo et sancto suo confessori Paulo, et in honore sancti Pauli apostoli maius altare consecravit. Corpus autem sancti Pauli ex sepulcro[c] sublatum 5. Kalendas Septembris decenter in feretro argenteo reposuit. Ornamentis et signis optimis templum ornavit, et de rebus istius aecclesiae victum monachis praeparavit, villarumque suarum meliores aecclesias eis contulit. Wasnaum fiscum optimum stipendiis eorum delegavit, et alia multa quae potuit attribuit. Tabulam auream ante altare sanctae Mariae fecit, et ornamentis atque coronis aecclesiae faciem ornavit. Fuit autem tempore Ottonis tertii, qui a cunabulis sumpsit sceptrum Romanorum, et traditus est liberalibus studiis; sub cuius regimine salus fuit mundo[41] et gloria. Evolutis autem multis quibus vixit in isto episcopatu annis, quievit in pace 2. Kalendas Septembris, et sepultus est in monasterio, quod ipse in honore sancti Pauli construxerat, iuxta altare in dextra parte. Nec silendum putavi, quod ab abbate eiusdem loci audivi. Quadam die de civitate sua causa poscente egrediens domnus episcopus, venit in villam fra-
42 trum, quae dicitur Wandersalis[42]. Ubi nocte irruente cum detineretur, et sui omnes menbra sopori dedissent, protinus a comite Sigeberto insequutus est, et sicut maior casus nescientibus ingeritur, a militibus eius circumseptus capitur. Suis autem ad arma convolantibus, ilico nepos eius Richerus interficitur, et episcopus in captionem ducitur. Qui mox excommunicatus ab omnibus episcopis, tandem poenitentia motus, episcopi misericordiam exposcens, primum dolorem corporis tulit, deinde summam pecuniae ad diem denominatum domno episcopo revadiavit. Ex qua metalli copia templum sanctae Mariae[d] praeter alia gesta ita coronis ornavit, ut si manu primam tangeres, usque ad novissimam
982. vel 983. omnes moverentur. Tali denique pastore sublato, evenerunt huic civitati multa adversa et tribulationes in populo. Nam Lotharius rex Francorum, quoniam erat res publica minus
984. defensabilis sub praefato principe Romanorum iuvene Ottone, obsedit civitatem istam[43], sed Deo volente minime cepit; attamen omnia quae circa urbem erant vastavit. Contra quem cum nostri egressi ad bella venirent, ab eius exercitu superati, plures capti sunt et abducti. Pro quorum liberatione Gobertus quidam, miles potentissimus, claves civitatis regi detulit.

a) sepulcro *superscr.* h (sepulchro) 1. b) surexit 1. c) sepulcro *superscr.* h 1. d) *ita* 2. *deest* 1.

40) Berengario vivo electus iam anno 962. praefuit. 41) cf. Rhythmi l. l.: *Vivo Ottone tertio salus fuit populo.* 42) Wandresel prope Sivry ad Mosam. 43) cf. Richer. III. 101 sqq.

4. Factum est autem post haec, ut Hugo quidam clericus susciperet episcopatum. Hic itaque cum ingressus fuisset civitatem, vocatis ad se ministris, unde viveret, exquisivit. Quibus respondentibus, se penitus carere expensis, quae fuerant pontificis, et designantibus exterminationem villarum, quarum reditibus vivere solebat, ascenso mox equo reversus est.

5. Quo egresso, susceperunt cives nostri sine regio dono Adalberonem[a], filium Beatricis nobilissimae ductricis, [matris[b] Theoderici ducis]. Qui cum aliquantisper episcopatum tenuisset[42], defuncto Mettense episcopo, ad eandem se contulit civitatem, episco- 984. patu isto relicto. Ad quem cum venissent nostri, susceptis eis cum honore, baculum reddidit.

6. Huic successit domnus Adalbero, filius comitis Godefridi, qui fuit avus ducis Godefridi, qui postea, accepta uxore principis Bonefacii, factus est marchio Italorum. Hic[b*] vero honestus fuit atque humillimus, sed valde infirmus, tantamque corporis sui passus est inbecillitatem, ut ipso eodem anno benedictionis suae Salerniam causa salutis exposceret, nostris secum comitatis. Qui cum ibi moraretur, et a medicis curari non posset, reversus est Italiam, ibique ingruente morte, vocatis omnibus suis, tradidit abbatiam sancti Germani[43] cuidam Rodulfo nepoti[c] suo, qui vixit usque ad tempora domni Richardi episcopi plenus dierum; aliaque multa suis distribuens, mortuus est[44]. Cuius corpus ab 991? Italia delatum a fratre suo comite Frederico, positum est in aecclesia sua in choro sanctae Mariae ante gradus, et veneratur ibi summo honore et reverentia usque in praesentem diem. Vixit autem in episcopatu tribus semis annis[45]. Horum ergo pontificum nostrorum 45 temporibus, defuncto domno Humberto primo abbate aecclesiae sancti Vitoni, gubernata est eadem aecclesia per annos ferme 60[d] cum omni honorificentia a viris illustribus et singulari industria pollentibus, Adelmaro, Adelardo, Ermenrico, Rohardo[e], Lanberto et Fingenio abbatibus, donec temporibus domni episcopi Heymonis suscepit ipsam aecclesiam gubernandam, ut post dicemus, domnus et venerabilis pater Richardus, noviter in ea monachus factus, qui fuit de primoribus aecclesiae sanctae Mariae Remensis canonicus et vir valde religiosus.

7. Aecclesia vero Virdunensis tantis praelibatis pastoribus viduata, pastorem, a quo vere pascenda foret, et patrem, a quo benigne nutrienda et diligenda esset, tum genere tum moribus nobilissimum Heymonem, de quo paulo ante diximus, meruit a Theutonica. Qui loco sibi commisso non parum[f] profuit, cum aecclesiam perbrevem magna ex parte ampliaverit, decoraverit, extulerit, cum praebendae fratrum Superiacum et alia plura data vel praestaria adquisierit, cum etiam suae et successorum suorum mensae a Heinrico pacifico rege, fideliter obsequendo strenueque se habendo, Iupiliam impetratam addiderit. O quanta viri huius erga aecclesias sollicitudo, cum aecclesiam beati Iohannis baptistae mutaverit, mutatam ampliaverit, ampliatam Mauro presuli sanctissimo consecraverit, cum sanctimonialium congregationem inibi ordinaverit, et congregationi necessaria ex rebus maioris aecclesiae providerit! Diligedat iste aecclesias, diligebant et sui; operibus piis instabat, instabant et sui. Nam eius exemplo eiusque desiderio Amicus praepositus aecclesiam sanctae Crucis aedificavit, canonicos duodecim locavit, quibus necessaria ex praediis suis et ex aliunde adquisitis providit. Ad ultimum petitione episcopi locum illum Sancto Mauro subdere non recusavit. Dudo etiam praepositus apud castellum Desluwarth[46] aecclesiam in honore sancti Laurentii constituit, canonicos ordinavit, ordinatis necessaria disposuit, magnisque operibus cum magno labore et cum miro decore [castrum illud[g]] ad effectum usque perduxit. Post haec a pio pontifice paterne exceptus est aliunde adveniens pater Ermenfridus, et benigne retentus adiutusque aedificavit aecclesiam sanctae Mariae Magdalenae, canonicisque ordinatis cum summo laboris ardore necessaria providit; utpote, qui patrimoniis carebat, regibus obsequendo, principibus adhaerendo, omnibus se submittendo, et cum mira sollicitudine Deum praecipue invocando, multa adquisivit. Huic plus contulit vita quam pecunia, plus pia[h] apud Deum et homines devotio quam aliqua possessio; plus profuit meritum quam prodesse potuisset aliquod patrimonium.

a) adalboronem 1. b) m. t. d. *superscr.* 1. *habet etiam Hugo Flav.* b*) His 1. c) nepote *corr.* nepoti 1. d) LXX *corr.* LX 1. e) roardo *superscr.* h 1. f) parũ::: 1. g) c. i. *deleta* 1. h) *superscr.* 1.

42) De hac re vita Adalberonis infra edenda nihil tradit, ita ut merito dubitari possit, an duo Adalberones Virduni sederint, cf. Wilmans Jahrbücher II. 2. p. 146 sqq. 43) Montfaucon. 44) V. Necr. Fuldense a. 991. 45) Quod minus recte dictum est, cum Adalbero a. 984 -991. sedem Virdunensem tenuisse videatur. 46) Dieulewart; cf. diploma Conradi regis ap. Mab. Ann. IV. p. 716.

8. Sub eodem tempore venerabilis pater Ricardus, qui fuit, ut praediximus, de primoribus Remensis aecclesiae, vir maximae religionis, seculo renuntians, Fingenii abbatis 1004. huius aecclesiae successor factus est. Quam aecclesiam una cum imperatore Heinrico Magno in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Vitoni aedificavit, et ad effectum usque perduxit. Vita huius spectabilis vitam multorum reddidit spectabilem. Religio huius non habentibus inculcavit, habentibus augmentavit religionem; immo quicquid iste fuit, non tantum sibi subditis sed et extraneis non mediocriter profuit. Saluti aliorum ut suae invigilabat, correctioni aliorum ut suae applaudebat. Si aliquis converteretur, sua erat conversio; si bene operaretur, sua erat operatio. Talis vita, talis inquam fama, conplures ammonuit vivere in Christo, cum disponeret mori seculo. Nobiles se reputabant ignobiles, fortes existimabant se debiles, et ut tantae vitae conformarentur, quicquid erant, non[a] esse omnino nitebantur. Huius exemplo, huius inquam desiderio, progenies ducis Godefridi praecipue abrenuntiavit seculo. Fredericus etenim, comes venerabilis, huic patri se filium commendavit, huic domino se servum subdidit; praediis aecclesiam auxit; cui non solum sua, sed et se ipsum ultro contulit. Et quia se occasio praebuit de comite Frederico, placet exempli gratia paulo latius conversionem beati patris replicare, maxime quia multis credimus gratum fore.

9. Hii igitur praeclarissimi viri, videlicet venerabilis pater Ricardus et inclitus comes Fredericus, initium conversionis in hac aecclesia Deo donante pariter disposuerunt habere. Erat tunc ipsa aecclesia rebus inobs, aedificiis angusta, parum laudabilis conversatione religiosa, quam nonnisi septem Scotti monachi sub abbate suo, tamen magnae sanctitatis 45 viro, nomine Fingenio[45] incolebant. Ergo cum religionis propositum, ad quod pie fervebat, novella plantatio minime se invenire tristaretur, insedit animo, ut id quod desiderabant Cluniaco apud sanctum patrem Odilonem ardenti corde perquirerent. Quo cum pervenissent et propositum animi tanto patri exposuissent, vir sagax et industrius respondit cito, ibi eos habitare non oportere, ubi nulla supererant, quae eorum exemplo corrigerentur, quin potius redirent ad propria, ut per eos illic fructificaret seges Domino placitura. Qui cum eius suasionibus deliniti redissent, nec cohabitatores suos ad votum 46 corrigi, in dies corde tenus dolerent, iterum migrandi alias consilium habuere[46]; sed Deus omnipotens, cuius dispositioni nullus valet contraire, aliter id quam voluerunt ordinavit. Erat namque tunc temporis quaedam religiosa femina in reclusione vitam solitariam ducens apud aecclesiam beatae Mariae, die et nocte orationibus et ieiuniis et vigiliis studiose insistens. Huic nocte ipsa, qua consilium migrandi fuerat, divinitus imperatum est, ut ab ergastulo illo, quo se per plures annos obstruserat, egrederetur, et abbati nuntiaret, quatinus praedictos viros, quod solum restabat, monachili professione sine mora devinciret, ne eos aecclesia funditus amitteret. Quae iussis obtemperans, omni mirante populo egreditur a cellula et visa vel audita abbati nuntiat. Qui ilico eos convocans, secundum regulae praeceptum stabilitate firmari compulit. Post tres autem menses, forte[b] ultima urgente, Fingenius abbas defunctus est, et in aecclesia sancti Felicis extra muros Mettensium civitatis honorabiliter sepultus. Quo sepulto, hic venerabilis pater Dei ordinatione abbas substituitur. Cuius temporibus quantis aecclesia ista honoribus augmentata sit, quanta religione emicuerit, qualibus aedificiis excreverit, palam cernentibus est. Mathildis Saxoniae comitissa non parva erga[c] hunc patrem et pro patre erga hunc locum exarsit benivolentia, ornamenta plura contulit, crucibus et tabulis aureis et textu cum filio comite Herimanno altare decoravit, multa et redemptionis et salutis suae mutua negotia, quibus adhuc honoratur quibusque valde commendatur, aecclesiae praebuit. Haec comitissa comiti Godefrido copulata, quinque filios ex ipso genuit, videlicet Adelberonem, nostrae civitatis post Wicfridum episcopum, et praedictos Fredericum et Herimannum comites, duos quoque ducatus prosapia pollentes Godefridum atque Gozelonem. Praedictus Herimannus tradidit beato Vitono Rogeri curtem et Felsicam cum bono, quod

a) non erant *corr.* erant non 1. b) *an* sorte. c) *deest* 1.

45) *qui abbatiam sancti Felicis extra muros Mediomatricae urbis conditae cum ista regebat,* vita S. Richardi c. 4. 46) *in vicino sancti Pauli monasterio, ubi tunc sub Herrino abbate novella plantatio florere coeperat et in dies fructificare satagebat, habuerunt migrandi consilium,* vita S. Richardi c. 5.

vocatur Hasluth in comitatu Brabanteno, atque Munau cum dimidio Mosomensi mercatu; in Harvia quoque triginta mansos cum familia magna, in Geavia duas aecclesias cum capella indominicata, et alia multa. Pater vero eorum tradidit Borracum atque Forbacum. Godefridus etiam dux Fontagiam villam ob fratrum suorum memoriam saepe dicto contulit sancto. Supradictus quoque comes Fredericus, dum adhuc esset in laicali habitu, praebendae fratrum sanctae Mariae omnes centanas eorum potestatum, quibus multum inquietabantur, ob remedium animae suae, Hierosolimam pergens, reddidit. Turres lapideas aecclesiae beati Vitoni de proprio suo fecit, et multa alia bona eidem loco contulit, ubi et cum duobus fratribus suis sepultus requiescit. Lietardus quoque, imperatoris Conradi nepos et consanguineus, Bailodium[47] tradens, sub eodem reverendo patre in eodem 47
loco factus est monachus. Pius autem pater Ricardus vixit usque ad tempora domni episcopi Ricardi, quem de sacro fonte suscepit, rexitque monasterium per 42 annos vita venerabilis et honestate vitae omnibus amabilis. Mirabilis erat in religionis proposito patris huius instantia, cui aspirare, cui adhaerere nitebatur omnis aecclesia. Cuius institutionibus tota gaudet Francia, et dum religionis habet vestigia, triumphat Lothariensis patria. Quid plura? urbi nostrae quanto maior vita huius commoditas, mors eius fuit, non dicam incommoditas, sed tanto amplior evenit infelicitas. Huius non tantum in nostra aecclesia, verum per totam Franciam seu Lotharingiam manet dulcis memoria.

Hii patres, qui tot bona aecclesiae contulerunt, sub domno Heymone episcopo fuerunt, qui vixit in episcopatu 36 annis.

10. Tam pio praesuli successit praesul Raimbertus, bona defendere aecclesiae, et si 1024.
non posset ampliare, sollicitus[a], omnibus suis non parum commodus, religionis et eorum qui sui ordinis erant amicus. Ad aecclesiam etiam sanctissimo Agerico praesuli honeste aedificandam ardentissimus. Vix autem desideratum opus inceperat, vix monachos locaverat, vix necessaria providerat, et desiderio sancti sepulchri peregrinationem est aggres- 1038.
sus; in qua mortuus, et in via Bellagrada sepultus, tandem a canonicis suis, videlicet Bernero Constantii filio et Bernardo, miro ardore relatus, et a civibus suis desideranter exceptus, sub tempore piissimi episcopi Ricardi et Baldrici abbatis in aecclesia sancti Martini sanctique Agerici a se incepta honorifice est sepultus. Hic sanctae Mariae duas cappas optimas et duo ventilabra aliaque honorifica ornamenta cum magna devotione contulit. Vixit autem in episcopatu feliciter 14[b] annis.

11. Dolorem vero totius urbis ex morte tanti praesulis mitigavit canonice facta successio venerandi Ricardi pontificis, cuius benignitas, cuius inquam strenuitas spes erat honorandae urbis, spes retinendae religionis, spes conservandi aecclesiastici ordinis. Suscepit ut dux patriam, ut pastor aecclesiam, providus erga utrumque. Attamen singulari pacis sollicitudine suscepit episcopatum tempore Heinrici regis, augusti Conradi filii, onus reputans non honorem, laborem non quietem, erga sibi commissos singulare studium non remissionem vel ocium. Quod episcopi erat strenue gerebat, parietes aecclesiae decorans, interiores vita merito moribus, exteriores ornamentis decentibus. In quorum apparatu, in quorum sumptu singulariter aestuabat, quibus etiam omne votum omnemque curam postponebat. Hic autem aecclesiae sanctae Mariae, cui praeerat, cum magno studio contulit cruces duas de auro et lapidibus pretiosis factas, candelabra sex argentea, turibulum auri trium librarum, quod Heinricus, nondum Romani sceptri monarchiam tenens, pro nimio amore, quem erga illum habebat, honestissimo opere fieri iussit. Tradidit aecclesiae beati Vitoni isdem venerabilis pontifex alodium suum, videlicet Baronis curtem[48], et quod habebat ad Domnam Mariam pro amore nutritoris 48
sui domni Ricardi abbatis eximii. Praedictus etiam Heinricus optimam acerram eidem episcopo cum gemma pretiosa dedit, casulas pontificales duas auro honorifice compositas, et alias septem sine auro dedit. Stolas autem auro decoratas et alias sine auro, albasque septem cum amictis aurifrisio[49] paratas hisdem episcopus acquisivit. Cappas multas dedit, auro tamen aptavit duas a Raimberto episcopo datas. Pallia multa dedit, dorsalia tamen 12 optima cum cortina una valde pretiosa contulit. Redemit pallium unum cum aurifrisio, quod antea aecclesiae fuerat. Vexilla duo, calicem unum de onichino, et alium cristallinum, quem omnino auro et lapidibus parari fecit. Aliud turibulum argen-

a) defendere s. 1. b) XV. corr. XIIII. 1. 47) Baileu. 48) Baroncourt. 49) opus acu pictum.

teum auro coopertum, duo minora argentea, et tria manutergia, unum aureum et duos urceos cristallinos. Huius tempore vir religiosus decanus Warmundus cappam unam, quam sibi rex dederat, huic aecclesiae contulit. Hic autem alodium de Wosophia cum omnibus appenditiis suis a quadam vidua nobili Raingarde prestaria sua et magna pecunia acquisivit, et fratribus sanctae Mariae eo tenore tribuit, ut in die annuntiationis eiusdem virginis servitium ex eo haberent et eam sollempniter celebrarent.

1044. Fuit enim suis diebus magna dissensio inter Heinricum regem et ducem Godefridum, qui cum rege pacem aliter habere non potuit, donec centanam de Wandelini curte et alia iura, quae tunc temporis potestative in hac civitate tenebat, eidem episcopo et aecclesiae reddidit.

Fuit enim pax et veritas in hoc episcopatu in diebus eius, intusque et exterius omnes pace fruebantur. O quantum polleret et gauderet civitas, si habuisset hunc continuum pontificem! quantum triumpharet aecclesia, si meruisset hunc superstitem! Cuius vita non sibi tantum sed et aliis omnimodo proficiens, quantum amplius contulit gaudium, mors acerbe et infeliciter septimo anno superveniens, tanto[a] ampliorem mole-
1046. stiam et post mortem venerabilis abbatis Ricardi ipso anno secundum grave adduxit infortunium. Qui venerabilis episcopus quam desideranter mortem sustinuerit, testantur omnes qui exequiis saepe dicti abbatis interfuerunt. Nam cum extrema infirmitate urgeretur idem venerabilis pater, domnus episcopus cotidie eum visitabat, flens et dolens, se superstitem relinqui. Tandem ultima die summo mane adveniens, et videns eum iam extremum spiritum trahentem, eius nutu ad altare sancti Laurentii accessit, missam pro eius resolutione celebraturus. Qua praedicta, ad patrem rediit, et ultimum valefaciens, eius in oscula lacrimando ruit. Tunc anima tanti amici Deo commendata, eius corpus per se lavit, et de suo proprio eum honorificentissime induit[49]. Tertia vero vigiliarum ipsius peracta die, dum post missarum celebrationem in mausoleum eum venerabilis pontifex deponeret, exosculans pectus illius, oravit, quatinus pro eo intercederet, ne per annum ei superstes relinqueretur. Quod eum impetrasse, veris indiciis approbatur, dum venerabilis abbas 18. Kalendas Iulii migraverit, et ipse venerandus pontifex
Nov. 7. infra spatium medii anni, 7. scilicet Idus Novembris, subsequutus sit. Anima huius requiescat in pace, et memoria eius viventibus sit continua et posteris in secula seculorum, amen.

Obiit autem beatae Mariae Ricardus episcopus in ista civitate Virdunensi, et sepultus fuit in sinistra parte maioris aecclesiae sanctae Mariae iuxta chorum, ad cuius pedes erat altare in honore sanctorum Nicholai atque Germani consecratum, in quo ante incendium aliud ipsemet consecraverat in honore sancti Nicholai et omnium confessorum. Isti et omnes sancti intercedant pro peccatis eius ad dominum Deum nostrum, qui vivit et regnat in secula seculorum, amen.

Nunc autem in medio monasterio sanctae Mariae requiescit in Christo pontifex ipse Ricardus venerabilis, translatus a domno Theoderico successore eius feliciter regnante episcopo, cum omni veneratione celebriter repetitis exequiis, acsi in ipsa die de hac vita migraverit. Hic supradictus Ricardus ante assequutam episcopatus sui consecrationem, quasi peccatis suis exigentibus, urbi contigisse miserabilem paterne doluit infelicitatem, palatia esse incensa, aedificia antecessorum omnimodo diruta, et quicquid prius ad gloriam, hoc redactum in ruinam, quicquid erat in suum et coepiscoporum honorem, hoc destinatum in miseram destructionem. Quantum autem doluerit, testata est mature satis-

a) ::tanto 1.

49) Vita S. Richardi pergit: *Nec eum in crastinum sepeliri passus est, sed post huius ecclesiae primas vigilias, prius apud sanctum Maurum, deinde apud sanctum Paulum ei vigilias instituit, ipseque omnium vigiliis studiosus interfuit. Tertia demum die, ordinatis omnium ecclesiarum processionibus cum summo honore ad suae sedis ecclesiam reportavit, et dictis missis exsequiisque celebratis, cum iam sepeliendus esset, idem pontifex a parte capitis eum elevavit, et cum multis lacrymis pectus et manus deosculans, et cum digno honore sarchophago recondens, oravit et obtestatus est eum, ne eius superstes per annum maneret. Tantus fuit dolor et devotionis amor viventis circa defunctum, tantus affectus et exauditionis effectus defuncti circa viventem, ut eodem anno, vix emensis quatuor mensibus, idem venerabilis episcopus defunctus fuerit cum maximo dolore totius patriae. Discessit autem a corpore venerabilis pater et amantissimus pastor noster, caelo plaudente, terra plorante,* 18. *Calendas Iulii, anno incarnationis dominicae* 1046. *indictione* 14. *concurrente* 2. *epacta* 11. *et migravit ad Dominum.*

facta reaedificatio. O quantum providus erga suam salutem, quantum sollicitus erga suorum redemptionem, cum pro anima patris sui comitis Hildradi, qui cognominatus est Hecelinus, viri militaris, viri in seculo strenui, Theonis curtem cum appenditiis omnibus sancto Petro sanctoque Vitono iure hereditario tradiderit**.

11. Huic successit domnus Theodericus, vir Theutonicus, aecclesiae Basileiensis canonicus; cuius temporibus multa adversa passa fuit aecclesia ista. Secundo enim episcopatus sui anno civitas Virdunensis combusta est a duce Godefrido et comite Balduino, 1047. una cum monasterio beatae Dei genitricis Mariae. Qua combustione civitas ista magnum dispendium passa est. Huius temporibus post transitum venerabilis patris Ricardi abbatis coenobium istud suscepit regendum domnus Walerannus.

**) 2. *historiae fine omisso addit:* cum etiam sancte Marie Magdalene pro se suisque, pro merito inquam Ermenfridi religiosi sacerdotis de Marionis curte partem suam legaliter addiderit, ad hoc quod maiorem eius affectum ostendit a choheredibus suis partium suarum eandem traditionem[a] fieri optinuit. In episcopatu consecratus, vita[b] moribus cepit esse religiosior; in seculo ditior factus, ecclesiis in beneficiorum agmento[b] cepit esse commodior. Nam sancte Marie Magdalene dimidiam partem beneficii cum banno apud Ornam, ab antecessoribus suis, a se ipso diu ab ecclesia possessi, devote contulit. Curtem unam optimi alodii in urbe sitam eidem ecclesie addidit suorumque coheredum assensum et traditionem non minori studio impetravit. Patris huius religiosi Rambertus antecessor, religiosus erga urbem, erga ecclesiam, ut dictum est, fuit studiosissimus, qui ecclesiam sancti Martini *permodicam diruit, dirutam reedificavit*[c], reedificando ampliavit, et eam beato Agerico presuli, ordinatis ibidem monachis, ante expletum opus devote consecravit. Circa autem hanc ecclesiam efferendam tanta fuit huius diligentia, circa opus exequendum tanta huius instantia, ut locum ipsum sancto Paulo subditum monachorum prebende destinatum absolvere liberum facere *non* neglegeret *nec*[d] differret. *Sed* recompensationem *dicte ecclesie promiserat* se facturum, si spes vite longioris *protraxisset. Sed* mors eius inmature superveniens fefellit animum, intercepit quod habebat desiderium. Que res monacos sancti Pauli, cum studio bonum suum recuperandi, tum[e] maiori desiderio ipsum locum suo subdendi, movit in causas, in lites, in querimonias; quod ut facilius optinerent, *causam suam ad curiam Romanam* deferendo, nulla difficultas, nulla eos removit inportunitas. Presul vero Ricardus, unicus custos pietatis, precipuus augmentator ecclesiastici honoris, desiderio Ramberti patris suum communicat desiderium, studio illius suum studium, dum eque et amplius valens beneficium reddidit illis apud suam curtem Iupilia[f]. Quo dono regiis cartis et apostolicis privilegiis confirmato, libertate illi loco [scilicet ecclesie sancti Agerici[g]] adquisita, omnem absolvit querimoniam. Id fructus, id honoris loco suo contulit episcopatus spe suarum ovium brevior. Et quid si desideriis eorum vita diuturnior, secundum apostolum Christus erat sibi Phil.1, 21. vivere, secundum eundem episcopatum habere bonum opus desiderasse, non parva operum testatus 1. Tim. 3, 1. est execucione.

a) traditionum 2. b) *sic.* c) *Quae litteris obliquis excudenda curavi, in codice* 2. *in loco raso ab alia manu scripta sunt.* d) f. neglegeret et differret *corr.* f. non negl. nec d. 2. e) tunc 2. f) inpilia 2. g) *haec superscripta sunt* 2.

FOLCUINI
GESTA ABBATUM LOBIENSIUM.

Ansegisi, qui saeculo IX. abbatum Fontanellensium gesta scripserat, exemplum
1 *fortasse secutus Folcuinus*[1] *exeunte saeculo decimo gesta abbatum monasterii, cui*
ipse praeerat, Laubiensis scribenda suscepit. Qui illustri editus loco[2], *scilicet Ka-*
roli Martelli ex Hieronymo filio posteris accensendus[3], *a patre Folcuino, qui*
a. 928. *cum fratre Regenwala corpus S. Folcuini episcopi elevaverat, et matre*
Thiedala a. 947. *puer ex Hlotharingia ad monasterium Sithdiu adductus et a.*
4 948. *die S. Bertini*[4], *„in ipsis paene crepundiis propinquorum curis multimoda*
infestatione cessantibus“[5], *Sancto Bertino oblatus et monachus effectus est.*
Ubi litteras tam sacras quam Romanorum edoctus, anno 961. *chartas mona-*
sterii bifario ordine temporis et rerum dispositas, insertis abbatum gestis, col-
legit[6] *et Adalolfo abbati inscripsit. Anno* 965. *iuvenis adhuc ab Everacro*
episcopo Laubiensi monasterio praepositus, et die natalis Domini Coloniae
7 *Ottone I. praesente ordinatus est*[7]. *Viginti quinque annis abbatiae curam*
gessit, quibus non solum possessiones eius et iura tutatus est, sed monasterium
Nothgero episcopo auctore aedificiis, ornatu ecclesiastico, campanis et libris
auxit[8]. *Intercedebat ei commercium cum viris sui temporis doctis, cum Rathe-*
rio e. g. quem Verona exulem ipse Laubiis suscepit et ingratum expertus
est, cum Adalberone Remensi archiepiscopo, quem Gerberti aliorumque viro-
9 *rum eruditissimorum patronum Remis visitavit*[9]. — *Abbatum praedecessorum*
suorum gestis scribendis optime instructus accessit. Evolverat enim chartas
et epistolas in scriniis ecclesiae adservatas[10], *et alia coenobii monumenta,*
martyrologia perantiqua[11], *inscriptiones*[12], *catalogum abbatum*[13], *annales etiam*
brevissimos[14] *ad sua tempora usque productos, legerat vitas Ursmari et Ermini*
16 *abbatum*[15], *scripta historiam vicinorum episcopiorum, Leodiensis*[16] *et Remen-*

1) Folcwinus, Folcuinus, Folquinus, Fulcoinus, Fulcuinus, Volquinus idem est. 2) Gesta abb. Lob. cap. 28. Folcuino in chartulario S. Bertini auctore, Karolus Martellus genuit Hieronymum, Hieronymus sanctum Folcuinum episcopum et Odwinum, Odwinus item Odwinum, Odwinus iunior Folcuinum et Regenwalam, Folcuinus item Folcuinum diaconum et monachum S. Bertini. 3) Siquidem a Folcuino chartularii S. Bertini auctore haud diversum habeo. Res rationibus a Mabillonio Act. IV. 1, p. 623. allatis minime conficitur; nam quascumque utriusque distinguendi rationes affert, aut nullius momenti sunt aut eundem fuisse virum magis persuadeant. Quod Folcuinus abbas in vita quam edidit Folcuini episcopi iis, quae diaconus a. 961. in chartulario Sithiensi de eodem Sancto, proavo suo, iisdem verbis scripserat, nonnulla addidit; quod Sancti matrem in chartulario Ermentrudem, in codicibus duobus vitae, qui Mabillonio ad manus fuerant, Ercensendam, quod in chartulario equum funus praeiisse, in vita equum funus praeeuntem lacrimasse legimus; denique quod auctor uno loco se S. Folcuini parentem fuisse dicit, altero silet, et ad tumulum Sancti Folcuinum monachum — et duo tunc eiusdem nominis monachi in S. Bertino degebant — sanatum tres elegos in laudem Sancti composuisse scribit: diaconum ab abbate diversum haud evincunt. Contra uterque nobili Hlotharingorum genere oriundus, uterque puer S. Bertino oblatus et a. 961. et 965. ibi monachus degens, uterque chartis antiquis tractandis assuetus, uterque inter scriptores locum tenens, et vitae S. Folcuini alter in chartulario brevior, alter in opusculo postea edito prolixior editor, nonnisi unus idemque homo mihi fuisse videtur. 4) Chartularium Folcuini ap. Mabillon Acta SS. O. S. B. Saec. IV. I. p. 623. 5) praefat. ad vitam S. Folcuini ibid. p. 624. 6) Mabill. Ars dipl. p. 235. Chartularium ipsum a V. Cl. Guérard mox edendum expectamus. 7) Gesta abb. Laub. c. 28. Ann. Laub. supra p. 17. 8) Contin. gestorum. — In epistola vero Lobiensium ap. Baldericum chron. Cam. I. c. 105. negligentiae insimulatur. 9) ib. c. 7. 10) ib. c. 21. 16. 8. 6. 3. 11) ib. c. 7. 12) ib. 13) ib. c. 9. 14) cf. supra p. 9. 15) c. 9 16) c. 18. vitam Lamberti auctore Stephano episcopo.

sis[17]*, attinentia, annales Francorum*[18]*, et Einhardi*[19] *atque Ruotgeri*[20] *opera,* 17
unde sententias immo capita integra mutuatus, narrationem adornare conatus est. Nec tamen ingenio materiem superavit. Nam narratio saepe ieiuna et nonnunquam minus recte disposita[21]*, sermonis quoque vitiis obnoxia*[22]*, tantum ubi auctoris aetatem attingit, maiorem sibi favorem conciliat. Ultima operis capita auctorem — quod in Flodoardum etiam cadere vidimus — veritatis non minus studiosum quam miraculorum credulum comprobant.*

Liber Laubiis circa annum 980. *editus*[23]*, in monasterio ipso, tum Tornaci,* 23
et, si Foppensio[24] *credere fas est, Gemblaci adservatus, saeculis sequentibus continuationibus auctus, Sigeberto Gemblacensi*[25] *et auctori vitae S. Ursmari apud Chesnium vulgatae*[26] *necnon Trithemio*[27] *innotuit. Saeculo demum XVII. una cum continuationibus ope Lobiensium male descriptus in Spicilegio Dacherii*[28] *prodiit. Editioni nostrae quum subsidia antiqua frustra quaererentur,* 28
contigit tandem, ut Bethmanno in bibliotheca regia Bruxellensi, mihi Parisiis apographa saeculo XVI. et XVII. confecta obvenirent, quae praecipua Waitzii opera in usum nostrum conversa gratulamur:

1) *C. olim monasterii B. Mariae de Nazareth Morinensis dioceseos, postea Societatis Iesu Tornacensis, cuius aliquot lectiones in margine codicis regii Bruxellensis N.* 7816 *adnotatae leguntur. Complures loci maioris momenti, praefatio et capita* 25. 30. *sqq. in cod. Bruxellensi prius omissa, codici huic iam deperdito debentur, quem satis diligenter quidem sed non ubicumque intererat exscriptum dolemus, quare de lectione eius haud raro dubitatur.*

1*) *C. regius Parisiensis inter libros S. Germani „Résidu fasc.* 90 *n.* 4.“ *insignitus, chartaceus, apographum codicis Lobiensis continet, Dacherio quod typis ederetur transmissum. Qua de re Dacherius notavit:* Ad me transmisit D. Simon Guillemot monachus S. Gisleni a. 1660. transcripta a domino Gregorio Sergeant subpriore Lobiensi. *At scribam saepius, praecipue in continuatione Folcuini, non codicem secutum esse sed suum scribendi modum textui ingessisse suspicatus, eo nonnisi in capitum divisione, titulis atque in ultimis capitibus usus, Baluzii exemplar, de quo iam sermo erit, plerumque expressit, continuationem vero ex Lobiensi edere coactus est.*

2) *C. regius Bruxellensis N.* 7816 *chart. sec. XVI. in fol. min. diligenter ut plurimum scriptus atque cum codice B. Mariae de Nazareth* (1.) *collatus. Folcuinum cum continuationibus excipit libellus historiae Laubiensis* „Multi multa loquuntur de statu monasterii Lobiensis etc.“ *in fine mutilus. Evolvimus quoque*

2*) *C. regium Parisiensem inter schedas Baluzii Armar. II. fascic.* 1. *n.* 3. *adservatum. Plagulas istas ex Bruxellensi, in monasterio Rubeae vallis tunc temporis, ut videtur, adservato*[29]*, descriptas et a Dacherio in editione sua expressas esse, Waitzius animadvertit. Scriba Tornacensis codicis supplementa textui inseruit, lectiones modo Tornacensem modo Bruxellensem suscepit, ex continuationibus nonnisi* $4\frac{1}{2}$ *plagulas decerpsit. Superstite igitur Bruxellensi, ut nullius momenti a nobis plane neglectus est.*

17) c. 7. — Flodoardi historiam Remensem. 18) v. Prologum, c. 2. 19) passim; v. infra. 20) c. 25. 21) cf. praecipue capp. 14—17. 22) e. g. deponens loco passivi usurpat. 23) superstite Adalberone archiepiscopo, qui anno 990. mense Ianuario obiit. 24) Bibl. Belgica I. 25) de scriptoribus ecclesiasticis c. 136. et vita Wiberti. c. 13. 26) SS. Franc. I. 688. 27) de viris illustribus ord. S. Benedicti II. 60. qui tamen de SS. eccl. 296 pariter atque Andreas Bamberg. haec Hilduino episcopo tribuit. 28) T. VI. 541 et novae edit. T. II. 730. 29) Nam monasterii nomen in superiore margine apographi huius legitur.

3) Ex Tractatu de miraculis S. Ursmari a monacho Laubiensi ope Folcuini et continuationis eius conscripto, quem Henschenius in Actis SS. April. II. 563 sqq. Folcuino tribuit, varias lectiones decerpsimus.

Quibus subsidiis, praesertim codice Bruxellensi, adhibitis, si non textum ubique authenticum, proxime tamen ad genuinum accedentem proponere licet, ut collato Ruotgeri opere evincitur.

Continuationem libri, qua Folcuinus Nothgero episcopo adminiculante
29 *Lobiensis*[29] *monasterii immunitatem a. 972. ab Ottone II. renovatam et a Iohanne XIII. papa confirmatam*[30] *impetrasse, pauperibus etiam post obitum suum alendis et vestiendis prospexisse, librorum et ornatus ab ipso in monasterio repertorum et eius opera comparatorum recensum reliquisse traditur, collectioni nostrae suo tempore inserturi sumus.*

Obiit Folcuinus anno 990, edita tamen et vita S. Folcuini episcopi Tarvannensis, quam antiquae necessitudinis testem Waltero abbati S. Bertini inscrip-
31 *serat*[31]*: eum eidem et vitas SS. Audomari, Bertini, Winnoci et Silvini inscripsisse*[32]*, non minus dubium esse videtur, quam quod Trithemius sermones et homelias complures ei tribuit*[33]*.*

Sepultus est in ecclesia S. Ursmari e latere Ratherii episcopi, hoc titulo
34 *insignis*[34]*:*

Coelebs Folquinus requiescit hic tumulatus,
Nobilitate cluens, abbatis nomine gliscens,
Divinis satagens, humana sophismata callens;
Cuius peccatis veniam lector petat omnis.

PROLOGUS[a].

Diu[b] ab antiquis quaquaversum quis poterat quaestione ventilata, tandem omnium tam philosophorum quam spiritualium patrum animis sedit sententia, nobisque inviolabiliter tenendam mandarunt, non fortuitis mundum volvi casibus, sed ad nutum praesidentis et creatricis omnipotentisque Deitatis cuncta regi per providentiam, secundum ineffabilem dispositionis suae ordinationem, antequam quidquam proderet in tempore. Vis enim Deitatis omnipotentissima, cuique[35] quod est esse perfectum est, rerum formas per principales quasdam materias penes se semper perfectas habuit; sed quando voluit, et ubi voluit, et quomodo voluit, nobis visibiles fecit, nec ei ut creator esset [ex tempore[c]] accessit; quippe cum tempora eo ordinante coeperint, et ipse in tempore cuncta ordinaverit, ut qui merito creditur creator, teneretur et dispensator. Tempora quippe diebus et numeris constant; et quando legimus aut audimus, illo vel illo die fecit Deus hoc vel illud, tempus utique vel numerum intelligimus. Ergo Deus est creator temporum[d], cum et ipse antiquior sit tempore cuius creator est, et cuncta creaverit[e] in tempore. Fecit quidem[f] et ipsa tempora dissona inter se parilitate disiuncta, sed ad nutum suum invicem convenientia, ut non confundantur quae putantur confusa, sed potius alternatim sibi congruentia ordinatam quandam rem publicam faciant et perfectam. Ipsa quoque quibus subsistimus elementa sibi invicem contraria, in unius corporis habitudinem ita grata pari-

a) Sequitur super gesta Lobiensium abbatum prologus 1. *deest prologus* 2. b) Dixi *corr.* Diu 1. c) ex tempore *desunt* 1. d) temporis 1*. e) creavit 1*. f) quippe 1*.

29) Ann. Laubienses supra p. 17. 30) ib. a. 973; sed obierat a. 972. 31) Mabill. Acta SS. l. c. — Rivet histor. litt. Franc. VI. 454 eam c. anno 970. scriptam esse coniicit, sed verba *„quem Laubiensium dicunt abbatem"* humilitate consueta (v. Gesta abb. Lob. c. 28.) adiecit. Walterus a. 996. obiisse dicitur; cui et Adalolfo a. 961. abbati tres alios interfuisse legimus. 32) Tali opinioni prologus vitae S. Folcuini ansam dedisse videtur. 33) cf. Hist. litt. Franc. l. c. p. 458. Homilia de zizaniis ad Math. 13, 25 sqq. olim Lovanii in bibl. S. Martini extitisse dicitur. 34) Martene coll. IX. p. 964. 35) *i. e.* et cui esse perfectum est, quodcumque est.

litate conveniunt, ut discrepata non discrepent, immo si unum alteri dempseris, hominem simul interimas. Temporalis quoque motionis similis causa est. Quid enim magis contrarium, quam nox diei, tenebrae luci? Aestas quoque hiemi, hiems[a] aestati repugnat. Veri quoque autumnus, autumpno ver[b] contrarius est. Quis enim in hieme cancri ardorem et dies caniculares expertus est, aut quis aestate nive campos[c] albescere, flumina glacie vidit distendi? Sic quoque nemo umquam in[d] vere musta praegustavit aut racemis usus est, cum ipsa quoque herbarum seu florum diversa genera, quibus ver ornatur et gaudet, autumpni tempore languida marcescunt[e]. Haec autem ordinate venientia et loco suo posita annum perficiunt; quae si non confunderentur, chaos quoddam et imporabile tempus potius videretur quam annus. Hanc autem rerum causam mutabilem immutabilis ratio continet, apud quam non est novum, quod nobis recens apparet, et cui non variantur, quae nobis variabilia esse videntur; ita ordinans cuncta, ut etiam quae putantur mala, non sint inordinata. Summa ergo et principalis, immo sola rerum causa voluntas Dei est. Unde et canimus: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit.* (Psalm. 134, 6.) Nec quidquam foris agitur, nisi quod de interna summi[f] Imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur, sive ad quorundam utilitatem, sive ad occulti iustique iudicii sui ultionem. Quis enim plus diligit[g] quam ille qui fecit? porro quis ordinatius regit quam ille qui fecit et diligit? Ergo non potest quicquam[h] ultra citrave progredi nisi cum voluntate Domini, salvo cum gratia Dei dono hominibus dato liberi arbitrii.

De regnorum quoque successionibus seu permutationibus, quas vel audivimus vel vidimus, non multum mirandum. Ipsius est enim, ut ait psalmista[i], *regnum et ipse dominabitur gentium.* (Psalm. 21, 29.) Et sicut Nabugodonosor[k] sensit, cuicumque voluerit dabit illud. Nam quando voluit, regna statuit, et quando voluit, mutavit. Testatur hoc[l] antiquissimum Assiriorum regnum, quod postea ad Medos, et ad[m] Persas[n] translatum, regnandi finem fecit[o]. Inde ad Macedones, quos multo sanguine sibi[p] acquisivit Alexander ille[p], quem Daniel vel aes in statua vel pardum in visione nominat, magnus utique, magnus ille gurges miseriarum; ad postremum Romanis, terra et mari transactis, copiis praestantibus, non sine nutu Dei cessit imperium. Et de regnis quidem sic hactenus habetur, licet Francorum subinde accreverit imperium, quod quia[q] se Romanis arcibus frequenti et prospero successu, et manu militari, quo delectu optime habundat, infuderit, idque acquisierit fastigium, in Romana tamen re publica est connumerandum. Nam et eadem gens Romanis quadam civilitate coniungitur, cum uterque populus a Troia, illi Aeneae[r] signa secuti, isti Antenore duce per Illiricos sinus ad Meotidas paludes progressi[1], propter 1 nimiam mentis ferocitatem Franci sortiti sunt nomen; qui Gallias demum occupantes, et ceteris id locorum formidabiles, ydolagiam in Christi tyrocinium commutaverunt. Nam rex eorum Clodoveus[s] per sanctum Remigium Christi gratiam baptismate adeptus, gentem suam christianam effecit. Nec distulit[t] rex regum Christus[u] donativum dare sibi militantibus; nam provexit[v] eos regnis, auxit successibus secundis. Inde ad Clodoveos[w], Clotharios, et Dagobertos felix illa et hereditaria permansit successio. Et quare non maneret, quam sapientia Dei, quae[x] ait: *Per me reges regnant*, (Prov. 8, 15.) fide firmabat, aequitate et iustitia roborabat? Testantur hoc episcopia vel monasteria ante id temporis diruta[z] aut nulla, quae abhinc aut rediviva pullularunt aut[*] novis auspiciis inchoarunt. Quae si scriberemus singula, deficeret nobis pagina, praesertim cum nec hoc proposuimus; sufficit ut de nostro tantum dicamus, et quia de loco dicendum est, situm dicamus eius, de quo dicendum est.

1[a]. Est locus, ubi intra terminos pagi, quem veteres a loco, ubi superstitiosa gentilitas fanum Marti sacraverat, Fanum-martinse[2] dixerunt, iuniores a nomine praefluentis fluvii Haynau vocaverunt, et pago Sambrino Sambra fluens blanda et amoena ripa decurrit, quem hinc inde prominentibus collibus planicies quaedam et nemorum opacitas et oportunitas[b] loci gratissimum reddit. In quo loco rivulus delabitur in Sambram, quem Lau-

a) et h. 1*. b) v. a. 1*. c) c. n. 1*. d) in v. *desunt* 1. e) marescunt 1. f) *deest* 1. g) *deest* 1. h) q. p. 1*. i) psal. 1*. praesta 1. (psta *cod. habuisse videtur*). k) nabucodonosor 1*. l) H. t. 1*. m) *deest* 1*. n) persos 1. o) f. f. r. 1*. p) *deest* 1*. q) dicitur 1. r) Aenea *codd.* s) hlodoveus 1*. t) delituit 1. u) *deest* 1*. v) prospexit 1*. w) hlodoveos, hlotharios 1*. x) quem 1. z) aut d. 1*. *) et 1*. a) Topographia gestorum abbatum Lobiensium *add.* 1. b) opportunitas *corr.* oportunitas 2. *et ita infra.*

1) ex Gestis regum Francorum c. 1. sqq. 2) Famars; cf. H. Müller de patria legis Salicae disserentem p. 41—46.

2 bacum vocant, eundemque putant[2] nomen loco dedisse, licet sint aliqui, qui pro oportunitate capiendarum ferarum — undique enim saltu cingitur vicinaque erat Liphtinas[a, 3] fisco tunc regio, et prisco nomine permanente „forestis“ adhuc dicitur, eo quod rex pergens venatum, ibi sibi fieri iusserat obumbraculum ad temperandum solis aestum, quod lobiam vocant — inde putant locum dictum nomine permanente, rivulumque a loco, non locum a rivulo nomen traxisse; quod videtur magis verisimile esse. Teutones hoc astipulare videntur. Nam locus ille eorum lingua Lobach dicitur; et „lo“ quidem vocant obumbrationem nemorum[b], „bach“ autem rivum; quae duo si componantur, faciunt: obumbraculi rivum. Erat autem locus parandis insidiis et latrocinantibus aptus. Nam sicut dictum est, cinctus est silvis et exasperatus scopulis; unde et perpetrato
637. scelere non inveniebatur hostis. Tali ergo oportunitate captata, Morosus quidam, vir huius artis et operis, tali in loco latrociniis insistebat, tempore quo a Clodoveo septimus Lotharius agebat in sceptris. Qui cum minimis sceleribus non usquequaque contentus, grandiora quaeque moliretur et ageret, tandem miserante super his Domino, per sanctum Autberum Cameracensem episcopum, — nam parrochia est ipsius ecclesiae terminus, licet hucusque etiam[c] et Leodiensis protenditur — de Moroso in Landelinum conversus, secundus de Saulo factus est Paulus, et finem viciis dedit, et locum sacris studiis initia-
Rom. 5, 20. vit, ut quem commaculaverat viciis, dedicaret virtutibus, et[d] ubi superabundarat peccatum, superabundaret et gratia, sicut ait apostolus. In quo loco et ecclesiam sibi pro tempore constituens, deflebat quibus antea oblectabatur, manu et labore victum quaerens, lasciviamque carnis ieiuniis et vigiliis domans, et exercebatur summo mentis conamine[e] in his quae sunt Dei, ut omnes mirarentur, videntes commutationem dexterae Excelsi. Talibus igitur exercitiis, pluribus ad id studii confluentibus speculum factus est; sicque Lobbiensis coenobii fundator extitit primus. Sed praeordinatio,
Ps. 35, 7. de qua praeposuimus, Dei, qui non omnibus iudicia sua manifestat — *Iudicia enim tua*, ait psalmista, *abyssus multa* — voluit[f] beatum Landelinum Lobiis demigrare, ut alteri quandoque subsecuturo locus vacaret, ne utique super alterius fundamentum aedificia strueret et detrimentum pateretur, aut[g] ne merita tanta duorum unius loci angustia
4 artarentur. Hiis forte praescius beatus Landelinus Lobiis demigrans, Crispinium[4] petiit.

2[h]. Nec defuerunt adiutores et cooperatores in praedicti loci augmentatione quam plures, licet nomina eorum exciderint; temporibus Clotharii filii Clodovei, qui regnavit annis 4, sed et fratrum eius, Hildrici scilicet[i] regis Austrasiorum, et Theoderici, quem Pippinus[k] debellavit in Textricio, sibique subiugavit sub seque regnum finire permisit post annum regni ipsius Theoderici decimum octavum, Clodovei quoque filii Theoderici, qui regnavit annis duobus, sed et fratris eius Hildeberti, cognomento Iusti, qui regnavit annis septem, necnon et Dagoberti filii eiusdem Hildeberti, qui regnavit annis quinque; qui omnes regnaverunt sub praefato principe, regni tantum eis nomine manente[l]. Quo in tempore — secundum quod in actibus apostolorum, in Asiam volentes ire discipuli, prohibiti sunt a spiritu Domini; servabatur enim[m] Iohanni[n] — beatus Ursmarus virtutum exercitiis[o] omnibus clarus, cui Lobbias apostolatus locum delegaverat Dominus, a Pippino iam dicto principe evocatus, idem
689. monasterium regendum accepit[p] per Hyldulphi interventum, qui erat unus de proceribus regni maioribus. Cuius indicia meritorum fuerunt puer ille[5] et panis matri in oromate[q] praemonstratus et scansio illa beatae scalae a terra coelo tenus; quae omnia quantum beato viro congruunt, ex actibus eius cognoscimus. Forte nec sine quodam praesagio tale sortitus est nomen. „Ursmarus“ enim ex duobus usitatis Galliae locutionum gene-

a) liptinas 2. b) *deest* 2. c) enim 1. *deest* 2. d) ut 1? 2. e) conatu 1. f) noluit 1. g) et 2. h) *Capitula Dacherius ex apographo Lob.* (1*.) *recepit.* i) secundi 2. k) pipinus 1? 2. *saepius.* l) permanente 2. m) quoniam servabatur 2. n) *ita scripsi ex constanti medii aevi usu, et ita etiam* parrochia, cotidie, cartis, auctoritas, conicere, valitudo *et alia, in quibus scribendis* 2. *sibi minime constat, de* 1. *vero nihil compertum habemus.* o) exercitus 1? p) suscepit 2. q) oromate *corr.* aromate 2.

2) cf. Vita S. Landelini Act. SS. Iun. II. p. 1065. quae tamen post Folcuinum scripta esse videtur. 3) Lestines. De ipso in cont. miraculorum S. Ursmari dicitur (Acta SS. Apr. II. 569.): *Liphtinas nomen est fundi in pago Hainoensi, olim sedes regia, cum adhuc pax et iustitia sibi obviarent in terra, nunc* (saec. X. ut videtur) *in beneficium plurimis distributus, vix sufficit annuis reditibus unius.* 4) Crespin, dioc. Cameracensis. 5) cf. Anso Vita Ursmari c. 1.

ribus dicitur[a], Latina videlicet, quam usurpantes vitiarunt[b], et Teutonica; congruum plane beato viro vocabulum. Ursum enim aiunt partum informem lingua lambere, et quod naturae minus est, officio linguae[c] complere. Sic et ille beatus vir carnales quosque, et[d] solum ea quae carnis sunt sapientes, praedicando ad formam sui reduxit principii[e]; parturiens semper Domino de filiis irae populum acquisitionis, ut cum apostolo diceret: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus* Gal. 4, *in vobis.* 19. Mentior, si haec eius excercitia ad nostri temporis faecem[f] non usque decurrerunt. Nam ut praetermittam eos, quos aut viva voce instruxit, aut vicinitate temporis per eos, qui audierant eum vel viderant, sibi in plurimis immitabiles fecit — nam adaequari ei in omnibus difficillimum fuit —: nos, in quos fines seculorum devenêre[g, 6], licet 6 in nobis nullum patroni specimen reluceat ingenii, id ipsum, quantulumcumque sumus, eius constamus[h] patrocinio. Nam signaculum[i] apostolatus eius[k] nos quoque sumus in Domino. Famosum autem eum esse, non magnopere nostrum est commendare; scit hoc magna pars Galliae, sciunt et hii quos variis infirmitatibus vexatos sanos reddit cotidie.

3. Quare autem eum episcopum fuisse dicimus, saepe a nobis quaesitum est. Nam textus descriptionis vitae ipsius episcopum eum fuisse docet[7]; locum autem vel 7 tempora ordinationis ipsius, vel a quibus ordinatus sit, omnino silet. Sed in cartis sub eius tempore factis ac perantiquis membranarum peciolis, quae continentur in ecclesiae[l] nostrae archivis, inscriptum eum invenimus sub nomine episcopi et pontificis. Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quod praedicandi gratia, ut competebat tunc rudimentis novellae fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricae episcopus fuerit ordinatus, quod factum quoque de sancto Amando legimus[8]; 8 quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionemque suam ratione quadam tuentibus, quod videlicet locus regius, regia munificentia constructus, regio, ut dictum est, palatio contiguus[m], nulli committeretur, nisi prius ordinaretur[n] episcopus. Quam dignitatem et in plerisque successorum eius durasse, in subsequentibus dicemus[9]. Quid horum verius sit, lectorum[o] arbitrio committimus. Nec in utramvis partem sancto viro derogamus, dum, quicquid horum sit, eum fuisse episcopum non denegamus.

4. Igitur in exordio regiminis sui ecclesiam, quae ante id temporis erat inconse- 697. crata, consecravit, dedicans illam Domino in honore principis apostolorum Petri, simulque doctoris gentium Pauli, et omnium apostolorum Christi; cumulans templum donis et altare multiplicibus sanctorum patrociniis. Facta est autem haec dedicatio anno[p] qui est sexcentesimus nonagesimus septimus dominicae incarnationis, septimo[q] Kalendas Septembris, Domino in perpetuum règnante, Pippino autem in Francis principante. Quam ecclesiam nequaquam passus pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore sanctae Mariae in montis vertice, cui subiacet praedictum monasterium; ubi cimiterium[r] constituit esse fidelium, et ad quam conflueret populus; nam illicitus, ut nunc quoque, nisi certo[s] tempore, apud aliam erat feminarum accessus. Monasterium quoque in Alna[10] ipse construxit et Lobiis subiecit. Monasterium quoque Waslare[11] dictum, versus Teoraciae[12] saltum, in finibus Faniae[13] aedificavit, cui et Dodonem praefecit, virum admodum 13 sanctum, utpote a se instructum, qui aliquantisper inibi demoratus, heremum concupivit, extructaque in eodem Faniae saltu cellula, cum permissu pii patris et licentia, vita in ea vixit theorica; ubi postea multis virtutibus clarus migravit ad Dominum. Corpus autem eius translatum est ad monasterium Waslare dictum, ubi nunc requiescit debita veneratione. Sanctus autem Ursmarus, ut erat semper lucrandis animabus intentus,

a) *deest* 2. b) *deest* 1. 2. *ubi in margine additur:* deest aliquid. *Dacherius vocem (ex cod. Lob.?) edidit et post* Teutonica *add.:* ursus dicitur, *quod sensu caret.* c) *deest* 1. d) q. sola quae 2. e) praept.ii 1. f) faciem 1. g) devenerunt 1? h) contestamur 1. i) signum 2. k) *deest* 2. l) *ita ed.* ecclesia nostra i. 1. ecclesia nostra artius 2. m) scilicet Liptinis gallice Lestines *add.* 2. *quod glossema est.* n) esset ordinatus 2. o) lectorum *corr.* lectoris 2. p) anno sexcentesimo nonagesimo septimo 1. q) decimo septimo *Dach.* r) cimitterium 2. s) certo *corr.* in certo 2.

6) Annus ab incarnatione millesimus timebatur. 7) cf. Vita a. Ansone in prol. et sqq. 8) V. Vita S. Amandi c. 8. 9) Vita posterior ex Folcuino hausta addit (Du Chesne I. p. 688.): *De qua etiam adhuc tantum superest in eo loco, ut abbati liceat uti sandalus, tunica subdiaconali, habere potestatem ligandi atque solvendi, atque ubique uti annulo aureo et cirothecis.* 10) Aulne ad Sabim. 11) Wasloi, Walers en Faigne, Cameracensis dioceseos. 12) Thiérache in Picardiae finibus. 13) Hannoniae pars.

praedicandi gratia se Flandriae intulit versus Menapum fines, qui ritu gentis adhuc detinebantur vanis superstitionibus. Cuius doctrina ad fidem Christi conversi, non minimae partis praediorum suorum illum faciebant heredem, et eam quae in Lobbiis ecclesiam Christi.

713. 5. Beatus igitur Ursmarus virtutum omnium commerciis plenus, officio sibi credito fideliter administrato, locoque priscis monasteriis regia munificentia constructis coaequato[b], solvitur carnis ergastulo, et coelesti introfertur paradiso, ubi nunc et semper, nostri petimus memor, feliciter fruatur Deo. Obiit autem anno 713. dominicae incarnationis, nobis in perpetuum domino Deo regnante, et Pippino agente in sceptris. Qui antequam decederet, fractus longa[c] molestia, se vivo sanctum Erminum successorem sibi substituerat,
711. in quem familiaritate quadam speciali se totum transfuderat, utpote in dilectum heredem et gratissimum successorem. Substitutus[14] igitur Erminus, magistrum coepit aemulari, ut si secundum Epicureorum[d. 15] narrationem migrationem animarum in alternis corporibus fas esset credere, eundem ipsum crederetur repraesentare. Supersedendum erit, si cuncta velimus dicere, quam assiduus in loci augmentatione, quam cautus fuerit in commissa sibi pastoralitate, maxime cum descriptio vitae eius dicat de eis satis habunde[e]. Habuit etiam et cooperatores sive successores, eiusdem loci gubernatores et coabbates, sanctum utique Abel, Scotum genere, et sanctum Vulgisum episcopum, et domnum Amulvinum aeque episcopum; qui utrum sibi vicissim successerint, an, sancto Ermino spiritualibus occupato rebus, locum in commune tractaverint, nichil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen, locum Lobiensem eos et tenuisse et gubernasse, sed et pro oportuni-
16 tate temporum locum meliorasse[f]. Rexit autem sanctus Erminus[16] idem monasterium sub praefato principe Pippino tribus annis, et sub Carolo eiusdem Pippini filio similiter seniore et duce viginti duobus annis. Sicque expletis in regimine viginti quinque annis,
737. participatus est gloriae magistri, decedens octavo Kalendas Maii.

6. Post quem extitit Theoduinus abbas; sub quo, Karlomanno maiore domus concedente, villam Fontanas, quam Sambra alluit, ecclesia nostra habere meruit; in cuius concessionis carta sic subscriptum est: *Actum Liptinas[g] villa publica, quo facit Februarius dies sex, anno secundo regnante Hilderico.* Et in hac stipulatione: *Signum*, inquit, *Karlomanni maioris domus, qui hanc donationem fecit firmavitque.* Is sane est Karlo-
17 mannus Pippini frater, qui relinquens[17] operosam regni administrationem, primum Romae clericus factus in Serapti monte monasterium aedificavit, postea apud Sanctum Benedictum in Cassino monte monachus effectus est. Hildericum[18] enim regem supra nominatum sub Pippino regnasse, tradunt historiae; quae et ipsum testantur postea iussu Zachariae papae attonsum et in monasterium trusum[h]; indeque monarchiam regni, Bonifacio archiepiscopo consecrante, Pippino cessisse.

7. De Abel quoque supra nominato tale quid comperimus. Remis cum fuissemus, et cum viro venerabili et illarum partium eruditissimo confabularemur Adalberone[i] archiepiscopo, requirentibus[k] nobis originem eiusdem civitatis[l] et in ea episcoporum succes-
19 siones, prolatis eiusdem civitatis pontificalibus gestis[19], pro oportunitate temporis satisfecit. In quibus videlicet gestis inventum est, quod in eadem civitate Abel quidam[m] fuerit episcopus, qui in ea plura vel acquisierit vel ordinaverit; finis vero eius quis fuerit, scriptor gestorum aut nescivit, aut omnino tacere voluit. Nos ventilatis[n] undecumque temporum numeris, hunc eundem Abel et nostrum fuisse et Scotum et episcopum, facili ratione probavimus. Sed quia scriptori eius incertus extitit finis, longinquitas[o] forte fecit itineris, et viri religiosi voluntaria privatio, et amor patriae coelestis. Dixit etiam episcopus supra nominatus, praedecessorum suorum ductam usque ad se

b) *ita ed. deest* 1. 2. *ubi spatium vacuum exstat.* c) longua 2. d) epicuros variationem 1. e) *deest* 1. f) emeliorasse 2. g) liptinas *corr.* liptanas 2. h) reclusum 2. i) ab alberone 1? 2. k) requirentibus *corr.* inquirentibus 2. l) urbis 2. m) quidem 1? 2. n) *ita legendum videtur*; veritatis 1. tantis 2. collatis *ed.* o) longitas 2.

14) cf. vita S. Ermini cap. 5. Acta SS. Apr. III. p. 375. 15) Ita pro Pythagoraeorum Folcuinus scripsisse videtur. 16) De ipso refert Anso in vita S. Ursmari: *Miracula etiam sui magistri* (Ursmari) *opere metrico iuxta elementorum summam versificator optimus edidit*, quod poema a. 1546. in bibliothecae Lobiensis incendio periisse, Henschenius (Acta SS. Apr. II. p. 562) ex Wauldaci vita S. Ermini c. 12. monet. 17) Einhardi vita Karoli c. 2. 18) ib. c. 1. et Annales a. 749. 750. 19) Flodoardi; ubi vide l. II. c. 16.

consuetudinem, ut inter missarum sollemnia in ea speciali commemoratione defunctorum, quae super diptica dicitur et in consecratione dominici corporis sollemniter agitur, cotidie in aurem presbyteri recitante silenter subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto viritim recitentur episcoporum[a]; satisque mirasse, quod in ea commemoratione iste non inveniatur. Quod, ut conicimus, idcirco actum est, ut ipse vacanti sedi, iam antea episcopus, iussus sit aliquantisper insidere; at pro amore Dei voluntaria cessione sponte catalogum illum repudiasse[b]. Nam hereticum illum in hoc non est credere, quod hereticis non resistere idem pene est[c] quod favere, et tot tantique viri tunc temporis non sinerent tale quid serpere; quin immo[d] inditis scriptis publicis, sive ad praecavendam[e] sive ad confutandam heresim, libera insequerentur auctoritate, Domino terribiliter interminante: *Maledictus*, inquit, *qui prohibuerit gladium suum a sanguine.* Nec fieri potuit[f], ut Ier. 48, 10. eos, quorum mente in coelis erat conversatio, Ursmarum dico et Erminum, nonnisi imitaturus expeteret, cum ab ipsis recipi non potuit, nisi probatus et ipse antea in castris dominicis fuerit exercitatus. Sed et de sancto Vulgiso episcopo nil ad nos praeter parum perlatum est. Invenimus tamen in nostris perantiquis martyrologiis, quod[g] dies natalitii[h] eius sic adnotatur[i]: *Pridie Nonas Februarii in Laubaco monasterio depositio sancti Vulgisi episcopi.* Sed et mausoleum[k], in quo conditus[l] iacet, in promptu est cernere.

8. Theoduino igitur abbati successit[m] sanctus Theodulphus episcopus in provisione praedicti loci, partim sub Pippino praefato principe post facto rege, novem vero annis sub Carolo rege post vero[n] imperatore; regens illud non segniter et augmentans non mediocriter. Sub eius enim tempore multa ecclesiae nostrae praedia collata sunt, quae describerentur, si non in promptu essent donationes et cartae legatariae, et ipse brevitati non studerem. Obiit autem anno 776. dominicae incarnationis, die vero festivitatis 776. sancti Iohannis baptistae.

9. Anso hunc sequitur in regimine, vir bonus et sanctus, abbas tantum et non episcopus, regens idem coenobium sub iam dicto imperatore Carolo viginti quatuor annis. Erat autem idem Anso et pro capacitate ingenii sui litteris studens. Extat libellus vitae sancti Ursmari ad praedecessorem eius Theodulphum episcopum ab eo conscriptus[20], item et sancti Ermini alius[21], in quibus quidem veritas historiae, quantum a simplicis 21 eloquentiae viro describi potuit, amplectenda est. De confusione autem dictorum non nostrum est iudicare, quae illis tanta inest, ut incertum sit, utrum[o] ad insinuanda quae noverat, minus licet erudite, quantum ad saeculares, fuerit proclivis, an pro excellentia gestorum sponte parvipenderit regulas artis. Et hic sub praefato obiit Carolo, eo quo idem imperator factus est anno. 800.

Post eum[p] eandem abbatiam usurpavit Hildricus canonicus sub ipso imperatore. Et post eum Ramnericus tempore domni Ludovici[q] imperatoris. Deinde pervenit ad domnum Folradum[r] piissimum abbatem, avunculum iam dicti Ramnerici, sub eodem imperatore. Priorum tantum nomina, non gesta sciuntur; credo propter annorum[s] paucitatem aut commemorationem non multo utilem. Tertius quis fuerit, gesta docent; fuit enim multae nobilitatis et regiae affinitatis. Erat quippe Carolo ex patruo nepos, sicut elucet[t] in pariete turris ecclesiae sancti Quintini in Augusta Viromandorum — nam id quoque monasterium rexerat — sculptis, in hunc modum se[u] habentibus:

Cum denis lustris ternos minus inclitus annos
Rex ageret Carolus, sceptra[v] tenendo pia,
Rebus et humanis exemptus culmina regni
Linqueret ingentis[w], rex Ludovice, tibi,
Condere coepit opus huius venerabilis aulae[x]
Abbas Fulradus nobilitate cluens.
Namque huic Hieronymus, Carolus pater extitit illi,
Qui propriae specimen gentis ad alta tulit,

a) *deest* 1. b) repudians 1. c) pena sit 2. d) ymo *aut* ymmo 2. *saepius.* e) predicandam 2. f) potest 2. g) *deest* 1? 2. h) natalis 2. i) adnotatus 2. k) manseolum eius 2. l) conditum 2. m) suscessit 2. n) facto 2. o) ut non 1? 2. p) quem 2. q) lodovici 1? 2. r) fulradum 2. s) *deest* 1. t) relucet 2. u) *deest* 2. v) septra 2. w) ingentes 1? 2. x) aula 1? 2.

20) Editus Act. SS. April. II. 560. 21) Ibid. III. 375.

Bella gerens, pacemque tuens, qui culmina regni
Ad prolem misit auxiliante Deo.

10. Hiis diebus lucernam suam Dominus, quam iustificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam miraculis declaraverat, nolens diutius delitescere, sed ad maiorem venerationem cunctis hominibus propalare[a], praedicti abbatis cor tetigit, et[b] ut sancti et venerandi et cum omni amore nominandi Ursmari corpus[c] de sepulcro elevaret, accendit. Quae
22 elevatio facta est iussu et permissu eius qui tunc erat Cameracensis episcopus[22], agentibus[d] clericis utriusque ordinis, cum frequentia populi magna. Expletaque elevatione, diem illam festivam duxere[e], nobisque et posteris celebrem esse sanxere. Facta est
823. autem haec elevatio anno Domini 823. ab ipsius vero sancti[f], non dicam obitu, sed natalitio, quo vivere[g] coepit cum Christo, decimo post centum exacto. Abhinc ergo coepit beati viri celebris fama crebrescere, et confluentibus languentium turmis ad diversa sanitatum genera miraculis coruscare. Quae multa praedecessorum nostrorum seu ignavia seu imperitia ad tempus iacuerunt, et[h] studia litterarum sunt praetermissa; nos ea[h] quae vidimus aut audivimus, excellentiora[i] tantum notantes, suis in locis ponemus, et hoc faciemus ordine servato, cum Deo donante ad nostri temporis faecem pervenerimus.

826. 11. Decessit autem praedictus abbas triennio post praefatam elevationem, relinquens post se Ecgardum[k] abbatem. Cuius tempore ordinatio prima facta est in monasterio nostro, agente Theoderico Cameracensi pontifice, adhuc Ludovico imperatore superstite.

835. 12. Et hoc rebus humanis exempto, Harbertus de Corbeia abbas asciscitur, vir bonus et multum laudatus, et ob id ad hoc a supradicto imperatore promotus. Erat enim religioni studens, et in construendis sive[l] exornandis rebus operam dans. Testatur campana percelebris eius iussu facta et ecclesiae nostrae donata, in qua sunt versus, qui abbatem[m] et factorem, vel ad quid facta sit, quasi ipsa de se loquente, hoc modo manifestant:

Harberti imperio componor ab arte Paterni,
Nec Musis docta, en cantus modulabor amoenos,
Nocte dieque vigil depromam carmina Christo.

Temptavit et idem abbas aquaeductum a foreste ducere, ardua montium sulcans, ad competentem nutum in usum molendinorum, sed perficere non potuit opus praeposterum et sero inchoatum[o.23]. Nam pervasa est abbatia illa hostiliter ab[p] Hucberto[q.24], Deo
864 (?) et sanctis odibili. Qui ubi rerum summa[r] potitus est, expulso Harberto et Corbeiam reverso, omnem abbatiam illico partitur in re militari, delegans[s] victui fratrum villulas, et eas parvi redditus, ut placuit delegatori. Efficitur ad haec uxorius, liberos procreans, et ad suae damnationis cumulum nil sibi clericale praeter tonsuram praeferens[t]. Fuit enim tantae perversitatis, ut vulgo fertur, ut ipsam[u] etiam euangelicae veritatis maiestatem quantum ad se non horruerit infamare, dicens illud quod scriptum est a[v] Do-
Luc. 14, 11. mino, dicente: *Omnis qui se exaltat humiliabitur* etc., non constare, pro eo[w] quod si ipse se tantum humiliaret quantum exaltaverat, numquam eum fuisse, ut tunc erat, tam praeducem, immo abiectissimum omnibus et vilem. O linguam particulatim concidendam et canibus aut avibus proiciendam! Ignoravit forsitan miser, aut sciens misere desipuit, quod talis ut sua, licet[x] permittente Deo, exaltatio, aeternalis sit casus et abiectio: sicut
Ps. 82, 14. imprecatur vel potius prophetat David in psalmo: *Deus meus*, inquiens, *pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti.* Rotam quippe videmus inferius[y] elevari, sed inante corruere, et unde inchoat ascensum, inde ibi patitur casum. Stipula autem quo altius vento raptatur, eo[z] gravius mergitur. Expertus est et ipse in se Dei super hoc vindictam. Nam ipsa die, qua haec nauseabat vel latrabat, confligens in acie cum Conrado[*] Raeticarum vel Iurensium[a] partium duce, primum lingua blasphema transfossus,
25 ad ultimum interfectus est[25], et hunc quidem necis finem blasphemus habere dignus

a) probare 2. b) *deest* 1. 2. c) *deest* 2. d) agentis 2. e) d. n. et p. c. esse *desunt* 2. f) viri 2. g) vere *ante* vivere *deletum in* 2. h) *deest* 2. i) excellentia 2. k) ergardum 1? 2. eggardum *ed.* egardum *Ann. Laub.* l) et 2. m) habentur 1. o) inquoatum *corr.* inchoatum 2. p) a 1? 2. q) huberto *corr.* hucberto 2. r) *deest* 2. s) delegatis 1? 2. t) reservans 2. u) *deest* 2. v) ubi 2. w) *superscr.* 2. x) *deest* 1. y) v. in altum 2. z) *deest* 1. *) cotra 1. cotrado 2. a) virehensium 1? 2.

22) Halitgarii. 23) Einhardi verba in vita Karoli c. 25. 24) fratre Thietbirgae uxoris Hlotharii II. 25) cf. Reginonem et Ann. Xantenses a. 866. Hincmari Ann. a. 864.

fuit. Fuit autem hic tempore quatuor fratrum regum[a] de regno Francorum concertantium, vel tempore Lotharii[a*] imperatoris, qui patrem domnum Ludovicum in carcerem retruserat, et postea Prumia monasterio monachus factus est.

13. Iam vero postea a Lothario rege, filio iam dicti imperatoris Lotharii, coepit idem locus reparari[b] et per Iohannem Cameracensem episcopum vel Hugonem quendam tam possessionibus quam et habitatoribus per eiusdem regis iussum non mediocriter redintegrari. Is sane ille Lotharius, qui pro regina repudiata et Waldrada superducta Romae fuerat excommunicatus, qua petente et rege concedente, fiscum Hum[26] dictum ecclesia nostra meruit habere. Erant autem ibi aedificia quamplura, ob quae ibi illa plurimum morabatur, visitante se rege copula illicita. Quarto decimo igitur regni sui[c] 868. anno redditus villarum nostrarum describere iussit, quod polipticum vocant. Facta est autem haec descriptio a Iohanne episcopo praenominato.

14. Post haec fratribus in quatuor tetrarchiis Franciae regnantibus tam ipsis quam filiis eorum defunctis, solus domnus Carolus superfuit, quem bonus Iohannes papa in imperatorem benedixit. Qui sicut etiam[d] aliis multis locis[d], ita Laubiensi monasterio multa bona et praestitit et reddidit. Sed et Carlomannum filium suum eidem loco 870 abbatem instituit.

15. Cui[27] in regimine successit[e] domnus Franco tempore Ludovici, vel dicti Ca- 885. roli imperatoris filii. Qui Franco multae nobilitatis et palatinis studiis instructus extitit; unde et plura monasterio nostro acquisivit. Sunt qui monasterium Anthonium dictum[28], tunc puellarum, nunc canonicorum, eius tempore nostrum effectum dicunt; licet sint alii, qui antiquitati hoc attribuant, sed ante alienatum, sub eo receptum esse[f]. Igitur Ludovico quarto regni sui anno defuncto, Francis in diversa tendentibus facto interregno per 18 annos, Conrado[g], Radulpho, Odone et Roberto in occidente regnantibus[h], cum Arnulphus, rex Noricorum, australis Franciae rex ascisceretur, iam dictus Franco ad opus ecclesiae Leodiensis supradictam abbatiam petiit, et consentientibus fratribus impetravit, 889. Nov. 15. facta prius convenientia, ut medietas abbatiae fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret, aliam episcopus sibi et militantibus manciparet. Additur praeterea, ut decimae omnes indominicatae[i] ad portam monasterii[k] in usus pauperum sint et peregrinorum, et ut dies anniversarius Carlomanni regis, cuius quidem Arnulphus erat filius, annuatim esset recensitus, praeparato ad id opus ab episcopo competenti obsonio[l], quod praeceptum regale volumus intexere:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Arnulphus rex etc[m].

16. Interea vacillante rerum statu, et regum naturalium, sicut ante diximus, qui apud Francos semper hereditarii habebantur, deficiente successione, pro eo quod Ludovicus supradictus, quem propter brevitatem regnandi nichil fecisse dicunt, Carolum filium vix bimum[n, 29] reliquisset, gens quaedam aquilonaris[o], de qua forte dictum est: *Ab aquilone pandetur omne malum*, quam plerique Northalbincos[p], alii usitatius Northmannos vocant, pyraticam agens, novo et inaudito retro ante temporibus modo Franciam est aggressa; quae maria primum occupans, demum hostia fluminum[q], quae Franciam alluunt, est ingressa; subinde restans, subinde progrediens; ubi resistentem vidit neminem, quaquaversum sibi libitum visum est, ferebatur. Qui videlicet Northmanni per quatuor nobilissima flumina, Renum et Scalt ab oriente, Secanam et Ligerim ab occidente, Franciam ingressi, incendiis[r] et rapinis omnia depopulantur, nulli[s] sexui vel aetati parcentes, captivos abducunt; ipsa etiam altaria paganis manibus profanantes. Quorum metu plura sanctorum corpora, et optima quaeque ad tutiora loca deportantur. Sed nostrorum patronorum non necesse fuit longius asportari, quoniam adiacens Thudinii castrum[30], idque nobis[t] proprium et munitissimum, fecerat affluentes indempnes haberi; villarum vero

a) *deest* 2. a*) clotharii 1. b) recuperari 1? 2. c) *deest* 2. d) *deest* 2. e) sucessit 2. f) *deest* 1. g) *ita codd.* h) *deest* 1. i) intruncatae 1. indecimatae 2. k) *deest* 1. l) opsonio *corr.* obsonio 2. m) *charta deest in codd. v. eam in Miraei Opp. I. 650, Diplomatibus nostris inserendam.* n) *ita Dach.* unum *ut videtur* 2. *de* 1. *non constat.* o) acquilonaris 1? 2. p) northabbrincos 2. q) *deest* 2. r) incendentes 1? 2. s) nil 1. t) *deest* 2.

26) fortasse Ham, a meridie Marchiennae. 27) Omittit auctor, Karlomanno a. 873. caecato, a. 883. Hugonem abbatem suffectum; v. Ann. Laubienses a. 873. 28) Antoin ad Scaldim dioc. Tornacensis. 29) cf. Richer. I. 4. 30) Thuin; cf. Reginonem a. 879.

31 longe positarum erat multi exterminii desolatio. Hysa[31] nunc fluvii nomen est, qui antiquitus Hysara[32] dicebatur. De quo ita meminit Lucanus[33] in bellis civilibus:

Hii vada liquerunt Hysarae, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famae maioris[a] *in amnem*
Lapsus, in aequoreas nomen non pertulit undas.

Influit enim in Secanam. Per quam Northmanni in illo delati, licet in illis partibus cuncta depopularentur, plurimum[b] tamen illi, qui littora Scaldi insederant, debacchabantur, quoniam gratissima statio navium, sive ad hyemandum sive ad quodlibet belli periculum declinandum, illic eos fecerat esse continuos. Singulphi villa nomen est fundi. Is nostrae ecclesiae servit, et in eo memoria sancti Ursmari et sancti Petri, in qua tunc duodecim canonicorum habebatur conventus. Memini me et nostrorum plerosque hominem[c] illorum temporum vidisse, qui utrum[d] alio nomine vocaretur, a nobis non multo
34 quaesitum, affectu tamen, ut putatur, patronali[e] a puero „bruoderchin[34]“ vocabatur, quem nos etsi minus latine possumus nominare fraterculum, qui eosdem vidisse se et cognovisse, et quod praepositus eorum Sparnarius[f] dictus sit, testabatur. Qui locus a Northmannis ita destructus est, ut remanerent in eo vix maceriarum ruinae. Similiter et cetera ecclesiae nostrae praedia, quae apud Brabantum erant profusiora, hoc tempore exhausta sunt et exinanita.

17. Tali ergo modo turbata ecclesiae pace, et firmamento[g] regni posito in formidine, Franco praedictus episcopus, coactus iusta, quantum ad saeculares, et vere necessaria bella suscipere, accito sibi Reginerio quodam, quem Longum-collum vocant, viro strennuo et in bellicis rebus excercitato, hii frequenter in acie confligentes, perraro victi, multoties extitere victores. Nec cessatum est, donec[h] peste attrito[i] rege eorum Godefrido ad fidem Christi converso et baptisato, nec multo post interfecto, pax[k] ecclesiae
885. redditur. Post haec Franco episcopus, sciens illicitum esse, quemquam sanguineis manibus sancta tractare, mittit Romam Bericonem Leodiensem clericum, et Theuterum Lobbiensem monachum, quos ordinari episcopos, qui vicem suam suppleant[l], oravit et exoravit. Quibus iam factis episcopis parrochiam suam gubernandam commisit, ipse de reliquo in pace et ocio[m] consenuit, vita discedens, postquam in episcopatu plus quam quinquaginta perageret[n] annos.

901. 18. Hunc Stephanus sequitur, vir litterarum et, quantum ad canonicos, religioni studens. Hic[35] passionem beati[o] Lamberti impolito[p] digestam stilo urbanius elucidavit, et armoniam ex ea dulcissimam melodiae, quae celebris habetur, composuit. Fecit et libellum quendam ex plurimis divinorum librorum[q] flosculis decerptis, in quo singularum in anno festivitatum capitula cum collectis et versibus utili commento[r] congessit. In cuius libelli praefatione ostendit, se Mediomatricae, quae nunc Mettis dicitur, a puero educatum fuisse. Nam Roberto, eiusdem sedis episcopo, eundem libellum legendum misit et comprobandum. Huius episcopi aliqui etiam nostra aetate meminerunt. Huius quoque tempore dedicatur ecclesia nostra ab ipso evocato ad id opus, et coniuncto sibi Dodilone Cameracensi episcopo; quod in basibus columnarum, quis quam partem dedicaverit, in promptu est cernere. Hanc ergo novellam dedicationem, ne forte iterata aut antea infecta fuerit, si quis requirit, paucis absolvemus. Ecclesiam priorem, si meminit lector prudens, sub Pippino principe a sancto Ursmaro factam[s] iam supra diximus[36], diemque dedicationis eius 5. Kalen-
36 das Septembris annotavimus. Quae, crescente copia rerum per munificentiam regum seu ceterorum fidelium, quia loci nobilitati parva et minus apta videbatur, destructa et funditus eversa est, et ista quae nunc est elegantioris formae et speciei aedificata. Quae ad id opus columnis undecumque corrasis, cum basibus et epistiliis seu ceteris latomorum vel cementariorum disciplinis pro moduli sui quantitate omnibus circum se positis est incomparabilis, quod quia occulata, ut aiunt, probatur fide, haec hic satis sit tetigisse.

a) mevoris 2. b) plurimam 1. plurima 2. c) *deest* 2. d) utrumque 1? 2. e) matronali 2. f) sponnarius 2. g) firmamenti 1. h) docnec *corr.* donec 2. i) attrita 2. k) p. christi 2. l) supplerent 2. m) ocyo *corr.* ocio 2. n) ageret 2. o) divi 2. p) impolitam 1? 2. q) libris 1? 2. r) utilis cōto 2. *De* 1. *non constat.* s) *deest* 1. 2.

31) cf. Anal. Vedast. a. 881. 884. 885. 32) Oise. 33) Lib. I, 399—401. 34) *brüderchen.* 35) cf. Hist. litt. V. 170—172. 36) cap. 4.

Auctorem autem eius, sive rex fuerit ille sive abbas, id nescimus. Si quis improperat, antiquitati quae de his siluit, non nobis, succenseat.

19. Isto quoque mortuo et in ecclesia sancti Lamberti sepulto, turbatur rursus 920 ecclesia de antistite substituendo. Nam[37] pars una Hilduinum, eiusdem ecclesiae clericum, sibi poscebat episcopum, favente[a] sibi[b] ad hoc Gisleberto[c] Lothariensi duce, qui floccipendens regiam maiestatem, regni sibi usurpaverat summam; alia Richarium[d] Prumiae abbatem, dono et consensu Caroli regis expetitum. Qui videlicet Carolus, facto, ut dictum est, interregno regum quorundam interregnantium, a Fulcone archiepiscopo Remis evocatus et consecratus paternoque regno est restitutus. Quam ordinationem novellam suis quique in partibus dedignantes, partim, ut est ingenium hominum, spe acquirendi gratiam novi regis sibi reconciliabant, partim obfirmato supercilio per se suis principabantur. Ex quibus Gislebertus unus erat, qui tunc Lothariensem ducatum agebat[e]. Quo iubente, immo extorquente potius et urgente, consecratur Hilduinus episcopus ab Herimanno Aggrippinae sedis archipraesule, novo et inusitato genere, absque regis et procerum regni sanctione. Quapropter mittuntur a clero alterius partis ad apostolicam sedem litterae conquerentes[f] de his. Iohannes tunc apostolicae cathedrae praesidebat, qui ordinatorem et ordinatum et tertium[g] regis auctoritate designatum, Romam ut veniant, missis epistolis iubet. Quid plura? Veniunt, archiepiscopo valitudine detento. Hilduinus[h], incertum qua factione, iudicium subterfugit. Ubi rescitur, Richario acclamatur, eligitur, producitur, et ab ipso summo pontifice pontifex[i] ordinatur et consecratur, donato sibi omnium praedecessorum suorum soli archiepiscopali pallio, et equo apostolico more ad procedendum strato. Tali ergo et tanto cum privilegio Gallias[k] 922. reversus, contrariae partis dissidium diremit[l], et solus in Leodiensis[m] ecclesiae fascibus resedit. De quo satis ad dicendum esset[n], quam amabilis omnibus, quam munificus, quam in exornandis sive construendis ecclesiae rebus fuerit assiduus. Solum erga[o] monachicam[p] vitam minus fuerat cautus, et hoc in eo mirandum, qui a puero monachico lacte nutritus, monachicis ferulis edoctus, monachicis institutionibus fuerat assuefactus. Nam sub eo apud nos omnia fuere venalia. Siquidem annua, non dicam obedientiae, quod quidem regulare est, sed ministeriorum commutatio, eorundemque dura coemtio, quicquid apud nos optimum erat, exhauserat, reliquum parasitorum turba abligurierat[q]. Sed cetera eiusdem episcopi bene gesta et animus civilis hanc infamiam obvelaverant, eumque omnibus gentibus summum effecerant. Qui[r] postquam in episcopatu 22 annos peregisset[s], in ecclesia sancti Petri Leodiensis, quam ipse construxit, tumulatus quiescit.

Floruerunt his temporibus apud nos studia litterarum, quibus ediscendis operam dantes opinatissimi[t] fuerunt Scaminus[u], Theoduinus, et perspicacissimus horum Ratherius; qui videlicet Ratherius partibus Hilduini favens, illi inseparabiliter adhaesit. Hilduinus enim fraudatus Leodiensi episcopio[v], ab Hugone rege Italiae, apud quem fecerat confugium[w], usu stipendiario promeruerat[x] Veronense episco- 928. pium, promisso regis manente, quod ubi illum altius promovendi tempus emergeret, Ratherius Veronensibus daretur episcopus; quod quomodo factum sit, vel quantas[y] in 932. Aug. episcopatu illo pertulerit adversitates, ex ipsius scripto lector melius scire poterit, in epistola, quam summo pontifici et[z] universali papae[38] conquerens de his eiuscemodi scripsit: *Summo*, etc[39].

20*. In illo sane quo se Ratherius[a] positum dixit exilio, vacans episcopio, edidit 935 librum quem appellavit Agonisticum[40], cui et talem praeposuit titulum: *Meditationes cor-* 937. *dis*[b] *cuiusdam Ratherii Veronensis quidem episcopi, sed Laubiensis monachi, quas in sex*

a) faciente 1? 2. b) *deest* 2. c) *ita Ann. Lobienses.* gillaberto 1. gilleberto 2. *sic et infra.* d) riccarium *corr.* richarium 2. e) gerebat 2. f) conquirentes 1? 2. g) o. inscium regis 2. h) Hylduinus *corr.* Hilduinus 2. i) p. o. et *desunt* 1. k) gallii 1. l) dirimit 1? 2. m) leodiensibus 1. n) est q; 2. o) ergo 1? 2. p) monasticam 2. *semper.* q) abligaverat 1. r) *deest* 2. s) peregit 2. t) oppinatissimi 2. u) Squavinus 1. v) episcopatu 2. w) quem confugerat 2. x) meruerat veronensem episcopatum 2. y) quas 2. z) et u. p. *desunt* 2. *) *caput hoc in 2. sequenti subiicitur, sed anteponendum esse ex ordine abbatum et sententiarum nexu patet.* a) *deest* 1. b) *deest* 1. 2.

37) cf. Flodoardi Ann. a. 920. 38) Iohanni XII. aut Agapito. 39) V. Rath. Opp. ed. Ballerinis p. 537. 40) editus ex autographo Lobiensi in Martene Coll. IX, 786—964. Rath. Opera p. 9. cf. Liudpr. III, 52.

digestas[a] *scedulis, volumen censuit appellari praeloquiorum, quod vocatur Agonisticum.*
41 Quem librum ad legendum sive ad probandum eruditissimis quos noverat misit[41], Sobboni videlicet et Widoni[b] archiepiscopis[42], Godescalco[43] et Aurelio praesulibus, necnon et[c] Brunoni et Rotberto Galliarum archiepiscopis[44] nobilissimis et in philosophicis[d] studiis eruditissimis, ad extremum Flodoardo Remensi, missis unicuique epistolis, quae con-
937 tinentur in ecclesiae nostrae scriniis. Libellum etiam vitae sancti Ursmari, cum Cumis
939. exularet, ibi repperit, quem solecismis refertissimum emendavit, nobisque transmisit[45].
940. Postea cum in ea parte Burgundiae, quae Provincia dicitur, mansitaret, filium cuiusdam viri ditissimi, nomine Rocstagnum, ad imbuendum litteris postulatus recepit, ad quem librum de arte grammatica conscripsit, quem librum gentilicio loquendi more Sparadorsum[46] vocavit, pro[e] eo quod qui illum in scholis assuesceret puerulus, dorsum a flagris servare posset. Ob quae ei ibi episcopatus[47] datus est; quem relinquens Lobias[f] rever-
944. titur. Richarius tunc[g] adhuc supererat, a quo favorabiliter receptus, Lobiis est habitare permissus; nec multo post Richarius decessit[h].

945. 21. Post[48] quem Ogo[h*], ex monasterio sancti Maximini[i] Treverensis abbas et
947. monachus, pontifex est subrogatus; qui vix duobus annis exactis defunctus, Farabertum, item Prumiae abbatem, antistitii sui reliquit heredem. Rursus sub eo, ut pridem sub Richario, apud nos cuncta fuerunt venalia, adeo ut locus idem a parasitis Argentea diceretur vallis. Tunc corona illa regalis aurea[k], hactenus artius deplorata[l], miri operis et non minimi ponderis, confracta pro libitu[m] et dilapidata, gemmae eius pessumdatae mirifice et ab oculis subductae sunt. Et hoc ducebatur pro nihilo, tantum ut potiretur emens annuali ministerio; eoque quis dicebatur sanctior, quo ad dandum profusior, eo utilissimus[n], quo voracissimus. Sed de[o] his nihil nostra interest; videat[p] qui fecit!

22. Ottho, tunc potentissimus rex australis, et subactae Italiae tunc imperitabat; cuius frater Bruno[49] unicum et singulare in Christi ecclesia decus futurum, velut preciosissimus lapis multiplicibus philosophorum pollebat argumentis. Advocatur Ratherius[50];
952. et habetur inter palatinos philosophos primus. Quid multa? Non destitit, donec regiam illam et mirificam indolem in omnibus disciplinis perspicacissimam redderet et perfectam. Quod cernens regum tunc[q] maximus, eum a scholis cum tanto honore ut par erat evocavit, et in suggestum Coloniensis ecclesiae post Wicfridum[q*], qui nuper decesserat, omnibus acclamantibus et gaudentibus, intronizavit. Ubi quomodo vixerit, quomodo docuerit, vel quid fecerit, qualiter pro pace ecclesiarum Dei se ipsum impenderit, quam in ecclesiis sive ampliandis sive restaurandis[r], quam in privatis et[s] publicis aedificiis componendis, quam in ordinandis domi militiaeque, quam sanctae[t] Dei ecclesiae rebus sollicitus fuerit, actu est admirabile, dictu laudabile.

953. 23. Contigit eo tempore Leodiensem cathedram vacare, Faraberto decedente; cui in emolumentum prioris magisterii magna[51] Brunonis industria Ratherius est incardina-
Sept. tus. Quod quidem propter habundantem doctrinam et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos[u] florere visus est, non eidem solum[v] ecclesiae cui praefuit, sed et multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est. Simul quia in illis partibus per zelum et contentionem, unde fieri solet inconstantia et omne opus pravum, quidam etiam sacerdotes Domini, plerumque, quod nefas est dictu, terrenae plus iusto confisi

a) *ita corrigo ex Ratherio;* quamvis ex digestis *codd. et edd.* b) mucdoni 2. c) *deest* 2. d) philosophia 1. phisicis 2. e) *deest* 2. f) lobiis 1. g) *deest* 1. h) *Dach. addit*: postquam in episcopatu 22 annos peregit, et in ecclesia sancti Petri quam construxerat in Leodio, tumulatus quiescit. h*) hugo 2. i) maximi 2. k) argentea 1. l) decorata 1. m) libito 2. n) *ita edd.* — eo ultimus quo veracissimus 1. eo deterior quo veracior 2. o) *deest* 2. p) ipse viderit 2. q) suo tempore 2. q*) wifridum 1? 2. r) restituendis 2. s) vel 2. t) suae 2. u) doctissimos 2. v) soli 1? 2.

41) Epistola ad Widonem, Sobbonem, Godescalcum et Aurelium prodiit apud Martene l. c. p. 965, et Rath. Op. p. 525. aliae ad Robertum, Brunonem archiepiscopos, Op. p. 527, 529. Quae ad Flodoardum directa erat, desideratur. 42) Viennensi et Lugdunensi. 43) fortasse Aniciensi. 44) Coloniensi et Treverensi. 45) Opera p. 195. 46) Germanicum *sparen* est servare; igitur liber, quo adhibito dorso parcitur. Opus haud amplius exstare videtur; cf. Rath. Op. Praef. p. XIV. 47) De hac re nihil constat; episcopatus hic nonnisi oblatus esse videtur; v. Ratherii vita, Opp. p. LVI. 48) cf. Ann. Lobienses et Flod. a. 945. 49) cf. Ruotgeri vitam Brunonis c. 5. 6. 50) Qui anno 948. iterum a sede Veronensi expulsus erat. 51) Totum hoc caput paucis exceptis ex Ruotgeri vita Brunonis cap. 38. repetitum est.

potentiae, populum imperitum scandalizabant, saepe dictus et saepe dicendus domnus Bruno, cui iam totius regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc eiectum antehac et neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei et veritatis foedus adduci, ut a nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica[a] obstruere se posse credidit, si nulla occasio scandali posset in eorum episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra praevaluit; quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum aestimabant. Quid multa? Erratum est, saevitum[b] est, nec cessatum est, donec expulsione eius crudelitati suae et nequitiae satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis eius. 954. Nam cum apud nos nativitatem Domini festive et opipare celebraret, facta Dec. 25. est in Leodio[c] contra eum gravissima conspiratio, quae nisi et hic penitus amoveretur, et in eundem locum Baldricus, qui erat de magnatorum terrae illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari visa est non posse. Ad hanc sentinam[d] tempestates undique innumerae confluxerunt; navis ecclesiae laborante remige fluctuavit; gubernator ipse procellosae tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur; cessit[e], ne vinceretur a malo, sed vinceret in bono malum; cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio iugularet sibi. Obstricti sunt sacramentorum fide spontanei[f], ut si accipere mererentur episcopum quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem ecclesiae et ius imperatorium tuerentur. 955.

24. Exacto igitur in hac destitutione sua Ratherius ferme biennio[53], deficiente ab 957. eo militari copia, Italiam revertitur; ac ne quid in eiusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigatoribus[g] [scrupulum[h]] commoveret, cum imperatore[i] germano suo praedictus Bruno id effecit, ut eidem iam bis destituto anti- 961. qua sedes Veronensis ecclesiae redderetur[k]. Scripsit per idem tempus librum, quem 955. appellavit Frenesim[54], eo quod quasi freneticus nimis austere[l] et ultra modum in Baldricum[m] inveheretur. Scripsit et alium quem appellavit Perpendiculum[55], necnon et alium quem appellavit Sirmam[56], in quo in eundem Baldricum invehitur, pervasorem[n], ut ipse nominat, suum. Est et eiusdem libellus[o] contra anthropomorphitas[p. 57], qui Deum, hoc est ipsam invisibilem deitatem, per menbrorum lineamenta depingunt[q]. Synodica quoque eius ad diocesanos presbyteros[58], et coniectura vitae eius[59]; itinerarius 59 quoque eius Romam pergentis[60], sed et sermones quam plures, in pascha scilicet, et in[r] coena Domini, et in ascensione Domini, et die penthecostes, necnon festivitatibus[s] sanctae Mariae, et alia quam plura[61].

25. Gens[t] quaedam ripam insidet[u] Danubii. Provinciam quam incolit Panoniam 954. vocaverunt antiqui, Hungariam moderni; ex qua Hungri[v] venientes, antea nobis sunt insita sibi et naturali barbarie comperti quam origine cogniti. Quorum insatiata crudelitas sub Heinrico[w] rege transgressa terminos Marahensium[x], quos sibi non longe ante[y] impia usurpavit licentia, plerasque provincias regni eius ferro[z] et igne longe lateque vastavit. Postea sub Ottone, filio eius, orta[62] est tempestas dissensionis[*], dor- 62 miente puto[a] Iesu in pectoribus vigilum ante fores domus Domini excubantium, ita ut quidam socii Sathanae regem conarentur extinguere. Cassato[b] per Dei miserationem hoc per serpentinum[c] sibilum concepto consilio, nequitiae suae virus per totius regni eius[d] viscera diffuderunt. Erat[63] in ea coniuratione princeps ipsius regis filius Liudul- 63 phus, spectabilis adolescens, et unice clarus, si[e] seductoribus minime[f] credidisset, et

a) iniqua 1. b) sed vitum 1. c) est leodii 2. d) sententiam 1? 2. e) *deest* 1? 2. f) spontanea 2. g) investigationibus 1. h) *deest* 1. 2. i) ipso 1. k) restitueretur 2. l) abiiceretur 2. m) brunonem 1. n) invasorem 2. o) liber 2. p) anthrophomorphitas *corr.* anthropomorphitas 2. q) depingit 1. r) *deest* 2. s) festivitate 2. t) Tunc temporis gens quaedam etc. Deinde sequitur Nos ut *omisso c.* 25. 2. *Eadem vero narratio extat in libro de miraculis S. Ursmari c.* 1., *cuius lectiones* 3. *significamus.* u) G. q. r. ulteriorem i. D. provinciam incolens quam Pannoniam vocaverunt antiqui; ex 3. v) hungari 1. *interdum.* w) henrico 1. x) marahentium 1. y) antea 3. *Dach.* z) ferro — filio *desunt* 1. *) dissentionis 1? 2. *ita et infra.* orta tempestate facta est dissensio regni 3. a) credo 3. b) sed cassato 3. c) persequentium sibilo 1. d) *deest* 3. e) si se seductoribus 1. f) non 3.

53) Hoc falsum esse probarunt Ballerini Rath. Op. p. CVI sqq. Ratherius non ante a. 961. Veronam rediit. 54) Opera p. 217. 55) Liber alias incognitus. 56) sive Conclusio deliberativa; v. Opera p. 203. 57) Sermo a. 964. in quadragesima habitus exstat Op. p. 581. 58) Op. p. 409. 59) ibid. p. 373. 60) ibid. p. 437. 61) Op. p. 577-645. cf. ibidem Praef. p. VI sqq. Archiv VII, 868-870. 62) ex Ruotgeri vita Brunonis c. 10. 63) ex Ruotgero c. 18.

954. heres esse, non proditor, maluisset[a], et[64] cum eo quasi quidam stimulus Cono, dux
paulo ante fortissimus; quibus, ut ita dicam, omnia erant in manibus; agendo ut plus
haberent, sed ut nihil haberent[d] omnimodis effecerunt[e]. Hii Hungros, antiquam quam
praediximus pestem, sollicitaverunt, ut regnum in se ipsum divisum invaderent; arbi-
trantes, hoc modo sibi[f] sollicitudinem, qua premebantur, aut penitus adimi, aut aliqua-
tenus posse minui. Hac[65] de re[g] saeva[66] Hungrorum gens, et qualem numquam[h] terra nostra
66 sensit barbariem[i], a perversis illecta[k] civibus, transitis Germaniae et plerisque provintiis[l]
Galliae, cui iam olim[m] nobilis ille Francorum populus insedit[n], omnia ferro et ignibus
vastatura se totam infudit. In hac acie Cono praedictus[o] cum suis sequacibus milita-
67 vit; sed[67] ubi Traiectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum qua de causa, ab eis
descivit[p]. Hungri Hasbanium[q] ignibus et depraedatione[r] aggressi, Carbonariam petunt.
Fama ad nos perlata, mittitur e collegio nostro Hucbertus frater patiens laboris et
fugitans quietis, et semet inpendere paratus ob amorem loci et sanctae religionis, pacisci
cum illis. Facta pactione de solidis ducentis, revertitur post haec, obsidibus ab eis
acceptis. Sed nostri non satis creduli — quae enim[s] fides est infideli? — munire
Tudinium temptant, quod[t] Raginerus[u], suspectam[v] habens Leodiensem militiam, iam
pridem destruxerat; sed misso[w] rursus milite, prohibiti sunt munitionem firmare[x]. Quid
tunc agerent imminente hoste? Sublata itaque[y] spe Tudinium potiundi[z], nullaque ex-
stante fiducia in re militari — siquidem laudata illa et cunctis seculis praedicata Lo-
thariensis[z*] militia in Hungrorum adventu iusto Dei iudicio hebetata, suis munitionibus
passim tenebatur inclusa[*] — nostra quae residua erat Deo dilecta monachorum turma
et sibi satis fida ecclesiae milicia[a] montem, ubi sanctorum corpora Ursmari[b] et Ermini
venerantur, diu ante[c] deliberans scandit, et de Dei fisa adiutorio, cum plaustrorum vel
qualiumcumque[d] surculorum vel sepium impedimentis eum[e] in modum munitionis cin-
git[f], agente[g] id ut credimus Deo, ut ostenderet, numquam deesse divinum, ubi huma-
num cessat auxilium. Iamque advenerat paschalium dierum sancta celebritas, et[h] in
Apr. 2. completione octavarum ipsius, quae erant tunc[h] 4. Nonas Aprilis, ecce[i] in exordio matu-
tino subita[k] densaverat aer equorum nebula, et quasi de[l] abditis terrae finibus emerge-
bant galearum[m] milia. Expavere[n] nostri, et mortem sibi praemeditarunt[o]. Qui agilio-
res erant[p], simulachrum, ut ita dicam, munitionis scandunt, immo vere futuram muni-
tionem per sanctorum Dei intercessionem; qui[q] vero graviores erant aetate et impedi-
tiores, substitere[r]; qui substiterant, capiuntur. Obsidentur alii[s]; obtruncantur in con-
spectu aspicientium duo de monachis Teutmarus et Theodulphus, reliqui captivitati[t]
reservantur. Nulla erat inter obsessos et captos distantia, nisi quod secundum quen-
dam[u] gravior est expectata quam illata mors. Interea urgentur obsessi, nec ulli telorum
aut tormentorum parcitur generi. Nostri econtra[v], quia pro anima illis erat res, iuncto
sibi clericorum, ipso etiam monachorum auxilio[w], quamvis illicitum sit huic ordini arma
tractare[x], eniti obnixe. Iamque[y] hostibus irrumpentibus, iamque in mutuis amplexibus

a) voluisset atque 3. d) habuerunt 1. e) omnimode effecerunt ut nihil haberent 3. f) *deest* 3. g) Hac ut dicere instituimus occasione 3. h) *deest* 1. i) barbariam 1. k) illata 1. civibus illecta 3. l) gallie provintiis 1. m) *deest* 3. n) insederat 3. o) quem praediximus 3. p) desivit 1. qua factione ab eis dissidium fecit 3. q) hasbaniam 3. *Dach.* r) igne et rapina 3. s) q. e. vel quanta f. esse potest i. 3. t) quod non multo ante s. b. l. m. Raginerus destruxerat 3. u) ragnerus 1. v) suspecta 1. w) sed ab eodem misso rursum 3. x) restruere, Deo, ut postea compertum est, maxime id agente, ut ostenderet, non in homine sed in se et in sanctorum suorum patrocinio defensionem illos sperare debere. Sublata 3. y) *deest* 1. z) potiendi 1. potiundi et crebrescente fama depraedationis et incendii 3. z*) lothariensium m. i. d. i. in h. a. hebetata s. p. m. erat inclusa 3. *) incla 1. a) familia *Dach.* e. nostrae familia id quod verum est rata, quod numquam videlicet desit divinum ubi humanum cessat auxilium, montem 3. b) u. et e. c. 3. c) *deest* 3. d) quorumcumque 3. e) *deest* 3. f) cingunt 1. g) agente — auxilium *desunt* 3. h) *deest* 3. *Dach.* i) e. subito 3. k) *deest* 3. l) ex 3. *Dach.* m) loricarum et g. 3. n) Expavescere 3. o) praemeditari 3. *Dach.* p) erant non dico munitionem sed sim. mun. s. immo veram m. 3. q) Reliqui qui impeditiores erant aetate aut gravitate infra monasterii claustra substitere 3. r) impeditores subsistere 1. s) alii, nulla inter captos et obsessos distantia, nisi — mors, obtruncantur in aspectu aspicientium Theodulphus et Theumarus, qui inter captos visi sunt excellentiores, reliqui flagellati c. r. Interea 3. t) captivi 1. u) quaedam 1. v) e. pro viribus resistere et conglomerato plebium et clericorum 3 w) agmine 3. x) t. quoniam pro a. i. e. res 3. y) Iamque — pingentibus *leguntur in edd.; desunt* 1. Ubi eo ventum est, ut desperaretur omnino, tantum audiebatur: „kyrie eleyson“ et „sancte Ursmare adiuva“, more

64) ex Ruotgero c. 19. 65) ibid. c. 20. 66) ibid. c. 24. 67) Hinc proprio Marte auctor pergit.

haerentibus, plerisque mortem sibi, plerisque deditionem pingentibus, ecce ex respectu 954. miserantis[a] Dei, ex adytis[b] templi duae[c] columbae evolant, quae terna circuitione acies obsidentium vallant. — Subsequitur[d] post haec pluvia pergrandis, quae gentiliciam illis sagittandi artem cordarum distentione frustravit. Metus[e] quoque ac terror tantus in eos irruit, ut maturarent fugam[f], et principes ipsi uterentur[g] flagellis[h] in eos qui volebant subsistere. Abducunt autem eos, quos morti residuos ceperant[i]; ecclesia[k] sancti Pauli incensa, et ecclesia maiori temptata sed miseratione Dei salvata. Thesaurum ecclesiae et[l] optima quaeque Theodulphus alius[m] ad munitionem quandam partim transportaverat, partim in ipsa[n] ecclesia terra obstruserat. Dictum postea est[o] et putatur[p] verum, quod a quodam capto pusillanimitate sufferendi sit proditus; nam[q] effossus est et exportatus. Voverunt tunc omnes in commune, diem illum sibi et posteris festivum fore; et haec est[r] celebratio[s], quae in nostris martyrologiis inscribitur sic: *Quarto Nonas Aprilis commemoratio meritorum Ursmari et Ermini, quo meruerunt Lobienses[t] ab Hungrorum obsidione eripi.* Nec tacendum, quod hii[u], qui fuerant capti, in brevi revertuntur omnes[v] sani et laeti. Nec[w] Hungros istud impune egisse passus est Deus. Nam cum[68] 955. prope iam esset summa dies et ineluctabile tempus, quo Deus[x] omnipotens, propitius terrae populi sui, ultus sanguinem servorum suorum, vindictam retribuere[y] vellet in hostes eorum, aggravata est rursus[z] ultra modum et omnino intolerabiliter superbia ferocissimae gentis Hungrorum, seducta, credo, superioris[*] anni successu. Siquidem, ut Prov. veracissime dictum est: *Ante ruinam exaltatur*[a] *cor*, ibi[b] ceciderunt omnes qui operantur 16, 18. iniquitatem. Praevenit imminentem[c] pressuram hanc ecclesiae pax in placito[d] regali, quod in Arnestat habitum fuit, ex integro condicta, ex magna iam parte per imperatoris nostri[69] fratrumque eius sapientiam[e] confirmata. Et revera tribubus et linguis innotuit, 1. Cor. quia non est Deus dissensionis, sed pacis, tanquam[f] eius inicio operatus est salutem in 14, 33. populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei[g] tempus exercitum congregandi; sed fiduciam habuit per Christum ad Deum[h], qui potens est salvare in paucis sicut in multis. Aderat ibi Cono, non iam dux sed miles, toto, ut putabatur, animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat[i]; cilicio membra domans, Deum gemitibus, ut fertur, exorans, ut si sic eius sancta voluntas[k] existeret, permissa regi nostro[69] et exercitui eius victoria, eum[l] ab impiis, quibus se prius male coniunxerat, permitteret[m] trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit[n] ieiunium in ipsa quae tunc erat vigilia sancti Laurentii martyris, per cuius interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse refugium. Propositum[o] suscepti operis negat[p] expedire bellum[69], primo sanctae 69 festivitatis diluculo susceptum, vixdum vespertino crepusculo[q], Deo misericorditer dispensante et pro suis pugnante, satis feliciter peractum[r], miserandum post victoriam Cononis interitum, gloriosissimum imperatoris triumphum, regem ipsum barbarorum, duces et principes captivos, trophaea[s] per totam regni[t] illius latitudinem usque ad eiusdem gentis fines frequentissima, quae omnia proprii industriam operis ad laudem et gloriam omnipotentis[u] Dei exspectant.

26. Nos ut a diverticulo ad propositum redeamus, Baldricus ecclesiae Leodiensi praeerat. Is avunculum suum Raginerum[v] unice colebat, pro eo quod eum in episco-

gentis usitato. Iam irruptionem timentibus, iam in mutuis osculis haerentibus, iam plerisque deditionem pangentibus 3. a) miserationis 3. b) abditis 1. c) d. ex a. t. c. 3. d) Subsecuta est ilico pluvia praegrandis 3. e) Pavor quoque ac timor 3. f) fugę 1. g) veterentur 1. h) flagris 3. *Dach.* i) quos infra ceperant 3. k) Ecclesiam 1. Ecclesiam sancti Pauli et ambitum claustri ignis consumpserat, dormitorio illaeso et monasterio temptato sed m. D. salvato 3. l) et o q. *desunt* 3. m) s. partim secum ad m. q. t. 3. n) in e. ne inveniretur terra 3. o) *deest* 1. p) putatum 1. q) denique e. et e. est. In commemoratione autem tam mirificae liberationis diem illam festivam sanxere sibi et posteris. Et haec. r) *deest* 1. s) celebritas quae ita i. in n. m. 3. t) laubienses 3. u) etiam hi 3. v) o. reversi sunt 3. w) Nec et ipsam gentem perfidam nequaquam p. est d. impune istud e. siquidem anno subsequente cum iam prope 3. x) quo p. deus t. 3. y) r. vellet v. 3. z) *deest* 3. *) a. s. 3. a) exaltabatur 1. b) et ibi 3. c) immitem 1. i. h. p. 3. d) beneplacito 1. e) sapientia 1. f) nam huius 3. g) *deest* 3. h) dominum 3. i) expugnabat 1. k) s. v. eius 3. l) cum 1. m) non p. 1. n) I. quippe indici sanxerat 1. o) et p. 3. p) urget expedire. Bellum 3. (*editoris error*). q) c. v. 3. r) actum est 1. s) *deest* 1. t) i. r. 3. u) d. o. 3. v) raginerium 2.

68) Reliqua capitis ex Ruotgeri cap. 35. descripta sunt. 69) Ita Ruotgerum ad verbum exscribit!

patu adipiscendo ille[a] plurimum iuverat; qui Raginerus[b] post mirificam illam Hungrorum liberationem ecclesiam sancti Ursmari omnium primus, et utinam abhinc solus! non exhorruit violare. Oduinum quendam odiis insequebatur, qui apud ecclesiam praefatam[c] confugium fecerat, volens aliquantum ab armis respirare, militibus suis in locis dimissis. Nactus occasionem Raginerus advolat, ut insperatum in ecclesia cogat; quem inermem ab ipsis sanctorum sepulchris, quae tunc forte patebant, extrahit, et in ipsis atriis ante vestibulum ecclesiae capite truncat. Esto, fuerit dignus ille haec pati, sed observanda erat oportunitas temporis et sanctitas loci! De loco iam satis expertum erat, quam Deo carus, quam in patrocinando munificus, quam in violatoribus vindex et severus; de oportunitate temporis ille viderit, qui haec in vigiliis Omnium sanctorum, dum vesperae celebrarentur, vel legit vel audit. Raginerus interea Erluinum quendam sibi intimum facit. Erat autem a Gemblaus[d] monasterio, quod quidam Wibertus[e] mundanae nobilitatis
70 titulis insignitus in proprio suo construxerat[70], et in quo ipse vere conversus ex mundiali militia fuerat; quem inibi abbatem, cui ipse pauper Christi regulariter obediret, praefecerat. Hic Erluinus Raginerum adulatione assidua[f] lactabat, et paulatim et per incrementa ad Laubiensis abbatiae ambitum[g] anhelabat, nec destitit, donec ad praepositurae honorem, qui tunc maior habebatur, amoto Blitardo ipsius monasterii monacho, invitis licet fratribus, proveheretur[h]. Erat autem vir in exiguo ponens mendacium, cui ad versutiam nihil deerat. Si respiceres ad religionem, nihil illo quantum ad faciem sublimius, si ad voluntariam et invocatam saepe mundialium rerum occupationem earundemque indefatigatam percursionem — quod monachum minus decet — nihil illo abiectius. In sermone ipso tanta illi diversitas, ut cum proloqueretur, verba ipsa quasi[i] trutinaret, ad ultimum multimodas cavillationum strofas doctus[k] versutiarum rethor intexeret. Hic quia, ut dictum est, invitis fratribus promotus erat, unanimitati fratrum exosus erat. Contigit quadam die, instante vindemiarum tempore, consedentibus fratribus et nescio quid triste confabulantibus[l], supervenire Erluinum, quem tanta caede fustium mulctati sunt, ut putaretur esse mortuus[m]. Quos ut discessisse persensit, paululum palpitans subduxit se, et ad Bernardum tunc advocatum confugit, cuius auxilio postea Ercliacum[n] proficiscitur, ubi quantum est inventum vinearum, eliquat et abducit, et in locis sibi oportunis recondit. Rogat praeterea Raginerum cum Baldrico pontifice, ut dies natalicios Domini Laubiis celebrent; quod et obtinuit. Erat tunc videre abominationem, stantem in loco ubi non deberet. Nam comes cum coniuge in sacrario ecclesiae mansitabat, et mensa, qua[o] sacratissimum[p] Domini corpus absumebatur[q], ministerium calciamentorum et paterarum seu scutellarum efficiebatur. Peracta igitur natalicia dierum celebritate, ubi discessum est, fratres sibi minui unde alii ingurgitarentur, ut illud genus hominum
71 querulosissimum, in commune deplorant. Assumpta igitur[r] audacia, Fontanas[s][71] petunt, villam quam Sambra alluit; ibi quantum vini est repertum — nam ibi aliquantulam portionem occultaverat — capiunt et abducunt. Profectus fuerat Erluinus Bermeriacas, ut annonam quae ibi fuerat venumdaret in solutione debiti, quod in praefato obsonio oppigneraverat. Quem fratres insecuti cum multitudine magna populi, ita in eum debacchati sunt, ut mirum fuerit, quod mortem evasit[t]. Sed ad abbatem promotus[u], omnes a monasterio praeter paucos expulit. Qui ob hoc magis irati, ne longius sermonem protraham, tres ex illis, qui iuventutis et propinquorum adminiculo ceteris praestabant, magno satis professionis et ordinis cum periculo dormitorium noctu aggressi, eum extrahunt, et non longe ab ambitu claustri protractum[v], oculis privant, partem etiam linguae amputant, sed non usque ad privationem loquelae. Et quia, ut dicebat, martyrium desiderabat, ipse sese fefellit, dum statim post haec navi impositus, metuens ne denuo
Dan. impeteretur, Gemblaus[w] est devectus; et quod praevidere ante debuerat sanus, declinavit
12, 10. debilis et exoculatus. Et quia, sicut scriptum est: *Impii agent impie, neque omnes intel-*
Apoc. 22, 11. *ligent impii*, et alibi: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, post praedictam ecclesiae

a) *deest* 2. b) raginerius *corr.* raginerus 2. *ita et infra.* c) prenominatam confugerat 2. d) gemblacensi 2. e) *deest* 2. *qui post* insignitus *add.* Wibertus nomine. f) sedula ad. 2. g) dignitatem 2. h) promoveretur 2. i) quoque 1? 2. k) doctum 2. l) fabulantibus 2. m) p. moriturus 2. n) erdiacum 1. o) in qua 2. p) sanctissimum 2. q) absumebat 1. sumebatur 2. r) sibi (s *pro* g) 1. s) fontanos 2. t) eum mortem evasisse 2. u) p. fratres semper suspectos habens, omnes *edd.* v) pertractum 2. w) gemblacum 2.

70) cf. Sigeberti Vita S. Guiberti c. 4–6. 9. 71) Fontaine.

sancti Ursmari violationem Raginerus tyrannidem multiplicat, pauperes premit, et res
ecclesiarum non Dei sed suas facit. Pro quibus omnibus a domno Brunone vere paci- 958.
fico apud Sanctum Salvium[70] evocatus, confessus, et laesae[a] regiae[b] maiestatis convictus
reus, proscriptus est, ac perpetuo exilio [damnatus ac[c]] deportatus. Multum itaque in hoc
illi, licet invito, consultum est. Quo enim diuturnior est nequam, eo sibi graviorem et
longinquiorem comparat poenam[71].

27. Interea Baldrico decedente, domnus Evracrus ex Bonna decanus, Brunone con- 959.
cedente, efficitur episcopus, vir ingenuarum artium litteratus. Hic domnum Aletrannum
undecumque doctissimum et in lege Dei exercitatum[d] ac eloquentem, volentibus omnibus,
Laubiis praefecit abbatem, ubi ita vixit, ut servum Dei decuit. Nam cum ante eum 960.
permissa fratribus rerum[e] peculiarium et tricliniorum solummodo impunitas fuerit[f], de
cetero honeste quidem et in commune vivebatur; hic, quomodo instructus fuit, omnia
ad regulam correxit. Ad cuius supplementum domnus Evracrus[g] restituens ei villas
ante abalienatas, Gimiacum videlicet, quam Folquinus quidam sibi et filiis in precariam
acquisierat, et Stratam, quam Adelardus in beneficio habebat, et Gosiniacas, quam Heribrandus aeque in precariam tenebat, et alia nonnulla. Sub illo omnia fuere nobilia,
praeterquam capsae reliquiarum praegrandes et aureae noctu furto sunt ablatae, nec
earum quid[h] repertum, praeterquam quod erat ligneum. Erat et crux aureola, quae sub
Erluino confracta a fratribus in redemptione sua[i] Raginero est data. Hac igitur diu
desiderata pace iam tandem sero potita, citissime ecclesia nostra est destituta. Nam
domnus Bruno, in quem res[k] summa decumbebat, diem clausit extremum 6. Idus Octo- 965.
bris, et domnus abbas[l] postquam biennio paralysi dissolutus est, postque quinquennium
quam praeesse[m] coeperat, in magna spe futurae gloriae defungitur 3. Nonas Novembris
anno utique nongentesimo . . . . .[n] dominicae incarnationis.

28. Post haec domnus Evracrus[o] Folcuinum, vere peccatorem, aetate iuvenem,
Laubiensibus[p] praefecit abbatem; quem, cum esset idem pontifex Coloniae in praesentia
imperiali, in frequentia magna populari, recitata[q] prius et lecta fratrum electione, ibidem
ordinari fecit. Ordinatus est ergo ab Ingranno Cameracensi episcopo die ipso Domini Dec. 25.
natalicio. Inde reversus, et loco potitus, plura suo arbitratu egit; unde[r] et fortuna in plurimis
eam servire fecit. — Ratherius adhuc Veronae erat. Qui pertaesus civium insolentia[s], simulque
suspectam habens innatam illis et peculiarem perfidiam, de reditu cogitabat, proponens
illud, quod in aliena patria saepe quidem bene vivitur, sed male moritur. Mittit igitur ad
abbatem librum[72], quem praetitulavit Conflictum duorum, pro eo quod in eodem disputans, utrum reverteretur necne, anxius fluctuaret, simul et rogans, ut mitterentur ei
equi et comites, quo expeditius ab eis iter accelerare posset. Factum est, missum est; 968. Iul.
venit ille, afferens secum auri et argenti, non dicam[t] pondera, sed ut ipsius verbis utar,
massas et acervos. Ex quibus a Lothario rege mercatus est sancti Amandi abbatiam;
qua vix una nocte potitus, eam, ut erat mirae levitatis vir, derelinquens[u], Alnam[73]
revertitur villam, quam munificentia domni episcopi promeruerat. Inde quoque simili
modo monasterium, quod Altum montem[74] nominant, dato magno precio comparavit, 71
ubi quicquid sibi praecipuum in ornamentis[v] et vestimentis ecclesiasticis fuerat, quaeque[w]

a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) d. ac *desunt* 1. d) exercitatissimum ac eloquentissimum 2. e) *deest* 2. f) impunitate 2. g) E. invit plurimum ei r. *edd.* h) quicquam earum 2. i) redemptionem sui 2. k) rerum 2. l) a. aletrannus 2. m) postquam biennio praefuerat paralysi solutus est et postquam quinquennium praeesse 2. n) *numerus deest* 1. 2. o) eurarcus fulcuinum 2. p) laubiensem 2. q) rescita 2. r) unde — fecit *deest* 1. s) insolentiam 2. t) modica 1. u) dimisit alnam reversus 2. v) o. et *desunt* 1. w) quod 2.

70) S. Sauve apud Valentianas. 71) De hac re scribit auctor vitae Gerardi Broniensis abbatis: „Fuit Ottoni frater Heinricus, patri quidem equivocus, set longe distans moribus. Instinctu enim reproborum fratri rebellavit infidus. Et ut mentio fiat quantulumcumque de altero fratre eius, duce atque archiepiscopo Brunone, cuius nimirum memoria est in benedictione, quisnam queat condigna relatione virtutes eius equiperare? Sub cuius procuratione sagacissima, radicitus amputante improborum spuria vitulamina[a], tanquam arbor fructifera refloruit Lotharingia pacis et iusticiae habundantia, asseverans eius tutamina revexisse aurea quondam tempuscula. Cuius rei indicio est Raginerus comes Hainnoensium[b] haut ignotus, cognomento Longicollus, qui, quia tyrannice suis inportunabatur provincialibus, et noluit resipiscere, semel et secundo commonitus, nunc usque exulat in ignotis regionibus, procurante industria ambidextri archipraesulis huius.“ 72) Qui nusquam invenitur; cf. Rath. Op. praef. p. XV. 73) Aulne ad Sabim. 74) Haumont, dioceseos Cameracensis.

a) uitii lamina *cod. Guelferbyt. unde haec edimus.* b) hauinoensium *id.*

antea ipse ecclesiae nostrae largitus fuerat sed postea resumpserat, facta donatione
congessit. Hoc quoque derelicto[a], Alnam denuo revertitur peracto vix . . . . .[b]. Dede-
rat autem ei et abbas cum consensu fratrum villas Stratam et Gosiniacas, et abbatio-
lam sancti Ursmari, et aliam quam Waslare monasterium vocant. Sed ipse locum[c]
nostrum semper execrans, abbati insidias machinabatur, instigantibus eum[d] ad hoc[e]
971. nonnullis. Quid multis morer[f]? Ad hoc res venit, ut abbas cederet loco, sciens sic
quoque episcopum velle. Nam de eo nihil nostrum est aliud dicere. Ratherius ut
ostenderet prioris inimicitiae causas, locum invadit, et metuens abbatis animositatem
simulque cognationem eius, quae non erat infima, claustrum in modum castelli cingit,
de mammona sibi, ut dicebat, residuo quorundam principum ad hoc empto adiutorio;
ecclesia quoque sancti Dionisii, quam emerat a comite Roberto viginti librarum taxato
precio, huius rei causa sponte caruit. Nec quid, quantum, cuive ob[g] id daret, quicquam
971 Nov. pensi habuit. Quid plura? Annus ille sic ductus est, donec[h] defunctus est Evracrus
972. episcopus et in loco[i] eius Nothgerus successit. Cuius[75] animi dotes et virtutum sum-
mam si pergam dicere, quoniam adhuc superest[76], adulari videbor. Unum pro certo
dicendum est, quod vir sit, in quem spiritus Dei donum singulare contulit veritatis et
fidei. Qui nolens primordia sua levia aut praecipitata haberi, evocatis abbatibus, Werin-
fredo videlicet a Stabulaus et Heriberto ab Andagino, cum aliquibus fratribus, primum
conspirationis exordia quaerit, inventa trutinat et discutit, discussa demum iudicio utitur.
Ubi perspexit omnia esse frivola, fratres abbati reconciliat[k], ipsum restituit. Ratherius
Alnam revertitur, ubi uterque, ipse videlicet et abbas, sibi reconciliatus, de reliquo
deguit. Qui postea apud Namurcum, cum ibi forte cum comite aliquantulum moraretur,
974. vita decessit. Cuius corpus ad nos delatum, pontificalibus exequiis solemniter celebratis,
honorifice est tumulatum[l] in ecclesia sancti Ursmari ad partem aquilonarem.

29. Pace nobis per Dei gratiam Nothgero agente firmissima collata, domnus episcopus Leodium revertitur, reliquum tempus in innovandis sive decorandis aedibus et ecclesiasticis rebus multiplicandis consumens. Nam ut verum fateamur, nullus praedecessorum suorum, quantum recordatur opinio, illo amplius Leodiensem ecclesiam rebus auxit, aedificiis nobilitavit. Creverunt illo tempore et in monasterio nostro aedificia nonnulla, instinctu episcopi, opera abbatis facta. Refectorium a fundamento coeptum, et Deo concedente satis elegans perfectum. In cuius introitu fecit vestibulum, in quo per subterraneos meatus aquae ductum fecit, quae sursum ebulliens ibidem scaturire videtur, concavaria huic superiori receptaculo praeparata, quae per quatuor foramina in supposita alia aquam cribrans, sufficientem fratribus administrationem aquae distillat. Quod refectorium a domno Tiedone[m] episcopo consecratum est cum cereis et timiamateriis et omni quo domus consecranda est apparatu. Ecclesiam sancti Pauli, quam Hungari incenderant, retexit, cui domum infirmorum annexit; obambulatorium claustri, si ita dicendum est — quoniam nunc non aliud quomodo nominandum[n] sit occurrit vocabulum —, nullum erat praeter capituli domum et ligneam aediculam, quae prioris refectorii ianuam vestiebat[o], quae annuatim scindulis[p] operiebatur[q]; sed ubi exsiccatae erant, foco observiebant[r]. Hoc illo lapide cinxit, et facta contignatione, asseribus[s] cum ferreis clavis texit. Ecclesia quia per se satis elegans erat, ut in ornamentis elegantior redderetur operam dedit; quam de pulchra fecit pulcherrimam. Cuius altaris tabulam, quia nulla erat, fecit argenteam; domum ipsam altaris et laquear ipsius apprime[t] pinxit; pulpitumque euangelii tali modo fecit[u], ut essent quatuor emicedia altrinsecus e regione in modum crucis posita, quae ex aere ductilia, et ad libitum artificis per loca scalprata[v] et deaurata, postibus undiquessecus[w] deargentatis, in septentrionali parte fusilem habent aquilam optime deauratam[x], quae interdum alas stringit, interdum alis extensis capacem euangeliorum codici locum pandit[77], colloque quasi pro libitu[y] artificiose ad audiendum

a) Hic quoque de reliquo 1. Hocque d. 2. b) *ita* 1. 2. c) monasterium 2. d) *deest* 1. e) haec 2. f) moror 2. g) ob id *desunt* 2. h) d. d. e. e. *desunt* 1. i) locum 2. k) reconciliavit 1. l) *reliqua capitis desunt* 1. m) nedone 1. n) dicendum 2. o) nesciebat 1. p) scedulis 2. scidulis 1. q) vestiebatur 2. r) deserviebant 2. s) assilibus 1. t) optime 2. u) finxit 2. v) sculpta 2. w) undique se secus 1? 2. x) deargentatam 2. y) libito 2.

75) cf. Einhardi Vitam Karoli c. 18. 76) Obiit a 1008. 77) Aquila aerea eiusmodi in basilica Aquensi extat.

retorto[a], immissis[b] prunis fragrantiam superimpositi thuris emittit. In occidentali autem parte eiusdem ambonis versus populum fecit altare in honorem sanctae crucis et omnium sanctorum, cui et tabulam argenteam anteposuit, et desuper vivificam illam Domini imaginem, quam nostris adhuc terris incomparabilem ipse quendam ut faceret magno precio locaverat[c], erexit. De reliquo ornatu ecclesiastico et de multiplicatione librorum in armario non vacat dicere; sufficit ex superfluo hoc[d] tetigisse. Fecit et coronam argenteam, in qua versus scripsit. Fecit et campanas duas maiores, quarum unam, quae maxima erat, sancto Petro, et aliam sancto Ursmaro dedit[e]. In ista versus hii inscripti sunt: *Iussu Fulcuini me condidit artificis manus Danielis, ad laudem Triadis.* In alia istud tantummodo: *Fulcuinus Deo et patrono suo sancto[f] Ursmaro.*

30. Ecclesia[g] trans Sambram in[h] monte quem nos Sanctorum, vulgus Pulchrum vocat, eius tempore coepta est occasione huiusmodi. Arebat quodam tempore[i] terra, et denegatis pluviis, desuper[k] sole torrente, Heliae timebantur[l] tempora. Omnis plebs et tota provincia cucurrit experta[m] sibi ad suffragia, sanctum videlicet[n] Ursmarum patronum[o] in huiusmodi[p] anxietatibus ad Dei gratiam repropiciandam assuetissimum, rogans[q] abbatem, ut prolatis sanctorum pigneribus more letaniarum circumferri ea praeciperet[r]. Rem abbas ad fratres refert, laudant devotionem plebis, dicunt ei[s], satisfacere debere[t]. Indicto ergo[u] generali ieiunio et[v] die praefixo, plebs tanta confluxit, quantam[w] in unum conglobatam[x] vix[y] umquam vidit nemo. Producuntur[z] in feretris composita sanctorum corpora, non sine magno[*] populi luctu permixta laetitia; et quia tanta erat populi multitudo, ut eam[a] cuiusvis campi quamvis latissimi vix caperet amplitudo, proposuerunt, ut[b] hiis qui ultra[c] Sambram erant primum salutanda deferrentur in monte supra memorato et in loco praeviso. Ibi tanta fuit populi devotio, ut non possit prosequi[d] scripto. Ex sumptibus, quos largitus est populus, designata est et incepta ecclesia; quando vel a quo erit perficienda, in Dei est providentia. Reportata sunt et citra; et hic nihilominus tanta erat multitudo, ut invicem artarentur. Ostendit et Dominus, devotionem istam plebis per merita sancti Ursmari sibi placuisse. Nam ipso die in magna coeli serenitate obnubilato[e] aere, factus est sonus subsecuturae pluviae. Quae postea tam larga profluxit[f], ut satis sufficeret, et copias anni fertilissimas redderet. — Et[g] quia parum hoc de virtutibus sancti Ursmari praegustavimus, et ad nostri temporis faecem, sicut proposuimus, Deo donante pervenimus, libet in fine opusculi in miraculis eiusdem[h] patris aliquantisper immorari. Nam si quod promisimus, nos quoque[i] volumus, et tali modo foenus persolvimus.

31. Fundus est, quam[k] Villam Reliam[77] vocant; is[l] nobis vicinus est, et in eo[m] memoria sancti Ursmari. Ferunt eundem virum Dei, dum mundo exularet, et regem apud Lyptinas commorantem[n] urbem crebrius inviseret, quia locus contiguus viae est, illic solitum requiescere; atque ibi dentem, qui ob nimium dolorem — qua valitudine ille plurimum laborabat — illic deciderat, inibi defodisse. Locus iste ecclesia sacer erat, sed civium negligentia destructa fuerat, altare[o] tamen loci incultum remanserat. Caecus quidam ibi erat, cui in mentem sedit, ut altare viminibus cingeret, ne pecoribus aut canibus adibile esset. Qui quadam die puero praeduce in silvam perrexit, dumque virgam ad se applicat, ut eam cum ferramento capularet[p], in[q] ipso conamine oculi eius ita aperti sunt, ut clare videret[r].

32. Anus quaedam apud nos erat, quae interdum ecclesiae stipendiis, interdum fidelium elemosinis alebatur. Cuius manus dextera ita erat contracta, ut ungues digitorum volam palmae viderentur perforasse[s]. Haec die quadam, quae habebatur dominica eratque quadragesimalium dierum tertia, in ecclesia sancti Ursmari loco suo stetit, et inter missarum celebrationem subito intremuit, cum subito, et propter diuturnitatem[t] incommodi illa insperata, coeperunt se nervi digitorum extendere et manus ad officium suum redire. Illa ut persensit, ecclesiam vocibus complevit. Plena erat ecclesia, subsequuntur[u] omnes: *Deo gratias!* Deo laudes, nemine tacente, in commune dicuntur. Curritur ad me,

a) et iterum reducto *add. Dach.* b) invisis 1. c) *deest* 1. 2. d) hoc tantum 2. e) dedicavit? f) sanctissimo 2. g) Ecclesiam 2. *qui* eccla *legisse videtur.* h) sambram quam nos 1? 2. i) *sequentia om.* 2. *exstant in miraculis S. Ursmari* (3.) c. 2. k) s. d. coquente 3. l) timebant 1. m) ad nota sibi et saepius comperta s. 3. n) utique 3. o) p. ad d. g. r. in h. a. assuet. 3. p) huius 1. q) Rogant 3. r) permitteret 3. s) eis 3. t) deberi 3. u) igitur 3. v) et d. p. *desunt* 3. w) quanta 1. x) *deest* 1. y) vix aliquis unquam vidit aut nemo 3. z) Esto ducunt 1. *) multo 3. a) eam in unum aliquis campus quamvis latissimus nequaquam caperet et omnes nihilominus ad salutanda sanctorum corpora populari fremitu impingerent prop. 3. *cuius lectiones aliquas tantum in sequentibus annotavimus.* b) *deest* 1. c) qui ab ulteriori parte Sambrae 3. d) persequi 1. e) obnubilatio 1. f) perfluxit 1. g) Et quia ad n. t. f. — pervenimus et nunc se occasio obtulit, ut paululum hoc de virtutibus Ursmari praegustaremus, libet uberius aliquantulum in fine opusculi nostri in eius virtutum miraculis immorari, ut qui fuit initium, sit et clausula libri. Nam sic sponsionis nostrae memores, foenus persolvimus, sed et ipsi percipimus. Dicemus igitur non ea quae plura ab antecessoribus nostris aut neglecta aut obliterata sunt, sed ea quae ipsi vidimus aut ab his qui viderunt audivimus. 3. *Haec vero vix libro de miraculis S. Ursmari scripto conveniunt.* h) eius 1. i) quod 1. k) quem 3. l) hic 3. m) ea 1. n) commoratam 1. o) tantum altare idque incultum 3. p) copularet 1? q) et in 1. r) At laetior redditus in recompensatione beneficii ex facultatula sua illam reaedificare coepit, gratias agens Deo, qui sanctum Ursmarum in pluribus miraculis mirifice mirificavit. *add.* 3. *ubi ordo sequentium diversus.* s) perforare 1. t) diutuitatem inconmodi 1. u) obsequuntur 1.

77) Vellereille HENSCHEN.

ubi eram in ecclesia forte maiori, unus post alterum aliquid apportaturus novi, et quasi non prius esset dictum, rumigerulus afferebat nutibus gaudiorum. Nos illico ad ecclesiam scandimus, invenimus illam prae miraculi stupore stantem et trementem, attamen sanam. Laudavimus Deum, et ita discessum est.

33. Mulier quaedam plena demonio, a parentibus ad sancti viri sepulchrum[a] attracta est potius quam adducta; pedes, manus et colla arcebant[b] vincula; gutture solum et lingua horribilia quaedam proferebat[c] et foetida. Audires interdum canem[d] latrantem, sibilum serpentum, taurorum mugitum, ut quasi in[e] uno cubili essent diversa ferarum monstra. Dies erat festivus[f] eiusdem patris, convenerant[g] ad festa plus solito populi. Illa ibi iacebat, tam terribiles voces emittens, ut vix missae audiri possent in die tam celebri. Festivitate peracta, ubi illuxit dies crastina, fratres condolentes illi, ecclesiam sancti Ursmari petunt, pro eius ereptione Dominum deprecaturi; proposuerunt letaniam prostrati agere, cuius recitatio mihi iniuncta est. Ubi ergo post recitationem sanctorum omnium[h] ad locum perventum est, cum[i] dicere deberem: *Per adventum tuum libera nos Domine*, vocibus eius perterritus anticipavi dicere: *Per nativitatem tuam.* Tunc illa, immo ille, quo misera illa torquebatur: *Mentiris*, inquit, *et praepostere loqueris.* Expavi, fateor, et pene extra me effectus sum. At ubi me recepi, letaniam sum prosecutus, coepique mecum agere tacitus, quod isdem apostata spiritus Dei iudicio tortus, vera tunc quoque dixerit coactus et invitus. Peccatis nostris agentibus, tunc nil actum est. Unde desperati parentes eius, eam reducere temptant. Sed ubi ad Sambram ventum est, in pontis medio unus illorum respiciens ad ecclesiam: *Eya*, inquit, *sancte Ursmare, placetne tibi, ut*[k] *a te tam tristes redeamus*[l], *frustrati a te de longinquo*[m] *quaesita sospitate?* Vix verba compleverat, cum subito illa in eodem pontis loco corruit, et aliquantulum illic mortuo simillima[n] iacuit. Quid plura? Miseratione Dei per merita sancti Ursmari post paululum resedit, quae circa se agebantur inquisivit, ciboque sumpto, omnique sanata incommodo, peste caruit, miraculumque suum ipsa postea circumtulit.

34. Nuper quoque quidam aeque energuminus ad supradictam memoriam est delatus. Quem clerici ecclesiae nobis alia curantibus per se temptant increpare, immersumque[o] in aqua consecrata exorcistarum more exorcizavere. Sed inter manus exorcizantium subito in altum rapitur, ita ut per plantas vix manibus teneretur, et magno satis cum conamine deorsum remittitur[p]. Instantibus nihilominus clericis orationi et increpationi, sanatur hic quoque ad laudem Dei per merita sancti Ursmari.

35[q]. Adso[r] quidam erat in servitio fratris mei Godescalci[s] calciamentoriam[t] artem agens[u], quem a puero contractum omnes cognovimus, ita ut progredi quoquam nisi cum scabellis nequiret. Hic quadam die ad sepulchrum sancti Ursmari vota soluturus[v] accessit, ferens secum cerea munera, candelas videlicet geminas, petiitque[w] ab[x] aedituo, ut eum ibi pernoctare sineret. Concessit ille; pernoctavit iste. Statim in ipso conticinio orante illo et Dei potentiam praestolante, coeperunt se tibiae complicatae reducere, et tali pedum a diutina[y] cohaesione natium non sine magno patientis incommodo seiungere, usque dum plene erectus, custodibus mirantibus in pedes stetit; sed prae nimio dolore et inconsuetum[z] progrediendi usum ambulare non potuit. Qui prae nimia gratulatione quodammodo visus est fuisse ingratus, dum insciis omnibus mane ecclesiam egressus, nec tum laudes Deo dicere fecit, et ipse, ubi plene doloribus caruit, Ragenarianae[*] rebellioni se satellitem miscuit.

974. 36[a]. Et abbas Aletramnus, ut diximus, paralisi laborabat. Caeca quaedam elemosina Fredesindis[b] illius, quae Stephano cui Brebona serviebat nupserat, alebatur. Haec quadam die orandi causa ad memoriam sancti Ursmari venit, et dum montem, cui supraposita est ecclesia, ipsa scanderet, in intercapedine, quam quercus antiqua disterminat[c], ex adytis templi, quasi per aliquas rimulas tenuissimas aliquantulum lucis se versus vibrare persensit. Progressa domum ad sancti patris nostri[d] tumulum, ita mirata est visum, ut Gosberto[e] praeposito nuntiante faceret iocundissimum et in Dei laudibus speciosissimum. Factum est hoc ante dominicam quam vocant medianam sexta feria.

78 37[f]. In territorio quoque Wilare[g] 78 nobis deserviente quidam fuit[h] colonus, qui cum ceteris votive ad constructionem Transsambrinae, quam praediximus, ecclesiae lapides subvehentibus insultaret, seque id servicium nullo modo subiturum deieraret[i], repente omni membrorum officio debilitatus est. Sed ut reatum suum, sero licet, cognovit, vota accumulavit, et sanus illico effectus, plus ceteris, ceteros accendens, quo[k] potuit devotionis ardore confricavit.

38[l]. Kalendae erant Augusti, qui est dies celebris apud nos pro commemoratione vinculorum sancti Petri; Sambra forte tunc plus solito excreverat, et populus confluens ad festa festinabat. Inter agendum dum celebrantur missae, et ad eas Transsambrini globatim maturarent accelerare, pons quem subierant multitudine[m] praegravatus decidit, immersosque quos acceperat[n] alveus longe fluvio suo

a) *deest* 1. b) arctabant 3. c) promebat 3. *Dach.* d) canum latratum 3. e) *deest* 1. f) festivitatis 3. *Dach.* g) convenerat 1. quo ierant 3. coierant *Dach.* h) nominum 3. i) quo 3. *Dach.* k) *deest* 1. l) abeamus 3. *Dach.* m) longinque 1. n) similima 1. o) immissumque 3. *Dach.* p) reduceretur 3. *Dach.* q) XXXVII *Dach.* r) Atho 3. s) m. G. *desunt* 1. t) sutoriam 3. *Dach.* u) agentis 1. v) solviturus 1. w) petitque 1. x) *deest* 1. y) duiciva 1. z) indissuetum 3. *) regeriane 1. ragenerianae 3. a) XXXVIII *Dach.* b) Tredesendis 3. Fredesendis *Dach.* c) disterminat victare quodammodo excecutiente cepit. Progressa 1. d. ex ad. t. q. p. ten. rim. al. luminis se v. v. p. Progressa 3. d) *deest* 1. e) Cozberto 3. f) XXXVIIII. *Dach.* g) Villare 3. h) fui 1. fuit nuper 3. i) diceret 3. k) qua 1. l) XL. *Dach.* m) multitudinem 1. n) accepera 1.

78) parochia inter Lobium et Binchium. HENSCHEN.

traxit. Facta igitur conclamatione, turbatur ecclesia. Egressi pene omnes dum anxiarentur[a] ad cadavera solum requirenda, mira Dei potentia cuncta illa immersorum examina sospita obviavere et laeta. Dicat hic quis quod vult; nos liberationem hanc Deo asscribimus, cui proprium est et singulare, sanctos suos ubique magnificare, et fidentes[b] in illis opera[c] misericordiae suae in periculis eorum meritis sublevare.

39[d]. Gislabertus, ex quatuor comitis Roberti filiis unus, nuper[e] cum aliis, qui Mathildem comitissam[79] stipaverant[f], apud nos hospitatum venerat. Qui inter coenandum monachico ordini quasi minus profuso[g], utpote improvise ipsis venientibus, coepit detrahere, licet pro oportunitate temporis illis sufficientes amministrarentur copiae. Mane facto, montem oratum eques scandit[h], sed in ipso transgressu graduum, per quos ascenditur ad superius monasterium, equus sub ipso labitur, qui calcaribus multociens caesus minime erigitur. Putaverunt, quod morbo, ut fit, sonipes urgeretur; temptatum est iterum et tertio; quadrupes procul dubio immobilis iacet. Persuasum est illi ab amicis et comitibus, maxime a Bosone[i] nostro advocato, ut si quid forte teste conscientia transgressionis[k] egisset, votum vovens, Deo et ecclesiae eius satisfaceret, et hoc quantocius posset[l]. Promisit, et descendens equum quidem sanum repperit, sed nisi deorsum montis ei insidere nequivit.

40. Frater[m] Robertus, nostro tempore ecclesiae sancti Ursmari edituus[n], baculum recurvum, quem plerique tambucam[o], alii petaculum[p] vocant, quasi sancti Ursmari gestabilem et proprium argento fabricavit, petiitque a nobis, ut aliquantulum de corpore ipsius ad maiorem populi venerationem baculo illi insereremus. Fecimus quod petierat, quaesitis et sumptis ex[q] concineratione sanctissimi corporis in sepulchro duobus dentibus; quibus inmissis, ubi ab inferius ad superius monasterium delatus est, in ipso ingressu anus quaedam, quae interdum ecclesiae stipendiis, interdum elemosinis fidelium sustentabatur et in ecclesia — missae autem agebantur eratque dominica quadragesimalium dierum tertia — loco suo stabat, subito contremuit[80].

41[r]. Nec tantum in loco felicis eiusdem patris requietionis fiunt a Deo eius interventu haec specialiter mira, sed in remotis eius memoriae dicatis locis persaepe ostensa sunt plurima[s] miraculo digna. Tudinium denique, nobis adiacens castrum, locum habebat ecclesiae sancti Ursmari memoria sacrum. In quo quodam tempore, ea videlicet quae erat coena Domini nocte, sicut audivimus Bosonem advocatum[t], qui interfuerat, referre, dum more solito in matutinali synaxi lucernae extinguerentur, et ymno euangelii finito, terrae[u] astantes prosternerentur, tria stillicidia in modum illorum, quae videmus porcina ex pinguedine ardentia stillare, a summo tecti in pavimento distillavere, adeo ut aliquibus ecclesiam incendere, aliquibus illustrare viderentur. Quod cum omnes viderent, cuidam tamen Tietbergae[v], nobilissimae matronae, orationi incumbenti[w] vicinius et in ipso pene[x] occipicio visum est distillare[y]. Et hoc cur factum sit, nobis quidem est incertum, nil autem in terra sine causa fieri, quia legimus[z], non est dubium. Ternarius autem[*] numerus unde sit sacer, catholicis patet, et ignem Deum[a] esse, non ficte, sicut a poetis Vulcanus ignis dicitur, sed vere, ut apostolus sensit, tam ex ipsius verbis, ubi: *Deus noster ignis consumens est,* (Hebr. 12, 23.) quam in eo[b], quod Spiritus sanctus verus in Trinitate perfecta Deus, in igneis linguis super apostolos descendit, orthodoxus quisque intelligit. Hanc igitur ternam[c] igneamque distillationem Trinitas sancta utrum pro alicuius astantis approbanda[d] devotione egit[e], quam eadem forte tunc igniverat[f], ut ostenderet foris quod intus agebat, aut propter commendanda sanctorum patrocinia — quod magis credibile est — quae ibi populus devote frequentabat, nobis[g] quidem latet, sed ei, qui omnia facienda praevidet[h] et facta moderatur et regit, procul dubio patet.

42[i]. Magnitudine seu enormitate suscepti operis devicti[k] et enervati, plura praetermittimus. Unum hoc ultimum et omnibus praedicatum pluribusque sui comperto notissimum dicemus; quod videlicet nullus qui ecclesiae illi unquam intulit dampnum, gloriatus sit in annum. Et si forte pro quolibet[l], ut assolet, iniuste illato dampno monachi ex maiori monasterio, quod quidem inferius est, montem sancti Ursmari scandunt reclamaturi, creditur, nec vana spes est, nunquam inultum iri. Experti sunt hoc plerique, et sero licet ingemuere. Nimirum locum, quem rexit corpore vivens, tuetur meritis, cum Christo regnans et in ipso gaudens.

43[m]. Presbyter est quem Osingerum nominant[n], qui ita paralisi erat dissolutus, ut cervix in ipsa iunctura resiliret[o]. Quid dicam, quod loqui non poterat, cui omnium membrorum officia, solo spiritu anhelante, defecerant. Hic in hac valitudine annum explens, alterius solatio, elemosinis fidelium sustentabatur. Iacebat autem in villa Fleon dicta, cui vicina[p] est illa nativitatis sancti[q] Ursmari ministra,

a) anxiantur 3. b) fidentibus 1. c) ope 3. d) XLI. *Dach.* e) *deest* 1. f) stupraverat 1. g) profusum u. inprovisum 1. h) scandens in populo t. 1. i) ab ofo 1. k) transgressorie 3. l) possit 1. m) *Hoc cap. deest apud Dach.; in* 3. *supra cum* 32. *coniunctum legitur.* n) editus 1. o) cambuttam 3. p) petalum 3. q) de 3. r) XLII. *Dach.* s) plura 3. *Dach.* t) a. nostrum 3. u) terra a. prosternuntur 1. v) tibergae 1. w) inibi procumbenti 3. *Dach.* x) birre 1. y) distillasse 3. z) legitimus 1. *) siquidem 3. *Dach.* a) domini 1. (dni *pro* dm); dominum 3. b) quoniam vero 1. c) trinam 1. d) approbandam devotionem 1. e) *deest* 1. f) ignoraverat 1. g) nos 3. h) praevidit 1. i) XLIII. *Dach.* k) evicti 3. *Dach.* l) quibuslibet 1. m) *Haec capita apud Dach. supra* 35. *et* 36. *ponuntur, in* 3. *vero ante cap.* 42. *leguntur.* n) n. sed et hic adhuc superest 3. o) resileret 1. p) vicinia 1? q) s. u. *desunt* 1.

79) uxorem Raginerii IV. comitis Hannoniae. An Robertus sit aliis Rasbodus comes Namurcensis, pronepos ex matre Raginerii I. non satis liquet. HENSCHEN. 80) cf. supra c. 32.

in qua erat ecclesiola lignea, quam ferunt eum propriis manibus compaginasse et in praedio suo dedi-
81 casse. Quadam die euntibus quibusdam cum plaustris in Augusta Viromandorum[81] mercandi gratia, rogavit virtute qua poterat, ut superpositus plaustro ad supradictam ecclesiolam duceretur. Factum est. Positus est in ecclesia[a], et ibi pernoctavit. Mane autem facto, voluit temptare, confisus de Dei misericordia et sancti Ursmari intercessione, utrum per se in ipso grabato posset sublevatus residere. Fecit, miratus est rem. Deinde paulatim reviviscendo, viribus in membris resumptis[b], erexit se, et ambulavit, gratias agens Deo et patrocinatori suo. Nos postea frequentibus eius missarum celebrationibus usi[c] sumus in eodem loco. Sanus ipse de reliquo, praeterquam cervix quae resilierat[d] parum retorta videretur, puto propter commemorationem tam mirifici beneficii, ad propalandum omnibus, quantum valeat in conspectu Domini meritum sancti sui.

44. Retulit isdem presbyter nobis, quod[e] quadam die in ipsa ecclesia, cui in recompensatione beneficii iam dicti deserviebat[f], dum[g] missas ageret, lecto euangelio, vas quod consuetudinaliter iuxta altare cum vino pendebat, in calicem versat, sed vinum ita congelatum erat, ut nec gutta proflueret. Dat vasculum clerico ministranti, ut glaciem igne resolvat; ipse interim officium percelebrat; dum tardatur, ille respexit ad calicem, qui plenus vino inventus est, adeo ut pene excresceret.

a) ecclesiola 3. *Dach.* b) reviviscentibus membris mirum dictu erexit 3. *Dach.* c) fruiti 3. *Dach.* d) reselierat 1. e) quia dum 3. f) i. d. d. *desunt* 1. g) *deest* 3. 81) St. Quentin.

CHRONICON GLADBACENSE.

Libellum de fundatione Gladbacensis prope Coloniam monasterii[1] *Heinrico abbate, qui a.* 1066. *obiit, auctore, et adiuvante nepote eius Wolfhelmo, a.* 1065 —1091. *abbate Brunwilarensi, cui avunculus rei gestae seriem exposuerat, monachus quidam Gladbacensis*[2] *calamo commisit. Scripsit igitur centum circiter annis post originem monasterii sui, ideoque fides libelli ex testibus diiudicanda erit. Opusculum simplici stilo, qui tamen haud raro rhythmum affectat, exaratum, ex codice suo Gladbacenses monachi cum Dacherio communicaverant; prodiit primum in Spicilegio T. XII.* 234. *et novae edit. II.* 655—657, *tum ex eodem codice melius in libro, quem b. m. Ferdinando L. B. de Spiegel archiepiscopo Coloniensi, rei nostrae quondam fautori benignissimo, inscripserunt reverendi duumviri Ant. Ios. Binterim et Ios. Hubert. Mooren „Die alte und neue Erzdiözese Köln" T. III.* 41—53, *unde aliquot locis emendatum recudimus. Trithemius in chronico Hirsaugiensi fundationem monasterii Gladbacensis anno* 974. *monasterii traditio a D. Binterim p.* 48 *n. allata anno* 972. *adscripsit.*

In domo patrisfamilias habentur vasa multiplicia, communiter quidem sed differenter necessaria. Nam cum quedam ad gloriam, quedam vero sint ad contumeliam, que videntur viliora sepe probantur utiliora, contraque que cariora, minus utilia. Sunt quidem aurea et argentea in divitum thecis diligenter reposita, sunt lignea et testea divitum et rusticorum usibus eque ministrantia. Hec ergo preciosiora, illa vero sunt utiliora, sic sic nimirum dialecticorum et rhetorum astutia serpentina sapientibus solis, simplicitas vero columbina doctis simul et idiotis. Unde nos consulentes simplicioribus, intentionis nostre seriem humili stylo descripsimus, succingentes eam et rusticitatem devitantes, quam maxime potuimus; ne sermo gravis vel nimis horreret incultus, aut ultra modum fastidium generaret productus. Verum ne quis iuniores nos, quod non accepimus, docuisse calumnietur, relatorem veracem habere gloriamur, cui non nos solum, sed testimonium dicant, quotquot eum noverunt. Abbas enim Henricus[3] cum veneratione nominandus huius historiolae nobis auctor extitit,

1) Situm est ab oriente Roermondae, ab occidente Dusseldorfii, e meridie Krefeldi. 2) praefat. et cf. c. 6. *citra Rhenum.* 3) aut Hemericus.

qui et tantos testes nominavit, quantos in ipso de quo agimus monasterio abbates vel seniores probatos fuisse contigit. Habemus autem nos cum multis aliis idoneum testem dominum Wolffelmum monasterii Bruvilerensis abbatem, cui pro religionis et sapientie reverentia fides est maior adhibenda, qui a prefato venerabili viro tanto enucleatius omnia percepit, quanto familiarius cum eo, utpote cum avunculo suo, conversari meruit. Scribere vero proposuimus monasterium illud Gladebacense revelatione divina constructum, qualiter quotiesque sit, invidia instigante, destructum et inhabitantes cum abbatibus pulsi atque transmigrati, donec demum in miserendi tempore, sanctissimo patrono nostro Vito interveniente, licet non in pristinum statum, utcunque tamen reformatum atque stabilitum est. Sed his ad exhortandam fidem simul et legendi curiositatem lectori prelibatis, ad exoriendam accingamur materiem narrationis.

1. Recordationis igitur piissime Gero successor datus Folimaro[a] Coloniensi archiepiscopo, cura pastorali solerter invigilavit gregi sibi commisso, bonis enim pollens moribus, per cuncta laudabilis, non a se, sed est a Deo commendatus. Cum autem, quam ruminabat sedulus devotionem, in aliquam Deo placitam transferre conaretur actionem, revelatum est ei divinitus, quod in colle consito nemoribus rivulo preterfluente, Deo et precioso illius[b] martyri Vito monasterium deberet construere, cenobiali regulariter informatum religione.

2. Pontifex itaque Deo plenus divine voluntatis executor haud tediosus, de cenobio sancti Maximini, unde tunc temporis monastice vinee virtutum botros germinantis odor longe lateque respergebatur floridus, virum conscivit strenuum prelibato operi preponendum, disciplinis regularibus apprime eruditum, nomine Sandradum. Cui cum proprie voluntatis divineque panderet ordinem revelationis, placuit in commune, singula diocesis sue loca circuire, sic forte locum a Deo preelectum inventum iri.

3. Exeuntes ergo exploratores pii, actiones suas postulabant Deo aspirante preveniri, et adiuvante prosecutum iri. Multis perinde Saxonie locis indagine curiosa circumspectis, Leigelingon[1] devenerunt; ibi ergo post corporum recreationem facta deambulatione, perspicaciter desiderantes considerare, locum invenerunt, ut eis visum est, visioni congrue respondentem, fluviumque Wipperam prope fluentem. Leti igitur admodum effecti, et quod votis omnibus querebant, se invenisse rati, Domino, qui puris manibus et mundo corde invocantibus semper presto est, laudes dicunt, moxque monasterii officinarumque spacium vallo cingunt.

4. Verum omnipotens Deus, qui pia fidelium vota clemens dignatur intueri, passus non est eos[c] incassum diutius fatigari, sed aperte signavit, hunc non esse locum, quem antistiti devoto construendum premonstravit. Nam coepto opere, et iam in dies proficiente, nuntii venerunt imperatoris Ottonis secundi, post obitum patris in administrationem monarchie recens ordinati. Quorum adventu gratulabundus episcopus, ut humani mos est ingenii, 973.
in rebus agendis amicorum favoribus delectari, accepta legatione precepit solito maturius mensam parari; et omnibus affluenter epulantibus, nuntiisque regiis contra episcopum honorabiliter residentibus — unus enim ex ipsis clericus et alter erat laicus — misit his antistes iecur cervinum lautius paratum; erat enim tempus autumnale, quo venatio imminet cervorum precipua. Laico autem carnem incidente sepius, clericus incisam rapiebat avidius, donec quasi iocando laicus cultello vulnus in genu levissimum infixit clerico. Moxque cum tenui sanguine in ipso mors est subsecuta momento.

5. Stupentibus vero qui aderant universis et de 974.
eo quod acciderat mente consternatis, varia quoque more vulgi opinione gentili conferentibus, spiritu sapientie et intellectus repletus episcopus, silentio facto, in hec verba est concionatus: *Nemo fortuitum putet, ut vulgus garrit indoctum, vel fatale, quod in presentiarum cernitur contigisse; fatum enim vel fortuitum nihil esse constat, sed providentia divina rite, que condidit, proprio nutu dispensat. Quod si homo rationalis apertos semper teneret oculos mentis, advigilans ad adventum Iudicis, nequaquam ita formidabiliter incideret in subitanee foveam mortis; nam pie monens in euangelio Dominus ait: „Vigilate, quia nescitis, qua hora dominus vester venturus est.“ Quia ergo et venture mortis tempus ignoramus et post mortem operari non possumus, superest, ut ante mortem tempora indulta rapiamus; sic enim, sic mors ipsa cum venerit vincitur, si priusquam veniat semper suspecta timeatur. De huius fratris nostri iudicare non permittitur occasu repentino, sed eius, qui omnia novit antequam fiant, reservamus iudicio. Verum futurorum prescius Deus revelans arcana, que nulla sui perspicacitate mens previdet humana, nobis servis suis ostendit, que hoc in loco cepimus non sibi voluntaria. Non enim credendum, quod hunc locum in constructionis initio tam stupendo sineret pollui homicidio, si inhabitationis monachice dignaretur insigniri privilegio. Nam sicut monachis mundo mortificari solique Deo vivere manet arduum votum, sic habitationes eorum mundas et sine pol-* 1
lutione nefaria vel criminali sollicitudo debet previdere constructorum et custodire patrum. Unde, quia nec hunc Dominus elegit locum, voluntati eius per omnia parendum et ad alia censeo emigrandum, sperans in bonitatis eius clementia, quia, quod cepit in nobis bonum, perficiet. Et nunc quidem pro humane sortis miseria vobis in commune est dolendum, simulque orandum, ut pius Deus et exorabilis hunc famulum suum ab omnibus absolvat peccatis, quem occulto suo iudicio tam terribiliter casu preveniri permisit mortalitatis.

6. Et orante qui aderat populo, corporeque defuncti a commilitonibus ad alia translato, rursus antistes infatigabiliter conatur redintegrare laborem, quem per divinam revelandum sperabat consolationem. Ita demum moventes inde, citra Rhenum statuerunt inquisitionem facere, et multa pretereuntes, ultra terminum

a) *sic.* b) illi *ed.* c) cor *ed.*

1) Leichlingen ad Wiperam, inter Elberfeld et Rhenum situm.

2 diocesis appropiaverunt Molensium fines [2]. In ipsis ergo finibus mons erat incultus, nemorum densitate opacus, ecclesie veteris vix ostentans ruinas, et habitationes iam dudum pene neglectas.

7. Fertur ab antiquioribus, Caroli Magni temporibus
3 Baldricum [3] quendam de regni primoribus, in isto monte fabricasse ecclesiam et cum preciosissimis sanctorum reliquiis cumque sufficientibus reditibus velut sponsam dotasse pulcherrimam. Postea vero
934. primo Ottone annum 17. in sceptris agente, Ungarorumque nefandissima gente, peccatis exigentibus, Galliam Germaniamque devastante, et ad istas partes appropiante, custodes ecclesiae sanctorum reliquias in grandi cavato lapide, quem hodie cernere licet, supposuerunt terre, quatenus, sicuti evenit, si se tueri non prevalerent et sua, saltem non permitterent margaritas et sancta suibus canibusque proculcanda.

8. In istius ergo montis habitatione dum consisterent, circa Nonas Iulii, occupato in aliis episcopo venerabili, vir religiosus Sandradus secundum consuetudinem egreditur ad explorandum situm loci, ubi dum rivulum cerneret preterfluentem ad radices montis, vallemque fontibus undique scaturientibus habilem piscinis, intellexit vir Deo deditus, hunc locum sancto episcopo revelatum [a] divinitus; et exhilaratus corde, pontificem advocavit, concite ostendens ei ex visionis consonantia loca diu desiderata.

9. Exultantes laetitia spirituali, triduano ieiunio condixerunt inspiratoris omnium bonorum clementiam invocari, quatenus aperta signaret ostensione, si hunc montem construi pontificali prefiguraret visione. Celebrato siquidem ieiunio, tertiam noctem pervigilem ducentes, audierunt circa galli cantum spiritus beatos in loco, quo nunc est oratorium in honorem sancti Viti martyris, antiphonam huiusmodi modulatione canentes: *Beatus Vitus illesus ab igne clibani decantabat: „Probasti me, Domine, sicut aurum, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas“.*

10. Mane autem facto retulerunt utrimque quod audierant cum nimio congratulationis gaudio, et certi iam facti de oraculo, accinxerunt se operi mox futuro. Sed in operis Deo placentis augmentum, celestem protulit terra thesaurum; nam sapientes architecti fodientes circa obsequii angelici, quod perceperant noctu, locum, invenerunt, gloria tibi Christe! lapidem supra memoratum, in quo preciosissimorum martyrum condebantur reliquie, Viti, Cornelii, Cypriani, Chrysanti et Barbare.

11. Antistes itaque beatus, in agendis que Dei sunt nescius moram pati, coadunavit undique fratres spiritu ferventes et orationi instantes, Domino servientes, quibus iam pridem probatum in abbatem ordinavit Sandradum. Sic igitur habitatione celesti fundata lapidibus vivis, Deo devotus pontifex haud segniter instabat oratorio monasterialibusque officinis, donec pro voto suo complevit, et in honore Salvatoris mundi, sancte Marie, Viti, Stephani protomartyris, Georgii, Gangulphi, Cornelii, Cypriani, Chrysanti et Barbare dedicavit et redditibus pro fratrum necessitatibus sufficientissime cumulavit. Fidelis enim dispensator considerabat prudentissime, theoricen regularis vitae nullatenus uniformiter constare, nisi sufficiat abbas singulis omnia necessaria tribuere, nullique licitum vel opus esse, quid proprietatis habere; apposita enim forma cui imprimantur, primitivam illam nascentis ecclesiae institutionem votive monachi aemulantur, ubi erant omnia communia et multitudinis credentium cor unum et anima una.

12. Igitur antistes gloriosus, divina se comitante gratia, voti compos effectus, a se monasterium constructum auctoritate propria haud satis firmum ratus, stabiliri munificentia regali [b] et sedis apostolice privilegiis elaboravit insigniri; unde quamdiu ipse in corpore vixit, locus cum congregatione apud Deum et homines crescendo profecit.

13. Postquam vero domus eius habitationis huius est dissoluta [4], ut aperiretur ei in celis edificatio non manufacta aeterna, consensu totius plebis et cleri Warinus sedi inthronizatus est pontificali. Huius ergo cum detractorum linguae pulsarent aures assidue, coegerunt illum odio vehementi predictum abbatem Sandradum insectari, mussitantes, a viro venerabili plus servitii impendi episcopo Leodiensi quam sibi; presulum etiam quemque propriam rectius edificare parochiam quam alienam: locus enim ipse tunc temporis Leodiensis extitit diocesis. Abbas autem venerandus, utpote quem virtutum omnium mater erudiebat discretio, utrique sine querela iure subdebatur proprio. Emulorum siquidem non prius destitit obtrectatio, quam beatum virum innocenter depelli persuaderent episcopo, et eius in loco non eque dignum quendam sine consecratione subrogari Meginhardum.

14. Venerabilis itaque Sandradus non victus a malo, sed vincens malum patientie bono, invidie cessit, et ad imperatricem Adelheidem, cui etiam coniunctus erat confessionis familiaritate, secessit. A qua benigne susceptus, monasterio Weissenburgensi prepositus est. Ubi cum vir Dei conversaretur irreprehensibiliter, subditos regens prudenter, credita dispensans fideliter, ad coenobium, quod sibi primum quasi sponsam desponsavit carissimam, suspiravit frequenter. Deo autem miserante et imperatricis supradicte sedulitate mediante, non est ab anime sue desiderio fraudatus, sed honorabiliter ab Agrippinensi metropolitano revocatus, in locum et gradum est pristinum restitutus.

15. Verum pastore absente mercenarioque superius notato presidente, ovium Domini facta est luctuosa dispersio, rei familiaris, librorum, reliquiarum, prediorumque distractio, ita ut abbate reverso coadunataque congregatione, in maxima licet penuria servirent Domino, tamen sine murmuratione. Sic itaque vir ille Deo devotus in mundi huius incolatu pressuris variis et tribulationibus velut aurum in fornace probatus, precastigatum coelo reddidit spiritum cum sanctis eternaliter gavisurum.

16. Igitur secundo loco regimen sepe dicti mona-

a) relevatum *ed.* b) regalis *ed.*

2) i. e. pagum Moilla, Mühlgau. 3) Baldrici obitum Kal. Octobr. in antiquo necrologio Gladbacensi referri, ex Wilmio rerum Colon. III. 237 notat rev. Binterim. 4) a. 975.

sterii suscepit Folradus, vir in divinis et humanis valde idoneus, ex clerico monachum professus, sed paupertinis, quas offenderat, rebus nimis coartatus. Instabat tamen strenue diruta restaurare, ab antecessoribus cepta complere, imperfecta queque secundum posse perficere.

17. Inter hoc vero dominus Warinus diem clausit[5] extremum et pontificatus successorem reliquit Evergerum, qui per auctoritatem[a], que sibi admodum familiariter adherebat, nimiam in precessoris sui pedibus ivit sententiam, inconveniens a se Leodiensem edificari parochiam, cum vix sufficeret digne dispensare propriam. Exinde consulto cum primoribus habito, mature acceleravit facto. Namque Folrado abbate cum omni sancti Viti advocata congregatione, misit eos in monasterium sancti Martini, quod est Colonie, ut professis vel expulsis paucis, quos invenerant, canonicis, ibidem instituerent vite normam regularis. Predia vero cum ecclesiis multis idem Evergerus suis distribuit militibus, quo beate memorie domnus Gero fratribus donavit Deo militantibus. Ita ergo, licet invitis, cenobii Gladebacensis abbate vel fratribus Coloniam translatis, redactus est in solitudinem locus antea desideratus.

18. Suggerentibus itaque, qui nosse poterant ex familiaribus antistitis, reliquias sanctorum in sepe dicto monasterio preciossimas haberi, nec eas expedire dare neglectui, prepositum domus sancti Petri Wezelinum direxit, iniungens ei, queque possent inveniri, sine mora transportari. Unde factum est, ut predictus prepositus die noctuque haud segnis iter acceleraret. Cum vero iter agens noctu cum sanctorum pignoribus festinaret reverti, contigit domnum antistitem somno depressum gravi, per visionem rapi, iudiciarioque tribunali terribiliter sisti; ubi, dum, sancto Vito agente pro monasterii sui destructione, suppliciis esset antistes adiudicatus gehenne, pastor pius ecclesie generalis patronusque Coloniensis specialis sanctus Petrus eo tenore sua suscepit cum fide dictione, quod cenobium predictum cum omni deberet affectu reaedificare, si ipsius patrocinio supplicia deputata mereretur evadere. In hec fideiussionis verba dimissus est et ab illo horribili est somno solutus.

19. Expergefactus antistes statim de lecto prosilivit, et unum e pueris ministratoriis excitavit, imperans equo conscenso obviam properare preposito, ne cum reliquiis tenderet ulterius, sed si de suimet curaret salute carnis aut spiritus, qua tulerat, eas referret quantocyus; se enim non requieturum prius aiebat, quam sciret eum reversurum. Puer vero dum properaret secundum domini sui iussionem, invenit prepositum ad duo fere ab urbe miliaria, contra se alacriter festinantem; cui dum protinus legationem daret, nec posset exprimere quid significaret, precipiens, se ibidem sequaces suos cum reliquiis operiri, statuit per se ipsum, quid hec mandata portenderent, experiri. Cunctis igitur ad sarcinas relictis, solus cum puero ad conspectum properavit antistitis; cumque coram introisset, et quenam subita sententie prioris permutatio requisisset, acceptis pro re[b] paucis, accelerare cursum perurgetur itineris. Egressus itaque prepositus ita festinavit concitus, ut, repositis in Gladebach reliquiis, ipsa die Coloniam ad colloquium reverteretur antistitis.

20. Mane igitur primo, habito cum familiaribus consilio, pontifex abbatem advocavit Folradum, obnixius[c] eum deprecans, ad suum cum fratribus rediret monasterium. Verum lacrimabiliter abbas querebatur de monasterii destructione, divina constructi revelatione, dicens, admodum pertaesum se totidem transmutationum. Tum vero devotum episcopus vovit votum, in pristinum statum locum sanctum velociter restaurandum, et ad suam diocesim ab episcopo Leodiensi mutuandum, et quidquid ipsius ecclesie prediorum nondum fuisset dispersum, vel quid ipse posset undecunque precario vel quoque pacto colligere, sancto Vito donandum sine retractione. Sic denique demum abbati satisfactum est venerando, ut ad proprium monasterium cum unanimi reverteretur fratrum collegio.

21. Interea non secus ac voverat reparando monasterio pontifex instabat, quod quia festinato perficere studuit, cum nullo ornatu, sicut est hodie, perfecit. Sed et parochiam non distulit mutuare, pro duabus ecclesiis, id est pro Gladebach et Reithe, donans tres, Tegelon, Ludebracht et Vennelon[6]. Verum quoniam non multo post supervixit, pauca predia colligere potuit, que tamen ipse sancto Vito secundum votum suum donavit. Unde factum est, ut fratres inibi Domino servientes, magnam necessariorum licet sustineant penuriam, gratias tamen semper agentes Deo, placitam supportent patientiam. Deus enim spei et solatii, qui replet omne animal benedictione, adimplet eos omni gaudio et pace in credendo, ut abundent in spe et Spiritus sancti virtute.

22. Libet autem in opusculi fine iterato lectorem admonere sollicitius, ne a nobis preiudicet ficta que diximus. Fidelis autem ipse consideret fideliter, hanc ab omnibus estimationem fuisse beati viri, qui eum nosse poterant familiarius, quem nobis relationis huius auctorem prelibavimus, ut nec sine magna, ut credimus, offensa perhibeatur ipse de talibus presertim voluisse mentiri, nec a quoquam sinistrum quid[d] impune de eius persona possit confingi. Testamur vero Deum, quem scrutatorem cordis et renum nullum scimus latere secretum, quia sicut ab ipso audivimus vel a fidelibus eius auditoribus postea commoniti percepimus, nudam veritatem prosecuti sumus, ad laudem eius et gloriam, qui digne laudandus, in sanctis suis personis trinus, sed deitate unus, vivit et regnat Deus per infinita seculorum secula amen.

a) austeritatem *Dach.* b) se *ed.* c) obnoxius *ed* d) quod *ed.*

5) a. 985. 6) hodie Reith, Tegelen, Lobberich, Venlo. Binterim l. c.

CHRONICON SANCTI MICHAELIS
MONASTERII IN PAGO VIRDUNENSI
EDENTE DR. G. WAITZ.

*Sancti Michaelis monasterium in pago Virdunensi ad Mosam situm undecimo
saeculo nactus est chronographum, qui plures res notatu dignas atque cum
iis, quae in ceteris chronicis Lotharingicis huic collectionis nostrae volumini
insertis illustrantur, saepe connexas exposuit, ita ut haec coniuncta edere
aptissimum videretur. — Libri auctor, qui in ipso monasterio vixit, a mona-
1 chis et praesertim ab abbate Nantero[1] rogatus, historiae scribendae munus
suscepit[2], quam ad annum usque* 1034. *deduxit, quo S. Callisti papae reliquiae,
a Nantero ex Italia translatae, in Harevilla sunt collocatae. Fortasse haec
res, quae fusius narratur[3], ut chronicon scribendum curaret, abbati occasio-
4 nem dedit. Qui cum non ultra a.* 1044. *sedisse dicatur[4], certe ante hoc tem-
pus, et nisi fallor, paulo post annum* 1034. *opus est confectum. Nam post
Richardi abbatis Virdunensis mortem, quae a.* 1047. *accidit, hoc factum esse[5],
ut statuamus, quae de illo c.* 11 *leguntur[6], minime cogunt. Econtra cum
auctor iam a.* 1035. *una cum Nantero Harevillae esset[7], in praefatione vero
dicat, se quinquennium fere cum illo commorari, sequitur ut non post a.* 1040.
8 *in hoc occupatus esset opere. Sunt denique[8], quae eum ante Odonis ducis
Campaniae obitum, id est ante a.* 1037, *scripsisse innuere videantur. — Chro-
nographus iam senex, ut videtur, ab abbate, quem puerum cognoverat, in
monasterium receptus[9], litteras fuit bene doctus, in Latinae linguae usu versa-
tus, quippe qui scriptores classicos legerit[10], res sibi notas bene explicuit,
Harevillae situm c.* 34 *luculenter descripsit. De antiquioribus temporibus
11 pauca, quae a fidelibus viris acceperat, memoriae tradidit[11], nullis fere fabu-
lis leviter receptis. Nam miraculosam monasterii fundationem narravit quidem,
sed haec ita a senioribus relata esse, diserte monuit[12]; postea ea potissimum,
quae ex chartis monasterii eruere potuerat, breviter exposuit[13]. Quae de
14 Smaragdo abbate, cuius scripta legerat[14], quamvis nimis breviter, dicit, magni
sunt facienda, cum de viro illo doctissimo et magnae auctoritatis paucissima
tantum comperta habeamus. De ducibus Friderico et Theoderico eorumque
familia quaedam notatu digna monuit, denique Nanteri res, quas optime*

1) Singulari errore Calmet I. p. 468 ipsi Nantero hanc historiam tribuit. 2) Praef. 3) c. 12—36. 4) Calmet I. Probb. p. 553. 5) ita Rivet Hist. litt. VII. p. 374. 6) *adiit virum Richardum abbatem sub eodem tempore in sanctae religionis cultu nominatissimum*, c. 11. 7) c. 36. 8) c. 30: *Possem memorare, quas caedes, incendia, praedas cottidiano perversitatis usu exercuerit, nisi ea res me ab incepto quod proposui revocaret. Verum quoniam hoc ipsum cernentibus et dampna sustinentibus certum est nosse, illis narranda reliquo.* 9) *Nantero abbate eiusdem loci patre meo senectutis baculo, — cum quo fere quinquennium commoror et quem a pueritia priusquam pubesceret novi*, praef. 10) e. g. Virgilium, praef. cf. c. 31. Boetium laudat c. 33. 11) *a fidelibus viris narrata vera vel verisimilia idcirco decrevi abbrevianda*, praef. 12) c. 2. 13) *quae scripto potius quam relatu colligere potuimus simpliciter et succincte perstrinximus*, c. 10. cf. c. 1. 4. 5. 6. 7. 14) praef. c. 5.

cognitas habuit, „latius et verius“ exposuit, quo loco etiam Conradi II. expeditionem a. 1033. *in Lotharingiam susceptam multis illustravit.*

Carolus Georgius novitiorum praefectus in S. Michaelis coenobio hoc chronicon, procul dubio ex codice ipsius monasterii transcriptum, Mabillonio transmisit, quod hic (Anal. II. p. 374, *edit.* 2. *p.* 350*) una cum diplomatibus quibusdam*[15] *publici iuris fecit. Calmet (Hist. Loth. I. Probb. p.* 555*) hanc editionem secutus, alteram partem (c.* 28—36*) a Mabillonio praetermissam primus addidit, eodem fortasse codice usus. Quem cum in monasterii bibliotheca et tabulario, quae quamvis valde neglecta in sancti Michaelis civitate (S. Mihiel) adhuc asservantur, anno praeterito frustra quaesierim, ibique a viro clarissimo Dumont advocato publico, qui historiae istarum regionum inquirendae operam navat, nullum eius vestigium ex multis annis repertum esse, acceperim, editiones illas sequi coactus sum*[16]*. Quae cum textum satis purum exhibere videantur, paucos tantum errores correxi et capitum distinctionem institui, etiam in notis adiiciendis parcus, quippe quae in his monasteriorum chronicis minus sint necessariae.* *G. WAITZ.*

PRAEFATIO.

Cum ad aedificandum olim testimonii tabernaculum, Domino per Moysen iubente, alius offerret aurum, alius argentum, alius autem pilos caprarum, non praeiudicabatur tenuitas pauperum comparatione divitum, quoniam cuncta erant necessaria ad aedificationis usum. Legis quoque praecepto prohibebatur quisque accedere vacua manu ad altare dominicum. Haec autem omnia, quia indagationibus allegoricis sunt perscrutanda, ne litterae mordacis acredinem imitans quisque vertatur in nauseam, noverit difficillima observatione quaeque Mosaicae legis amaricata, gratia euangelii medulcata; nec crediderit, non posse placari Deum, nisi cruore mugientium taurorum oviumve balantum seu caprarum, sed qualicumque vili dumtaxat portiuncula; quod manus eius invenerit, non odore uberrimo, sed devotione intendat offerre humillima; memineritque illius euangelicae viduae duo aeris minuta pluris pretii aestimata, quam cuiuspiam auri talenta immensa. His et similibus divinae clementiae provocatus documentis, maximeque postulatus a patribus monasterii sancti Michaelis, amplius autem a domino Nantero abbate eiusdem loci, patre meo, senectutis baculo, cuius ope utcumque sustentor et amminiculor, statui summatim succincteque de loci eiusdem structura a fundamento, veluti superficiem tangendo, perstringere; dehinc de abbatibus usque ad ipsum, quam verissime potero, paucis absolvere. Antiquiora vero a fidelibus viris narrata vera vel verisimilia idcirco decrevi abbrevianda, quia nullius eorum, praeter unius, dico autem Smaragdi, scripta[a] vel visu vel auditu perceperim. De praesentis autem viri, scilicet Nanteri, actibus latius et verius disseri poterit, cum ad id loci ventum fuerit; cum quo fere quinquennio commoror, et quem a pueritia, priusquam pubesceret, novi; cuius mores et disciplinae normam licebit dicere, minime vero laudibus efferre, prohibente sententia Salomonis: *Ne laudaveris*, inquit, *hominem in vita sua;* (cf. Eccl. 11, 30.) omnis enim laus in fine probatur. Obsecro autem eos qui haec forte lecturi sunt, ne causentur propter solecismos aut metacismos, vel quid horum simile frequentius incurrisse, seu hominis negligentia narrationis seriem vitiasse; sed dictum prudentis[1] meminerint: *Omnia*, inquit, *fert aetas, animum quoque.* Nec propter plumbeam fistulam limpidissimam abiecerint aquam; sed si quid negligentius dictum repererint, fraterna dilectione supportantes corrigant; si quid autem utile, tenaci glutino cordis traiciant fundo, et ad aedificationem posterorum haec utcumque descripta pernotescant.

1. De notitia fundatoris nullum hactenus evidentius scriptum invenimus, praeter quod in testamento ipsius de fundatione loci ipse ita loquens introducitur: *Ego Wolfandus*[b] *comes, filius Gislaranni, et Adalsinda coniux mea, filia Adelberti etc.* De tempore autem ita ibidem legitur: *Anno* 14. *regni domini mei Childeberti*[2]. Et in altero testamento: *Anno* 15. *domini mei Childeberti regis.* Item in alio testamento: *Anno* 2. *domini mei Theodorici*[3]. (722.) Quia igitur in nulla chronica reperimus aliquem Childebertum vel aliquem Theodoricum proximis inter se regnasse temporibus, praeter Childebertum Brunichildis et Sigisberti filium, ideo sub ipsorum temporibus praedictum comitem Wolfandum fuisse cognoscimus[4].

2. Caeterum a senioribus nostris traditum habemus,

a) scripto *ed.* b) Wolfaudus *Cal. et ita infra.*

15) Haec non chronici partem efficiunt, ut Rivet l. l. p. 375 putavit. 16) Etiam in catalogo bibliothecae quem dedit Montfaucon Bibl. mss. II. p. 1178 hic codex haud indicatur. 1) Virg. Eclog. IX. 51. 2) *i. e. a.* 709. 3) V. haec diplomata Calmet I. pag. 264. 260. 4) Non Childeberti II. sed tertii huius nominis regis tempore monasterium S. Michaelis esse fundatum, Mabill. docuit; cf. Pipini regis diploma ap. Bouquet V. p. 702.

quod ipse princeps Wolfandus orationis gratia Garganum montem in Apulia regione maris Adriatici aliquando adierit, et pignora reliquiarum inde sumta detulerit, spondens in honore sancti Michaelis archangeli se fabricaturum ecclesiam, et de proprietate quibus affluebat rerum copiose ditaturum. Reversus ergo in patriam, cogitabat anxius, quonam in loco quod cupiebat et quod promiserat fabricare posset. Erant in confinio praedicti montis, qui tunc Castellio[3], nunc autem Vetus-monasterium vocatur, praedia eiusdem principis Wolfandi, unde frequentius solitus erat abrupta montium et concava petere vallium, peragrans lustra saltuum delectatione venatus pro captione ferarum. Quocumque autem ibat, ferebantur secum pignora reliquiarum, ne qua negligentia careret thesauro haud parvo acquisito. Una igitur dierum iubet sibi in eodem monte Castellionis parari prandium, ut post exhilares venationis labores cum suis convescens, ab ardoribus solis defenderetur arborum umbris. Hora denique qua iusserat ventum est ante principem; non cum strepitu, sed reverenter assidentes recumbunt. Sacerdos reliquiarum portator eminus respiciens, in ramis cuiusdam arbusculae capsellam cum reliquiis suspendit; deinde fit conviva cum ceteris. Tenebris sole fugato mersoque in oceano, quique festini ad propria cum comite redierunt. Sacerdos hac festinatione reliquiarum oblitus, domum perveniens, memor sui neglectus, quantocius eo reversus, quod reliquerat invenit; capsellam pendentem in arbore porrigens manum dum cupit apprehendere, videt altiora petere. Conscendens igitur arborem, quanto altius protendit manus, tanto sibi conspicit fieri longius. Desperans omnimode iam de comprehensione, reversus nuntiat comiti et satellitibus factum mirabile; qui concito gradu eo regressi, divinam cernentes manifeste virtutem, adorant, laetique Deo et archangelo Michaeli grates agunt, quia ad exsequendum gloriosi principis desiderium locum se elegisse talibus declarabat indiciis. Celebratis igitur in Dei et archangeli veneratione noctis illius excubiis, facto mane, comes ad incipiendum desideratum opus anhelans, sed de reliquiarum recuperatione dubitans, ne arborem succidens[b] temeritatis culpam incurreret, ante ipsam devotus ad orandum prosternitur; surgensque, mirum dictu, videt arborem ad eam se mensuram contraxisse, ut capsella facile manu capi posset. Tunc prae gaudio lacrimis perfusus, cum multa reverentia accedit ad capsam; quam complexus diutius osculabatur, deinde lacrimis roratam sacerdoti reddit.

3. Mox ad sanctum opus religiosus operator accingitur, arborem succidit, et in gyrum eius fundamentorum sarculo iaciendorum spatia designat, truncum scilicet includens, ut altari ibi postea superstructo, et ipse cum ceteris reliquiis sepeliretur. Quod cum postea aedificio expleto factum sit, ad conservandam tanti miraculi memoriam, et ad repraesentandum divinae virtutis indicium, ipse truncus ita sub altari sepultus adhuc usque hodie se vivere manifestat, dum per murum altari contiguum stipitem ex abdito foras emittens, ramorum densitate murum extrinsecus vestit, et in nuces annuatim fructificat, quae aegris etiam multoties profuisse probantur. Constructo itaque monasterio, religiosus comes monachorum turmulam ibi aggregavit, et ad eorum[a] usus quidquid habebat per testamenta donavit; quae modo iam vetustate confecta, vix nisi rescriptorum amminiculo legi queunt. Deinde ne saecularium frequentatio occasione orandi Deo vacantes postmodum inquietaret, haud longe ab ipso monasterio a latere meridiano ecclesiam in honorem beati Petri apostoli construxit, in qua sibi suisque divina celebrarentur. Similiter et domina eius coniux Adalsinda inter utramque illarum ecclesiarum capellam in honore Dei genitricis constituit, in qua et ipsa secretius oraret, et divinum cultum exsequeretur; ubi etiam usque hodie sepulturae uniuscuiusque et unius ipsorum infantuli conspiciuntur. Post decessum autem ipsorum monasterium sub tuitione regum, infra quorum regni terminos consistebat, conservatum est, et eorum largitionibus ampliatum, privilegiis roboratum; in quibus tantam loci libertatem confirmarunt, ut nemo penitus, neque ex parte regum, neque ex parte pontificum, neque ex iudiciaria potestate, in terram aut res ipsius monasterii ingredi debeat, nec ad causas audiendum, nec ad homines distringendos, tam servos quam ingenuos, nec paratas aut mansiones faciendas; et si quid fisco debetur, nihil inde exigatur, nec de carris, nec de sagmarus monachorum necessaria vehentibus; et si quid vendiderint aut emerint, nihil solvant, nec teloneum, nec tranaticum, nec pulveraticum, nec pontaticum, nec portaticum, nec ullum occursum[4], nec de patellis eorum in Vico et in Marsallo aliquid requiratur.

Sequuntur nomina abbatum.

4. De abbatibus autem qui loco praefuerunt ante tempora Caroli Magni nihil dictum reperimus. In privilegio autem, quo praedictam libertatem confirmat[5] exemplo patris sui Pipini, asserit se Ermengaudo abbati ac episcopo idem privilegium concedere. Quem utique Ermengaudum illum esse credimus, qui in quodam ipsius ecclesiae libello legitur in expeditionem cum rege profectus, corpus beati Anatholii de Cadurcensi urbe detulisse. Is quoque Ermengaudus ordinavit, et praecepto praedicti Caroli bullato confirmavit, quid abbas, quid provisor panis et salis et sagiminis, quid provisor piscium, quid provisor vini, quid provisor luminarium, quid provisor pauperum, quid provisor hospitum habere deberent, et omnes inde abbati responderent. Confirmavit etiam ipsius regis praeceptum, ut post se liberam potestatem haberent fratres alium de ipsis idoneum eligere.

5. Post hunc Smaragdus abbas claruit[6], ut ipsa praecepta declarant, quae Ludovicus Pius, praedicti Caroli Magni filius, eidem Smaragdo contulit. Qui Smaragdus revera praesagio se sui nominis conformans, inter celebres sui temporis viros ut pretiosa gemma meritis et fama resplenduit; de cuius laudibus et gloria nos aliud garrire superfluum est, cum eas nobis tacentibus libri quos edidit

a) earum *ed.* b) succindens *ed.*

3) Chatillon. 4) cf. diploma Ludovici Pii ap. Bouq. VI. p. 495. 5) Bouquet V, 722. datum a. 772. 6) c. a. 805.

sufficienter eloquantur[6] — in quibus luce clarius apparet, quam perspicaci ingenio in divina et saeculari claruerit — praecipueque liber ille, quem Diadema monachorum intitulavit, religiositatem sanctitatemque eius evidentissime declaret. Non enim tam lucidam de virtutibus doctrinam dare posset, nisi ipsarum in sese naturam exercitiorum experientia persensisset. Linguis ergo tacentibus, miraculis cessantibus, ex suo doctrinae speculo satis evidens eius sanctitatis forma relucet. Neque enim credendus est aliter vixisse quam docuit. Hic igitur, ut vir prudentiae, vir discretionis, considerans praedicti montis habitationem humanis necessitatibus minus congruentem, propter aquae scilicet ac ceterarum rerum necessariarum laboriosam ad ardua devectionem, haud procul a praedicto monte, uno videlicet miliario Germanico, iuxta ripam Mosae monasterium instituit[6*], relinquens in superiora quot sibi de fratribus visum fuit, qui Deo et beato Michaeli archangelo quotidianum divini cultus officium celebrarent. Non enim videtur nobis vir prudens contra archangeli voluntatem egisse, qui priorem sibi locum in monte delegit, quia angelica puritas, etsi alta venerationi suae loca eligere soleat ac se a terrena conversatione remotam significet, non tamen indignatur mortalibus, si competentia loca suae conditioni requirant, dummodo angelica suffragia in altis sibi exspectanda cognoscant. Huic[a] Smaragdo Ludovicus Pius auctoritatis suae praeceptum contulit de praedicta loci libertate[7]; contulit et aliud de libertate carrorum et summariorum et patellarum in Vico et Marsallo et navium[8]; contulit et aliud, ut nonas et decimas ei persolvant, qui beneficia de eo tenent[9]; contulit et aliud, ut liberam potestatem habeant fratres de se ipsis abbatem eligendi secundum regulam[10]. Hic venerandus vir viam patrum feliciter ingrediens, in superiore monasterio se sepeliri praecepit, omniumque deinceps fratrum sepulturam inibi haberi sub anathematis, ut fama est, interminatione mandavit; quod et hactenus inconcussum servari videmus.

Epitaphium Smaragdi.

Cum Pius imperii Ludovicus iura teneret,
Smaragdus viguit istius abba loci.
Qui locus humanis quod erat minus usibus aptus,
Haud procul hinc sedem transtulit ille suam.
Cum tamen ad regnum meruit caeleste vocari,
Reddidit antiquo membra ferenda loco.
Scorpio iam phoebum duodena parte premebat,
Sidera theologo cum patuere viro.

6. Sane post ipsum fuere et alii egregii viri, quorum providentia loci dignitas et conservata et augmentata est, et qui palatia frequentantes, apud religiosos principes monasterii sui utilia providerunt, et praeceptis regalibus loci dignitatem communire studuerunt, bonamque sui memoriam ad posteros celebrandam transmiserunt. Omnes sane quorum industria praecepta regalia nobis provisa reperimus, nominatim hic intitulare decrevimus: 6
Ermengaudus abbas et episcopus, Smaragdus abbas, Hildoinus abbas, Rodulfus abbas, Hadegaudus abbas, Heinardus cancellarius, Stephanus episcopus Tungrensis. Reges autem quorum praecepta habemus: Carolus Magnus, Pippini filius; Ludovicus Pius, filius Caroli Magni; Lotharius imperator, filius Ludovici[b] Pii; Carolus rex Francorum, frater ipsius Lotharii; Ludovicus rex; Zuentiboldus rex[11]. Ab his usque ad Henrici primi vel Ottonis primi tempora nullum ad nos scriptum devenisse comperimus.

7. Circa horum autem tempora fuit quidam prae- 959.
potens dux Lotharingiae Fredericus, qui videns praedictam abbatiam terrae suae contiguam et a tutela regia longe remotam, dominio suo — quod sibi facile fuit — eam subiugavit, et dominium illud sub titulo defensionis ad posteros suos transmisit. Hic Fredericus, propter frequentes Campanorum in Lotharingiam incursiones, in confinio Lotharingiae et Campaniae castrum exstruxit, quod Barrum, quasi barram, nominavit. Cumque in partibus illis terram non haberet, unde castrum illud casare posset, de tertia parte possessionum abbatiae illud casavit, dicens castrum illud totius abbatiae tutamen fore. Villam quoque quae Bazunvilla[11*] dicitur et alias plures ibi adiacentes, quia sancti Stephani Tullensis erant, per concambium a sancto Gerardo obtinuit, data ei curia quadam in Theutonica terra, quae Berkem[12] nominatur, datis ei duabus abbatiis, 7
scilicet Medio monasterio et Galilaea, quae dicitur Deodatus[13]. Deinde Beatricem, sororem Hugonis marchionis, qui postea Francorum regnum obtinuit, coniugio sibi copulavit; cui Beatrici cum frater eius praedictus Hugo donasset quaedam praedia sancto Dionysio Parisiensi contigua, cum abbate sancti Dionysii commutationem inde fecerunt pro praediis sancti Dionysii Barro adiacentibus, videlicet Novavilla, Ruviniaco, Laymonte[14].

8. Huius Frederici temporibus Odo, abbas prae- 14
dicti monasterii sancti Michaelis, dedit duobus fratribus, Widoni et Stephano, septem mansos et dimidium cum molendino in villa Ormariscurte[c] super fluvium Martz, eo pacto ut solvant singulis annis 15 solidos Kalend. Maii aut 30 modios vini in festo sancti Remigii; et si motus fuerit aquae, 30 anguillas in festo sancti Andreae. Ipsius ducis tempore facta est commutatio inter Carowardum[d] abbatem et Valterum quemdam nobilem, dante abbate quidquid erat sancti Michaelis in villa Torralias, et Valtero dante quidquid habebat in villa de Losa, ita ut post decessum eius utrumque esset iuris ecclesiae. Ante huius Frederici tempora, regnante scilicet Ludovico, Arnulfi imperatoris filio, praedecessore Henrici primi, quidam comes Anselmus dedit sancto Michaeli in perpetuum quidquid habebat apud Saponerias[15]. Itaque Stephanus abbas et episcopus concessit ei et filio eius Theutero tenere Harevillam[16] in vita sua, ut post 16

a) Hinc *ed.* b) Ludovicii *ed.* c) Ermariscurte s. f. Matth *Culm.* d) *al.* Sarovardum MAB.

6) Hist. litt. IV. p. 439—447. 6*) a. 819. 7) Bouquet VI. p. 490. 8) ib. p. 495. 9) ib. p. 493. 10) ib. p. 543. 11) Edita sunt Bouquet Tom. VIII et IX. 11*) Bosonville. 12) Bercheim in Alsatia. 13) S. Diey. 14) Neuville, Laymont et fortasse Revigny. 15) Prope Tullum sita erat. 16) Harville.

utriusque decessum emeliorata in ius monasterii rediret.

984? 9. Isto Frederico rebus humanis exempto, cum filius eius Theodoricus in principatu ei successisset, et super abbatiam dignitate advocati potiretur, ille, cuius praecipue causa hoc opus insumsimus, ille, inquam, dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione semper erit, domnus scilicet abbas Nanterus, inter celebres monasticae religionis personas quasi stella matutina gloriosus emicuit.

10. Haec de praefati monasterii antiquitate et de quorumdam abbatum eiusdem loci vel regum successione, ab ipso fundationis exordio usque ad nostra tempora, sola ea, quae scripto potius quam relatu colligere potuimus, simpliciter et succincte perstrinximus. Nunc ad propositam nostrae narrationis seriem reflectamus articulum, et vitam et mores actusque domni Nanteri, quomodo praelatus honore, promotus ordine, qualiter cum aetatis augmento in annis iuvenilibus augmentatus sit morum disciplinis, nihil falsi de nostro intromittentes velut adulationis garritu, exsequamur, quippe quoniam cum eo conversamur, et magis visa quam audita narrabimus.

11. Hic igitur adhuc adolescentulus ab abbate suo in discipulatu capellani constitutus, frequenter cum eo ad palatium et perplura locorum habuit comitatum, et in tantum prudentiae in brevi accrevit, ut abbas, velut fastidiens mundialis pompae negotia, cum iam quasi consecretalem primorum existimaret, et cuius fidei possent committi, quae sunt tacenda praeter quibus diriguntur, secreta legationum et consiliorum. Denique dux Theodoricus, cuius ditioni abbatia subdita erat, cum iam bene cognitum ad quoscumque regni principes dirigebat legatum, et maxime ad consobrinum suum regem Francorum, quoniam noverat eum in responsis acutissimum et linguae Gallicae peritia facundissimum. Processu vero temporis non modico evoluto, abbas coenobii eiusdem vita decessit; cum voto et applausu sanioris consilii fratrum praefatus princeps monachum sibi dilectum, non aetatis iuventam sed morum attendens industriam,
c.1020. honore donat praelationis, rerum administrationem concedit, Virdunense pontifice praesente; a quo suscipiens curam animarum, statim benedictionis apice ad id officii congruente sublimatus est. Adeptus ergo duplicis culmen honoris, terrenarum videlicet provisionem rerum, salvandarum quoque, quod maius est, curam animarum, sollicitabatur noctes diesque, ne quid dispendii sub sua cura restringeret utrique rei[b]. Culpabatur a compluribus priorum negligentia, conversatio vitiosa; quod quia in propatulo est, ne cui adhaeserit animo quid huiusmodi, referre pudet. Vir itaque strenuus, quod erat vitii quomodo resecet et quod virtutis inserat, anxius, quoniam per se solum id fieri non posse considerabat, prudentissimum adiit virum Richardum abbatem, sub eodem tempore in sanctae religionis cultu nominatissimum; cuius consilio fretus et auxilio, de fratribus, quos in eodem loco invenit, instruendos ei commisit, et de suis, quos secum retinuerat, ut docerent aliquos caritatis largitione abduxit. Propitiante itaque divina clementia, altrinsecus operata caritas et petitorem levat onere sollicitudinis et largitorem manet bravium dignae retributionis. Tanta est verae caritatis sublimitas, quae praestantiorem efficit[a] utrumque nescia fallere, veris christicolis unanimitas.

12. Oportune igitur cunctis pro temporum qualitate ordinatis riteque compositis, insuetae peregrinationis insolitus pedes arripit iter, et pro quotidianis excessibus Romam orationis gratia ad limina usque apostolorum properare contendit. Sumtis itaque stipendiis tanto itineri necessariis, vale dicens fratribus, cum benedictione regulari iuxta morem in viam exeuntium, novus proficiscitur peregrinus; iunxitque se ei quidam clericus, Coloniae canonicus, eiusdem gratia devotionis qua et ipse Romam petens causa orationis; cui accessus et recessus viarum et difficultates Alpium — nam frequenter illuc ierat — et quaeque locorum nota erant. His ergo, ut est consuetudinis, sermone viam alleviantibus, placet utrisque, simul gradiantur, ut nescius itineris a se ante intacti erudiatur a superveniente socio, ut isdem locorum peritus capiat solatium de collocutione fraternae dulcedinis.

13. Igitur cum in dies mutuis confabulabantur colloquiis familiarius, et satis alterius animus alteri sit notus, abbas rem prius nemini creditam conviatori aperit, et sibi super ea, si valeat, opem ferat precatur: scilicet ut de sanctorum corporibus martyrum, quorum multitudo Romae excedit numerum, sua opera, pecuniis quibus urbis accolae nimium inhiant, quoquo modo aliquid extorquere possit. At ille prius defigens terrae obtutus, paululum obticuit; dehinc capite erecto respondit, nulla ratione se in hoc negotio ei posse subvenire; haberi autem Romae quemdam abbatem, sibi fidum amicum, apud quem solebat hospitari, ubi et ipse, si vellet, ad hospitandum divertere posset. Quia vero abbas confessus fuerat, Deo vitam concedente, se montem usque Garganum profecturum, ab eo responsum accepit, ut sua omnia sibique obsequentes fidei suae committeret, et cum paucis quo disposuerat pergeret; sub titulo confessionis quae sibi crediderat hospiti confitens, instando precibus et promissionibus, ut interim dum rediret suo desiderio satisfaceret; aliter non posse nec scire sibi succurrere, communi fide qua vivimus et per Deum obtestans.

14. Tandem igitur finito Romanae peregrinationis itinere, perventum est ad monasterium, quod praefatus laudaverat clericus; ibique, ut promiserat, abbas loci eiusdem hospitibus cuncta humanitatis exhibet obsequia; et ob laborem longioris viae aliquantum temporis remorantes, lassitudine fatigata hortatur ut quiete refoveant membra. Abbas vero, qui novus venerat hospes, frequenter dicto suadente clerico, comites et omnem quam secum abduxerat supellectilem, praeter quod ei sufficeret, abbatis committit fidei; festinusque cum paucis montem Garganum petivit, multis precibus, ut a suo conviatore fuerat edoctus, super praedicta qua amplius angebatur causa obstrictum relinquens praedictum apud quem hospitabatur abbatem;

a) afficit *ed.*

b) r. Utriusque rei c. *Mab.*

deinde celerius quam aestimari possit, maxime autem revocante se qua sollicitabatur causa requirendarum reliquiarum, revertitur ad hospitium; quidquid petierat et in promissis acceperat reperiens infectum. Unde nimium tristis in patriam quantocius festinat regredi.

15. Sed aliter quam putaverat ei contigit. Nam desperans penitus de acquirendis martyrum pignoribus, dum, sicut dictum est, reverti festinat, in infirmitatem decidit, ut pene nemo fuerit eum adspiciens, nec ipsemet, qui de vita eius non desperaret. Spatio igitur ibi trium hebdomadarum retardatus, cum iam paulatim, Dei se respiciente clementia, meliorari coepisset, iterum atque iterum cum suo hospite, super quod eum appellaverat, priorem coepit replicare sermonem, ne se vacuum sineret redire, sed sui voti compotem, si posset, efficeret. At ille obtulit ei quaedam ossa, dicens de corpore Stephani papae esse et Nemesii eius diaconi; ea, si vellet, pretio emeret. Cui ille: *Audivi*, ait, *multos nostrorum simili errore delusos; nec sic facile credas me posse deludi. Nisi enim videro sepulcrum hactenus intactum, et cuius membra intus iaceant, me scriptura docuerit, noveris nullatenus quidquam pretii a quoquam mihi extorqueri. Penes me*, ait hospes, *non est alia spes recuperandi; sed quia te video inflexibilem ab hac intentione, fraterna dilectione tibi compatior, et ut hodie profectionem intermittas hortor, donec quemdam alloquar cimiteriorum custodem, si quomodo tuis votis prodesse possim.*

16. Haec dicens, properat ad quemdam apud sanctum Valentinum commorantem; cuncta quae didicerat per ordinem edocet. Qui auditis huiusmodi causis, affatim gavisus est, magis autem promissis illectus pecuniis, assensum praebuit, corpus sancti Callisti papae se daturum pollicitus, omniaque, sicut abbas ipse requirebat, se ostensurum promisit, et intactum usque nunc sepulcrum et — quemadmodum in gestis passionum legitur — in superficie tabulae marmoreae epitaphium exaratum, dummodo in dandis promissis fides adhibeatur dictis. Conventione igitur facta, ventum est ad cimiterium, ubi semper ardent lampades.

17. Quo in loco altrinsecus fit iuramentum, abbati cimiterii custode, in eodem loco, ut libri passionum et praesens epitaphium docebat, corpus esse Callisti papae, propria manu iurante, et econtra iussu abbatis Nanteri monacho suo super sacra spondente, quod promissum erat pecuniarum die denominato mittendum. Post compositas utrimque sponsiones, monachus arrepta securi temptabat marmoreum avellere tabulatum, quo claudebatur sepulcrum. Nam undique caementarii artificio septum durius lapide fuerat effectum, nec ullo modo iunctum potuit caementum dividi, quin etiam retusae secures et bipennes confringebantur, in eminenti loco prospiciente speculatore, ne aliquo superveniente furtum, quod cum grandi fiebat pavore, quodque illis erat in reatum, istis in remedium, quoquo modo foret deprehensum. Sed cum monachus nulla ratione marmoream tabulam, ut praefatum est, indissolubili glutino caementi compactam valeret effringere, levata securi audacius librat ictum in tabulae medium, quae claudebat monumentum; defossumque thesaurum omni gemma pretiosius invenit repositum interius. Quod assumens, detulit abbati ad hospitium, qui nondum ex toto convaluerat, sed domi recumbens cooperatorem monachum et sibi fideliter obsequentem inter spem metumque positus exspectabat. Quem venientem, et quod optabat deportantem, ineffabili suscepit laetitia. Membra martyris devote complectitur, linteaminibus novis et candidis involvit, et cum omni festinatione in patriam accelerat reditum, ducens secum illius abbatis quemdam monachum, nomine Crescentium, ad pecunias quas promiserat reportandum.

18. Sequenti nocte dum gratia soporis petiit stratum, tangitur huiusmodi somnii visu. Videbat, quasi in monasterio sancti Petri ab ipso apostolorum principe cuncti residerent Romani pontifices per ordinem, deesse vero Callistum, locumque sessionis eius vacuum; nec usquam requisitus poterat inveniri. Expergefactus intellexit visionem, quoniam Roma sive Italia illum procul a se factum amiserat, quem Gallia suscepit ac veneratur, cuius meritis et precibus decoratur virtutum prodigiis et miraculis innumeris, eo loco maxime, ubi sacratissimum corpus eius a christicolis fide vigentibus devote percolitur.

19. Praedictus abbas, videlicet domnus Nanterus, prioris qua detentus fuerat infirmitatis oblitus, Deo sibi opitulante, sanctoque martyre intercedente, cum magna cordis exultatione revertitur, gratias Deo agens bonorum omnium largitori, quo protegente cuncta sibi ad votum successerant, et in cunctis ad quae se verterat iusto dumtaxat Dei nutu prospera pervenerant, praestante gratia domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

20. Peracto diu optatae peregrinationis itinere, tandem cum thesauro, quod secum ferebat, ad locum, qui Vetus monasterium nuncupatur [17], pervenit, 17 et in ecclesiam sanctae Mariae parieti monasterii adhaerentem membra beati martyris in arca sigillo et cera munita cautus custos iuxta altare diligenter deposuit. Penna citivola prope longeque manentium aures diverberat fama, Roma redeuntem detulisse abbatem sancti cuiusdam ossa, cuius meritis dicebantur divinitus fieri mira portenta. Confluit eo uterque populi sexus cum votis et oblationibus, cereorum scilicet luminibus, aliarumque rerum deportatione, Dei et sanctorum eius obsequiis competente, alii animarum, alii corporum morbis curari cupientes. Nec duorum aut trium eget testimonio, pene omnibus circumquaque degentibus notum, quod referre in primis volumus miraculum.

c. 21—27. *Miracula septem ibidem gesta editores tanquam nullius pretii omiserunt.*

28. Sub hisdem fere temporibus, post absortum 1024. morte lamentabili imperatorem Henricum, succe-

17) Vieux Moutier, ubi prius S. Michaelis monasterium constructum erat.

dente Dei nutu ad imperii fastigium Conrado, Francorum comes Odo, nobilitate famosus, divitiis locuples, adversus eumdem bellare temptabat, et in tantum audaciae prorupit, ut urbem Tullo nuncu-
1033. patam obsidione premens, quae in confinio sita est Franciae ac Lothariensis regni, ni armis defensaretur, vi cepisset. Oppidanis autem viriliter reluctantibus, monasteria circumposita, ecclesias villasque depopulans, cum maxima rerum copia quas repperit revertitur, prius tamen ecclesias, domos villasque, quas rebus vacuaverat, ruina incendii terrae coaequans.

29. Ad reprimendam tantae audaciae superbiam, indignatus imperator contra eum movit exercitum; factumque est sancti Michaelis monasterium au-
Aug. gusto et exercitui eius pervium[18]; nec potuit prohiberi, ubi in tanta multitudine convenerant linguis regionibus nationibusque diversi, quin multum detrimentum paterentur a transeuntibus habitatores regionis illius, maxime in sectione messium, quas nondum ex toto collegerant. Contigit imperatorem diverti ad monasterium; cui occurrit abbas cum monachis, cruces et cetera venerationi caesaris apta portantibus; ac post orationem data benedictione claustra monasterii petentem coepit abbas de dampnis loco illatis interpellare, ut misericordiam impendat cui dampna intulit. Cui princeps benigne annuit, et quantocius, dummodo a praesenti expeditione revertatur, ut sese ad palatium sequatur, ammonet. Et iuxta quod regem decuit, armillam auream, quam bangum nominant, ei pro munere porrexit. Triduo in tentoriis et papilionibus recreato exercitu, qui de longe venerant, cum pervalida manu non secus quam animoso decreverat pectore hostem insequitur, par pari vel acerbiora redditurus.

30. Audito eius adventu, praefatus Odo extimuit, et ut in tali re solet, quia[a*] congredi armis non valebat, Goscelonem ducem et Theodoricum Metensem episcopum ad imperatorem pro pacis obtentu dirigit. Quorum fide datis utrimque[a] dextris et acceptis, per semet ipsum ante imperatorem accessit. Obsidibus deinde datis, iuramento se obligat, infra sui regni fines ubi sibi[b] libeat se venturum, iuxtaque iudicium palatinorum omnem iustitiam caesari facturum. Caesar consilio lateri suo assidentium castra dimovet, interpositaque pace sequestra, ad sua cum exercitu regreditur. Post cuius reditum Odo, iuramenti negligens, obsidum
1034. oblitus, cuncta quae spoponderat irrita fecit, et prioribus malis adiungens deteriora, dolis quibus consueverat, quoscumque potest decipit. Possem memorare, quas caedes, incendia, praedas cottidiano perversitatis usu exercuerit, nisi ea res me ab incepto quod proposui revocaret. Verum quoniam hoc ipsum cernentibus et dampna sustinentibus certum est nosse, illis narranda relinquo.

31. Vulgo dicitur, regem decere fari vera, esse autem turpitudinis eiusdem instare mendaciis, cum nec timore cogatur, nec pecuniis, quibus satis superque abundat, illiciatur, cum earum possessores ditionis iure contineat, veluti de quodam Romanorum consule fertur, cui cum ab hostibus pro pace nanciscenda plurimum auri offerretur, respondisse dicitur: *Romani, ait, imperatores nolunt aurum habere, sed habentibus imperare.* Praedictus igitur abbas non nimium credulus verbis caesaris, neque eum aestimans coacervasse pecuniarum cumulos, quas repeteret pro dampnis ab exercitu eius loco illatis, sollicitabatur anxius, quidnam requireret loci oportunitati utilius.

32. Erant in pago Santinse[19] quaedam villae antiquitus iuri abbatiae sancti Michaelis sub testamentis regum et privilegiis Romanorum subditae, quas, non resistente, ut oportebat[c], abbatum ignavia, prisco tempore duces, qui videbantur loci deffensores, patroni dicti vel advocati, loco subtraxerant, partim sibi retinentes, partim suis militibus in beneficio tribuentes. Oportunum sibi abbas intelligens, quia iuris suae ecclesiae fuerant, pro loci redintegratione eas repetere — non enim erat qui contradiceret, cunctis morbo absumptis, duce Theodorico, filio eius[20], et filio filii, exceptis duabus puellulis Sophia et Beatrice, quae nutriebantur in aula regis; nam coniunx imperatoris, amita earum, eas sibi adoptaverat in filias —: palatium adiit, caesarem super hac re multis querimoniarum supplicationibus compellans. Sed ne quid contrarietatis talis redditio, si fieret, in dies postea sustineret, abbas, consilio cum aulicis habito, puellas adiit, ut memores sint animarum patris et matris precatur. Hoc ex animo fieri consentientes, ac secum apud imperatorem interventrices ut fiant, obsecrat et impetrat. Haec ita, ut dictum est, omnia peracta, caesarem adit, quae fecerat refert, quae poscit accipit, dato sibi defensore ac in rerum a rege redditarum....[d] adiutore Gerardo comite augusti nepote, in illis regionibus oppidis, possessionibus, divitiis prae cunctis potente.

33. Peractis ad votum quae optaverat omnibus, Dei se praecedente clementia et subsequente, dehinc regis se gratia[e] donatum praesentiens, laetus exsultans, id ipsum fratribus reportans, ad monasterium revertitur. Ait Boetius, vir scholasticissimus[f] et in definiendis rebus prudentissimus: *Anxia est humanarum rerum felicitas, quae vel numquam tota perveniat, aut minime perpetuo subsistat.* Adeptis abbas ab augusto quas optaverat rebus, angebatur nimium, ne multo labore quaesita pravorum

a*) quos *ed.* a) utramque *ed.* b) si *ed.* c) opportebat *ed.* d) *vocabulum e. g.* restitutione *deest in c. cf. Wassebourg qui f. 227 haec verba ex chron. descripsit.* e) gratiae *ed.* f) scholaticissimus *ed.*

18) Mabill. Ann. IV. p. 384 regis diploma affert datum 13. Kal. Sept. ad monasterium sancti Michaelis supra Mosam. 19) Saintois e meridie Tulli. 20) Fridericus II. qui anno 1033. obierat. De eius filio nihil compertum habemus. Cum Laurentius vero in hist. Virdun. dicat, Fridericum filium Theodorici ante patrem obiisse, quod falsum esse constat, fortasse Friderici II. filium pariter Fridericum nominatum intellexit. Huic fortasse nupsit soror quaedam Cunigundis imperatricis, ex qua filias Sophiam et Beatricem accepit; id quod statuit Belhomme Ant. Voges. p. 239, ut monet Stenzel Fr. K. II. p. 116.

moliminibus deperirent, quibus erant contigua et a quibus ante fuerant possessa. Absunt enim a monasterio bidui vel tridui itinere, nec facile provideri possunt a quoquam eunte vel redeunte, cum, sicut dictum est, impromptu sit invidis, a quibus prius possidebantur, eas quoquo modo repetere. Hinc igitur abbas multa secum volvens, novissime, consilio divinitus, ut credo, sibi inspirato, cellam eisdem in partibus construere parat divinis cultibus aptam, et quosdam religiosae vitae viros ibidem constituere, ut divina potentia sibi famulantibus prava machinantes reprimat, quos avaritiae insatiabilis ardor habendi etiam ad iniusta possidendum inflammat.

34. Verum non exigui laboris neque frustra esse perpendens quod facere disponit, ne iuxta euangelium aliquibus praebeatur ludus, non posse quod inceperat consummare: de sumptibus nihil haesitans, prius de loci aptitudine, vel quo modo construat habitationes fratribus utiles, vir industrius diu multumque secum reputando cogitat. Cinctus ergo invictissimis armis eius quae in Christo est fidei, explorandorum locorum speculator callidus, iter aggreditur, quaerens ubi occasio longius evagandi degentibus absit, in utroque providus, ut nec animabus fratrum periculum oriatur, et aemulis circumquaque manentibus maledicendi occasio subtrahatur. Lustratis igitur pluribus regionis illius locis, tandem in una villarum quas recuperaverat, quae Arevilla dicitur, considerans diligenter loci situm amoenitate simul et commoditate praestantem, videt omnia votis suis plane respondentia. Est namque vallis duobus interiacens montanis, quorum latera stadii spatio in longum porrecta, duobus autem sagittae iactibus a se distantia, vallis inter se latitudinem claudit; longitudinem autem eius stadii aeque spatio protensam duo monticuli sibi oppositi altrinsecus terminant, lateri boreali adhaerentes, nec plus a meridiano distantes, quam quod alveo subterlabentis fluminis locum praebeat. Sicque quadrangula montium clausura vallis vallata perspicitur. Mosa quoque fluvius per eius medium decurrens, adiacentem sibi planitiem pratorum viriditate venustat. Remotiora vero, quae se versus montana protendunt, agriculturae vel hortulationi se commodant. In latere boreali, quod non arduum, sed devexum in camporum latitudinem distenditur, in ipso collis vallisque confinio praedicta villa cum ecclesia sancti Germani consistit; meridianum vero latus arduum et in sublime porrectum et directa longitudine porrectum, ipsa suae altitudinis aequalitate pulchrum, amoena fagineae sylvae opacitate vestitur, cuius inferiora cum in vallem declinando perveniunt, quodam et eminenti gradu a vallis humilitate se erigunt; et in ipsius gradus medio quaedam se rupis attollit, sub qua fons amoenus et dulcibus aquis exuberans oritur, superque ipsum callis est commeantibus pervius, et super callem altiore iterum gradu terra consurgit et in planitiem gratissimam se distendit, in cuius parte superiore quindecim fontes seriatim oriuntur.

35. In huius ergo planitiei medio abbas, tanta rerum congruentia delectatus, scilicet tot proximorum fontium affluentia fluminis quoque piscosi 1034. et camporum pratorumque vicinitate, nil moratus, ecclesiae fundamenta iacet, claustri aedificium versus collem destinans, ut praedictorum fontium aquae simul in omnem collectae per officinas deduci possent, et inde usque ad collem nemore vestitum hortus et pomaria fratrum disponerentur. Post quos[a] exteriores porticuum parietes altitudine duorum vel trium cubitorum erecti, interius undique ambiendo cingunt aedificium, patrocinia sanctorum, et praecipue Kalisti papae et martyris, cuius venerationi et nomini ad Dei honorem et invocationem specialius aedificare disponebat, pignora collocat, indubitanter sperans, nonnulla miracula orationibus eius et meritis in eodem loco divinitus facienda. Contigit autem inibi reliquias collocari circiter Kalendis Iunii, tertio die sive quarto ante ascensionem Domini. Mai 29. vel 30.

a) Postquam?

36. Continuo fama diverberat aures procul et prope degentium, in Harevillam delata esse sanctorum pignora, maxime autem Kalisti papae et martyris membra, per quem fiebant virtutum prodigia, praestando infirmis optata remedia. Quod multi audientes, ex vicinis et longinquis villis et oppidis eo cum votis et oblationibus, alii gratia orationis, alii causa recuperandae sanitatis, accurrunt; inter quos venit quidam iuvenis, cui alterum oculorum diutina capitis infirmitas penitus extinxerat, alterum ita caligo coecitatis obduxerat, ut ei necesse fuerit ad illuc veniendum pio ducis obsequio fungi. Sororis igitur licet pauperculae auxilio ad locum accessit, deprecans beatum martyrem, ut si lumen oculi eius, quod ex toto amiserat, reddere nollet, vel alium caligine tectum detegeret et illuminatum incolume conservaret. Hisce similibus querimoniarum voces ingeminans singultibus, cum ferme quindecim dierum spatio nil sumeret remedii, a Petra sorore rogat, ut postera die unde venerant redeant. Defecisse insuper, ait, quae detulerant victualia; si vero amplius maneant, deesse quo vivant. Parata, ut disposuerat, in crastinum profectione, ipsa nocte, ut solebat, in eadem domuncula sudibus et virgis texta, qua servabantur sanctorum pignora, ubi et ego qui haec scribo prae angustia loci noviter incepti quiescebam, accumbens quievit. Circa vero pullorum cantum experrectus, me inspiciente, solus foras exiit, quaerens, credo, naturae necessaria, solusque reversus, stratus locum, in quo prius quieverat, sine pedum offensione repetivit. Ego autem exsiliens, fratrem Andream, qui in altera eiusdem tugurii[b] parte quiescebat, et domnum abbatem, qui iuxta nos in consimili iacebat domicilio, ad celebrandum iuxta morem Deo debitos hymnos — erat enim iam tempus nocturnas Deo dicere laudes — silentio vocavi, nemini quicquam de hoc quod videram qualicumque designans indicio; sciebam enim, quod is, cuius erat hoc proprium, non taceret, si esset verum, quod ipse sciret et sentiret, ut ego credebam, in eo patratum miraculum. Finitis matutinis, cum iam phebaea lampas radiis luce crinitis montium sylvarumque lustraret opaca, adolescens sororem, ut redeat cum aliis, qui ex eorum vicinia confluxerant, hortatur, se iam non egere quo prius ve-

b) tigurii *ed.*

nerat produce fatetur, redditum sibi detectumque quod petierat lumen, indignum et indecens, ut inde furtim rediret, ubi quod petierat impetrasset, opperiri potius oportunum diei tempus, quo de misericordia per beatum martyrem divinitus sibi concessa illos, qui se prius palpantem et coecum viderant, certiores facti miraculi redderet, deinde post aliquot tempora et dies ad propria remearet; quod et factum est. Mansimus enim in eodem loco septem ferme aut amplius dies; ipse quoque in nostris obsequiis instabat assiduus, humeris aquam et de proxima sylva cesa deferens ligna, pluribus necessaria usibus. Abbate igitur exeunte, ipse quoque reverti parat unde venerat, prius tamen innexo sibi ligamine colli, sese mancipat sancto, eo pacto ut omni annorum dum advixerit recursu, pro reddita sospitate persolvat quod vovit devotione spontanea; sicque laetus, adepto quod petiit, sua suosque cum gaudio revisit.

LIBER DE SANCTI HILDULFI
SUCCESSORIBUS IN MEDIANO MONASTERIO

EDENTE DR. G. WAITZ.

Abbatum Mediani Monasterii, in Vosago siti, nunc Moyenmoutier *appellati, historia, vitae sancti Hildulfi ipsius coenobii fundatoris adiecta, nonnisi ad Hardulfi abbatis, qui anno* 1016. *depositus dicitur*[1], *tempora est deducta. Ideo iam ante a.* 1020. *opus confectum et Valcando cuidam monacho esse tribuendum, Belhomme minus recte statuit*[2]. *Nam scriptor ille Brunonis Tullensis tempora vidit*[3] *et diserte anni* 1043. *mentionem facit*[4]; *quae quo minus post addita esse cum Belhommio putemus, codex antiquus et fere coaevus impedit. Eidem auctori vitam S. Deodati interpolatam deberi constat*[5], *quae quum a.* 1049. *Brunoni iam papae ordinato probanda sit porrecta*[6], *auctorem, sive abbas*[7] *sive monachus Mediani monasterii fuerit, eodem fere tempore utrumque opus conscripsisse et Leoni IX. papae transmisisse*[8], *verisimile est. — Vitam S. Hildulfi antiquiorem auxit atque interpolavit eique alterum librum adiecit, quo et successorum gesta et miracula ab ipso sancto facta narravit, priscis temporibus traditionem quandam monasterii secutus, postea rerum ibidem gestarum satis gnarus. Liber tamen neque rerum quas continet gravitate neque narrandi ratione se commendat. Richerius in historia Senoniensi et Iohannes a Bayono, qui saeculo XIV. maiorem Mediani monasterii historiam edidit, ex hoc fonte quam plurima hauserunt. In nova quam institui editione S. Hildulfi vitam tanquam nullius auctoritatis praetermisi, miraculorum quoque maximam*

1) Belhomme hist. Mediani mon. p. 211. 2) p. 141. Cum eo facit Rivet Hist. litt. VII. p. 240, qui hanc rem nimis leviter diiudicavit. 3) c. 6. 4) c. 9. 5) Belhomme p. 129. Edita est Acta SS. Iuni III. p. 873. 6) In fine legitur (Acta SS. l. l. p. 883): *Anno ab inc. domini nostri Iesu Christi* 1049. *indict.* 2. *concurrente* 6. *epacta* 14. *regnante Henrico filio Conradi imperatoris anno* 10. *ac imperante* 3. *haec gesta, quae de piae memoriae pontifice Deodato scripta sunt, ad summum apostolicae sedis apicem delata sunt, atque in provinciali synodo eiusdem sanctae Romanae ecclesiae est constitutum, ut in praesentia episcoporum, abbatum, clericorum et laicorum recitarentur, et cum recitata fuissent, data auctoritate ab ipso summo papa Leone nono primo anno sui apostolatus decretum est, quatenus in ecclesia Dei legerentur et firmissime servarentur.* 7) Acta SS. l. l. p. 871. 8) Ideo Chifflet ipsi hanc historiam tribuisse videtur; cf. Martene Thes. III. p. 1091.

partem resecui, abbatum vero gesta emendatiora exprimenda feci libro, manuscripto usus

1) Parisiensi Suppl. Lat. N°. 854. mbr. sec. XI. 4to. ubi f. 6'—25. integrum opus legitur. Codex diligenter scriptus cum editis accuratissime comparatus textum ubique fere genuinum praebuit. Liber II. primo ita coniungitur: Explicit vita sancti Hildulfi Trevirorum archiepiscopi. Incipit liber miraculorum eiusdem.

2) Paderbornensis codicis[9]*, s. XV. scripti — qui iam Bruxellis asservatur*[10] *et ubi hic liber inscribitur:* Incipit libellus alius de successoribus eius in Vosago — *apographum Belhomme Martenio transmisit, qui ex hoc editionem (Thes. III. p. 1093) adornavit.*

Paulo post Belhomme alterum codicem supra nominatum nactus, in „Historia Mediani in monte Vosago monasterii" (Argentorati 1724. 4to.) opus emendatius edidit notisque amplioribus illustravit; ex quo Calmet (Historia Loth. II. Probb. p. XLIX) secundum librum recepit.

G. WAITZ.

Penultimo interea iam memorati domni abbatis Leutbaldi[1] anno, ab incarnatione vero domini nostri Iesu Christi 703. venerabile corpus sancti Bonefacii martyris, ablatum Trevirorum populo, divinitatis ope illatum est Mediano cenobio. Sicut enim Victor et Ursus cum aliquot castrum Solodorum, beatus Gereon cum suis[a] 318, Mauri quoque 50[b] Agrippinensem Coloniam, sic et hic preciosus Christi martyr cum suis trecentis pervenit Treverim, corpore, non corde, ab eadem qua et praedicti martyres Thebea legione subtrahens se interim, cum apud Agaunum darentur[c] victimae sub Herculio Maximiniano caesare. Omnino tamen credendum est, constantissimos testes Christi postmodum factos citae mortis sententiam non tam voluisse vitare, ubi iuxta veritatis iussum in ista civitate persecuti in aliam cuperent fugere, quam passim per barbariem Galliarum sparsos divinitatis mira dispositione, ne unius loci clauderet angustia tot et tam praeclara sanctorum martyrum milia. Ubi tandem, Treveri scilicet, agonis sui cursu feliciter emenso, capitali cum sociis suis multatus sententia, propter pontem fluminis, qui adiacet oppido, desiderabili commertio nanciscitur aeternitatis compendium ob temporalitatis dispendium. Qui vilibus mandati bustis, a christianorum populis, rabiem pertimescentibus gentilitatis, post plurimorum curricula annorum honeste reconditi iacent in quadam basilicae sancti Maximini criptella, et hoc peractum beati patroni nostri Hildulfi vigilantia. Delatas ergo praefati martyris reliquias ad Medianum monasterium, multis temporum ciclis[d] servavit quoddam vetus sancti Martini oratoriolum a dextris templi locatum, donec funditus memoriae fuisset subtractus mortalium. Cuius inventio quia minime premenda[d*] est silentio, ęnucleatius subscribetur suo loco.

1[e]. Domnus igitur[f] Regimbertus fraterno voto c. 705. successor sancti effectus, annis non minus quinquaginta, dispositione utriusque stipendii vitae coenobitalis laudabiliter est functus, quemadmodum approbatur cyrographis cautis regum temporibus. Huius denique diebus Theudelinda illustris matrona, respectu tremendi examinis conpuncta, consensu comparis sui, vinculi iugalis resolvit pacta, atque melioris mariti uxor effecta, sub sanctimoniae velamine Christo[g] est dicata. Quae, benivolentia protinus annuente Ricperti[h] relicti coniugis, nostro loco honorabile praedium Ahenaim[2] vocitatum contradidit. Tunc etiam quidam spectabilis vir nomine Gunbertus, filius Trupperti, in alio praedio Hundinisheim[3] agnominato portionem sui iuris contulit. In quibus praefatus abbas duas basilicas construxit, priorem in honore sancti Maximini Trevirorum praesulis, alteram in honore beati Petri apostolorum principis, atque vitae suae curriculo emenso, 5. Kalendas Februarii lucis istius visu caruit.

2. Successit eidem non impar studio et mori- c. 760. bus Sundrabertus[i], et huic post viginti et eo amplius[k] annos strenue decedenti successit germanus c. 790. eius Madalwinus[l], qui mundanis dudum involucris expeditus, monasticae tranquillitatis expetiverat litus, quique laudabili studio praeminuit praefatis duobus. Archam denique super beatos patroni nostri Hildulfi artus fabricari instituit, quam etiam honorifice auri argentique metallis adornavit. Pari modo condecoravit sanctarum reliquiarum fere-

a) s. etiam 2. b) quingenti 2. c) aganum daretur 1. d) curriculis 2. d*) praetermittenda 2. e) *ita* 1. *capitula numeravit.* f) *erasum* 1. g) *deest* 2. h) ruperti 2. i) sinidrabertus *aut* simdrabertus 1. sinidrabertus 2. k) viginti unum et a. 2. l) wadaluuinus 1.

9) Primum librum vitam S. Hildulfi continentem vidi etiam in codice mbr. s. XIV. fol. qui olim Mediani monasterii fuit, iam vero una cum aliis eius coenobii libris praestantioribus in bibliothecam viri clarissimi Noel notarii publici Nanceiensis devenit. 10) Archiv VII. p. 426.

1) Qui in primo libro a sancto Hildulfo constitutus dicitur. 2) Hodie Veltkirch ob adiacentem huic praedio ecclesiam vulgo nuncupatum. Est autem haec eadem ecclesia parochialis vicini oppidi Niderehenheim dicti. BELH. 3) Hündisheim inter Strasburg et Erstein.

trum, cum scriniolis, tum turribula[a] cum candelabris. Fecit et calicem maximum nomine suo insignitum, nostrae pauperiei adhuc reservatum. Hic decori ararum beatae[b] Dei genitricis sanctique Petri aptans tabulas, preciosis metallis insignivit ambas, multaque huiusmodi reliquit loco suae industriae credito monimenta. Ipse quoque suapte praedium Petri-scamnum nuncupatum iuri[c] nostri coenobii contradidit, cum aliis, quibus tam sua quam devota fidelium collatione illud ampliavit. Defungitur itaque tertio Idus Martii, cum regiminis eius anni acutula argumentatione vestigati vix reperiantur duodecim.

3. Extimplo in electione successoris multitudini fratrum surrepsit discordiae bilis, sed praevalentibus beati viri huius meritis, insperato divinae clementiae iubar ab oriente destinatur illis. Nam cum bifariam scinderentur mutuae dissensionis pertinatia ducti, ambarum partium priores pariter ad principem pervenere Karolum. Ubi pacificus princeps sedatu difficile monachorum persensit litigium, concordiae providere gestiebat quam plurimum. Mira autem dispositione divinitatis repertus est ibidem Fortunatus patriarcha venerabilis[4], qui gratia salutandi famosum principem, visendique loca sanctorum, quos fama excurrente didicerat, ab Hierosolimis peregre digressus erat. Is denique ante aliquot annorum curricula animadvertens, apud Aaron regem Persarum pluris haberi amorem
cf. Einh. vita Karoli c. 16. Karoli quam quorumcumque principum — quod etiam patefecerat dirigendo ei solum quem habebat elephantum —, per diaconem reliquias ligni passionis seu inter homines nonnullius conversationis domini nostri Iesu Christi transmiserat illi, multaque prece contestatus exegit, ut praedicto Aaron legationem per suos inferret huiusmodi: *Omnimodis tuam clementiam precor pro loco resurrectionis domini Dei mei sancta Syon, ne tuo laxamento agentibus passim calcetur, neque religionis christianae pontifici debitum cultum ibidem exequenti contradicatur.* Eius itaque dicioni tunc non tantum beata civitas, verum insuper omnis pene Asia praeter Indiam patebat. Qui cari sibi principis[d] amicabili suggestione adeo delibutus est, quatinus dispositioni eius ascribi reverendum locum iuberet, a suoque potentatu veredariis cum orientalium munerum ambitione directis, eidem cessionem illam firmaret. Hac pro causa diaconem suum ad Karolum iterato cum munusculis destinavit pa-
803? triarcha. Tercio autem per semet veniens[5], ipse mutua visione satisfacere communi affectui, suo videlicet principisque religiosi, offendit apud eum praedictam procellam coenobitalis dissensionis. Cui sedandae rei aestuans consultum iri, ad hunc quasi ob id divinitus destinatum repente tota convertitur retractio regalis consilii, si modo ille praesul maximus posset ad hoc flecti. Regis itaque ac optimatum eius importunis temptatus pręcibus, vix potuit ad hoc persuaderi, quatinus sanctorum, qui tunc forte aderant, sacerdotum cedens[e] auctoritati, susciperet curam ipsius monasterii. Cuius sanctitatis excellentia priorisque apicis reverentia stirpitus est sopita claustralis discordia, et sub eo de more effecti sunt monachi cor unum et anima una. Fuisse equidem dicitur recalvaster hic Domini famulus, corpore exilis et exiguus, facie et conversatione angelicus, barba sublonga, canisque respersa decoratus. Praedia in augmentum loci in diebus eius collata sunt numerosa, cartarum monimento hucusque notissima. Ipsius vero collatione ex cunctis pene instrumentis humanae conversationi atque passioni Domini aptatis amplexabilia pignora locus hic meruit percipere, pariterque pręciosorum martyrum Stephani, Lazari quatriduani sepulti, Georgii atque Pancratii, cum[f] plurimis quae[g] nunc longum videtur prosequi.

4. Per haec tempora ab orientis partibus eidem coenobio divino ductu destinata sunt duo praeclarissima lumina, quidam videlicet inter suos rex nomine Lazarus cum filia Asa[h], quae etiam extiterat in finibus illis regina. Hii piae devocionis studio deserentes propria, expetivere peregrina, quatinus in urbe Romulea mererentur attingere apostolorum limina, et insuper adirent memorias sanctorum, quos trifida venerabatur Gallia. Cumque plurima peragrando loca sanctorum, satisfacerent religiosae curiositati, tandem subeunt habitationem Mediani monasterii famae susurrio iam dudum sibi cogniti. Ubi reperientes Fortunatum patriarcham venerabilem, monachorum caelestia suspirantum choro praelatum, quem olim habuerant non ignotum, conpuncti sancta conversatione et admonitione eorum, susceptae peregrinationis fixerunt circuitum. Denique instantes nimiis pręcibus, ut recludi permitterentur, vix aliquando obtinere quiverunt. Reclusi sunt ergo rex in cella sibi praeparata penes oratorium beati apostoli Petri, regina ultra alveum Rabadonis iuxta basilicam beati confessoris Apri, in quibus usque hodie fenestellae ipsorum possunt videri, per quas suscipiebant necessaria humanae imbecillitati. Ibidem cum aliquot vixissent annis, solummodo caelestibus vacantes conditionibus, exuti menbris corruptibilibus, migrarunt ad palatia incircumscripti spiritus, ob id verius reges dicendi, quia minime regnarat peccatum in eorum corpore mortali. Sepulti sunt autem in propriis cellulis; sed postea sacri artus venerandae reginae a prioris tumbae loco[i] relati, sociati sunt artubus venerandi regis, ut qui sanguine, mente et opere[k] iuncti fuerant, unius sepulchri participes forent. Beatus autem patriarcha Fortunatus meritis tandem et aetate consummatus, huic temporalitati 4. Kal. Martii[6] est subtractus, atque ad perpetem flantium dierum infinitatem perductus. Huius veneranda gleba post bases altaris beati papae Gregorii decenti sepulturae est tradita. Anni vero regiminis eius Mediani monasterii repperiuntur viginti.

a) cum thuribulis 2. b) b. Mariae 2. c) *deest* 1. d) princicipis *duabus lineis* 1. e) caedens 1 f) c. p. *desunt* 2. g) quod 2. h) aza 2. i) 2. *add.:* ubi hactenus epitaphium illius quamvis oblitteratum cernitur. k) corpore 2.

4) Gradensis. 5) cf. Einhardi Ann. a. 803. 6) Diem IV. Idus Martii in necrologiis inveniri, Belhomme annotavit. Fortunatus circa a. 825. obiisse dicitur.

5. Successorum tam idonei patris nomina raptim perstringere libet, quia cum studio brevitatis, tum etiam quod ex eorum actis vix tenue* quiddam scriptura seu relatio certa nobis transmittere quivit, immorari piget. Primus *post eum rexit idem coenobium[a] Waldo ex sorore Maldawini progenitus, secundus Isimundus[6] quondam episcopus, cuius tempore cessit nostro loco apud Domnum-Luvinum[b] fundus; tercius extitit Theodericus, quartus Reginardus, quintus Humbertus; sextus vero Pipinus vix praefuit pauculis coenobitis aliquot annis nimium[c] pressus. Porro sex horum patrum aetas habuit principes rei publicae praedictum Luodewicum, Lotharium, item Lotharium, Luodewicum, necnon Arnulfum. Quorum temporibus ipsa abbatia plurimum attenuata, exigente iam seculi nequitia, per Lotharium, qui factus est anathema maranatha, paene extitit desolata, quae usque ad ipsum pollebat religione rerumque copia. Hic tergiversator callidus dampnabiliterque levis ac lubricus patruorum patientiam [imitabat[d]] sedulis machinationibus. Adversus quos cum etiam crebram aciem produceret, neque congressus illius laetos exitus haberet, praefatus abbas nimis continuata exactione[e] militum in expeditione regali conpulsus, et maxime parricidalem dissensionem perosus[f], alam loricatorum quam solebat, id est 30 milites, cum consueto clypeatae manus numero in exercitum destinare noluit, orare se dicens regem, ne istiusmodi angariam imponeret militantibus Deo monachis; ipse pocius ex facultate abbatiae utilitatibus consuleret propriis. Hac causa tyrannus stimulatus, iam sepe dictum monasterium duci provinciae iure beneficii contradidit, ea videlicet condicione, quatinus res loci pro libitu dispensaret, militumque turbam procinctui regio procuraret. Tunc domus Dei pene est adnullata, monachis sunt subtracta victualia, et ob id paulatim sparsi per diversa, egestate coacti deserere cellas circumcirca. Tantum aliquot permissi sunt in ipso principali loco remorari, quibus ad necessarios sumptus delegata fuit adiacens cum agellulis suis villula cum[g] cortibus pauculis; mille vero ac quingentos et insuper undecim[h] mansos cum superpositis aecclesiis ex ipsa abbatia usurpavit sibi ambitio ducis.

6. Cum autem ab[i] incarnato Domino instaret 896. annus, Arnulfus Romae caesar efficitur; e vestigio inaudita lue mortalitatis subsequente atque famis homines hominem vesci cogentis, Zundeboldus quoque tirannus, ipsius Arnulfi filius, Lotharingam provinciam disponere permissus, inde flebilis[k] flagitii nota dedecoravit[l] primitias sui principatus. Praetitulato siquidem anno illam tantulam delegationem praebendae monachorum illic adhuc sub Pipino abbate excubantum iure beneficii concessit Hillino comiti, in cuius clientela vix aliquot canonici permissi sunt immorari, stirpitus hinc avulso ordine monachili, videlicet quia esset clericis indifferens victus, et quia magis peculiaris quam communis rei inniterentur sumptibus. Huic successit[m] Riqwinus secundus, tercius Otto, quo superstite civitas Basilea ab Hunis expugnata atque 917 aequata est solo. In Mediano autem coenobio et tribus eidem conterminalibus monasteriis[7] vix singuli clerici feruntur resedisse[n] nonnullis mensibus, eadem[o] observantes excubiis vulgaris parrochiae. Tandem in culmine regni[p] Heinrico stabilito, et 919. barbarica[q] vetatur irruptio, atque paulatim conva- 936. lescente patria, illuc redintegratur imminutus canonicorum numerus et ordo. Hinc iam comiti Ottoni quartus Boso successit in administrationem rerum ipsius monasterii, et huic deinde quintus Ainardus. Postremus provisor exterioris suppellectilis, sed primus institutor monasticae religionis in illo loco extitit Gislibertus, quia iam venerat tempus miserendi eius. Attamen exactis 46[r] annis, velud usque ad imperium Cunradi invicti principis, Deo miserante aliquantulum convaluit illic, quamvis non ut prius, exercitium religionis, instantia domni Brunonis reverendi Leuchorum antistitis.

7. Gorciense coenobium sub industria Ainaldi[s], nimium reverendae vitae abbatis, longe lateque evibrabat radios monasticae religionis, ubi tunc degebat in monachi[t] habitu quidam Adelbertus sanguine primatum regni sublimis. Qui suorum et praecipue praefati comitis Gisliberti fretus adminiculo, sistitur duci Friderico, cui intererat[u] Me- c. 960. diani monasterii per id tempus dispositio. A quo loci gubernatione donatus, monasticum ordinem ibidem restituere est iussus. Tum etiam religiosus dux sub confirmatione cyrographi restituit loco[v] aecclesias, quas olim possedisse dinoscitur, et quicquid canonicę tenuisse comprobantur. Adelbertus igitur, praedicti abbatis sui suffultus subsidio, monasticae professionis viros aggregavit in praefato coenobio; inter quos Blidulfum olim Metensium primicerium, et Gundelohum nobilissimum Dei famulum[8]. Ambo nempe isti Deo digni viri vita et specie monachi per omnia parentes paternae voluntati, ab abbate Ainaldo commendati fuerant huic abbati.

8. Post haec oratorium gloriosae virginis et 963? matris Domini Mariae, crebro fragore ruinam sui minitans, idem abbas cupiebat diruere, alterumque illo augustius instaurare[w]. Sed quia conatibus eius plurimum obviabat, quod venerabile sancti praesulis Hildulfi corpus usque ad illud tempus ibidem archa saxea servabat, coacto abbatum et vicinorum clericorum religiosorumque concilio, decrevit levare tumulo ac apparato locare in scrinio. Quod cum omnibus placuisset, ac tantae rei perficiendae instarent, consilii fuit, ut si sacros artus, ceu velle habebant, recondere quissent, monasterio devotionis gratia circumferrent. At quoniam, minaci nu-

a) monasterium 2. b) d. iuvinum 2. c) n. a principibus 2. d) *deest* 1. 2. *suppl. Belhomme ex Iohanne de Bayono.* e) *ita Ioh. de B.* ex acie 1. 2. f) periculosus 1. g) *deest* 1. h) XII. 2. i) ab i. d. *des.* 2 k) indelebilis 2. l) decoravit 1. m) secessit 1. n) c. r. visi sunt 2. o) easdem tantum o. excubias 2. p) *deest* 2. q) barbarici 1. barbari 2. r) sexaginta et sex *Belh.* s) amaldi 1? 2. t) d. monachili 2. u) inerat 2. v) huic loco 2. w) restaurare 2.

6) cf. Frotharii epistola 3. ap. Duchesne II. p. 713. 7) Senoniensi, Styvagiensi et Sandeodatensi BELH. 8) cf. Vita Iohannis Gorz. c. 69.

bilo pendente, solis ac syderum facies denegabatur, terris iam mensurni ymbris vehementia resolutis, nec valebant cum aecclesiasticis ornamentis secedere tectis, annuit abbas, ut solis circumferretur claustris. Ubi tamen ad tumbam sancti cum cereis et thimiamateriis ventum est, ac operculum illi subductum est, pariter quoque gravida madidi aeris palla discinditur, ridente sereno, et terrigenis lux diu suspirata redditur continuo, quatinus cunctis liqueret, quanta meritorum claritate in vivorum regione fulgeret anima, cuius exuviis arridebant in terris aera. Nefas enim erat elemento[a] non parcere mortalibus, quorum devotio opponebat Trinitatis habitaculum eius terroribus. Cuius rei evidentia confricatus animus praesentium, incalescebat ad invisibilis regni desiderium, in quo ille, cuius inpraesentiarum cernebant corpus, evidentibus indiciis ostendebat[b], se iam recepisse stolam unam, in dieque suprema suscepturum aliam. Quantum lacrimarum gemituumve dulciter ex intimi animi medullis prorumpentium ibi fusum sit, digne proloqui carnis lingula[c] nequit. Tandem sacras reliquias nitido involventes palliolo, in[d] ligneo recondidere scrinio. Quod imponentes scapulis, intulere oratorio[e] beati Apri confessoris Christi, indeque mox efferentes, altera regressi via, invexere monasterii claustris septimo[9] Idus Novembris, tanto funeri insperatum obsequium aere praebente, et post eius collocationem nonnullis diebus idem conservante. Qua de re communi cunctorum voto hunc diem celebrem haberi placuit recursu annuo. Qui usque in praesens celebrior solet suscipi etiam depositione ipsius quam repraesentat mensis Iulius, sive propter illud occupatissimum tempus, seu quia minus abundat victualibus. Tunc quoque beata sanctorum germanorum Iohannis atque Benigni corpora, quemadmodum ex uno sublata sunt mausoleo, in uno reponuntur scrinio. Quorum advectio a prioris sepulturae loco sexto Idus Mai extitit, et ut erat sollempnis, remansit, quia singulare festum persolvere huic sancto praesuli quotannis devotio priorum voluit.

9. Hic ergo ordo gestorum exposcit, ut memor promissi retexam inventionem corporis[f] sancti Bonefacii martyris. Diruto equidem templo beatae Dei genitricis ac perpetuae virginis Mariae, simulque aedicula beati Martini eidem cohaerente, in qua iam dictum est martyrem tumulatum fuisse, necessario loca dudum orationis occupaverant parietinae hominibus ac bestiis perviae. Quam suarum reliquiarum neglegentiam non ferens spiritus martyris, qui mirabiliter honorabatur in caelis, quadam nocte per visum in habitu militari, sicut est vultus dignitate venerabilis, cuidam iuvenculo monacho Tietfrido nuncupato astitit, ex indigenarum quidem mediocri sanguine procreato, sed ut putabatur bonae actionis futuro, eumque suo taliter dignatus est alloquio: *Admodum aegre fero, quod parietinis premor pedibus, et sordibus hominum pecorumque atteror, conculcor ac inficior. Quamobrem quantocius surgens, maturato dicere abbati[g], ut, si propriae vult consulere saluti, provideat quietem meo corpori.* Quem frater ille hoc modo percontatus est: *Domine mi, quem te dicam, et ubi habere sepulturam?* Martyr ad haec sic intulit: *Scias me Bonefacium nominari, gloriosae legioni Thebeorum martyrum numero et merito sociari. Siquidem divina concedente gratia non impar gloriae collegae mei Mauricii in caelis servatur et mihi gloria, quos per omnia fecit pares labor ac milicia, exhortacio sociis titubantibus impensa, et in fide usque ad mortem perseverantia. Post nonnullos vero annos a corporibus commilitonum meorum furtim disgregatus, a quibusdam devotis Deo viris ad hunc locum sum delatus, atque in oratoriolo beati Martini terrae commendatus, ubi usque ad[g] praesens latuerunt omnes mei artus, excepto capite, quod inter collegarum meorum corpora prior retinuit locus. En tibi cunctarum reliquiarum mearum causam explicui, tu nunc absque recrastinatione pergens, explica hoc ipsum abbati.* Nec mora, cum verbis subducitur monacho species martyris. Qui ubi expergefactus est[g], quia maluit revelationem illam fantasmati ascribere, quam ei aliquatenus fidem accommodare, et super hoc[g] Deitatis misericordiam implorare, distulit sibi imperata perficere, sive pertimescens ypocrisi atque mendatio notari, seu invidiam contrahere suae parvitati. Quapropter iterato adventantis acerrima increpatione percellitur martyris: *Cur*, inquam, *commotionis meae acrimoniam minime perhorrescis, quem denuo ad te venire conpellis? Scias igitur, te luiturum poenas contemptus et inoboedientiae, priusquam corruptibili careas luce.* Huiusmodi vero minis postquam fratrem illum perterruit, omnem superioris visionis ordinem retexuit, et abbati intimare iussit. Sed eo ceu primitus dissimulante, tercio gloriosus martyr eum dignatus adire eiusque vecordiam nimia verborum acerbitate increpare, ac recapitulato primae atque secundae revelationis oraculo, adiecit continuo: *Animadverto duritiam tuae infidelitatis non posse ad oboedientiam flecti, nisi molliatur fomentis alicuius signi. Quocirca surrecturus ad nocturnales ymnos, adi tum altare situm ad caput sancti Hildulfi, super quod mox inventurus cruciculam cum cambuta ipsius pontificis beati, tocius ambiguitatis callum remove a latebris animi. Attamen quoniam tolerabilius tibi erit temporali supplicio subiacere, quam inrevocabiliter perpetuae mancipari gehennae, huius neglectus ultionem noveris te subiturum in hac luce. Satis enim, satis superque poenarum restat tuae nimium carnali vitae, quanto plus si adiciatur[h] facinus tantae inoboedientiae.* Hac perterrefactus iuvenis comminatione expergiscitur, et fidem iussionis exploraturus, facto signo nocturnarum vigiliarum, aecclesiam ingreditur. Ubi cum sibi[i] praedicti signi evidentiam corporeo hausisset oculo, omni dubietate postposita, abbatem et fratres illuc advocavit adhuc in crepusculo matutino.

a) clemento 1. b) respondebat 2. c) ligula 1. d) *deest* 2. e) in o. 2. f) *deest* 2. g) *deest* 2. h) adiciantur facinora 2. i) *deest* 2.

9) Legendum est VI. quo die festum huius translationis annuatim celebratur in Mediano coenobio et in antiquo illius Martyrologio ms. annotatur.

Quibus postquam ostendit praesens signum, ceterae quoque revelationis patefecit textum. Inde una cum illis ad locum tumbae martyris properavit, et sicut per visionem[a] acceperat, eis designavit. Ubi fodientes, mausoleum invenerunt decens. Quod ut[b] aperuere, fraglantiam suavissimi odoris nares praesentium persensere. In quo tandem iuxta visionis fidem reperientes martyris exuvias, in sindone munda involverunt eas. Sicque recondentes in scrinio, Begoniscellae invexere festinato, quia recondendi aptus locus minime tunc[c] suppetebat eis in diruto monasterio. Sed incuria successorum faciente, praefata cella sanctos artus permissa est retinere usque domnum abbatem Lantbertum, qui anno ab incarnatione Domini 1043. in sexta feria, quae 2. Nonas Novembris habebatur, revexit. Frater vero, qui tociens commonitus tam clarae visioni assensum dare distulit, post aliquot annos pro domo infirmorum stans, repentino accessu paralisis adeo extabuit, ut se invito retrogradum iter ageret, donec per ipsius domus hostium intro corrueret, atque fractis cervicibus expiraret.

10. Interea dux Fridericus suae utilitatis insudans negociis, castrum cognominatum Barrum construxit in praedio aecclesiae Tullensis. Qua de causa Gerardus, vir totius sanctitatis praeconio efferendus, imperatorem Ottonem maiorem adiit, et ei iniuriam illatam suae urbi intimavit. A quo dux satisfacere iussus, pro pervasione praedii mutuae vicissitudinis conditione duas abbatias, Medium monasterium et Galileam, cum aliquot villis patrimonii sui contradidit ei, ut posset ipse pacifice possidere quod praesumpserat sibi. Cumque tali pacto denominata loca Tullensi diocesi cessissent, memoratusque praesul officiales eorum sacramento sibi astrinxisset, ob monimentum istiusmodi cessionis secum tulit cambutas beatorum antistitum Hildulfi atque Deodati, specie quidem vilissimas, nec, ut hac nostra aetate passim cernitur, artificiose[d] camuras[e] ac politas, sed tamen ad ostensionem sanctae mortificationis meritique eorum efficacissimas; quibus nil pompae adiecerat artium industria, natura sufficiente ad omnia. Has ergo antistes ille devotus postquam metallis preciosis pariterque sanctorum reliquiis insignivit, in gazophilatio sanctuarii servari praecepit; quod et hactenus fit. Tulit etiam signum nostri coenobii maius et melius, multis sibi quantitate metalli paribus soni qualitate praestantius, quod acquisiverat abbas Adelbertus. Illud tamen vix duodecim paria boum quiverunt ad oppidum convehere, cum post decessum ipsius pontificis quattuor tantum facillime quiverint revehere. Etenim quandiu Leuchae fuit, consueti soni dulcedine caruit. At postquam Deo volente locum recepit suum, recepit[f] pariter et sonum solitum.

11. Adelbertus, qui tunc temporis fungebatur abbatis nomine, cum per aliquot annos strenue, quantum ad hominum pertinet estimationem, impendisset sollicitudinem sibi commissae abbatiae, incommodo aliquantulae infirmitatis cepit laborare. Qui vehementius percussus paralisi[g], postquam nonnullos poenaliter transegit menses in grabatto, seculo huic aufertur cum luctu magno. Successor 985?
eius in loci regimine extitit Almannus, ex familia sancti Petri[h] excellentiore oriundus, corpore elegantissimus, statura procerus, moribus et actu modestus, in eruditione litterarum minus perfectus, in restructione abbatiae vigilantissimus, iuxta mediocritatem sui ingenii in revocando subiectos ad instituta regulae fervidus. Hic denique eruditionem suorum credens suam, mercede duxit[i] eis doctorem grammaticae, quin et volumina artis eiusdem plurima studuit loco conquirere. Hic monasterii fabricam cum omnibus officinis a decessore suo inchoatam, sed maxima ex parte imperfectam, perduxit ad manum suppremam. Verum donec fabrica eadem reparatur, corpora reliquiasque sanctorum servavit aula pontificis iuncta tunc claustri[k] officinis. In qua divinitus innumera praestita sunt infirmis beneficia, quae censui praetereunda brevitatis gratia. Unum tamen non pigeat me inferre, quod inter alia ibidem contigit. Energuminus quidam possessoris sui impulsu scelesta faciens, scelestiora dicens, propinquorum obsequio illuc advectus est. Qui cum aliquandiu invitus ante aram sanctorum teneretur, repente corruens, rotatu horrifico per pavimentum agitur. Sed hic rotatus et tormentum captivi liquido astantibus prodebant flagra ac torturam latronis maligni, quibus compellebatur egredi. Denique post nimiam rotationem ipso aditu quo fuerat intromissus exire coactus, cum obscenitate vomitus instar vermis bipedalis ab intimis visceribus miseri est proiectus. Qui mox ut paululum somni diu negati arripuit, gratias Creatori omnium ac fidelibus ipsius agens, propria incolumis repetiit.

12. Interea domno pontifice Gerardo ex huius 994.
vitae aerumnis sublato, ad Tullensis diocesis pontificatum subrogatus est Stephanus ex Mediomatricae urbis clero, qui iugiter pluris fecit locum hunc quam caetera suae sedis coenobia, oratoriumque sanctae Mariae sua consecravit industria; qua etiam die restituit signum loco olim ablatum a praedecessore suo. Hic vix duobus annis ecclesiam rexit, sed licet apud Bodonis monasterium[1] hominem exuerit, hic tamen sepeliri voluit; quod 996.
et contigit. Sepultus autem extat a dextris altaris semper virginis et matris Domini Mariae in mausoleo, ex quo dudum levatae fuerant sanctorum germanorum Iohannis et Benigni reliquiae, pectori eius crucicula superposita disticon abbatis Sicconis[l] inscriptum habens ita:

Hic fuit antistes Leuchorum Stephanus olim,
Idibus et tetra Martis discessit ab arvis.

Super tumbam eius dum postmodum duo fratres consisterent et odas missae decantarent, repente nimius fragor sub pedibus eorum insonuit, qui eos a statu suo super pavimentum conquiniscere coegit. Verum an hoc contigerit causa sanctorum mausolei, seu pro reverentia sepulti episcopi, non plane cognitum est mihi. Successor vero eius in pontificatu extitit Bertoldus natione Suevus, honestati seculi praecipue intentus, in constructione

a) revelationem 2. b) dum 2. c) *deest* 2. d) artificiosae 1. e) camyras 1; cameratas 2. f) *deest* 1. g) paralisis 1. h) P. martyris 2. i) conduxit 2. k) claustris 2. l) sic 2.

1) Bon-Moutier.

novarum atque eminentium fabricarum nulli secundus, in solitis legibus oppressor vulgi et monasteriorum versutus, qui Mediano coenobio irrecuperabilem calamitatem intulisse dinoscitur. Nam praefatus abbas tempore Heinrici principis ratus sibi divinitus offerri occasionem reposcendi praedii Bercheim ab iniquis diu possessi, suasu supradicti Bertoldi enorme servicium exibuit imperatori; in cuius impensa coactus est cunctam pene suppellectilem et pecuaria abbatiae abstrahere, quin
10 etiam omne ornamentum tam a crucibus et candelabris quam etiam a lecto sancti Hildulfi ac gestatorio sanctarum reliquiarum diripere. Siquidem vir ille bonus et simplex nihili pendebat censum aecclesiae bene[a] prodiga manu in tali negotio dispergere, quem sperabat se ex reditibus fundi
12 illius multiplicius restitutum ire. Igitur postquam duo pondo auri appendit archariis gazae imperatoris, praeter praefati impensas serviminis, sollempni traditione recepit ab eo praedium cum appenditiis suis. Quod cum uno anno pacifice possedisset, Bertoldus episcopus, qui debuerat res ipsius coenobii ab improborum rictibus[b] sua auctoritate subducere, pellacia malignitatis suo iuri non timuit sub introductae cartae atque vafrae machinationis conspirationem vindicare, immemor divini iudicii, neglector etiam indicibilis damni, quo domus Dei pene annullata fuerat ob receptionem illius fundi. Huius tam immanissimae crudelitatis cuspide perfossum cor abbatis, aut nullam aut raram diem in hac luce post haec sine moerore transegit. Hic post innumera industriae suae exercitia, quibus loco sibi credito prodesse cura-
1011. vit, aetate et infirmitate confectus, naturae cessit, ac in basilica beatae Mariae sepulturam meruit.

13. Successor autem eius Hardulfus[c] extiterat, quem praefatus abbas a sacri baptismatis fonte susceperat, quemque per diversa loca causa discendi coenobitalem vitam transmiserat. Hunc ipse, cum defungeretur, sermone quo valuit Bertoldo episcopo commendavit, atque ut sibi succederet imperavit. Tempore vero praelationis eius
13 plurima in loco praefato divinitus ostensa sunt miracula, quibus pravorum retunderetur insolentia, et rectorum* confirmaretur benivolentia. Ex his aliqua libuit subnectere, quae interim occurrunt memoriae. Depositionis festum sancti patris nostri Hildulfi instabat et caementarii restruendae maceriei dormitorii operam dabant. Qui cum vellent ob sollempnitatis reverentiam opus illud intermittere, obstitit Enciboldus praepositus talia eis inculcando creberrime . . . Translationis eius sollempnium, quod illic populoso frequentatur accessu, aderat et tam fratrum quam etiam supervenientium usibus apparatio piscium omnino decrat. Cumque praepositus monasterii Marbodus dictus . . . .

14. Sacratissima depositio eius cum annuo recursu mortalibus innovaretur, et fratres ante matutinorum sinaxim sopore detinerentur, quoquinae edificium ignis repentinus arripuit . . . . . Herimanno custodi aecclesiae, sicut ipse solitus erat fateri, per visum sanctus astitit . . . .

15. Cum incolae depositionis eiusdem festum sacerdotali auctoritate suscepissent celebrandum, sicut in huiusmodi tradicionibus contingit, religiosi et honesti assensere sollempniter ducendum; bruta et vecors rusticorum multitudo obstinatione solita neglegendum. Ex quorum numero extitit apud Cyconiacum[10] quidam sensu et censu pauper nomine Walpertus qui . . . .

16. Eodem rursus die quidam Belzo vix duobus stadiis disparatus a monasterio commanebat in domo quae illi cesserat iure paterno. Qui . . .

17. Interim apud Oblisiacum[11], quod situm est intra confinium parrochiae Aceravalensis[12], consensu Bertoldi antistitis constructa est basilica, quia intollerabile erat ruricolis adire matrem aecclesiam ob singula christianae plebis obsequia. Haec cum ex nomine vel reliquiis beati pontificis Hildulfi fuisset Christo consecrata . . . .

18. Decurrente autem ab incarnatione Domini 1014. anno, multimoda atque veracissima docuit revelatio . . . In basilica etenim omnium apostolorum olim fuerat arcus, in angulo coherente cancellis versus boream fundatus, soli receptui venerandorum corporum ex industria preparatus. Cuius sinus quia ob Pannonicam gentem Galliis hostiliter incubantem parebat instar solidi parietis super sarcofagos obstructus, locus tanti thesauri per annos nonaginta quinque paulatim memoriae cunctorum est elapsus, ut nihil minus quam alicuius corpus inibi delitescere putaretur . . . .

19. Moris est quarundam provinciarum, parricidas poenitentiali ferro constrictos brachia vel cervices non ingressum in fines suorum, sed quaquaversum expetere iuvamina sanctorum, donec divinitus resolutum visibile ferrum indicia dederit, invisibile parricidii vinclum resolutum. Quidam itaque talium devenit monasterium, olim ferreis circulis constrictus utrumque brachium, quorum alter in Palona[13] deciderat apud reverendum beati martyris Adelberti sepulchrum, istic autem alter per sanctorum quos veneramur meritum. Siquidem illuc adveniens vespero cuiusdam sabbati, devotus interfuit sinaxi. Dominica vero die Senoym[14] ire voluit, sed repente mutata voluntate, a medio iam itinere acceleravit istuc redire. Reperiens autem fratres iam adorsos sollempnia maioris missae, in introitu chori delegit stare, supplici vultu atque indeflexo obtutu attendens prefixam imaginem crucifixi Salvatoris, sic quondam effigiatam docta manu sculptoris, ut hactenus possit quamvis duras hominum mentes mucrone quodam transpungere compassionis, acsi prae oculis habeant nimium piam mortem adhuc pendentis Redemptoris . . .
. . . .
. . . . appensus.

a) bonum 2. b) retibus 2. c) nardulfus 2.

10) S. Preye. 11) Olsey. 12) Azeraille. 13) Polonia. 14) Senonnes.

EX DUDONIS HISTORIA NORMANNORUM.

EDENTE DR. G. WAITZ.

Dudo, canonicus[1] *et postea decanus*[2] *S. Quintini Viromandensis, quomodo ad* 1 *Normannorum historiam conscribendam sit adductus, ipse praefatione ad Adalberonem episcopum Laudunensem directa profitetur:*

„Quamquam sit in me pro stultitia reputandum, per istarum litterarum fiduciam audaciae animositatem arripiens, maiestatis tuae conspectum adgredior, adgressusque cordis et corporis cervice submissa, non solum semel, nec bis, nec ter, quin etiam crebrius preces iungo precibus, ut omnis scrupulositas iniustae ambiguitatis tuis acutissimis bipennibus, ex purissimo calibe totius sapientiae confectis, funditus atque radicitus amputetur. Pene dimidia pars huius operis minime videtur respicere ad negotium utilitatis, nisi te messore sarriatur carduis superfluitatis; quia dum premor corporis infirmitate, dumque secularium rerum impedior necessitate, mentis meae oculus sua sponte caecitatem potius quam lucem amplectendo suffocatur, et corporalium desideriis gaudiorum orbatur, atque in immenso gurgite tenebrarum demergitur. Illum siquidem oculum, quem dico subsidiis recti luminis destitutum, a te, qui versaris in sacrorum praeceptis eloquiorum, exopto illustrari. Certum te reddere volo, ut non rearis me huic operi haesisse voluntarie, nec illud spontanea voluntate coepisse. Ante biennium mortis eius ut more frequentativo fui[a] apud eximium ducem Ricardum, Willelmi marchionis filium, volens ei reddere meae servitutis officium, propter innumera beneficia, quae absque meo merito mihi dignatus erat impartiri. Qui quadam die adgrediens coepit brachiis piissimi amoris me amplecti, suisque dulcissimis sermonibus trahere, atque precibus iocundis mulcere, quin etiam detestari et iurare in caritate, ut, si qua possem ratione, animis suis diu desideratis mederer: scilicet ut mores actusque telluris Normannicae, quin etiam proavi sui Rollonis quae posuit in regno iura describerem. Stupui velut amens, et per dies aliquot his petitionibus me negavi abnuens. Tandem vero tot precatibus motus tantisque precibus fatigatus, vix flexi animum ad tantae sarcinae pondus humeris meis imponendum. Et quamquam super virium mearum possibilitatem hoc esse recensuissem quod indicebatur, iugum tanti oneris collo meo imposui; illius mandati imitator effectus, quod praecipit nos stare, viriliter agere et confortari, insuper omnia nostra in caritate fieri. (1 Cor. 16, 13.) Stilus nostrae imperitiae nedum primas partes operis attigerat, heu proh dolor! cum lacrimabilis fama Ricardum toto orbe principem obisse nunciavit. Omnia haec in dolore huius principis postposuissem propter nimium fletum intolerabilemque planctum, qui non solum cor meum verum etiam totius corporis membra quassans torquebat, nisi per praecellentissimum filium eius patritium Ricardum adhuc superstitem et praecipuum comitem Rodulfum res eadem repraesentaretur. Insistunt ambo precibus, ut quod memorabilis vitae dux Ricardus precando praeceperat exequerer; et ne propositum, quod illi spoponderam, in bilinguitatis vitium versum, videretur ullo mendacii inquinamento pollui, sed pollere totius medullis intellectus intimis, contestantur. Adquiescens praeceptis precibusque eorum, exsecutus sum, licet dialecticis syllogismis, nec rhetoricis argumentis, non glorietur. Tuae maiestati mittere disposui, ut falsa amputarentur, et si quid veritatis in illo haberetur, tua auctoritate confirmaretur, ut mirabilis mercedum retributor, qui eximium marchionem Ricardum in paradiso gloriae suae locavit, sicut te erexerat suae sanctae ecclesiae columnam, ita serto perenni ornatum constituat inter omnium sanctorum choros senatorem caelestis aulae."

a) sui *ed.* 1) v. locum infra exscriptum. 2) Praefationem incipit: *Inclito — Adalberoni episcopo sanctae Dei Laudunensis ecclesiae cathedra residenti — Dudo super congregationem sancti Quintini decanus.*

Historiae igitur scribendae munus Richardo I. duce vivo susceptum, post
3 *eius mortem, quae a Dudone in a.* 1002, *ab aliis*[3] *in a.* 996. *collocatur, est*
exsecutus; sed quo anno opus finierit, nusquam indicavit. Quod tamen post a.
1015. *factum sit oportet, quum hoc anno Dudo nondum esset decanus*[4]. *Opus,*
quod etiam Richardo duci, Rodulfo comiti, et Rotberto archiepiscopo Rotomagensi
6 *inscripsit*[5], *tribus libris*[6] *digessit, primo Astingi, secundo Rollonis res breviter*
perstringens, tertio Willelmi et Richardi historia fusius exposita. Res quas
narravit maxime a Rodulfo comite se accepisse testatur[7]; *fontes scriptos nullos*
indicat. Ideo fieri non potuit, quin multos errores commiserit, tempora, per-
sonas commutaverit, aliisque mendis narrationem suam maculaverit. Cum prae-
terea orationes multas inseruerit, descriptiones rerum et personarum saepe
invenisse et poetico more exornasse videatur, fuerunt, qui potius fabularum
quam rerum scriptorem Dudonem iudicarent eiusque librum nullius esse aucto-
8 *ritatis putarent*[8]. *Quod tamen levissimum fuit iudicium. Nam quamvis non*
sine causa haec ipsi obiiciantur, quamvis populi amore ductus res ab eo gestas
saepe nimis amplificare videatur, et praeterea sermone utatur tumido atque
inflato, versibus inanibus, obscuris et interdum nimis puerilibus librum gravet
atque deformet potius quam exornet, nihilominus multa continet minime sper-
nenda. Dudo litteras fuit bene doctus, qui etiam Graecae linguae cognitionem
9 *habebat pluresque antiquitatis poetas legerat*[9]; *semper tamen, modestia fortasse*
affectata, se muneri imparem, nimis imperitum, debilem atque infacundum
professus est. Res vero Normannicas uberrime exposuit, nusquam valde a vero
aberravit, sed ut Lappenberg nuper docuit[10]*, cum aliis fontibus plerumque*
convenit; quae fabulas redolent, tum ex priscis Normannorum carminibus
hausisse, tum ex ore comitis Rodulfi aliorumque virorum, qui rebus interfuerant,
accepisse putandus est, et tam his quam aliis locis mores habitumque populi lucu-
lenter descripsit et quasi coloribus vegetis pinxit. Ideo ipsius librum non dubito
quin inter preciosiora huius aevi monumenta reputem; et fere dignum putarim,
qui integer in Monumentis ederetur. Cum tamen paucis tantum locis res Ger-
manicas tetigerit, novae editionis e codicibus adornandae curam Franco-Gallicis
relinquimus, fragmenta vero, quae res ab Ottone Magno gestas illustrant, hoc
loco exhibemus. Etiam haec, quamvis erroribus quibusdam adspersa, plura continent
notatu digna, e. gr. quae de conventu regis Ottonis et ducis Willelmi, de Hermanno
Saxonum duce a Danis capto, de obsidione urbis Rotomagensis, aliisque referuntur.
Textum a Duchesnio (Hist. Norm. SS. antiqui p. 51—159*) ex duobus*
11 *codicibus, Sirmundi, iam Middlehill asservati*[11], *et F. Ambosii editum, ope codi-*
cis Rothomagensis[12], *olim S. Petri de Gemmeticis, mbr. s. XII. inc. fol., accurate*
et laxius scripti[13], *a V. Cl. L. Bethmann collati, emendavimus.*
14 *Dudonis narrationem, quam Guillelmus Gemmeticensis in epitomen redegit*[14],

3) cf. Lappenberg hist. Angl. II. p. 34. 4) Mabillon Ann. IV. 244. 5) V. praefationes et carmina ap. Duchesnium H. Norm. SS. p. 51 sqq. 6) Fortasse Richardi historia quartum librum efficere debet, quippe cui praefationes novae sint praemissae. 7) p. 59. *Versus ad comitem Rodulfum huius operis relatorem:*
Cuius, quae constant libro hoc conscripta, relatu
Digessi attonitus, tremulus, hebes, anxius, anceps.
8) Vossius de hist. Lat. p. 356. Rivet Hist. litt. VII. p. 237. cf. Bouquet VIII. p. XXIV. qui singulari errore epitomen, quam fecit Guillelmus Gemmeticensis, auctori praeferendam esse iudicavit. 9) Virgilium et Ovidium ipse affert. 10) Hist. Angl. II. p. 373 et antea passim. 11) Archiv VII. p. 99. 12) De aliis codicibus v. Archiv VII. p. 419. 13) Eodem volumine alio vero cod. s. XIII. continetur: Guillelmus Gemm., Einhardi vita Karoli, Abreviatio gestorum regum Franc. 1137, Translatio clavi etc., Visio Karoli, et alia manu fragm. Guill. Gemm. de Richardo II. 14) Praef.: *Principium namque narrationis usque ad Richardum II. e Dudonis periti viri historia collegi, qui quod posteris propagandum chartae commendavit a Rudolpho comite primi Richardi fratre diligenter exquisivit.*

Ordericus Vitalis secutus est[15], *etiam Saxo Grammaticus respexit*[16], *ita ut auctoris* 16 *fama Normanniae Galliaeque fines iam medio aevo sit transgressa.*

G. WAITZ.

EX LIBRO III.

Audiens autem Alstemus[1], rex Anglorum pacificus, quod praecellebat Willelmus[a] virtute Duch. p. 97.
et potentia Franciscae nationis omnibus, misit ad eum legatos suos cum donis praemaximis et muneribus, deprecans, ut Ludovicum nepotem suum, Karoli capti regis morte 936.
iam in captione praeoccupati filium, revocaret ad Franciae regnum, illudque statueret illi cum consilio Francorum sublimando imperpetuum, atque misericordia motus pro amore sui reciperet Alannum Britannia offensionis culpa eiectum suique amoris gratia privatum. Ilico consultu Willelmi ducis Northmannorum, Hugo Magnus dux praepotentissimus Francorum, atque Heribertus satrapa principum, asscitis episcopis cum consilio p. 98.
metropolitanorum, revocaverunt festinanter Ludovicum, eumque unxerunt sibi regem populorum Francia Burgundiaque morantium. Alannum vero cum Ludovico regressum, Willelmus pro amore regis Alstemi recepit, et quicquid Britannicae regionis possidebat reddidit. Ipseque Alannus postea Willelmi mandatis indesinenter inhaesit.

Transacto vero post unctionem regis unius lustri spatio, coeperunt Franci contra 942.
eum litigare, multisque modis eum opprimere, quin etiam conati sunt a regno extrudere. Videns autem rex, se destitui et pro nihilo a Francigenis duci, misit legatos ad Heinricum[2] regem Transrenanum, requirens eius adiutorium, insuper et amicitia colligari illum sibi imperpetuum. Quibus responsum est, non se foederari cum rege Francorum, nisi per Willelmum ducem Northmannorum. His igitur renuntiatis, rex Ludovicus multarum tribulationum contumeliis attritus, plurimarumque inoportunitatum calamitatibus afflictus, venit ad Baionis[b] montem contra Willelmum ducem Northmannorum, deprecans, ut se adiuvaret et defenderet contra Francos sibi rebellantes, amicitiamque Heinrici regis Transrenani et adiutorium sibi adquireret. Tunc Willelmus afflictione regis pietate motus, conduxit eum Rotomagensis urbis sedibus, illicque eum honorifice multotiens detinuit cum suis omnibus. Morabatur autem rex in domo Willelmi ducis ut domigena et vernula, eiusque praestolabatur supplex suffragia.

Apostropha. Marchio iure potens, meritis digneque refulgens,
Ultro natio quaeque tibi modo subdita cędit,
Diligit incumbens, servit, famulatur, inheret.
Quin pręce rex humili supplex pronusque requirit,
Suffragio semet virtute tuaque tueri.
Pontificesque, duces, comites, proceres reverentur,
Et clerus vulgusque simul sexus utriusque,
Ut gerulum pacis praecursoremque salutis,
Armis et prece te sibi poscunt auxiliari.

Confestim Willelmus quendam Tetgerum, tyronem domus suae principem, misit ad Heinricum Transrenanum regem, ut quod Ludovicus rex ab eo requirebat, per manum suam facere non differret. Erant enim Heinricus rex duxque Willelmus indissolubilis amicitiae pactoque coniuncti competentiisque mutuae voluntatis ad invicem olim foederati. Heinricus rex vero Tetgerum honorifice recepit et diuturni temporis spacio secum morari fecit. Postea vero muneribus variis et donis diversis ditatum, remisit illum ad ducem Willelmum et cum eo Cononem ducem[3], secretorum suorum conscium. Quem 3
Willelmus cum mirifico inaestimabilis reverentiae cultu suscepit, cuiusque rei causa

a) vuillmus *c. semper.* b) balonis *ed.*

15) Praef. libri III.: *Bellicos siquidem actus trium ducum Dudo Vermandensis decanus eloquenter enarravit, affluensque multiplicibus verbis et metris panigiricum super illis edidit.* Etiam scriptor Gallicus *Benoit de Sainte-More* Dudonem ante oculos habuisse videtur; cf. Lappenberg l. l. p. 374. 394.

16) lib. 1. init.: *Quanquam Dudo rerum Aquitanicarum scriptor Danos a Danais ortos nuncupatosque recenseat;* cf. Stephani Annot. p. 31 etc.

1) cf. Flodoard. a. 936.

2) Otto tum temporis sedit.

3) De duce Lotharingiae cogitat. *Saxonum* dux infra dicitur utpote a rege Saxone missus.

942. tantae dignitatis tantique honoris dux ad se veniret, interrogavit. Cui Cono: *Misisti enim ad Heinricum nostrum regem, tuae facultatis prosperitate hilarem, ut ipse et Ludovicus rex Franciae vicissim per consilium prudentiae tuae federarentur, et quem horum necessitas urgueret, alterius solatio muniretur. Decernens autem rex hoc consilium sibi et suis salutiferum, et per manum tuam insuper stabile et firmum, misit me tibi, ut conducas regem ad placitum, praecepitque me morari pro obside quo mavis positum, donec revertaris reducasque regem ab omni adversitate securum.* Audiens autem Willelmus mirandae atque inaestimandae legationis mandatum, misit ad regem Ludovicum, et reddidit talis legationis negotio[a] iocundum. Statutae profectionis die congregata innumerabilium multitudine legionum, dixit Willelmus[b] ad Cononem ducem Saxonum, volens experiri, si quid corde eius lateret obscurum: *Praepara te itineri, et instrue te celeriter ocreis, quia mittam te urbi Baiocacensi*[c], *donec ut dixisti revertamur illesi.* Tunc Cono: *Mitte me quo vis, etiam Dacis tuae dicioni subditis.* Et Willelmus: *Mecum ad placitum ibis, quia non sum diffidens tui.* Et Cono: *Si Baiocacensem civitatem perrexero, tuus fidelis incunctanter existo. Sin vero, quod non credo, tecum profectus fuero, tuus armiger fidus custosque vitae tuae constans contra hostium insidias permansero.*

His dictis, occurrunt unanimes cum exercitu magno Ludovico regi, Laudunensi pago cum Hugone Magno duce et Heriberto comite eos expectanti. Videntes Hugo dux comesque Heribertus tam inmensae multitudinis legiones Britonum Northmannorumque militibus praecellentes, stupuerunt ad invicem dicentes: *Quid nostri exercitui et huic? Si forte inter nos et illos iurgium venerit, devorabunt nos ut agnos lupi.* Abhinc Hugo
p. 99. Magnus et Heribertus comes iusserunt seorsum equitare, atque interdixerunt exercitui Willelmi nullum suorum commiscere. Erat vero cum innumerabilium frequentia exerci-
4 tuum rex Heinricus in loco super Mosam qui[d] dicitur Veusegus[4]. Appropinquante vero rege Luthdovico[e] ad praedictum placiti locum, antecessit Willelmus cum quingentis militibus, suo monitu praecedente Conone duce et praenuntiante regi his verbis adventum eius: *Marchio duxque Northmannorum et Britonum Willelmus fideles tibi in Christo famulatus. Nolens me retinere pro obside, sacrosanctae fidei tuae tenore venit ad te, cupitque quid agendum sit inter te et regem Luthdovicum inquirere.* Tunc rex Heinricus: *Cuius potestatis cuiusve dignitatis vel honoris atque bonitatis est iste Willelmus, qui michi gratia amicitiae est conexus?* Respondit: *Magnae pacientiae et iustitiae, magnaeque potestatis et sufficientiae, magnique et inauditi honoris et prudentiae. Nullusque rex, nisi tu, nullusque dux comesve tam magnificus ut Willelmus. Principum tyronumque frequentia sedulo constipatus, aureis vasis poculisque splendide*[f] *epulatur, vernarumque nobilium atque servorum multimoda exaggeratione circumseptus, exercet iura decretaque hortodoxorum patrum sedulus. Nemo iustior in factis, nemo sanctior in dictis, nemo potentior in armis. Nullus audet alii in regno suo praeiudicium facere, nullus furtum et sacrilegium perpetrare. Vivunt incolae terrae illius legibus afflicti concordes, decretisque sanctorum patrum coerciti morantur unanimes.* Cumque alternis sermocinationibus vicissim loquerentur, advenit Willelmus cum quingentis militibus. Cono dux ut audivit adventum eius, citius exiliit, ensemque eius fideliter recepit, et ad Heinricum regem reverenter conduxit. Heinricus autem rex citius surrexit, et contra Willelmum ducem obvius perrexit, osculoque dato uterque resedit. Tunc Willelmus: *Internae dilectionis et amoris rex Luthdovicus tibi fideliter munus. Misisti Cononem ducem ad me, ut venirem ad te, quasi pro pignore et obside. Sed non tui diffidens, cum eo ego ecce. Dixisti, non te amicitiae et adiutorii copula vinculoque Luthdovico regi coniungi, nisi interessem factor huius negotii. Remanda regi, quid hac re praescitum est tibi.* Tunc rex Heinricus: *Rex Luthdovicus te duce veniat crastina die, tuoque strenuo interventu perficientur omnia, quaecumque sunt praeoptata, nostris et vestris fidelibus salubriter decreta.*

Interim Lotharienses[g] et Saxones coeperunt invective et hyronice alloqui Cononem,

a) negotio *eadem manu correctum* negotium *c.* b) *ita ed.* ad willelmum et ad *c.* c) baiocacensis *c.* d) quę *c.* e) ludovico *c. saepius, qui tamen postea pariter atque ed. plerumque* luthdov. *habet.* f) spendide *c.* g) Hlotharienses *ed.*

4) Vouziers ad Axonam intelligi, Lappenberg putavit Hist. Angl. II. p. 25; cf. de hoc conventu Flodoard. a. 942.

dicentes: *Quam mirae sufficientiae et potestatis est dux Northmannicae Britonicaeque regionis, qui huc advenit auro comptus et ornatus cum militibus quingentis!* Willelmus vero per Daciscam linguam, quae dicebant subsannantes, intelligendo subaudit, parumperque commotus ira discedit, et quaecumque rege[3] narrante audivit, regi[4] exposuit. Crastina vero die regis Luthdovici, pergentis ad placitum cum incredibili et innumerabili exercitu, Willelmus praeoccupavit adventum. Willelmidae[a] vero praecedentes hostia domus, qua rex Heinricus residebat, coeperunt frangere parietes, disrumpere et divellere, atque intus vi et potestate residere. Rex vero Heinricus illorum metuens impetum, divertit se profugus ad aliam domum, dixitque ad Cononem conscium secretorum suorum: *Hoc, ut reor, placitum non nobis efficax neque congruum, verum vertetur nobis ad corruptionem et ad interitum, quin etiam ad dedecus inauditum. Vade, dic Willelmo omnium ditissimo duci, ut fide, quam inter nos tenemus, stomachato resistat exercitui, ne amplius disrumpant parietes conterantque hostia tecti nostri; ne forte nascatur iurgium inter dispares variosque linguis habituque et armis.* Mox Cono prosiliens, obviavit duci Willelmo venienti ad placitum, retulitque ei quae sui praecedentes fecerunt. Tunc Willelmus duci Cononi: *Ite et, ut meo iussu discedant, eis dicite.* Illi autem advenientis Cononis ducis, et precantis ut discederent, praeceptum non solum respuerunt, verum etiam foris qui adstabant, caeteras domus cum magno impetu et murmure dissipantes invaserunt. Quapropter Cono statim rapido velocique cursu iterum expetiit ducem Willelmum, cum reliquis legionibus adpropinquantem ad placitum, dixitque: *Willelme dux praepotentissime, noluerunt tui meo iussu domos dimittere, verum festinant caeteras disrumpere. Praecor humotenus flexus, ne sinas talia fieri, ne forte nascatur caedes inaudita im*[a*] *plebe.* Tunc Willelmus ensem, ex auri sex libris in capulo bratteolisque atque bullis artificialiter mirabiliterque sculptum, dedit Cononi, ut indicio exeundi deferret eum et ostenderet legioni domibus residenti domosque adhuc dissipanti. Cum autem Cono iterum festinans illis occurreret, ensemque Willelmi ducis auro gemmisque praefulgidum illis demonstraret, continuo non adquiescunt, verum summisso vultu proclivi contra ensem, domos dimiserunt, seseque nimium in exitu opprimentes, sine murmure ad suum ducem reverterunt. p. 100

Willelmus autem veniens ad regem Heinricum, dixit, adesse regem Ludovicum. Mox rex Heinricus, cogente Willelmo, obviam ei incessit, datoque osculo, manibusque ad invicem complosis, domum ingressi, uterque resedit. Multisque competentiis variisque donis et muneribus vicissim ditati, inextricabili amicitiae solatiique et adiutorii vinculo per consilium praecellentissimi omnium ducum ducis Willelmi ad invicem conexi sunt et foederati; praesente Hugone, sed non coniuratae dilectionis factore, duce Francorum, et Heriberto nolente interesse principe satraparum. Regibus secretius colloquentibus, coepit affari Dacisca lingua ducem Willelmum Saxonum dux Herimannus. Tunc dux Northmannorum duci Saxonum Willelmus: *Quis tibi Daciscae regionis linguam Saxonibus inexpertem docuit?* Respondit: *Bellicosum egregiumque genus tuae armipotentis progeniei me nolentem Daciscam linguam docuit.* Willelmus: *Quomodo nolentem?* Herimannus: *Quia invadens saepissime plurima castra mei ducaminis, innumerabilia praelia in me exercuit, meque praelio captum ad sua detraxit*[b]*; et ideo nolenter eam didici.* Interea dux Cono fatur Saxonibus subsannando: *Quid vobis videtur de duce Northmannorum Britannorumque Willelmo? Nonne mirae potestatis et facultatis innumerabilisque dux multitudinis? Excepto rege nostro, quis potentior, quis ditior, quis melior illo?* Responderunt Saxones: *Ignorabamus rerum sufficientiam illius, ideoque illum pridem falsae opinionis verbo indigne vituperavimus*[c]. Narrante Conone duce facta mirabilia sufficientiasque locupletes Willelmi ducis, coeperunt Saxones caeterique astantes eum magnificare pariter sermonibus alternis.

His ita rationabiliter diffinitis et expletis, Ludovico regi, cum Willelmo duce caeterisque principibus ad Laudunum revertenti, occurrit legatio dignae exultationis, denuncians, esse ei filium ex coniuge dilectissima nomine Gerberga natum[5]. Quo audito hilarior effectus, dixit Willelmo duci coram memoratis principibus: *Me usque modo multis contumeliis infectum nequiter, affluenter iuvasti, mihi plurimis inoportunitatibus aggra-*

a) Tyrones *ed.* a*) *ita c.* b) detruxit *ed, quod correxi.* c) vituperabimus *c.*
3) Heinrico. 4) Ludovico. 5) Hoc anno 941. factum esse, narrat Flodoardus.

942 *vato, convenienter succurristi. Quin etiam largissimo facultatum tuarum dapibus educando et a conventu malignantium protegendo fovisti. Idcirco precor, ut filium meum hesterna die natum, nuncupando et testificando nomine Lotharium, sacri baptismatis de fonte suscipias regeneratum, quatinus maioris copula dilectionis ampliorisque nexibus amoris colligati, quod meum est tuapte, quod tuum est meapte, mutuis competentiis fruamur unius mentis.* Dux vero Willelmus regiae sibi congruenti favens petitioni, respondisse fertur regi: *Nunc vero, et quamdiu superstes fuero, quae iusseris diligenter explebo. Franciae regni, caeterorumque regnorum, quorum dominatus est pater tuus, avus et proavus, etiam attavus, me duce, me iuvante, me in omnibus praeeunte, dominaberis, et arrogantium colla subiciemus in te rebellium, tibique servire abdicantium, me astante, exarmaveris. Quos sublimare praeoptaveris, extollam, quos detrudere, terratenus proteram. Quin etiam quicquid velle tibi fuerit, a me scito fieri.* His ita ab utroque peroratis, ira corde, non vultu, commoti, stupuerunt principes super hoc Franciscae gentis. Abhinc namque subdolo corde fraudulentaque intentione atque sophystica sermocinatione coeperunt Willelmum, omen[a] pestiferum, nequiter tractare.

Willelmus vero, rege exercituque suo Laudunensi pago relicto, Laudunum Clavatum, qui et Bibrax dicitur, petivit cito, antecedente episcoporum Franciscae gentis choro. Quem omnis clerus Laudunensis sedis omnisque populus cum ingenti apparatu monastico, cum episcopis praepollentibus reverenter suscepit, puerumque nuncupatum nomine Lotharium, sacrosancto rore oleoque et crismate innovatum et purificatum, de fonte extraxit. Hincque illum muneribus praemaximis et donis praecellentissimis ditatum, Lauduno cum matre Gerberga nomine reliquid. Ipse vero cum suis ad regem citius rediit, et quicquid honestatis eo acciderat, regi retulit. Rex autem Willelmum pro omnibus beneficiis honorare decenter voluit, sed ipse nichil horum recepit; verum cum gratiarum actione regi omnia remisit . . . .

p. 125. Interim luctuosa fama ad aures Gerbergae reginae perlabitur, et quod captus esset
945. rex[6], bisque novem comites interempti, ceterique fugati, enucleatur. Regina vero lugubres regis sui coniugis suorumque incessanter casus deflens, animumque suum tanti infortunii anxietate atrociter contorquens, nullumque salubre sibi consilium inde in tota Francia repperiens, misit ad patrem suum Transrenanum regem Heinricum et ad Othonem fratrem suum, flore pubertatis nitidum, mandans plorabile sui detrimenti negotium, et ut ascito militaris manus exercitu obsideret Rotomagum, redempturus vi et potestate suum seniorem regem Ludovicum. Heinricus autem rex Gerbergae reginae filiae suae non se venturum remandat ob obsidionem ad Rotomagum, quia merito et digne atque ultione Dei rex Luthdovicus adquisitum praeiudicio paciebatur hunc casum, quia filium Wilielmi ducis[7], qui pro fidelitate sua Arnulfi perfidia occubuit, captum in custodia tenuit, totamque regionem Northmannicam, quam suus avus praeliis adquisivit sibi, iniuste vendicavit . . . .

p. 129. Dedit itaque Hugo dux Magnus Richardo nobilissimo adolescenti filiam suam[8] firmamento sacramenti, non tamen statuta lege Fescenninae coemptionis, verum denominato iuratoque termino conexionis conubialis.

Cum autem huius veridicae relationis fama regis Luthdovici aures cordis percelleret, comitemque Arnulfum futurae ultionis interitum penitus formidantem perturbaret, quod Richardus Northmannorum dux filiae Hugonis Magni ducis maritali conubio gratia posteritatis et successionis se copularet, servicioque eius pro ea proque universi solacii adiutorio incumbens, militansque, coniunctae amicitiae competentia federisque insolubilis nexu se illi colligaret: nimii tremoris timore perterriti, ne tantorum duorum ducum militum frequentia contriverentur subacti, Vermandensi pago, decursa renuntiataque utrorumque legatione, occurentes invicem sibi, quid agerent super pestifero coniuratae conspirationis duorum ducum consortio, coeperunt rimari. Dixit autem Luthdovico regi comes Arnulfus, desiderans adnichilare ac perdere primevae floris adolescentem Richardum ducem totis

a) omē *ed. et c?* 6) cf. Flodoard. a. 945. 7) Richardum. 8) Matrimonium anno 960. demum initum esse, Flodoardus ostendit; cf. Dudo ap. Duchesnium p. 137.

viribus: *Hugonis Magni ducis pater Rotbertus super patrem tuum Karolum, favente Rollone avo Richardi ducis, sceptra*[a] *huius regiminis iniuste suscepit, et pene totam Franciam sibi prave subiugavit. Cum autem tale severae altercationis divortium inmensum succresceret, Franciaque pestifero duorum regum conflictu desolata, exsecrabile casualis detrimenti iurgium flebilis perpessa esset, Karolus pater tuus, Francisci solacii spe omnino privatus, opisque auxiliatricis sui per omnia indigus, Heinricum Transrenanum regem expetiit velocius, et ut contra Rotbertum regem super se exsecrabili Francorum temeritate constitutum feritaret, exercituque conglobato secum Franciam veniens contra eum audacter debellaret, Lothariense regnum se illi daturum spopondit ultroneus*[9]. *Ut autem illius temporis cursu se habuit res illius certaminis, non inexpertum*[b] *est nostrorum ulli. Rotbertus digne proelio interiit, Karolusque rex pater tuus habenas regni iuste obtinuit. Hugo autem filius eius eiusdem praesumptivae temeritatis veneno infectus, sceptra istius regni conatur super te invadere, teque atque me tuum fidelem utrumque penitus perdere, conciliato sibi Northmannorum*[c] *duce. Rimari igitur condecet, rex praepotentissime, qualiter possis regnum Franciae tueri et regere. Principes namque huius terrae adherent obedienter Hugoni, et famulantur libenter ei.* Adversus huiusmodi verba respondit rex Arnulfo comiti talia: *Da michi consilium, quo Hugonis contumacis arrogantiae queam resistere, me meumque regnum tueri et protegere.* Arnulfus vero comes dolosus, cupiens Richardum ducem perdere et adnichilare cum suis omnibus, ne quiret inmeritam necem patris sui[10] ulcisci venturis diebus, coepit regem confortari verbis fraudulentibus: *Consilium dabo tibi salubre et prosperum, quo quibis conterere et prosternere Hugonem et Richardum. Da Othoni, uxoris tuae fratri, quod pater tuus patri suo spopondit regi Transrenano, Lothariense regnum, ut devastans terram Hugonis tibi resistentis Parisius usque, et obsideat*[d] *et capiat tibi Rotomagum. Sufficientia igitur illius terrae profusius locupletatus, frequentiaque optimatum propensius constipatus, atque praesidiis tantarum urbium mirabiliter adultus, quiveris contra ducem Hugonem praeliari securus. Est namque tellus Northmannica omnium rerum sufficientia prae caeteris habundantius plena, aprorum cervorumque, ursorum atque capreolorum venatu affluenter repleta, omniumque volucrum silvestrium et altilium multimodis pullis incrementata, pisciumque diversarum specierum genere fecunda, quin etiam omnium bonorum largitrix, quibus indiget illius incola. Talium ubertatum tellurem oportet te possidere, quia avi et proavi ceterique antecessores eam propterea tenuere. Memor sis malorum et iniuriae, quae tibi Northmanni fraudulenter intulere; facile poteris eorum multitudinem ab illa terra delere, quia sunt formidolosi et advenae, solentque latrocinia in mari exercere. Maioris precii valentiaeque et affluentiae extat tellus Northmannica quam Lothariensis terra.* Rex igitur Ludovicus his et huiuscemodi persuasus, respondisse comiti Arnulfo fertur: *Tantae nobilitatis comes tantaeque astutiae et prudentiae princeps oportet ut expleat fideliter, quod suo seniori suggerit consilians sagaciter. Igitur quoniam omnibus meis notior et credibilior valentiorque es, precor, ut quod disposuisti relatu honesti consilii, gratia expeditionis Othoni regi subministres; ut strenuo interventu tuo, asscita universa bellicosa manu suae dicionis*[e]*, veniat; depopulans quae sunt Hugonis ad moenia Parisiacae urbis, resipiscere eum pestiferae subversionis interitu cogat, multisque depraedationibus et incendiis eum dilanians penitus conterat; pro regno Lothariensi Northmannicum nobis adquirat, incolasque illius nobis rebelles forinsecus detrudat; Saxonicum robur experiatur Northmannica tellus, et si forte quiverit contra colluctari, probet suis viribus; Rotomagum nobis obsideat et capiat, Richardumque tantae superbiae adolescentem capiens floccipendat.*

946. — 9 — 10 — p. 130

Arnulfus vero comes praeoptans penitus perdere divae memoriae Richardum, ne vindicet patris sui sanguinem innocuum, festinat citius ad Othonem regem Transrenanum. Veniensque ante illius conspectum, verbis humillimis dixit ad eum: *Rex Francorum Luthdovicus carae inextricabilisque amicitiae tibi munus. Pestiferam insolentiae et temeritatis Hugonis ducis et Richardi Northmannorum comitis non valens ferre contentionem, mittit me tibi, ut aliquod illi gratia tuae pietatis praestes solamen. Hugo filiam suam Richardo*

a) septra *c.* b) expertum *c? ed.* c) Richardo N. *ed.* d) obsedeat *ed.* e) munu sedicionis *c.*

9) cf. Iahrbücher I, 1. p. 57. 60. 61. 10) De Willelmo duce ab Arnulfo occiso v. Flodoard. a. 943. Richer. II, 33. et quae ipse Dudo narrat III. p. 104. 105.

946. *adolescenti maritali foedere conubioque iungit. Ille vero suus miles effectus, gratia illius amoris ut domino per omnia oboedit. Illius animatus militari exercitu, ambit Franciae regnum invadere, eiusque habenas et sceptra, ut eius pater pridem, accelerat possidere. Retunde illorum, precamur, praesumptivae voluntatis arrogantiam in virtute tua, et destrue illorum perversae elationis iactantiam potentia tua. Si nostrae deprecationis expleveris votum, sique obsidens Rotomagum, Northmannicum adquisiveris nobis regnum, dabimus tibi imperpetuum Lothariense regnum, quod patri tuo fuit repromissum propter praelium Suessonico campo mirabiliter peractum.*

Otho vero praeoptatae legationis sermone gavisus, asscitaque et coadunata orientalium profusius manu, conventione de regno facta, venit velociter, devastans omnia, Parisius occurrente illi Luthdovico rege cum magno exercitu. Omnibus quae erant Hugonis consumptis et devastatis, dixit comes Arnulfus Othoni regi: *Haec urbs perhenni Sequanae limbo undiquesecus precincta, viget inexpugnabilis ab omni gente superventura. Precamur itaque, verte tantarum legionum exercitum ad Rotomagensis urbis pagum, quia antequam Northmannici ruris fines attinges, deportabuntur tibi illius civitatis claves.*

Apostrofa ad Arnulfum.

Posse sistere cur Dei,
Omnium quoque praescii,
Velle, cuius opus manet,
Et calor petit omnia,
Regibus cupis asperis,
Contumacibus, improbis,
Arrogantibus et malis.
Quamvis emeritum ducem
Heu! patrem tetigit, tuus,
Istius pueri sacri,
Mucro, sanctior ut foret
Testis almifluus Dei:
Vota non tua frivola
Velle prospicient tuum;
Ecce sed comes almior,
Marchio locupletior,
Duxque sanctior omnibus,
Nobilis, celebris, pius,
Iustus, almificus, probus,
Sanctus, innocuus, bonus,
Omne iam statuet bonum,
Omne conteret et malum.

Multimodarum namque petitionum persuasionibus rex Otho compulsus, movit tantae
11 multitudinis exercitum, profectusque est cum rege Luthdovico super Eptae[11] rivolum, qui termino diremptionis limitat Franciae Northmanniaeque regnum. Tunc vocat Otho Arnulfum, incentorem totius mali, et requirit, claves Rotomagensis urbis, ut sibi promiserat, deportari. Arnulfus vero intentione argutae mentis coepit regem Othonem affari: *Domine rex, nemo Rotomagensium audet te aggredi, quia abhinc Rotomagum usque extat tellus silvestris, commoranturque latrocinia exercentes in eius silvis et lucis. Est alius decursus aquarum in proximo, quae vocatur Andella[12], pratis omnibusque rerum affluentiis*
p. 131. *propensius referta. Ibi cras, petimus, figes tentoria, venientque illuc obtimates Rotomagensium, ferentes tibi claves urbis et preciosi honoris munera.* Rex vero Otho depraecativis coactus verbis, abhinc secedens, in Andellae fluvioli resedit pratis.

Diluculo vero subdolae calliditatis comes stetit ante Othonem regem, episcoporum coetu ducumque et procerum frequentia constipatum et refulgentem. Cupiens autem Richardi praefulgidae adolescentiae multare pubem, regesque conducere ad Rotomagensem urbem, dixit ad Othonem: *Rubore futurae subsannationis Rotomagensesque confusi, verecundantur claves mittere tibi, nisi oppressi fuerint inmanitate hostili. Duorum igitur regum tantorumque ducum et procerum exercitu vallati, non different civitatem reddere tibi. Quapropter praecatur te obnixe meus senior rex Luthdovicus, ut proficiscaris ad urbem Rotomagensem matutinus. Mitte ante conspectum tuae maiestatis robustissimam legionem, quae invadens hostiliter praeoccupet civitatem; ut si quos forinsecus stantes certaminis gratia invenerit, ad civitatem ferociter retrudat, hincque tentoria tua illorum securus ad portam Belvacensem figat. Cum autem appropiaveris, tuus meique senioris exercitus eos sollicitos reddat, sicque in primo certaminis apparatu eoque praelii conflictu contemplari quiverimus, cuius valentiae et fortitudinis haec urbs extat.*

13 Tunc quidam nepos[13] regis Othonis dixit verbo elationis: *Domine rex, si libet tibi,*

11) Epte. 12) Andelle. 13) Quis fuerit non constat.

antecedens ibo, castraque tua metabor. Si forte ingruerint contra me bella, ego conteram gladio eorum milia. Experiar, cuius habitudinis cuiusve valentiae vel fortitudinis sunt in praelio, cuiusve cautelae provisionisque et prudentiae in bello. Contra Dacos et Alanos Gothosque et Hungros saepe dimicavi, verum contra Northmannos numquam certamen inii. Aciebus praeparatis lacescens eos, expugnabo civitatem, et dissipabo dispergens advenae gentis plebem. Hoc autem referebat iactantia iuvenili, ignorans varium casualemque eventum praelii. Extimplo rex Otho humillimis regalium petitionum monitis coactus, citato exercitu progreditur, mittens ante se perversae elationis nepotem adornatis legionibus. 946.

Apostrofa.

Otho rex magnus recolendus atque,
Cur Richardum percelebrem sacrumque,
Nobilem, iustumque, probum, modestum,
Marchionem patriciumque sanctum
Et ducem nunc, magnanimumque fortem,
Ambis infesto laniare coetu
Et maligno contaminare nisu,
Et honorem tollere principatus,
Quin potenti sistere cogitatu
Nutui regis superique summi?
Posse[14] nullus nam supero resistet,
Velle nec iam sidereum reflectet.
Hic comes, dux, patriciusque summus,
Marchio sanctus, celebris, modestus,
Legibus plebem moderabit almis.
Torquet astutus laceros reosque,
Atque iustis praemia digna dedet.
Moribus sanctis meritisque fulgens,
Sic poli splendentia scandet astra.
Tu potens rex atque vigens valensque,
Contereris numine sempiterno,
Incubabis ridiculaeque sannae;
Sicque Northmannis reprobatus ibis 14
Ad tuae sedis verecundus aulam.

Cum autem nepos regis Othonis appropinquaret portam civitatis, quae nuncupatur Belvacensis, chorusco equitatu ferventis elationis hostilique bellicosi certaminis congressione feritaret in Northmannos aciebus[a] adornatis, ipsi vero Northmanni talium colluctationum gnari, simulantes fugam, quasi hostibus convicti repetebant celerius praesidium urbis. Saxones vero fictae fugae simultate hylares, taliumque casuum eventu eos adamantes, p. 132. persequebantur eos hostiliter. Tandem vero nepos regis congressus super pontem portae Belvacensis, putabat expugnare moenia urbis. Northmanni vero hinc inde armati congredientes, et super eos ut leones super pecudes exilientes, coeperunt eos lacerare prosternentes, et occidere telis mucronibusque choruscis, atque discerpere securibus, ut bidentes lupi. Multis vero Saxonibus interfectis, pluribusque attritis et vulneratis, defungitur super pontem mucronibus et lanceis nepos regis. Tandem Northmanni victoria potiti, capiunt multos principum in conflictu mortiferi certaminis. Reliqui vero Saxones nepotem regis mortuum super pontem iacere cernentes, eumque cum magno impetu duroque conflictu rapientes, ducentibus Northmannis plurimos illorum captos ad moenia urbis, deportabant ad caeteras phalanges. Iurgio duri prolixique praelii taliter seiuncto, stabant hinc Saxones et Franci et altrinsecus Northmanni, nec ambiebat gens Transrenana amplius se commiscere ipsis.

Interea mortiferae relationis fama regem Othonem, crudelem nepotis mortem denuncians, perculit; totumque exercitum rumor tanti detrimenti conturbavit. Ilico communis ratione consilii hostiliter invaserunt civitatem, cupientes tantae reverentiae iuvenis vindicare sanguinem. Saxones vero et Franci nichil circa urbem proficientes, sed pro plurimis suorum exercituum occisis nimium eiulantes, revertebantur ad castra, defunctorum cadavera deportantes. Nepotis vero morte hisque inoportunitatibus rex Otho mestus, vidensque venire pagenses illius terrae ad urbem altrinsecus, dixit suis principibus: *Potestne haec urbs vallari nostro exercitu, ut qui transvehuntur navigio, non transgrediantur?* Responderunt: *Nequaquam, quia Sequana simplex et singularis procellis suis quatit muros civitatis, quin etiam incrementata et repugnata fluctibus maris, determinato cursu lunae crescentis et deficientis, incremento septenarii numeri, estuante fluctu, praeoccupat portas et menia urbis.* Tunc rex Otho misit ad Richardum, ut liceret ei oratu petere sanctum Audoenum[15]. Data vero orandi licentia, rex cum episcopis et ducibus, depositis 15

a) acibus c.

14) *i. e.* nemo potestati supremae resistet. 15) Monasterium *S. Ouen* in suburbio Rotomagensi.

946. armis, venit ad monasterium, quod est in suburbio civitatis, in honore cultuque sancti Petri sanctique Audoeni dedicatum. Multa vero donaria ibi largitus est ipse et sui, residensque in eo, accersitis obtimatibus dixit: *Quid nobis agendum sit, animo decernite, et quid huius negotii sibi videtur rectum, intimet quisque. Praecatu regis Luthdovici, comitisque Arnulfi subdolo sofismate decepti, huc venimus, quo non honorem recuperantes, sed dampnum verecundiamque atque confusionem nostri honoris turpiter patimur. Nichil adversus Northmannos ullo hostili conamine praevalere quiverimus, quia per Sequanae alveum cuncta prospera illis subministrantur. Intolerabili itaque crutior*[a*] *tristicia atque animositate pungor praenimia. Incertum namque est michi praescire, quid agendum sit in tam pestifera tristium eventuum casuumque contrictione. Vos, qui natu sensuque maiores estis, quorumque consilio quae exequenda sunt delibero, cuncti*[a] *sagaci internae meditationis cogitatu rimamini, quid oporteat laudabiliter exsequi. Maleficum, si vobis placet, sophistam capiam Arnulfum, vinctumque catenis Richardo comiti mittam eum, ut vindicet de eo patrem suum, quia fraudulenter coegit nos huc properare et regem Luthdovicum, cupiens occidere ducem Richardum, ut olim patrem suum.* Tunc praesules et optimates responderunt regi Othoni, dicentes: *Exsecrabile cunctis atque vituperabile omnibus erit, si capietur, sique Richardo ad puniendum mittetur. Verecundia dedecusque obscenae confusionis et dampni, quae condignae mercedis retributione pateris, non delebitur; quia tuus exercitus Richardum et suos indigna obsidione opprimens, hic iniuste moratur. Sed de nostrae regressionis profectione salubri consilio stude, et ne deterius turpiusque tibi contingat, cum omni intentione animadverte. Nepotem tuosque comites satellitesque et quam plurimos milites huius obsidionis iurgio iuste*[b] *perdidisti, quia civitatem hanc iniuste invadens obsedisti. Inconsultus etenim suggestione vafri Arnulfi huc accelerasti; praecave, ne inconsultus regrediaris. A mari ad Sequanam usque conglobantur omnes incolae, postque biennium gestiunt te aciebus praeparatis invadere. Non est nostrae valitudinis nostrique consilii et opis, diuturno temporis intervallo hic morari. Regem Luthdovicum penitet nimium huc venisse, quia in huius obsidionis dilatatione norit se nil proficere. Arnulfus vero plurimis sophysmatum ambagibus intricatus,* p. 133. *promulgato sui mendacii ingenio, hic et hic latitando, non ambit sermocinari tecum amplius. Et ideo internae meditationis cogitatu retractans perpende, quid nobis Transrenanis agendum sit in ista obsidione. Urbs non capietur, obsides non dabuntur, verum ineluctabile nobis dampnum accrescet velocius. Utinam tuae iussionis praecepto esset quisque nostrum, quo terram peciit exordio nativitatis suae! Sed quia nobis adhuc minime sufficiunt vota, praecamur, torque prosperae regressionis vestigia, terram nostrae nativitatis repetitura.* Huius igitur sermonis collocutionibus rex Otho submonitus, formidansque pestiferos futuri periculi casus, quasi infra statum suae mentis receptus, diutius meditans, infit principibus: *Ne peiora prioribus infortunia fortuitu patiamur, neve nostri inimici nostri detrimenti successibus exultent amplius, iter nostrae regressionis, si vobis libet, cras repetamus.* Hoc namque consilium Transrenani collaudantes per omnia, oratione fusa in sancti Petri sanctique Audoeni basilica, repetunt hylares tentoria. Arnulfus vero comes, relatu quorumdam, ut praevideret ne caperetur, edoctus, obscurae noctis conticinio expergefacto suo exercitu, castris tentoriisque[c] complicatis secretius atque ex omni suppellectili oneratis equis et plaustris, noctu silenter cauteque atque clanculum profectus, repetebat rura Flandrensia velocissimus.

Apostrofa.

Otho, surge velocius, et fuge nunc citus,
    Natalem pete glebam!
Vindex nam superus tua territat agmina.
    Surgens nunc cito cęde!
Ductor subdolus evanuit tuus; en fuga
    Te nunc erue praepes!
Contra velle Dei quid adhuc recubas? Fuge!
    Nunc i, nunc fuge, nunc, nunc!
Cum Northmannica praepedient tibi et agmina,
    Heheu! turpius ibis.

a*) *i. e.* crucior. a) cunctis c? *ed.* b) iniuste *ed.* c) temptoriisque c.

Gressum nunc pete, nunc fuge, nunc iter arripe,
Fidos cędere coge!
Rex nunc, ne pereas, fuge, cede, liquesceque,
Septus labere coetu!
Richardus iuvenis probus[a] et pius et bonus
Agmen iam citat ingens,
Summus marchio, dux quoque, patricius, comes,
Et te cedere gestit.
Huius rector humi, locuplex, bonus et sagax,
Aut[b] non, aut velis, extat.
Legum et distribuet populo moderaminum
Iudex iustus habenas.
Dampni postque lugubria debita flebilis
Digne scandet Olymphum.

Apostropha ad Luthdovicum regem.

Quem regale decus, sceptrum passimque choruscum
Iactitat eximium,
Stemmate regali quem exporgit sexu ab utroque
Regia progenies,
Quem decet attolli summo conamine, quae sunt
Regia si peragis,
Et cuius proavi bis ter tria regna feruntur
Conciliare sibi,
Cur vicibus tantis Richardum sternere gestis,
Percelebrem iuvenem?
Perfidiae deditus casso conabere cuncta
Namque supra satis haec.
Nunc fugias pocius, magis haec sententia praestat,
Praepete equo et volucri.
Contra Northmannos olim bellare[c] cupisti, p. 134.
Quid memor attigit es.
Nam captus belli certamine, succubuisti
Casibus innumeris.
Nunc fuge, cede, recede, itiner cape praepeti gressu,
Vivere si cupias!
Iurgia nec repetas contra, quem dextera sanxit
Iudicis aetherei,
Quem censura Dei praedestinat omnipotentis
Moribus et meritis,
Aecclesias altis extollens culminibus, quo
Aedificet, statuat,
Protegat et populum, caelestis pneumatis auctus
Nectare septifido,
Muniat, exaltet, defendens adiuvet, atque
Hostibus eripiat,
Ordinis atque gradusque monastica suppleat, ornet,
Stringat et amplificet,
Legeque normali compellens vivere cogat
Servitio Altithroni,
Sicque corollarii superi commercia lucrans,
Vivet in arce poli.

a) probes *c.* b) At *edd. et c.?* c) *deest c. et ed.*

Apostrofa ad Richardum.

Richarde, bonus, recolendus,
Digne venerandus, amandus,
Et marchio, dux, comes almus —
Nam praetimidos faciendo,
Super hos timor irruit ecce
Regis domini omnipotentis —
Ne sollicitus timeas nunc,
Iaculoque Dei celeres iam
Perculsi animo fugiendo,
Plures manibus capientur,
Gladio plures morientur.
Sic vix patriam repedabunt.
Tu legibus et populorum
Iudex animos redomabis.
Ast ecclesias statuendo,
Famulatu sollicitare
Practico theoricoque,
Triforme hoc ordinis agmen,
Deitate sacrae Trinitatis
Coges, urguebis et anges.

Apostropha.

Insidiis rimisque hiantibus,
Cunctis malisque traditus,
Exosus nimium, ut putridum pecus,
Clades perosa, odibilis,
Pestifer et nocuus, quin perfidus,
Iniurius, cunctis lues,
Et dicto et facto, meditamine,
Obnoxius cunctis, reus,
Amplius aut renoves iam iurgia,
Nullos citabis litibus,
Desine Richardum iuvenem, probum,
Praedestinatum iam Deo.
Marchio, patricius[a], dux et comes,
Electus, almus, praepotens,
Egregius, iustus, pius et probus,
Sanctus modestusque, innocens,
Religionis apexque sacrae cluens,
Et forma normae precluis,
Ἰδηα summa boni huius lucidi
Plebem fovet Northmannicam.

946. Igitur plebeio huius nocturnalis murmuris tumultu sonipedumque strepitu reges exterriti, nimiaeque formidinis tremore perculsi, in caligine obscurae noctis putabant gratia certaminis Richardum adesse cum suis. Repente conclamata[b] est omnium salus, vitaeque fiducia spesque vivendi recessit ab omnibus. Ignorabant enim quid agerent, fluctuantes quo se fuga verterent. Mens siquidem illorum trepidis rebus nutabat, corque praetrepidum indiguumque veritatis huc illucque vacillabat. Alius enses amplexatus ut amens fugitabat, alius scuta revellens insano spiritu quasi per latebras errabat. Alii vero tentoria castraque terratenus prosternebant, alii autem equos faleris exornabant. Hic hac illacque quo nesciebat cursitabat, hic stupefactus et tremulus unoque obtutu p. 135. defixus haerebat. Hic inter fluctivagam tremulamque plebem quaeritabat suum seniorem, hic inter commixtum gregem inermis palpabat clamitans suum militem. Hic pede celeri gressu fugam petebat, hi equis calcaribus citatis inermes fugitabant. Hi trilices loricas galeasque auro comptas furtim abscondebant, hi ornamenta regalia ceteraque sibi vendicabant. Pavidorum exercituum murmur multus alte resonabat, vocisque inarticulatae tumultus clamorque ululatuum confuse tinnibat. Quapropter tumultuario plebeioque huius confusae altivolaeque vociferationis tinnitu[c] Rotomagenses excitati, formidantes ne praeoccuparentur repente futurae crepusculo die, munierunt urbem custodibus armatis, ipsique pervigiles praestolabantur tristes eventus praeoptati praelii. Cum autem aurora tenebrosae noctis caliginem puniceo amictu emicans desiccaret[d], rebusque color notionisque imaginatio[e] rediret, coeperunt Transrenani magalia succendere iterque desideratae regressionis repetere, viarumque ignari hac illacque pavidi fluctuare. Richardus vero dux magnanimus, florida congruae pubertatis lanugine dechorus, huius rei eventu hylaris et laetus, voluit illos aggredi cum suis omnibus praeparatis aciebus. Rotomagenses vero praecupidae congressionis propositum a duce tanto amovere conantes, dixerunt blande unanimes: *Domine dux praepotentissime, tenera viges adhuc aetate, esque spes nostrae salutis et fiduciae. Formidamus, si iveris, ne praeoccuperis morte. Hac simultate decipi, ut remur, nos autumant; nobisque sic urbe prosilientibus, capere eam praeiudicant. Non est nostri consilii, te nobiscum ad huius certaminis praelium congredi. Verum qualicumque modo huius rei sors se habeat, viriliter cum pluribus urbem custodi. Nos vero eos caute prosequemur et armis eos lacessere conabimur.* Huius blanditii syrmate vix evictus Richardus, iuvenis praecluis nobilitatis, urbe cum pluribus remansit, ceterique satellitum et tironum agmina regalia prosequentes, prosternebant plurimos occidentes. Tandem quaedam phalanx Rotomagensium commisit ad silvam, quae dicitur

a) patrius c. b) comclamata c. c) timnitu c? d) desicaret c. e) nationisque imaginato c.

Maliforaminis, cum eis praelium, atque opitulante Deo, devictis hostibus, obtinuit triumphum. Altera vero concio similiter Rotomagensium praestolans ad exitus silvarum duorum regum exercitum, prosternit et occidit plurimos hostium, fugatque caeteros usque ad Ambianensem pagum. Rotomagenses autem potiti de inimicis victoria, urbisque remeantes ad praesidia, quae acciderunt retulerunt Richardo omnia. Tunc Richardus, recolendae memoriae marchio duxque et patritius praecellentissimus, grates praemaximas Regi seculorum cum omni clero et populo reddidit mansuetissimus; multaque beneficia et donaria sacrosanctae ecclesiae distribuit laetissimus . . . .

Tetboldus vero comes cupiens perdere dolo penitus Richardum, tantae probitatis p. 138.
patritium, subintulit reginae hoc consilium[a]:
Si universae Franciae et Burgundiae militari manu asscita, profectus fuerit rex Lothario tuus filius ad eius urbes munitissimas, ille si maluerit resistens dimicabit contra eum; si non, componet se in firmissimis munitionibus tutissimarum civitatum. Denique conglobato christicolarum paganorumque exercitu, depopulans cuncta, aggredietur urbes suas, et si forte ceperit eas, Francorum Burgundionumque tenebit securus regna. Prudentius congruentiusque est, cum dolo aliquatenus eum capere, quam monarchiam eius devastare urbesque obsidere, quia nihil proficiemus in hac expeditione. Animadvertet enim propositum voluntatis nostrae, sicque cautius tuebitur se. Verum mitte legatum ad Brunonem Colonensem archiepiscopum fratrem tuum, Lothariensem scilicet ducem praecipuum, ut veniat ad te propter huius erroris negotium, decipiatque alicuius calliditatis sophismate Richardum tantae elationis virum. Ilico regina mittit ad Brunonem, et omnem huius deceptionis mandavit seriem. Bruno vero petiit Franciam ilico, veniensque Vermandensem pagum, misit quendam episcopum, qui diceret Richardo in dolo: *Bruno Colonensis archipraesul, licet indignus, tibi fidelium orationum munus. Quoniam quidem noster senior bene novit, quod euangelicus sermo referendo dicit: „Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur", idcircò obnixe precatur, ut venias contra eum Ambianensi pago velocius. Audivit enim errores insurgentium in te rixarum, vultque ardenti animo ob amorem tuum sedare rumores earum. Te et regem nepotem suum inextricabili conciliabit foedere, te et Tetboldum caeterosque malivolos pacificabit, dempta pestifera voluntate. Omnia regna nepotis ditionis rectae ambit lege coercere et serenare, omneque iurgium discerpere et conculare. Desiderat enim omnes conectere fidelitati sui nepotis, sicque sedatis rixarum turbinibus, pactaque ab omnibus pace, ad sua regredi.* Tunc Richardus marchio benignissimus his dolosis affatibus deceptus, coepit ire contra Brunonem cum suis fidelibus. Cumque adesset pago Belvacensi, Brunoque Ambianensi, die qua denominatum erat eos simul colloqui, venerunt ad eum duo Tetboldidae[16], dicentes divino nutu inspirati: *Tibi, dux, secretius fari volumus.* Richardo secedenti, intulerunt illi: *Mavisne fore dux Northmannorum quam extra regionem tuam pastor ovium et caprarum?* Richardo vero comite in uno obtutu defixo et mirabiliter haerente nulliusque responsionis verbum illis dante, illi admodum stupuere. Illata vero propositio quid significaret, scrutatus, infraque semet ipsum quasi receptus, dixit illis duobus: *Unde vel cuius fideles estis?* Responderunt: *Quid tibi, cuius? Nonne tui?* Richardus animadvertens, eos suos fideles esse, eosque propalari cuius essent nolle, grates agens, et vale dicens, honoravit secretius illos praecipue. Uni vero ensem ex auro quatuor librarum in capulo fulgidum, alteri vero dedit armillam totidem libris purissimi auri fabricatam. Illis namque recedentibus, quae retulerunt intimavit suis optimatibus. Tunc illi, retractata et interpretata propositione tantae invectionis et comparationis, coegerunt illum redire moenia Rotomagensis urbis, legatumque mittere ad Brunonem, qui, se non venturum ad placitum, nuntiaret illi. Legato vero Brunoni archiepiscopo nuntiante, Richardum ad placitum non venturum esse, stupuit, autumatque, tantae deceptionis consilium illum animadvertisse; dixitque legato: *Vade citius, dicque Richardo magno duci, ut saltim veniat super Eptae fluviolum, si requiem pacisque incrementum cupit habere suorum inimicorum; et ego pro eius amore proficiscar illuc solaturus eum.* Tunc legatus: *Non propter me, nec propter quemquam tuorum ad praesens venerit contra*

Marginal notes: 959? (beside "Si universae Franciae…"); Matth. 5, 9. (beside "Beati pacifici…"); p. 139. (beside "omnibus pace, ad sua regredi"); 16 (beside "fari volumus").

a) *Apostropham, quam hic Dudo inseruit, omisi. Neque hoc fragmentum neque sequens cum codice collatum est.*
16) *i. e.* Tetboldi milites.

te ad placitum. Huius igitur responsionis obstaculo, tantaeque traditionis dolo penitus detecto, revertitur ad sua verecundus Bruno[a].

Tunc per totam quippe Franciam Burgundiamque et caetera regna rumor tantae traditionis tantique doli propalatur, et ab universis Bruno et Tetboldus caeterique factores talis consilii et calliditatis vituperantur. Richardus vero dux sanctissimus, tantae deceptionis et calliditatis insidiis erutus, referebat cotidie grates Regi regum devotius, qui eruit eum de periculo mortis et captivitatis propitius . . . . . .

p. 155. Flandrensis comes, Arnulfus nomine, sprevit Lothario regi eo tempore militare et
966. servire. Lotharius igitur rex huius rei animositate, asscita hostili Francigenarum Burgundionumque manu, Atrabatum obsedit et cepit, caeterasque munitiones ad Leisc[17] usque
18 fluvium sibi subiugavit[18]. Huius infortunii dolore moestus comes Arnulfus, petiit Richardum ducem supplex et devotus, ut pacificaret se cum rege et Francigenis principibus. Richardus vero benivolo consuetae pacificationis habitu pollens, huiusque damni negotio contra regem ad placitum pergens, pacificavit cum rege comitem Arnulfum, coegitque reddi illi nimiae precationis affectu Atrabatum.

Nec illud praetereundum, quod Lothario rege defuncto Hugo dux intronizatus in regno voluit super Albertum comitem equitare, hostili exercitu conglobato. Albertus igitur metuens venturum furibundi regis adventum, misit quendam clericum, preciosi martyris
19 Christi Quintini canonicum, nomine Dudonem[19] dictum, ad Richardum summae patientiae patritium, ut, ne hostili immanitate devastaretur pagus Viromandensium, interventu suo strenuo intercederet pro se apud regem pestifera animositate plenum. Dux vero Richardus cum summo reverentiae cultu suscepit clericum, et profectus est contra regem, volentem equitare asscito hostili exercitu super Albertum, et multimodarum prosecutionibus petitionum compescens regem animosum, datis obsidibus pacificavit cum rege Albertum. Huius igitur beatitudinis praerogativa iste dux profusius floruit, quia quos audiebat discordes, aut per se aut per legatos pacificabat. Pacificabat enim Francigenas et Lotharienses, Burgundiones et Flandrenses, Anglos et Hibernenses, Northmannos et Britones . . .

a) *Apostropham omisi.*
17) Lyss. 18) cf. Ann. S. Martini Tornacenses a. 966. 19) Libri auctorem.

ADEMARI HISTORIARUM LIBRI III.

EDENTE DR. G. WAITZ.

Ademarus ex nobili Aquitaniae familia ortus est, quae „in proprio iure here-
1 *ditario" sedebat, Cabannense seu Campanense praedium incolens*[1]. *Patrem habuit Raimundum, avum Fulcherium, qui ex Officia nepti Turpionis episcopi Lemovicensis tres filios genuit, Rotgerium, Adalbertum et quem dixi Raimun-*
3 *dum natu minorem*[2]. *Hic Aldeardem sive Hildegardem*[3] *in matrimonium duxit,*

1) *in proprio iure hereditario quod vocatur Campanense iuxta castellum Potentiam,* Ademarus de abb. Lemov. ap. Labbeum II. p. 272. Pro *Campanense* ap. Bouq. X. p. 151 n. b. *Cabanense* scribitur, quod idem esse, et ipse putarim. Nam Raimundum patrem Ademarus Hist. III. 45. Cabannensem appellat. Urbs est *Chabannais* ad Viennam. 2) *Ex cuius* (Turpionis) *nepte Officia nomine nati sunt Adalbertus decanus et Rotgerius patre Fulcherio . . . Tertius quoque Raimundus iunior natu germanus extitit amborum, cuius ego Ademarus filius fui matre Hildegarde,* de abb. Lem. l. l. Raimundus Hist. III. 45. *abnepos* pro *pronepos* dicitur. 3) Hist. III. 45. de abb. Lem. l. l. Idem nomen est; cf. quae monui III. 45.

sororem virorum nobilium et potentum[4], *Abbonis*, *Raimundi et Ainardi prae-* 4
positi, *quem profundissimi consilii hominem laudat Ademarus*[5]. *Comitis titulo*
et officio patrem insignem fuisse[6], *quod Ademarus minime dicit*, *vix putarim.*
Nam Iordano „principi" Cabannensi, post annum millesimum occiso, frater eius-
dem nominis successisse videtur[7]. *Ademari parentes in his rebus agendis nullas* 7
habuerunt partes, *et privatam potius vitam in proprio rure quam publica officia*
et bellicas res egisse videntur. — *Ademarus anno circiter* 988. *natus*[8], *puer*
monasterio S. Eparchii[9] *Engolismensi traditus*, *ibi maximam vitae partem*
exegit, *Lemovicae vero apud Sanctum Martialem*, *ubi patruus eius Adalbertus*
decani et praepositi dignitate fungebatur[10], *ab altero patruo Rotgerio educa-* 10
tus est[11], *ibi procul dubio litteris quibus excellebat*[12] *instructus et amore et vene-*
ratione sancti Martialis imbutus. Iuvenis 22 *annorum in hoc loco constitutus,*
nocte quadam Crucifixi imaginem in coelo pendentem conspexisse sibi visus
est. „Ipse autem qui haec vidit, attonitus nichil aliud potuit agere quam lacri-
mas ab oculis profundere. — Et quod vidit semper in corde celavit"[13]. — *Inde* 13
Engolismam reversus, *presbyter est promotus*[14], *ibique in libris describendis*[15]
et componendis desudavit.

Brevem abbatum Lemovicensium historiam usque ad a. 1025. *perduxit*[16], 16
in qua praecipuas harum regionum res ecclesiasticas memoravit. Paulo post
maius opus aggressus est. Historiam enim a Francorum origine ad sua usque
tempora tribus libris conscripsit, *iisque potissimum res Aquitanicas exposuit.*
In primo quidem libro Gesta Francorum sequitur, *codice usus qualem in biblio-*
theca Parisiensi Suppl. Lat. Nro. 125 *(olim baronis de Crassier) vidi*, *in quo*
Gestorum textum Fredegarii continuatio excipit, *ipsique Annales Laurissenses*
maiores adduntur. Hos fontes ad verbum fere exscripsit Ademarus, *qui etiam*
librum secundum, *quo Karoli Magni res exposuit*, *primaque tertii capita ex*
Annalibus Laurissensibus hausit; quaedam tamen de rebus Engolismensibus
inseruit aliaque pauca memoriae tradidit, *quae unde sumserit*, *compertum non*
habemus, veluti quae de cantoribus a Karolo Magno Roma in Franciam ductis[17] *et*
de doctorum ordine[18] *leguntur. Leges Ludowici Pii*, *de quibus loquitur*[19], *ipse*
vidisse videtur. Etiam Gesta Pippini regis affert[20], *sed fortasse annalium partem hoc* 20

4) *strenuissimos duces corpore robustos animo bellicosos*, Hist. III. 45. Duces vero qui copias maiores habebant exercitumque ducebant appellasse videtur. 5) Hist. l. l. de abb. Lem. l. l. Ademari stemma hoc est:

Turpio episc. Lemov.
eius neptis Officia — Fulcherius | N.
Adalbertus decanus. — Rotgerius cantor. — Raimundus. | Aldeardis. — Abbo. — Raimundus. — Ainardus praepositus.
(Raimundus + Aldeardis:) Ademarus.

6) Ita Rivet, Hist. litt. VII. p. 320. 7) Hist. III. 42. 8) *A vobis quidem non sine grandi exultatione finito concilio Lemovicensi quarto die mensis Augusti abscessi*, *revertens ad Egolismam civitatem*, *ubi ab ipsa tenerrima aetate quadragenarius vitam in monasterio beati Eparchii transigo*, epist. de S. Martiale ap. Mabill. Ann. IV. p. 717. Haec anno 1028. scripta sunt. 9) S. Cibar. 10) *Hic* (abbas Guigo qui praefuit a. c. 973 –990.) *Adalbertum supradictum constituit sibi decanum in basilica sancti Martialis*, de abb. Lem. l. l. *Adalberti decani incliti et prepositi ex monasterio sancti Marcialis,* Hist. III. 45. 11) *Ademarus qui tunc cum avunculo suo inclito Rotgerio Lemovicas degebat in monasterio sancti Marcialis*, Hist. III. 46. *Rogerius — meus magister et patruus*, de abb. Lem. p. 273. *cantor* dicitur III. 61. et in Ann. Lem. a. 1025. Mon. SS. II. p. 252. 12) *Ademarus qui aliquid grammaticae artis videbatur scire*, adversarius de ipso dicit in ep. ap. Mabill. l. l. p. 718. 13) Hist. III. 46. 14) *Ademarus Egolismensis presbyterorum ultimus*, ep. p. 717. 15) Codicem Gestorum Rom. pontiff., quem descripsit aut describi curavit, ad Rohonem episcopum Engolismensem direxit, versibus additis, quos ed. Mabill. Anal. (ed. 2.) p. 432. cf. quae ibidem de codice Amalarii monentur; librum consultationum Zachaei christiani et Apollonii ipsius Ademari manu aut iussu scriptum habuit Dacherius; Spicil. XIII. 2. p. 185. 16) ed. Labb. II. p. 271—273. 17) II. 8. 18) III. 5. 19) III. 2. 3. 20) III. 56.

nomine indicavit. Historiam de sancti Iohannis capite conscriptam fabulosam
21 *reiecit*[21]. *Sanctorum episcoporum Dionisii, Saturnini, Petragorii aliorumque acta vidit*[22], *sed in historia sua nusquam iis usus est; neque Hieronymi et Bedae chronica, quae habuit*[23], *ad rem suam faciebant. Postea uberioribus fontibus destitutus, minores adhibuit annales, quos procul dubio in coenobio suo ad manus habuit, Aquitanicos dico Mon. SS. II. p.* 251. *editos, fortasse etiam Engolismenses breviores supra p.* 5. *publici iuris factos. Multa tamen his sequentibusque annis adiecit, quae a parentibus et senioribus monachis accepisse videtur. Ideo in rebus Aquitanicis semper fere fidem meretur, et quae suo tempore acta sunt bene habuit comperta, nonnisi levioribus commissis erroribus. Summa diligentia res in coenobiis S. Eparchii et S. Martialis gestas exposuit, eorum diplomata quoque consuluit; praeterea quae duces Pictavenses,*
24 *comites Engolismenses, Petragoricenses, Lemovicenses*[24] *domi militiaeque egerunt, accurate ordinate et fuse narravit. Francorum, Germanorum aliarumque gentium historiam brevius perstringit, non semper certum temporis ordinem secutus, nusquam tamen valde a vero remotus. Etiam res Hispanicas*[25], *Constantinopo-*
27 *litanas*[26], *Hierosolimitanas*[27] *respexit, quas a peregrinis qui inde redierant eum accepisse, verisimile est. Mauros Narbonae captos et Lemovicam transmissos vidit, qui quamquam* „more catulorum loquentes glatire videbantur“, *retulerunt tamen, quomodo victi captique essent*[28]. *Eodem modo plura procul dubio aut ipse vidit aut ab iis accepit qui rebus interfuerant*[29]. — *Haec vero probabili stilo conscripsit, et quamvis sermoni culto et ornato minime studuisse videatur,*
30 *lingua tamen Latina satis bene usus est*[30], *et in rebus disponendis quadam arte*

21) ibidem. 22) Epist. p. 722. Eadem et praeterea acta S. Marcelli et Iuliani Cenomannensis ab Engolismensi clerico in conc. Lemovicensi a. 1031. afferuntur. Concil. ed. Labb. IX. p. 879. 880. 23) Ep. p. 721. 24) Eorum stemmata subiicio, quo melius historia perspici possit:

Bernardus (comes Pictav. ?) † 844
- Bernardus com. Arvern. † 886.
  - Willelmus com. Arv. dux Aquit. † 919.
- Ramnulfus dux Aquit. † 867
  - Ramnulfus com. Pictav. dux Aquit. † 892.
    - Eblus com. Pict. dux Aquit. † 935 ux. Adela
      - Willelmus Caput Stupae com. Pict. dux Aquit. † 963.
        - Willelmus com. Pict. dux Aquit. † 993 ux. Emma
          - Willelmus com. Pict. dux Aquit. † 1030. ux. Adelmode Brisca.
      - Eblus episc. Lem.
  - Eblus abb. S. Germ.
  - Gozbertus comes

N
- Turpio co. Eng. † 863
- Emeno com. Eng. † 866.
  - Ademarus com. Pictav. † 930 ux. Santia

N
- Vulgrinus com. Eng. † 885
  - Alduinus com. Eng. † 916
    - Willelmus Sector ferri com. Engol. †
      - Arnaldus com. Engol. † c. 1000
        - Willelmus com. Engol. † 1028. ux. Girberga
          - Alduinus. Gosfridus
- Aldoinus (Hildoinus) abbas S. Dionysii
- Willelmus com. Petrag.
  - Bernardus com. Petrag. — Santia uxor Ademari
    - Arnaldus (Borracio), Willelmus Talerandus † 962., Ramnulfus Bomparius. comitatum Engol. tenuerunt (III. 28)
  - Emma — Boso vetulus
    - Boso com. Petrag. † c. 1010
    - Helias
    - Aldebertus
      - Bernardus

Geraldus vicecomes Lemov. — Adelmode
- Wido vicecom. Lem.
- Aldegarius ep. Lemov.
- Alduinus ep. Lem.

25) III. 38. 55. 70. 26) III. 22. 32. 27) III. 47. 28) III. 52. 29) cf. epist. p. 721: *Episcopus etiam Lemoricensis Geraldus ante hos* 15 *annos a Roma regressus attestatus est nobis, fortuitu legisse se ibi volumen;* ibid. p. 727: *Cui Gauzbertus: „In itinere, inquit, Romae vidi iam olim quemdam praecipuum comitem Almannum, cuius linguam intelligere non poteram, nisi in psalmis et laetaniis et lectionibus, cuius capellani ante eum quotidie circa horam tertiam laetanias sanctorum dicebant....“ — Tum Salgionius: „Et ego, quando euntes in Hierosolymam intravimus mare, vidi quemdam Iohannem monachum fortissimum grammaticum ex civitate Remis, qui in navi etc.“* In historia vero conc. Lemov. a. 1031. habiti clericus Engolismensis narrat (Concil. ed. Labb. IX. p. 878): *Ante hos plures annos quidam ex fratribus de monte Sinai in hanc partem advenerunt occiduam, Dei disponente nutu, moribus graves, doctrina catholicae fidei profluentes, vita per omnia honesti, utriusque linguae periti. Qui cum diu nobiscum Engolismae fuissent expectantes principem civitatis, et litteris Graecis et Latinis eos videremus ad unguem imbutos, super hac re interrogare curavimus eos........ Qui alter Simeon alter nomine Cosmas.* — Quos etiam Ademarum vidisse et de multis rebus interrogasse, verisimile est. 30) cf. epist. p. 719: *Ego latialiter loquens, latialiter ipsum compellebam loqui, et barbare quasdam dictiones proferentem dissimulans, patienter celabam*

*laboravit. Neque enim, iis potissimum temporibus, quibus alienis destitutus erat
fontibus, annalium morem sequitur, sed plerumque res similitudine quadam
connexas narratione quoque coniungere studet. Ideo vero, quod valde dolendum,
nusquam certos rerum annos notavit; id quod etiam in abbatum Lemovicensium
catalogo neglexit. — Historiam usque ad a.* 1028. *medium*[31] *perduxit atque* 31
eodem anno finiisse videtur[32]. *Nam Augusto mense eiusdem anni*[33] *concilio
interfuit Lemovicae habito, ubi quam plurimos Aquitaniae praesules abbates et
clericos*[34], *praeterea parentes et propinquos suos invenit*[35], *et in ecclesiae dedi-
catione*[36] *publice praedicavit*[37]. *Inde reversus, epistolam ad omnes qui concilio* 37
*interfuerant direxit, eamque etiam „Arnaldo Rothenensi episcopo, Theoderico
grammatico Metensi episcopo, Conegundi Romanorum augustae, Cononi caesari
augusto imperatori, Willelmo grammatico orthodoxo et potentissimo Aquitanorum
duci, Iohanni Romano papae" inscripsit*[38], *qua sanctum Martialem verum fuisse
apostolum ostendere conatus est, et disputationem, quam de hac re cum Lango-
bardo quodam Benedicto Clusensi*[39] *habuerat, narravit. Huius rei in historia nulla* 39
*fit mentio; quod vix omisisset, nisi iam antea operi finem dedisset. Epistola
vero illà Ademarum ostendit disertum, eloquentem*[40], *constantem*[41] *et ferventem*[42]
*assertionis suae defensorem, quam ab ipso confictam esse, adversarius con-
tenderat*[43]. *Sermone ubere, eleganti, rationibus non contemnendis opinionem* 43
suam quamvis nimis a vero alienam stabilire conatur. Huic quaestioni exami-

circumstantibus; cf. p. 726: *audieram enim eum Lemovicas, ut supradixi, barbarismis male corrumpere latuntatem.*

31) Non 1029, ut Rivet Hist. litt. VII. p. 301 dicit.

32) Petro abbate Scotoriensi vivo se scripsisse, ipse profitetur III. 45; sed quo anno ille obierit non constat; cf. Gallia christ. II. p. 550.

33) *usque in praesentem annum quo loquimur, qui est* 1028. *ab incarnatione domini nostri Iesu Christi per indictionem* 11. epist. p. 720.

34) Ep. p. 717.

35) ibid. p. 720: *spreto colloquio nobilium karissimorum parentum meorum, qui ad festivitatem de longinquo venerant et pro mea utilitate ibi me expectabant.*

36) 3. Aug. cf. Ann. Lemov. a. 1028. Mon. SS. II. p. 252. Hist. conc. Lemov. Concil. ed. Labb. IX. p. 888.

37) Fragmentum sermonis ibidem habiti, Ademaro a Baluzio vindicati, edidit Mabill. Acta SS. VI. 1. p. 31. Fortasse idem exstat in cod. Par. 3785. *Dicta venerabilis Ademari in natali S. Martialis.* Cat. bibl. Par. III. p. 466.

38) Ep. p. 717. Plurimos quos nominat episcopos ipse cognovisse videtur. Nam ibidem dicit: *Nolo vos mirari, eos, cum quibus numquam locutus sum adhuc de sancto Martiale — tres tantum dico, papam videlicet ac caesarem atque Aquitaniae ducem — inter nomina vestra me intermiscuisse.*

39) Quae hic de se ipso dicit (epist. p. 726) huc referre iuvat: *Ego, inquit, sum nepos abbatis de Clusa; ipse duxit me per multa loca in Longobardia et Francia propter grammaticam; ipsi iam constat sapientia mea duo millia solidis, quos dedit magistris meis. Novem annis iam steti ad grammaticam et adhuc sum scholasticus. Sumus novem scholastici, qui simul discimus grammaticam, et sum ego valde perfectus sapiens. Habeo duas magnas domos plenas libris, et adhuc non omnes eos legi, sed quotidie meditor in illis. Nullus liber est in tota terra, quem ego non habeam. Postquam exiero de schola, non erit subtus caelum tam sapiens ut ego. Ego ero abbas de Clusa post mortem avunculi mei iamque sum electus ab omnibus, et nisi tales conversi mali monachi fuissent, qui non curant nisi de hypocrisi et de rusticitate, qui mihi hoc abstulerunt, iam ex multo tempore essem consecratus abbas. Ego sum prior de Clusa, et scio bene facere sermonem de littera.* Et infra: *In Aquitania nulla sapientia est, omnes sunt rustici; et si aliquis de Aquitanis parum didicerit grammaticam, mox putat se esse Virgilium. In Francia est sapientia, sed parum. Nam in Longobardia, ubi ego plus didici, est fons sapientiae.* Aliter de ipso sensit Ademarus; cf. supra n. 30.

40) Nam *in hac terra non reputatur sapiens, nisi multum fuerit eloquens,* ep. p. 727.

41) *Nam ego pro veritate usque ad mortem libenter decertare festino,* ep. p. 717; cf. ibid. p. 725 sqq., p. 727: *tamen obedire oportet Deo magis quam papae Romano.*

42) *Iterum adhuc pronuntio ante conspectum Dei et omnium in caelo habitantium, si gloriae Dei vel ipsi Martiali vel alicui sanctorum, qui iam ex hac vita transierunt, molestum aliquo modo est eum praedicari apostolum, hac ipsa hora, quae est quasi sexta diei, hoc ipso articulo temporis quo hoc scribo, hoc momento, hoc athomo moriar corpore et ultra non vivam. Duae missae, quas hodie mane sexta sabbati continuas in honore vivificae crucis, unam sponte, alteram obediens necessario iubenti et roganti abbati Amalfredo, super corpus beati Eparchii celebravi: si, inquam, hoc Deo displicet, non sint mihi in adiutorium, sed statim, sicut solus intra ecclesiam scribo, hac ipsa hora animam reddam,* ibid. p. 726.

43) ibid. p. 718: *Hanc haeresim primus, et plus causa adulationis, ut placeret abbati et monachis, corruptus quoque pecunia ab illis, sine ulla veterum auctoritate condiderat.*

nandae anno 1031. *duplex convocatum est concilium, alterum Burdegalense,*
alterum Lemovicense. Quibus cum Ademarum interfuisse non legamus, ipsum
44 *iam antea mortuum fuisse, Rivet*[44] *suspicatus est. Quod et ipse statuerim, nisi*
fortasse ipsa concilii Lemovicensis historia[45], *in qua eandem fere dicendi ratio-*
nem, eandem doctrinam, eandem quoque S. Martialis venerationem quam in
epistola illa deprehendere mihi videor, Ademaro tribui possit[46]. *Certe de Ade-*
mari morte nihil constat; quam his circiter annis accidisse verisimile est, quum
nihil postea de illo referatur.

Qui sequentibus temporibus in rebus Aquitanicis describendis occupati erant,
47 *ut auctor Gestorum episcoporum Engolismensium*[47], *Ademari historiam plerumque*
secuti sunt. Liber in multorum manus venit. Ex ipso etiam quae in codice Vatic.
bibl. Christ. Nro. 692 *s. XII. extat historia Francorum excerpta est*[48], *ex qua*
postea chronici S. Maxentii sive Malleacensis[49] *auctor quam plurima hausit.*
Fragmenta alii descripserunt, alii operi praestantissimo assuerunt, quae ibi
deesse videbantur. Exstat in bibliotheca regia Parisiensi codex infra memorandus,
qui Ademari historiam partim quam plurimis additamentis auctam, partim valde
50 *mutatam continet. Sed tantum non omnia quae adduntur sunt falsissima*[50]; *inter-*
polator multa ex ingenio finxit, Ademari verba non semel male interpretatus est,
ordinem chronologicum perturbavit[51], *plura addidit, quae poeticam quandam*
rerum narrationem redolent et ex carminibus manasse videntur[52]. *Cum plerique*
haec omnia Ademaro obtrusissent, factum est, ut hominem credulum et fabulo-
sum eum putarent, historiamque eius nimis erroribus perturbatam dolerent. Haec
vero iam in interpolatorem cadunt, qui fortasse centum annis aut amplius post
Ademarum haec consarcinavit. Ex vita Hludowici quaedam sumsit[53], *alia*[54] *ex*
Annalibus Aquitanicis, quos et ipse Ademarus habuerat; in aliis cum gestis
episcoporum Engolismensium convenit[55]. *Quorum auctor cum alibi purum Ade-*
56 *mari textum sequatur*[56], *non ipsum codice interpolato usum, sed potius ex*

44) Hist. litt. VII. p. 302. Idem, Ademarum Hierosolimam profectum esse, sibi persuasit, cum in codice Vossiano, olim S. Martialis Lemovicensis, haec legantur (Cat. bibl. Lugd. Bat. 1716. fol. p. 386. cf. Arch. VII, 137.): *Hic est liber sanctissimi domini nostri Marcialis Lem. ex libris bonae memoriae Ademari grammatici. Nam postquam multos annos peregit in Domini servitio ac simul in monachico ordine in eiusdem patris coenobio, profecturus Hierusulem ad sepulcrum Domini nec inde reversurus, multos libros, in quibus sudaverat, eidem suo patrono ac nutritori reliquit, ex quibus hic est unus.* Sed Ademarus historiographus non Lemovicensis sed Engolismensis fuit monachus. 45) ed. Labbeus Bibl. mss. II. p. 766. Concil. IX. p. 869. 46) Rivet Hist. litt. VII. p. 347. Odolricum abbatem S. Martialis auctorem putavit. — In cod. Par. No. 2469 Ademari sermones de S. Martiale et haec concilii historia coniuncta exstant; cf. cat. bibl. Par. III. p. 285. Sermones a. 994, quos edidit Baluze hist. Tutel. p. 385, non Ademari esse, recte monet Rivet Hist. litt. p. 305, cf. eundem p. 306. sqq. de aliis quae eruditi Ademaro tribuerunt operibus. 47) apud Labbeum Bibl. mss. II. p. 249. Etiam qui miracula S. Genulfi conscripsit Ademari opere usus est; cf. Mab. Acta IV. 2. praesertim n. 14. p. 230. 48) cf. Arch. VII. p. 437. Ex primo libro nihil, ex secundo et tertii initio pauca sumsit, III. 16—38 vero magnam partem ad verbum exscripsit. 49) apud Labbeum II. p. 190. 50) Ita, ut pauca tantum afferam, III. 19. dicit, Lotharium quatuor post a. 855. annis monasterium intrasse, cum Ademarus recte „post paucos dies“ scripsisset; III. 20. de Odone rege Francorum fabulas intolerabiles fingit; c. 22. Ademari verbis parum intellectis, Arduinum Italiae regem ante Ottonem I. obiisse, narrat; quae ibidem de Rotberto rege et Hugone comite refert fabulam redolere, iam alii annotarunt; magis etiam a vero abhorrent, quae c. 31. de S. Adelberto et Brunone memoriae tradit; de Heriberto archiepiscopo ab Heinrico II. capto recte Ademarus c. 33. locutus est, quibus deletis interpolator alia eaque falsa substituit. 51) e. g. c. 23. de Fredeberto episcopo, quem in s. X. falso collocavit. 52) cf. quae iam attuli c. 22. de Hugone et Rotberto, c. 28. verba: *ense, quem Walander faber cuserat*, et quae ibidem de Arnaldo narrantur, c. 34 de Aldeberto et rege Francorum, c. 55. verba: *ita fabulam Tiestis veram adimplens.* 53) III. 16. 54) III. 18. 19. Sed haec satis infeliciter cum Ademari narratione coniunxit. 55) Cf. III. 16. de moneta Engolism. cum Gest. c. 13, III. 24 de reliquiis Hierosolyma reportatis et 28 cum Gest. c. 19, III. 60. et 66. cum Gest. c. 25. 56) cf. Gest. c. 11.

gestis quaedam Ademaro assuta esse putarim, praesertim cum etiam aliis locis eiusmodi res a Gestorum scriptore narrationi ex Ademaro haustae additae sint[57]. *Ideo non ante sed post a.* 1159, *quo Gesta illa scripta esse constat, interpolatorem opus suum compilasse, recte statuere mihi videor. Qui cum res in coenobio S. Martialis Lemovicensi gestas, iam ab Ademaro satis accurate expositas, singulari studio prosequatur*[58], *ibidem vixisse putandus est, ideoque in his etiam maiorem fidem meretur.*

In hac Ademari editione id maxime consilii egi, ut primo loco integrum et purum ipsius textum exhiberem, codice potissimum usus praestantissimo

1) *regio* **Parisiensi** *Nro.* 5927. *mbr. fol., olim I. A. Thuani, qui saeculo XI. medio cum magna diligentia et satis eleganter in membranis optimis non una manu exaratus, litteris quas dicunt initialibus pulchris et variis coloribus pictis ornatus,* 165 *foliis constat, quorum modo plura, modo pauciora coniuncta sunt. Ademari historia* 131 *explet. Hunc librum partim descripsi, partim cum editis accuratissime contuli, quippe qui purum contineat textum, paucissimas tantum easque leviores mendas habeat, et in Aquitania, fortasse Engolismae aut Lemovicae, scriptus, proxime ad autographum accedere videatur. Historiam ibi nullo titulo inscriptam et singulos libros nullis rubris distinctos legimus; primo tamen capitum index praemissus est, secundi vero et tertii initium capitulo primo adscripto indicatur. Idem volumen continet f.* 132 *diploma Karoli regis de castro Fronciaco ecclesiae Engolismensi confirmato, f.* 133 *conventionem Willelmi et Hugonis ex ipso codice a Labbeo II. p.* 135 *editam, et f.* 140 *sqq. Einhardi vitam Karoli Magni mancam (cf. Mon. SS. II. p.* 432*). Ex hoc codice descriptus est*

1[a]) *regius* **Parisiensis** *Suppl. Lat. Nro.* 142. *chart. s. XV. fol., qui eadem opera continet et iisdem Einhardi verbis finit. Fortasse hic est quem in collegio Claromontano vidit Labbeus, qui certe huic simillimus fuit.*

Interpolata historia exstat in codice

2) *regio* **Parisiensi** *Nro.* 5926. *mbr. saec. XII. exeuntis, fol. min., olim Ant. Faure, quem ex bibliotheca Hadr. Valesii recepit Labbeus. Volumen* 17 *et semis quaternionibus constat, qui in ultimo folio* a—r *signati sunt. In quaternione* m *tria desunt folia. Fol.* 1—63 *libros* 2 *priores Ademari continet, fol.* 63—79 *Einhardi vitam Karoli (Mon. SS. II. p.* 433*), fol.* 79—114' *Anonymi vitam Hludowici Pii, fol.* 114' *sqq. Ademari historiam inde a III,* 16 *prosequitur. Ipsius verba etiam prioribus libris saepissime mutavit, et modo ipsum, modo quos exscripsit fontes, Gesta Francorum et Annales Laurissenses, secutus est*[59], *ita ut Labbeus, quum etiam integras Karoli et Hludowici vitas insertas vidisset, nonnisi extremam partem Ademaro adscribendam esse putaret. Textus magna negligentia descriptus mendis foedissimis scatet, quae scriptorem rudem, neque in veteribus libris legendis neque in scribendo exercitatum arguunt. Litterarum forma, qualem in libris manuscriptis Lemovicensibus saepius vidi, huius urbis monachum indicare videtur, ubi etiam ipsum interpolatorem deguisse, supra monui. Etiam in hoc codice, quem ex* 1. *derivatum quamvis non exscriptum esse non dubito*[60], *historia titulo caret.*

cum Ademar III. 20, Gesta c. 14. 16. cum Adem. III. 23. etc. Quae Gest. c. 25. leguntur magnam partem in codice interpolato desunt. 57) cf. c. 9. 10. et praesertim c. 25. 26, ubi de Willelmo Engolismensi comite multa nova leguntur, quorum pars tantum in interpolato Ademari textu occurrit, quae vero ab uno eodemque procul dubio scripta sunt. 58) III. 19. (20.) 22. 25. 35. 43. 49. 57. etc. 59) cf. quae Archiv Vol. VIII. dicturus sum. 60) cf. quae de Einhardo dicit Pertz l. l.

3) *Plurimi qui exstant Ademari codices ex eodem exemplari fine destituto fluxerunt, quippe qui III. 24 verbis:* vicaria Piliacense (et alias quam plurimas ecclesias) *historiam finiant. Textum nullis interpolationibus macula-* 61 *tum habent. Ipse tres vidi*[61]*:*

3[a]) *Montispessulanum Nro. 94. mbr. s. XII. fol. olim collegii Trecensis, qui neque titulos habet neque tertium librum distinguit.*

3[b]) *Montispessulanum Nro. 377. mbr. s. XII. XIII. 8vo, qui operi titulum* Hystoria Francorum *inscribit et singulis libris capitum indicem praemittit.*

3[c]) *Montispessulanum Nro. 27. mbr. s. XIV. fol. qui cum 3[b]. plerumque convenit, in capitum tamen tertii libri ordine ab ipso differt, 18 pro 22 exhibens.*

Alii eiusmodi codices inveniuntur

3[d]) *Romae in bibl. Vat. Nro. 1795. mbr. fol. s. XIII. (Arch. V. p. 116).*

3[e]) *Romae in bibl. Christ. Nro. 905. mbr. fol. (Arch. III. p. 422. 423, coll. V. p. 117), qui eundem capitum ordinem quem 3[b]. habere videtur.*

3[f]) *Bernae Nro. 208. mbr. s. XIII. (Arch. V. p. 488).* —

62 4) *Paris. Nro. 6190.*[62] *Glabri Rodulphi codici quatuor folia saec. XI. XII. assuta sunt, quae varia ex Ademaro excerpta continent, postea ex eodem fonte aucta. Quae nullo ordine scripta, modo ipsius verba retinent, modo mutato stilo valde diversam narrandi rationem ostendunt, et quamvis ex codice* 63 *non interpolato descripta, in quibusdam tamen cum 2. conveniunt*[63]*, ita ut fortasse inter ipsius sint referenda fontes.*

Ademari liber integer nunquam prodiit. Secundum librum Pithoeus (SS. XII coaetanei ed. Par. 2. p. 6, Francf. p. 230) primus ex cod. 1. edidit, Ademari nomine suppresso; indeque transiit in Duchesnii SS. (II. p. 68) et SS. Kulpisianos (3. p. 45). Idem Pithoeus Ademari excerpta s. t. „Aquitanicae historiae fragmentum" ex codice 4. publici iuris fecit (SS. XII. coaet. ed. Par. 2. p. 416, ed. Francf. p. 517 et SS. XI. coaetanei p. 79), quae Duchesnii, ex ipsius Ademari ut videtur codice aucta, repetiverunt (SS. II. p. 632, IV. p. 80). Breve Ademari fragmentum A. Duchesnius etiam Hist. Norm. SS. collectioni (p. 19) inseruit. Maiores locos eosque ex optimo codice, fortasse eodem quem 1. nominavi, descriptos[64]*, Beslius in probationibus historiae comitum Pictavensium*[65] *exhibuit. Historiam ex Ademaro aliisque compilatam Petrus a S. Romualdo luci* 66 *dedit*[66]*. Labbeus paulo post editionem absolutam aggressus est, tribus codicibus supra indicatis (1. 1[a]. 2.) usus; sed singulari errore librum interpolatum secutus, integram Ademari historiam neglexit, singulis quibusdam locis tantum codicis Thuanei verba referens. Ex primo libro nonnisi excerpta quaedam dedit, secundum tanquam iam antea editum praetermisit, tertii quoque initio plurima ex Ann. Laurissensibus hausta suppressit. Ex Labbei et Duchesnii editionibus maior Ademari historiae pars in Bouqueti collectionem recepta est (II. p. 514. V. p. 184. VI. p. 223. VII. p. 225. VIII. p. 232. X. p. 144—164) notisque illustrata.*

61) cf. Archiv VII. p. 433. sqq. 62) Codex olim E. Vineti postea Thuani fuisse videtur; cf. Besly Hist. comitum Pictav. p. 199. 63) III. 28. 34. 64) v. p. 199. 65) *Histoire des comtes de Poictou et ducs de Guyenne par I. Besly* Paris 1647. fol. passim. 66) Historiae Francorum seu chronici Ademari Engolismensis epitome — cum notis nonnullisque interpolatis quibusdam etiam additis a domno Petro a S. Romualdo Fuliensi. Parisiis apud L. Chamhoudry 1652. 12. Simile opus extat in cod. Par. Nro. 6182. chart. s. XVII: *De origine Francorum ex chronico Ademari Engolismensis monachi sancti Martialis.*

Etiam in hac quam institui nova editione non integrum opus luci dandum erat, sed haec tantum exhibui quae Ademarus fontibus illis maioribus adiecit aut proprio Marte conscripsit. In quem finem codicem 1. *perlegi omniaque memoria digna ex primis libris exscripsi. In sequentibus eundem codicem accurate exprimendum curavi, et quae correxi in notis semper retuli*[67]. *In codice* 67
saepius a *pro* e *scribitur, quod ex verborum pronunciatione in Aquitaniae regionibus usitata ortum esse videtur: e. gr.* Nannetansium, Rotomansis, biannium, emandatio, commandatum, opulantissimam, amplectabatur, assumans, revertans, decoram, Engolismensam[68]. *Haec an Ademaro tribuerem haesitavi,* 68
recipere tamen nolui. Quae in 2. *adduntur aut mutata leguntur infra addidi, neque tamen omnes easque saepe falsissimas lectiones enotavi. In margine certum ordinem chronologicum stabilire, in notis errores corrigere et res Aquitanicas aliasque memoria dignas quam brevissime explicare conatus sum.*

G. WAITZ.

LIBER I.

1. **P**rincipium regni Francorum *etc. ut Gesta Francorum.*

11. *(Gest. Francorum c. 12) haec adduntur:* Eo tempore sanctus Eparchius natus est patre comite Petrogoricae nomine Felice, qui postea plenus sanctitate patronus Egolismae civitatis factus est.

16[a]. *(Gest. c. 17) add.:* In ipsa civitate[1] consecrare fecit in episcopatu venerabilem 508
virum Aptonium capellanum suum, expulso primo episcopo Arriano Gothorum de eadem civitate.

24. *(G. c. 25) add.:* Per idem tempus sanctus Eparchius praesul[b] Sanctionis et pater 581.
Egolismensis migravit ad Christum die primo mensis Iulii.

29. *(G. c. 30) add.:* Eo tempore sanctus Gregorius archiepiscopus Turonensis magnis virtutibus fulgebat. Per idem tempus sanctus Germanus Parisiorum episcopus missus a rege Chariberto Egolismam civitatem, consecravit basilicam sancti Eparchii, ubi ipse nuper sepultus fuerat; adfuit cum eo venerabilis Gregorius episcopus Turonensis, et in ipsa basilica multa pignora reliquiarum beati Martini episcopi collocantes, dedicaverunt[c] eam in eiusdem sancti Martini honore. Denique in altare ipsius ab eodem sancto Germano atque sancto Gregorio consecrato sanctae crucis actenus apparent impressa signacula. Item in honore sancti Petri consecraverunt aecclesiam sedis episcopalis[d], quam Clodoveus rex supradictus a novo incoari iusserat, destructa priori sede, quam Gothi Arriana maculatione foedaverant, in honore sancti Saturnini. Ordinaveruntque in ipsa civitate episcopum nomine Mererium[2], qui in Francia capellanus regis fuerat. Aptonius enim nuperrime obierat in Christo.

31. *(Gest. c. 32) haec leguntur:* Qui commoventes exercitum, adversus eum pergunt contra 575.
Egolismam, ubi residebat propter fortitudinem murorum. Ille quoque derelictus a suis cum paucis remansit, sed tamen ad bellum ire non dubitat. Venientesque ad pugnam octo milibus ab Egolisma iuxta fluvium Carantam secus silvam Buxam, Theodebertus devictus prosternitur mortuusque est ibi. Ab Aunulfo quoque duce collectus, Egolisinam civitatem portatus, ibidem sepultus est apud Sanctum Eparchium. Sigebertus vero et Chilpericus pugnabant inter se in Francia. Tunc Chilpericus . . .[e]

a) c. 16. *Gestorum* (c. 15.) *verba ita leguntur:* Deinceps omnes aecclesiae Dei cum auctoritate apostolice (*sic*) Romani hoc exemplum agentes usque ad presens ipsas lętanias triduanas ubique cęlebre recolunt ante ascensionem Domini. b) p. s. et *post erasa* 1. c) dedecauerunt *corr.* dedicauerunt 1. d) *e corr.* 1.

67) Hoc uno excepto, quod in genitivo semper *ae* scribendum esse duxi, cum codex sibi ipsi non constans modo *ae* modo *e* (potissimum in urbium nominibus *Engolisme*, *Lemorice* etc.) exhibeat.

68) Haec interdum iam in codice correcta sunt: *classa* corr. *classe*, *Salasensam* corr. *Salasensem.*

1) Engolisma. 2) Maracharius apud Greg. Tur. V, 37.

3 33. *(Gest. c. 34 initio) add.:* Erat enim illa[3] ancilla nequissima, sed propter pulchritudinem vultus eam rex nimis amabat, et mala consilia semper audiebat ab illa, et eam credebat super omnes consiliarios Francorum.

41. *(G. c. 42) add.:* Tunc Eraclius imperator crucem Domini de fano Cosdroe, quod erat in Perside, victor detulit in Hierusalem, et exaltacio sanctae crucis in suam[a] civitatem tunc facta est. Eo tempore piissimus imperator Eraclius Dagoberto munera misit, et rogavit, ut baptizare compelleret omnes Iudeos qui erant in omni regno eius; quod et factum est.

714. 49. *(G. c. 51) haec leguntur:* Eo tempore Pipinus Brevis supradictus, pater Drogonis et Grimaldi et Caroli Martelli[a'], correptus febre valida, mortuus est . . . . . discreto. Et postquam mortuus est supradictus Pipinus Vetulus vel Brevis, qui fuit proavus domni Karoli imperatoris magni, Franci in Francos invicem irruunt in Cosia silva . . . Tunc Plectrudis, uxor Pipini Vetuli, coepit per ingenium Karolum Martellum, filium Pipini supradicti de alia uxore Calpiade, qui, dum sub custodia teneretur, auxiliante Deo, vix evasit.

51. *(G. c. 53) ita Gestorum narrationem cum continuatore Fredegarii coniunxit:* Eudo Chilpericum ei reddidit cum multis muneribus; et Karolus Martellus, Chilperico recepto, regem eum constituit, oblitus cunctorum quae in eo fecerat malorum, sed cum Raenfredo amicitias[b] facere noluit. Rex Chilpericus urbe Noviomo[c] veniens, morbo obiit, et regnavit annis sex. Franci vero Theodericum, filium Dagoberti iunioris, in monasterio Cala enutritum, super se regem statuunt, consensu Karoli Martelli. Karolus vero princeps Raenfredum insecutus, Andegavis civitatem obsedit, et vastata regione eadem, cum plurimis spoliis reversus est, et maior domus effectus est ipse Karolus Martellus in regno Francorum. Sequenti anno Andegavis civitatem fortissime debellans coepit, et Raenfredo interfecto, reversus est.

732. 52. *(Fredegar. c. 108) post:* victor Franciam rediit *add.:* et extunc omnes coeperunt eum cognominare Martellum, quia sicut martellus cunctum ferrum subigit, sic ipse Deo adiuvante cuncta proelia frangebat.

736. 54. *(Fred. c. 109) add.:* Tunc mortuus est Theodericus rex, filius Dagoberti iunioris, et Karolus Martellus in ipsa infirmitate sua iussit elevare in regem Hildericum fratrem Theoderici. Qui vecors erat, sicut et frater eius fuerat; sed meliorem illo non poterant Franci invenire de prole regali . . . . . .

741. *(Fred. c. 110)* . . eo pacto, ut Romanos defenderet de Langobardis, qui multa mala in terra[d] sancti Petri faciebant. Ipse . . . . . .

. . . . ordo sacratissimus paschalis turbatus est per multas regiones per errorem et ignorantiam calculatorum, qui bene nesciebant[e] terminum paschalem repperire, et per multas civitates celebratum est pascha vel in Marcio vel in Aprili vel in Maio . . . . Carolus . . . obiit in pace anno[f] septingentesimo quadragesimo primo ab incarnatione Domini. Et retro in alio anno dum turbatio fuit de pascha, debuit esse dominicus dies resurrectionis Christi octavo Kalendas Mai, quod fuit in ultimo anno cicli decemnovenalis, fuitque terminus paschae dominica[g] Osanna 15. Kal. Mai. Regnavit autem[h] Karolus[i] annis 25, sed non est[h] vocatus rex, quia ipse non permittebat se regem vocari, nisi ducem Francorum, quia pueris regibus deferebat honorem nominis regalis, Theoderico videlicet et Childerico, quamvis ineptis prudentia et sensu carentibus[k]. Obiit 11. Kal. Novemb., cunctis in gyro regnis adquisitis, sepultusque est in basilica sancti Dionisii martiris. Pipinus autem Vetulus[l] pater eius regnavit 17 annis in puerorum regum fidelitate.

56. *(Ann. Laur. a. 749.)* . . Tunc dolentes Franci, quia non habebant prudentem regem sed iam per multos annos sustinuerant de regali prole insipientes viros, voluerunt elevare in regem Pipinum Pium. Qui noluit adquiescere, sed adunatis cunctis primoribus Francorum, ex parte eorum misit Romae . . . .

57. *(Ann. Laur. a. 753.)* . . Carlomannus . . Franciam venit, ut reportaret in Cassinum corpus sancti Benedicti* . . . . .

* *In cod. 2. a. 755. haec adduntur:* Anno vero septingentesimo 55. sepe nominatus papa Stephanus

a) sanctam? a') *ita Carolus etiam c.* 50 (*Gesta c.* 52) *appellatur.* b) amicias 1. c) nouiono 1. d) t. s. p. *bis scriptum* 1. e) nuntius 2. f) *deest* 2. g) domina 2. h) *deest* 2. i) Carolus Martellus 2. k) arentibus 2. l) sepultus 2.

3) Fredegundis.

58. *(Ann. Laur. a. 763)* . . et revertendo per Lemovicas contulit sancto Marciali[a] bannum aureum quod coeperat in proelio Waiferii, simulque donavit villam de sancto Valerico canonicis sancti Marcialis. Et canonicis sancti Stephani dedit villam que dicitur Solanniacensis, et remeavit in Franciam.

59. . . planxeruntque eum[4] Franci planctu magno, et regnavit Carolus Magnus filius 4 eius pro eo.

LIBER II.

1. A primo rege Francorum dicemus prosapiam domni precelsi regis Magni Karoli, quem Deus amavit et exaltavit et magnum principem et amabilem a cuncto populo christiano per universum mundum fecit. Igitur[5] in tempore Valentiniani[b] imperatoris, 5 qui septimus augustus fuit a Constantino Magno divo augusto, quem sanctus papa Silvester baptizavit, sub quo tempore sanctus Hieronimus claruit, Franci adhuc pagani primum reges habere coeperunt de semet ipsis. Primus itaque rex Francorum fuit nomine Faramundus, filius Marcomiris eiusdem gentis inlustris viri. Post Faramundum regnavit Clodio filius eius. Post Clodionem regnavit Meroveus filius eius. Post Meroveum regnavit Childericus filius eius. Quo tempore exortus est beatus Eparchius ex civitate Petrugorica, patre Felice Aureolo, comite eiusdem civitatis. Post Childericum regnavit Clodoveus filius eius, qui primus de regibus Francorum credidit in Christum et baptizatus est a sancto Remigio episcopo cum omni exercitu suo et universo populo Francorum. Port Clodoveum regnavit Childebertus filius eius cum tribus fratribus suis, Theoderico, Clodomire et Clotario. Quo tempore sanctus Eparchius in Egolisma virtutibus claruit, et ipso Childeberto regnante, post septuagesimum annum aetatis suae in pace ad Dominum migravit. Quo tempore Anastasius imperator augustus imperii infulas tenebat. Quo tempore regnabat cum Childeberto Theodebertus nepos eius, filius Theoderici. Quo tempore claruerunt sanctus Gregorius papa primus et Gregorius episcopus Turonensis et sanctus Aredius abbas et Nicecius episcopus Lugdunensis. Post Childebertum regnavit Clotarius frater eius, qui sanctam Radegundem in matrimonio habuit. Post Clotarium regnavit Chilpericus filius eius cum tribus fratribus suis, Cariberto, Guntramno et Sigeberto, qui habuit Brunichildem in matrimonio. Post Chilpericum regnavit Clotarius filius eius. Clotharius iste genuit Dagobertum et filiam unam nomine Blitildem[6]; de qua Blitilde fuit generatio domni Caroli. Nam ista Blitildis, soror Dago- 6

cum pio rege Pipino, post dedicationem Parisius in aecclesia beati Dionisii factam, iter in Aquitaniam faciens, usque ad locum qui Fiacus[7] nominatur[c] devenerunt. Ibi enim piissimus rex Pipinus, divino monitus nuncio, monasterium in honore mundi Salvatoris construxerat, ad cuius consecrationem ipsum papam secum adduxerat; sed divino preventus est miraculo. Nam nocte consecrationis diem precedente a nonnullis voces psallentium in aecclesia eadem audite sunt, et die illucescente subito nubes densissima, suavissimo fragrante[d] hodore, totam ipsius templi superficiem ita cohoperuit, ut omnino ingredi volentibus aditum denegaret. Circa vero illius terciam diei horam nube discedente, domnus papa Stephanus cum coepiscopis ac clericis et rex serenissimus Pipinus aecclesiam ingredientes, parietes et altaria sacra unctione divinitus consecrata conspexerunt. Unde nimium admirati maximoque gaudio repleti, supradictus pontifex et rex clementissimus Pipinus innumeras Deo gratias reddentes[e], eidem aecclesie diversos honores, villas, possessiones, castella ac plurima loca contulerunt[8], videlicet monasterium de Iunante[9], olim a potentissimo Francorum rege Clodoveo constructum, ac post multorum curricula annorum nimiis pluviarum ac fluviorum inundationibus funditus eversum, et monasterium sancti Quintini de Galliaco[10] et heremitarum Conchense cenobium[11] aliasque 11 quam plures ecclesias, ac maximam partem circumadiacentium regionum esse sub iure ipsius aecclesiae constituerunt, ac ab omni humano servitio liberam fieri nisi sola Romani pontificis tuitione propriis privilegiis sancxerunt. His itaque sollempniter peractis, Stephanus papa cum rege in Franciam reversi sunt.

a) martiali 2. *ubi* bannum — waiferii *desunt*. b) valentiani 1. c) nomiatur *c*. d) fraglante *c*. e) redentes *c*.

4) Pippinum. 5) Etiam quae sequuntur magnam partem ex Gestis regum Francorum fluxerunt. 6) cf. Genealogiam S. Arnulfi Monum. SS. II. 308. 313. 7) Figeac in diocesi Caturcensi. 8) Diploma Pippini falsum v. Dachery Spicil. edit. 2. III. p. 319. Stephani Gallia christ. I, 43. 9) La vallée de Zunault. 10) in pago et dioc. Caturcensi. 11) Conques in dioc. Ruthenensi.

berti regis, habuit virum in coniugio nobilem inter Francos nomine Ansbertum, de quo genuit filium nomine Arnaldum. Arnaldus genuit Arnulfum, qui postea derelicto seculo factus est episcopus Metis civitatis. Arnulfus antequam esset clericus habuit uxorem nomine Begam, filiam Pipini maioris domus et genuit ex ea Ansegisilum. Ansegisilus[a] genuit Pipinum Vetulum Brevem, qui fuit abavus domni Karoli regis. Pipinus Vetulus dux Francorum genuit Karolum Martellum. Karolus Martellus genuit Pipinum Pium, qui de illa linea generationis elevatus est primus a Francis in regem, evacuata omnino linea de genere Faramundi. Pipinus Pius genuit domnum regem augustum imperatorem Karolum. Domnus Karolus genuit domnum Ludoicum imperatorem. Ludoicus genuit Carolum Calvum ex Iudit regina. Sed revertar ad ordinem regum. Post Clotarium regnavit Dagobertus filius eius, quo tempore sanctus Elegius episcopus claruit. Cui Dagoberto fuit Pipinus maior domus vir egregius, cuius Pipini filiam nomine [Begam[b]] accepit in uxorem Arnulfus vir nobilissimus, pater Ansegisili[c]. Post Dagobertum regnavit Clodoveus filius eius, qui habuit sanctam Baltildem in matrimonio. Quo tempore sancti Benedicti corpus translatum est de Benevento in Franciam, in villa Floriaco. Post Clodoveum regnavit Clotarius filius eius. Post Clotarium regnavit Theodericus frater eius, cui Ebroinus fuit maior domus; et Leodegarius sanctus episcopus claruit, quem interemit ipse Ebroinus. Quo tempore Pipinus Vetulus fuit maior domus in Austrasiis cum regibus Childerico et Childeberto iuniore. Qui Pipinus consensit nobilibus Francis interficere Ebroinum. Et ipse Pipinus Brevis propter Childericum regem Austrasiorum a Francis occisum proelium fecit cum Theoderico rege Francorum, et devicit eum, et cum eo postea concordans, maior domus extitit in Francia, et bella multa contra Suevos et alias gentes fortiter fecit. Et ipse Pipinus Brevis de uxore sua Calpiade genuit Carolum Martellum. Post Theodericum vero regem regnavit Clodoveus filius eius. Post Clodoveum regnavit Childebertus iunior frater eius. Post Childebertum iuniorem regnavit Dagobertus iunior filius eius. Post Dagobertum defecit genus regale a prudentia, et regnavit post ipsum Dagobertum Danihel clericus insensatus frater eius, quem Franci mutato nomine vocaverunt Chilpericum. Chilpericus iste ineptus movit exercitum contra Carolum Martellum, qui tunc iuvenis erat in Austrasios maior domus et dux cum Clotario rege; et victus est in bello Chilpericus, et victor extitit Carolus Martellus. Tunc Eudo dux Aquitaniorum in auxilium Chilperici insensati movit exercitum contra Carolum Martellum, et victus est ab eo in proelio, coepitque Carolus Martellus inimicum suum Chilpericum regem insensatum; sed inmemor maliciae suae reddidit ei regnum suum. Post Chilpericum regem insensatum regnavit solo nomine Theodericus insensatus consanguineus eius. Post Theodericum regnavit solo nomine Childericus insensatus frater eius, et defecit totum genus regale. Childerico insensato deposito de solio et facto clerico in monasterio, Franci cum consilio domni papae Zachariae et cum consilio nobilium Romanorum, Deo volente, uno consensu et una voluntate elevaverunt sibi in regem Pipinum Pium, filium Caroli Martelli. Hic Pipinus Pius fuit domni Caroli imperatoris Magni pater. Itaque post[d] Pipinum Pium regnavit domnus Carolus filius eius, quem postea Romani elegerunt sibi advocatum sancti Petri contra reges Langobardorum. Deinde ipsum domnum Carolum elegerunt sibi in patricium Romanorum. Deinde elevaverunt in imperatorem et augustum. Tenuitque domnus Carolus, Deo largiente, in potestate sua omnem terram de monte Gargano usque in Cordubam civitate Hispaniae. Pipinus vero Pius, pater domni Caroli, postquam elevatus est in regem, regnavit septem annos, et obiit septingentesimo sexagesimo octavo anno ab incarnatione Domini. Et ipso anno omnes Franci magno gaudio exultantes elevaverunt sibi in regem domnum Carolum Magnum anno ab incarnatione Domini 768. Sic enim computantur anni ab origine mundi usque ad incarnationem Domini secundum septuaginta interpretes. Ab Adam usque ad diluvium fiunt anni duo milia ducenti 42. A diluvio usque ad Abraham anni nongenti 42. De Abraham usque ad Moysen anni quingenti quinque. A Moyse usque ad Salomonem anni quadrigenti[e] 89. A Salomone usque ad restaurationem templi sub Dario rege Persarum anni quingenti 42. A restauratione[f] templi usque ad adventum Domini secundum septuaginta[g] anni quingenti 48. Et ab

a) ansegilus 1. b) *al. manu add.* 1. *deest* 2. c) ansegili 1. d) *deest* 1. e) *ita* 1. f) Ad restaurationem 1. g) ta u. q. *desunt* 1.

initio mundi usque ad incarnationem Domini secundum septuaginta interpretes sunt anni quinque milia 200. Secundum veritatem Hebraicam ita conputantur: Ab Adam usque ad Noe fuit prima aetas, et habuit annos mille et sexcentos et 56. Secunda aetas a[a] Noe usque ad Abraham habuit annos ducentos 92. Tercia aetas de Abraham usque ad David habuit annos 942. Et simul iuncti anni trium aetatum fiunt duo milia octingenti undecim. Quarta aetas a[b] David usque ad captivitatem in Babilone habuit annos quadringentos 63. Quinta aetas a[b] restructione templi usque ad adventum Domini habuit annos quingentos 80. Et fiunt simul ab Adam usque ad Christum dominum anni tria milia nongenti 52. A nativitate Domini usque ad transitum sancti Martini sunt anni quadringenti 45. A transitu sancti Martini usque ad transitum Clodovei regis Francorum, qui primus fuit christianus de regibus Francorum, sunt anni 112. A transitu sancti Martini usque ad transitum sancti Eparchii Egolismensis patroni sunt anni centum viginti. Natus est enim sanctus Eparchius tempore Merovei Francorum regis pagani, qui fuit avus Clodovei regis Francorum primi christiani, et in tempore Theodosii iunioris divi augusti imperatoris. Vixit per tempora Theodosii, Marciani, Leonis, Zenonis, Anastasii, et Iustiniani imperatorum, et per tempora regum Francorum, Merovehi et Childerici et Clodovei, et tempore Childeberti regis Francorum. Obiit tempore Iustiniani imperatoris et Childeberti regis Francorum, octogesimo anno aetatis suae. A nativitate Christi usque ad primum regni annum Caroli sunt anni septingenti sexaginta octo.

2. Anno igitur ab incarnatione Domini 768, ipso anno quo rex Pipinus Pius obiit, duo filii eius domnus Carolus et Carlomannus elevati sunt in regnum uno die simul, id est 7. Idus Octobris *etc. ut Ann. Lauriss. a. 768. sqq.*

(Ann. Laur. a. 769.) . . Et inde[12] sumpsit . . . simulque Launum episcopum eiusdem civi- 12
tatis, qui fuerat capellanus domni Pipini regis patris sui, quem ipse rex Pipinus episcopum fecerat de ipsa civitate . . . . . .

. . . rediit ad Egolismam, ubi postulante Launo episcopo fecit in monasterio sancti Eparchii auctoritatem praecepti de terris quae ibi sine contentione erant, id est super fluvium Tolveram Magnacum, Vivenacum, Vasnacum, Monterionem, Visacum, Roliacum, super fluvium Notram Baudidanem villam, Camilon, Cavannacum, Ulciacum, Roliacum minorem, Torciacum, Sertis, Tomolatum, super fluvium Dornoniam Montemvillam, Baciacum, Triacum, Marlevam[c]. Quod preceptum Bartolomeus cancellarius eius scripsit et ipse domnus rex manu sua firmavit et de anulo suo sigillavit. Erat eo tempore in ipso monasterio sancti Eparchii canonicalis habitus. Inde gloriosus rex Carolus reversus est in Franciam . . . .

8. *(Ann. Laur. a. 787.)* . . . . Et reversus est piissimus rex Karolus et caelebravit Romae pascha cum domno apostolico. Ecce orta est contentio per dies festos paschae inter cantores Romanorum et Gallorum[13]. Dicebant se Galli melius cantare et pulcrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas aecclesiasticas proferre, sicut
docti fuerant a sancto Gregorio papa[14]; Gallos corrupte cantare et cantilenam destruendo 14
dilacerare. Quae contentio ante domnum regem Karolum pervenit. Galli vero propter securitatem domni regis Karoli valde exprobrabant cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnae doctrinae eos stultos et rusticos et indoctos velud bruta animalia adfirmabant, et doctrinam sancti Gregorii praeferebant rusticitate eorum. Et cum altercatio de utraque[d] parte finiret, ait domnus piissimus rex Karolus ad suos

a) ad *corr.* a 1. b) ad 1. c) *ita 2. et Pith.; in 1. aliis erasis recentiori manu scriptum est:* M. et Baciaco cum suis attinentiis, *quod Duchesnius recepit.* d) *sic pro* neutra 1.

12) Egolisma. 13) cf. Monachum Sangallensem I. 10. Mon. SS. II. 735. et Capitulare ad Theodonis villam a. 805. cap. 2. Legg. I. 131. 14) cf. Iohannis vita Gregorii II, 6. qui II, 7. pergit: *Huius modulationis dulcedinem inter alias Europae gentes Germani seu Galli discere crebroque rediscere insigniter potuerunt, incorruptam vero tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali servare minime potuerunt. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia, susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant, quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus et repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia, rigidas voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat.*

cantores: *Dicite palam, quis purior est et quis melior, aut fons vivus aut rivuli eius longe decurrentes?* Responderunt omnes una voce, fontem velud capud et originem puriorem esse, rivulos autem eius, quanto longius a fonte recesserint, tanto turbulentos et sordibus ac inmundiciis corruptos. Et ait domnus rex Karolus: *Revertimini vos ad fontem sancti Gregorii, quia manifeste corrupistis cantilenam aecclesiasticam.* Mox petiit domnus rex Karolus ab Adriano papa cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum et Bênedictum Romanae aecclesiae doctissimos cantores, qui a sancto Gregorio eruditi fuerant, tribuitque antiphonarios sancti Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana. Domnus vero rex Karolus revertens in Franciam, misit unum cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate; praecipiens, de omnibus civitatibus Franciae magistros scolae antiphonarios eis ad corrigendum tradere et ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo viciaverat vel addens vel minuens; et omnes Franciae cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam, excepto quod tremulas vel vinnolas[15] sive collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces pocius quam exprimentes. Maius autem magisterium cantandi in Metis civitate remansit; quantumque magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenae, tanto superat Metensis cantilena ceteras scolas Gallorum. Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi. Et domnus rex Karolus iterum a Roma artis grammaticae et computatoriae magistros[a] secum adduxit in Franciam, et ubique studium litterarum expandere iussit. Ante ipsum enim domnum regem Karolum in Gallia nullum studium fuit liberalium artium. Per ipsos dies paschae venerunt Romam ad domnum piissimum regem Karolum missi Tassilonis ducis . . . . . Franciam cum gloria reversus est, adducens secum cantores Romanorum et grammaticos peritissimos et calculatores . . .

9. (*Ann. Laur. a.* 788.) . . . Similiter filius eius[16] Theudo iudicatus est, et monachi ambo facti sunt in Olto[17] monasterio, ubi sanctus Bonefacius requiescit . . . .

. . (*Ann. Laur. a.* 808.) . . . rex Nordanimbronum, id est de Irlandia insula[18] . . .

. . (*Ann. Laur. a.* 809.) . . . Aureôlus comes de genere Felicis Aureoli Petragoricensis comitis exortus . . .

. . (*Ann. Laur. a.* 814.) . . . Karolus . . . sepultus Aquis in basilica Dei genitricis, quam ipse construxerat. Corpus eius aromatizatum, et in sede aurea sedens positus[b] est in curvatura sepulchri, ense aureo accinctus, euangelium aureum tenens in manibus et genibus, reclinatis humeris in cathedra, et capite honestę erecto, ligato aurea cathena ad diadema. Et in diademate lignum crucis positum est. Et repleverunt sepulchrum eius aromatibus, pigmentis, balsamo et musco[c] et thesauris[1*]. Vestitum est corpus eius indumentis imperialibus, et sudario sub diademate facies eius operta est[2*]. Sceptrum aureum et[3*] scutum aureum, quod Leo papa consecraverat, ante eum posita[4*], et[5*] sigillatum est sepulchrum eius[d]. Nemo referre potest, quantus pro eo luctus fûerit per universam terram; nam et a paganis plangebatur quasi pater orbis[6*]. Obiit vero in pace, unctus oleo sancto et viatico munitus, anno octingentesimo quarto decimo anno incarnationis Domini, et regnavit gloriosissimus Ludovicus filius eius pro eo, regnante domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula seculorum. amen.

1* th. multis in auro 2.
2* Cilicium ad carnem eius positum est, quod secreto semper induebatur, et super vestimentis imperialibus pera peregrinalis aurea positum est, quam Romam portare solitus erat. *add.* 2.
3* et s. a. *desunt* 2. 4* p. sunt deponentia 2. 5* at clausum et s. 2.
6* Maximus vero planctus inter christianos fuit, et praecipue per universum regnum eius. Oleo sancto autem inunctus ab episcopis, et viatico sumpto, et omnibus suis dispositis, commendans Deo spiritum suum, obiit in pace anno 814. ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, qui vivit et regnat solus Deus in secula seculorum amen. 2.

a) maistros 1. b) positum *corr.* positus 1? c) musgo 1. d) eis 1.

15) *Vinnolata vox est lenis et mollis atque flexibilis, et vinnolata dicta a vinno, hoc est cincinno molliter flexo*, Isidor. Orig. III, 19. 16) Tassilonis. 17) *i. e.* Fulda. 18) Ita etiam a. 809. scribit: *Missi vero papae et imperatoris de Irlandis revertentes — a quodam regis Irlandi homine.*

LIBER III.[a]

1. Igitur postquam christianissimus gloriosus imperator Carolus mortuus est, nunciatum est Ludovico filio eius in Aquitania *etc. ut Ann. Laur.*

2. *(Ann. Laur. a. 816.)* . . . Ubi habito concilio, id est indictione decima, anno imperii sui tertio, ab incarnatione Domini 816. iussit fieri regulam canonicis excerptam de diversis patrum scripturis, decrevitque eam observandam a canonicis, ut sicut monachi respiciunt ad librum regulae sancti Benedicti, sic perlegant canonici inter se librum vitae clericorum. Quem librum Amalerius diaconus ab imperatore iussus collegit ex diversis doctorum sentenciis. Dedit ei imperator copiam librorum de palatio suo, ut ex ipsis ea quae viderentur congrua excerperet, et ita cum decretis episcoporum qui ibi fuerunt vita clericorum roborata est. Scripsit eidem imperatori supradictus Amalerius librum de officiis divinis et de varietatibus eorum et de ordine psalmorum iuxta clericorum usum antiquum . . . .

3. *(A. L. a. 817.)* . . . sinodum Aquis more solito habuit. Ubi[19] abbates regni sui convocavit, et ut regulam Benedicti observarent ammonuit, et abbatias omnes in sua manu revocavit, ut nemo comitum vel episcoporum eas inquietare potuisset, et abbates inter se quaedam capitula decernentes descripta recitaverunt coram imperatore, quae ipse manu propria roboravit cum episcopis qui aderant . . . .

4. *(A. L. a. 818.)* . . . Paucis diebus post pascha iudicati sunt coniuratores[b] cum rege Bernardo capitalem sententiam subire. Rex Bernardus cum impeteretur, ut oculis privaretur, ense stricto se defendens, quinque Francorum fortissimos occidit, et ipse vulneribus confossus mortuus est. Alii autem exorbati fuerunt . . . .

5. *(A. L. a. 819.)* . . . Imperatori ipsi porrexit librum valde mirabilem de theologia sanctae crucis Rabanus Magnentius, monachus doctissimus, magister Alcuini. Beda enim docuit Simplicium, et Simplicius Rabanum, qui a transmarinis oris a domno imperatore Karolo susceptus est, et pontifex in Francia factus, Alcuinum docuit, et Alcuinus Smaragdum imbuit, Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianensem, Theodulfus vero Heliam Scotigenam Engolismensem[c] episcopum, Helias autem Heiricum, Heiricus Remigium et Ucbaldum Calvum monachos heredes philosophiae reliquit.

6—10.

11. *(A. L. a. 826.)* . . . Eroldus . . . baptizatus est, fuitque filiolus imperatoris de fontibus . . . dedit ei imperator in filiolatu unum comitatum . . .

12—15.

16[d]. Anno[20] sequenti Normanni[1*] Herio insulam incendunt mense Iunio, et destituta est a generali monachorum habitatione; ibi fecerat domnus imperator Karolus monasterium sancti Filiberti[2*]. Tunc Odo[21] Aurelianorum comes[3*] cum Lanberto Nan- 830.

1* Normanni anno sequenti, cum timerent Saxoniam intrare, reflexis navibus ad mare Aquitanicum app. et Herio 2.

2* Tunc Ludovicus conventum generale tenuit in palatio Iogentiaco[22] in Lemovicino, et cum gloria magnam dedicare iussit basilicam Salvatoris regalem mense Octobris, et levatum corpus sancti Marcialis, anno incarnationis Domini 830; eodem mense positum est post altare Salvatoris ad criptam[e] maioris vitree, praesente ipso imperatore. Tunc hiemps asperrima fuit, et reversus imperator Franciam, post modicum tempus captus est in traditione a tribus regibus, filiis suis, Lothario, Ludovico et Pipino, et a Lothario missus est in carcerem[f] apud Sanctum Medardum, deinde apud Sanctum Dionisium, et expoliatus est ab imperialibus indumentis et nigra veste indutus. Et dum parvo post tempore Lotharius Viennam diu demoraretur, adgregati Franci Ludovicum a custodia carceris iuxta aulam sancti Dionisii eiecerunt, et invitum in regem iterum elevaverunt. Et ab eo die, quo sancti Marcialis corpus positum est ubi supra in basilica Salvatoris, usque ad eum diem, quo imperator restitutus est in regnum media quadragesima, post asperrimam hiemem incessanter diluvia aquarum et pluvie nimie increverunt. Ab ipso die serenitas in[g] Francia reddita est[23]; sed in Aquitania pluviae non defecerunt, quousque corpus sancti Martialis sepulcro pristino iterum reconditum est. *add.* 2.

3* qui favebat partibus Ludovici et frater eius Willelmus *add.* 2.

a) *deest rubra* 1. *Libri initium omisit* 2. *Distinctionem recepi ex* 3. b) coniurato 1. c) engolismensam 1. d) *Capitum divisionem institui portim* 3b. 3c. *secutus.* e) scriptam c. f) cārcem c. g) īcē c. cē *post deletis.*

19) V. Mon. Legg. I. 201. Canonicorum regula et Amalarii liber omnibus nota sunt. 20) *Anno — habitatione* ex Ann. Aquit. Mon. II. p. 252. 21) *Odo — sanctam Radegundem* ex Ann. Aquit. l. l. 22) Ioac. cf. Vita Hludowici c. 47. 23) V. Vita Hludowici c. 51. ad fin.

835. netensi comite[1*] congressus, occisus[2*] est. Et post annos quinque Rainoldus comes Arbatilicensis[24] mense Septembri cum Normannis in Herio insula dimicat et fugatus est.
836. Anno sequenti corpus sancti Filiberti de insula Herio effoditur 7. Id. Iun. et Burgundi-
838. am a monachis perfertur. Post alios duos annos Pipinus rex Aquitaniae, filius imperatoris, obiit, sepultus Pictavis apud sanctam Radegundem. Hic iussu patris fecerat monasterium sancti Iohannis baptistae Angeriaco[25], monasterium sancti Cipriani Pictavis, monasterium Brantosmense[26], et transtulit canonicalem habitum in monasticum in monasterium sancti Eparchii Engolismae, quibus monasteriis praefecit abbatem Martinum.
840. Tunc[3*] eclipsis[27] solis fuit, et domnus Ludovicus imperator obiit 12 Kal. Iul. anno ab incarnatione Domini 840. sepultus Metis apud sanctum Arnulfum. Remanserunt tres filii eius, Lotharius imperator[4*], Ludovicus rex Germaniae, Carolus Calvus rex Franciae et Burgundiae. Qui pro regno Aquitaniae[5*] inter se discordantes, bellum committunt in
841. Fontaneto[6*], quod est in Burgundia. Lotharius ex una parte cum exercitu Italiae, Karolus et Ludovicus ex altera cum[7*] Francis et Aquitanis[8*]. Et primum Lotharius victor fuit, sed subito Warinus dux cum Tolosanis et Provincianis superveniens[9*], bellum restauravit, et fugatus est Lotharius[28].

17. Anno secundo post mortem domni Ludovici et Carolus et Ludovicus regnum

1* qui Lothario favebat *add.* 2.

2* occisi sunt cum multis principibus Neustrie. Et Lotharius a Vienna reversus, voluit apud castrum Blesense cum patre suo confligere; sed impar viribus, supplex venit ad eum, et indulgentiam meruit, et restitutus est honori pristine. Similiter Ludovicus et Pipinus indulgentiam a patre acceperunt, et restituti sunt dignitati[a] solite. 2.

3* Tunc luctuosa mors Ludovici figurata est in aere. Nam sicut[b] astra in initio regni eius leticiam, ita imminente[c] morte eius triste portentum nuntiant. Dum enim in Aquitania primo inciperet regnare, vivente[d] adhuc Carolo patre eius, apparuit in luna plena signum crucis, in circuitu resplendens, feria quinta, prima aurora incipiente, pridie Nonas Iun. Eodem anno apparuit corona mirabilis in circuitu solis dominica die, hora quarta, 3. Septembris. Hoc significabatur, propagandam christianam religionem, et adornandum Christi cultum per ipsum
29 imperatorem. Anno[29] vero ultimo imperii sui eclipsis solis insolitum fuit vigilia ascensionis Domini[30], et stelle visae sunt sicut per noctem diu. Quod significavit[e], maximam lucernam christianitatis, id est ipsum imperium, extingui, et morte eius sibi traditum tenebris tribulationum involvi. Idem imperator, audita morte Pipini filii sui, decrevit, filium eius Pipinum
31 parvum educari penes se in Francia[31]. Emeno vero comes Pictavinus contra voluntatem imperatoris voluit elevare in regem Aquitanie filium Pipini. Hac de causa imperator motus ira Pictavis venit, et inde Emenonem expulit et fratrem eius Bernardum. Et Ramnulfum, filium Girardi comitis Arvernis, nepotem Willelmi fratris Girardi, comitem Pictavis praefecit; Turpionem vero comitem constituit Egolisme, et Raterium comitem praeposuit Lemovicae. Emeno quoque ad Turpionem fratrem suum sese contulit; Bernardus vero ad Rainaldum comitem Arbatilicensem. Imperator quoque filium suum Carolum Calvum in Aquitania regnare[f] fecit, et Pipinum parvulum secum adduxit Franciam ad nutriendum. Idem imperator mone-
32 tam Egolismensem et Santonicensem suo nomine sculpere iussit[32]. Burdegale quoque comitem Siguinum, et Sanctonico Landricum praefecit. Eodemque anno, quo eclipsis contigit supradictum solis, imperator apud Mogontiam civitatem egrotans obiit 12. Kal. Iulii, et Lotario
33 coronam imperialem et ensem aureum dimisit[33]; sepultusque est Metis apud sanctum Arnulfum, anno ab incarnatione Domini 840. 2.

4* Italiae *add.* 2. 5* et Franciae *add.* 2. 6* in Fontanetico campo 2. 7* Germanis et *add.* 2.

8* Actum et hoc praelium anno secundo post mortem patris eorum, id est 841. anno ab incarn. Domini. Et innumera strage peracta, victor extitit Lotharius. Sed 2.

9* super Lotharium irruit, et ingravatum est praelium, fugatusque est et victus Lotharius. Carolus et Ludovicus regnum aequo libramine partiti sunt sibi. Et in supradicto praelio occisis Raterio et Girardo, qui uterque erat genere Arvernis, extitit Willelmus comes, Lemovicae vero Raimundus. 2.

a) dignati *c.* b) sio *c.* c) *e corr. c.* d) uiuentes, *corr.* uiuente *c.* e) signuit *c.* f) ignare *c.*

24) d'Herbauge. 25) S. Iean d'Angely. 26) Brantôme. 27) *eclipsis* — 840. ex Ann. Aquitan. 28) cf. Ann. Aquit. h. a. 29) cf. Vit. Hlud. c. 62. 30) i. e. die 5. Mai, quo sol ecclipsim passus est. In vita Hludowici l. l. dicitur tertia die letaniae maioris, unde apparet, vitae scriptorem non diem S. Marci (25. Apr.) sed rogationum dies i. e. ferias 2. 3. et 4. (vigiliam) ante ascensionem Domini hoc nomine indicasse. 31) cf. Vita Hludowici c. 61. 32) cf. Gesta epp. Engol. c. 13. 33) Vit. Hludowici c. 63.

partiti sunt sibi. Et post duos annos venit imperatris[a, 34], mater Caroli Calvi, Turonis, 843.
obiit sepulta apud Sanctum Martinum. Ipso anno Rainoldus Arbatilicensis comes cum
Lanberto Nannetis comite congressus, occisus est[1*]. Et Nannetis eo anno a Wefaldingis
capta est, et Carolus Calvus primo Britanniam ferro et igni vastavit. Sequenti anno
Bernardus[2*] comes Pictavinus et Arveus[b] filius Rainoldi congressi cum Lanberto[3*] 844.
comite, occisi sunt. Alio anno Siguinus comes Burdegalensis et Sanctonicensis a Nor- 845.
mannis captus et occisus est, et Sanctonas a Normannis concremata est, thesauris eius
obtimis exportatis. Carolus iterum Brittanniam pergens, cum Nomentio[b*] duce dimicat,
et victor fuit, Nomentio fugato[4*]. His temporibus Normanni diffusi sunt per Aquita-
niam, quia duces eius inter se bellis deciderant, nec erat qui eis resisteret; et concre-
matae[5*] sunt ab eis Herio insula et monasterium Deas, Burdegala, Sanctonas, Engolisma,
Lemovicas, Parisius, Turonis, Belvacus, Noviomagum, Aurelianis, Pictavis, et innumera
monasteria et castella destructa.

18. Post mortem Ludovici imperatoris anno 8.[6*] Carolus Calvus Lemovicae conven- 848.
tum generalem[c] habuit tempore quadragesimae; ante cuius praesentiam Ainardus praefectus
monasterii sancti Marcialis, deposito canonicali habitu, monachus efficitur; similiter et
omnes canonici sancti Marcialis in monasticum habitum sponte sese transferunt, et dein-
ceps idem locus a monachis ordinatur. Iosfredus vero thesaurarius nolens relinquere
seculum, tutus[7*] a Stodilo episcopo, monasterium sancti Iuniani[35] et ecclesiam Cairoen-
sem[d, 36] depraedatione[8*] a iure sancti Marcialis subripuit, et hac occasione desciscere
fecit. Tunc sancti Martini monachi Turonenses, nemine cogente, ante corpus eiusdem
abiecto monachi scemate, scema induunt canonicale[9*]; sed mox in eis pestis[e] irruit, ut
una nocte omnes morerentur; et de relico a canonicis ipse habitatur locus. Carolus[37]
autem tercia vice Britanniam igni et ferro vastavit. Et dum in Aquitaniam regressus 850.
esset, Nomenoius dux Redonas civitatem et Nannetis capiens, destruxit eas[10*], et Bri-
tanniam repedat. Anno sequenti iubente Deo ab angelo percussus interiit. Et Carolus 851.
Calvus quarto Britanniam ingressus, cum Erispoio filio Nomenoi dimicavit[11*], et victor
extitit, sed magnam partem exercitus sui cum Viviano duce amisit[12*]. Et sequenti anno
Lanbertus comes Nannetensium[f] a Gauzberto Cenomannensium comite in bello[13*] occi- 852.

1* Britannia enim a filiis Ludovici se subtraxerat; ideo Franci et Aquitani cum Britonibus confligere coeperunt *add.* 2.
2* B. frater Emenonis et 2. 3* Namnetensi *add.* 2.
4* Anno[38] subsequenti Nortmanni Herio insulam mense Iun. concremant *add.* 2.
5* concrematus[39] est ab eis mense Maio Lucionnus et mense Iunio sancti Florentii monasterium, deinde concremate sunt ab eis Namnetis civitas, monasterium Deas 2.
6* et ab incarnatione anno 848. Ainardus princebs de basilica sancti Marcialis cum aliis omnibus canonicis, Deo inspirante, proiciunt arma secularia, et de canonicali habitu in monacorum habitum se ipsos mutant in eodem monasterio. Carolus enim Calvus conventum suum generalem habuit tunc Lemovice tempore quadragesime cum episcopis Aquitaniae et primoribus eius. Et residente Carolo Calvo in trono regali, Ainardus et omnes canonici sancti Marcialis prostraverunt se subito ad pedes eius, postulantes dare sibi licentiam, se fieri monachos in eodem loco. Rex vero Deo gratias agens, cum magno gaudio peticionem eorum adimplevit, et omnes episcopos et primores eorum voluntati inclinavit. Sed Stodilus episcopus Lemovicensis cum hoc graviter ferret[g], et inflexibilis solus maneret, tandem, rege cogente, consensit, victus muneribus. Et canonici ex se ipsis abbatem noluerunt[h] ad praesens habere, sed praeposuerunt sibi Odonem sancti Savini abbatem[i]. Iosfredus vero 2.
7* conductus 2. 8* et malo ingenio a iure et dominio 2.
9* c. sacramentis hoc firmato super corpus beati Martini. Et carnibus refecti, mox peste corrupti, mane facto in lectis mortui sunt reperti omnes a maiore ad minorem, et de 2.
10* muros et portas eorum 2. 11* XI. Kal. Septembr. *add.* 2. 12* Postquam vero reversus est 2.
13* Kal. Mai *add.* 2. *qui pergit:* Eodem anno mense Septembri Carolus 2.

a) *i. e.* imperatrix. b) arucus 1. *cod. Christ.* 692. b*) *ita c.* c) generale 1. d) cairoensam *corr.* cairoensem 1. e) pes 1. f) nannetansium 1. g) ferre *c.* h) uoluerunt *c.* i) abbatis *c.*

34) Quae sequuntur — *Deas Burdegala* omnia fere ex Ann. Aquitan. l. l. hausta sunt. 35) S. Iunien sur la Vienne. 36) de Queroir. 37) *Carolus* — *Gauzbertus comes . . occisus est* ex Ann. Aquitan. ex quibus etiam 2. not. 10* et 12*. 13*. hausit. 38) Haec quoque ex Ann. Aquitan. a. 846. sumta. 39) Ex Ann. Aquitan. a. 833.

ditur. Et Carolus quinta vice Britanniam devastavit, et Pipinum nepotem suum[1*] ad-
40 quirens, Britanniam sibi subiugavit, occiso Erispoio[40]. Rannulfus quoque comes Picta-
vensis et Raino comes Arbatilicensis, consanguineus eius, cum Normannis in Briliaco villa
dimicantes, fugati sunt, et Gauzbertus comes Cenomannensis insidiis Nannetensium[a] cir-
cumventus occisus est.

855. 19. Carolus vero 15. anno post praelium Fontaneticum[2*] in regem Lemovicae unctus
est[41] in basilica Salvatoris, et inde ingressus est Franciam. Post[3*] paucos dies[42] Lotharius
imperator[4*] monachus factus est, quia patrem in carcerem coniecerat. Quo mortuo, de
anima eius altercatio visa est[5*] inter angelos nequam et sanctos; demones autem frustrati
876. sunt. Parvo post tempore Ludovicus rex frater eius obiit, et Carolus Calvus in imperatorem
875. elevatus est. Quo tempore gravissime Normanni Aquitaniam affligebant[b], et Helias Scotigena
860. Engolismensis episcopus defunctus est[43], monasterium quoque beati Eparchii ab infestanti-
bus paganis[6*] desolatum est, ita ut ibi nullus monachorum habitaret, et hac de re canonica-
lis habitus ibi reverteretur, qui nuper exierat. Turpio vero cum rege Carolo abiens Franciam,
863. et inde regressus, non post multos dies cum[44] Normannis congressus, occidens eorum
regem nomine Maurum, ab eo ipse occiditur; et Emeno frater eius[7*] Engolismae comes
866. extitit, et ipse post biennium[c] cum Landrico Sanctonicensi comite confligens, interempto
Landrico, in castro Runconia[45] reducitur sautius, et octava die moritur; sepultus iuxta
basilicam beati Eparchii; et reliquid filium parvulum Ademarum nomine. Et Carolus
hoc audito, Vulgrimnum[d] propinquum suum, fratrem Aldoini abbatis, ex monasterio sancti
Dionisii direxit[8*], et praefecit eum Engolismae et Petragoricae, et Olibam statuit in
45 episcopatu[e] Engolismensi[9*]. His temporibus Fredebertus episcopus Frantiae[46] veniens
ad Sanctum Eparchium, construxit ibi ecclesiam in honore Salvatoris; sed corpus beati
viri levare non potuit, quod volebat transferre in eadem ecclesia. Ipsoque consecra-
tionis die post peractum sacrificium placida morte ante altare Salvatoris obdormivit in
Domino, et ibidem ante altare humatus est ab episcopo Oliba.

877. 20. Interea Carolo Calvo de seculo migrante, regnavit pro eo in Francia filius eius
Ludovicus Balbus; nec ultra imperium accepit aliquis de regibus Frantiae. Tunc Baioa-
rii et Alamanni ex gente eorum creaverunt sibi regem Hotonem, Longobardi similiter
ex gente sua regem Adalbertum, deinde Harduinum; et Romani de senatoribus suis

1* quem insidiis Britanni coeperant *add.* 2.

2* vivente Lothario imperatore fratre suo, L. u. est in regem super Franciam et Aquitaniam et Burgundiam in b. S., quae regalis appellatur iuxta basilicam sancti Petri, ubi corpus sancti Marcialis tumulatum[f] est, et inde 2.

3* Post quatuor deinde annos 2.

4* i. egrotans factus est monacus in Promia monasterio, pro eo quod patrem de imperio eiecerat et carceratum tenuerat 2.

5* a fratribus inter angelos malignos et benignos. Sancti angeli dixerunt: *Nos non misit Deus ad imperatorem sed ad monachum; vos accipite imperatorem, nos nobiscum ducemus monachum.* Angeli[g] sancti secum duxerunt animam, demones acceperunt corpus, et violenter a domo extrahere cunctis videntibus ceperunt, sed orationibus fratrum fugati evanuerunt. 2.

6* a Nortmannis 2. 7* e. dudum comes Pictavinus, tunc Egolisme 2. 8* d. in Aquitaniam 2.

9* Hic Vulgrimnus sepe a Carlomanno, et demum a Carolo Magno imperatore fratre eius missus fuit in Aquitaniae urbes una cum raimburgis propter iusticias faciendas. Eratque iam senex, quando eum Carolus Calvus fecit comitem supradictarum urbium. Venerunt cum eo a Francia duo filii, Alduinus[h] et Willelmus. Aginnum quoque urbem habebat, quam assumens vindicavit propter sororem Willelmi Tolosani, quam in matrimonium acceperat. Tenuit principatum in his tribus civitatibus per 17 annos. Hic multis praeliis — atque Odolricum. Quo tempore defuncto eodem Vulgrimno — vitam finivit. Reliquid vero Vulgrimnus filiis suis — et Aginnum. Interea Carolo Calvo — vel Minor. Tunc Franci coniurantes 2.

a) nannetansium 1. b) afligebant 1. c) biannium 1. d) uulgrinum 1. e) episcopatum 1. f) mamulatum c. g) Angelis c. h) alduinum c.

40) Anno 857. 41) cf. Ann. Lem. Mon. SS. II. p. 251. Non Carolus Calvus sed filius eius erat; unde quae alter cod. addit falsa esse apparet. cf. Ann. Prudentii a. 855. 42) Ipso anno neque post quatuor annos, ut 2. tradit, hoc factum esse, omnibus constat. 43) cf. Ann. Engol. Labb. I. p. 324. 44) *cum Normannis* – *occiditur* et *ipse* — *moritur* ex Ann. Aquit. a. 863. 866. 45) *Ranconia* in cod. Christ. 692. — *Rancogne* aut *Rancon;* cf. Besly hist. com. Pictav. p. 32. 69. et Valesius Not. Gall. p. 465. 46) Fortasse Basiliensis, qui occurrit a. 859. Bouq. VII. p. 582. Ochs Hist. Basil. p. 154.

elevaverunt in regno Albericum, cuius frater Octavianus papa ordinatus est. Defuncto rege Ludovico, regnavit pro eo filius eius Carolus cognomento Insipiens vel Minor[47]. Quo tempore defuncto Vulgrimno 5. Non. Mai, et sepulto iuxta basilicam sancti Eparchii[48], 885. v. 886. quinto anno post eum Oliba episcopus diem clausit, et Anatolus in loco eius 892. pontifex ordinatus, tercio anno vitam finivit[49]. Vulgrimnus autem multis praeliis laboraverat 895. frequenter cum Normannis, et hac de causa aedificaverat castrum Martiliacum[50], et Mastacium, ut esset munimen contra paganos. Miseratque in Martiliaco Rotbertum legis doctum, et cum eo Rannulfum[1*], quem fecit vicecomitem. Qui Ramnulfus habuit tres filios, Lanbertum et Arnaldum atque Odolricum. Idem vero Vulgrimnus filiis suis reliquid, Alduino quidem Engolismam, Willelmo vero Petrogoricam et Aginnum, quam assumens[a] vindicaverat propter sororem Willelmi Tolosani, quam in matrimonium acceperat. Tunc Franci coniurantes contra Carolum Minorem[2*], eiciunt eum de regno, et Odonem ducem Aquitaniae[51] in regno elevaverunt[3*]. Quo tempore Rodulfus rex Burgundiae 888. cum hoste fortissimo Lemovicinum appulit[4*], et congregati sunt contra eum innumerabiles hostes Normannorum, et commisso praelio in loco qui dicitur Ad-Destricios, usque ad internitionem devastati sunt pagani, et exinde[5*] fugientes, non ultra fiduciam praesumpserunt veniendi in Aquitaniam. Rodulfus autem gratias Deo, pro cuius amore animam suam posuerat, referens, cum magno triumpho regressus est[6*]. Et Normanni regressi, terram vacuam repperientes, sedem sibi in Rotomago constituunt cum principe suo Roso[52]. Qui factus christianus, captivos plures ante se decollare fecit 52 in honore quos coluerat deorum. Et item infinitum pondus auri per ecclesias distribuit christianorum in honore veri Dei, in cuius nomine baptismum susceperat.

21. Rannulfus quoque comes Pictavensis[53] habuit filium Eblum nomine. Qui Rannulfus consanguineus erat Willelmi nobilissimi comitis Arvernis. Summamque amiciciam cum eo et cum Roso principe Normannorum habuit. Et quia pugnator fortissimus erat,

1* qui cum eo venerat *add.* 2. 2* insipientem 2.

3* Hic Odo fuit filius Raimundi comitis Lemovicensis, et primo in Aquitania rex ordinatus est apud Lemovica, cuius civitatis monetam nomine suo sculpere iussit, quae antea nomine Caroli scribebatur. Constituit in ea urbe vice Fulcherium, industrium fabrum in lignis, et Lemovicinum per vicecomites ordinavit. Similiter et Bituricam, et secundo anno in Francia rex elevatus est. *add.* 2.

4* rogatu[b] Odonis regis; nam ipse Franciam tutabat 2. 5* qui exinde potuerunt evadere f. 2.

6* 2. *pergit:* Et Nortmannorum aliae cohortes Franciam superiorem devastantes, primum cum duce Bareto, deinde cum rege Astenco[54] oras maritimas desertantes, postquam desolaverunt terram 54 vicinam Francie, prostrati sunt a vicinis ducibus Francie. Deinde cum alia multitudine Nortmannorum Rodomum urbs, et vicine sibi civitates inventae vacuae, vindicate sunt ad habitandum a ducibus eorum, qui elevaverunt super se ex eorum gente regem nomine Rosum, qui sedem sibi in Rodomo constituit. Et factus christianus a sacerdotibus Francorum, imminente obitu in amentiam versus, christianos captivos centum ante se decollari[c] fecit in honore quae coluerat idolorum, et demum centum auri libras per ecclesias distribuit christianorum in honore veri Dei, in cuius nomine baptismum susceperat. Ramnulfus quoque Pictavensis et Ademarus filius Emenonis inimici erant pro urbe Pictavis; quam Ademarus nitebatur sibi vindicare pro patre suo Emenone. Hic vero Ramnulfus, ex coniuge legitima cum non haberet prolem, suscepit ex concubina filium Eblum nomine. Summamque habuit amititiam cum propinquo suo Willelmo comite Arvernis, et cum Roso principe Rodomi pactum firmavit propter metum Ademari. Hac de causa a rege Odone potius timore quam amore honorabatur. Dumque regalem aulam assiduaretur . . . .

a) assumaus 1. b) rogati *c.* c) decollocari *c.*

47) Karolus Simplex. Haec omnia vero valde esse turbata, neminem fugiet. 48) Ann. Lemovic. codicis regii Par. N. 3784. qui Chronico Aquitanico (SS. II. 252. 253.) notitias ex Ann. Lemovic. (SS. II. 251.) et S. Columbae (I. 102. 103.) petitas cum paucissimis aliis nullius momenti subiiciunt, a. 885. obitu Vulgrimni comitis Petragorici et Engolismensis indicato, haec addunt: *obiit II.* (III?) *Non. Mai. sepultus apud Sanctum Eparchium extra civitatem.* 49) cf. Ann. Engolism. a. 892. 895. 50) vulgo *Marcillac,* situm inter Carantonum et fluviolum qui in eum influit — Mastacium nunc *Matas* non longe a Martiliaco abest. — Vide Hadr. Valesium in Notit. Gall. BOUQUET. 51) Odonem numquam Aquitaniam tenuisse, constat; magis etiam a vero abhorrent quae addit 2. n. 3*. 52) qui alias Rollo. 53) *dux maximae partis Aquitaniae* Ann. Vedast. a. 889. — Filius erat Bernardi Gothiae marchionis qui anno 878. honoribus spoliatus est. BOUQUET. 54) Hastingus.

892. a rege Odone valde honorabatur. Et dum regalem aulam assiduaretur, veneno necatus[a], in extremis sancto Geraldo[55] ibi tunc presenti parvulum filium suum Eblum commisit tutandum[1*]. Ademarus autem, filius Emenonis, Santia[2*] in coniugio copulata, Alduino[b] et Willelmo familiarissimus existens, honore eorum acsi frater potiri videbatur. Qui a rege Odone vocatus ad palatium[3*], provectus est Pictavis comes. Regressusque a palatio sanctus Geraldus, clam subductum filium Rannulfi a Pictavis Willelmo, duci Aquitaniae comiti Arvernis, credidit nutriendum, cui propinquus erat. Eo tempore ipse
910 Willelmus, cum non haberet prolem, Cluniacum monasterium in fundo proprio, quod est in Burgundia, noviter fecit. Qui cum sororem suam in matrimonio desideraret coniungere sancto Geraldo, nullatenus quivit. Qui celibem vitam semper ducens, cum sepe ad copulam suaderetur amore filiorum, respondebat sanctus Geraldus: *Utile est*, inquit, *mori sine filiis, quam relinquere malos heredes.* Erat etiam Ademarus comes Pictavinus amator ecclesiae. Cumque prolem nec ipse haberet, una cum[c] uxore sua Santia de futuro seculo prospiciens sibi, concessit quaedam ex iure proprio ecclesiis Christi predia, sancto Carrofo[56] quidem Voertam, sancto Marciali Moltonnum, sancto Iohanni[57] Neiriacum, sancto Hilario[58] Corcolmum, sancto Eparchio Godorvillam. Eo tempore Ebo
917. Bituricus cepit aedificare cenobium Dolense[59] in honore Dei matris, quod postea integravit Rodulfus filius eius, ubi magnam cohortem monachorum congregavit regulariter degentem.

22. His diebus Hoto, rex Baioariorum, Longobardorum regnum sibi subegit[4*]. Simi-
962. liter, defuncto Alberico[5*], consensu Octaviani papae[6*] Romanorum imperator promotus
973. est. Quo defuncto, imperavit filius eius item Hoto. Francorum vero rege Odone obeunte, regnavit pro eo filius eius Arnulfus pauco tempore, et mortuus est. Iterum
898. Carolus Minor regnum suscepit, unxitque eum Arbertus episcopus[60]. Contra quem iterato Francorum proceres conspirati, eum regno pellentes, Rotbertum ducem pro eo[7*]
922. constituunt regem[8*]. Tunc inter se divisi sunt Franci, sed maior pars Rotberto fave-

1* 2. *add. quae partim supra leguntur:* Vulgrinus autem Aginnum vindicans propter sororem Willelmi Tolosani, ex qua supradictos duos susceperat filios, Egolismam et Petragoricas rexit perstrenuę, Aginnum per 26 annos, Egolismam et Petragoricam per 15 annos, et 16. anno post mortem Lotharii defunctus est[61].

2* filiam Willelmi, filii Vulgrimni, Santiam in c. copulavit[d] sibi 2.

3* Odone magno honore in palatium habitus, post mortem Ramnulfi 2.

62 4* defunctis regibus Adalberto et Arduino[62] *add.* 2. 5* rege Romanorum[62] *add.* 2.

6* Romam adgressus est, et clausa[e] est ei civitas, praeliumque ingens extitit inter Baioarios et Romanos. Et Oto victor ingressus urbem, coronatus est ab Octaviano papa et *add.* 2.

7* invitum *add.* 2

8* Nam[63] congregati in campo more solito ad tractandum de publica regni utilitate, unanimi consilio, pro eo quod ignave mentis erat idem rex, festucas manibus proicientes, reiecerunt eum, ne esset eis ultra senior, et solum eum in medio campo reliquerunt, separati ab eo. Cumque simul inter se coissent, supervenit comes Ugo, amicus regis, ignorans causam. Qua comperta, dixit Francis: *O fortissimi Franci, non bonum consilium egistis, quia seniorem vestrum inhoneste dereliquistis; cum eo pars magna Frantiae, et necesse est, si ita eum dimittimus, venire malum super nos. Sed adgrediar ego eum, et confodiam ferro. Melius enim est, ut occidatur, quam missus puniat nos.* Et citato equo, quasi occideret eum, mox ut ad eum pervenit, tale consilium dedit ei, dicens: *Ero nuntius tuus ad hos Francos ex parte tua, ut usque ad unum annum tantum sint*[f] *adhuc sub tua ditione, et si in hoc spatio non te viderint meliorari, discedant a te vituperatione tui.* Quod regressus confirmavit cum Francis, et iterum redierunt ad regem, et per illum annum amicos sibi rex assotiavit, cum quibus post

a) nectus 1. 2. b) A comiti Engolismensi et Guillelmo Petrogoricensi *cod. Christ.* 692. *et Chron. S. Maxent.* c) *bis duabus lineis scriptum* 1. d) soppulavit *c.* e) causa *c.* f) sic *c.*

55) Geraldus filius erat Geraldi comitis Lemovicensis et Adeltrudis. Monasterium Auriliacense fundavit a. 894, obiit a. 909. 56) Charoux in dioc. Pictav. 57) Angeriacensi; v. supra n. 25. 58) Pictaviensi. 59) Deols s. Bourgdieu in dioc. Bituricensi; dipl. fundationis v. Gall. christ. II, 43. 60) Arbertus episcopus, quem hic nobis obtrudit Ademarus, commentitius est et caeteris scriptoribus incognitus. BOUQUET. Etiam quae de Arnulfo dicit falsa sunt. 61) Haec valde confusa sunt. Vulgrimus obiit a. 885. aut 886. (Ann. Aquitan. et Ann. Engolism.) a. 866. ad comitatum promotus. Lotharius a. 855. decessit, cuius mortem etiam Ann. Aquit. perperam in a. 870. collocant. 62) Nota errores interpolatoris! 63) Haec fabulam redolere, iam Bouquet annotavit.

bat. Carolus denique, accito ab Hotone imperatore auxilio[63], cum multo exercitu partim
de 1* Baioaria partim de Frantia, regressus Frantiam, conserto praelio Rotbertum inter- 923.
fecit[64], regnumque recuperans, Hugoni filio Rotberti ducatum permisit regendum.
Carolo migrante, Ludovicus pro eo regnavit. Quo tempore Niceforus imperator Basilium 929.
et Constantinum parvulos educans Constantinopoli, Sarracenorum regnum invasit, et 936.
Antiochiam aliasque fortissimas civitates 2* expugnans, christianis Grecis restituit. 968.
Quem imperatris[a], mater Basilii, metuens, ne super filios suos tirannidem ageret, dolo
evocatum dum Tripolim obsideret 3*, dum in basilica palacii Constantinopolis genibus
curvatus sabbato sancto paschae[65] preces Deo funderet, gladio eum necare 4* iussit.
Quod factum diu latuit, donec suspecti satrapae Grecorum monumentum eius egerentes[b], 969.
confossum 5* gladiis corpus reppererunt.

23. Tunc Ademarus[66] comes Pictavensis defunctus est, et Pictavis iuxta basilicam 930.
sancti Hilarii 4. Non. Aprilis sepultus. Willelmus quoque dux Arvernis mortuus est[67], 919.
et filius Rannulfi Eblus 6* Arvernis et Pictavis simul comes promotus est 7*. Acceptamque in coniugium Adelam[68], filiam Rosi Rotomagensis, genuit ex ea Willelmum Caputstupae. Post mortem siquidem Vulgrimni filius eius Alduinus 30 annos vixit. Hic muros
civitatis Engolismae restaurare cepit. Quo tempore Gunbaldo 8* pontificatum agente, 916.
repetentes Normanni crebras irruptiones[c], per Pictavorum terminos 9* exercebant. Unde factum est, ut monachi sancti Carrofi 10* pretiosum lignum crucis ad custodiendum Engolismae deferrent cum diversis ornamentis ecclesiae. Et cessante infestatione Normannica, Alduinus in civitate sua retinere temptavit omnibus diebus supradictum sanctum lignum, nolens reddere commendatum. Hac de causa 11* iussit adornare ecclesiam Salvatoris foris

annum fiducialius se agere potuit, permanentibus prioribus in sua sentencia. Elevato enim Rotberto in rege, Carolus cum valida amicorum manu Lemovicam pervenit, et pervigil nocte prope fenestram sancti Marcialis perstitit in orationibus, quotquot potuit de Aquitania secum fortissimorum[a] bellatorum abduxit, et per Burgundiam ad Otonem imperatorem abiit, propter auxilium *add.* 2.

1* de Teodisca gente partim de Aquitania et Francia[d], regressus est Franciam, et commisit cum eo Rotbertus bellum. Caroli erat signifer Fulbertus comes; Rotbertus autem ipse vexillum sibi ferebat, deiecta barba canitię plena extra loricam, ut cognosceretur. Carolus rex Fulberto interminando ait: *Cave, o Fulberte.* Et inde[e] proverbium exiit: *Cave Fulberte.* Fulbertus Rotbertum regem per medium cerebri dividendo confodit, et exercitus Rotberti victus est. Et finito bello, pervenit Ugo, filius Rotberti, cognomine Capetius, et cum mille equitibus, et Carolum cum exercitu lasso fugavit, et postmodum suppliciter ad eum veniens, voluntati regis[f] assensit[69]. Nam Carolus regnum recuperavit, et ipsi Ugoni Capetio ducatum permisit, sicut solitus erat regere pater eius Rotbertus. Et de spoliis, quae ceperat Carolus, sancto Marciali, sicut voverat, direxit quedam, id est de capella Rotberti regis euangelium ex auro et argento, dalmaticam preciosam ex veste crisea, faltestalium argentatum, vestimentum integrum sacerdotale preciosum, duos libros divine historiae, librum preciosum de computo[g], vexillum ex veste auro texta unum. Ipso vero Carolo rege migrante, Ludovicus filius eius pro eo strenue regnavit 2.

2* c. usque Tripolim expugnans vi coepit et christianis 2.

3* mandaverat enim ei per epistolam, barbaros Constantinopolim obsedisse, quod falsum penitus erat *add.* 2.

4* eum quatuor servis suis transverberare iussit. Et omnibus proceribus Grecorum simulavit eum subito morbo extinctum 2.

5* diverberatum cadaver frameis repериunt 2 6* Eblus Manzer[70] 2.

7* a Carolo rege supradicto *add.* 2. 8* Oliba pontificatum adhuc a. 2. 9* per Aquitaniam 2.

10* adhuc vivente Vulgrino comite *add.* 2.

11* c. adhibitis a Francia architectis[h] iussit edificare ecclesiam in honore Salvatoris 2

a) imperatris *corr.* imperatrix 1. b) gerentes 1. c) inruptiones *corr.* irruptiones 1. d) in francia *c.* e) idem *c.* f regi *c.* g) compotu *c.* h) architestis *c.*

63) cf. Dudo supra p. 95. et quae dixi Iahrbücher I. 1. p. 57. 64) *die ascensionis Domini apud urbem Suessionis in quodam prato eidem urbi contiguo* add. Cod. Christ. 692; quod falsum est. 65) Mense Decembrio Nicephorum occisum esse constat; 2. sua ex ingenio addidisse videtur. 66) *Ademarus — sepultus* ex Ann. Aquit. a. 930. 67) v. Ann. Masciac. SS. III. p. 169. 68) Will. Gem. III, 3. Gerloc appellat; sed cf. diplomata Hlotharii regis apud Beslium hist. com. Pictav. p. 252. 259. 69) Omnia haec nimis a vero abhorrent. 70) i. e. spurius.

916. muros in capite basilicae sancti Eparchii, ubi sanctum lignum deputaret[1*]. Per annos vero septem langore corporis multatus est ipse, et in populo eius ita fames vehementissima grassata est, ut, quod actenus incompertum fuit, de vulgo unus alterum ad devorandum exquireret, et multi alios ferro perimentes, carnibus more luporum humanis vescerentur. Quibus actus Alduinus necessitatibus, uno ante mortem suam anno remisit Carrofo pretiosum lignum per manus filii sui Willelmi cognomento Sectoris-ferri, cum capsa aurea, quam ipse cum gemmis construi imperaverat, ubi contulit Lubeliaco villam; et mox cessavit plaga; et ipse post annum defunctus 6.[a] Kal. April. iuxta patrem tumu-
918. latus est. Post cuius mortem secundo anno occisi sunt a Bernardo in ultionem Santiae sororis suae, quam occidere conati sunt, Lanbertus[70] vicecomes Martiliacensis et Arnaldus frater eius. Willelmus autem Sector-ferri honorem eorum restituit Odolrico fratri eorum, qui minor natu erat, fuitque sibi vicecomes, sicut Ramnulfus fuerat Vulgrimno. Hic denique Bernardus, mortuo patre suo Willelmo, qui fuit frater Alduini ex Vulgrimno, comes Petragoricensis effectus est. Willelmus vero Sector-ferri Engolismae principatum obtinuit, et communem habuerunt totum honorem eorum ipse et Bernardus consanguineus eius. Adhemarus tamen supradictus, qui sororem Bernardi Santiam uxorem habuit, decem[71] annos supervixit Alduino. Santia vero vitam terminans 2. Non. April., humata est iuxta basilicam beati Eparchii.

940. 24. Eo tempore Gunbaldus episcopus decedens, successorem habuit Fulcaldum. Tunc Willelmus Sector-ferri et consanguineus eius Bernardus, adgregato[b] conventu nobilium, iterum restituerunt monasticum habitum in basilica beati Eparchii, praeficientes eidem monasterio Mainardum abbatem. Qui in fronte basilicae beati Eparchii construxit elegans oratorium in nomine sanctae Resurrectionis[2*]. Tunc domnus Willelmus[3*] per testamentum concessit ad eundem locum beati Eparchii donum, ecclesiam sancti Hilarii im Petragorico sitam in vicaria Piliacense[c], ecclesiam sanctae Eugeniae sitam in Santonico in vicaria Pedriacense, curtem Fradorevillam et villam Dairaco, villam Alviniaco, villam Romanorevilla cum ipsa ecclesia, mansum unum in Godorvilla. Quod testamentum confirmare iussit, et firmaverunt manibus propriis quorum nomina haec sunt: Bernardus comes, Arnaldus filius Bernardi, Odolricus vicecomes, Adhemarus vicecomes, Arnaldus filius Willelmi, Adhemarus filius Willelmi[4*]. Sancto Marciali dedit nichilominus Cantreciacensem ecclesiam in Engolismensi, pariterque Manauco ecclesiam in Lemovicino cum omnibus adiacentiis et massis[5*]. Iterio fideli suo[6*] de villa Boensi dedit cellam[d] Fruinensem[7*].

935. 25. Interea defuncto Eblo duce[8*], filiorum eius alter comes, alter episcopus factus est. Eblus enim, annuente Ludovico rege, pontifex Lemovicae factus est. Willelmus vero cognomento Caput-stupae[9*] Arvernis, Vallatis[72], Lemovicae et Pictavis comes provectus, dux Aquitaniae extitit. Hic germano suo[e] abbatiam sancti Hilarii ac sancti Maxencii cum nonnullis aliis possessionibus in Pictavensi solo praebuit. Fuit idem Eblus

1* 2. *add. quae iam supra c. 19. edita sunt:* simul et corpus sancti Eparchii ibidem transferret; et vocato a Francia Fredeberto episcopo consanguineo suo, fecit ipsam ecclesiam dedicare in honore Salvatoris. Corpus vero beati viri levare non valuit, quod volebat transferre in eadem ecclesia. Ipsoque consecrationis die post peractum sacrificium sollempne, missaque finita, placida morte ante altare Salvatoris obdormivit in Domino, et ibidem ante altare humatus est episcopus Fredebertus ab episcopo Oliba, qui et ipse post modicum obiit, ut iam dictum est. Alduinus vero comes per annos multos langore corporis multatus est.
2* et multa reliquiarum pignera, quae ab[f] Iherosolimis asportaverat, ibi recondidit *add.* 2. *cf. Gesta epp. Engol. c.* 19.
3* Sector-ferri *add.* 2. 4* eiusdem W. 2.
5* non enim habuit prolem ex legitima coniuge. Nam supradicti Arnaldus et Ademarus[g] ex concubinis ei nati sunt *add.* 2.
6* principi *add.* 2. 7* in Engolismensi cespite *add* 2. 8* comite Pictavino 2.
9* a rege supradicto *add.* 2.

a) VII. 2. b) adgregatu 1. c) p. et alias quam plurimas ecclesias *ita finiunt codd.* 3. Explicit hystoria Francorum 3c. d) cellem 1. e) suo Eblo *cod. Christ.* 692. *Chr. S. Max.* p. 202. f) ad *c.* g) aemarus *c.*

70) v. supra c. 20. 71) rectius 14; obiit enim a. 930. 72) in cod. 4. *Vellatis*, alibi *Vellaus*, hodie *Le Velay.*

bonus pastor ecclesiae[1*], aedificavitque castellum Lemovicae sedis, castellum sancti
Hilarii, et canonicos ibi disposuit, quia infestatione Normannorum idem locus a mona-
chorum prisca habitatione desciverat. Restauravit monasterium sancti Maxentii, et
castellum in circuitu perfecit. Restauravit et monasterium sancti Michaelis ad Eremum[73] 73
et multa alia laudabilia in opere Dei egit. Qui defunctus[74] sepultus est in basilica
supradicti monasterii sancti Angeli. Fuerat[2*] autem successor Turpionis episcopi, avunculi Rotberti[a] vicecomitis Albucensis. Fuitque idem Eblus a sancto Marciale tricesimus nonus episcopus, qui ad honus suum sufferendum ordinaverat sub se corepiscopum Benedictum. Qui postea captus a Helia Petragoricensi comite, oculis privatus est, et propterea Eblus nimio et intolerabili semper dolore afficiebatur[b] usque ad diem mortis suae; ipsum enim post se voluerat relinquere successorem. Idem Helias[3*], cum Geraldo vicecomite[4*] et filio eius Widone commisso praelio, victor extitit, et postea cum fratre suo Aldeberto in deceptionem captus est a Widone, et in castro Montiniaco in custodia coniectus. Sed cum suasu Willelmi ducis oculis privandus esset propter supradictum corepiscopum, Deo propitio, de custodia evasit, et non multo post in via Romae peregrinus in Dei opere obiit. Aldebertus vero frater eius plurimo tempore in turre[c] civitatis Lemovicae custoditus, tandem solutus est, accepta in coniugio sorore Widonis vicecomitis, ex qua filium genuit Bernardum.

26. Eo tempore, adhuc vivente Turpione episcopo, Odo et Teotolo[5*], canonici sancti Martini illustrissimi, adimplentes euangelicum praeceptum, derelictis omnibus, pauperes pauperem Christum secuti sunt, et Cluniaco sancto habitu ac vita induti sunt. Unde postea Dei nutu Odo abbas praefuit sanctissimus[6*], et post eum sanctus Maiolus. Teotolo, iubente abbate suo, archiepiscopus invitus consecratus est Turonis. Hic sanctissimus Odo et litteris adprime liberalibus eruditus et Dei amore flagrantissimus, exemplo et doctrina apostolicae regulae, quae est monachorum, extitit restaurator strenuus.

27. Tunc Roso defuncto[7*], filiûs eius Willelmus loco eius praefuit, a puericia bap- 931.
tizatus, omnisque eorum Normannorum, qui iuxta Frantiam inhabitaverant[d], multitudo
fidem Christi suscepit, et gentilem linguam obmittens, Latino sermone assuefacta est.
Willelmo ab Arnulfo Flandeiensi comite dolo interempto, filius eius Richardus succedens, 943
christianissimus factus, aedificavit in ea Normannia, quae antea vocabatur marcha
Franciae et Britanniae, monasterium sancti Michaelis de Monte, ubi monachos ordinavit.
Item monasterium Fiscannum[75] in honore summae Trinitatis, ubi sepultus est ipse, ubi
et monachos posuit. Francorum interea rege Ludovico vita exeunte, regnavit pro eo 954.
Lotharius, filius eius ex Girberga regina progenitus.

28. Quo tempore Fulcaldus episcopus Engolismensis, postquam praefuit 12 annis, 951.
defunctus est[8*], et successit in episcopatu Ebulus, qui et ipse 12 annis praefuit[9*]. 964.
Willelmus denique Sector-ferri, qui hoc coguomen indeptus est, quia commisso praelio cum Normannis, et neutro cedenti, postera die pacti causa cum rege eorum Storin solito[76] conflictu deluctans, ense corto[10*] durissimo per media pectoris secuit simul

1* et castellum sancti Stephani Lemovice sedis, quod Turpio episcopus antecessor eius magna ex parte a solo construxerat, hic ad perfectum integravit. Construxit a novo castellum Hilarii 2.
2* Antecessor vero eius Turpio, genere clarissimo, avunculus Rotberti vicecomitis Albucensis, in rebus Dei magnificus fuit, et Odonem abbatem Cluniacensis coenobii summo excoluit. Qui Odo reverentissimus, Turpione rogitante, vitam sancti Geraldi edidit, et librum de contemptu mundi perutilem composuit. Idem episcopus in vita sua multis claruit miraculis; et defunctus[e], Albutione[77] sepultus est in basilica sancti Valerici. Eblus autem 39. a beato Marciale episcopus fuit, et ad onus episcopale sufferendum ordinavit sub se corepiscopum Benedictum, quem ipse a puero nutrierat. Qui captus 2.
3* filius Bosonis Vetuli de Marca *add.* 2. 4* Lemovicensi *add.* 2.
5* Teotolo et Odo supradictus dum essent c. 2.
6* secundus a primo abbate eiusdem. Fuit enim primus Berno et secundus Oddo. Teotolo 2.
7* comite Rodomense *add.* 2. 8* et sepultus iuxta basilicam sancti Eparcii *add.* 2.
9* et tumulatus secus sancti[f] Eparchii basilicam *add.* 2.
10* c. nomine d. quem Walander faber cuserat *add.* 2. *cf. Gesta epp. Engol.* c. 19.

a) rorberti 1. b) efficiebatur 1. c) re 1. d) inhabitaverat 1. e) defunctis *c.* f) cum *c.*

73) S. Michel en Erm. 74) Quo anno non constat. 75) Fécamp. 76) i. e. singulari (*segulari* 2.). 77) Aubusson.

cum torace una; modo percussione claudens diem, sepultus est iuxta basilicam sancti
Eparchii. Et per 30 annos pro eo principati sunt Bernardus comes[1*], deinde filius eius
Arnaldus[2*], deinde Willelmus Talerandus[a], deinde Rannulfus Bomparius, tum Richar-
dus Insipiens. Arnaldus quidem subtrahens sancto Eparchio villam Salasensem[b], et
conferens Heliae duci villa Boensi, ab angelo percussus interiit, et hac de re in fine
mortis sancto Eparchio villam Aiarniacensem contulit pro emendatione[c], et sepultus est
962. iuxta basilicam sancti Eparchii. Mortuo fratre eius Willelmo, Rannulfus bello extinctus
975. est ab Arnaldo[3*] filio Willelmi Sectoris-ferri, qui pro patre suo in principatum Engo-
lismae successit et Richardum Insipientem expulit. Captoque[4*] in conflictu Gauzberto,
fratre Eliae comitis, suasus est a Willelmo duce, quo praeberet inimicum sibi. Et
Pictavis trusus Gauzbertus, in ultionem Benedicti corepiscopi oculis dampnatus est.

29. His temporibus Aymericus non monachus abbas sancti Marcialis, successor
c. 973. Gonsindi, moritur, et in fine monachus extitit, quia rex Ludovicus timens eius tiranni-
dem, honorem sancti Martialis ei commiserat, sacramento tamen iurare fecit, ut mona-
cus esset futurus. Hic Geraldum vicecomitem in manibus suis habuit commendatum[d],
et Bosonem Vetulum de Marca[5*]. Hic iuxta Cambonense[77] monasterium destruxit castel-
lum vi expugnatum Canboncasem, eo quod molestum erat hominibus monachorum.

963. 30. Interea defuncto Willelmo Capite-stupae et sepulto apud ecclesiam sancti
Cipriani, ducem pro eo filium eius Willelmum habuit Aquitania. Qui filiam Tetbaldi
Campanensis vocabulo Emmam uxorem accepit, genuitque ex ea filium Willelmum.
Rex autem Lotharius Lemovicam adiit, et tempus aliquantum in Aquitania exegit. Unde
985. revertens[e], veneno a regina sua adultera extinctus est. Filiumque reliquit Ludovicum,
987. qui uno tantum anno supervivens, et ipse potu maleficii[6*] necatus est. Regnum pro
eo accipere voluit patruus eius Carolus, sed non potuit, quia Deus iudicio suo meliorem
elegit. Nam[7*] Franci inito consilio eum abiciunt, et Hugonem ducem, filium Hugonis,
991. regem eligunt. Hac de causa episcopus montis Leudènensis Ascelinus[78] ebdomada maiori
ante pascha, in qua est cena Domini, velud Iudas Christum et ipse tradidit Carolum.
Qui Aurelianis in carcere trusus ad usque mortem, ibi genuit filios[f] Karolum et Ludo-
vicum, et mortuus est; et expulsi sunt filii eius a Francis[79], profectique sunt ad impera-
torem Romanorum et habitaverunt cum eo[80]. Sane dux Aquitanorum Willelmus repro-
bans nequiciam Francorum, Hugoni subditus esse noluit. Unde factum est, ut Hugo,
exercitu Francorum admoto, urbem Pictavis obsidione fatigaret. Dumque frustratus
recessisset, cum Aquitanorum manu Willelmus insecutus est eum usque Ligerim. Ubi
in gravi praelio[81] decertantes Francorum et Aquitanorum animositates, multo sanguine

1* Petragoricensis[g] *add.* 2. *cf. Gesta epp. Engol. l. l.*

2* cognomento Borracio *add.* 4. cognomento Boirratio, pro eo quia cum ipsa veste lupum diabolicum homines devorantem appetiit in campo loricatus et galeatus, et manibus gestans[h], militibus occidendum praebuit *add.* 2. *cf. Gesta epp. Engol.*

3* Manzere *add.* 2.; *cf. Gesta epp. Engol. quae add.:* „id est adulterino filio“.

4* Hic cępit in conflictu Gauzbertum clericum, fratrem Eliae comitis[i], quem reddidit Willelmo, filio Willelmi Capitis-stuppae, seniori suo, et pro ultione Benedicti corepiscopi oculis privandum consensit. Defuncto enim Willelmo Capite-stuppe, et — filium Willelmum *ut infra, ubi haec desunt.* His temporibus 2.

5* Hic construxit castrum Roncomum[82] *add.* 2. 6* a sua coniuge Blanca nomine *add.* 2.

7* Nam episcopus Ascelinus montis Leudenensis urbis ebdomada ante pascha post convivium in
83 lecto quiescentem eum dolo cępit, et consensu plurimorum Ugo dux, filius Ugonis Capetii[83],
in regem elevatus est. At vero Carolus in carcere usque ad mortem retentus est Aurelianis, ubi genuit 2.

a) talelerandus 1. b) salasensam *corr.* salasensem 1. c) emandatione 1. d) commandatum 1. e) revertans 1. f) filius *corr. ut videtur* filios 1. g) petrugcoricā ɔsis *c.* h) gestant *c.* i) comitu *c.*

77) Chambon. 78) cf. Richer. IV. 47. 79) Hoc post a. 1008. factum esse, ex charta conicitur, in qua legitur: *Actum a. i. D.* 1008. *regnante Roberto et Ludovico et Carloino;* quod monet Bouquet. 80) Ex ipsorum genere Thuringorum landgravios natos esse, multi sibi persuaserunt. 81) Hoc praelium (post eiusdem urbis obsidionem), quod a. 955. teste Flodoardo commissum est inter Hugonem Magnum patrem Hugonis Capetii et Willelmum Caput-stupae, male forsan hic refertur ad regem Hugonem et Willelmum supradicti Willelmi filium. BOUQ. CONT. 82) cf. supra c. 19 n. 45. 83) Iam supra c. 22. n. 1*. interpolator Hugonem Magnum hoc nomine appellaverat.

alterna cede fuso, superiores Franci extiterunt, et sic reversi sunt. Pacem postea Willelmus cum Hugone et filio eius Rotberto fecit. Et rex Hugo cogitans erga se Dei gratiam, quasi vicem rependens, defensor clementissimus ecclesiae Dei extitit. Nam ob hanc causam creditur progenies Caroli reprobata, quia iam diu neglegens Dei gratiam, ecclesiarum potius neglectrix quam erectrix videbatur. Beati ergo Dionisii coenobium, quod iam pristinam monasticam corruperat normam, rex Hugo regulari honestate, sicut in Dei oculis rectum erat, honestius restauravit per manus venerabilis Odilonis abbatis, 994. et alia sanctorum nonnulla monasteria in decorem[a] pristinae disciplinae revocavit[1*]. Eodem tempore gravissimum bellum inter Willelmum ducem et Gosfridum Andegaven- 986. vel sem comitem peractum est. Sed Gosfridus necessitatibus actus, Willelmo duci se sub- 987. didit, seque ei in manibus praebuit, et ab eo castrum Losdunum[84] cum nonnullis aliis in pago Pictavorum pro beneficio accepit.

31. Ea tempestate Hotone secundo mortuo, Hoto filius eius, tercius actu et nomine, 983. imperio potitus est. Qui philosophiae intentus, et lucra Christi cogitans, ut ante tribunal Iudicis duplicatum redderet talentum, Dei voluntate populos[2*] Hungriae, una cum

1* Per illos enim dies sanctus Maiolus Cluniacensis abbas, successor sancti Odonis, migravit ad Dominum in monasterio Salvinicensi[85], quod est in Arvernis territorio, et ibidem sepultus, miraculis fulsit, et successit invitus pro eo, electus tam ab ipso Odone quam a cuncta congregatione, Odilo supradictus *add.* 2

2* populos in circuitum ydolis deditos ad Dei cultum convertere studuit. Etenim erant ei duo episcopi reverentissimi, sanctus videlicet Adalbertus archiepiscopus de civitate Pragra, quae est in provincia Bevehem, sanctus etiam Brunus episcopus de civitate Osburg, quae est in provintia Baioario, consanguineus eiusdem imperatoris[86]. Nam sanctus Adalbertus parvus 86 statura, sanctus Brunus procero corpore erant. Et quandocumque sanctus Adalbertus in aula imperatoris interesset, nocte intempesta solus ad silvam abiens, ligna propriis humeris pedibus nudis deferebat, nemine sciente, ad hospitium suum. Que ligna vendens, victum preparabat sibi. Quod cum post multos imperator comperiens dies, eum[b] pro sancto duceret, die quadam solito locutus cum eo, dixit iocando: *Talis episcopus, sicut vos estis, debuisset pergere ad praedicandum Sclavorum gentes.* Mox episcopus pedes imperatoris deosculans, ait, se hoc incipere; nec postea imperator eum avertere potuit ab hac intentione; et rogante ipso episcopo, ordinatus est pro eo in urbe Pragin archiepiscopus, quem elegerat ipse, et libenter imperator assensit. Et preparatis omnibus necessariis, pedibus nudis abiit in Pollianam provinciam, ubi nemo Christi nomen audierat, et praedicare coepit euangelium. Quod exemplum eius secutus Brunus episcopus, petiit imperatorem, ut pro eo iuberet consecrare in sede sua episcopum, quem elegerat, nomine Odolricum[87]. Quo facto, et ipse humiliter abiit in provinciam Ungriam, 87 quae dicitur Alba Ungria ad differentiam[c] alteri Ungrie Nigre, pro eo quod populus est colore fusco velut Etiopes. Sanctus denique Adalbertus convertit ad fidem Christi quattuor istas provincias, quae antiquo paganorum errore detinebantur, scilicet Pollianam, Sclavaniam, Waredoniam[88], Cracoviam. Quas postquam fundavit in fide, abiit in provintiam Pincenatorum, ut eis praedicaret Dominum. Illa gens nimium idolis effera, post octo dies ad eos venerat et Christum eis adnunciare coeperat, nono die reperientes eum orationi incumbere, missilibus quam ferreis confodientes, Christi martirem fecerunt. Deinde secto capite, corpus eius in 997. lacum magnum demerserunt; capud autem bestiis in campum proiecerunt. Angelus autem Domini accipiens capud, posuit iuxta cadaver in ulteriorem ripam; ibi immobile et intactum[d] et incorruptum permansit, quousque negotiatores navigio per illum locum praeterirent. Qui auferentes sanctum thesaurum, patefeceruntque Sclavaniam. Quo comperto rex Sclavanie nomine Botesclavus, quem ipse sanctus Adalbertus baptizaverat, datis magnis muneribus, capud et cadaver excepit cum honore, et monasterium in eius nomine maximum construxit, et multa miracula fieri coeperunt per eundem Christi martirem. Passus est autem sanctus Adalbertus 24. die mensis Aprilis, id est nono Kalendas Mai. Sanctus autem Brunus convertit ad fidem Ungriam provintiam, aliam, que vocatur Russia. Regem Ungrie baptizavit, qui[e] vocabatur Gouz, et mutato nomine in baptismo Stephanum vocavit[89], quem Oto imperator in 89

a) decoram 1. b) cum c. c) differendam c. d) intactu c. e) quę c.

84) Loudon. 85) Silviniacensi; cf. Vitam Maioli a. Syro III. 19. 86) Brunonem fratrem Heinrici II. a. 1007. ordinatum et de Ungarorum conversione bene meritum cum altero Brunone, ipsi genti misso (cf. Iahrbücher I. 3. p. 166), eodem fortasse, qui Prussorum apostolus a. 1009. obiit, confundit. 87) De sancto Udalrico iam a. 973. mortuo cogitavit. 88) Quid hoc nomen significet, nescio. Fortasse pro: *Wenedoniam*? 89) Haec quoque valde sunt conturbata. Geisa, rex Ungarorum, filium habuit Stephanum, a sancto Adalberto baptizatum; ipsum eodem nomine appellatum fuisse, nemo tradit. Quae de Brunone dicuntur falsa esse, multi probaverunt; cf. Acta SS. Iun. VI. p. 221. Sept. I. p. 482.

rege eorum ad fidem Christi convertere meruit. Girbertus[90] vero natione Aquitanus[1*], monacus[2*] Aureliacensis sancti Geraldi ecclesiae[91], causa sophiae primo Franciam, deinde Cordobam[92] lustrans, cognitus[3*] ab imperatore, archiepiscopatu Ravennae donatus est.
999. Procedenti tempore cum Gregorius papa, frater imperatoris[93], decessisset, idem Girbertus ab imperatore papa Romanorum sublimatus est propter philosophiae gratiam, mutatumque est nomen eius pristinum, et vocatus est Silvester. Et praefectus Romae Crescentius cum contra Hotonem imperium Romanum vellet arripere, tandem coactus in turre, quae vocatur Inter-celis[94], diu evasit, sed expugnata ipsa turre, captus est insi-
998. diis suae coniugis, et patibulo suspensus est[4*], et pro eo planctus magnus[5*] factus
994. est. His[6*] diebus sanctus abba Maiolus Cluniacensis migravit ad Dominum, fuitque ei

natali protomartiris Stephani a baptismate[a] excepit, et regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sacram ubique, sicut ipsi imperatori mos est, et reliquias ex
95 clavis Domini et lancea sancti Mauricii[95] ei concessit in propria lancea. Rex quoque supradictus filium suum baptizare iussit sancto Bruno, imponens ei nomen sicut sibi Stephanum. Et ipsi filio eius Stephano Oto imperator sororem Eenrici, postea imperatoris, in coniugio dedit. At vero sanctus Brunus cum ad Pincenates properavisset, et Christum praedicare cepisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat sanctus Adalbertus. Nam Pincenati diabolico furore sevientes, viscera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt, et fortissimum
1009. Dei[b] martirem perfecerunt[96]. Corpus eius Russorum gens magno precio redemit, et in Russia monasterium eius nomini construxerunt, magnisque miraculis coruscare cepit. Post paucos dies quidam Grecus episcopus in Russiam venit, et medietatem ipsius provintiae, quae adhuc idolis dedita erat, convertit, et morem Grecum in barba crescenda et ceteris exemplis eos
973. suscipere fecit. Odolricus autem, qui sancto Bruno successerat, ad Dominum migrans, magnis virtutibus clarere meruit. Ideoque monasterium foris civitatem Osburg eius nomini construxit episcopus item Brunus, successor eius, frater Eenrici imperatoris. Eadem vero urbs apud Romanos vocabatur Valentina ab imperatoris nomine, qui eam condidit primus. Quibus diebus Oto imperator per somnum monitus est, ut levaret corpus Caroli Magni imperatoris, quod
97 Aquis humatus erat[97], sed vetustate obliterante, ignorabatur locus certus, ubi quiescebat. Et peracto triduano ieiunio, inventus est eo loco, quem per visum cognoverat imperator, sedens in aurea cathedra, intra arcuatam speluncam infra basilicam Marie, coronatus[c] corona ex auro et gemmis, tenens sceptrum et ensem ex auro purissimo, et ipsum corpus incorruptum inventum est. Quod levatum populis demonstratum est. Quidam vero canonicorum eiusdem loci Adalbertus, cum enormi et procero corpore esset, coronam Caroli quasi pro mensura capiti suo circumponens, inventus est strictiori vertice, coronam amplitudine sua vincentem circulum capitis. Crus proprium etiam ad cruris mensuram regis dimetiens, inventus est brevior, et ipsum eius crus protinus divina virtute confractum est. Qui supervivens annis 40, semper debilis permansit. Corpus vero Caroli conditum[d] in dextro membro basilicae ipsius retro altare sancti Iohannis baptistae, et cripta aurea super illud mirifica est fabricata, multisque signis et miraculis clarescere[e] coepit. Non tamen sollempnitas de ipso agitur, nisi communi more anniversarium defunctorum. Solium eius aureum imperator Oto direxit regi Botisclavo pro reliquiis[f] sancti Adalberti martiris. Rex autem Botisclavus, accepto dono, misit imperatori brachium de corpore eiusdem sancti, et imperator gaudens illut excepit, et in honore sancti Adalberti martiris basilicam Aquisgrani construxit mirificam, et ancillarum Dei congregationem ibi disposuit. Aliud quoque monasterium Romae construxit in honore ipsius martiris *add.* 2.

1* ex infimo genere procreatus *add.* 2. 2* a puericia *add.* 2.
3* cognitus a rege Ugone, Remis archiepiscopatu donatus est. Et iterum cognitus ab imperatore Otone archiepiscopus Ravenne[g] factus est, derelicto Remorum archiepiscopatu. 2.
4* iubente imperatore *add.* 2. 5* Rome *add.* 2. 6* His — virtutibus *desunt hoc loco* 2; *cf. c.* 30. *n.* 1*.

a) baptistmate *c.* b) deo *c.* c) coronatū *c.* d) condictum *c.* e) claresceret *c.* f) reliquis *c.* g) favenne *c.*

90) cf. Richer. III. 43. 91) Haec de ipso in chron. Aureliacensi (Mab. Anal. II. p. 240. ed. 2. p. 150.) leguntur: *Raimundus Caturcensis nobilis ex castro Saura nominato abbas eligitur, qui curat erudiendum Gerbertum[a], adolescentem obscuro loco natum; sed quia ingenio erat vafer, praeclarus in litteris evasit. Hic impetrata licentia propter aviditatem sapientiae multa circumibat regna, et ad notitiam imperatoris pervenit; qui eum Remis statuit episcopum, deinde Ravennae, postea in summum pontificem evexit. Hic multa bona contulit coenobio et misit munera Raimundo sodali, videlicet libros grammaticorum et expositiones in Hieronymum et Ambrosium.* 92) Hoc ex solo Ademari testimonio pendet. 93) minime, sed Ottonis ducis. 94) i. e. S. Angeli arce; cf. Liudpr. III. 44. 95) cf. Liudpr. IV. 24. 96) cf. Thietm. VI. 58. 97) Huic quoque narrationi fabulas admixtas esse, facile est intellectu; cf. Thietm. IV. 29.

a) Gerlentium *ed.* 1.

successor supradictus Odilo, non dispar virtutibus. Et Hugo rex Francorum, amator
sanctae ecclesiae et servantissimus aequi, mortuus est, et regnavit pro eo Rotbertus 996.
filius eius, vir clarae honestatis et magnae pietatis, ornamentum clericorum, nutritor
monachorum, pater pauperum, assiduus vere Dei cultor[1*], rex non tantum populorum
sed etiam morum suorum.

32. Hisdem temporibus rebellantes[a] Bulgari Gretiam valde exasperaverunt, et Basi- c.1000.
lius imperator super eos nimis irritatus, voto se obligavit Deo, monachum fieri, si
Grecis eos subderet. Et per annos 15 cum hoste super eos laborans, duobus magnis
praeliis victus est. Ad ultimum regibus Bulgarorum Samuele et Aaron[98] non publico 1014.
praelio sed astucia Greca interfectis, omnem terram eorum obtinuit, et fortissimas
civitates et castella confregit, Grecorumque praesidia contra eas ubique ordinavit, popu-
lumque Bulgarorum maxima ex parte captivavit. Et sicut voto promiserat, habitum 1018.
monasticum Greca figura subterindutus in reliquum est omni vitae suae tempore, a
voluptate et carnibus abstinens, et imperiali scemate extrinsecus circumdabatur. Deinde
Hiberiam repugnantem per annos septem ita edomuit, ut omnia ad nutum eius fierent. 1022.

33. Obiit quoque Richardus Rotomagensis, sepulturae traditus apud Fescannum, et 996?
pro eo successit Richardus filius eius. Hic prudentissimus et gloriosus in omnibus et 1002?
dilector ecclesiarum extitit. Hotho vero imperator hausu veneni[2*] periit sine filiis, et 1002.
pro eo consanguineus eius Heinricus imperium suscepit[3*]. Siquidem Arbertus[99] Coloniae
archiepiscopus[4*], expirante Hotone in partes Capuae, sceptrum et coronam cum lancea
sacra secum afferens, ab Hainrico insidiis circumventus captus est, et imperatoris priva-
tus ornamentis[1].

34. Quibus temporibus Aldebertus comes supradictus[2] Petragoricensis, filius Boso- 2
nis Vetuli ex sorore Bernardi supradicti nomine Emma, ad urbem Pictavis bellum intulit,
et victor extitit[5*], pro eo maxime quia inconsulto antequam deberent cives ei bellum
intulerunt. Urbem quoque Turonis obsidione affectam in deditionem accepit, et Fulchoni
comiti Andegavensi donavit; sed ille ingenio doloso[6*] civium amisit post paululum, et
iterum Odo Campanensis eam recuperavit[7*]. Dux vero Willelmus in monastico habitu
seculum derelinquens, humatus est apud monasterium sancti Maxentii, et principatum 993.
post eum strenuissime administravit Willelmus filius eius. Et Aldebertus, Gentiaco
capto castro et destructo, itemque a Willelmo[8*] reedificatum dum id ipsum obsedisset,
et secundo destrueretur, et securus[9*] circumequitaret ut iam victor, ictu sagittae mor-
tuus et Sancto Carrofo conditus est; et surrexit pro eo Boso frater eius. [Tunc Willelmus,
accepta in matrimonio Adalmode coniuge suprascripti Aldeberti[b]] Rotbertum regem
accersivit ad capiendum castrum Bellacum, quod tenebat Boso[10*]. Omnis Frantia bella-
trix eo conflixit[11*], sed frustrata post multos dies cum suo rege recessit. Ipso tempore
dum obsessum esset Widonis vicecomitis Procia[3] castrum a duce supradicto[12*] cum valida 3

1* in humilitate similis David regi *add.* 2. 2* in partes Beneventi *add.* 2.
3* Otonis[c] autem corpus delatum est Romam[d], et ibidem sepultus *add.* 2.
4* a. C. sceptrum et coronam cum lancea sancti Mauricii[e] secum ab imperatore defuncto in Baioariam detulit et consensu omnium episcoporum Eenrico tradidit. Stephanus etiam rex Ungrie bello appetens Ungriam Nigram, tam vi quam timore et amore ad fidem[f] veritatis totam illam terram convertere meruit. Quibus temporibus 2.
5* multa strage peracta *add.* 2. 6* vicecomitis et *add.* 2.
7* Qui cum eam obsideret, nequaquam rex Francorum ausus est eum provocare ad certamen, sed hoc ei mandavit: *Quis te comitem destituit?* Et Aldebertus remandavit ei: *Quis te regem constituit?* *add.* 2. et *Pith.* p. 82 *ex* 4.
8* Pictavino *add.* 2. 9* iam victor nudus armis circumequitaret 2.
10* Construxerat ipsum castrum Boso Vetulus in marca Lemovicina *add.* 2.
11* et Aquitania *add.* 2.
12* et aliis 4 comitibus *add.* 2. Procia in pago Byturicae a quinque comitibus cum innumerabili exercitu, bello eos appetit, et victor existens obsidionem disrupit. Comites fuerunt Willelmus dux, Arnaldus, Elias, Adelbertus, Boso *Pith.* p. 82 *ex* 4.

a) rebellantur *corr.* rebellantes 1. b) *Haec ex* 2. *suppleta; quaedam enim in* 1. *deesse apparet, quamvis haec, quae minus recte dicta esse Benedictini annotarunt, Ademaro obtrudere nolim;* accepta — Aldeberti *desunt etiam* 4. c) otois *c.* d) romē *c.* e) mauri *c.* f) fide *c.*

98) Aaron a Samuele iam antea occisus erat. 99) Heribertus. 1) cf. Thietm. IV. 31. Falsa 2. narravit. 2) c. 25. 3) Brosse in pago Bituricensi; cf. Aimoini Mir. S. Benedicti II. 11 sqq.

c.1000. manu, Wido [1*] obsessores bello appetit, et de eis magnam [a*] stragem dedit victor, obsidionemque disrumpit [a].

35. Arnaldus autem comes Engolismensis, pro Dei timore facto habitaculo monachorum in ecclesia Buxensi sancti Amancii [4], et ibi misso reverendo abbate nomine Francone, in aula sancti Eparchii factus monacus, sepultus est 4. Non. Mar. iuxta patrem [2*] suum. Et episcopus Aldegerius Lemovicae [3*] cum pretiosioribus indumentis
c. 990. sacerdotalibus ex aula sancti Marcialis abiit Franciam, et ibi vita privatus, sepultus est apud Sanctum Dionisium, et pro sepultura sua contulit pretiosa quae asportaverat a Sancto Marciale ornamenta. Successit pontifex Alduinus, frater eius, per manum Willelmi ducis, consecratusque est Engolismae ab [4*] episcopo Hugone. Arnaldus supradictus successorem sibi comitem reliquid Engolismae Willelmum filium suum. Preterea Fulcal-
964. dus [5] episcopus per 12 annos vivens, Rannulfum successorem accepit. Quo episcopo
973. existente per novem annos et mortuo [5*], supradictus Hugo episcopatum per 20 annos
993. optinuit, et [6*] post eum Grimoardus, deinde [7*] domnus Roho antistes gloriosus Engo-
1017. lismae refulsit [6]. His diebus pestilentia ignis super Lemovicinos exarsit. Corpora enim
994. virorum et mulierum supra numerum invisibili igne depascebantur, et ubique planctus terram replebat. Gosfridus ergo abbas sancti Marcialis, qui successerat Wigoni, et Alduinus episcopus, habito consilio cum duce Willelmo, triduanum ieiunium Lemovicino indicunt. Tunc omnes Aquitaniae episcopi in unum Lemovicae congregati sunt, corpora quoque et reliquiae sanctorum undecumque sollempniter advectae sunt ibi, et corpus sancti Marcialis patroni [b] Galliae de sepulchro levatum est, unde leticia inmensa omnes repleti sunt, et omnis infirmitas ubique cessavit, pactumque pacis et iusticia a duce et principibus vicissim [c] foederata est. Alduinus autem episcopus monasterium sancti
7 Stephani Agentense [7], quod Hildegarius ornate disposuerat in magna caterva monachorum, per triennium antequam moreretur [8*] destruxit, et canonicos ibi restituit. Hac de noxa Lemovicam intra urbem monachos in ecclesia sancti Martini regulae subditos adgregare curavit. Sepe idem Alduinus pro nequicia populi [9*] novam observantiam constituit, scilicet ecclesias et monasteria cessare a divino cultu et sancto sacrificio, et populum quasi paganum a divinis laudibus cessare, et hanc observantiam excommunionem censebat. Idem antistes, dum populus in quadragesima Evauno sua diocesi fame periclitaretur, ne mortem pro fame incurreret, indixit esum carnium, et ab omnibus illius oppidi ęsca sumptae sunt carnes; quibus penitentiam antistes ipse postmodum suasit. Frater vero eius Wido vicecomes Lemovicensis, dum comes Boso Romam abiret, nata occasione castrum extruxit a novo contra Brantosmense monasterium. Nec mora, reverso Bosone commissoque praelio [10*], Boso victor castrum destruxit, multusque sanguis in eo bello effusus est, et Wido vulneratus fuga lapsus est.

36. His temporibus episcopus Grimoardus, datis muneribus, a Willelmo comite sancti Eparchii monasterium expeciit et sibi vindicavit, et per multos annos sine abbate manere fecit [11*]. Omnes enim comites Engolismae a temporibus Childeberti regis Francorum, quo ipse locus fundatus est, advocati eius et defensores extitisse noscuntur et proviso-

1* cum Lemovicinis *add.* 2. 2* matrem suam 2. 3* successor Ebli *add.* 2.
4* ab archiepiscopo Burdegalensi Gumbaldo, et a Fronterio Petrugoricensi, et Abone Sanctonicensi, et Ugone Egolismensi, qui eum Lemovice intronizavit, primo in cathedra vectatoria apud ecclesiam sancti Gerardi, deinde in sede sancti Marcialis. At vero Arnaldus 2.
5* accepto iuxta basilicam sancti Eparchii quemadmodum [d] Fulcaldo [sepulchro] *add.* 2.
6* ipso sepulto apud Sanctum Eparchium in monastico habitu *add.* 2.
7* Deinde Roo (*corr.* Roho) episcopus 2. 8* suadente diabolo *add.* 2.
9* pro rapina militum et devastatione pauperum 2. 10* in campo Carracio *add.* 2.
11* et plures [e] possessiones eiusdem monasterii parentibus suis et aliis secularibus donavit et a loco alienavit *add.* 2.

a*) magnum 1. a) disrumrumpit *duabus lineis* 1. b) patronis 1. c) uicisim 1. viciis simphoderata 2. d) quem adm c. e) pluras c.

4) S. Amand de Boisse, cf. Gallia christ. II. 1035. 5) De Ebulo cogitasse videtur; cf. c. 28. 6) cf. hist. conc. Lem. a. 1031. (Concil. ed. Labb. IX. p. 879): *Nam et episcopus noster Engolismensis Hugo — qui ante hos 40 annos migravit, cuius successor ante hos quatuordecim est defunctus* etc. 7) Antimonasterium, *Emontiers* sive *Eymoutier*.

res, habentes pro offitio defensoris in beneficio villam Ranconiam. Tunc memoratus episcopus Aimerico germano suo duci Moxedanensi donavit in possessionem monasterium Tomolatense, quod actenus semper fuerat in dominio coenobii Engolismensis. Situmque est in territorio Petragoricensi, habens ecclesiam in honore genitricis Dei, ubi velut in proprio iure paterno sepulti sunt Felix Aureolus Petragoricensis comes, pater sancti Eparchii, et[1*] Principia mater eiusdem confessoris. Post non multos annos supradictus Aymericus ipsum locum dedit in beneficio ducibus suis, qui vocantur Infernales, et ita penitus ipsa possessio alienata est a iure antiquo sancti Eparchii. Processu temporis Wido vicecomes, capto Grimoardo episcopo, pro monasterio Brantosmense, quod ab eo in munere exposcebat, tenuit eum in carcere in turre Lemovicae. Et dimissus iuxta conditionem Widonis, Romam adiit, Girbertum papam interpellavit. Ibi Wido evocatus c.1003. est ad iudicium coram papa. Et cum ipso sacratissimo die paschae causa ventilata esset, et a senatu prolata sentencia iudicatum esset, ut omnis qui episcopum capit ad colla indomitorum equorum ligatus[a] pedibus disrumpatur et demum a feris dilaceretur, traditus mox est episcopo Grimoardo ad custodiendum, post diem tercium tradendus ad penam. Sed hi duo inter se concordantes, amici facti sunt, et ante diem condictum clam Roma egressi, reversi sunt ad propria.

37. Hainricus vero imperator cum Langobardos sibi repperiret contrarios, misso[8] Rodulfo rege Burgundiae[2*], Papiam obsedit et incendio tradidit, et palatium in ea sibi 1004. aedificavit, et rebellantes sibi servire coegit. Duces quoque Grecorum cum partes eius invaderent, ordinata expeditione oras Appuliae penetrans, tot dies expugnando civitates 1022. eorum ibi exegit, usquequo pestilentia exercitus eius laboraret[9] sicque reverteretur. Hic in terra Teodisca a novo civitatem aedificavit vocabulo Baenburg, quam Benedictus papa in honore Dei genitricis consecravit, et parroechias in circuitu ex paganorum vicis et oppidis, dum converterentur, attitulavit ad illam. Hic Cluniacensi coenobio contulit dona, sceptrum aureum, speram auream, vestimentum imperiale aureum, coronam auream, crucifixum aureum, pensantia[b] simul libras 100, et alia multa; et cum Odilone abbate eiusdem loci crebrius colloquium familiare exercebat, et in aula palatii sui eum prae omnibus ducebat[10].

38. Per haec tempora Ermengaudus comes Irgeldensis[11] post copiosos triumphos de Mauris et Sarracenis praelio inito ultimo, innumerabilem stragem Sarracenorum 1008? perficiens, dum victor regreditur[c], alium exercitum Maurorum offendit venientem. Quem cum paucis suorum lassis persequens, multos eorum occidit, et ipse cecidit. Caput eius Sarraceni pro magno thesauro secum asportaverunt. Quod aromatizatum rex eorum auro cooperuit et secum in praeliis semper ferebat causa victoriae[d].

39. Interea summae philosophiae abbas sancti Benedicti Floriacensis super Ligerim loci, nomine Abbo, Wasconiam iter faciens, per Engolismam transiens, mense Novembri in monasterio beati Eparchii hospitatus est. Veniensque ad Sanctum Petrum Regulatensis[12] ecclesiae, quae est possessio sancti Benedicti Francorum coenobii, ibi tumultu Wasconum occisus est; ibi sepultus, miraculis clarescere coepit. Virga eius pastoralis 1004. remissa est Frantiam. Bernardus Wasconiae dux necem tanti viri de interfectoribus eius punivit, alios suspendio, alios flammis tradens, et omnem illam possessionem Regulatensem[3*], quae ante in lite invadentium erat, sine lite dehinc monachis Francis sancti Benedicti paravit vindicandam. Rex autem Rotbertus pro defuncto ordinavit abbatem Gauzlenum, licet repugnarent monachi, nolentes sibi praeesse filium scorti. Erat enim ipse nobilissimi Francorum principis[13] filius manzer, a puero in monasterio sancti Bene- 13

1* et — sancti Eparchii *des.* 2. 2* nepote suo *add.* 2 3* cum ecclesia sancti Petri *add.* 2.

a) legatus *corr.* ligatus 1. b) pansentia 1. c) egreditur 1. d) v. Interea defuncta coniuge Guillelmi ducis, ex qua susceperat filium Guillelmum, idem dux sororem Sancii ducis Wasconum Briscam nomine in uxorem sibi copulavit, que ei Odonem genuit filium (*c.* 39 *fin.*) *explicit hist. Francorum in cod. Christ.* 692.

8) Hoc solus Ademarus. 9) cf. Ann. Quedlinb. a. 1022. 10) Chron. S. Maxentii (Labb. I. p. 206), quod haec exscripsit, add.: *Huic coniuncta fuit in matrimonium Alaidis nobilissima, quae construxit monasterium Paherne* (Paterniacum, Payerne) *in honore Dei genitricis Mariae semper virginis. Ex qua habuit filium, quem vocavit nomine suo Ainricum. Anno millesimo obiit Alaidis imperatrix;* quae nimis a vero abhorrent. 11) Urgel in Catalonia. 12) la Réole. 13) Hugonis Capeti.

dicti nutritus. Quem etiam rex supra scriptus archiepiscopum Bituricensibus fecit postea post mortem Dacberti archiepiscopi. Sed et ipsi quinquennio sedicionem agentes, noluerunt eum in civitatem recipere, dicentes una voce: *Non decet dominari ecclesiae filium*
1009. *scorti.* Postmodum tamen[1*] regis voluntas praevaluit, et Dei nutu in sede susceptus est. At Bernardo insidiis muliebribus[a], maleficis artibus corpore fatescente, vitae privato, Santius, frater eius, dux Wasconum extitit. Et defuncta coniuge Willelmi ducis[2*], ex qua susceperat filium Willelmum, idem dux sororem Santii Briscam in uxorem copulavit sibi, quae ei Odonem genuit filium.

998. 40. Per idem tempus mortuo Gosfrido abbate sancti Marcialis, et succedente pro eo Adalbaldo regularis meriti, et Widone et Alduino episcopo fratre eius revertentibus propere ab Hierosolimis, sepulchrum sancti Eparchii clarere innumeris coepit miraculis plus solito. Et visio manifesta patefacta est Fulcherio abbati sancti Carrofi et monachis, ut sanctum lignum crucis ad tumulum deferrent beati Eparchii. Quod conventu sollempni peractum est, et abbate Raginoldo Engolismensi procurante, exceptum est sanctum lignum in basilica beati Eparchii in die eius festivitatis, die primo mensis Iulii; et adimpletis, quae divina ordinaverat pietas, monachi sancti Carrofi valedicentes fratribus Engolismensibus, cum sancto ligno gloriose remeant[3*].

41. Comes denique Engolismae Willelmus, copulata sibi in coniugio Girberga, sorore comitis[4*] Fulconis, filios ex ea suscepit Hilduinum et Gosfridum. Dux vero Aquitanorum, comes Pictavinus, iam dictus Willelmus gloriosissimus et potentissimus, extitit cunctis amabilis, consilio magnus, prudencia conspicuus, in dando liberalissimus, defensor pauperum, pater monachorum, aedificator et amator ecclesiarum, et praecipue amator sanctae ecclesiae Romanae. Cui a iuventute consuetudo fuit, ut semper omni anno ad limina apostolorum Romam properaret, et eo quo Romam non properabat anno, ad Sanctum Iacobum Galliciae reconpensaret iter devotum. Et quocumque iter ageret, vel conventum publicum exerceret, potius rex quam esse dux putabatur, honestate et claritudine qua affluebat honoris. Non solum vero omnem Aquitaniam suo subiecit imperio, ut nemo contra eum levare manum auderet, verum etiam regem[5*] Francorum sibi habuit complacitum. Immo Hispaniae regem Adefonsum, regemque Navarrae Santium, necnon et regem Danamarchorum et Anglorum nomine Canotum, ita sibi summo favore devinxerat, ut singulis
13 annis legationes eorum exciperet pretiosis cum muneribus[13], ipseque pretiosiora eis remitteret munera. Cum imperatore Hainrico ita amiciciis copulatus est, ut muneribus alterutrum se honorarent. Inter multiplicia denique munera dux Willelmus ingentem ex auro purissimo ensem direxit ei, in quo ense litterae signabantur legentes: *Hainricus imperator cesar augustus.* Romani pontifices eum venientem Romam sic reverenter excipiebant, acsi esset eorum augustus, omnisque Romanus senatus patrem eum sibi adclamabat. Cumque comitem Andegavensem Fulchonem in manibus suis commendatum
14 haberet, concesserat ei pro beneficio Losdunum[14] cum aliis nonnullis castris in Pictavorum solo, Santonas quoque cum quibusdam castellis. Idem dux si clericum sapientia ornatum videret, summo eum excolebat. Unde Rainaldum, cognomento Platonem, monachum pro sapientiae ornatu praefecit abbatem ex coenobio sancti Maxentii. Episcopum quoque Carnotis Fulbertum, sapientia comptum, a Frantia evocatum donavit thesauraria
15 sancti Hylarii[15], et penes se reverendum exhibuit. Aliquando esse vix inveniebatur sine

1* sequestro Odilone abbate 2. 2* Pictavensis *add.* 2.
3* Denique hoc crucis lignum de cruce dominica extat, quod Iherosolimorum patriarcha regi Magno Carolo direxerat, et idem imperator in eadem basilica, quam condidit Rotgerius comes
16 Lemovicensis in honore Salvatoris[16], reposuit. Locus autem antiqua sermone Gallorum Carrofus vocitabatur propter carrorum confinia, id est veiculorum publicorum, et deinceps pro reverentia crucis Sanctum Carrofum appellari placuit. *add.* 2.
4* Andegavensis *add.* 2. 5* F. r. amicissimum habens, prae ceteris ducibus in eius palatio honorabatur 2.

a) mulieribus 1.

13) cf. Hist. Concil. Lemov. a. 1031. (Labb. Conc. IX. p. 882): *Ante hos septem annos rex Anglorum duci Aquitaniae regalia munera misit simulque codicem literis aureis scriptum, in quo nomina sanctorum distincta cum imaginibus continebantur* etc. 14) cf. c. 30. 15) cf. Fulb. epist. 128. etc. 16) cf. dipl. Rotgerii Mabillon. Ann. II. p. 711.

aliquo episcoporum. Monasterio Lemovicensi beati Marcialis dedit ecclesiam in Alniensi[17], quam et pater eius eidem monasterio ante dederat, scilicet Anesio, quae est in honore sancti Petri. Coenobio Cluniacensi, et cenobio sancti Michaelis[a] ad[b] Clusam[17*] in Italia, et multis aliis per Burgundiam et Aquitaniam monasteriis Dei, iuxta oram maritimam plura in reditibus dona terrarum ad copiam supplementi servorum Christi delegavit. Amplectebatur[c] maximo affectu honoris[d] regulares monachos et abbates, et eorum consiliis nitebatur in administratione regni. Unde et domnum Odilonem, Cluniaci abbatem, copiosis muneribus sibi attraxit, contemplatus in eo templum Spiritus sancti[1*], coenobiaque suae ditionis nonnulla eiusdem magisterio tradidit. Fecit idem dux a novo coenobium nobile 1003.
Malliacense[18] territorio Pictavensi. Itemque ingens coenobium Burguliense[19] in cespite Andegavensi, in fundo proprio, una cum matre sua Emma[e], sorore Odonis Campanensis. In quibus coenobiis regulares monachos adgregavit plures, qui die noctuque Deo laudes persolverent, eisque ordinavit ferventissimum in sancto proposito et disciplinae celestis fortissimam columpnam abbatem Theodelinum[2*]. Sane multoties, qui ei rebellare conati sunt Aquitanici primores, omnes vel edomiti vel prostrati sunt. Unde cum obsideret Rocameltim[20] comes Boso vicinum Sancto Carrofo, cum multitudine fortium contra eum 20
aciem struxit, et commisso bello, dux[3*] victor extitit, et repetita obsidione[4*], vi castrum cepit. Habebat secum magni consilii virum, comitem Engolismae Willelmum, cuius maxime consilio pendebat. Qui ita se invicem dilexerunt semper, ut esset eis[5*] anima una. Blaviam[21] denique castrum cum expugnaret comes Engolismensis, ducem ipsum secum habuit, et magna fortitudine ipsum castrum accepit, et a duce ipso accepit in beneficio haec[6*]: vicecomitatum Mellensem et Oenacensem et Rocacardensem honoremque[22] Caban- 22
nensem et Confolentis, Rofiacum quoque, et multa alia[7*].

42. Hic temporibus Alduinus episcopus, adducto secum duce Willelmo, extruxit castrum Belloiocum secus monasterium sancti Iuniani contra Iordanum principem Cabannensem. Reversoque duce, Iordanus praeparatur cum electis vel ad castrum expugnandum vel episcopum debellandum. Episcopus, adgregata armatorum immanitate, habito in auxilio fratre Widone, occurrit ei, et grave ortum est praelium tempore durioris hiemis. Plurimus sanguis effusus[8*]; victor Iordanus cum pluribus principibus captis revertitur. Iamque securus, casu ab ignoto milite[9*] impetitus a tergo, percussus interit, et qui a suis capti tenebantur, mox pro eo confossi telis, animas emiserunt. Pro quibus gravior luctus extitit, quam antea pro in bello prostratis fuerat. Iordanus quoque, manzer frater defuncti, post modicum captum fratrem episcopi Aymiricum tandiu vinculatum tenuit, quousque castellum destrueretur supra memoratum.

43. Per hos dies Gosfridus, abbas sancti Marcialis, successor Adalbaldi, accito Bosone comite, cum militari magna manu[10*] corpus sancti Walerici ab ecclesia, quae iniuste sancto Marciali abstollebatur a quibusdam principibus[11*], secum detulit Lemovicam. Ubi tandiu reliquias eiusdem confessoris[12*] tenuit, quoad cognoscerent et exhiberent principes malefactores rectitudinem sancti Marcialis. Sicque possessione[13*] recuperata, restitutum est sanctum corpus supradicto loco, et in praesentia Willelmi ducis[14*] monastica ibi est ordinata disciplina.

1* seque ei in manibus commendatum tradidit *add.* 2.
2* Teelinum, qui ex Iudaeis conversus fuerat 2.
3* primum Boso, deinde Willelmus vicit, et *add.* 2. 4* ac Bosone fugato *add.* 2.
5* in duobus corporibus *add.* 2. 6* accepit illud in beneficium cum his rebus. Scilicet v. 2.
7* simulque in Alniensi plura *add.* 2.
8* fugati Lemovicini cum episcopo et vicecomitibus suis *add.* 2.
9* a milite, quem ipse prostraverat, a tergo in cervice percussus 2.
10* noctu Montanam abiens *add.* 2. 11* quam incole principes sancto Marciali abstollebant 2.
12* in monte Gaudii *add.* 2. 13* non sine magna redemptione *add.* 2.
14* et Girardi episcopi Lemovicensis *add.* 2.

a) Martialis *Besly* p. 366. b) *deest* 1. 2. c) amplectabatur 1. d) honori 1. e) Adala christianissima quae extitit soror Richardi comitis Rotomagensis *Pith.* p. 80. (*ex cod.* 4.)

17) pagus Alniensis, *pays d'Auny*. 17*) in monte Cinisio. 18) Maillezais. 19) Bourgueil-en-Vallée. 20) Rochemeau. 21) Blaye. 22) honor idem fere quod comitatus, vicecomitatus aut eiusmodi potestas.

44. His diebus vicecomitissa Lemovicae Emma circa festivitatem apostolorum et sancti Marcialis oratum abiit ad Sanctum Michaelem Heremum, et noctu ibi a Normannis captivata, per tres annos exul trans mare est retenta. Ex thesauro sancti Marcialis infinita auri et argenti pondera pro redemptione eius data sunt, simulque imago aurea sancti archangeli, et alia copiosa ornamenta, quae omnia Normanni auferentes, mentita fide mulierem non reddiderunt, donec post multos dies Richardus comes Rotomagensis eam ingeniose per legatos ultramarinos adquireret et viro suo Widoni liberam redderet.

45. Bosone interea comite veneficiis uxoris suae necato, et Petragoricae sepulto, et urbe ipsa a Willelmo duce capta, tutor filiorum eius et nepotis fuit idem dux. Et
23 filio Bosonis Heliae concessa urbe Petragorica, Bernardo filio Hildeberti[23] reddidit marcham. Et donec viriles annos attingeret aetas Bernardi, iniunxit eam regendam fortissimis principibus, duobus germanis, Petro abbati Scotoriensium canonicorum[24], et Umberto Druto. Quorum pater Abbo Drutus castrum Bellacum[25] contra regem Rotbertum fortissime defendit[1*]. A quibus duobus fortissime marcha defensa est, quousque Unbertus obiret. Petrus abbas singularem principatum optinens, habebat sibi fidelissimum profundissimi consilii Ainardum praepositum[2*], habentem duos fratres Abbonem et Raimundum, strenuissimos duces, corpore robustos, animo bellicosos, quorum soro-
26 rem Aldeardem accepit in matrimonium Raimundus Cabannensis, abnepos[26] Turpionis episcopi, frater Adalberti decani incliti et prepositi ex monasterio sancti Marcialis; genuitque ex ea filium Ademarum Engolismensem[a] monachum, qui haec scripsit. Vivente enim supradicto Ainardo, abbas[b] Petrus rem publicam optime amministravit, et invidos suae gloriae conpressit. Nam eo Romae mortuo, et Raimundo fratre eius Hierosolimae defuncto, et Abbone infirmitate gravato, inclitus Petrus, neminem fidelem consiliarium habens, dum ad suum temere facit arbitrium omnia, et inter suos terribilis ut leo videtur, castrum proprium Mortemarense[30] concremat, contradicente consilio suorum, et huius rei occasione propinquis eius et principibus marchionibus cum Bernardo comite et Willelmo duce, quasi tirannidem praesumeret, in eum insurgentibus, paulatim ex potestate marchionum eiectus est. Qui a Hierosolima reversus, in basilica sancti Stephani Lemovicae sedis pristinum honorem continens, et ecclesiarum et villarum multa possessione ex paterna fruens hereditate, et magnae catervae militum, qui eius beneficia habent, imperans, a curis secularibus magna ex parte ereptus, et liberius Deo vacat, et maiori quam ante securitate et gloria pollet[27].

1010. 46. His temporibus signa in astris, siccitates noxiae, nimiae pluviae, nimiae pestes, et gravissimae fames, defectiones multae solis et lunae apparuerunt, et Vinzenna fluvius[28] per tres noctes aruit Lemovicae per duo milia. Et supradictus monachus Ademarus, qui tunc cum avunculo suo inclito Rotgerio Lemovicas degebat in monasterio sancti Marcialis, experrectus in tempesta noctis, dum foris astra suspiceret, vidit in austrum in altitudine celi magnum crucifixum in ipso celo[3*] et Domini pendentem figuram in cruce, multo flumine lacrimarum inlacrimantem[4*]. Ipse autem qui haec vidit attonitus nichil aliud potuit agere, quam lacrimas ab oculis profundere. Vidit vero tam ipsam crucem quam figuram crucifixi colore igneo et nimis sanguineo totam per dimidiam noctis horam, quousque celo sese clauderet. Et quod vidit semper in corde celavit, quousque hic scripsit, testisque est Dominus, quod haec vidit.

29 47. Eo anno Hilduinus[29] episcopus Iudeos Lemovicae ad baptismum conpulit, lege prolata, ut aut christiani essent, aut de[c] civitate recederent, et per unum mensem doctores divinos iussit disputare cum Iudeis, ut eos ad fidem cogerent[5*]; et tres vel

30 1* Hic Abo consensu Aldeberti comitis castrum Mortemarense[30] construxit in fundo proprio. *add.* 2.
2* p. ex monasterio sancti Petri Scotoriensi. Qui Ainardus habuit duos 2.
3* quasi confixum in celi 2. 4* plorantem. Qui autem hec 2.
5* eos ex suis libris revincerent 2.

a) engolismense 1. egolismense 2. b) ainardo abbatis. petrus 1. c) deuitate 1.

23) idem qui supra c. 34. Aldebertus; ita etiam Alduinus et Hilduinus, Aldegarius et Hildegarius eadem sunt nomina. 24) le Dorat. 25) cf. c. 34. 26) pronepos; cf. praef. n. 2. 27) De mortis tempore nihil constat. 28) la Vienne. 29) Alduinus. 30) Mortemart.

quatuor Iudei, christiani facti sunt. Cetera autem multitudo per alias civitates diffugere 1010. cum uxoribus, liberis festinavit[1*]. Ipso anno sepulchrum Domini Hierosolimis confractum est a paganis[2*] 3. Kalendas Octobris 1010. anno ab incarnatione eius. Nam Iudei occidentales[3*] epistolas miserunt in Orientem[31], accusantes christianos, mandantes 31 exercitus Occidentalium[4*] super Sarracenos orientales commotos esse. Tunc Nabuchodonosor Babiloniae[32], quem vocant Admiratum, concitatus suasu Sarracenorum[5*] in iram, 32 magnam afflictionem super christianos exercuit, data lege, ut quicumque christiani de sua potestate nollent fieri Sarraceni, aut confiscarentur aut interficerentur. Unde factum est, ut innumerabiles christianorum[6*] facultates suas pro nichilo ducerent; sed morte nemo dignus pro Christo fuit nisi patriarcha Hierosolimorum, qui variis suppliciis occisus est, et duo adolescentes germani in Egypto, qui decollati sunt, et multis clarescunt miraculis. Nam ecclesiae sanctorum subversae sunt[7*], et peccatis nostris promerentibus, basilica sepulchri Domini usque ad solum diruta. Lapidem monumenti cum nullatenus possent comminuere, ignem copiosum superadiciunt, sed quasi adamans immobilis mansit et solidus. Bethleemiticam ecclesiam, ubi Christus natus est, cum niterentur destruere, apparuit eis lux fulgurans subito, et omnis eorum multitudo corruens exspiravit, et ecclesia[8*] intacta remansit. Ad monasterium quoque montis Sinai[9*] decem milia Sarracenorum armatorum venientes destruendum, longe quatuor milibus conspiciunt totum montem ardere et flammas usque in celum ferri, et cuncta ibi posita cum hominibus manere illesa. Quod cum renunciassent regi Babilonio, penitencia ductus tam ipse quam populus Sarracenus valde doluerunt de his, quae contra christianos egissent, et data praeceptione, iussit reaedificari basilicam sepulchri gloriosi. Tamen redincepta basilica, non fuit amplius similis priori nec pulchritudine nec magnitudine, quam Helena mater Constantini regali sumptu perfecerat. Mox e vestigio super omnem terram Sarracenorum fames incanduit per tres annos, et innumerabilis eorum multitudo fame mortua est, ita ut plateae et deserta cadaveribus[a] replerentur, et fierent homines cibum et sepultura feris et avibus. Secuta est eos gladii vastitas. Nam gentes Arabiae super terram eorum diffusae sunt, et qui remanserant fame, gladiis interierunt. Captus est ab eis rex Babilonius, qui se contra Deum erexerat in superbiam, et vivus, ventre secto, visceribus extractis[10*], mortuus est. Venter eius lapidibus oppletus, consutus est, et cadaver, ligato plumbo ad collum, in mare demersum est.

48. Eo anno Rodulfus Petragoricensis episcopus ab Hierosolimis rediens[11*], obiit Petragoricae, et successit pro eo Arnaldus. Qui apud Sanctum Benedictum Nantolio[33] 33 consecratus est[12*] a Siguino Burdegalae archiepiscopo[13*]. Tunc Gauzbertus, princeps castri Malamortensis, captus ab Eblo vicecomite Combornis, retrusus in castro fortissimo Melurensi, Deo volente a suis rusticis[14*], castro expugnato et mox capto, ereptus est, et castrum destructum[15*] est. Et Hierosolimam pergens, defunctus est[16*], et miraculis post mortem clarescere cepit. Erat enim valde ecclesiasticus, et honeste se agebat.

1* Quidam etiam se ipsos ferro iugulaverunt, nolentes baptismum suscipere. *add.* 2.
2* Iudeis et Sarracenis[b] 2. 3* et Sarraceni Hispanie *add.* 2. 4* Francorum 2.
5* paganorum 2. 6* c. converterentur ad legem Sarracenam, et nemo p. C. m. d. fuit 2.
7* Nam aecclesia[c] sancti Georgii, que actenus a nullo Sarracenorum potuit violari, tunc destructa est cum aliis multis ecclesiis sanctorum 2.
8* et sic ecclesia Dei genitricis 2.
9* Sinai, ubi quingenti et eo amplius monachi sub imperio abbatis manebant, habentes ibidem proprium episcopum, venerunt Sarracenorum decem milia armatorum, ut monacos perimentes, habitacula eorum cum ecclesiis diruerent. Propinquantes autem, a quatuor fere milibus conspiciunt totum montem ardentem et fumantem, flammasque in celum ferri 2
10* e. impiam animam ad baratrum proiecit 2. 11* retulit quae viderat ibi infanda, et *add.* 2.
12* diebus quadragesime *add.* 2. 13* a Grimoardo et Islone episcopis[34] *add.* 2. 34
14* r. in frunalibus quodam mane subito expugnato et mox capto castro 2.
15* flammis datum 2. 16* in revertendo *add.* 2.

a) cadeueribus 1. b) sarcenis c. c) ecclesie c.

31) cf. Glaber Rod. III. 10. qui haec fusius narrat. 32) i. e. Cairo, ideo Aegypti. 33) Nanteuil.
34) Engolismensi et Sanctonensi.

49. Circa hoc tempus Alduinus episcopus, acceptis pretiosioribus sancti Marcialis ornamentis et vestimentis, et multa affluentia argenti, quia in manu sua abbatiam habebat emptam a Widone, properavit ante quadragesimam cum Willelmo duce Romam, et in tristicia monachos sancti Marcialis reliquid. Mox eo recedente, ad sepulchrum beati Marcialis plurima ceperunt choruscare miracula, quae leticiam monachis et cunctae Aquitaniae plenam ingesserunt. Nam nobilissimi Aquitanorum et Francorum principum atque Italorum eo anno Lemovicae pascha cum frequentia sancti Marcialis gloriose celebraverunt. Reversus episcopus basilicam sedis sancti Stephani, quam sanctus Marcialis dedicaverat, destruendam et amplificandam disposuit, et lineas ad fundamenta[a] iecit, ut
1012. vel post dies 15 insisteret operi. Abiensque inde ad ecclesiam Agento[35] supradictam[1*], ibi
1013. spiritum exalavit. Delatum est corpus eius Lemovicam, apud sedem vigiliis observatum, apud Sanctum Martinum sepultum. Successit pro eo reverentissimus Geraldus, nepos
Nov. eius. Consecratus est Pictavis apud Sanctum Hylarium[2*] a Siguino archiepiscopo. Non enim potuit esse Gauzlenus Bituricensis archiepiscopus, quia necdum receptus erat in sede Biturica. Habuit tamen ibi missos suos ex sancti Benedicti monachis. Simul interfuerunt episcopi Gislebertus Pictavensis, Arnaldus Petragoricensis, Islo Santonicensis, Grimoardus Engolismensis. Post benedictionem[3*] comitati sunt eum usque Lemovicam Arnaldus et Grimoardus episcopi. Primum ad Sanctum Marcialem venerunt simul[4*], et recepti sunt a monachis. Inde monachi eos duxerunt cum antiphonis usque ad ecclesiam
36 Cairoensem[36]. Ibi in cathedra sedit; et humeris populi vectus, canonicis antiphonas concinentibus, textum euangelii a Grimoardo episcopo legendum sumpsit, et ita benedicens dextera assidue, ad hostium basilicae sancti Stephani cum gloria deductus est. Grimoardus tradidit ei portas ecclesiae, Arnaldus cordas signorum, et ambo in sede sancti Marcialis intronizaverunt eum, et clara voce Te Deum laudamus Arnaldus episcopus intonuit. Episcopum sedentem osculati sunt omnes; deinde missam celebraverunt de martirio sancti Theodori, cuius festivitas ipso die[37] agebatur. Per dies septem indutus processit stola sanctificata cum indumentis[5*] et cappa Romana, absque capsula[6*], et per eosdem continuos dies missam[7*] celebravit[8*]. Tunc abbas Gosfridus basilicam regalem
1017. maiori opere coepit renovare[38]. Quadragesima vero media cum nocturnis vigiliis multi-
1018. tudo maxima in eandem aulam ad tumulum beati Marcialis properantes intrarent, viri cum mulieribus plus 50 invicem conculcati intra ecclesiam expiraverunt, et die crastina sepulti sunt. Episcopus Geraldus Romam abierat; ideo per Arnaldum missum est episcopum, qui[9*] cum aqua episcopali ecclesiam reconciliavit. Paulo post exorti sunt per Aquitaniam Manichei, seducentes plebem. Negabant baptismum et crucem et quicquid sanae doctrinae est. Abstinentes a cibis, quasi monachi apparebant, et castitatem simulabant, sed inter se ipsos omnem luxuriam exercebant, et nuncii antichristi erant, multosque a fide exorbitare fecerunt.

50. Per hoc tempus Willelmus, cognomine Bucca-uncta, comes Matisconensis[10*], castellum aedificavit contra Cluniacense[b] monasterium propter superandum Hugonem

1* unde monachos extruserat *add.* 2.
2* Ylarium mense Novembri pro[c] omnibus gradibus ecclesiasticis a Gisleberto episcopo, et in gradu pontificali a Siguino monacho, archiepiscopo Burdegalensi.
3* quae dominica die peracta est *add.* 2. 4* simul - duxerunt *des.* 2.
5* cum quibus benedictus fuerat *add.* 2. 6* colobio tamen et casula 2.
7* per stationem urbis missas 2.
8* Non debemus praetermittere, quia per 15 dies altercatio fuit Pictavis pro eo, contradicentibus episcopis omnibus, non esse auctoritatem patrum, ordinationes graduum ab ostiario usque ad presbiterum fieri debere, nisi per ieiunia quatuor temporum anni et tota quadragesima per dies albatorum usque in palmis; sed[d] voluntas Willelmi ducis[e] praevalens auctoritatem debitam oppilare non timuit. Per hos dies Iosfredus 2.
9* post terciam diem *add.* 2. 10* Matisconae, quod est in Burgundia 2.

a) fondamenta 1. b) cluniacensis 1. c) p *c.* d) se *c.* e) duci *c.*

35) Ahun. 36) de Queroir. 37) die 9. aut 12. Nov. 38) cf. Ann. Lemov. a. 1017. 1018. SS. II. p. 254. Sed Geraldum iam a. 1013. Roma reversum esse, dicit Ademarus in epistola ap. Mab. Ann. IV. p. 721, ibidemque refert (p. 723), basilicam vetustam Salvatoris, quae nimia vetustate tunc ruinam minitabat, ante septem annos (i. e. 1021.) dirutam esse usque ad solum.

comitem. Pro qua re eum divina censura percussit, ut nullo modo deinceps ereptus gressum ageret. Et paucis interpositis diebus, Hugo comes subito ipsum castrum vi cępit atque solo coequavit. Defuncto Gosfrido abbate, Hugo ei successit; sed episcopus Geral- 1019. dus adversus ei exstitit, prohibens ei dare consecrationem causa zeli, quia non poterat vindicare sibi abbatiam; ideo per biennium seditio non minima fuit civilis, donec ratione erubescens[a] episcopus domno Hugoni assensit. Et episcopus, quia thesaurarius Sancti Hilarii erat, dum ante festivitatem omnium sanctorum Pictavis iret, in Sancto Carrofo egrotans, intra 15 dies obiit, et ibi sepultus est. Ad caput eius tabula plumbea posita est ita 1020. scripta: *Hic requiescit Geraldus episcopus Lemovicae., obiit 3. Idus Novembris. Prefuit eidem sedi 8 annis.* Post mortem eius successit Iordanus episcopus.

51. Per hos annos Odo, princeps Dolensis[39], vi et ingenio cępit castrum Argentomum[40], et ab eo vicecomitem Widonem expulsit. Idem Odo iuxta Masciacum[41] mona- 41 sterium castrum aedificavit, quod rex Rotbertus expugnans capere nequivit; et sic frustratus recessit. His temporibus basilica sancti Martini Turonica, ab Arveo thesaurario magno cultu inchoata, ad finem perducta, et corpore sancti Martini sublevato, cum gloria magna consecrata est in honore 12 apostolorum. His etiam temporibus ecclesia sancti Petri sedis Engolismensis dedicata est a tribus episcopis, a Siguino monacho Burdegalensi, a Grimoardo et Islone fratre[1*] eius. Quibus temporibus ecclesia sanctae Resurrectionis ante basilicam beati Eparchii terrae motu[2*] subversa est, et ibidem clocarium inceptum est. Gisleberto quoque Pictavino episcopo reverentissimo diem claudente, et Malliacensi c.1020. monasterio humato, succedit Isembertus episcopus.

52. His diebus in parasceue post crucem adoratam Roma terrae motu et nimio turbine periclitata est. Et confestim quidam Iudeorum[3*] intimavit domno papae, quia ea hora deludebant sinagogae Iudeorum Crucifixi figuram. Quod Benedictus[42] papa sollicite inquirens et comperiens, mox auctores sceleris capitali sententia dampnavit. Quibus decollatis, furor ventorum cessavit. Quo tempore Hugo, capellanus Aimerici vicecomitis Rocacardensis, cum eodem seniore suo Tholosae in pascha adfuit, et colaphum Iudeo, sicut illic omni pascha semper moris est, inposuit, et cerebrum ilico et oculos ex capite perfido ad terram effudit; et statim mortuus, a sinagoga Iudeorum de basilica sancti Stephani elatus, sepulturae datus est. Quo tempore Cordubenses Mauri per mare Gallicum subito cum multa classi Narbonae per noctem appulerunt, et summo diluculo cum armis in circuitu civitatis sese effuderunt; et sicut ipsi nobis retulerunt[4*], sortilogium eorum eis promiserat, prospere acturos et Narbonam capturos. At christiani quantotius corpus et sanguinem Dei a sacerdotibus accipientes communicaverunt, et praeparantes se ad mortem, bello invaserunt Sarracenos, et victoria potiti sunt, omnesque aut morte aut captivitate cum navibus et multis spoliis eorum retinuerunt, et captivos aut vendiderunt aut servire fecerunt, et Sancto Marciali Lemovicae viginti Mauros corpore enormes transmiserunt dono muneris. Ex quibus abbas Gosfridus duos retinuit in servitute, ceteros divisit per principes peregrinos, qui de partibus diversis Lemovicam convenerant. Loquela eorum nequaquam erat Sarracenisca, sed more catulorum loquentes, glatire videbantur.

53. Eo tempore infinita multitudo Normannorum ex Danamarcha et Iresca regione cum classe[b] innumera appulerunt portum Aquitanicum. Et sicut parentes egerant, conati sunt omnem Aquitaniam desertare et captivare. Itaque dux fortissimus Willelmus mandat ubique per episcopos, ut suaderent plebem Domini auxilium cum ieiuniis et letaniis implorare. Ipse vero congregata manu valida electorum, mense Augusto, imminente Aug. iam nocte, circa litus maris secus eos castra disposuit. Pagani videntes tantam multitudinem, terrore conpulsi, tota nocte minutas scrobes per circuitum[c] foderunt et cespitibus operuerunt, ut ignorantes equites ibi ruerent. Itaque mane primo incautus exercitus, cum duce prima frontis acie praecurrente, equo super paganos frena laxans, mox per scrobes dilabitur. Et ruentibus equis cum sessoribus armorum pondere gravatis, pagani

1* f. e. *des.* 2. 2* ruina subita 2. 3* de schola Grecia *add.* 2. 4* postea captivi *add.* 2.

a) erubescans 1. b) classa *corr.* classe 1. c) circuitam 1.

39) in Britannia. 40) Argenton. 41) Massai. 42) Benedictus VIII.

multos capiunt; et novissimi[a] exercitus, tarde caventes dolum, equis dissiliunt. Ipse dux, equo scrobem offendens, in praeceps venit, et armis oneratus iamiam deciderat in manum adversariorum, nisi, Deo, qui eum semper custodit, robur et mentem ei ministrante, magno impetu saltum daret et velocissimo cursu sese redderet suis. Mox intermissum est bellum causa captorum, ne interimerentur; erant enim ex nobilioribus. Cum eo die ab utrisque nutaretur, sequenti nocte, plenitudine maris invitante, cum captis concite pagani navibus insiliunt, et auxilio pelagi liberantur, nec amplius fines illos inquietarunt[b]. Dux autem pro captis infinita pondera argenti misit, et unumquemque pensans argento redemit hominem.

54. Fuit dux iste a puericia doctus litteris, et satis noticiam scripturarum habuit. Librorum copiam in palatio suo servavit, et si forte a tumultu vacaret, lectioni per se ipsum operam dabat. Longioribus noctibus elucubrans in libris, donec somno vinceretur. Hoc Hludovicus imperator, hoc pater eius Magnus Karolus assuescebant. Theodosius[1*] quoque victor augustus in aula palatii non modo legendo verum et scribendo creberrime exercitabatur[42]. Nam Octavianus Cesar Augustus post lectionem propria manu praelia
43 sua et gesta Romanorum et alia quaeque non segnis scribebat[43].

55. His temporibus Normanni supradicti, quod patres eorum numquam ausi sunt facere, cum innumera classe Hiberniam insulam, quae et Hirlanda dicitur, ingressi sunt una cum uxoribus et liberis et captivis christianis, quos fecerant sibi servos, ut, Hirlandis extinctis, ipsi pro eis inhabitarent opulentissimam[c] terram. Quae 12 civitates cum amplissimis episcopatibus et unum regem habet et propriam linguam, sed Latinas litteras. Quam sanctus Patricius Romanus ad fidem convertit, et ibi primus praefuit episcopus; quae undique mari circumcincta est. Ibi solsticialis brumalis dies vix duarum est horarum, et solsticialis estiva nox eiusdem parvitatis. Consertum est ergo praelium per triduum incessanter, et Normannorum nullus vivus evasit. Uxores eorum cum parvulis sese cunctae in mare praecipites suffocarunt. Qui vivi capti sunt, feris ad laniandum[c*] proiecti sunt. Unum ex captivis dimisit rex vivere, quia christianum captivum
1016. fuisse cognovit, et cum muneribus donavit. Rex vero Canotus de Danamarcha paganus, mortuo Adalrado rege Anglorum, regnum eius dolo cepit, et reginam Anglorum in coniugium accepit, quae erat soror comitis Rotomensis[d] Richardi, et factus christianus, utraque regna tenuit, et quoscumque potuit ex paganis de Danamarcha ad fidem Christi pertraxit[2*]. Richardo vero comite Rotomagi, filio Richardi, Normannos gubernante, multitudo eorum cum duce Rodulfo armati Romam, et inde conivente papa Benedicto
1017. Appuliam aggressi, cuncta devastant. Contra quos exercitum Basilius intendit, et congressione bis et ter facta[e], victores Normanni existunt. Quarto congressu cum gente Russorum[44] victi et prostrati sunt et ad nichilum redacti, et innumeri ducti Constantinopolim, usque ad exitum vitae in carceribus tribulati sunt. Unde exivit proverbium: *Grecus cum carruca leporem capit.* Tunc per triennium interclusa est via Hierosolimae; nam propter iram Normannorum, quicumque invenirentur peregrini, a Grecis ligati Constantinopolim ducebantur, et ibi carcerati affligebantur. Item Normanni, duce Rotgerio,
1018. ad occidendos paganos Hispaniam profecti[45], innumeros Sarracenorum deleverunt, et civitates vel castella ab eis abstulere multa. Primo vero adventu suo Rotgerius, Sarracenis captis, unumquemque eorum per dies singulos, videntibus ceteris, quasi porcum per frusta[f] dividens, in caldariis coctum eis apponebat pro epulis, et in alia domo simulabat se comedere cum suis reliqua medietatis menbra. Postquam ita omnes percurrisset, novissimum de custodia quasi neglegens permittebat fugae, qui haec monstra Sarracenis nunciaret[3*]. Qua de causa timore exanimati, vicinae Hispaniae Sarraceni

1* Nam et Octaviannus Cesar Augustus in aula palatii non modo legendo verum et scribendo creberrime[g] gesta et alia queque non segnis scribebat. 2.
46 2* Pater eius paganus, nomine Asquec[46], solum regnum de Danamarca tenuit. *add.* 2.
3* ita fabulam Tiestis veram adimplens *add.* 2.

a) nouissi 1. b) inequitarant 1. c) opulantissimam 1. c*) laniendum 1. d) rotomansis 1. e) facti *corr.* facta 1. f) frustra 1. g) crebime c.

42) cf. de Theodosio iuniore Hist. misc. XIV. ed. Murat. p. 96. 43) cf. Suetonii vita Augusti c. 85. 44) qui in Basilii exercitu fuisse videntur. 45) cf. Baluzius Marca Hisp. p. 429. 46) Suen Tveskiaeg.

cum rege suo Museto pacem a comitissa Barzelonensi Ermensende petunt, et annuum tributum perselvere spondent. Erat enim haec vidua, et Rotgerio suam filiam in matrimonium sociaverat. Cum quibus pace facta, Rotgerius cum ulteriore Hispania decertare cepit, et quadam die una cum[1*] 40 solummodo christianis quingentos Sarracenorum electos in insidiis latentes offendit, cum quibus confligens, fratrem suum manzerem amisit, et tertio campum lustrans, et[2*] plus centum adversarios extinxit, et cum suis propria revisit, nec ausi sunt Sarraceni persequi fugientem.

56. Per hos dies[47] dignatus est Dominus clarificare tempora serenissimi ducis Wil- 1010?
lelmi. In diebus suis namque caput sancti Iohannis in basilica Angeriacensi, in theca[a] saxea turrita instar piramidis[b], inventum est ab Alduino clarissimo abbate. Quod sanctum caput dicunt esse proprium baptistae Iohannis. Tunc Willelmus dux post paschales dies Roma regressus, hoc audito, repletus est gaudio, et sanctum caput populis ostendendum decrevit. Est reconditum ipsum caput in turibulo argenteo, ubi litterae leguntur: *Hic requiescit caput praecursoris Domini.* A quo tamen vel quo tempore vel unde huc delatum, vel si praecursoris Domini sit, haudquaquam fideliter patet[c]. In gestis enim Pipini regis, cum de minoribus legatur rebus, ex hac, quae ex maximis est, causa reticetur, et scriptura ex eo facta[48] nequaquam non futilis ab eruditis diiudi- 48
cetur[3*]. Non enim Pipinus in diebus Theophili nec tempore Wandalorum extitit, nec caput praecursoris Domini Alexandriae habitum est[4*]. Itaque dum inventum ostendere- Oct.
tur caput sancti Iohannis, omnis Aquitania et Gallia, Italia et Hispania ad famam commota, ibi occurrere certatim festinat. Rex quoque Rotbertus[5*] ac regina, rex Navarrae, dux Wasconiae Sancius, Odo Campanensis, comites et principes, cum episcopis et abbatibus, omnesque dignitates terrarum eo confluxere. Ubi omnes offerebant munera preciosa diversi generis; ubi supradictus rex Francorum, oblata conca[6*] ex auro purissimo pensante libras 30 et vestibus preciosis[7*] ad ornatum ecclesiae, a Willelmo duce reverenter susceptus[8*], Franciam reversus est. Ultra omnem felicitatem et gloriam videbatur concursus psallentium cum reliquiis sanctorum canonicorum, monachorum, undecumque ad memoriam sancti praecursoris festinantium. Inter quae reliquiae principis summi, qui pater est Aquitanorum et primus Galliarum spermologus, videlicet beati apostoli Marcialis, simul cum reliquiis sancti Stephani Lemovicae sedis, illuc deferebantur. Protractis[d] itaque sancti Marcialis in vectorio ex auro et gemmis pigneribus foris basilicam propriam, mox omnis Aquitania, quae iam diu nimis pluviis laboraverat, adventu patris sui laetificatur serenitate reddita. Cum eisdem pigneribus abbas Iosfredus atque episcopus Giraldus cum principibus numerosis et omni innumerabili populo diverterunt in basilicam sancti Salvatoris Carrofi. Exieruntque eis obviam monachi cum omni plebe populari[e] miliario uno, et cum apparatu honorifico[9*], antiphonas excelsa voce intonantes, deduxerunt usque ad altare Salvatoris. Et missa celebrata, simili modo prosecuti sunt eos. Cumque in basilicam sancti precursoris intrassent, celebravit ibi[10*] missam episcopus Giraldus de nativitate sancti baptistae, cum esset mensis Octuber. Canonici sancti

1* Petro episcopo Tolose[49] et *add.* 2. 2* Tercioque acies adversarias irrumpens 2 49
3* In hac enim frivola refertur pagina, in diebus Pipini regis Aquitaniae quemdam Felicem detulisse ab Alexandria per mare in Aquitaniam caput sancti Iohannis baptistae. Et tunc temporis Alexandrie praefuisse Theophilum archiepiscopum, cuius Lucas in principio actuum apostolorum meminit dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile;* et peractum esse praelium in Alniensi pago inter Pipinum regem et Walados; ipsumque caput super quosdam interfectos satellites suos impositum a rege, et eos mox resuscitatos esse. *add.* 2.
4* Legimus in Aquitanorum legimus[f], primo inventum[g] caput sancti precursoris a duobus monachis per revelationem in eo quo ventum est; deinceps autem a Theodosio imperatore delatum in civitatem regiam Constantinopolim, ibidemque venerari. Itaque ut ad propositum redeamus *add.* 2.
5* Francorum Rotbertus, rex Navarre Sancius, omnesque dignitates eorum confluxere 2.
6* gabata 2. 7* odoscericis et auro textis *add.* 2. 8* per Pictavis *add.* 2.
9* diem festum agentes *add.* 2. 10* ante caput sancti Iohannis 2.

a) techaxasea 1. b) piramedis *corr.* piramidis 1. c) pater 1. d) Pertractis 1. e) popularis 1. f) *ita c.* legendis *ed.* g) iuetu *c.*

47) Anno 1010. vulgo statuitur, quod falsum puto. 48) cf. Acta SS. Iun. IV. p. 754 sqq., ubi historia fabulosa p. 757 edita est. 49) Qui an hoc anno praefuerit, non constat.

Stephani cum monachis sancti Marcialis alternatim tropos ac laudes cecinerunt[1*], et post missam episcopus cum capite sancti Iohanis benedixit populum; et sic de mira- Oct. 27. culis sancti Marcialis, quae per viam contigerant, valde laetantes, quinto die ante festivitatem omnium sanctorum reversi sunt. — Ea tempestate sanctus Leonardus confessor in Lemovicino, et sanctus Antoninus martyr in Cadurcino miraculis coruscabant, et undique populi eo confluebant. Et gloriosus dux recogitans Dei honorem, accito Odilone sanctissimo Cluniacensi[a*] abbate, in sancti Iohannis monasterio regularem renovavit districtionem, ubi Odilo abbatem Rainaldum disposuit, defuncto[2*] Alduino abbate. Et Rainaldo[3*] c.1020. spiritum reddente, Aimiricum pro eo domnus Odilo patrem praeposuit. Item dum reliquiae sancti Eparchii procederent ad sanctum praecursorem, delatus est pariter baculus eiusdem confessoris. Est ipse baculus pastoralis in summitate curvatus, ad cuius similitudinem super reliquias eiusdem sancti oris nocturnis usque sole oriente resplenduit in coelo igneus[4*] baculus, quoad ventum est ad caput sancti Iohannis, et miraculis a[a] sancto Eparchio super infirmos sanatos peractis, cum leticia regressum est. Canonicis etiam sancti Petri sedis Egolismensis procedentibus cum reliquiis, cum subvectores earum, induti sacris tunicis, per profundum fluvium pertransissent, non senserunt aquam, sed acsi[b] per aridam ambulassent, nullum signum aquae super eos nec super vestimenta vel calciamenta eorum apparuit[5*]. Contigit homines sancti Iohannis et Willelmi ducis in[c] Angeriaco vico tumultuari, et vulneratus est praepositus ducis ad mortem, et aula eius ibi diruta. Tunc a primatibus malivolis, et precipue a Fulcone comite, qui tunc in servitio ducis Pictavis erat, tempore quadragesimae suadebatur ei destruere locum sancti Iohannis, et inde monachos eicere, canonicos[6*] inmittere. Et licet serenissimus princeps furore gravi commotus esset pro iniuria sua, tamen suam iram et impiorum consilia vicit, et regali more cum ratione prudenti causam pacificavit. Semperque fuit servorum Dei defensor, et Deus ei in omnibus adiutor[7*]. Tunc casu civitas Pictavis combusta est, et dux sedem sancti Petri ceterasque ecclesias suumque palatium maiori decore[d] ampliavit.

1020. 57. Post mortem denique supradicti episcopi Giraldi decertabant principes Lemovicenses pro episcopatu, cum Simoniaca heresi pontificatum vindicare conati. Tunc populus urbis letanias cum monachis et canonicis propter hoc peregit, et dux prudentissimus 1021. Ian. cum consiliario suo Willelmo comite Egolismensi apud Sanctum Iunianum placitum habuit ex hac causa. Adfuit ibi Wido vicecomes et omnes principes Lemovicinorum. Ibi Dei nutu elegit in episcopatus honore Iordanum prepositum ecclesiae sancti Leonardi, magnae nobilitatis et simplicitatis virum. Surgens mane dux a monasterio sancti Iuniani, cum duobus episcopis Islone et Isimberto et multitudine principum, devenit ad urbem circa horam sextam. Cui obviam processit omnis civitas gaudens, et mox properat ad basi- 50 licam regalem[50], receptus a monachis[8*] cum textu sanctorum euangeliorum et timiamatherio[9*], sicut semper ab eis dux solet excipi. Inde ad tumulum sancti Marcialis missam audivit; et iuxta monasterium eo die regaliter hospitatus est. Crastino barbam electo benedici iubet et detondi, et sic ad sedem sancti Marcialis in aula sancti Stephani Iordanum deduxit, et cum baculo pastorali ibi eum gratis honore pontificali vestivit; eratque finis Ianuarii mensis, et reversus est Pictavis. Quadragesima superveniente dux Romam abiens, filio suo, prudentissimo adolescenti, Willelmo imperavit[e], ut revertens ordinatum reperiret episcopum. Quod ille adimplere curavit, et media quadragesima[10*]

1* festivo more *add.* 2. 2* nuper *add.* 2. 3* post aliquot annos *add.* 2.
4* ignea virga, curvata nihilhominus in fastigio 2.
5* 2. *hoc loco add.:* Interea caput retinetur *quae infra c.* 58. *leguntur. Tunc vero pergit:* Piramis autem saxea supervestita est ex tabulis ligneis deargentatis undique, ex oblatione copiosi argenti[f], quod rex Navarrae Sancius obtulit beato praecursori. Quodam vero tempore postquam haec acta sunt contigit.
6* monachorum senatum eicere et canonicorum feritatem ibidem immittere 2.
7* 2. *hoc loco add.:* His temporibus cometes — devoravit *quae infra c.* 58. *occurrunt.*
8* vestibus albis et cappis olosiricis amictis *add.* 2.
9* candelabris quoque et aqua benedicta *add.* 2. 10* sabbato medie quadragesime 2.

a*) cluniacensis 1. a) ad 1. b) axi 1. c) in — mortem *des.* 2. d) decorem 1. e) imperaui 1. f) argē c.
50) Sic sancti Martialis ecclesiam appellat; cf. Ann. Lem. a. 1017. Mon. SS. II. p. 252.

Angeriaco ante caput sancti Iohannis[1*] consecratus est episcopus ab Islone episcopo[2*] 1021. et Roone[51] atque Arnaldo necnon et Isimberto episcopis, et a clarissimae indolis Wil- 51 lelmo comite et Arnaldo Petragoricensi episcopo Lemovicam deductus, intronizatus est in sede sancti Marcialis. Archiepiscopus vero Bituricensis Gauzlenus, ad cuius diocesim Lemovica pertinet[3*], quia sine sua auctoritate consecratus est episcopus[4*], totum Lemovicinum excommunicavit, praeter locum sancti Marcialis et quae propriȩ ad eum pertinebant, ipsumque prohibuit ab officio suo episcopum. Qui[5*] satisfaciens, nudis pedibus, 1022. cum centum clericis et monachis, omnibus similiter pedibus nudis, Bituricam sedem adiit, ubi archiepiscopus cum clero eis processit obviam, et cum honore eos deducens, quod ligaverat absolvit.

58. Interea[6*] caput sancti Iohannis, postquam satis ostensum est populis, reservatum est iussu Willelmi ducis, et reconditum in piramide pristina, ubi interius timiamatherio argenteo quod pendet catenulis, inclusum retinetur. His temporibus cometes velut ensis latior et longior contra septentrionem apparuit pluribus aestivis noctibus, et per Galliam et Italiam e vestigio civitates, castella et monasteria igne cremata sunt plura; inter quae Carrofum casu flamma conbustum est cum basilica Salvatoris. Ecclesiam quoque sanctae Crucis sedis Aurelianis et monasterium sancti Benedicti Floriacum et alia multa flamma devoravit. Dux quoque Willelmus, semper cogitans Dei voluntatem, 1014? regularem disciplinam restauravit in Sancto Carrofo, eiecto Petro abbate potentissimo[7*], qui per Simoniacam heresim praelationem optinuerat et seculariter[8*] locum administrabat, et subrogato Gunbaldo regulari et Dei servo, abbate sancti Savini[9*].

59. Eo tempore 10 ex canonicis sanctae Crucis Aurelianis, qui videbantur esse 1022. religiosiores aliis, probati sunt esse Manichei[52]. Quos rex Rotbertus, cum nollent[10*] ad fidem reverti, primo a gradu sacerdotii deponi, deinde ab aecclesia eliminari, et demum igne cremari iussit. Nam ipsi decepti a quodam rustico[11*], qui se dicebat facere virtutes, et pulverem ex mortuis pueris secum ferebat, de quo si quem posset communicare, mox Manicheum faciebat, adorabant diabolum, qui primo eis in Aetyopis, deinde angeli lucis figuratione apparebat, et eis multum cotidie argentum deferebat. Cuius verbis obedientes, penitus Christum latenter respuerant, et abhominationes et crimina, quae dici etiam flagitium est, in occulto exercebant, et in aperto christianos veros se fallebant. Nihilominus apud Tolosam inventi sunt Manichei, et ipsi destructi, et per diversas Occidentis partes nuntii antichristi exorti, per latibula sese occultare curabant, et quoscumque poterant viros et mulieres subvertebant. Quidam etiam Aurelianis[12*] canonicus cantor, nomine Theodatus, qui mortuus erat ante triennium in illa haeresi, ut perhibebant probati viri[a], religiosus visus fuerat[13*]. Cuius corpus, postquam probatum est, eiectum est de cimiterio, iubente episcopo Odolrico, et proiectum invium. Qui autem flammis iudicati sunt supradicti decem cum Lisoio[53], quem rex valde dilexerat 53 propter sanctitatem, quam eum habere credebat, securi nihil ignem timebant, et a flammis se inlesos exire promittebant, et ridentes in medio ignis ligati sunt, et sine mora penitus in cinerem redacti sunt, ut nec de ossibus residuum inveniretur eorum[14*].

1* diaconus et presbiter ordinatus est, et crastina dominica *add.* 2.
2* archiepiscopo Burdegalensi 2
3* quia pecuniam requirebat pro impositione manuum, contemptus est et *add.* 2.
4* facta sinodo in Francia coram rege Rotberto, ubi septem archiepiscopi adfuerunt die pentecostes cum sufraganeis episcopis *add.* 2.
5* cum racionem reddere posset et sese purgare[b] a culpa, si vellet, coram papa Romano[c], scilicet contempsisse archiepiscopum proprium causa Simoniaca, tamen *add.* 2.
6* Interea — devoravit *hoc loco desunt* 2.; *cf. p.* 142. *n.* 5*. 7*. 7* seculari *add.* 2.
8* et insipide *add.* 2.
9* recta fecit, que placebant in oculis Domini. Eiectus vero Petrus, ad Sanctum Angelum Lemovicino monasterio mansit percussus paralisi longissima usque ad mortem. *add.* 2.
10* alicatenus *add.* 2. 11* Petragoricensi[d] *add.* 2. 12* sancte Crucis Aurelianensis 2.
13* peribebant heretici ipsi 2.
14* His diebus quidam e principibus Egolismensium Gardradus, cum non filium haberet, aedifica-

a) uiui 1. b) sesse pugnare c. c) romana c. d) petragoricumsi c.

51) Engolismensi. 52) cf. Glaber Rod. III. 8. 53) cf. Gesta synodi Aurel. Bouquet X. p. 537.

1021. 60. Quo tempore Aimiricus princeps Ronconiensis[a] contra seniorem suum Willelmum comitem Egolismae, dum ipse Willelmus Romae esset, castrum Fractabotum in Sanctonico extruxit per dies resurrectionis. Promiserat ei fidelitatem super reliquias sanctorum calciamentorum[1*] sancti Eparchii. Et quia periurus contra ipsum fuit, post paucos dies a Iosfredo, filio comitis supradicti, obviante ferro confossus, animam sine mora reliquit. Comes vero Willelmus cum Alduino filio castrum diu obsedit, et fortiter expugnatum capiens destruxit, et post multum tempus iterum reedificavit, et filio suo
54 Iosfredo commendavit. Guillelmus vero vicecomes Martiliacensis[54] et frater eius Odolricus gravi discordia decertabant cum Alduino fratre eorum propter castrum Rofiacum multo tempore. Unde factum est, ut a Willelmo comite inter se pacificarentur, et pacem ipsam pactumque conditionis super corpus sancti Eparchii eidem iurarent. Quod inter se mentiti et periurio rei, alter excecatus est, alii duo honore omni privati sunt. Nam Willelmus et Odolricus dolo ad se evocatum Alduinum prima ebdomada paschae in traditione, postquam cum eis coenaverat et in eorum hospitio dormierat, antequam a lecto surgeret, capiunt, et linguam ei amputant, et occulos effodiunt, et ita Rofiacum recuperant. Regressus itaque Roma Willelmus comes, tantam impietatem vindicare decrevit. Et accito duce Willelmo, Martiliacum obsedit, desolavit igne comburens, et traditoribus vitam et membra concessit, sed eos omni honore privavit, et Alduino caecitate multato Rofiacum concessit. Et post aliquot annos, iubente eodem comite, Alduinus filius eius Martiliacum reedificavit, et ad suum opus retinuit. Idem quoque Alduinus, iubente patre, Montiniacum castrum a novo extruxit.

1025. 61. Quo tempore duo monachi sancti Marcialis ex primoribus, valde religione conspicui, sanctitate preclari, sapientia fulgidi[2*], qui se invicem prae omnibus diligebant, et omne monasterium duae columpnae sustinebant, et velut duo candelabra irradiabant, et iuxta se ad mensam sedebant, Rotgerius cantor et Aldebertus armarius[3*], in die sancto paschae ambo per visum viderunt se vocari a Christo, et ipsa ebdomada laudabiliter finem vitae acceperunt[4*]. Tercius monachus sanctitate probabilis[5*], et mox abbas Ugo, dilectione Dei fortissimus, eos ad coelestia subsecuti sunt, et succedit Odolricus abbas prudentissimus, quem consecravit Iordanus episcopus.

1023. 62. Quibus diebus, mense Ianuario[55], circa horam sextam eclipsis solis accidit per unam horam; luna quoque frequentius laborem passa est, nunc sanguinea, nunc cerulea, nunc deficiens; duae quoque stellae visae sunt in austro, in signo leonis, inter se pugnare per totum autumnum, maior et clarior ab oriente, minor ab occidente. Currebat minor quasi irascens et timens usque ad maiorem, quae ad se non sinebat eam proximare, sed crine radiorum longius percussam repellebat occidentem versus. Tem-
1024. pore subsecuto defunctus est Benedictus papa, cui succedit Iohannes. Clausit diem
1025. Basilius imperator Grecorum, imperavit pro eo Constantinus frater eius. Excessit hominem Arbertus episcopus Coloniae, miraculis post mortem clarescens. Eenricus quoque
1024. imperator mortuus est sine filiis, et sacra imperialia moriens reliquit consanguineo[6*] suo

vit in Sanctonicho pago a novo in honore sancti Stephani protomartyris coenobium Bacia-
1014? cense[56], ubi regulares monachos adgregans, venerabilem Ainardum abbatem praefecit[b]. Dedicavit ipsum locum Grimoardus Egolismensis, et frater eius Islo Sanctonicensis episcopus. Quem locum Gardadre, facto testamento, attitulavit Romanae basilicae sancti Petri, ut omnibus semper annis tributum quinque solidorum argenti exsolvantur super corpus sancti Petri. *add.* 2.

1* sanctarum caligarum 2. *G. epp. Eng.* 2* sacerdocio sublimati *add.* 2.
3* cantor inclite generositatis, frater decani gloriosi Adalberti, armarius 2.
4* correpti brevi[c] et acri langore *add.* 2. 5* Fulcherius *add.* 2.
6* reliquit fratri suo Bruno episcopo urbis Osburc, et archiepiscopo Coloniae, necnon et archiepiscopo Mogontiae, ut ipsi eligerent . . . . antes[d] post se imperatorem. Qui episcopi, adunato regno, indixerunt letanias et[e] ieiunia ad Dominum pro hac causa. Tunc populi elegerunt Cononem nepotem Eenrici imperatoris defuncti. Episcopi vero saniori consilio elegerunt alterum Cononem[f], qui neptem Eenrici in coniugium habebat, pro eo quod esset fortis

a) roncomensis 1. b) perfecit *c.* c) brevu° *c.* d) *vocabulum iam haud legibile c.* ..... creantes? e) et ieiuni *legi non possunt c.* f) conone *c.*

54) cf. c. 20. n. . . 55) die 24. Ian. Eodem mense die 9. eclipsis lunae fuit. 56) Bassac.

iuniori Conrado. Qui paulo post ad extrema perductus, Cononi fortissimo et prudentissimo principi sceptrum et coronam et lanceam sacram commendavit, eo tenore ut si viveret haec redderet, si moreretur haberet ipse imperium. Quod Dei voluntate actum est. Evasit enim languorem, sed privatus est imperio. Nam Conon, suadente papa Romano 1* et omnibus episcopis et proceribus regni, quia iustitiae libram premonstrabat, imperium assumpsit. Iunior 2* vero, qui ei occasionem imperandi prebuerat, civili discidio contra eum agere coepit, sed Conon 3* superior extitit. Haec videbantur indicio stellarum maioris et minoris significari. Langobardi vero fine imperatoris gavisi, destruunt palatium imperiale, quod erat Papiae. Et iugum imperatorium a se excutere volentes, venerunt multi nobiliores eorum Pictavam urbem ad Willelmum ducem Aquitanorum, et eum super se regem constituere cupiebant. Qui prudenter cavens, cum Willelmo comite Egolismae Langobardorum fines penetravit[57], et diu placitum tenens cum ducibus 57 Italiae, nec in eis fidem[a] reperiens, laudem et honorem eorum pro nihilo duxit. In revertendo sane nunciatur[b] ei, Widonem vicecomitem obisse. Et intercedente Willelmo comite Egolismensi, praefecit Lemovicae vicecomitem Ademarum in loco defuncti patris sui.

63. Per haec tempora Arveus[58], sanctitate insignis, thesaurarius Sancti Martini 1022. Turonis[c], obiit in Christo, sepultus in atrio basilicae mediae ad pedes crucifixi. Hic Turonis a novo construxit oratorium in honore genetricis Dei, ubi sanctimonialium congregationem sub regulae magisterio Deo servire constituit.

64. Tunc temporis comes Andegavensis Folco, cum manifeste superare nequiret Arbertum Cenomannis comitem 4*, dolo acciit eum in capitolium Sanctonae urbis, quasi in beneficio urbem ipsam ei concederet. Et incautum et nihil mali suspicantem, inclusum capitolio, nefanda eum cepit traditione, primae ebdomadae quadragesimae secundo die. Uxor vero eius uxorem Arberti dolo temptavit capere ipso die, antequam virum captum audiret 5*, sed ad eam quidam anticipavit prodere cautelam. Ideo Folco uxorem Arberti et principes timens, non est ausus eum interficere, sed biennio carceratum diligentissime custodivit, et a manibus eius Dominus innocentem eripuit. Quo 6* tempore 1026. gloriosissimus Ricardus Rotomagensis comes obiit, sepultus apud Fescanum coenobium in basilica sanctae Trinitatis. Et succedit pro eo Ricardus filius eius, et ipse non longo post tempore veneno extinctus est, succeditque pro eo Rotbertus frater eius. 1028.

65. Eo tempore Willelmus Egolismensis comes per Baioariam iter egit ad sepulchrum Domini[59]. 1026. Comitati sunt eum Odo Bituricus princeps Dolensis, Ricardus abbas Verdunensis, Ricardus abbas sancti Eparchii Egolismensis, et princeps eius et consiliarius eius Giraldus Fanesinus, et Amalfredus postea abbas, et magna caterva nobilium. Stephanus rex Ungriae cum omni honore eum suscepit et muneribus ditavit. Coepit

animo et rectissimus in iudicio. Quem ordinaverunt consecrationis oleo in regali gradu apud[d] Mogonciam civitatem, et tradiderunt ei septrum et coronam et lanceam sancti Mauricii. Adveniente vero pascha Romam cum innumero exercitu tendit, et quia Romani cives noluerunt ei aperire, nec ad effectum perveniendum sine plurimo hominum sanguine fuso erat, noluit Conon imperator paschalem festivitatem cruore humano perfundi, et hac de re Ravenne sese continuit. Ibi[60] domnus papa attulit ei coronam imperii, et eum die sancto pasche in imperio 1027. Romanorum manibus suis coronavit. Alio vero anno in ipso sanctae paschae die Aquisgrani filium suum domnus Conon[e] imperator consecrare iussit in regem. Eratque idem consecratus 1028. rex aetate pauculus[f], nomine Eenricus. Ibi interfuerunt tam de Italia quam de Gallia 77 episcopi. Et ita domnus Conon, suadente 2.

1* Iohanne *add.* 2. 2* Iunior autem Conon[g], qui iudicio titubantis populi electus fuerat, civili 2. 3* imperator valuit in tantum, ut eum vivum caperet et in custodia quantum sibi visum fuit retineret. Hec profecto 2.

4* filium Ugonis *add.* 2. 5* antequam audiretur inter ipsos traditio Arberti 2.

6* Quo tempore — principum presentes adfuerunt *desunt* 2.

a) *ita* 2. finem *corr.* fidem 1. b) nuncietur 1. c) Turonis — hic *desunt* 2. *ubi pro* Turonis *etiam* furoris *legitur.* d) op̊ *c.* e) conom̄ *c.* f) paucıulus *c.* g) quo non *c.*

57) cf. Fulberti epistolae 118—126. 58) cf. Glaber Rod. III, 4. 59) Gesta epp. Engol. c. 25. add.: *Nam ante eum per illas partes nullus praeterierat, quippe quia novella adhuc christianitas per Ungriam et Sclavoniam erat.* 60) Interpolatorem plures errores commisisse patet.

1026. iter agere mensis Octubris primo die, et pervenit in sanctam civitatem prima ebdomada
1027. mensis Marcii, reversusque est tercia ebdomada mensis Iunii ad propria. Divertit per Lemovicam revertens, ubi omnis multitudo monachorum sancti Martialis splendore festivo obviam exeuntes exceperunt eum. At ubi rumor adventus eius Egolismam pervenit, omnes principes non solum Egolismensium sed etiam Petragoricensium et Sanctonum, omnisque aetas et sexus ad eum occurrit gaudio perfusa, eum cernere desiderans. Clerus vero monasticus sancti Eparchii in vestibus albis diversisque ornamentis cum magna multitudine populi et clericorum sive canonicorum gaudens processit obviam ei extra civitatem miliario uno cum laudibus et antiphonis. Et omnes in excelsum vociferantes Te Deum laudamus, deduxerunt eum, ut moris est. Tunc Amalfredum monachum, qui cum eo fuerat, elegit abbatem ex basilica beati Eparchii. Nam abbas Ricar-
61 dus Solombria[61] civitate Greciae citra Constantinopolim in eundo obierat, et ibi sepultus est vigilia epifaniorum. Ordinavit supradictum abbatem Roó episcopus, ubi ipse comes et abbas sancti Martialis Odolricus, stipatus dignitate monachorum, et abbates vicini et maxima nobilitas principum presentes adfuerunt.

66. Eodem vero anno correptus est languore corporis idem comes usque ad mortem. Quo anno Sanctonas urbs[1*] ab impiis christianis concremata est cum ipsa basilica sancti Petri sedis episcopalis[2*], et diu permansit desertus ipse locus a divino cultu. Et hanc iniuriam Dei comes supradictus vindicare volens, paulatim coepit viribus corporis destitui, et in urbe Egolisma secus aecclesiam sancti Andreae propter offitium divinum
1028. iubet sibi domum preparare, in qua aegrotans decumbere coepit. Ubi incessanter e diversis partibus cuncti principes et nobiles eum visitabant. Cumque dicerent nonnulli, maleficis artibus eum aegrotare — solebat enim robusto et sano corpore vigere —, tunc vero nec more senum nec more iuvenum corpore fatesceret, detecta est quaedam malefica mulier artes maleficas contra eum exercuisse. Quae cum non confiteretur, iuditio Dei commissum est, ut quod verum latebat eventu victoriae inter duos campiones probaretur. Factis ergo sacramentis, decertaverunt inter se diu multumque missus comitis Stephanus et defensor maleficae Willelmus. Stephanus victor sine dampno sui corporis fuit; alter capite quassato, sanguine coopertus, ab hora tercia usque nonam in pedibus stans, victus semivivus in manibus deportatus, longo[a] tempore lecto decubuit. Nec sic malefica confessa est, a tribus tamen mulieribus, quae his maleficiis cum ea interfuerunt, testimoniis convicta est. Narrat Hieronimus, Anthiocum[b] Epifanen fantasiis maleficorum versum in amentiam, et quibusdam erroribus oppressum morbo interisse. Nec[3*] mirum, si Deus permittit, christianum prestigiis maleficorum corpore aegrotare, cum beatum Iob sciamus a diabolo percussum gravi ulcere et Paulum ab angelo sathanae colaphizatum, nec timenda sit corporis perituri aegrotatio, graviorquę sit animarum quam corporum percussio. Comes ergo pepercit maleficae mulieri nec sinit eam tormentari. Ab episcopis vero et abbatibus penitenciam accipiens idem Willelmus comes, omniaquę sua disponens, et inter filios suos et coniugem suam nominatim, prout sibi visum est, honorem suum ordinans, reconciliatus et absolutus est, et toto quadragesimae tempore missas et cultum[c] Dei frequentavit, quousque prima ebdomada maiori ante

1* quod dici dolor est *add.* 2.

2* *Sequentibus omissis, pergit* 2: Permansit Stephanus vero, et exiliens corpore inlesus, eadem ora venit currens pedibus gratias Deo referre ad tumulum beati Eparchii, ubi nocte praeterita pervigil excubaverat, et deinde equitans reversus est in civitatem, ut reficeret. Malefica vero, multis tormentis ignorante comite mox excruciata[d], nec sic confessa est, et a diabolo corde obturato, nullum verbum vel vocem ex ore proferebat, a tribus vero tantum mulieribus, que cum ea interfuerunt his maleficiis, convicta est testimoniis, quasdamque fantasticas ex limo[e] imagines desubtus terra eedem[f] mulieres extraexerunt coram omnibus, iam putrefactas[g] diuturnitate. Comes ergo pepercit[h] malefice mulieri, nec sivit eam tormentari ulterius, et vitam ei concessit. Narrat Hieronimus in exposicione Danielis, *quae etiam in Gestis epp. Engol. c. 25. leguntur. Haec in sequentibus quoque cum 2. conveniunt sed multa plura continent additamenta.*

3* Nec — tormentari *desunt* 2, *ubi ultima tamen supra leguntur; cf. n.* 2*.

a) longuo 1. b) anthiocum *eraso* h 1. c) cultu 1. d) ēēcruciata *c.* e) lino *Gesta epp. Eng.* c. 25. f) cedem *c.* g) putrefacta *c.* h) pepersit *c.*

61) Selembria.

pascha oleo sancto et viatico muniretur, et ligno[a] crucis adorato et deosculato, in 1028. manibus episcopi Roonis et sacerdotum spiritum laudabili fine et memoria Deo redderet[b]. Apr. 6. Per biduum observatum est corpus eius a clericis et monachis in basilica sedis Petri apostoli. Planctu[1*] tota civitas repleta est. Dominica sancta osanna cum ramis et Apr. 7. floribus delatum est corpus ad basilicam beati Eparchii, et sepultum ibi ante altare sancti Dionisii. Sepelierunt eum duo episcopi Roo Egolismensis et Arnaldus Petragoricensis. Ad capud eius iussit filius eius Alduinus poni tabulam plumbeam ita scriptam: *Hic iacet domnus et amabilis Willelmus comes Egolismae, qui ipso anno, quo venit de Hierusalem, obiit in pace 8. Idus Aprilis, vigilia osanna*, 1028. *anno ab incarnatione, et tota sua proienies iacet in loco sancti Eparchii*[2*]. Itaque post sepulturam eius processerunt episcopi cum clero et populo ad sanctam processionem dominicam, et stationem[3*] peregerunt. Successit pro Willelmo Hilduinus filius eius in principatu Egolismae, et praeclarum laeticiae signum in initio principatus eius ostensum est, cum de dolore sepulturae transiit populus ad laetitiam, obviam domino exclamans: *Osanna in excelsis; benedictum regnum patris nostri David*, preferens manibus victoriae palmas, ramos securitatis et flores suavitatis. Optulit supradictus Willelmus pro sepultura sua sancto Eparchio diversa et preciosa munera[4*], auro et argento multo, et curpivit[c] Vasnacum Boscum, et laxavit[62] duo candelabra argentea pensantia trecentos solidos, et laxavit unam 62 crucem auream cum gemmis processionalem.

67. Crastina vero[d] post sepulturam eius die Blavia castrum dolo subtractum est comiti Alduino a Iosfredo fratre eius. Mox[5*] comes Ilduinus cum virtute militari illuc tendit, et cito ipsum castrum capiens in deditionem accepit, et missa illic custodia militum, Egolismam regreditur ad celebrandum pascha. Quo regresso, frater eius Iosfredus per dies fortissimos parasceue et sepulturae et paschae contra Blaviam extruxit aliud novum castellum. Hoc comperto, Ilduinus nequaquam praetermisit opus Dei, sed cum magna gloria et laeticia sanctum pascha celebravit. Et post diem tercium festivi- Ap. 14. tatis, commoto electo exercitu, ad bellum committendum exiit; audiverat enim, fratrem suum velle cum eo confligi et exercitum adgregari. Itaque castrum noviter munitum obsedit[6*], et prelium praestolatur feroci corde. Sed nequaquam frater eius presumsit eum lacescere[e] ad pugnam, videns robustam eum habere manum; et[7*] post dies octo, expugnato et capto castro, supplex venit ad eum, cui protinus comes Ilduinus ignovit et pacem consensit, et facti sunt amici. Et tunc in beneficio tres partes Blaviae comes concessit fratri suo Iosfredo, quartam sibi retinuit, et conditionibus congruis pacificati sunt amore praecipuo[8*].

68. Qua tempestate Odolricus, sancti Marcialis abbas vigilantissimae honestatis, Egolismam venit ad Ilduinum comitem. Ipse vero tunc donavit sancto Marciali aecclesiam sanctae Mariae in territorio Burdegalensi cum insula magna Dornoniae[63], in qua 63

1* Planctu t. c. r. est *desunt 2. leguntur in Gestis epp. Engol., ubi etiam additur:* multitudo nobilium et turbarum undique flens advenit.

2* Interea iussu Alduini flammis exuste sunt malefice mulieres extra urbem. Postquam vero comes sepultus est, mox processerunt *2. G. epp. Eng.*

3* sollemniter *add. 2.*

4* tam in terris quam in filis[f], auro et argento multo aliisque rebus. Inter ceteras[g] donaria obtulit crucem auream cum gemmis preciosis pensantem libras septem, candelabra argentea Sarrasenisca[h] fabrefacta pensantia[i] libras quindecim, *2. G. epp. Eng., quae etiam add.:* totam silvam de Veniaco, quae antiquitus in dominio sancti Eparchii fuerat, sed demum propter abalienata illi erat ab antecessoribus comitibus.

5* Mox comes — exercitum adgregari *desunt 2.* 6* ilico *add. 2.*

7* et post — sunt amici *desunt 2.*

8* Tunc Iosfredus filium[k] suum commendavit in manibus fratri suo Alduino comiti propter castra duo, quae sunt in Sanctonico, scilicet Archiacum et Botamvillam, quae semper adtinent ad comitem[l] Egolismensem[m] *add. 2. G. epp. Eng.*

a) lignum 1. b) reddere 1. c) *fort. legendum:* guerpivit. d) u. die p. s. e. die 1. e) lasescere 1. f) silvis *G. epp. Eng.* g) ca *c.* h) sarravifa *G. epp. Eng.* i) pensancie *c.* k) filiu *c.* l) comitatum *G. epp. Eng.* m) etglmensem *c.*

62) i. e. dimisit, tradidit, a laxare, *laisser.* 63) Dordogne.

est sita; et est ipsa insula vel aecclesia uno plus miliario a castro Fronciaco, quod erat in dominio proprietatis supradicti comitis cum omnibus in circuitu terris et castellis. Quam possessionem retinebat ex iure hereditario uxoris suae nobilissimae, comitissae Alaiziae. Pater vero eius Willelmus reversus a Hierosolimis, multis principibus[1*] bonum fuit exemplum. Confestim enim Isimbertus episcopus Pictavinus, et Iordanus episcopus Lemovicus, et comes Fulco, pluresque primatum[2*] Hierosolimam tendunt.

69. His diebus concilium adgregavit episcoporum et abbatum dux Willelmus apud Sanctum Carrofum propter extinguendas haereses, quae vulgo a Manicheis disseminabantur. Ibi adfuerunt omnes Aquitaniae principes, quibus precepit pacem firmare et
c.1020. aecclesiam Dei catholicam venerari. Siguino vero Burdegalensi defuncto archiepiscopo, et Acio post eum ordinato, et non longe post vita privato, dux Aquitaniae Willelmus
c.1027. et dux Wasconiae Sancius, adgregato conventu aput Blaviam, constituerunt archiepiscopum Gotefridum, natione[a] Francum, moribus honestum. Qui ibidem[3*] consecratus est a suffraganeis[b] episcopis[4*].

1027. 70. Rex quoque Navarrae Sancius, adhibitis secum Wasconibus, super Sarracenos exercitum duxit, et devastata Hispania, cum multis spoliis et magno triumpho remeavit. Ipso denique anno rex Gallitianus Adefonsus Sarracenos populatus est magna infestatione, et quadam Hispaniae civitate per obsidionem pene[5*] sese tradente ei, dum ipse, armis depositis, furentes extrinsecus christianos a certamine sedaret hostium, ab adversariis, quibus parcere deliberavit, ictu sagittae foris muros vulneratus interiit, et sic exercitus eius dolore non sine magno regreditur, lugens principem suum[6*].

1* nobilibus, mediocribus et pauperibus 2. *Gesta epp. Eng.*
2* et infinita multitudo mediocrium et pauperum ac divitum *add.* 2. *G. epp Eng.*
3* apud Sanctum Romanum *add.* 2.
4* Nam Hislo episcopus[c] Sanctonicensis, qui archiepiscopatum ipsum susceperat vivente et rogante Atio paralisi dampnato, sponte[d] dereliquid secundum canonum instituta *add.* 2.
5* *deest* 2. 6* fortissimum *add.* 2.

a) nationē 1. b) suffraneis 1. c) epis sconiuscis c. d) spontie 1.

TRANSLATIO SANCTI LIBORII.

Ecclesiae Paderbornensis initia, qualia in loco ipso a patribus antiquis sub finem saeculi noni tradebantur, clericus Paderbornensis, natione Saxo, etiam gentis historicorum, Einhardi[1] *et poetae Saxonis*[2], *haud ignarus, historiae translationis S. Liborii inseruit, quam eam ob causam lectoribus nostris proponimus. Auctor, qui iubente Bisone*[3] *episcopo ultimo saeculi noni decennio scripsit*[4], *primo libro vitam Liborii, quondam Cenomannensis episcopi, ex gestis pontificum eius urbis aliisque scriptis concinnavit; qua nos facile carere possumus; at translationis historiam ab Idone presbytero, rei gestae teste optimo, utpote legationis Paderbornensis principe, se accepisse profitetur*[5].

Liber in ecclesia Paderbornensi servatus, saeculo XII. ab auctore vitae Meinwerci transscriptus, in alteram quoque eiusdem translationis historiam transiit, quae in Actis SS. p. 425 *ex legendario Cenomannensi habetur, a re tamen nostra aliena est et erroribus scatet. Opus in Actis SS. T. V. Iulii p.* 414 *sqq. ex codicibus Corsendonkensi et Bodecensi editum, iam ope codicis*

1) *Trevirensis N.* 1409.[6], *olim S. Albani, circa annum* 1100. *scripti, optimae notae, ubi inde a fol.* 21. *inter alias Sanctorum vitas habetur, a Waitzio nostro paucos ante menses evoluti, emendatius prodit.*

1. Descriptis superiori libello vita et transitu preciosissimi confessoris Christi atque pontificis Liborii, nunc secundum tuam, Biso, praesul egregie, iussionem, ad exponendam seriem translationis eius sacratissimi corporis, et ostensa per eius merita virtutum signa, pro concessa divinitus facultate, stilum mentemque convertimus; excitante studium nostrum pensatione sollicita, qualiter vobis obtemperare, quantum deferre debeamus, maxime cum eorum officii dignitate sublimatos, quibus divina voce dicitur: *Qui vos spernit, me spernit*, non dubitetur, vos minime sine Dei contemptu posse contempni. Proinde ad retexendas[a] cum laude debita virtutum operationes, per quas sancti Spiritus gratia solet electorum merita declarare, eo, quo te praecipiente huic operi insistere debuimus, nullum oportunius tempus occurrit: appropinquante videlicet sacra sollempnitate adventus eiusdem Spiritus paracliti, qui beati Liborii et in hac vita manentis inhabitator apparuit, et nunc ipsius sanctitatis per miracula index et glorificator existit; cuius nos ad susceptum opus auxilium haudquaquam inefficacibus votis invocaturos speramus, praesertim cum non aliud quam quod ipse adveniens mentibus, quas replevit, ad proferendum inspiravit, Dei scilicet magnalia loqui, et ipsum mirabilem in sanctis suis monstrare, conemur. Sed antequam ad rei gestae ordinem veniamus, causam translationis memoratae, atque exordium constructionis aecclesiae, quae tanto caelitus illustrari meruit thesauro, referre breviter congruum arbitramur. Luc. 10, 16.

2. Igitur ubi primum gloriosae memoriae Karolus imperator, concertatione longissima et variis praeliorum eventibus cum gente Saxonum exactis, illos ferro edomitos Christi fidem suscipere fecit suoque addidit imperio, clarum ilico dedit inditium, qua fretus intentione tam diuturnum laborem infatigabilis ferre potuerit. Siquidem, ut in libello vitae ipsius legitur, triginta et tribus continuis annis bellum cum gente eadem gessit. Qua tandem partim armis, partim liberalitate, per quam maxime primorum eius animos sibi devinxerat, superata, totum exinde suum ad hoc contulit studium, ut pro Einh. Vita c. 7.

a) retexandas *corr.* retexendas 1.

1) c. 2. 5. 2) c. 2—5. 3) c. 1. 4) Nam Poetae Saxonis carmine iam usus fuisse videtur, et Biso ineunte saeculo decimo obiit. 5) c. 7. 6) alias 1159. et 1382.

Poeta Saxo a. 803. v. 34 sqq. tantarum salvatione animarum populi, post tot secula cultum daemonum relinquentis, fructum sui laboris ex Dei remuneratione consequeretur. Et ut se magis christianae religionis quam regni sui dilatandi causa tantae rei difficultatem aggressum ostenderet, aecclesias per omnem regionem illam, ad quas rudis in fide populus confluere doceretur et sacramentis caelestibus initiari consuesceret, sub quanta potuit celeritate construi fecit, atque parrochias diligenti ratione suis quasque terminis servandas designans, quia civitates, in quibus more antiquo sedes episcopales constituerentur, illi penitus provinciae deerant, loca tamen ad hoc, quae et naturali quadam excellentia et populi frequentia prae caeteris oportuna videbantur, elegit. Tum vero vix repperiebantur, qui barbarae et semipaganae nationi praesules ordinarentur; cuius interdum ad perfidiam relabentis cohabitatio nulli clericorum tuta videbatur; cui aecclesiasticum officium, et quicquid ad rerum divinarum pertinet cultum, non solum deerat, verum ignotum omnimodis erat. Quocirca unamquamque praedictarum pontificalium sedium cum sua diocesi singulis aliarum regni sui aecclesiarum praesulibus commendavit, qui et ipsi, quotiens sibi vacaret, ad instruendam confirmandamque in sacra religione plebem eo pergerent, et ex clero suo personas probabiles cuiuscumque ordinis, cum diverso rerum aecclesiasticarum apparatu, ibidem mansuros iugiter destinarent; et hoc tamdiu, donec annuente Domino salutaris illic fidei doctrina convalesceret, et ita divini usus mynisterii proveheretur, ut proprii quoque in singulis parrochiis digne et fiducialiter possent manere pontifices.

3. Inter omnia vero loca, constituendis principalibus aecclesiis in hac de qua loquimur provincia designata, Patherbrunnensis sedes speciali quadam dignitate praecellit, habens amplissimam circumquaque planiciem, nemorum tamen frequenti et varia diversitate sufficienter ornatam, agros uberes et frugum omnium feracissimos. Cui adiacet a leva in ipso moeniorum prospectu silva, multis passuum milibus in longum latumque diffusa, adeo pecorum et armentorum pascuis apiumque servandarum usui oportuna, ut illi non dissimilis videatur regioni, quam sacrae litterae vocant terram lacte et maelle manantem. Accedit ad ornamentum loci saluberrimorum fontium, intra ipsum oppidum in unum pariter alveum confluentium, incomparabilis tam species quam numerositas, in tantum ut eorum latitudini et amoenitati similes esse alibi minime compertum habeamus. Nec desunt hinc inde et alia flumina, utilitatum, quae ab his petuntur, largissima. Aer ibidem et aura placidior, et licet in frigido terrarum tractu, naturali gratia temperatior, citius quam in aliis illarum regionum partibus maturitatem cunctorum fructuum afferre consuevit. Praeterea pagus ipse, ut et nostra memoria et veterum relatio testatur, viris omni nobilitate generis animique semper insignibus abundabat, ut non esset dubium, quin patria civibus et cives patriae congruerent, ac sibi utraque vicissim ornamento forent. Et haec quidem pauca de pluribus hinc a nobis non ex superfluo dicta animadvertet, qui christianissimi principis ex hoc quoque in Deum devotionem comprobabit, quod ea, quae ex tanta locorum amoenitate iure belli adquisita sub sua potuit tenere ditione, divino magis servitio quam suis deputaverit usibus. Tamen interdum pro variis gentis eiusdem utilitatibus generale placitum habiturus, illuc populi
785. conventum fieri iussit, et hac ibidem causa aliquandiu solebat inmorari.

4. Nam et vir sanctissimus et vere apostolicus papa sedis Romanae, Leo[a] nomine,
799. iniusta civium odia[b] perpessus, illic eum adiit, pro sedandis contra se ortis simultatibus imperialem opem quaesiturus. A quo cum ingenti, ut par erat, honore susceptus, religiosum eius ac salutare christianitatis dilatandae studium nobiliter inchoatum apostolica auctoritate firmavit, atque in aecclesia tunc ibidem noviter constructa quoddam altare consecrans, adorandas in eo reliquias prothomartiris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocavit; fiducialiter id principi promittens, quod oratorium illud, tanti martyris patrocinio munitum, non ulterius passurum foret iniuriam, quam ipso referente prius ei contigisse cognovit, ut videlicet ob incolarum loci perfidiam et odium in religionem christianam aliquotiens igni traderetur. Et ob hanc causam maxime easdem reliquias ibi rogatu imperatoris recondidit, non sine effectu congruo fiduciae sponsionisque suae,
1 cum nichil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit[1].

a) *post add.* 1. b) odium 1.

1) cf. Vitam Meinwerci cap. 7. Anno 1000. ecclesia cathedralis combusta est.

5. Hoc igitur ordine Patherbrunnensis aecclesiae sedes episcopalis tam imperatoria sanctione quam apostolicae benedictionis auctoritate primitus constituta, ob causam superius memoratam commendata fuit aliquamdiu tuicioni praesulum cuiusdam castelli orientalis Franciae, quod sermone barbaro Wirzeburch appellatur. Sub quorum regimine status rerum ipsius parum proficere potuit, quippe cum loca ipsa longa inter se terrarum intercapedine distarent, et praefatos praesules raro hanc novellam aecclesiam invisere vel occupatio permitteret vel commoditas suaderet. Neque enim ibi deerant negocia, quibus procurandis insisterent, neque huc pergendi laborem parvum faciebat itineris longitudo. Ibi res necessariae sufficientes et ordinatae; hic et tenues et cum difficultate noviter ordinandae. Quocirca merito utilius visum est, hanc sedem suum per se habere antistitem, qui non alibi occupatus, hic tantum agendis rebus praesens insudaret. Erat tunc temporis in clero Wirziburgensi vir magnae humilitatis atque modestiae, Hathumarus nomine, de gente nostra, hoc est Saxonica, oriundus; qui cum adhuc puer esset, belli tempore Karolo[a] imperatori obses datus, illic servari iussus est. Ubi postea tonsoratus, ac studiis litterarum traditus, in virum perfectum moribus et eruditione profecit. Hic ex praecepto principis primus est Patherbrunnensis aecclesiae ordinatus episcopus. Post cuius ordinationem paucis annis transactis, idem gloriosissimus princeps ab hac luce migravit. Cuius incomparabilem in omni virtutum gloria praestantiam licet 814.
libellus de vita eius conscriptus plenissime referat, nos tamen hic aliquid de eo vel breviter dicere, ipsius in nos beneficii magnitudo suadet. Quem arbitror nostrum iure apostolum nominari; quibus ut ianuam fidei aperiret, ferrea quodammodo lingua praedicavit. Qui cum tociens victoria potitus, quotiens in procinctu positus, multas sibi gentes, multa regna subiecerit, constat tamen eum gloriosissime etiam de diabolo triumphasse, cui tot animarum milia, prius sub eius tyrannide captiva, in conversione nostrae gentis eripuit, et Christo domino adquisivit. A quo illum recipere praemium et confidimus et optamus, ut fruatur in caelis apostolorum consortio, quorum functus est in terris officio.

6. Ut vero ad propositum redeamus, defuncto Karolo, Hathumaro quoque episcopo non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem, ut credimus, vitam assumpto[2], successit ei vir egregius, nomine Baduradus, qui et ipse ex hac regione nobili ortus prosapia, ex eiusdem aecclesiae clero electus est. Qui praeclarae morum[b] nobilitatis, magnanimitatis et industriae merito familiaritatem regiam intime consecutus[3], tantae 3
dignitatis locum promeruit, ut ei non minor facultas quam voluntas amplificandae, provehendae atque adornandae aecclesiae sibi commissae suppetere videretur. Tunc vero, tamquam ad hoc sibi datam divinitus excellentiam adverteret, nichil sui laboris studiique subtraxit ab adquirendis ac procurandis omnibus, quae ibidem ad divinae laudis augmentum, ad utilitatem christiani populi noverat pertinere. Haec illi cura prima imminebat, aecclesias per omnem parrochiam suam sub celeritate construere, principalem vero basilicam ingenti decore et grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare, augmentare clerum, disciplinam monasterialem instituere, pueros tam nobiles quam inferioris conditionis, in scolam congregatos, in divinae legis eruditione nutrire. Quod eius laudabile studium ita felix profectus comitabatur, ut vere illum ad hoc a Deo praesignatum et rudimentis eius loci caelitus concessum dicere valeamus.

7. Quia vero rudis adhuc in fide populus, et maxime plebeium vulgus, difficile poterat ab errore gentili perfecte divelli, latenter ad avitas quasdam supersticiones colendas sese convertens, intellexit vir magnae prudentiae, quod si praecipui alicuius sancti illuc corpus allatum, miraculorum, ut fieri solet, ostensione et gratia sanitatum suadente, multitudo plebis inciperet venerari, et ad eius patrocinia confluere consuesceret, nulla re eam facilius ab infidelitate posse revocari; praesertim cum verbis doctorum de divina virtute non credentes, tamen his, quae oculis viderent, quae beneficiorum utilitate sentirent, fidem derogare non possent. Praeterea cunctis fidelibus ibidem manentibus vel eo convenientibus magnae hoc apud Deum intercessionis solatium, maximam eidem

a) karoli 1. b) modum 1.

2) a. 815. occurrit in Hist. Translat. S. Viti c. 8. Mon. SS. II. 579. 3) a. 834. eum Hludowici Pii legatum ad Hlotharium fuisse, in Thegani c. 54. legimus. SS. II. 602.

836. loco tuicionem et gloriam collaturum fore, non dubitans, ad id obtinendum sedulae cogitationis curam intendebat. Et quoniam a Deo, qui est fons bonitatis, quicquid optatur boni, et maxime rem tantam noverat expetendam, indicto ieiunio et celebrata supplicatione publica cum omnibus sibi commissis, ab eius clementia demonstrari sibimet postulavit, quonam ordine pro adipiscenda re desiderata deberet insistere. Unde fidem eius benigne respiciens, dignatus est ei revelare, quod ad Cenomanicam urbem Galliae rem diu optatam petitum ab episcopo loci mittere deberet; ibi dandum votis eius effectum prosperum fore. Ex hac revelatione indubia spe animatus, accelerare negotium studuit. Episcopus, qui praefatam urbem eo regebat tempore, Aldericus nomine fuit. Ad hunc ergo cum consensu et praecepto caesaris Ludowici nuntios destinandos elegit, ex clero quidem suo personas probabiles et in sacris ordinibus religiosam vitam ducentes, necnon et quosdam laicos nobiles, quorum fidem et industriam ad tale opus idoneam noverat. Clericorum vero, quibus id negocii commendatum est, praecipuus erat quidam presbyter, Ido cognomine, qui omnem suae profectionis historiam, et signa quae in ea divinitus ostensa perspexerat, partim viva voce intimata, partim litteris breviter annotata, ad nostram fecit noticiam pervenire.

8. Igitur anno dominicae incarnationis octingentesimo tricesimo sexto, indictione quarta decima, cum praefatus Ludowicus tercium et vicesimum in imperio annum ageret[4], legati Apr. 28. Patherbrunnenses[a] de Saxonia profecti, ad urbem Cenomannicam quarta[b] Kalendarum Maiarum die venere; insinuantesque episcopo causam pro qua missi fuerant, benigne ab eo Apr. 29. suscepti, Dei nutu, ut credimus, sine mora petita impetraverunt. Sequenti namque die convocans omnem clerum, praesente quoque suo corepiscopo, David nomine, tractare cum eis diligenter coepit, qualiter missorum, de tam longinqua regione venientium, religiosis precibus decenter in hoc posset annuere, ut sancti alicuius integros, ut petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidem sanctorum corporum magna copia; inter quae sancti Liborii, quondam praesulis eiusdem urbis, praecipue glorificatum miraculis habebatur insigne. Quod cum episcopus praefatis nuntiis dare disponeret, reniti primo coepere plurimi, dicentes se illis pigneribus preciosius nil habere. Tandem vix omnium impetrato consensu, assumptis secum sacerdotibus et cuiuscumque gradus clericis, sacri mynisterii vestibus ornatis, missos quoque, qui sanctos artus accepturi erant, adesse praecipiens, processit ex urbe ad aecclesiam, in qua sacratissimum beati Liborii corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem aecclesia iuxta civitatem posita, et in honore duodecim apostolorum dedicata, quam primus eiusdem sedis praesul, nomine Iulianus, condidisse fertur. Ad hanc itaque memoratus episcopus, denuntiato ieiunio, cum sacro illo comitatu humiliter ac devote, ut ad tale opus decebat, perrexit, vicissim psalmos, letanias ymnosque decantans.

9. In quam cum ipse et plures secum sacros artus de mausoleis[c] levaturi, convenissent, mirum dictu, sensere cuncti inaestimabilis odoris suavitate totam domum repente completam. Qui dissimilis odoramentis omnibus, quae in terris vel natura vel arte fiunt, clarum caelestis cuiusdam praesentiae dedit indicium. Ita enim omnium qui aderant mentes magis quam corpora ineffabili iocunditate immutaverat, ut velut in extasi positi, et aliarum rerum obliti, tantum ibi manendi delectatione tenerentur. Nec dubium, quin ipse tunc fuerit in medio multorum fidelium in suo nomine congregatorum, qui paucis quondam discipulis tantam suae visionis dulcedinem praebuit, ut primus eorum Luc. 9, 33. diceret: *Domine, bonum est nos hic esse.* Nec erat incongruum, ut eorum meritis odoris fraglantia testimonium daret, cum quibus apostolus dicit: *Christi enim bonus odor* 2 Cor. 2, 15. *sumus Deo.* Erant autem in eodem loco aliorum quoque membra sanctorum, in sarcofagis honeste recondita, maxime episcoporum civitatis illius; ex quibus tunc simul cum beati Liborii corpore datae sunt reliquiae Pavacii videlicet atque Gundanisoli. Per totum autem illud diei spacium, quo sancti Liborii membra de tumba levata, in feretro locanda componebantur, praedictus odor numquam defuit, quo minus dubitaretur illi operi mynisterium praebuisse, quo coepto inchoavit, quo finito non diutius mansit.

a) patherbrunnes 1. b) quinto *ed.* c) mansoleis *corr.* mausoleis 1.

4) Temporum notae congruunt.

10. Dum haec in templo agerentur, foris quoque aliud signum eadem contigit hora. Nam mulier quaedam ab annis plurimis caeca, in conspectu populi, qui satis frequens pro foribus stabat, interventu ipsius, cuius corpus interius ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam eius tam prioris erumpnae quam novae sanitatis omnes fere qui aderant testes erant, adeo multitudinis animos res gesta commovit, ut omnes simul in laudem Dei, elata in excelsum voce, prorumperent. Quod audientes qui cum episcopo erant intra clausas oratorii ianuas, statimque miraculo quolibet populum in tantae gratulationis clamorem excitatum intellegentes, et ipsi pro viribus divinae pietati gratias agere ac prae gaudio flere coeperunt. Cumque suas utrimque voces, qui intus et foris erant, recognoscerent, uno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupere planctum, ut vix quisquam continere lacrimas posset. Sed episcopus videns cantum divinae laudis fletu exigente intermissum, coepit ipse rursum antiphonas et psalmos sanctorum gloriae congruentes cum clero psallere, atque ita confusae multitudinis clamorem conpescuit.

11. In ipso vero momento, priusquam illud sacratissimum corpus de ecclesia, in qua sumptum est, efferretur, etiam tercio signo eius declarata sunt merita. Denique vir quidam horribiliter longo tempore vexatus a daemonio, et multis iam fama tantae miseriae factus notissimus — quippe qui per multas aecclesias et monasteria ductus, nusquam suae remedium calamitatis accepit — tandem cum matre propria veniens ad aecclesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter sacerdotum manus habebatur, confestim ita purgatus est, ut nec signum quidem ultra talis pertulerit passionis.

12. Tum vero antistes, ne quam nuntiis memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud corpus cum omni reverentia suis et sacerdotum manibus deportari fecit in urbem, ad principalem suae sedis aecclesiam[5], ut hoc ibi coram populo his qui accepturi erant honorifice commendaret. Comitabantur vero, nec usquam deerant, velut praesentis Dei virtutis sanctum suum mirificantis indicia. Nam ubi primum aecclesiae quam diximus illatum est, ingressus pariter quidam claudus utroque pede, et multis in hac debilitate detentus annis, mox ut caput ad adorandum inclinavit, recepit integram sanitatem.

13. Transacto deinde parvo diei spacio, mutus quidam, diuturno inutilis linguae dampnatus silentio, subito sibi vocis organa sentiens restaurata, omnipotentis Dei misericordiam eiusque confessoris et pontificis Liborii patrocinium plano coram omnibus sermone laudabat.

14. Sed cum ita coruscantibus supernae gratiae beneficiis celeberrimus ageretur dies, postremo maiori quoque miraculo novum fidelibus gaudium, nova data est materia gratulandi. Licet enim omnia Deo sint aequę facilia, magis tamen solemus mirari, cum dantur nova et numquam habita, quam cum amissa et perdita restaurantur. Hic eadem rursus fiunt, quae naturali ordine prius
facta fuerant; ibi mira[a] Dei virtus tribuit, quod 836
natura negavit. Vir quidam ab ortu nativitatis in tantum a genibus deorsum debilitatus, ut tibiae cum pedibus arefactae, graciles et contortae, omnem ambulandi usum penitus denegarent, in praedicta aecclesia ante veneranda sancti Liborii pignera deportatus est. Atque ilico vivaci vigore nervis venisque infuso, et dissolutis ante compagibus solidatis, recto gressu coepit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis atque gratulantis populi circa eum concursus, certatim omnibus videre cupientibus, quod paulo ante numquam se visuros arbitrabantur. Neque enim velut infirmis aut titubantibus vestigiis gradiebatur, sed coram omnibus, qui eum numquam antea sanis terram plantis tetigisse noverant, celeri motu currens et exiliens, Christo domino eiusque sancto confessori gratias referebat. Agebat hoc nimirum ipse per successorem apostolorum, qui per ipsos quondam Act.
apostolos eodem modo claudum a nativitate simili 3, 8.
gratia sanari concessit.

15. His ita gestis, cum inclinata iam die dominicae noctis appropinquaret exordium, praecepit episcopus, clerum omnem ad vigiliarum sollempnia maturius convenire, ut his peractis statim primo diluculo praefatis nunciis, optatum munus accipientibus, redeundi ad patriam oportunitas optata daretur. Convenit autem laicorum pariter grandis numerus, quos ostensa priori die miracula ad querenda sanctorum pigneribus patrocinia ingenti delectatione invitaverant. Cumque, prope finito matutinae laudis officio, aurorae ortus illucesceret[b], lux lucis et fons luminis illuminavit civem urbis eiusdem, qui caecus genitus usque in diem illum coevam sibi eam miseriam tolerabat. Sed qui in
euangelio legitur per semet ipsum hominem a poena Ioh. 9.
simili liberasse, hunc quoque per electum membrum suum a tenebris diuturnae noctis eripiens, ignotam prius lucem videre concessit.

16. Eadem hora eodemque in loco, id est in aecclesia, coram clero divina carmina concinente, multisque aliis fidelibus aspicientibus, arreptus quidam a daemonio, vexari miserrime coepit. Diu namque ab eo torqueri ante solebat; sed tum interventu eiusdem confessoris, expulso hoste nequissimo, sospitatem mentis recepit, nec deinde in se ullum larvalis fantasmatis sensit horrorem. Ita illius diei exordio geminata laeticia caelitus illustrato, infinitam populi multitudinem sexus utriusque atque omnis conditionis et aetatis, tam ex ea regione quam ex vicinis urbibus, tantorum signorum late circumvolans fama contraxit. Celebratis vero missarum sollempniis, accelerabat episcopus sanctum illud corpus his, qui ad patriam secum delaturi erant, commendare, ipsumque cum honore debito ex urbe deducere, antequam adveniens turbarum immensitas eorum iter impediret. Ornatur itaque clerus omnis sacerdotalibus aecclesiasticis indumentis, elevatoque feretro sanctorum pignerum in humeris sacerdotum, sonantibus quoque signis omnium per urbem aecclesiarum, ac praeeuntibus, qui sanctae et vivificae crucis vexilla sanctorumque euangeliorum libros et sacras

5) S. Mariae, postea ab Aldrico episcopo S. Iuliano dedicatam.

a) miracula *corr.* mira 1. b) illuscesceret 1.

836. reliquias in aureis argenteisque reconditoriis cum aromatibus praeferebant, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione, cum psalmis, ymnis et antiphonis, in oratorium sancti Vincentii, situm iuxta portam urbis, per quam egressuri erant. Prosequebatur autem maxima multitudo plebis, sed non minor ibidem obviavit, quae, signorum rumore audito, undique confluebat.

17. Tum vero non levis oritur contra praesulem populi quaerimonia, clamantibus plurimis, magni se patrocinii tuicione privari, ablato a se corpore tanti confessoris, cuius intercessione solerent ab omni adversitate muniri; hoc suae regionis unicum post Deum fuisse tutamen, hunc honorem maximum, hanc gloriam singularem; timere se merito posse, ne translatis eius venerandis artubus, pariter nominis eius in brevi veneratio memoriaque neglecta indignos eos ipsius interventu apud Deum faceret; arbitrari sese, pastoris pocius officio convenire, sanctorum pignera ad munimentum gregis sibi commissi undecumque adquirere, quam eorum quae haberent preciosissima queque in alias mittere nationes. Commotus aliquantum his vocibus antistes, et maxime lamentantis turbae acclamatione, tandem facto silentio, populum in eadem aecclesia sancti Vincentii ita breviter allocutus est: *Non est*, inquiens, *equum, fratres, quemquam vestrum putare, me in tantum aut commissae mihi sollicitudinis aut vestrae simul meaeque salutis oblitum, ut haec nostri perpetualis patroni pignera sine certa ratione ex hoc loco transferri permitterem. Si enim, cum apud nos sanctorum corpora Deo miserante satis habundent, illi populo, qui nuper ad fidem vocatus, et eorum aut parum aut nichil penitus habens, a nobis huius suae necessitatis solatium humiliter postulat, omnino assensum praebere dedignamur: fatendum est, nos euangelici apostolicique praecepti contemptores, contra ius karitatis fraternae claudere a fratribus viscera nostra. Absit vero hic error procul a cordibus vestris, ut putetis, electos Dei iam cum ipso regnantes ibi tantum, ubi corporaliter eorum habentur reliquiae, intercessionis suae praestare beneficium posse; quin pocius credendum est, eius patrocinium in hac aecclesia, quam in carne positus fideliter rexit, et in qua finem vitae mortalis accepit, omnibus pie quaerentibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo, noviter ad Deum converso novos sibi servitores et veneratores adquiret, ad quos corporali praesentia suorum pignerum accedet; sed a vobis spiritalis eius protectio numquam recedet. Sciendum quoque, quod serenissimus imperator id ipsum fieri praecepit, cuius quicumque potestati resistit, Dei nimirum ordinationi resistit. Praeterea luce clarius ostensum est, Dei pariter et huius ipsius sancti patroni nostri Liborii placere voluntati, ut ad illam, in qua cum summo cunctorum desiderio exspectatur, regionem adveniat. Quod si non ita esset, ab inchoato heri istius translationis exordio, usque in hanc horam tanta nequaquam miracula coruscassent. Cum enim placatus potius quam iratus Deus dona caelestia largiatur, quisnam existimare potest, quod si hoc opere offenderetur, tantis illud signorum beneficiis illustrasset? Quocirca, fratres, ab hac intentione desistite, ne divinae dispensationi comprobemini palam resistere voluisse.*

18. Cum his et aliis multis admonitionibus, et maxime Dei nutu, sedata plebis commotio quievisset, praecepit pontifex, eos, qui per totum biduum a variis debilitatibus seu ab inmundis spiritibus liberati fuerant, in unum congregatos, ad conspectum multitudinis noviter advenientis adduci, ut eorum omnem et pristinae calamitatis et novae reparationis hystoriam pandens, divinam clementiam faceret ab omnibus unanimiter collaudari. Ubi primum vero populus coadunatum illud recens sanatorum agmen aspexit, quos nudiustercius diversis passionibus[a] affectos, iam tunc sanissimos esse cognovit, subito ex omni parte infinitae multitudinis vox magnae gratulationis exoritur. Nec datur ullus episcopum loquentem audiendi locus; sed nemine tacente, nemine alium expectante, pro se quisque qua poterat Deum voce laudabat. Cumque etiam clerus, episcopo incipiente, ymnum Te Deum laudamus, et quaedam alia tantae laeticiae convenientia decantaret, inmensae illius iubilationis sonus inexplebili supernae laudis delectatione in longum diei spacium protelatus est. Quo tandem finito, advocatis sepe memoratis Baduradi episcopi missis, beatae memoriae Aldericus antistes preciosissima illa quae supra diximus pignera coram omni clero et populo commendavit, sub obtestatione gravissima, ut cum digno semper honore tractarentur, nec eis umquam omnis reverentia cultus aecclesiastici a quolibet episcopo Patherbrunnensi et clero suo quolibet tempore subtraheretur. Dehinc inter utriusque aecclesiae, Cenomannicae videlicet et praefatae Patherbrunnensis, congregationes, firmata karitate perpetuae fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos tamen una cum multitudine extra civitatem aliquamdiu prosecutus, cum paucis suorum rediit, quoniam a tam glorioso comitatu vix quisquam nisi invitus separabatur.

19. Et illi quidem, annuente perspicua Dei clementia, voti sui se compotes effectos summopere gratulantes, Kalendis Mai ab urbe Cenomannica profecti, cum omni studio ad patriam festinare contendunt. Cuius itineris gloriam ac laeticiam quis digne valeat enarrare? Oportunum tamen credimus viam omnem celeri stilo percurrere, annotatis tantum locis, in quibus praecipua sunt eademque certissima gesta miracula. Nam omnia, quae sacrum illud iter caelesti quodam lumine illustrarunt, ne illorum quidem aliquis, qui praesentes fuerunt, dicere aut memoria potuit retinere. Illis itaque proficiscentibus, praedicta die iuxta locum, vulgo Pontleuva[6] nominatum, secutus eo quidam ex familia pertinente ad servitium aecclesiae ipsius sancti Liborii, quem et sensum audiendi et sermonis usum numquam habuisse magna pars populi noverat, dominum suum, ut sui misereretur, quia voce non poterat, gemitu et lacrimis precabatur. Cumque crebro caput inclinatum, expansae manus, levati modo ad caelum modo ad sacrum feretrum oculi, satis internum eius affectum indicarent, nec iam prae lassitudine sequi longius posset, tandem a poena secum genita relaxatus, eo primum die coepit et audiri loquens et loquentes audire.

a) diuersionibus *e correc.* 1.

6) Pontlieve.

20. Inde coepto itinere properantes, cum ad ecclesiam quandam sancti Medardi memoria celebrem propinquarent, ibi in via quaedam mulier a longa infirmitate curata est, quam per omne tempus vitae suae prius tolerasse fatebantur*. De qua id, quamvis incredibile, multorum tamen relatione asserebatur, quod nullum alimenti genus umquam gustare potuerit, sed coclearum more in suo victitans suco, noxio tantum aleretur humore. Quod nequaquam affirmantes, id tantum dicimus, quod verum novimus, eam ad sancti Liborii patrocinium et venisse languidam et redisse incolumen.

21. Hinc ad basilicam sancti Simphorii venientes, ibidem sunt recepti hospitio, ubi noctem illam splendor pietatis divinae clare fecit illucescere. Nam fęmina quaedam, diu malignorum spirituum se vexantium miserabile receptaculum facta, ad sepe memorati confessoris implorandum pro ea suffragium in aecclesiam adducta est. Finitis vero matutinis ex more vigiliis, cum facto iam silentio plebs egressura esset, coepit subito horrorem dirae vocis emittere, ululare, mugire, sibilare, atque per omnia beluinos imitari sonos, ut nisi praesens videretur, nihil minus quam mulier putaretur. Terrore cuncti qui aderant simul et miseratione permoti, teneri eam et ad sanctorum feretrum propius invitam trahi fecerunt. Deinde unanimes pro illa preces fundentes, cito exaudiri meruerunt. Denique statim a daemonum violentia liberata, sobria mente ac voce gratias et laudes Deo referens, euntes eos inde diu cum populo sequebatur.

22. Exinde festinato cursu monasterio sancti Sulpicii appropinquantes, vident eminus adduci mendicum quendam in vehiculo, qui miserabiliter toto pene contractus corpore fuit. Nam et pollices utriusque manus erant in medium palmae incurvati, et reliqui digiti supra ipsos pollices extensi ita eos stringebant, ut ungues radicibus palmarum hererent infixi. Reliquum corpus adeo velut in speram rotundatum videres, ut genua pectori, summitates pedum renibus iungerentur. Sed quanto eius fuerat miserabilior poena, tanto secuta est mirabilior medicina. Intervenientibus namque beati Liborii meritis, cuius opem integra[b] fide implorabat, erectis in momento ac sanatis omnibus simul membris, prosilivit de parvo illo quo vehebatur curriculo, et celeriter ad loculum sacri corporis currens, ibidem se in terram prostravit cum ingenti affectu, corde simul et ore gratias agens. Mirari populus Deumque sublatis in caelum vocibus collaudare, quod non videretur circa viventem hominem amplioris virtutis opus sub caelo fieri posse.

23. Pergentes vero ad aecclesiam quandam in honore sancti Petri apostoli dedicatam, subito daemoniacum, qui eos aliquamdiu sequębatur, conspiciunt in via media cecidisse. Ad quem erigendum cum aliqui ex plebe cucurrissent, iacuit omnino sine motu aliquo, ut ab omnibus esse mortuus non dubitaretur. Post paululum tamen erectus ad sedendum, coepit sensim quasi reviviscere, et sequenti die coram populo laudes salvatori suo rependens, sanus apparuit, acsi numquam a maligno fuerit hoste vexatus.

24. Proinde cum tantis divinorum beneficiorum donis velut caelestibus radiis micantem viam laeti carperent, quo plus cotidie gaudii quam fatigationis afferret: contigit, ut ad civitatem Carnotensem, satis amplam et populosam, devenirent. Cuius urbis episcopus, Bernwinus nomine, iam tunc aetate simul et moribus valde maturus, collectis ex more presbiteris, eo tempore synodum in urbe celebrabat. Cui cum nuntiatum esset, qualiter et quo ordine assumptum Cenomannis corpus praefati confessoris suae iam urbi appropinquaret, statim cum omni illo sacro sacerdotum collegio totoque clero suo et populo processit in eius occursum, atque cum ymnis et canticis spiritalibus illud devotissime extra urbem longe progressus excepit, iussitque ut deferretur per viam, quae ducit foras muros civitatis ad oratorium, in quo sancti Carauni[a] membra requiescunt. Cumque catervatim sequente grandi multitudine ad memoratum locum honorifice duceretur, sonantibus signis per totam urbem, et populo ad Deum excelsa voce proclamante, ut tantam sibi gratam fore devotionem Dominus declararet, multa ibidem per beatum Liborium fieri signa concessit. Ex quibus unum praecipuum hoc loco memorare decrevimus, reliqua vitandae prolixitatis causa intermittentes. Puella, quae ab exordio miserandae nativitatis membris fere omnibus curva, et velut in globum contorta, numquam vel mentum a genibus levare vel plantas pedum a femoribus removere valebat, ante loculum sanctorum cinerum deportata, singulorum officia membrorum cum integerrima sanitate suscepit. Sed quoniam brevis illa vestis, qua contractum prius corpusculum facile tegebatur, iam erectę stanti non sufficiebat, quin ex parte nuda videretur, citissime fideles quique — nam in aecclesia coram clero et populo res gesta est — raptis fęminarum facitergulis eam contexere, donec allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Ibi ergo cum spiritali laeticia noctem illam transigentes, primo mane optatum iter arripuere. 836.

25. Appropinquantes vero Parisius civitati — quam fluentis Sequanae cinctam, Iulius Caesar condidisse, et ob similitudinem insulae maris, Ysius nominatae, Parisius fertur appellasse — simili modo ab episcopo loci illius, Ercanrado nomine, omnique populo ultra pontem stratum super memoratum fluvium occurrente, suscepti, et in principalem eiusdem urbis aecclesiam deducti sunt. Erat autem dies dominica. Cumque missarum ibidem sollempnia cęlebrarentur, deducebatur in medium fęmina quaedam de vicinia eiusdem loci oriunda, quaę cum poena gravissima nata, in eadem praeteritum vitae suae tempus exegerat. Muta enim a nativitate et surda, tercio insuper tormento iacebat, quod videlicet mente capta spiritu agitabatur inmundo. Haec in conspectu omnium ad missas circumstantium vehementer anxiari coepit et sudare, postremo in pavimentum ruit. Post cęlebrationem mysteriorum ad mansionem deportata est, et ad vesperum rursus in aecclesiam delata, ibi cum multis aliis pernoctabat. Statimque ut albescente polo roseum aurorae iubar illuxit, lux magnae misericordiae Dei, effugatis ab ea tene-

*) fatebant 1.
a) catamni 1.
b) intégram 1.

836. 7 brosis tortoribus, et auditus illi et vocis facultatem condonavit. Obstupuere magnopere cuncti qui aderant, videntes eam in uno momento ita inmutatam, ut et vacua esset daemone, quo[a] plena fuerat, et plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat.

a) qua l.

26. Euntibus autem illis iuxta Montem Martyrum, cum essent iam a dextro latere insignis monasterii sancti Dionisii, occurrit ibidem servulus quidam de familia eiusdem martyris, quem et sacerdotes et cuiuscumque gradus clerici necnon et plures laici contestati sunt ab exordio nativitatis suae auditus pariter et loquelae usu caruisse. Qui appropinquans sacris pigneribus, ubi vidit plures e populo pro sua quemque facultate in honorem sancti Liborii ad eius loculum iactare munuscula, et ipse quoque satis devote aliquid de vestimentis propriis illuc offerre nitebatur. Cuius extimplo adiutus intercessione, apertis auribus et soluto vinculo linguae, in eadem hora Dei laudes canentem populum audivit, et ipse simul cum gaudio decantavit.

27. Interim festinantes cum summa alacritate iter suum peragere, devenerunt ad villam, quae Gebaloha nominatur. Ubi, sicut antea multorum fides et devotio remunerata, sic etiam quorundam contumacia digna est correptione castigata. Contigit namque ibidem, ut fluviolum quendam transire deberent. Quo cum proximarent hi qui sanctorum feretrum portabant, quatuor, qui posteriora eius tenebant cornua, recto tramite per vadum aquae incedere volebant. Totidem autem reliqui, priorem eius partem gestantes in humeris, pontem magis, per quem transirent, quaerere se velle asserebant, in tam praeclaro sanctorum obsequio calciamenta sua madefacere dedignantes. Qui cum ad pontem quendam venissent, et venerabilem thesaurum secum portantes super eum transirent, repente rupto sub pedibus eorum instrumento lignorum, omnes illi, qui in vado pedes intinguere aspernabantur, ex alto cadentes, in profundo fluminis submersi sunt. Meritis tamen sanctorum artuum, quos ferebant, illesi evasere. Illud vero sacratissimum feretrum ab ea parte, qua ab illis antequam caderent tenebatur, mirum dictu, nemine contingente, in aere pendebat immobile, donec occurrere possent, qui illud accipientes, ad vadum reveherent; atque ita demum cepto itinere perrexerunt.

28. Ex quo loco non longum iter emensi, consuetum virtutis Dei testimonium ad comprobanda merita electi sui videre meruerunt. Id ipsum tamen quod factum est quo appellatur nomine, non satis occurrit. Eventum fuisse dixerim; sed non solet res talis casu evenire. Miraculum nominem; sed id non magnopere quisquam eorum admirabatur. Quis enim velut novum miretur, quod sepius intuetur? Mulier a daemonio liberata est. Magna Dei pietas, magnum eius confessoris meritum, rem alibi raram in illo itinere fecit esse usitatam. Quae tamen mulier tunc a valde diuturna vexatione salvata — nam quindecim annis in ea laborabat — hautquaquam ingrata suo extitit Salvatori. Cum enim esset de castello, quod Bavaca[7] nominatur, non infimis orta natalibus, relicta patria et parentibus, Deo et sancto Liborio se dum viveret servituram devovit. Secutaque sancta pignera usque ad locum, in quo[a] hactenus requiescunt, in eorum servitio reliquum vitae suae spacium transegit. Circa haec eadem loca et alia plurima sunt in via ostensa miracula; sed nobis, festinantes illos ad patriam stilo prosequentibus, non vacat in singulis immorari.

29. Cum ad Hrenum fluvium pervenissent, erant in sancto illo comitatu provinciarum occidentalium populi multitudinis infinitae, qui de longinquis locis illuc secuti, iam necessario reverti ad propria debuerunt. Occurrit vero non minor mortalium numerus ex nationibus orientalem eiusdem fluminis ripam incolentibus, et maxime Saxones nostri, quorum confinia non longe ab amne memorato distant. Ipsi enim nuper ad fidem vocati, audita tantorum fama signorum, gregatim ex suis undique locis eo confluxere. Stabant igitur in utroque littore turbae innumerabiles, diverso nimis affectu sese invicem contemplantes. Siquidem suscepturis preciosum illum thesaurum quantum gratulationis et gaudii, dimissuris vero quantum meroris et gemitus hora illa attulerit, quis umquam exprimere poterit? Denique statim ut sancti corporis baiuli navem introierunt, universa plebs, quae diutius sequi non valebat, unanimiter sese in terram prosternens, cum ingenti gemitu et intenta supplicatione beati Liborii se patrocinio commendabat, testes quodammodo affectus sui largos lacrimarum ymbres effundens. Pari modo et hi, qui in citeriori littore expectabant, terrae advoluti, sacra pignera cum omni quo poterant honore suscipientes, et gratias agentes Deo, laeti cum laudibus deduxere.

30. Igitur ingressi Saxoniam, prae nimia sibi obviante turba vix gradum movere poterant. Totis tamen nisibus iter accelerantes, tandem die tercio, id est 5. Kal. Iun., quo tunc sacra pentecostes sollempnitas agebatur, ad desideratam diu Patherbrunnensem aecclesiam pervenerunt. A qua cum adhuc tribus distarent milibus, iuxta fluvium quendam Hedara vocatum, ob inmensam multitudinem, quae usque ad memoratum locum sequi non poterat, in medio campo missarum celebravere sollempnia. Quae antequam finirentur, in eodem loco quinque pariter homines a variis debilitatibus liberati, causam inmensae admirationis et laeticiae tantam Dei virtutem videnti populo praebuere. Insuper eadem hora in sepe memorata Patherbrunnensis monasterii aecclesia, cui talis gloriae decus per tanta terrarum spacia afferebatur, contigit quoddam clarum valde miraculum, velut insigni praeconio beati Liborii adventum adnuncians. Nam puer quidam de eadem oriundus parrochia, qui a die nativitatis suae surdus erat et mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit et loquelam. Agebat hoc nimirum divina dispensatio, ut in die adventus ipsius tot signa coruscantia inditio essent, eundem locum ad hoc fuisse caelitus electum, ut tanti confessoris corpore illustraretur.

7) Bavay, inter Valenciennes et Maubeuge.

31. Quod cum, innumeris undique stipatum turbis, monasterio paulatim appropinquare coepisset, episcopus quidem nequibat occurrere — nam apud palatium tunc morabatur — sed tamen clerus omnis cum universis aecclesiastici cultus ornamentis processit obviam, sequente populo, qui vel de longinquo venerat, vel ex oppido eodem et vicinis locis illuc ad audienda missarum sollempnia in tanta festivitate fuerat congregatus. Cumque sibi non parvo ab oppido intervallo uterque populus, sequentium videlicet venerabile corpus atque excipientium, obviasset, hi qui occurrerunt ter simul cuncti solo prostrati[a], summa illud cum veneratione susceperunt. Cumque clerus in ymnis et confessionibus Deum benediceret, et spiritalium carminum melodiam sanctorum laudi congruam concineret, populus vero kyrieleyson ingeminaret, cum ineffabili iubilo erectis ad Deum mentibus singulorum, nichil eius laude dulcius videbatur, ita ut in huius vitae exilio similitudinem quandam beatitudinis, quae in patria speratur, praegustasse viderentur, de qua dicitur[9]: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in secula seculorum laudabunt te.* Quem illis tantum divinae laudis amorem eius meritis credimus inspiratum, in cuius tunc exequiarum honorem fuerant congregati, quoniam et ipsius sola in caelis beatitudo, vita et gloria non nisi laus Dei est, in cuius karitate perfecta ad tantum ipsum sanctitatis culmen ascendit. Itaque cum sensim magis ac magis in altum sublatae populi voces attollerentur, etiam circumquaque gaudentium, psallentium, Deo gratias agentium et iubilantium, illi in voce exultationis per totam viciniam sonitus intonaret, cum tali honore sacratissimum corpus in aecclesiam delatum, et in loco, in quo hactenus requiescit, collocatum est. Ubi quantis postmodum miraculis effulserit, quanta sanitatum dona praestiterit, alibi dicenda reservamus, hic praesenti libello terminum imponentes. 836. Mai 28.

32. Haec denique secundum tuum, praesul venerande, praeceptum nostrumque propositum de his quae in translatione eius gesta sunt, non quidem ut voluimus et tantae rei conveniebat, sed ut potuimus et scientia suppetebat, describere curavimus; non magni pendentes in sermonum qualitate reprehendi, dum tantum integrae veritatis fide servata divinae operationis insignia silentio tegi[b] nequaquam permitteremus. Nostri enim propositi necessitas admonet, ut in huiusmodi operibus nobis iniunctis id omnimodis elaboremus, ut si nos imperitia facit ineloquentes, devotio tamen ostendat oboedientes. Nec[c] infructuoso nos sudore laborasse confidimus, si alicuius lectoris, haec in manus sumere dignantis, vel cuiuscumque audientis animus in laudem largitoris tantarum virtutum fuerit excitatus. Merito namque laudes illi et grates toto corde referimus, qui nos, inter tot erumpnas seculi laborantes, tantorum patronorum suffragiis tueri dignatur. Qui per visibiles corporum curationes ad internam nos animarum salutem quaerendam provocantes, spem tribuant per eorum exempla et intercessiones illuc perveniendi ex hac valle lacrimarum, ubi absterget Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum. Quo qui iam sanctum suum Liborium feliciter perduxit, nos quoque, licet indignos, eius interventu venire concedat, qui in Trinitate perfecta unus et verus vivit et gloriatur Deus per infinita secula. Amen.

a) prostrata 1. b) regi 1. c) Ne 1. 9) Psalm. 83, 5.

EX VITA SANCTAE LIUTBIRGAE.

Buda amnis quo, per praerupta Hercyniae saxa[1] *praeceps, orientalis Saxoniae*
planitiem ingreditur, in loco hodie Thale dicto, saeculo nono ineunte a filia
Hessi, Ostfalahorum principis, quem a. 775. *ad Ovacram Karolo Magno*
2 *manus dedisse*[2] *et a.* 804. *diem supremum obiisse*[3] *constat, coenobium Wina-*
dohusun constructum est. Cuius quidem origines et saeculo decimo translatio
Quedlinburgum ex vitis Liutbirgae virginis et Mahthildis reginae constant. Vita
Liutbirgae a clerico aut monacho dioceseos Halberstadensis, qui eam bene
6 *noverat*[4], *statim post obitum virginis*[5] *circa annum* 870.[6] *conscripta, propter*
ea tantum quae de familia Hessi comitis tradit, aliis resectis, in Monumenta
Germaniae recipienda erat. Liber, ab Andrea Lang, abbate S. Michaelis Bam-
bergensis, operi prolixo de Sanctis ordinis S. Benedicti insertus, hic ex

1) *codice ut ita dicam authentico bibliothecae regiae Bambergensis mbr. in fol. sec. XV. exeuntis, quem eximiae Viri Cl. Iaeck humanitati debemus, proponitur, additis nonnunquam lectionibus*

2) *codicis Ochsenhusani, cuius textum ex Bambergensi profluum Ferdinandus Mildenberger Mellicensis transscripsit et in Pezii Thesauro Anecdot. T. II,* 3. *p.* 147 *sqq. evulgavit, unde ab Eccardo inter Probationes historiae*
7 *Anhaltinae*[7] *recepta est. Quocum convenit*

2b) *c. regius Bruxellensis N.* 8991, *apographum codicis Ochsenhusani, a Bethmanno nostro in rem nostram versum, qui et*

3) *in eodem codice apographum codicis Bodecensis evolvit, ex Ochsenhusano aut fonte eius contracti.*

In edenda vita errores grammaticos, ut ex aliis vitis eidem Andreae Langii libro insertis patet non transcriptori sed auctori imputandos, servavimus, et capitum divisionem, qualis in codice reliquorum omnium fonte habetur, Pezianae praehabuimus, in vocibus scribendis morem potius noni seculi quam anni 1500. *secuti.*

8 *Locus vel spelunca*[8], *qua Liutburgis se includi impetravit, ecclesia et coenobio Michaelstein superstructo, ad nostra usque tempora perdurat.*

1. Temporibus imperatoris Magni Karoli, qui primus in Germaniae partibus augusti caesaris nomen adeptus est, qui multas gentes Francorum regno subiugavit, et inter quam plurimas eo tempore nobilissimam ac praepotentem viribus gentem Saxonum partim bellis, partim ingenio suo ac magnae sagacitatis industria, insuper etiam magnis muneribus acquisivit, ex paganico ritu christianae religioni subiugavit, quendam inter primores et nobilissimos gentis illius, nomine Hessi, cum aliis quam plurimis, quibus comitatum dederat, magnis etiam sustentavit honoribus, quia fidelem sibi in cunctis repererat. Is ergo praedictus Hessi masculi[a] prolis carens, unicum quem habuerat filium in adolescentiae flore defuncto, filiabus locupletem dimisit substantiam, et tandem

1) Rosstrappe hodie vocata. 2) Ann. Lauriss. et Einhardi. 3) Necrol. Fuldense a. 804. 4) c. 35. 5) Obiit intra annos 857. et 870, tricesimo scilicet anno postquam a Theotgrimo episcopo, qui annis 827—840. sedit, cellae inclusa erat; et fortasse post Anskarii a. 865. obitum, v. c. 35. 6) certe Anskario iam defuncto (cap. 35), at Hludowico Germaniae rege, quem iuniorem vocat, superstite, (v. c. 37.), ideoque intra annos 866—876. 7) Hist. genealogica principum Saxoniae superioris p. 525 sqq. 8) Ottonis I. charta a. 956. ap. Erath p. 9.

a) *ita* 1. masculae 2.

grandaevus ac bona aetate provectus, hereditate filiabus distributa, Fuldense coenobium Domino militaturus perrexit, ibique sub monachico habitu diem ultimum feliciter obiit.

2. Unam vero de filiabus eius Gislam, quae inter alios[a] maior natu fuerat, comes quidam in matrimonium acceperat nomine Unwan[b], ex quo unum filium habuit, nomine Bernhart, et duas filias, unam quae vocabatur Bilihilt, alteram vero Hruothilt; quibus utrisque in habitu sanctimoniali post obitum viri sui duo condidit monasteriola: unum in loco qui dicitur Winithohus[c], in provincia Saxoniae, in pago qui dicitur Harthagewi, in saltu qui vocatur Harz, qui dividit Saxoniam et Thuringiam; alterum in Francia in pago Salugewe, in vicinio saltus Bochoniae, in loco nuncupato Charoltesbach[1]; quibus utrisque congregationibus virginum adhibitis praedictas praefecit filias, Bilihildam scilicet in Winadohusun[d], Hruothildam in villa Charoltespach[e]. Ipsa vero in viduitate sua religiosam ducens vitam, post obitum viri sui multa operando et ecclesias construendo, elemosinarum largitione sedula, ac susceptione peregrinorum largiflua, ita ut in sexu femineo virilem cerneres animum et exercitati diversis in rebus acumen ingenii, pervigilem, nescio, potius pietatis mirares effectum.

3. Aliquando igitur haec eadem praedicta matrona pro causis necessariis, quia plurimis in locis possessiones habebat procurandas, iter agens, in quendam locum devenerat, ubi hospitandi tempus eam urgebat. Ibi etiam et monasterium erat virginum, congruumque sibi receptaculum, et satis apta suis comodis aedificia ab illis parabantur. Contigit autem, ut inter ministeria puellarum obsequium sibi exhibentium, ut virgunculam quandam forma vel ingenio ceteris coaetaneis suis praestantiorem cerneret, suique in cunctis famulatus affectibus morigeram, quae veluti ad nutum illius omnia sagaci mente dirigeret. Tacita consideratione actus habitumque eius perlustrans, percunctari coeperat, quaenam esset, aut unde originem duceret, quae natalium suorum atque conditionis professio. Haec ergo illi prudenti responsione per ordinem disserenti, seque de loco, qui dicitur Solazburg, parentes habere dicenti, indeque progenitam, ac qualitatem[g] conditionis exprimenti, omnesque vitae suae conversationes exponenti, et illa libenter talis aetatulae facundae rationis sermonem excepisset, conglutinata est subito mens illius in tantum cum ea, ut summo conamine coepisset eam exhortari secum ire et fidei suae semet ipsam committere, sub divina testificatione confirmans, in pari dilectione filiarum suarum omni tempore secum eam fore permansuram.

4. His ergo promissionibus illa credula, iter cum ea arripuerat, et, ut credo divinae providentiae nutu, pari consensu voluntas utriusque completur. Nam ut illa postmodum asserebat, se votum peregrinandi habere, cui Deus, quod in mente dederat, oportunitate temporis adimplevit. Perrexit itaque praefata puella Liutbirg cum praedicta matrona Gisla usque loca possessionis suae, et amplius puella cum ea in summo caritatis persistens officio, de die vero proficiens in diem, et in brevi cara cunctis, non solum his cum quibus conversabatur, sed et ex[h] omnibus qui noverant eam. Permansit ergo in domo dominae suae magnae indolis puella, et variis virtutum floribus singulos crescens in annos. Erat autem in consiliis provida, verax in verbis, in commisso fidelis, in elemosinis larga, constans in opere, pietate praecellens, erga cunctos benignitate praecipua, curam infirmantium gerens, discordantium sequestra. Cunctis ergo indigentibus miserationis gremium pandens, omnes diligebat, et diligebatur ab omnibus. His vero et aliis quam pluribus muneribus felix pollens virago, cottidie gradatim suae perfectionis cumulum augens, magis ac magis placuit tam Deo quam hominibus.

5. Erat enim praefata virago Liutbirg aptis, ut praediximus, moribus pollens, et praecipue in divinis laudibus indeficienter perseverans, in psalmis et ymnis et canticis spiritalibus secundum apostolum in corde suo Domino devote sacrificium mentis offerens, et ut breviter studium conversationis explicem, quaecumque bona Deoque placita censuerat, toto cordis ambiebat affectu, mala vero atque mundi illecebra[i] quasi praecipitia voraginum declinabat. In sacris ergo scripturis incessanter exercebatur, et cottidie meditando quantulumcumque proficiens, quousque ad profunditatem intellectus perveniens, et si imbecillitas sexus non impediret, docibilis existere potuisset.

a) alias 2. b) unwian 1. 2. c) Windenhausen 3. d) *ita* 1. iuuando gusum 2. 3? iuuando husum 2b. e) Karlotesbach 3. g) qualitate 1. h) extra? i) illecebras 2. 1) ab oriente Gemundae ad Moenum sitae.

6. In tantum igitur capax ingenii fuerat, ut diversarum artium, quae muliebribus conveniunt operibus, illis in quibus conversabatur locis, prae ceteris circumquaque habitantibus veluti Daedala diffamabatur. Fidelis ergo dominae suae permanebat, et ad omnium necessitudinum proventibus[a] pia miseratione flexibilis, in tantum ut mater indigentium dicebatur. Inde factum est, ut vulgo felix fama eius percrebuit, et ut multi de nobilibus gentis illius proceres ac matronae ad notitiam illius et ad amicitiam gregatim ac summo conamine affectabant venire, et mirum in modum eis prius cara esset quam nota, et suae peregrinationis loco plures quam in patria possideret[b] amicos.

7. Adventante iam tempore maturae profectaeque aetatis, venerabilis matrona Gisla coeperat infirmari. Et cum obitus sui diem appropinquare cerneret, vocavit ad se Bernhardum filium suum, dixitque ei: *Fili mi, noli negligere sermones matris tuae, sed ultima praecepta mea libenter intende. Substantiam tibi locupletam*[c] *derelinquo, diversisque possessionibus et aedificiis ac ceteris ornamentis, quae ad huius praesentis vitae sustentacula tibi Deo propiciante sufficiunt; ut prae omnibus semper sis memor, ut pro ecclesiarum restauratione et recuperatione rerum tuae procurationi derelictarum, deinde sororum tuarum causas sollicite procurare studeas, et eas iusta atque benigna circumspicias diligentia et germana tuearis dilectione; quia muliebris in parvo defectum facile patitur custodia, si pervigil omnimodo virilis ad tempus abest tuitio. Unum ergo tibi iterum iterumque commendo, quod fidei tuae mater tua committit, et speciali summopere petitione ac materno affectu deposcit; est, filiam ut meam dilectam Liutbirgam, quam promissione fidei adoptavi mihi*[d] *in filiam, dignis eam honoribus procures, et ut in numero sororum*[e] *tuarum, ac dilectione coniunctam habeas, et in consiliis prae illis ea utaris, et quicquid preciosi suppellectili*[e*] *possideas, eius procurationi committas; quia mihi semper in cunctis fidelis extiterat.* Et manum eius apprehendens, in fidem filii commendabat, et osculans filium, ac salutatis omnibus in pace, vitam finivit. Et honorifice sepulta est, temporibus videlicet Ludowici imperatoris, patris scilicet Lotharii et Pippini ac Ludowici atque Karoli, filiumque suum Bernhardum reliquit heredem.

8. Permansit autem venerabilis Liutbirg in domo domini sui, et secundum matris suae dispositionem rerumque suarum gubernacula in tantum possidebat, ut domus penes eam regimen constiterit penitus, et maternus circa eam domini sui cum sinceritatis honore permanserit amor, et a cunctis utriusque sexus domesticis amoris gratia pro matre colebatur familias. Accepit itaque Bernhardus coniugem cuiusdam filiam Lotharii comitis praeclari viri, nomine Reginhildam, quae peperit ei duos filios, unum patris aequivocum, alterum Otwin vocatum; quae etiam erga venerandam Liutbirgam tanto fervebat amore, ut non facile ad tempus eius fraudebatur aspectibus; et veluti maternis ab eius colloquio documentis, venustatis habitum et honestatis gravitatem moribus, generositatis suae prosapiem magnis cottidie profectibus exornabat. Post multum vero temporis infirmitate detenta, inmaturae actenus aetatis vitam suis omnibus cara finivit, et summum viro filiisque moerorem intempestivo discessu reliquit.

9. Idemque igitur Bernhardus iuventutis suae vitam sine consolatione coniugis non sustinens, alteram eiusdem[f] gentis praeclaris natalibus editam, pulchramque valde ac specie decoram coniugem, et ob locupletum matrimonium prioris declinavit vulnus doloris. Quae namque Helmburg[g] vocabatur, ex qua quatuor filios ac duas procreavit filias, quorum qui maior natu erat Unwan, secundus Adalbert, tercius Asic, quartus Ediram, parentum suorum sortiti vocabula, et duarum filiarum nomina Gisla et Bilihilt appellati sunt. Matri ergo necnon et filiis venerabilis Liutbirg solitae fidelitatis vigorem et summae devotionis intimum demonstravit amorem, in tantum ut illis genitrix potius quam nutrix diceretur.

10. Memoratus itaque Bernhardus, multas habens ex utrisque parentibus possessiones, et ad quaecumque suae proprietatis loca perrexerat, eius ad tempus absentiam venerabilis feminae non facile sustinens, quia ut rerum suarum fuerat custos atque fidelis dispensatrix, — ubi ergo aliquod temporis spatium mansitabat, ecclesias Dei visitando diebus ac noctibus frequentare non omisit, et assidue in divino perdurans servitio, ita ut usque ad lucem diei pervigil in ecclesia pernoctabat, et nec minus operis divini detrimenta pertulit, in tantum ut in coeptis quibusque suis efficax habe-

a) prouentus 2. b) possidere 1. c) locupletem 2. d) michi 1. *qui etiam* nichil *et saepius* c *pro* t. e) sorarum 1. e*) suppellectilis 2. f) ei de ingentis 1. g) helinburg 1. 2.

batur, ut pertinacia tantae strennuitatis pro magno tenebatur miraculo, ita ut cunctis eam scientibus clare patebat, non imbecilli[a] corporis eius viribus tam huiuscemodi continuatus labor exactus, sed divinitatis eius auxilio eius animi constantiam sine dubio roboratam ac superno coelitus afflatam numine. Quae per tantae gravedinis onus in tam prolixi temporis spatio nullatenus lassa vel flexo collo succubuit, sed semper infractis cottidie viribus palaestri certamine contra mundi illecebras, et carnis spurcitias, incentivam quoque corporis lasciviam, ac mentis petulantiam, blandam suadentem mollitiam, infesto castimoniae pede proculcans, et sobrietatis sarculo aculeatos spinarum frutices cum delectamentorum radicibus exstirpare satagebat.

11. Enimvero ieiuniis atque vigiliis confecta, insuper manuum quoque labore maceratum, ut pretulimus, corpus veluti inedia consumptum, mutato in facie colore, et vigor corporis clanguens, pallor in vultu vividum coepit mutare colorem, et adhaerens ossibus cutis macellentem[b] adtenuavit aspectum, quod maxima provenit ex parte ex nocturnis, quibus summopere periclitabatur, excubiis. Mos etenim consuetudinis eius fuerat, ut si in loco, in quo aliquod temporis manserat, ecclesia dedicata non erat, in quanta eam vicinitate cognoverat, ad nocturnas illic vigilias singulis semper noctibus cum solo parvo puerulo vel qualicumque muliercula pertendit incessu; et eo usque in oratione ibi perdurans, donec missarum celebratione peracta, sacroque sumpto viatico, devota Deo mulier viam gaudens, qua venerat, ad opus pristinum repeditabat, et domum domini sui non solum verbis, sed et eximiis virtutum gubernabat exemplis.

12. Videns itaque praefatus comes faciem aspectus eius tenuem et macie valde peresam, intendit in eam, dicens eis qui astabant ei: *Quali infirmitate detenta est dilecta mater nostra Liutbirg?* Responsum est illi, quod nec causa valitudinis hoc esset, sed plus inediae ac vigiliarum iugis et immoderata corporis afflictio; insuper ergo nocturnus iugiter ad ecclesias periculosus accessus, et hoc solummodo unius parvi pueruli vel puellulae comitatu, singulis noctibus, nudis etiam pedibus, ab ea pervagatum. Obstupefactus autem comes vocavit eam ad se, et consueto more honorificis eam blandisque sermonibus aggressus est dicens: *Cur carissima mater, quae semper aliis ad morum gravitatem et honestatis vitae praecedendo, non solum verbis sed etiam factis in te speculum praebuisti, nunc vero quasi praecipitationis viam, temet ipsam inmaturo ante praedestinatum tibi tempus a Deo morti destinare contendis? hoc etiam, quod armatis pertimescendum est viris, cum diebus ac noctibus, paganis et falso nomine christianis[c] latrocinantibus, robustorum corda perturbat. Quod si periculum tanti furoris abesset, quid aliud, nisi te dentibus saevientium bestiarum ac luporum morsibus praedam spontaneam praebuisses, nihil aliud ex non dolentibus et ab inimicis nostris diceretur, nisi vanarum ac superstitiosarum penitus rerum deliratio, et fama venustatis vitae prioris veluti deputetur ad nihilum?*

13. Cui submissa voce venerabilis Liutbirg protinus respondit: *Noli quaeso, domine mi, nequissimorum hominum garrulitatem attendere, qui temerario contumelias ore sobrie pieque viventibus semper exaggerant, et rabidis quoque benefacta faucibus desaeviunt, et venenata pro viribus lingua dilacerant. Quod malignitatis exordium primi parentis primogenitus protulit Kain[d], hoc postea saeva pullulans propagine, et actenus uti seminarium in pravorum cordibus longe lateque per totum disseminatum est mundum. Nos ergo pro nihilo illorum habentes malitiam, sed iactemus in Deum curam nostram secundum prophetam, et ipse nos enutriet; nec dabit in aeternum fluctuationem iusto, sed operarios iniquitatis deducet in interitum. Et alibi scriptum est: „Si Deus pro* [Rom. 8, 31.] *nobis, quis contra nos?" Et psalmista velut de eis exprobrando loquitur dicens: „Dominus mihi* [Psal. 117, 6–9.] *adiutor est; non timebo, quid faciat mihi homo." Et iterum: „Dominus mihi adiutor est; et ego despiciam inimicos meos." Et: „Bonum est confidere in Domino, quam confidere in hominem, quia vana salus hominis." Sed et alia nostrae salutis causa, divinarum documenta scripturarum innumera, quae recto itinere ad coelestem patriam nos inoffenso pede perducunt, ut longe inimici terrore repulso, ut quisque fidelis cum psalmista fiducialiter dicere praesumat: „In Domino confido, quomodo* [Psal. 10, 1. 2.] *dicitis animae meae: Transmigra in montem sicut passer." Et alibi idem propheta in Domino gloriando victor exultat dicens: „Inimicorum meorum* [Psal. 17, 41.] *dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti." Ut quid etiam ad brevi huius vitae metam et ad tam incerta nos huius momentanei temporis transitoria atque caduca mentis oculos non elevamus? Ubi magnorum quondam potestas? Ubi divitiae divitum? Ubi fortium enumeratae vires? Ubi regifico luxu diffluentes? et insatiabilis[e] gulae vel foedae servitores libidinis? Ubi etiam illi, qui sitibundo iugiter ore, quoscumque poterant, propter aurum et argentum atque pecunias obsorbuerant? Tales enim quanto plus bibunt, eo amplius sitient. Hi sunt qui thesaurisant, et ignorant quibus congregant ea; quorum rapinis et latrociniis adepta pecunia suos amatores sequitur in perditionem. Nos vero illos non pertimescimus, Domino dicente: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam* [Math. 10, 28.] *autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam." Et idem Salvator in alio loco: „Qui* [Ioh. 12, 25.] *amat, inquit, animam suam propter me, in vitam aeternam custodit eam." Cur occidi timeam propter Deum meum? Quis vigilare nisi idem Redemptor noster praecepit dicens: „Vigilate et orate,* [Math. 26, 41.] *ne intretis in temptationem." Ipse, qui vigilare praecepit, etiam orare subiunxit dicens: „Orate,* [24, 20.] *ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato." De ieiunio autem scriptum est: „In die ieiunii vestri invenietur voluntas vestra."* [Ies. 58, 3.] *Quae magis nostra voluntas prae ceteris fieri potest, quam ut gratiam suam Deus faciat nos promereri, et ut mortale nostrum suae immortalitati in regno suo particeps fieri mereatur?*

a) imbecillis 2. b) macilentum 2. c) cristianis 1. *saepius.* d) kam 1. cham 2. e) saciabilis 1.

14. His igitur atque aliis huiuscemodi dictis commotum comitis animum ad tranquillitatis pietatem perduxerat, et tumidi furoris, quae crescere coeperat, struma, medicinali ferro sedata delituit. Et conversus ad eam dixit: *Sententiis tuis, et plus, ut ita dicam, divinis quam tuis, animum scilicet meum in tantum obligasti, iustis desideriis tuis ut nil penitus contrasisto; tua ipse vota perficiet, exoro, pro cuius haec nomine tantae gravedinis difficultates arripere non formidasti. Et quaecumque a me tuae voluntatis implementa poposceris, impetrabis.* Illa namque prolatae sententiae dictis animo penitus exhilarata, pedibus eius se provolvere volens, sed non est ab eo permissa. *Hoc ergo,* inquit, *domine mi, corde gratulabundo pro summo tuae pietatis beneficio libenter suscipio, et veluti divinitus munere concesso, pro viribus gratias agere non cesso, si subsequens petitioni famulae tuae conceditur effectus.* At ille inquit: *Dic, quaeso; quae sint in animo tuo, abscondere noli. Fateor, me, quod paulo ante professus sum, rationabilibus tuis petitionibus vitam viresque, Deo concedente, praebere consensum.* Tum illa, intimo protracto suspirio, lacrimisque mox erumpentibus, aiebat: *Peccatrix nimium, domine, in multisque vinculis detenta sum ego, quae usque ad huius aetatis metam in omnibus desideriis delicatam, et in huius mundi voluptatibus erroneam vitam peregi; huc atque illuc cursu vaganti funditus detenta, et promissionis meae, quam Domino promiseram, oblita penitus et*
4) Prover. 18, 17. *ignara. Tandem locum alicubi manendi pietatem tuam deposco, ut residuum tempus vitae meae in poenitentia delictorum meorum perseverare valeam, ac*[2] *pro beneficiis eorum, qui in me misera propter Deum opera misericordiae frequentare, rogitare. Quod, ut credo, tibi, domine mi, et venerandae memoriae matri tuae perpetuitatis munere felicius*
Math. 25, 40. *redonetur, Domino dicente: „Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis;“ et secundum apostoli*
Iac. 5, 20. *Iacobi sententiam dicentis: „Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte, et operit multitudinem peccatorum.“*

15. Tunc ille placido vultu respondens inquit: *Et ubi tantae quietudinis reperire poterimus locum, ut sine huius mundi turbulenti strepitu et tempestatis fluctibus secura deliteas?* Tum illa: *Praevidi,* inquit, *locum mihi ad dies parvitatis meae congruum; ibi si pietas vestra cellulam quam parvam fieri praecipit, satis mihi habitaculum sufficiet, ac longe pro divitiis seculi delectatum atque iocundum in dies meos abundaverit.* Ammirans ille tantillae mulieris constantiam et virilis supergredientis animi fiduciam, longo interposito silentio dixit: *Ut ergo de tuis verbis sentio huc usque prolatis, solitariam atque seclusam et a ceteris in commune viventibus sequestratam temptas suscipere vitam, et hactenus his locis insolitam? Ad hoc utique sacerdotum necnon et pontificis nostri plus quam laicorum adhibenda sunt consilia.* Et cominus illa prosecuta: *Nequaquam, domine mi, tale aliquid inchoandum putavi, nisi ut sacro nostrorum rectorum ac provido cerneretur*[a] *examine, ut non mea, sed Domini perficeretur voluntas, et ut consilio*[b] *eorum quid de talibus fieri ostenderetur inceptis.* Ultimam ergo ratiocinationis[b*] eorum causam pontificis ac sacerdotum congrue ventilandam ac sagaciter deliberandam prolixioris temporis spatio decreverunt. Et finito colloquio, fidens illa promissionibus, laeto revertebatur animo, rerum omnino suarum divinae pietati spem derelinquens.

16. Contigit autem post aliquod spatium temporis eiusdem provinciae pontificem beatae memoriae Theotgrimum[3] ad domum praememorati comitis venire, quia firmam inter se amicitiam habebant. Et eo ibi pernoctanti, sequenti quoque die temporis oportunitatem veneranda Liutbirg sibi vidit adesse, desideratae mentis tanto consultori secreta detegere; tempus ac locum, Deo disponente, congruum repererat; se quoque pedibus antistitis humiliter prosternens, eiusque indigere clementiam, subiecta voce pronuncians. Ille igitur obstupefactus animo, quia prius sibi bene fuerat nota, et honestis eam moribus penitus deditam, quin etiam apud dominum suum veluti genitricis locum tenere noverat, ut multum erat animo misericors, mitis eam allocutus est sermonibus: *Eia dilecta soror, quaecumque sint animae tuae denunciandae sententiae, licenter expone; me vero tuae consolatorem sollicitudinis spontaneum, annuente Deo, nactum habebis.* Illa namque secundum quod scriptum est: *Iustus in primordio sermonis accusator est sui*[4], peccatricem se commemorans, et innumerabilium delictorum ream protestabatur esse, eiusque commissis peccatis implorans suppliciter auxilium, et quae mente tegebat, incunctanter exposuit.

17[c]. Ipse vero sermonum suarum sententiam vigilanter intendens, sciens se iustorum semper desideriorum affectuumque potius debere pro viribus fautorem fieri quam repulsorem, completo paululum silentio, alacri quoque vultu eam intendens, inquit: *Propositum animi tui, dilecta filia, considerans a pietatis fonte manantem, sed quomodo cursum tuae salutis arripiat, prudenti consilio deliberandum prius esse censemus. Inprimis vero divinum exorandum est auxilium, ut, cooperatore*[d] *atque auctore omnium bonorum Deo, nostra in hoc prosperantur consilia, ut talis navigationis inchoatio, ipso gubernante, portum salutis possit attingere.* Et haec dicens, ad se rogavit vocari Bernhardum, et eum secum sedere fecit. Quibus consedentibus, episcopus ait ad eum: . . . .

21[f]. Talibus namque dictis cum eam praesul ammonuit, iterum illa pedibus[e] eius provoluta, summas ei gratias referens: *Gratia Dei,* ait, *sum id quod sum. . . .* Igitur antistes una cum comite tantam in ea mirantes animi constantiam, iudicio communi decreverunt fieri quod poposcerat, et diem conveniendi ad locum ab ea desideratum statuerunt.

22. Condicto quoque tempore praefatus venit episcopus, non cum parvo numero presbiterorum, ac secundi ordinis et posteriorum graduum nume-

a) consilio, atque *addit* 2. b) suasu 2. b*) rationationis 1. c) *nonnisi ante vocem* completo *distinguit* 1. d) eo operatore 1. 2. e) aduentat 1. f) *post* quod sum *distinguit* 1.

2) *i. e.* ac rogare pro beneficiis eorum, qui . . . frequentarunt. 3) annis 827—840. episc. Halberstad.

rosa collectione, cellulam mansiunculae iam ad opus paratam sua benedictione benedixit, et aspersionis aqua salubriter sparserat, atque in tam parvo domicilio veluti tugurio immissa, et si non aliqua ingrueret rerum maximarum necessitas, interdixit egressum, suisque benedictionibus ac doctrina, paterno scilicet more constructam, obiectu parietis clausam, lacrimando discessit, orans, ut ad bonam finem propitiante Domino agonem suum perducere mereretur. Iam vero venerabilis ancilla Dei Liutbirg desiderii sui voti compos effecta, diebus ac noctibus in oratione perdurans, abstinentiam ciborum ac potus in tam imbecilli et extenuato corpore continuis ieiuniorum ac vigiliarum pressuris assumpserat, ut tantummodo pane cum sale et herbis vescebatur. Dominicis quoque festisque diebus legumina piscesque parvissimos comedens, sed et hoc raro parvoque sumptu; epularum eius delitiae in fragis ac pomis agrestibus maxime fuere, cum eorum tempus advenerat. Igniculum vero in eadem cella carbonum ardentium propter diversorum tincturam colorum; sicut praediximus, multorum muliebrium operum artifex erat; nusquam ab alicuius utilitatis opere cessabat, nisi aut operando manibus, aut orando, vel etiam meditando diem continuaret nocti. Et si aliquod spatium temporis tantae strennuitati superfuit, eas, quae sibi aderant, instruendo, nisi ut minimum tempus cibo somnoque dedisset, quod humanae fragilitas naturae deposcerat.

23. Enimvero tempus omne vitae suae talibus in rebus expenderat, uti illa numquam corporis superata molestia, tardior in effectu quam in inceptu subsisteret. Cunctis enim ad se venientibus, ut etiam praestrinximus, affabilis erat, ut a se quoque redeuntium laetificabat abscessum[a], ut tempus, quod in eo expenderant, magnae utilitatis pretio deputabant . . .

24. Iam vero quantas inimicorum pertulerit insidias ac varias ludificationes perpessa sit Zabuli, semper diversorum machinationes terrorum, sive per astutae calliditatis suae fantasias, sive per ostensiones et assumptas in se supernorum civium imagines, et suae semper seductionis more vera quandoque falsis permiscens, ut cognitione veritatis facilius animum incautum valeat ad falsa protrahere, nulli possibile est enarrare . . . Erat enim venerabilis ancilla Christi perseverans in orationibus diebus ac noctibus, et nihil secum praeter vile corporis indumentum retinens, et vascula quibus cibum capere solebat, et parvam lecticam cum matta in qua dormire consueverat. Audivit vocem, nescio cuius spiritus dicentem sibi: *Talem volens vitam ducere, tali non debet in lectulo pausare.* Illa hoc audiens, suspenso statim animo volvere coeperat, qualiter illam per parvam fenestellam, quae sola erat in pariete, exponere posset; suis enim parvis diffidebat confringere viribus, quod trabiculis opere tornotorio compactum fuerat . . .

25. Alio quoque tempore veniens ille malignus spiritus in similitudine cuiusdam tornatoris; nam et ille homo, in cuius speciem se diabolus simulabat, cuiusdam Popponis comitis servus erat, et notus olim praedictae famulae Dei fuerat, suoque de opere munuscula de vasculis, quibus illa indigebat, frequentabat offerre . . . .

28. Alio namque tempore pari modo suis eam convitiis aggrediens, ac solito sanctitatem eius exprobrando vituperans, ad memoriam revocans, quomodo illam puellari quondam aetate alteram coaetaneam suam ludificaverat, acum suam in communi eorum opere fractam, egressa nempe compare sua, eius integram acum clanculo surripere, suamque confractam in loco eius connectere, et sic eam de eius deceptione gratulari, quasi aliquid bene gestum haberet. *Eia ubi sanctitas tua precesque tuae fuere, quando furtim quid diripere non formidasti?* Haec illa ita gesta esse cuncta in infantia sua commemorat annis, quibus primum artem texturae didicerat, et hactenus per oblivionem inconfessa suis peccatis deputat. . . . .

29. Interrogata est aliquando a quodam fratre de notitia vel de discretione spirituum, quomodo dinoscere posset, cum ipse Sathanas transfigurat se in angelum lucis aut aliquam venerabilem personam. Illa ingemiscens et intimo ex corde longe trahens suspiria, paulisper conticuit, formidula voce subsecuta est: „Aestuantis formidinem et maximam moeroris mei angustiam, venerande frater, inquiris, quia iam multo tempore cum in his, de quibus interrogas, dubia certitudine pene desperationis lacum inciderim, iugis precibus divinum implorans auxilium, huius mihi praesidium insuperabilis fieri laboris, tandem, Omnipotentis suffragante clementia, dictum est mihi de quibus rogas: „Certa fueris, si diligenter adtendis. Nam qualiscumque persona tibi appareat, redeuntem a te diligenter aspicere procures, et si fantastica tibi fuerit ostensa figura, qualicumque vestita colore, nigerrimam maculam in posterioribus eius videbis.“ Hoc mihi, venerande frater, signum largiente divina clementia concessum esse, quasi de intima profunditate baratri liberata, ineffabili repleta tam piae consolationis laetitia, fidentiori mente callidi hostis resistebam versutiis.“ . . . . . .

30. Erat quidam vir ex liberis parentibus nomine Hruodrat, vasallus praedictae Bilihildis, qui unam ex cubicularibus eius pro carnali copula sequebat. Contigit una dierum iam advesperascente die prope cellulam clausae illam mulierem casu properantem ad eum, ut vidit Liutbirg, vocavit eam dicens: *Dilecta filia! en opus, ante*[b] *quod vides inceptum, mecum peragere modo non obmittas, quia tibi proficuus vero labor fuerit, quicquid in divino servitio tui operis expendere habueris, quamquam omne sit bonum, quod aliqua utilitate laboratur.* Funalia sive lichinos ea scilicet hora ad cereos et ad luminaria perpetraverat. Illa cupiens egredi ad eum, qui eam foris operiebatur . . . . cum subito superveniens malignus spiritus in tam terribili forma, ignem ex ore et naribus sulphureum efflantem, oculis micantibus ignem, corpore nigerrimo, unguibus ultra mensuram praevalidis, et super eum incumbens, genibusque suis pectora opprimens, suique hiatu oris totam faciem iacentis exsorbens, unguibusque magnis, veluti aquila vo-

a) abcessum 1. b) anie 1.

lucrem eviscerans, in praecordia terribiliter immittens, diu difficillimum ac miserabilem excuntis animae graviter extorsit egressum. . . . . . .

35. Nunc ad secretiora quidem eius intellectus, quae ad nos aut ipsa referente venerunt, aut fidelium assertione virorum aut mulierum veridica contestatione ac probabili ratione veraciter firmata sunt. Prophetiae quidem spiritu a Deo remuneratam eam esse, multis in futurum eventibus claruit, ex quibus pauca, nomen sanctitatis devitans, fideliter percunctantibus praesagabat. Quidam ergo comes nomine Friderich in eadem villa domum simul cum fratre suo similiter comite, nomine Adalger, habens, cuius praenominati uxor, nomine Pia, cum solito more cottidie ad missas vel ad vespertinales preces ad illam ecclesiam perrexerat, beata Liutbirg eam affatur, dicens: *Domina, filiaque dulcissima, pro matre tua ac genitrice debitas orationes fundere non omittas* . . . . Hoc ergo, ut praedixerat, triginta spatium annorum in eadem cellula permansuram, ita contigerat, et quaecumque praenunciaverat, indubitata pervenerant. Nam et in hoc luculenter claruit, quod in his, quae praedixerat, certus semper subsequebatur eventus. . . . Habens ergo cum praecipuae sanctitatis viris colloquium, etiam cum eis, quos disciplinatos et eruditos divinae legis esse cognoverat, familiarissimam disputationem, aliquos ab eis flosculos suae perfectionis decerpens, ac laetos semper utrumque digressus effecerat. Abbates etenim atque episcopi, qui eius notitiam habentes, aut per semet ipsos aut per nuntios suos, suis orationibus se commendantes, eamque in suis orationibus recipientes, alterna prece se sufflatos in Domino gaudebant; cum et pontifex eius dignae
840 memoriae Hemmo, summae sanctitatis atque eruditionis vir, ad cuius procurationem ac cautelam
853. causa conversationis eius pertinebat, in cuius diocesi morabatur, cum ea sermocinando multis eam sermonibus instructam aedificatamque relinquens, et quibusque eam corporalibus necessariis adiuvatam, clementer paterno saepissime visitabat affectu. Super haec omnia sanctae recordationis vir et omnium profectionibus virtutum adletha Christi praecipuus, Ansgerus Bremensis archiepiscopus, eam sanctae filiationis amore in tantum colebat, ut pro eius visitationis gratia tam magnae prolixitatis viam devotus pater summa benivolentia proripiens, et eam non solum suae praesentiae colloquiis, sed et corporalibus subsidiis venerabilis praesul, et cunctorum necessitudinum voluntarius suffragator, sua munificentia maxime consolabatur. Cui ad divini operis implementum, quibus illa iugiter summo inhaerebat studio, puellas eleganti forma transmiserat, quas illa et in psalmodiis et in artificiosis operibus educaverat, et edoctas libertate concessa seu ad propinquos, sive quo vellent, ire permisit.

* 36. Quoscumque ergo viros sive mulieres in habitu religionis vel morum gravitate conspexerat, se supplex eorum precibus commendabat, et hoc inter cetera praecipue flagitans, ut bonam[a] praesentis vitae sibi finem provenire deposcerent. Si quis pro ea supplicare vel sacrificium dignaretur offerre, si quis vero pro illa ieiunare benivolentium decrevisset, diem sabbati ieiunandum elegerat, quia[b] Romani praesulis decreto sabbati diem, qua Dominus in sepulchro positus fuerat, ieiunandum audierat. Et discipulis eadem die cum sanctis mulieribus pro tristitia ieiunantibus, et sabbato quoque die servi necnon et ancillae liberiores a dominorum suorum servitio, proprii quoque propositi securius acomodantur affectu. Pauperes vero cottidie recreando, viduas et pupillos et orphanos consolando, et infirmantium curam impendendo, non solum his qui sibi in proximo, sed ubicumque positos audierat, vel qui pro eorum delictis in custodiis fuerant mancipati, proutcumque potuerat, solatia ministrabat. Cottidie missas audiens, oblationes Deo referens, exceptis peculiaribus, quibus cottidie magis ac fine sua propius, orationibus, ardentius anhelabat. Horis ergo competentibus nihilominus cum sororibus canendo, in commune psallentium preces augebat. . . . . . .

37. . . . . Obiit autem temporibus Ludowici iunioris gloriosissimi[4] regis Francorum, et in eadem ecclesia honorifice sepulta, ad laudem nominis eius, qui omnes sperantes in se custodire dignatus est, Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus in secula seculorum. Amen[c].

a) bona 1. b) qua 1. 2. c) *in fine eadem manu additur:* XI. (2. *edd.*) Kal. Ianuarii 1.

4) igitur vivente eo scripsit auctor.

AGII
VITA ET OBITUS HATHUMODAE.

Monasterii Gandersheimensis origines in scriptis infra proferendis, Hrotsuithae libello et vitis Bernwardi et Godehardi episcoporum, celebrantur. Restaurator eius Liudolfus comes, cuius genus ad Brunonem Angrariorum principem referri videtur, coenobium, fortasse ab avo eius Brunisteshuson vocatum, bonis suis in Gandeshemia marcu, Riuderia marcu et Alvunga marcu atque reliquiis Roma petitis ditavit, sacrumque conventum, cui a. 852. filiam suam Hathumodam abbatissam praefecerat, a. 856. nomine mutato Gandersheimum transtulit. Hathumoda patrem a. 866. defunctum[1] *octo tantum annis supervixit; monialibus pestilentia anni 874.*[2] *correptis*[3] *officio et auxilio adfuit, sed ipsa 3. Kal. Decembris morbo fatali succubuit. Moribundam circumsteterant mater venerabilis Oda, quae ad nuntium morbi advolaverat, amita senex et sorores Gerberga et Christina sanctimonialium numero adscriptae, et quem sana supra modum excoluerat et iam infirma immani desiderio videre cupiverat*[4], *Agius frater*[5], *tenerrimo ei amore devinctus*[6]. *Qui a Liudolfo patre post reditum Roma monachicae vitae destinatus*[7], *tunc in vicino monasterio*[8], *Lamspringa ut videtur, quod vix decem milibus passuum a Gandersheim distat, conversabatur, et pietate, caritate litterarumque studio insignis, Hathumodam saepissime invisere omniaque communiter cum ea tractare consueverat*[9]. *Huic matris et sororum super obitu Hathumodae consolandarum officium obvenit. Quo non solum praesens inter primos dolores pro virili functus est, sed paulo post, grato in defunctam et superstites animo, vitam Hathumodae breviter descripsit et ceu imaginem quandam sororibus transmisit, additis elegis de obitu Hathumodae; quibus sub forma dialogi inter se et sorores, quaecumque eis prius consolatoria verba dixerat, absentibus repeteret. Uterque libellus, auctore optimae fidei*[10] *et rebus enarratis insignis, plurima alias penitus ignorata, praecipue de familia Liudolfina tradit, quam religione et litteris, viris fortibus et religiosis, feminis piis, benivolis, animique cultu insignibus divitem hinc agnoscere licet. Liudolfus ipse, uxor eius venerabilis Oda centum et septem annos victura, Hathumoda, Gerberga, Christina abbatissae, Agius presbyter in prima scena obversantur, ex longinquo Liudgarda regina, Bruno, Otto*

1) Ann. Xantenses. SS. II. p. 231. 2) Ann. Fuld. 3) Vita c. 10. 13. cf. Dialog. v. 28. 4) c. 19. Dial. 73 sqq. 5) Frater ex toto opere agnoscitur; nemo praeter patrem fratremve de mutuo cum Hathumoda amore, quomodo hic legimus, scribere potuisset. De insigni Hathumodae amore in matrem locutus, hunc minus mirum videri, prosequitur, cum etiam se (Agium) tantopere amaverit (c. 19.), et tum demum ad amitam reliquasque sorores transit. Sororibus se eius manibus commendantibus, patrem quinque filias coenobio commendasse, ait, et filiolum unum, de quo praeterea in libris istis nihil comperimus, nisi Agium fuisse statuamus. Nomen eius fortasse Egbertus fuit, priori syllaba Eg, Eggi, respectu sancti propositi in „ἅγιον“ Agium mutata, nisi Halegerum aut Wihonem malis; Egbertus tamen familiae Liudolfi melius convenit. Eccardus in Quaternione Wichbertum, monachum Corbeiensem, post episcopum Hildesheimensem, ex Chronico Hildesheimensi medicae artis peritum, pro nostro, quem medicum credit, habet, atque Liudolfinae familiae cognatione iunctum fuisse opinatur. Inter monachos Corbeienses tunc temporis Halecgerus et Agico occurrunt. 6) Dialog. v. 591. 645—654. 7) v. 555. 8) cap. 13. 23. 9) Dialog. v. 660 664. 10) Vita c. 1.

duces ante oculos veniunt, et veniet suo tempore gentis gloria et pater patriae
11 *rex Heinricus. Uterque libellus anno* 875. *ineunte*[11] *scriptus esse videtur. Agium tunc iuvenem fuisse oportet; qui si postea vixit et elegis componendis operam dedit, fortasse et annis* 888—895. *libros quinque de gestis Karoli Magni imperatoris edidit, quibus versus magis politos sed pium et mitem Agii animum inesse recognoscimus. Certe eidem coenobio cui Agium adscripsimus,*
12 *Lamspringae, unicum Poetae Saxonis codicem deberi constat*[12].

Agii libros industria Andreae Lang, abbatis S. Michaelis Bambergensis, qui eos operi prolixo de Sanctis Ordinis S. Benedicti inseruit, nobis servavit. Autographus codex

1) *in bibliotheca regia Bambergensi adservatur, membranaceus saeculi XV. exeuntis in folio, et iubente Cl. Iaeck, propositi nostri fautore constantissimo, mihi transmissus, editione nostra exprimitur, restitutis tantum si qua paucissima (praecipue* e *loco* ae, y *pro* i, c *pro* t) *saeculi XV. potius quam IX. orthographiam exprimere viderentur. Textum praebet purum et vix ullis mendis deformatum.*

2) *C. regius Bruxellensis N.* 8959. *chartaceus sec. XVII. ex codice Dillingano descriptus est, quem ex codice Bambergensi fluxisse, constans lectio indicat. Evolvit eum Bethmannus et quibuscumque opus erat enotavit.*

3) *Codex monasterii olim Ochsenhusani, cuius apographum a Benedicto Bonnetho Mellicensi confectum Pezius Eccardo transmisit, nullo rei nostrae incommodo, hodie latet. Librum Pezius in Thesauro Anecd. I,* 3. *p.* 289 *sqq. anno* 1721, *et Eccardus in Veterum Monumentorum Quaternione anno* 1720 *p.* 3—26 *ediderunt, mendis tamen haud raris vitiatum, Eccardus etiam p.* 27—44 *adnotationibus praecipue genealogicis illustravit, quarum nonnisi minima pars ad rem nostram facere visa est. Eccardi textum Harenberg in historia Gandersheimensi diplomatica p.* 451 *repetiit. Lectiones editorum, Eccardi*
13 *praecipue, cui reliqui ubique fere consentiunt*[13], *adduxi complures, quas nullius pretii esse lectores facile intelligent. Agii versus* 179, 180, 375, 376, 576, 577, 589, 590 *in editis omnibus, quatuor posteriores etiam in codice Bruxellensi, desunt et iam primo typis prodeunt.*

1. **H**onorabiliter diligendis et diligibiliter honorandis sanctissimis in Christo Gandeshemensis monasterii sororibus, Agius, quamvis indignus, gratia Christi sacerdos. Quantum matri olim vestrae spiritali, quantum vestrae simul caritati debeamus, dicere nequaquam valemus. Dicere enim non possumus, vel qualem omnes vos communiter nobis caritatem exhibere consueveritis, vel qualia et quanta ab ipsa specialiter beneficia consecuti fuerimus. Proinde quia hoc sanctis eius meritis dignum putamus, quia hoc simul vobis gratum fore non dubitamus, vitam eius breviter, inculto licet sermone, transscriptam vobis mittere dignum duximus; ut, quia, quod summopere optastis, iam eam corporaliter intueri et habere non potestis, in vita quandam eius imaginem teneatis, et in exemplis et actibus eius ipsam vos habere putetis. Quod nos non[a] improbabiliter facturos speramus, quia et vitam eius magna, ut nostis, ex parte noveramus, et dormitioni quoque interfuimus. Unde lectorem primo omnium monemus, ut noverit, nos non falsa aut dubia de ea esse dicturos, sed vera et certa, et omnibus fere qui eam nosse poterant nota, narraturos. Neque enim alia scribimus, quam quae omnes passim minores clamant, maiores probant. Si quid tamen est, quod de sanctitatis eius declaratione

a) *vox deest* 1. 2. 3.

11) Vita vix antea absoluta est; nam cap. 26. trigesimum obitus diem memorat, i. e. 3. Kal. Ianuarii a. 875; et dialogus vitam subsequitur, Gerberga iam in abbatissam electa, v. 677. 12) SS. I. 225, 227. 13) raro Pezius differt, nonnunquam coniecturis nisus.

ad omnium indifferenter notitiam pervenire nequivit, sororum, quae ei familiarius adhaeserunt, fidei committendum et testimonio credendum suademus; cognita quippe eius sanctitas etiam de minus notiș dubitare non permittit. Pauca igitur de singulis attingentes, primum de genere dicendum putamus, ut clarescat, unde, ad quid venerit, et quanta pro divino amore spreverit, contempserit, dimiserit; quanto namque plus quisque pro Deo dimiserit, tanto maioris meriti apud Deum erit, tanto maiorem mercedem[a] percepturus erit.

2. Denique ut de promaioribus[b] eius taceamus, qui omnes et ex paterno genere et ex materno clarissimi fuerunt[1], quantae apud seculum nobilitatis sancta ista et incom- 1
parabilis femina fuerit, hinc apparet, quod frater[2] eius regum neptem[3] in matrimonio habet, soror[4] regis[c] regi filio[5], digno digna iugalis coniugi iuncta est. Ceteris[e, 6] infra patriam, qui non maiori gloria Christi servitio mancipati sunt[7], secundum natalium dignitatem honestissimas nuptias sortiti sunt. Pater eius[8] ex illustrissimo Saxonum genere oriundus, dux Orientalium Saxonum fuit; mater[9] ex nobilissima aeque Francorum pro- 840.
sapia descendens, in prole nobilior effulsit. Ipsa Hathumod dicta, ex bono bonarum arborum semine flos primum iocundissimus, suavissimus postmodum fructus excrevit. Siquidem[d] natalium, ut diximus, dignitate nobilissima, mentis sanctitate nobilior fuit. Nam ab ipsa statim pueritia quandam futurae indolis speciem praetendens, puerilem lasciviam christiana gravitate mutavit: iocos, et innoxios licet lusus, huiusmodi aetati familiares, in tenero quamvis corpore maturiori animo, ut vanos irrisit, ut ad nihil ùtiles contempsit. Aurum et apparaturam pretiosam, quae infantes, utpote pulcra, quamquam innocenter concupiscunt, neque concupivit, neque habere voluit. Nam vestes auro paratas, mitras, vittas, discriminalia[10], inaures, lunulas, monilia, armillas, dextraliola, strophia[11], et olfactoriola, ad quae vel habenba vel portanda plurimarum feminarum inar- 11
descit ambitio, et ultro secundum parentum facultatem et dignitatem oblata, suscipere recusavit; et contra voluntatem sibi imposita, anxie ingemuit, vehementer flevit. Ecclesiis Christi, quia quod voluit, iugiter non licuit, vel frequentius interesse, et ibi aliquid suae utilitatis audire et orationi incumbere gaudebat. Litteras vero, ad quas alii discendas et verberibus coguntur, ipsa ultroneo studio appetiit, infatigabunda meditatione addidicit.

3. Ab ipsa quippe infantia morum secum probitas crevit, et simul cum aetatis succremento, et virtutibus se ipsa cottidie[f] maior effulsit. Nam cum aetatis processu sapientia et gratia apud Deum et homines proficiens, servitium Christi pompis mundialibus, coelestem sponsum Christum terreno sponso praetulit; denique fulgentibus parentum tectis ancillarum Dei contubernium anteponens, cum parentum voluntate sacro velamine consecrata, et Herifordensi monasterio, quod eo tempore in sanctimonialium nomine famosissimum erat, sub regulari disciplina nutrienda aliquamdiu commendata

a) m. apud Deum p. e. *ed.* b) primoribus *ed.* c) *ita* 1. 2. *et Pezii editio; Eccardus vocem omisit, cuius loco eius substituendum putat, libris tamen adversis;* soror *nupserat* regi, regis filio. d) Sicquidem 1. *constanter.* e) *ita codd.* caeteri *Ecc. tacite correxit. Sententia est:* Brun et Liutgarda reliquis natu et dignitate minoribus honestissimas nuptias paraverunt. f) quottidie 1. *saepius.*

1) V. infra Hrotsuithae carmen de constructione coenobii Gandershcim. 2) Hic Bruno dux intelligendus esse videtur, maior natu et patris Liudolfi successor, postea a. 880. a Nortmannis interfectus. Hunc potius quam minorem fratrem Ottonem regiam coniugem sortitum fuisse credo. Non obstat, quod mortis tempore *frater reginae* tantum dicitur; quo quidem praecipue clarebat. 3) Noster eam non filiam regum sed neptem vocat, ideoque ex filia aut Hludowici I. aut cuiusdam filiorum eius, Hlotharii, Hludowici Germ. vel. Karoli II. prognata fuisse videtur. I. G. Eccardus, qui hic de Ottone sermonem esse dicit, cuius uxor Hathui fuerat, Gislam, Hludowici I. ex Iuditha filiam, pro matre eius habet, sed adversis nominibus; Gislae enim filia minima natu in Eberhardi patris, ducis Foroiulani, testamento *Heilwich* vocatur, quod ab Hathwich diversum esse, prolixior forma *Eigilwich* magis etiam probat. Eigilwi Iudithae mater fuerat. 4) Liutgarda. 5) Hludowico iuniori, regi, Hludowici II. Germanorum regis filio. 6) Ottoni scilicet postea duci, et Eadae sorori. Otto Hathwidem uxorem duxerat (Thietmar. I. 2.) quae ex Necrol. Merseburgensi 9. Kal. Ianuarii obiit; et Necrol. Fuldense anno 903. Hadwih comitissam obiisse tradit. 7) Monasticam vitam amplexae erant Hathumoda, Gerberga, Christina, et duae aliae sorores, et filiolus unus; v. infra v. 553—555. 8) Liudolfus Ekberti filius. 9) Oda. 10) quibus crines discreti religantur. 11) pallium virginale, zona.

est. Quem locum deinceps quanta caritate dilexerit, quanta reverentia dignum iudicaverit, non facile verbis explicare valemus. Nam cum plerumque cum familiaribus suis loquens, eius loci mentionem fecisset, felicem se fore dicebat, si iterum sub abbatissae imperio eis interesse mereretur, feliciorem, si numquam inde avelleretur. Recordabatur quippe facies et vultus singularum, et omnium mores ante oculos revocabat; huius caritatem, eius humilitatem laudabat; illam obedientia praeire, hanc patientia praestare dicebat; in una largitatem, in altera abstinentiam mirabatur; omnium vero in commune modestiam pietatem atque pudicitiam praedicabat.

4. Ubi dum aliquamdiu, ut diximus, instruendi gratia commorata, bonorum omnium, quantum in ipsa aetate potuit, cunctis exemplum dedisset; postquam pater et mater de Roma, quo orandi causa ierant, cum apostolica benedictione regressi, et sancto Petro familiaeque[a] sancti Petri cum omnibus suis commendati, sanctorum corpora papae Ana-
852. stasii et Innocentii papae transtulerunt, denuo revocata, in monasterio, quod in propria hereditate fundatum, Domino et eisdem sanctis tradiderunt, cum apostolica auctoritate et episcopi sui benedictione, primo paucioribus, deinde pluribus sororibus est mater spiritalis et electa et constituta.

5. Ubi cum consororibus[b] suis quanta postmodum corporis castitate, quanta mentis vixerit sanctitate, non est nostrae facultatis evolvere. Communis omnium vita, communis victus, habitus consimilis erat, qui tamen mediocris, nec nimium scilicet cultus nec admodum vilis, neque ex integro laneus erat. Sororum[c] nulla cum parentibus aut quibuslibet hospitibus aut manducabat, aut nisi permissa loquebatur. Nullus cuiquam, quod plerisque sanctimonialibus mos est, extra monasterium aut ad parentes aut ad possessiones subiectas egressus. Extra communem refectionis vel domum vel horam nulla cuiquam manducandi licentia, nisi aliquam infirmitas coegisset; uno omnes constitutae in loco simul cibum capiebant, simul quiescebant, simul ad canonicos cursus orandi hora conveniebant, simul egredientes, quod operandum erat, operabantur. Cellulas infra claustrum proprias aut servitrices nulli habere licebat. Extra in villula ideo habitabant, quia necdum eis ex parte matris spiritalis vestimenta propter rerum insufficientiam dabantur. Pauperioribus, qui[d] aliunde habere non poterant, ipsa ministravit. A viris tanta separatio erat, ut nec presbyteri quidem, nisi infirmitatis necessitas poposcisset, claustrum earum ingrederentur, aut aliqua rationabilis secundum officii eorum ministerium causa postulavisset. Haec sunt, quae ei communia fere cum ceteris fuere.

6. Siquidem ista omnia non solum adimplevit, sed etiam superauxit. Nam ita communem cum ceteris vitam et victum habebat, ut cum carnis esum certis diebus et statutis temporibus ipsis non negaret, sibi non indulgeret, ita consimilem habitum habebat, ut, cum a laneis[e] ad carnem vestimentis, si quae hoc vellent, alias arceret, ipsa laneum haberet. Porro cum hospitibus nisi in ecclesia non loquebatur, nisi forte humanitatis gratia cum his refectionis tempore eam esse postulasset. Ad parentes aut ad possessiones subiectas numquam ex quo illuc venit egressa est; extra monasterium non dicam cum viro, sed cum nullo prorsus comedit; infra monasterium, licet hoc liceret, non in alio loco quam in communi refectorio manducare consuevit. Ita cum ceteris ad ecclesiam hora orandi conveniebat, ut aut prima aut inter primas veniret, postrema egrederetur; ita cum ceteris in eadem domo dormiebat, ut ad lectum postrema veniret, de lecto prima surgeret. Servitrices infra monasterium, sicut ceteras habere noluit, sic ipsa non habuit. Studebat namque sancta et Deo dilecta femina, sicut loco excellebat, ita et vita praestare; studebat sicut nomine, ita et meritis excellere; et idcirco nocturnales cantus praevenire, post matutinales ymnos vigilare, et plura huiusmodi alia agere, quae ceteris ardua, ipsi propter consuetudinem et nimium in Deum amorem iocunda admodum et prorsus facilia videbantur. Meminebat quod erat, meminebat quod dicebatur; cogitabat se matrem vocatam, cogitabat se abbatissae nomine censeri, et ideo prodesse magis quam praeesse gaudebat, et amari potius quam timeri cupiebat. Proinde cogitans, se non tam honorem quam onus suscepisse, nulli aliquando aliquid[f] interdixit, quod ipsa fecisset; nulli aliquid praecepit, quod ipsa prius non adimplesset; ita subiectas ad bene agendum factis potius suis et exemplis incitans, quam disciplina cogens.

a) familiaque 1. b) consoribus 1. c) Quarum *ed.* d) quae 2. e) *ita Ecc. correxit*; lineis 1. 2. 3. f) aliquit 1. *saepius.*

7. Talis erat ore qualis opere, talis opere qualis ore; quia quod docuit fecit, et quod fecit docuit. Et quia divina scriptura quadrifarie quaedam vetat, quaedam iubet, quaedam concedit, quaedam suadet: ipsa, in quantum humanae fragilitati possibile erat, vetita nulla commisit, iussa[a] quaeque fecit, concessa ex licitis illicita fecit, suasa maioris mercedis intuitu arripuit. Nam aperte mala, quae erant prohibita, non solum opere non fecit, sed etiam mente execrata est; aperte bona, quae erant praecepta, pro viribus adimplere contendit; concessa, quae pro utentium modo vel bona esse possunt vel mala, in quibus est seculi usus, coniugii voluptas, carnium esus, molliorum et cultiorum indumentorum apparatus, maiori cautela sprevit, salubriori consilio declinavit; suasa, quae ut altiora neque cunctis praecipi neque a cunctis adimpleri poterunt, in quibus est seculi abrenunciatio, carnium abstinentia, molliorum et cultiorum indumentorum contemptus, virginitatis observatio, ardenter arripuit, perseveranter complevit. Denique molliora indumenta ita contempsit, ut asperiora quoque non nimis culta haberet; a carnibus ita abstinuit, ut cum ceteris cibis et potu necessario panem quoque ipsum parcissime sumeret; seculo autem non solum exterioribus rebus, sed etiam in animo intus et voluntate renunciavit; virginitatis propositum ita caute servavit, ut nullus[b] invidis detrahendi locus daretur. Nulla in verbis eius procacitas, nulla incontinentia[c], lascivia fuit. Sermo impudicus et verbum turpe numquam ab eius ore processit. Nullus eam aliquando rixantem, nullus maledicentem, nullus iurantem, nullus detrahentem, nullus mentientem audivit. Nemo eam iratam, nemo turbulentam, nemo multum et inhoneste ridentem vidit. 852.

8. Nulli umquam iniuriam fecit, nulli calumniam irrogavit, nulli convitium ingessit[c*]. Una omnes secundum qualitates singulorum vel caritate[d] dilexit, vel reverentia honoravit. Consororum suarum ita vitia insectata est, ut summo eas et diligeret et veneraretur affectu. Una erga singulas pro meritis disciplina usa est. Dilexit naturam, odivit malitiam; dilexit quod Christus fecit, odivit quod diabolus adinvenit. Suarum excessus ut proprios flevit. Quotiens aliqua fide aut mente infirmabatur, ipsa simul aegrotabat; quotiens aliqua scandalisabatur, ipsa urebatur. Placido tamen semper vultu, sereni animi etiam inter moestitias[e] et lacrimas[f] simplicitatem praemonstrabat. Ceterum fidem vel in Deum puriorem, vel erga homines meliorem, nullus habere valebat. In amicitiis non aliis quam iustis concedendis cauta admodum et difficilior videbatur; in conservandis tenacissima erat.

9. Scripturarum lectioni et ipsa sedula insistebat, et insistentes summopere diligebat; negligentiores[g], quas tamen aliquid proficere posse videbat, minori potius familiaritate quam disciplina ad has discendas cogebat. In his audiendis, legendis et intelligendis maiorem cautelam, vivaciorem sensum, saniorem intellectum habere nullus fere hoc tempore quivit. Si qua, ut moris est, interrogare debebat, tam plane et discusse cuncta attingebat, ut ipsa interrogatione sua docere potius quam interrogare videretur. Longum est, si cunctas eius virtutes singillatim vel attingere velimus. Mira ei caritas, summa humilitas, maxima patientia, incredibilis liberalitas, incomparabilis pietas erat. Quanta namque caritate vel ipsa cunctos dilexerit, vel ipsa vicissim ab eis dilecta sit, testantur tot tantorum lacrimae, in eius obdormitione effusae. Humilitatem vero tantam habuit, ut, cum esset clarissimo, ut in principio diximus, genere orta, et summo[h] apud consorores loco constituta, nulla vel ad inclinandum facilior, vel in verbis humilior, vel in habitu fere vilior appareret. Quid de patientia eius dicam, cum nullum umquam vel inhonesta increpatione arguerit, vel etiam convitianti asperum verbum retulerit? Porro de liberalitate ac pietate eius supervacuum est aliquid dicere, cum omnes ita attendisset, acsi de propriis visceribus ipsos genuisset. Quis enim umquam inopum, quis clericorum ab ea vacuus recessit? Quis non eius cibis refocillatus, quis non est eius bonis participatus? Nonnumquam suis tulit, quod aliis tribuere posset; egebat ipsa, ut alii abundarent; esuriebat, ne pauperes esurirent; sitiebat, ne hospitibus potus deesset. In quibus suscipiendis maiorem humilitatem, maiorem caritatem, maiorem humanitatem nemo poterat exhibere. Illis, si persona talis erat, hora convivandi assidere solita, cum illis de Deo,

a) iusta *ed.* b) nullis *ed.* c) incontinentiae *ed.* c*) ingescit 1. d) *deest ed.* e) mestias 1. moestas *ed.* f) et res lacrymosas serenitatem *ed.* g) negligentes *ed.* h) summa *ed.*

de coelestibus, de divinis scripturis tractare, eos aut interrogare aliquid aut docere, et ita quicquid humanitatis erat exhibere, ut curaret, dum corpus exterius pascebatur, ne mens interius ieiuna[a] remaneret.

10. Quam autem sollicita fuerit circa[b] aegrotantes, superfluum est dicere, cum non solum praesentes miro modo et diversis obsequiis foverit, sed etiam alienos et longe positos in infirmitate aliqua per nuncios visitaverit, et quicquid illis gratum in
874. cibis esse putaret, miserit. Siquidem parvo ante suam infirmitatem tempore[12] cum pleraeque e sororibus graviter languissent, dici non potest, quanta sedulitate[c] eas visitaverit, quanta eis cura astiterit, quanta sollicitudine inter singularum lectos discurrerit, quanta suavitate singulas allocuta fuerit, quam miris et diversis obsequiis molestiam earum corporalem levigare temptaverit, omnibus quibus poterat modis procurans, ne aut necessaria ministeria, aut quicquam eorum quae desiderarent eis deesset; acsi iam sancta et Deo dilecta femina sciret, quantocius se ex hoc seculo esse migraturam. Quod tamen et ex nonnullis seniorum indiciis non solum sibi sed etjam aliis prius praemonstratum esse probatur. Fuere namque ex sororibus, quae signum ecclesiae maximum cecidisse et confractum esse in somniis viderint; plerisque visum est sarcofagum sanctorum ruisse, et minutatim dissolutum fuisse.

11. Ipsa autem, dum non multo ante infirmitatem suam cum quodam familiarium suorum loqueretur, inter familiaria quae cum eo habebat colloquia, etiam monasterii sui statum tenerrimum deplorare coepit. Ad quod cum ille diceret, tenerum quidem eum esse, sed Deo gratias[d] bonum: de bonitate in Dei esse positum potestate et misericordia, respondit, sibi tamen hoc penitus displicere, quod necdum regiae tuitioni commendatus
13 esset[13]. Cumque ille rursus diceret, hoc Domino volente citius emendandum fore, utrumque, et episcopum suum illis fidelem et familiarem esse, cuius suggestione hoc fieri posset, et parentes et alios in palatio fideles eam habere, qui suam optime in hoc voluntatem et adiuvare possent et vellent; se quoque ita credere, ait, ipsam tamen ad
14 hoc, usquequo hoc fieret, non esse victuram; hoc autem citius esse futurum[14]; de his omnibus, ut Domino placeret, esse debere, dixit; se tamen mirandis quibusdam et sibi prius insuetis insomniis agitari, ipsius super hoc orationem et benedictionem efflagitare. Dicebat enim, insomniis se quandam mirae magnitudinis rotam vidisse, cuius palae[e] diversas animalium figuras insertas haberent; se vero cum plerisque consororibus suis ad axem supra modiolum rotae intra radiolos quasi quibusdam catenulis esse colligatam, simulque cum rota, quam fluvius subtercurrens mira velocitate circumegerat, circumvolvi; cumque, ut sibi videbatur, stupida timeret, ne in fluvium subtercurrentem decideret, non in fluvium, quod verebatur[f], sed potius in terram[g] contiguam se decidisse. Quo facto, se expergefactam fuisse, et iam vigilantem, iam ad se reversam, membris tamen omnibus praemortuis et adhuc tremebundis iacuisse.

12. Quibus itidem diebus saepius sibi visum esse dicebat, se levi volasse corpore, et corpore exutam, tamen corpoream, miro[h] et ineffabili nobis modo coelestibus simul et terrestribus interfuisse. Nam proximis illis diebus se quasi in aere raptam, et omnia monasterii aedificia detecta vidisse, et cuncta quae in singulis vel erant vel gerebantur, aperta suis oculis et perspicua prorsus fuisse. Inter haec se in ecclesia quasi quendam magnum terrae hiatum vidisse. Cumque ad hanc visionem summopere[h*] doleret, et quomodo hoc evenisset, vel quomodo oppleretur, cogitaret, audisse se vocem dicentem sibi, non[i] debere illum opplere[k], quoniam hoc habitaculum suum esset futurum. Quo dicto, audisse se multitudinem psallentium, psalmum centesimum quadragesimum dicentem. Cumque perventum esset ad versum: *Haec est requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*, et illa, ut sibi videbatur, simul cum eis psalleret, expergefactam evigilasse se, et adhuc eundem versiculum vigilantem in ore habuisse. Quae licet illa tamquam insomnia narraret, et ille cui hoc referebat similiter interpretaretur, longe

a) ociosa *ed.* b) erga *ed.* c) solicitudine *ed.* d) dei gratia *ed.* e) palo *ed.* f) ferebatur 1. g) gratiam 2. h) *deest ed.* h*) sumopere 1. *saepius.* i) *deest ed.* k) oppleri *ed.*

12) Famen et pestilentiam a. 874. tertiam per Germaniam Galliamque hominum partem absumpsisse, Ann. Fuldenses tradunt; cf. infra Dialogi v. 28. 13) Monasterium Lamspringense iam a. 873. regiae tuitioni commendatum erat. 14) Monasterium Gandersheimense a. 877. a Hludowico III. rege in tuitionem regiam susceptum est.

tamen sibi aliud videbatur, atque hoc quod postea rerum exitus docuit, statim veritus est. Unde non statim, ne ita eum intellexisse sentiret, sed post modicum eam pro quibusdam, quae ad meritorum et misericordiarum eius augmentum pertinere videbantur, admonendam putavit, et pro his sibi supplicandum dignum duxit. Quae illa solita vel erga Deum devotione vel erga cunctos benivolentia, quantum tunc potuit, concessit. 874.

13. Eodem autem tempore cum et nos ibidem essemus, et iam discedere vellemus, nequaquam nos permisit, paululum subridendo dicens, incertum nobis esse, quanto tempore ea frui et eam videre permitteremur; si citius eam decedere contingeret, tunc nos poenituros fore, si tunc contra voluntatem eius discederemus; simulque et per se ipsam et per plerasque sorores suas alias multum nos rogare coepit, ut, siquidem eam infirmatam audiremus, venire non supersederemus. Ex quibus omnibus non solum conicere possumus, sed et liquido intelligere valemus, dormitionis suae tempus sibi praemonstratum fuisse; quod quidem et ex languentium sororum infirmitate, quae eius aegrotationem praecesserant, divina pietas praemonendum putavit. Igitur cum inter aegrotantes sedula discurreret, ipsa in infirmitatem decidit; aliquamdiu tamen infirmitati reluctata[a], vincere eam vel potius eludere temptavit[b]. Tamdiu quippe cum ceteris sororibus in choro ad cursus, in refectorio ad mensam fuit, donec ambulandi officio destitueretur. Prius tamen quam morbo ingravescente in lectum decideret, vidit in somniis quasi magnum quendam campum, diversis florum generibus vernantem; ubi et omnes fere, quae ex sororibus suis iuvenili aetate florebant, se vidisse conspicata est; cuius pulchritudine et amoenitate cum admodum delectaretur, subitanea sibi conflagratione inarsisse visus est. Tum nimia earum miseratione clamare coepit, ut Dominus misereretur, ut Christus succurreret, ne miseras penitus interire pateretur. Et quia sanctum Martinum semper speciali quadam reverentia excolebat, et in maximis vere necessitatibus eum invocare solebat, eius meritis et interventu eas ab ignibus eripi, supplex, ut sibi videbatur, orare coepit. Nec mora; quidam sibi splendore et pulchritudine admirabilis astitisse visus est, qui eius meritis et intercessione et ignem sopiendum et eas salvandas esse dixit. Ita expergefacta, cum postea somnium plerisque narraret, sanctum Martinum quasi ereptorem suum speciali deinceps ab eis veneratione et obsequio[c] celebrandum commendabat.

14. Ipsum vero sanctum Martinum conspicabiliter etiam sibi vigilanti visum esse, indubitanter credere valemus ex eius ipsius narratione et verbis. Nam cum quadam die nonnullae ex sororibus lectulo illius assiderent, subito clamare coepit, sanctum Martinum adesse et in pavimento deambulare; monere sedentes, ut assurgerent astanti, ut iocundarent deambulanti; fallere eos vel falli, qui eum deformem, ut in vita eius legitur, dixissent; nihil se umquam tantae pulchritudinis vidisse. Astantes vero licet nihil eorum videre potuissent, ex vultu tamen eius et continentia, verum esse quod dicebat, intelligere valebant. Nam exhilarabunda huc illucque per cellulam faciem vertens, manifestum intuentibus indicium dabat, illuc eam oculis sequi, quo eum quasi deambulantem in pavimento videbat. Et quamvis, postquam decubuit, numquam se in aliud latus vertere, numquam in dextera sui corporis parte iacere voluerit, tunc se sponte sine alicuius adiumento in illud convertit, et ita sine cuiusquam molestiae signo iacuit, eo usque quoad illa visio completa est. Cortinam quoque, quae parieti appendebat, manibus elevare conata, parietem simul amoveri praecepit, ne quod sancto Dei obstaculum esset[d]. Proinde, quod ex praecedentibus signis non dubium erat, in illa parte, quod in meridiana obvenerat, ipsum assistere clamans, iterum iterumque ad eum contemplandum praesentes cohortari coepit. Unde patenter intelligi datur, eius meritis hoc eam contra infirmitatis violentiam potuisse, quem sibi et corporeis oculis conspicabilem dixit, et vere mentis intuitu vidit.

15. Eodem quoque tempore cum in cellula, qua iacebat, nullus secum praeter germanas eius sorores, quae nec momento temporis ei abesse patiebantur, adesset, et illa clausis oculis quasi dormiens aliquamdiu iacuisset, post aliquantum temporis, quis sibi adesset, interrogavit. Quae cum se adesse dicerent, percontata est, si aliquid aut vidissent aut audissent. Ad haec cum illae, se nihil eorum, de quibus illam interrogare putarent, vel vidisse vel audisse, responderent: *Et non auditis*, ait, *vocem interrogan-*

a) eluctata 1. b) putavit *ed.* c) obsequiis *ed.* d) foret *ed.*

874. *tem, si columba*[15] *iam parata sit?* Erat autem cristallus cum reliquiis sanctorum lectulo eius appensus. Cumque, si tamen rite recordamur, soror eius Christina[*] diceret, hoc ideo sibi visum fuisse, ut ligamentum cristalli, quod non satis accurate paratum erat, emendaret: hoc ita esse posse, dixit. Ea enim et ante febrem et in ipsa maxime febre sibi consuetudo erat, ut si quando quisquam hoc quod loqui intenderat intercepisset, et ad aliud quid invertere conaretur, non in eo inhaereret, sed statim ita posse esse respondisset. Maxime tamen in his sibi hoc displicebat, si quando cuiquam aliquid secretius committere volebat, et ipse, cuius fidei hoc committendum dignum duxit, aliquem alium intermiscendum putavit; quod vel ex his quae sequuntur satis ostendi potest.

16. Quadam die cum in lectulo iaceret, et soror eius Gerberga, quae ei maxime familiaris erat, lectulo eius assisteret, quandam ei secreto visionem, omnibus aliis remotis, narraturam esse dicebat; neque enim se aliquando aliquid tantae pulchritudinis, tanti splendoris et tantae suavitatis vel vidisse vel audisse. Cumque omnibus abscedentibus sola cum sola remansisset, ipsa adiuvante de lectulo elevata, ut aurem ori propius admoveret, praecepit. Quod cum illa fecisset, etiam propius, ne quis alius audiret, apponere admonuit. Quo facto, cum se ad dicendum iam paravisset, pallere et tremere coepit. Unde cum ipsa nihilominus timore perterrita interrogaret, si presbyterum Wulfhardum, qui pro foribus stabat, ut ei diceret, vocari vellet: hoc se omnino nolle, neque alicui praeter ipsam hoc se dicere velle, respondit. Sed cum denuo se ad id quod intenderat explicandum paravisset, anxiari tam vehementer coepit, ut pene decessura videretur. At illa prae timore sola ibi consistere non ausa, memoratum presbyterum citissime vocavit. Qui cum veniret, neque illi neque ipsi quidem sorori hoc postea dicere voluit, questa non modicum, quod hoc contra votum et voluntatem suam aperire aliis et divulgare ausa sit.

17. Simili quoque per omnia modo et de matre fecit. Neque enim ipsa in monasterio tunc erat, quando hoc quod narravimus factum fuerat. Sed postquam audita filiae aegrotatione advenit, et ea quae visitationi eius congruebant adimpleta fuerunt, solam eam advocari et quandam se ei secreto causam prorsus admirandam dicturam esse, memorabat. Cumque, omnibus ut petebat amotis, sola soli assisteret, se ad dicendum parare coepit; sed iterum pallere, iterum tremere, iterum anxiari coepit. Mater filiae defectum videns, sorori potius Gerbergae ob familiaritatem earum hoc se posse dicere, pronuntiavit. Quod ubi illa audivit, digitum ori apponens, neque illi neque ipsi quidem matri neque cuiquam hominum hoc se iam dicturam esse, testabatur. Quod qua ratione declarari non meruerit, viderit qui possit. Illud sane credibile est, magni eam aliquid et divini vidisse; neque enim parvum et humanum esse poterat, quod vel tantae pulchritudinis et suavitatis ipsa esse dixerit, vel quod cum tanto tremore ipsa suspiciebat.

18. Sed et nonnulla alia eam vel audisse vel vidisse[a], liquido patet. Nam plerumque ab astantibus, quis esset strepitus et sonitus quem audiret, requirebat; plerumque admonuit, ut audirent, vel qualis tempestas esset, vel in quali mundus commotione, in quali turbulentia, in quali certamine positus foret. Quod quidem ex infirmitatis magnitudine, ut nonnumquam accidere solet, sibi visum fuisse, credere possemus, si non ea, quae praemisimus, aliud nos credere persuaderent. Illud sane cuivis[b] mirum videri potest, se aliquid horum quae viderat matri celare potuisse, quia unice eam semper diligebat, unice reverebatur; siquidem ita ei semper, acsi parvula, blandita, ut ancilla in omnibus fuerat obsecuta. Si quando eam moestiorem aliquantulum vidit, variis modis et miris obsequiis turbatum eius animum lenire temptabat; et quia librorum lectionem ei admodum gratam esse sciebat, aliquid se et auditu iocundum et utile ad memorandum invenisse dicebat, quod ei legere deberet. Quis autem digne explicet, quanto gaudio solita erga Deum devotione exultaverit, quod mater, cognita in hoc eius voluntate, ad eam laetificandam se iam ex illo loco non esse ituram simulaverit, Deo gratias agens, et matrem osculis demulcens, ac manibus complexans, atque sororibus, quid sibi promiserit, iterum iterumque revolvens.

19. Quod minus mirum videtur, cum etiam nostrae exiguitatis indignissimam par-

*) cristina 1. a) v. v. *desunt* 1. b) cui' 1.

15) Columba est vas in columbae formam effectum, hostiae aut reliquiis servandis aptum.

vitatem et sana supra modum excoluerit, et iam infirma immani desiderio videre cupiverit. Nam in ipso statim suae aegrotationis initio, nobis, dissimulato tamen suae infirmitatis nuntio, ut omnimodis veniremus, mandavit. Vos autem testes estis, et Deus, qui sanctae animae hoc retribuere debet, cum quanta exultatione, quantum infirmitas sinebat, nos advenientes susceperit, cum quanta caritate praesentes tenuerit, cum quanta sollicitudine, ut cura nostri haberetur, iugiter admonuerit, cum quanta anxietate et parumper cellula egressos [a] nos requisierit, cum quanta assiduitate nomen nostrum ingeminans plura nobiscum loqui temptaverit, cum quanto dolore nos tam tarde venisse ingemuerit. Parvam rem, et ut quibusdam videri potest extraordinariam, sed tamen affectus eius erga nos indicem, dicturi sumus. Si quando aliter in dolore ad aliquid gustandum adduci non poterat, hac arte sibi persuasum, si aut [b] a nobis transmissum aut a nobis paratum diceretur. Eo quoque quo advenimus die, cibis coram se allatis, nos vocari iussit, et quantum potuit, coram nobis manducavit, atque consolationis nostrae gratia tam laete se per omnia continere contendit, ut maximam spem evadendae mortis eius conciperemus. Iam vero vespere ingruente, cuncta in contrarium versa, gaudium nostrum in moerorem, spem in desperationem commutaverunt. Nam ita morbus ingravescere et sensim per singula momenta crescere coepit, ut omnem spem recuperandae salutis suae amitteremus, et solam mortem eius expectaremus. In qua languoris tamen molestia et meritum eius erga vos et vester, sanctissimae sorores, erga eam affectus et devotio ostensa est. 874.

20. Primo omnium venerabilis amita eius, quamvis iam grandaeva et senio confecta, quantum dolor eam adesse permittebat, ei [c] indefesse assistebat. Praeposita monasterii, etsi multimodis occupationibus pressa, a lectulo eius nec parumper quidem abscedebat. Decana et custos ecclesiae, quantum custodia illis commissa patiebatur, et frequentes [d] adveniebant, et semper adesse volebant. Iam vero reliquae sorores, quae in cellula iugiter cum ea esse non poterant, aut in ecclesia psalmis pro ea et orationibus vacabant, aut extra fores cellulae excubabant. Praecipue tamen germanarum eius sororum iam antea omnibus nota tunc in eam pietas enituit. Ipsae lectulo assidere, ipsae iacenti infatigabunde assistere; ipsae lectulum componere, pulvillum capiti supponere, ipsam in lectulo elevatam corpore suo sustentare, manus fricare, pedes calefacere, stomachumque confovere; ipsae aestuantem flabello refrigerare, sudorem defluentem linteolo detergere; ipsae calidam aquam ad lavandum temperare, cibum parare simul et apponere, et in omnibus quae agenda erant singulas praevenire.

21. Super omnia mater admirabilis dolorem internum vultu placidiori tegens, moerentes consolari, flentes compescere, singulas alloquio suo delinire studebat; alios ipsa consolatos esse cupiens, quae semet ipsam consolari non poterat. Quantis ipsa gemitibus inter ecclesiam et lectulum filiae discurrebat? Quantum ante sanctorum tumbam fudit lacrimarum, ne filia privaretur, ut pro illa ipsa moreretur, ut sicut in hanc lucem prior intraverat, ita et ab hac luce prior migraret? Aliquotiens in ipso ad filiam accessu haesit, gradumque revocavit; ita fortissima feminarum dubitavit pene, quid facere deberet. Vocare una, revocare altera; illa hortari, ut vel filiae supremis adesset; ista [e] monere, ne videre vellet quod sine dolore videre non poterat. Quid igitur faceret? Vocabat pietas, dolor revocabat. Accedebat tamen; sed aestuantem in morte filiam videre non poterat. Discedebat; sed dolenti filiae abesse non poterat.

22. Iamque corpus paulatim deficere coepit, et tamen mens coelo intenta firma durabat. Canebat una nobiscum plerumque eosdem psalmos, plerumque alios, plerumque quosdam sparsim ex psalterio versus, ita conexo sibi ordine iunctos, ut eodem spiritu, quo scripti erant, et sanctae eius menti inspirati non dubitarentur. Inter psalmodiam et preces semper in ore eius Dominus, semper in corde Christus erat; et nisi paululum quasi ad dormiendum oculos obclausisset, semper aut psallebat, aut de suae animae salute loquebatur. Peccata sua cogitatione, locutione et opere perpetrata, iugiter confitebatur, et si quam pro his veniam sperare deberet, requirebat. Saepe etiam de bonorum et malorum in die iudicii vel divisione vel discussione, ovium scilicet a dextris et hoedorum a sinistris, mentionem faciens, interrogabat, si quis tunc forte sanctorum

a) ingressos 1. b) autem 1. c) et 1. 2. 3. d) frequenter *ed.* e) ista *usque* poterat *desunt ed.*

874. et bonorum tunc alii succurrere et alium adiuvare posset. Ad ultimum se nostrae fidei et nostris manibus commendans, etiam sanctis, quorum reliquiae in nostro monasterio haberentur, se nostrae parvitatis officio commendari postulabat.

23. Inter haec, acsi[a] iam iisdem[a*] ipsis, de quibus antea loquebatur, interesset, acsi iam Iudicis tribunali assisteret, sic[b] in hoc quod videre videbatur luminibus fixis, formidare et trepidare coepit. Nam eam tunc aliqua futurorum vel audisse vel vidisse, et ex vultus eius varietate et ex aliis, quas praevidit et praedixit, rebus, conicere valemus. Recordari quippe vos, quae tunc affuistis, non ambigimus, priori quam decesserat nocte nos simul vobiscum ibidem affuisse; cumque nos assideremus, vos lectulo eius astaretis, et illa nescio quid de nostra parvitate immurmurasse videretur, vos putasse, quod nos solito sibi more requisisset. Unde cum nos adesse diceretis, illam simul vobiscum nostri causa peccatum habere, ait, nos propter se offensam incurrisse, quod praeter consuetudinem nostram diutius vobiscum moraremur. Ad quod cum diceremus, nihil horum esse, fratribus nostris placere, si quid ad consolationem et solatium eius facere possemus; ad hoc nos missos fuisse: non ita, respondit, esse; melius esse, ut[c] iam discedere et proficisci maturaremus; verum omnino esse quod dixit. Quod quidem, regressi ad monasterium, ita fuisse comperimus. Nam fratres nostri infirmitatem eius tam gravem esse necdum scientes, nos tamdiu remorari graviter patiebantur; et ut postea comperimus, eodem fere noctis tempore quo illa hoc dixerat, domnus abbas inde cum quibusdam fratribus nostris locutus est. Quod etiam nos credere persuadet, tunc quoque eam magnarum rerum aliquid vidisse, quando frequentius *Euge! Euge!* clamabat, et nos qui affuimus, quasi ad audiendum cohortata, quia iam amplius non poterat: *Audite, audite!* saepius ingeminabat.

16 24. Aderat eodem ibi tempore cum clericis Marcwardus episcopus[16], et omnia, quae egressuris necessaria videbantur, in sacri olei inunctione, in ultima reconciliatione, in sacrificii communicatione, sollemni more adimplevit. Cantabantur iugiter psalmi, letaniae et preces dicebantur, legebatur euangelium, neque aliquid eorum quae ante exitum animae fieri debent praetermissum est. Iamque paulatim membris omnibus praemortuis, loquela minui et sensim deficere spiritus coepit; cum illa tamen lignum sanctae crucis, quod ibi habebamus, devotius deosculans, oculis in illud intendebat, et aliquid ex psalmis virtute qua poterat per intervalla immurmurabat. Convenit autem nobis, ut psalterio a capite inchoato, diligenter attenderemus, in quo psalmo aut versu obiret; quod satis convenienter[d] sanctis meritis suis provenit. Nam cum in quadragesimo psalmo penultimum versum diceremus: *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum*, sanctam, ut fidenter credimus, animam coelo reddens, ultimum spiritum exhalavit. Expectavimus tamen, ut moris est, si eam forte respirare contingeret, donec subsequentes duos psalmos, decessioni eius aptissimos, compleremus; ubi iam manifesta obdormitionis eius indicia patuerunt, et hoc testantia cuncta ecclesiae signa sonuerunt.

25. Vix dici potest, quantus ad ecclesiam populus confluxerit, quam gemebunda et luctuosa sororum turba ad sanctam eius animam Domino[e] commendandam convenerit. Quo cum multis lacrimis finito, pleraeque ad lavandum secundum morem corpus in loco remanserunt; ceterae[f] interim in ecclesia psalmis et orationibus vacabant. Miram rem dicturi sumus, sed tamen sororum, quae interfuerunt, testimonio veram. Cum iam sanctum corpus ad lavandum in sellula esset compositum, ipsam oculos ut prorsus incolumem levasse, atque labia[g] quasi ad alloquendas astantes movisse. Lavato corpore et digne linteolis involuto, cum digno virginum comitatu et psallentium choro, puellulis quae cereos ferebant praeeuntibus, ad ecclesiam humeris sacerdotum deportata est. Ubi quantus omnium gemitus, quantus luctus, quantus planctus fuerit, quis recordari sine lacrimis, quis dicere sine fletu potest? Confusa erant omnia; nec voces cantantium et lugentium discerni quibant; tota quippe ecclesia vocibus plangentium personabat; vox una lugentium erat, se dominam ipsam optimam, se matrem misericordissimam perdidisse; iam non esse, quae tanta omnes caritate diligat, humanitate suscipiat, quae tanta

a) hac si 1. a*) isdem 1. b) si 1. c) si *ed.* d) congruenter *ed.* e) Deo *ed.* f) c. tamen i. *ed.* g) labra *ed.*
16) Hildesheimensis.

liberalitate hospites colligat, tanta misericordia pauperibus succurrat. Gregatimque viri et feminae collectae, hae ostendebant vestes ab ea acceptas, illi alia munera eius beneficio collata praeferebant. Interea gregatim turbae per totam noctem et diem usque ad horam sepulturae eius confluebant. 874.

26. Iam vero cum ad sepeliendum eam ventum fuerat, maiorem numquam ullus luctum, maiorem planctum audire non debuit; nec compesci ullo modo, quamvis sacerdotibus iuxta officii sui ministerium id propter Deum petentibus, potuit; sed[a] si quando aliquantulum cohibitus videretur, maior deinde insurgebat a turbis, qui[b] catervatim confluere non desinebant, quodammodo renovatus. Hoc non solum ipso et proximis diebus fiebat, sed usque ad trigesimum fere diem nobiliores quique quasi turmulis quibusdam hinc inde convenientes, non tam ipsam lugebant, quam tunc verius Deo vivere sciebant, quam se tale bonum et tantum solatium amisisse, quam sanctam congregationem tali matre[c] destitutam, quam dignissimam[d] matrem eius tali sobole privatam, quam gloriosissimam sororem eius dominam nostram reginam tali germana desolatam fore dolebant.

27. Ad haec mater gloriosissima incredibili mentis patientia singulos consolans, singulorum lacrimas compescens, virorum femina extraneorum mater officium implevit. Siquidem quamvis de amissione eius summopere, licet tacite, doleret, de eorum tamen amore palam gaudebat, neque se prorsus eam amisisse putabat, quam et Deo vivere et cum Christo esse credebat, et in hominum vivere memoria videbat. Et tamen haec tanta et talis femina, tantae fortitudinis in publico, sola et secreta ultra modum eiusdem filiae mortem dolebat; et tanto se singularis lacrimis indulsit largioribus, quanto se coram aliis magis cohibuisse videbatur. Vincebatur quippe dolore, vincebatur pietate, quae in optimo quoque maxime semper solet abundare. Proinde vos, sanctae sorores, non tam dolere debetis, quod talem amisistis, quam gaudere, quod talem habuistis, immo habetis. Deo enim vivunt omnia, et ideo mortuam vobis non putetis, quam Deo vivere non ignoratis. Nam si Christus vobiscum est, immo quia est, ipsa vobiscum simul erit, quam cum Christo esse non ambigitis; ipsa enim eum ut vere virgo sequitur, quocumque ierit. Vivit ergo haec sancta mater vestra vobis spiritu, vivit sancta vita, vivit irreprehensibili conversatione, vivit eximiis moribus, vivit optimis exemplis.

28. Ad hoc quippe ista vobis scribere volumus, ut quia iam eam corporaliter videre non potestis, in vitae eius sanctitate quandam, ut in principio huius opusculi diximus, eius imaginem attendatis; neque totam a vobis discessisse existimetis, cuius cottidie sanctam conversationem non tam legere ignotam quam relegere cognitam valetis. Hoc vobis pro regula, hoc pro speculo erit, quia ibi, ubi vita et mores vestri corriguntur, invenietis. Quamdiu in carne erat, corporalibus eam passibus secutae et comitatae estis; si illuc, quo nunc eam cum Christo regnantem credimus, pervenire vultis, spiritali eam gressu sequi debetis. Ipsa Christum pauperem paupercula secuta, tantum in hac virtute[e] effloruit, ut tempore dormitionis eius neque funeri saltem necessaria ex suo adessent, sed alieno linteolo involveretur; quamvis summo loco nata et monasterio praeposita, plura, si vellet, habere potuisset. Nec movere vos debet, sanctissimae sorores, quod tantae sanctitatis femina difficiliori et longiori aliquantulum exitu ad Dominum transivit. Hoc ideo quippe Dominus voluit, ne ei in futuro diceretur: *In hominibus non fuit, et cum hominibus non est flagellata;* hoc ideo Dominus voluit, ut si quid adhuc ex humanae fragilitatis sordibus in eius mente emundari debuisset, per graviorem exitum purgaretur. Ceterum illa modo, ut oramus et credimus, Christum sponsum castissima sponsa, ubicumque ierit, sequens, canticum illud novum decantat, quod nemo dicere potest nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt ex hominibus, primitiae Deo et agno, et in ore eorum non est inventum mendacium, et sine macula sunt ante thronum Dei.

29. Decessit sancta haec et incomparabilis femina 3. Kalendas Decembris, feria secunda, anno incarnationis dominicae octingentesimo septuagesimo quarto, indictione 7. Vixit in sancto proposito annis 22. Omnes anni vitae eius fuerunt triginta quatuor; regnante domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

a) se 1. b) quae *ed.* c) matri 1. d) dignissima in 1. *ed.* e) vita *ed.*

INCIPIT DIALOGUS AGII.

Cum praesens ego supremis fortasse fuissem
Sanctae abbatissae anxius Hathumodae,
Inter me sanctasque eius dignasque sorores
Sermo satis lugubris tunc fuerat habitus.
Pauca tamen consolandi has dicere causa
Magnum me harum compulerit[a] meritum;
Sed quia forte recens adhuc dolor ista repente
Has audire nimis prohibuit lugubres,
Haec, quae tunc flendo retuli, nunc versibus edo,
His quoque nonnulla[b] adiciens alia.
Hoc ideo, quia hoc ipsae rogitasse probantur,
Ut sibi post scriptum hoc ego dirigerem,
Quo se solari, quo haec possent oculato
Quae dixi more iugiter aspicere.
Unde favens iustis harum votis precibusque,
Paucula temptabo dicere pro merito.
Tu modo me, lector, cum his adverte loquentem,
Et te cum nostro participa gemitu.

AGIUS. Non dubito fore vos moestas de morte sororis,
Et vobis obitum ipsius esse gravem;
Talis enim mulier non est iniure dolenda,
Cui nunc vix aliam mundus habet similem.
Optima cunctarum, quas ipse aliquando viderem,
Moribus egregiis et Domino placitis.
Hanc non plangamus, cum hanc modo plangat[c] et orbis,
Et plangant variis ipsa elementa modis?
Hoc siquidem tot tantorum mortes[d] docuerunt,
Hoc nos hic annus praemonuit sterilis,
Egregiam, castam sanctamque per omnia matrem
Hinc migraturam ocius ad Dominum.
Non, rogo, plangamus, iuvenili flore virentem
Intempestiva prorsus obisse die?
Sed tamen iste dolor fore debebit moderatus,
Debebit vestris esse modus lacrimis.
Sicut enim non est nisi naturale dolere,
Sic itidem ratio cuncta vetat nimia.
Quocirca peto vos, carae sanctaeque sorores,
Ut iam parcatis fletibus et lacrimis,
Parcatis vitae vestrae, parcatis ocellis,
Quos nimium flendo perditis omnimodo.
Nam „ne quid nimis" egregie quidam et bene dixit,
Immo per hunc potius hoc monet ipse Deus.

RESPONSIO. Haec quae prosequeris prorsus verissima constant,
Et scimus, nimium omne vetare Deum;
Sed minime nobis nimium hoc esse videtur,
Quod meritis scimus ipsius esse minus.
Quantis namque bonis in hac una careamus,
Hautquaquam digne possumus exprimere.

a) compulerat *ed.*
b) nonulla 1.
c) plangit 1.
d) mores 1. 2. 3.

Haec soror, haec mater, haec nutrix atque magistra,
Haec abbatissa, haec fuerat domina;
Cum hac[a] aequalem similemque per omnia vitam
Duximus asseculae, quamlibet exiguae;
Unum velle fuit cunctis, nolle omnibus unum,
Vota fuere una atque eadem studia:
Et nos hanc non ploremus, hanc non doleamus
Et suspiremus visceribus cupidis,
Quae nostrae dulcedo simul vel gloria vitae,
In qua sunt unâ perdita tanta bona?
Denique de lacrimis, de planctibus atque dolore
Non umquam nobis credimus esse satis.
Saltem nos lacrimis et planctibus exsatiemus,
Si non optata nempe licet facie.

AGIUS. Non nego, nunc vobis iustum satis esse dolorem,
Non nego, sat iustas esse simul lacrimas,
Cum nisi cum gemitu membrum a membro dirimatur,
Et corpus damnum sufferat aegre suum.
Et tamen hoc tolerat, quod non mediocriter angit,
Hinc ex naturae, inde Dei intuitu.
Non solas modo vos tangens dolor iste remordet,
Me quoque depascit, me magis excruciat.
Nam minime, veluti est dignum, nunc dicere possum,
Quanta ego vobiscum commoda perdiderim.
Vos melius nostis, quanto me semper amore,
Quantis incolumis foverit officiis.
Vos nostis, quanta iam languida sedulitate,
Qua anxietate meam gestierit faciem,
Quo desiderio susceperit advenientem,
Et quam mirandis mulserit obsequiis,
Qualiter alloquio fuerit dignata supremo,
Assidue nomen ingeminando meum.
Hanc ego non plorem tanto mihi deditam amore,
Quanto nullo modo dicere praevaleo?
Ipsa meis compassa malis, ut propria flevit,
Conque-gavisa bonis sic fuit ut propriis.
Ipsa mihi mala reddiderat tolerabiliora,
Sicut et econtra splendidiora bona.
Cum hac, quicquid erat prorsus quod forte volebam,
Non secus ac mecum ipse loqui poteram.
Me miserum! me infelicem! poterone dolorem
Umquam mutata solvere laetitia,
Quod tali tantaque simul privatus amica,
Ipsi sum[b] misera sorte superstes ego?
Sed[c] quid nunc facio, cur luctu forte meopte,
Vos etiam flere, vos facio gemere?
Ast hoc ex fragilis carnis propagine venit,
Ut homo defunctos lugeat ipse suos.
Fleverat et Lazarum Dominus, Dominumque Maria;
Fleverunt sanctos quique pii homines.
Sed modus est, ut praemisi, lacrimis adhibendus,
Et debet luctus non fieri nimius.
Hinc contristari nos Paulus apostolus istis
Pro caris nostris rite vetat monitis:

a) hanc 1.
b) cum *ed.*
c) Se 1.

1. Thes. 4, 12. 13
Nolumus ignaros, inquit, vos affore fratres
De iam defunctis, immo soporificis,
Ne tristes sitis, sicut reliquos fore constat,
Qui vitae post spem non retinent aliquam.
Si siquidem defunctum modo credimus Iesum,
Ut surgens mortem vinceret horrificam,
Credamus quoque, hos, qui iam dormisse probantur,
Secum per Iesum tollere nunc Dominum.
Haec spes nostra cluit, haec consolatio constat[a],
Nostros defunctos vivere nunc melius.
Hoc modo hoc vestrum debet lenire dolorem,
Hoc debet vestras tergere nunc lacrimas;
Hoc vos solari debet, hoc laetificare,
Hoc animum vestrum erigere ad Dominum.

RESPONSIO. Hoc certe, hoc erit, quod nos solabitur ûnum
In tam funereo praelugubrique malo,
Quod licet hic eius corpus tellure tegatur,
In coelis animam credimus esse suam.
Hoc nos pura fides eius sperare suadet,
Hoc cogit vita credere sanctifica.
Sed quia carnali iam hac non utimur usu,
Nec hanc conspicimus corporeis oculis,
Ipsius immani desiderio retinemur,
Ipsius cura angimur immodica.
Hinc gemimus, hinc moeremus, hinc denique flemus,
Hinc est haec nostra maxima tristitia.
Nam quia nos miseras[b] hoc amisisse dolemus,
Quod solum nobis maxime dulce fuit,
Nil aliud nobis nisi flere suave videtur,
Nil nisi lugere, plangere vel gemere.
Sic[c], quia carnali gressu iam nempe nequimus,
Ipsam nunc nostris prosequimur lacrimis.

AGIUS. Rara satis, fateor, res est atque ardua valde,
Et hac re nobis non adeo facilis,
Ut homo carnalis sibi carne perinde propinquos
Cernere corporea non cupiat facie.
Non solum cupimus, quos novimus ante, videre;
Sed quoque non notos cernere crebro iuvat.
Sic olim reges terrae faciem[d] Salomonis,
Ipsius audita, gestierant, sophia.
Sed meminisse decet, quid apostolus inde retexat,
A specie carnis nos removere volens:

2 Cor. 5. 15. 16
Iam nunc tempus hoc est, inquit, quo denuo nullum
Iuxta carnalem nosse decet faciem;
Etsi tempus erat quondam, quo denique Christum
Iuxta corpoream novimus effigiem;
Sed minime iuxta carnem iam novimus ipsum,
Nec iuxta humanam quaerimus hunc speciem.
Iam siquidem Christus pro nobis mortuus extat,
Iam carnis fragiles exuit exuvias.
Iam hominem, quem pro nobis susceperat, ultra
Coelos ad dextram substituit patriam.
Huc oculos vestros, huc cor animumque levate,
Illuc mente ite, quo hanc licet aspicere.

a) nostra *ed.*
b) miseros *ed.*
c) Sed *ed.*
d) saciem 1

Constat enim, hanc non bene nunc in corpore quaeri,
Iam non carnalem, sed magis aethercam;
Dum quoque, cum vivens in corpore vincta[a] maneret,
Hanc extra corpus affore viderimus.
Spiritus ergo suus magis est quam corpus amandum,
Perpes, coelestis, vividus atque levis.
Nam iuxta quod ait Dominus, nunc nil caro prodest,
Spiritus est vero qui modo[b] vivificat.
Corpus enim fore perpetuum nequit et diuturnum,
Et caro mortalis est simul et fragilis.
Occidat ergo prius, quo deinde resurgere possit,
Incorruptibilis, spiritui similis.
Sic et frumenti granum prius arva recondunt,
Ut possit fructu surgere centuplici;
Sic sata quaeque suo modo terra recondit in alvo,
Ut valeant frugem post dare multiplicem;
Sic nemorum frondes, quae vere novo revirescunt,
Denudat propriis bruma prius foliis.
Non igitur hanc debetis deducere fletu,
Non hanc debetis[c] prosequier lacrimis.
Moestificatur enim vestro sacra femina fletu,
Et tristis vestris efficitur lacrimis.
Psalmodia[d] nunc debetis deducere matrem,
Et hanc continuis prosequier lacrimis.
Sic deducenda est in vivorum regionem,
Sic commendanda sancta Deo est anima.
Nec vos flere decet, de qua coelestia gaudent;
Non lugere decet hic, ubi Christus ovat;
Praesertim cum nec lacrimis possit revocari,
Nec fletus prosit omnimodis aliquid.

RESPONSIO. Vera quidem, non ambigimus, quae dicis, haberi,
Et frustra tantas fundere nos lacrimas;
Sed tamen has ipsae minime cohibere valemus,
Nec quimus luctum pellere continuum.
Quando recordamur, quod talis femina dudum
Nunc immaturo obierit occubitu;
Quando recordamur tam multimodae pietatis,
Tam purae fidei, tam nitidi eloquii;
Quando recordamur mores actusque sacratos,
Vultum iocundum atque benignum animum;
Cum vitam nostris oculis opponimus omnem,
Cunctorumque sumus nos penitus memores,
Quae vel sana prius vel post iam languida dixit,
Quae fecit variis inclita temporibus;
Cum loca, quîs sedere prius, quîs[e] stare solebat,
Moestae moerenti cernimus intuitu:
Cum haec cuncta simul moestum cor saepe revolvat,
Nil nobis aliud nunc nisi flere iuvat;
Sic etenim fortasse dolor cordis levigatur,
Dum quasi pus[f] quandam[g] eicimus lacrimam.

AGIUS. Non ita fit, neque ploratu dolor imminuetur,
Sed magis excrescit, et quasi flendo redit.
Sicut enim corpus crescente splene tabescit,
Augmentoque suo membra lien macerat;

Ioh. 6, 64.

a) iuncta *ed.*
b) *deest* 1.
c) debitis 1.
d) *hi duo versus desunt ed.*
e) *vox deest* 1.
f) pijs 1. piis *ed.*
g) quondam 1. 2. 3.

Sic quoque fomentum quoddam liquet esse doloris
Hos vestros fletus, hunc gemitum, has lacrimas.
Has[a] equidem crebra accendit speculatio horum,
Quae vestris oculis opposita asseritis.
Haec sunt, quae male nunc vestra lamenta fovendo,
Venenis ipsa dulcibus intus alunt,
Nec vos aequo animo modo permittunt tolerare,
Quod commune cluit omnibus omnimodis.
Nam cunctis commune mori mortalibus extat,
Nobis, iumentis, regibus et ducibus,
Servis et dominis, inopi simul et locupleti,
Iustis, iniustis, sensibili, insipidis.
Nec regum tumidos fastus proceresque veretur
Mors, nec sublimes, dividit et humiles.
Quis protoplastis poterat fore dignior umquam,
Quos Deus ipse suis condiderat manibus?
Et tamen hos ipsos, quos plasmatos paradisus
Sublimes tenuit, haec modo terra tegit.
Primi patris Abel iustissima denique proles
Dire fraterno occubuit gladio.
Sed licet a Domino pro fratris morte repensus,
Mortem nullo modo quiverat effugere.
Enos[b], qui Domini nomen primus vocitavit,
Interiit, iuncta posteritate sua.
Enoch Helia socio nunc usque superstes
Affore praevaluit, mortuus occubuit.
Sem Iaphetque, patri meritis non dissona proles,
Vixerat in limphis, nunc iacet in tumulis.
Quid Iob nunc memorem, cui tunc bonitate nequibat
Affore par ullus, ut docet ipse Deus?
Quid sanctos pariter natos natasque retexam?
Et pater oppetiit, et soboles periit[c].
Melchisedech, cuius finis reticetur et ortus,
Fini succubuit, initium reprimit.
Abraham, Isaac, Iacob, terni patriarchae,
Magno Adae iunctum nunc refovent tumulum.
Inclita progenies duodeno stemmate patrum
Iam defuncta suos bis numerat titulos:
Iuda, Ruben, Simeon, Levi, Isachar, Zabulonque,
Dan, et Neptalim, Gad, et Aser obiit;
Ioseph, Beniamin, Manassen Ephraimque, uterinos
Mater quae dederat, terra recondiderat.
Atque Ioseph obiit, qui de morte eruit orbem,
Quando fames arva presserat attigua.
Membra Aaron vatis mons Or tumbata retentat,
Quem dederat primum lex sacra pontificem.
Eleazar, Fineesque Deo vates, sibi fratres,
Unus post unum pertulit exitium.
Moysi Dominum facie ad faciem speculantis
Bustum nempe latet, mors obitusque patet.
Dux Iesus, Christum factis et nomine monstrans,
Et solem statuit, et tamen occubuit.
Quid Gepthe, Gedeon, Aoth, Samsonque revolvam?
Cui leo succubuit, hunc fera mors rapuit.
Rex David, cuius fuerat de semine Christus,

a) Haec *ed.*
b) Enoch *ed.*
c) obiit *ed.*

Goliam stravit, morteque stratus obit.
Rex Salomon, cui[a] nemo fuit sapientior umquam,
Nunc iacet in digno cum patre mausoleo.
Iosiam, cuius Dominus praedixerat ortum,
In bustis regum post legimus positum.
Ezechias, cui ter quinos Deus addidit annos,
Mortem distulerat, non minime tulerat.
Reges atque duces omnes pariterque prophetae
Extant defuncti in tumulisque siti.
Quis Samuhele in prophetis melior fore quivit?
Quis Heliseo maior erit merito?
Ille prophetavit, hic vitam reddit humatus;
Et tamen extremum clausit uterque diem.
Esaias, qui olim solem retrocurrere fecit,
Mortis commune ipse cucurrit iter.
Danielem, cui tanta archana Deus patefecit,
Cui tunc nil latuit, nunc gravis urna tegit.
Tres pueros, quos flamma vorax non attigit olim,
Nunc avida prorsus fauce voravit humus.
Hezechieli Hieremiaeque prophetis
Non tulit exitium, qui intulit exilium.
Ose, Iohel, Amos, Abdia, Ionas, Micha, Naum,
Abbacucque, sibi Sophonia socio,
Aggaeus, Zacharias simul et Malachias,
Bis sex serta modo sunt adoperta solo.
Atque Ionas, qui de ceti ventre erutus olim
Vixit sub pelago, est modo pressus humo.
Iudas, Eleazar, Ionatas, Simon, atque Iohannes,
Cum iam grandaevo tunc patre Mathathia,
A patria hostem gladiumque simul pepulere,
Et removere a se non potuere necem.
Sed ne femineum sexum prorsus taceamus,
Et nil dicamus hinc pariter penitus,
Sara, Rebecca, Rachel, Debora, Noemi, Ruth et Anna,
Holda, Susanna, Iudith, et simul Hester obit.
Has intermicat alma suis Machabaea tropaeis
Nobilis in sese, nobilis in sobole.
Sed quid sola diu veterum monumenta retexo,
Nec cum his una et nova commemoro?
Praecursor Domini sanctus baptista Iohannes,
Cui nullus fuerat maior, hic occiderat.
Corpus Sebaste, caput Alexandria sanctum
Cum Marci sacris continet exuviis.
Primos ecclesiae proceres, duo lumina mundi,
Petrum cum Paulo Roma tenet merito.
Andream simul et Lucam, quorum modo pollet
Constantinopolis corporibus nitidis.
Istum Bithinia Syriae provincia misit,
Illum foecunda contulit Achaia.
Iohannem, quem sic Dominus, quoadusque veniret,
Mansurum dixit, Ephesus alma colit.
Ambos cum Stephano Iacobos Iudaea retentat,
Summis stemmatibus ipsa beata tribus.
Inclita Hierapolis praefert sacra membra Philippi,
Et sunt Mathaeo Aethiopes nitidi.

a) quo *ed.*

Thomam Edissa tenet, habet India Bartholomaeum,
Persida stat Iudae et Simonis cinere.
Mathias et Barnabas, Thimotheus, Apollo[a], a) appollo 1.
Silvanus, Titus, Theophilus, Gaius,
Ioseph, Gamaliel, Nicodemus et Nathanael
Decessere, viri quamlibet eximii.
Longum prorsus erit, si cunctos denique sanctos
Per mundum metrico exequar ecce stilo.
Si simul et turbam modo percurram mulierum,
Quas tenet in sacris scedula sancta libris,
Anna prophetissa, Elizabeth, Susanna, Iohanna,
Marthaque cum ternis occubuit Mariis.
Ipsa salus orbis et vita per omnia Christus,
Ipse subit mortem, ipse tenet tumulum.
Ipsa Dei genitrix semper sacra virgo Maria
Assumpta aetherea[b] incolit alma loca. b) aetheria 1.
Denique quis mortem se declinare putabit,
Quam cernit vitam ante subisse suam?
Quis pro defunctis moerorem forte tenebit,
Quis doleat caros moestus obisse suos,
Cum iam per Christum pax facta, reconciliatus
Iam sit per Christum mundus* apud Dominum,
Et sit peccatum pro nobis factus Iesus,
Ut mundi cuncta tolleret ipse probra?
Non hanc ergo brevi vita functam doleatis,
Ne vobis aliud quam Domino placeat.
Nulla magis plena est, nulla est perfectior aetas,
Nulla optabilior, nullaque commodior,
Quam haec, quam dominus Christus habuisse probatur,
Iuxta quod sanctum pandit euangelium;
Annorum siquidem triginta trium memoratur,
Quem simul annorum ipsa tulit numerum.
Hac aetate liquet fore plasmatos prothoplastos,
Et surrecturum omne genus hominum.
Hoc siquidem, hoc est, quod Paulus apostolus inquit,
Cum de his verbis dissereret brevibus:
Ephes. 4. 13. *Donec, ait, Domino hoc occurramus in aevo,*
Quo nos perfectos iam liquet esse viros;
In hoc aetatis modulo, quo vita peracta
Tunc Christi fuerat, quando crucem subiit.
Vos igitur potius hinc exultare decebit,
Quod translata cito, nunc fruitur Domino,
Quod breviore via mundi transire pericla
Et reperire citam promeruit requiem.
Transfertur siquidem iustus, ne prava voluntas
Cor mutet rectum decipiatve animam.

RESPONSIO. Ista quidem fore nixa satis firma ratione,
Nullo modo certe possumus ambigere;
Scimus enim, debere mori mortalia cuncta,
Scimus, ad occasum tendere cuncta suum;
Sed tamen ingenitus mortalibus ardor amoris
Nos modo non flere, non sinit et gemere.
Non solum siquidem propter hanc ecce dolemus,
Flemus, lugemus, plangimus et gemimus,

Sed[a] quoque nunc nostri causa nihilominus ipsae
  Moestae ploramus, iugiter et gemimus,
Quod desolatas eius nos morte dolemus
  Nosque lupi miseras morsibus expositas.
Agnas[b] namque gregis, percussa matre, necesse est,
  Sive mori teneras, lactis et indiguas,
Aut errabundas lac quaerentes alienum
  Dentibus insani nempe patere lupi;
Sicut enim scriptura refert: *Pastore perempto,*
  Passim dispersae diripiuntur oves. Math. 26, 31.
Quod de discipulis Domini dictum seu factum
  Scit bene, qui sanctum novit euangelium.
Denique quae miseris ovibus spes esse valebit,
  Si tunc hoc tantis contigerat ducibus[c]?

AGIUS. Hoc primum vos nosse volo, geminum fore nobis
  Nostrorum affectum coelitus ingenitum.
Carneus est unus, alter divinus habetur;
  Unus coelestis, terreus est alius.
Sed carnalis amor caros nos plangere nostros,
  Defunctos flere nos facit et gemere;
Sicut et econtra divinus ovare suadet,
  Cum his salvandis nos sumus indubii.
Quapropter modo vos iterumque iterumque monebo,
  Ut dimittatis has nimias lacrimas.
Sicut enim carnalis amor gratus moderatus,
  Sic fiet nocuus, si fuerit nimius.
Quare si fletum vobis hoc forte suadet,
  Vos faciat laetas tripudiare fides.
Nam pietas haec impietas magis esse probatur,
  Quando adversa pio diligimus Domino.
Sed quia lenitum iam credimus esse dolorem,
  Credimus his vestrum cohibitum gemitum,
Qui de morte piae vestrae sanctaeque sororis
  Torquebat vestrum omnimodis animum:
Ad haec, quae restant, iam respondere studebo,
  Quod tamen est certe sat mihi difficile.
Iustus enim satis iste dolor cuicumque videtur,
  Quo pro se moeret, quo sibi quisque dolet.
Et sane possem modo dicere, quod sapientum
  Haec satis est vera et pia traditio:
Fortem quemque virum, quaevis incommoda mundi
  Forti perferre pectore, competere.
Ast hoc femellis teneris grave forte videtur,
  Nec haec res vobis est adeo facilis.
Sed quid agam? an postremum inter solatia dicam,
  Quod iam ferme omnes dicere saepe solent:
Quod minime penitus nos emendare valemus,
  Illud debere nos tolerare bene?
Non igitur volo hoc, non hoc volo dicere vobis,
  Sed quod solari vos valeat merito:
Non fore vos desolatas, non vos viduatas
  Affore nunc matre[d] prorsus honorifica.
Ipse Deus, qui hanc vobis concesserat, ipse
  Vos conservabit, diriget atque reget.

a) *duo versus desunt in ed.*
b) Agnos *ed.*
c) ovibus *ed.*
d) matrem p. honorificam *ed.*

Praeterea mater pia, cuius in omnibus ipsa
Usa fuit iugi iugiter auxilio,
In cunctis aderit semper quoque sedula vobis,
Quae vel tractatis, dicitis, aut facitis.
Nec deerit regina soror vobis, ubicumque
Forsan regali est opus auxilio.
Non deerunt fratres, non tot tantique fideles,
Quos late vestrum promeruit meritum.
Praecipue tamen alma soror[17], velut optima mater,
Filiolas precibus proteget assiduis.
Nunc siquidem tanto vobis magis utilis extat.
Quanto vicina nunc magis est Domino.
Sic olim sacer Helias dum forte revectus
Ad superos curru afforet igneolo,
Spiritus illius duplex requievit in eius
Tunc Heliseo denuo discipulo.
Et quia cuncta potest Dominus, poterit quoque, si vult,
De minimis ecce haec eadem facere.
Non poterit, si vult, etiam de cautibus istis
Propitius facere filiolas Abrahae?
Vos modo ne pigrae sitis, hoc iugiter ipsum
Voto exorare et prece continua.
Aderit in cunctis vobis, ut diximus ante,
Haec eadem meritis femina sacra suis;
Ut siquidem vos ipsa velit valeatve iuvare,
Posse dat Omnipotens, velleque proximitas.
Nam licet in coelum susceptus spiritus extet,
Non tamen a nobis hinc abiit penitus;
Vivunt virtutes, vivit quoque vita beata,
Vivit lingua pia, et merita almifica.
Haec, quia iam faciem nunc nempe videre nequitis,
Nunc coram vestris ponite vos oculis.
Sic, quod in hac summe vos semper amastis, habetis,
Vitam sanctificam[a], magnificum meritum.
Haec sunt exuviae, hoc palliolum reverendum,
Quod rursum rapto deciderat Heliae;
Isto Iordanum tunc divisit Heliseus,
Et falsa a veris vos quoque dividitis.

RESPONSIO. Iam satis est factum nobis, hos affore vanos
Omnimodis fletus, quos lacrimando damus.
Nil etenim prosunt, nec his, quantaelibet extent,
Quosvis defunctos iam facimus reduces.
Nos potius nostra perfuncta sorte sequentes,
Hinc quasi de longo ibimus exilio.
Qua de re, tersis oculis, lacrimisque remotis,
Sedato planctu, cohibito gemitu,
Iam tibi, cara soror, nosmet gaudere decebit,
Quod has aerumnas tam cito transieras.
Nos flemus, quae non tecum simul esse merentes,
Hoc certare diu cogimur in stadio;
Nos flemus, quae in hac convalle sumus lacrimarum,
Tamque diu a nostra differimur[b] patria.
Tu fidei vitae stadio cursuque peracto,
Iam renites digno iustitiae bravio.

17) Hathumoda.

a) sanctissimam *ed.*

b) differimus *ed.*

Nostra fides, noster cursus quem prorsus habere
Finem praevaleat, in dubio remanet.
Tu iam cum Domino devicto hoste triumphas;
Nos adhuc hostis impedit assiduus.
Te iam portus habet; nos adhuc iactat abyssus.
Te lux vera tenet; nos tenebrae retinent.
Tu cum virginibus comitans, quocumque it, agnum,
Lilia cum violis colligis atque rosis;
Nos cum coancillis nostris tumulo ecce tuopte
Flores spargentes, ducimus excubias.
Tu iam fata patris, fratrum simul atque sororum[18]
Isthinc nosse vales[a], inde iuvare potes;
Nos etsi bona credamus de munere Christi,
Qualia sint, prorsus ambiguae cluimus.
Cara soror, quae nosse potes simul atque iuvare
Illos nobiscum adiuva apud Dominum!
Pars tua nos cluimus, sicut tu pars quoque nostra,
Tu tecum partem[b] nunc rape, cara, tuam.
Fratres germanasque simul, simul esse parentes,
Quid magis esse decens, quid mage dulce potest?
Inter se dirimi minime nunc convenit illic
Uno patre satos, uno utero genitos.
Cara soror, desiderium lumenque tuorum,
Quam brevis est nobis, nunc tibi longa salus!
Heu quam in[c] modico nobiscum tempore vivens,
Quam cito tu nobis mortua transieras!
Nunc in coelesti felix regione locata
Nos vel per visus, cara, revise frequens.
Sit saltem moestis haec consolatio nobis,
Ut per crebra ad nos somnia tu venias.
Et iam, cara, vale, dulcedo et gloria nostra,
Nosque tuis dignis, cara, iuva meritis.
Te modo submisse, frater dilecte, rogamus,
Commenda crebris hanc Domino precibus.
Tu tibi testis ades, quantum te semper amarit,
Nunc illi dignam ipse repende vicem.
Nos etiam minimas eius de more sorores
Nunc commendamus ecce tuis manibus,
Ut doceas moneasve tibi nos more sueto,
Et nos ipsius semper amore colas.
Mercedem dabit hic vobis, cui serviit ipsa,
Cuius item famulae nos sumus exiguae;
Nos etiam solito te semper amore colemus,
Immo magis colimus, quam solitae fuimus.

AGIUS. Gratum valde mihi hoc est quod dicitis, immo
Istud nunc ipse debueram petere.
Sed praevenistis sicut meritis, ita causae
Istius humili funditus officio.
Unde quia alternum nostrum bene scistis amorem,
Hoc vos affectu diligo, teste Deo.
Doctrina vos vero mea non prorsus egetis;
Est qui vos Dominus instruat interius.
Quicquid in obsequio esse potest, ad hoc fore promptum
Et me promitto, et fore non dubito.

18) cf. v. 539.

a) ualeas 1.

b) patrem — tuum *ed.*

c) *delevit* 1.

De patris et fratrum, qui decessere, salute
Non decet esse nimis vos modo sollicitas.
Una soror, terni fratres obiere tenelli,
Quod fore hos ipsos approbat innocuos.
Enda[19] soror, quae iam fuerat coniuncta marito,
Quod minus ipsa tenet, in sobole illud habet.
Ipse pater quamvis sine sorde nequiverit esse,
Utpote mundano praeditus officio,
Quantis ipse bonis tamen emundare piacla
Curarit propria, vos bene nosse scio.
Nam licet innumeris mundi curis premeretur,
A quibus haut opere se quivit exuere,
Romam perrexit, quo, cui concessa facultas
Solvendi fuerat, solvere se peteret.
Hinc dignos cineres sanctorum ritê revectans,
Partem de proprio iure dedit Domino.
Hic sacra sanctorum ossa locans, vos quinque sorores
Illic divino dedidit obsequio.
Filiolum quoque[a] coenobio iunxit monachorum[20],
Ne qua Deo deesset portio forte sui.
Postremo redimens elemosinis malefacta,
Ipsaque confessus, mortuus in cinere[21] est.
Quis pietate Dei pro his non iudicet ipsum
Omnimodis dignum, crimine fore reum?
Arsurumne putatis eum, cuius pia facta,
Mundo labente, stant sine fine fere?
Stat locus ille, Dei quem tradiderat famulabus,
Quae pro se iuges continuant lacrimas.
Hic chorus[a*] ille cluit, quem pridem solvere grates
Pro se salvato viderat ipse Deo.
Vidit enim in somnis, in maceria nimis alta
Se[b] nutabundum stare satis trepidum;
Cumque putaretur quasi confestim periturus,
Quendam clamasse protinus e latere:
Vae misero, iam inquit *ruituro*, *iam perituro*,
Nec spes ulla sibi iam poterit fieri!
Ad haec[c] ille fide plena: *Non sic erit*, inquit,
Sed spes prorsus erit, *si Deus ipse velit.*
Sic pede delapso se demissum pedetemptim,
Donec iam terrae proximus ipse foret;
Tunc nisu quo praevaluit se desiliisse,
Et recto utroque rite stetisse pede;
Hic coetum magnum, versis faciebus ad ortum,
Grates inde pio mox retulisse Deo.
Vidit huic alium non dissimilem fere visum:
In nimium celsa affore se frutice;
Cumque videretur velut ex alto ruiturus,
Quendam dixisse sic sibimet subito,
Si ramum, qui praemodicus sibi proximus esset,
Fortiter ambabus conciperet manibus,
Se nihil omnimodis passurum nempe pericli,
Nec[d] quid prorsus ei posse mali fieri;
Quod cum fecisset, se paulatim inde ruisse,
Nec sibimet fieri quid potuisse mali;
Tunc iterum coetum, ut dixi, conversum ad eoum[e]

19) an Aeda, ut avia eius? v. Hrotsuithae Gandersh. v. 24.

a) *ita corrigo*; quē 1 2.

20) hunc filiolum Agium nostrum esse putaverim.

21) *i. e.* poenitens.

a*) corus 1.

b) Sed 1. Te *ed.*

c) Adhuč *ed.*

d) Ne 1.

e) eum 1. illum *ed.*

Laudes salvanti concinuisse Deo.
Viderat hoc sane paucis prius ipse diebus,
Quam foret infirmus, sanus adhuc penitus.
Haec quid portendant, bene vos advertere quitis,
Et haec inter se non fore disparia.
Ergo quid in muro renitet, nisi celsa potestas,
Qua tunc sublatus ipse fuit penitus?
Murus enim factus de saxis pluribus extat,
Sicut erat multis fultus hic asseculis.
Sed hic in summo murorum culmine stabat,
Quod multis unus dux fuerat positus;
Et quia salvari meruit tunc spiritus eius,
Inde ruens rectis constiterat pedibus.
Unde locus vester, quem fundans initiavit,
Ob hunc salvatum glorificat Dominum.
Nec hoc dissimile est, quod post haec ipse videbat;
Sed fore hunc visum edocet indubium.
Arbor enim, quae celsa satis fuerat[a*] sibi visa
Ramis erectis, flore decora satis,
Inclita progenies eius propagoque celsa est,
Et mundo clara et Domino placita.
Nam quod clara fuit mundo, flos prodigiabat;
Sed monstrat recta, quod Domino placita.
In huius summo non stans, sed pendulus haesit,
Ipse quod, ante potens, fini erat attiguus.
Summus erat, quia nempe sui generis simul omnes
Vicit virtute, vicit honore quoque.
Pendulus adhaesit, quia iam nutare potestas,
Vicina morte, coeperat ipsa sua.
Huic erat attiguus ramus, quia proxima carne
Hathumod alma suis iuvit eum meritis.
Hic praeparvus erat, quoniam haec femina sexu
Non fuerat famae ambitiosa suae.
Hunc hic constringit manibus, quia plurima natae
Atque coancillis contulit ipse suis.
Hoc meritum, hoc est, quod eum iam iamque labantem[a]
A casu plane eripuit duplici.
Nam quod nobilitas tulit aut terrena potestas,
Hoc elemosinae reddiderant variae.
Vos, qui his utimini[b], pariter cum coniuge digna
Ipsius sitis perpetuo memores.
Haec etenim, haec est, quae ramum prendere palmis,
Haec quae elemosinas suasit ei varias.
Vos debitrices simul estis utrique parenti,
Una cum cunctis, quas tenet ille locus,
Quem Domino sanctisque suis dantes, voluerunt
Cunctis communem affore per Dominum.
Vos estis grex ille sacer, quem solvere grates
Vidit hic in somnis vir Domino placitus.
Quicquid namque boni facitis, hoc ad hos[c] remeabit,
Qui vobis illum rite dedere locum.
Praecipue tamen hoc ad hanc merito remeabit,
Quae vos nutrivit, quae simul instituit.
Quare de precibus pro hac quod poscitis, etsi
Ipsius ipse magis indigeam precibus,

a*) freu 1.
a) labentem *ed.*
b) *i. e.* vos moniales. — uterini *ed.*
c) hoc *ed.*

Hoc vos nosse volo, ipsius quoadusque superstans
  Sum memor ipse mei, me memorem fieri.
Nec de corde meo sua cara recedit imago,
  Vel cum dormito, vel potius vigilo.
Denique cum vigilo, de hac vel penso loquorve,
  Nocte mihi caram somnia dant faciem.
Nam quotiens somnus lassos obducit ocellos,
  Protinus apparet, mox aliquid memorat.
Plurima sunt, sed de multis nunc[a] ipse vel unum
  Exempli causa dicere nempe volo.
Iam sex transierant noctes et septima venit
  Postquam discessit[b] iamque humata fuit.
Cum cubitum me vicina iam luce locassem,
  Vidi me in vestro esse monasterio.
Ipsam vero loqui mecum de more videbam
  Cum de nonnullis quae inciderant aliis,
Tum de regula item nostra, totaque perinde
  Vel vita nostra coenobiique statu.
Cumque mihi librum, si quem fortassis haberet,
  Nostri propositi tunc peterem tribui,
Se habuisse quidem, sed iam non prorsus habere,
  Te Gerberg istum dixit habere librum.
Qui mihi delatus, parvus fuerat mihi visus,
  Sed bene conscriptus et bene compositus,
Et quo nil umquam vel cordi gratius esset
  Aut ipso certe pulchrius intuitu.
Post ubi de somno laetus mox evigilassem,
  Grata satis mihimet visio visa fuit.
Unde die facta, mox ipsam fratribus ipse
  Nostris exposui, quidque foret retuli:
Te Gerberg abbatissam fore, proque sorore
  Vestri tenturam coenobii regimen.
Hoc etenim protendere regula nostra videtur,
  Quam modo[c] tu retines, ipsa prius tenuit.
Parva quidem, quia parvus adhuc grex vester habetur,
  Sed bene conscripta, ob pia facta tua.
Et vere, soror, ut dixi, nil pulchrius umquam
  Et melius scriptum me recolo intuitum.
Quocirca licet et doleam, et semper doliturus
  Me sim vivente, hanc obiisse cite[d]:
Successisse tamen sanctae te gaudeo sanctam,
  Ipsique ut carne, sic comitem merito.
Nam quamvis alias quoque vobiscum fore constet,
  Quae possent subdi non male[e] huic oneri,
Te tamen et sophia simul et bonitate sciebam
  Non iniure sibi optime substitui.
Ut siquidem carnis sibi iure propinqua fuisti,
  Sic itidem meritis proxima tu fueras.
Denique te nunc nos eius gaudemus honore
  Dudum condignam, tunc sibi discipulam,
Sed modo heredem dignam nihilominus eius
  Sive ministerii[f], sive pii meriti.
Quaeritur ergo in te, sacra femina, quaeritur in te
  Affectus cordis limpidus ille sui;
Illius disciplinae quaedam quasi imago,

a) deest *ed.*
b) discescit 1.
c) modu 1
d) cito *ed.*
e) modo *ed.*
f) monasterii *ed.*

Eius virtutis[a] quaeritur effigies;
Quaeritur almificum meritum, mores reverendi,
Lingua perinde pia, vitaque iure sacra;
Quaeritur ut generis causa, sic actibus ipsis,
Sicut in affectu[b], sic et in officio.
Vos etiam sanctae ipsius dignaeque sorores,
Hanc matrem vestram excolite ut dominam.
Quamvis namque cluat vobis genus omnibus unum,
Attamen haec Christi est munere praeposita,
Christi electa loco Christique vicaria constat,
Christo vos agitis, quicquid ei facitis;
Christo, facta sibi, forsan iniuria fiet,
Christus honoratur, Christus in hac colitur.
Praeterea naturalem vestram quoque matrem
Omnibus omnimodis excolite obsequiis.
Hoc Domini iussum, hoc vestrum nostis honorem,
Hoc nostis vestram affore gloriolam.

a) virtus *ed.*
b) effectu *ed.*

PANEGYRICUS BERENGARII
IMPERATORIS.

*Berengarius I. rex et imperator, genere Francus, natione Langobardus, fortasse
a comite Unruocho, quem annis* 802, 806, 811. *Karoli Magni negotia geren-
tem conspicimus*[1], *descendit. Patrem habuit Eberhardum comitem, ducem Foro-* 1
iulanum[2]; *cui Gisla, filia Hludowici Pii et Iudithae*[3], *Unruochum, Beren-
garium, Adalhardum et Rodulfum filios, filias Ingeltrudam, Iuditham et Heil-
wigam peperit. Testamento instituto*[4], *Eberhardus filio natu maiori res suas
in Langobardia et Alamannia sitas, Berengario et reliquis liberis patrimo-
nium in Ribuaria et Gallia Belgica dividendum reliquit. Gisla mater coe-
nobium Cisonium in diocesi Tornacensi construxit. Eberhardo anno* 868.
defuncto, Unruochus[5] *in ducatu Foroiulano suffectus, anno* 887, *quo Karoli III.
imperatoris propinquus laudatur*[6], *superfuit, et paullo post vita cessit. Suc-* 6
*cessor in ducatu Berengarius, anno sequenti regnum Langobardorum et varios
post casus anno* 916. *Romani etiam imperii coronam suscepit.*

1) Mon. Germ. Legg. I. 90, 137. Einhardi vita Karoli c. 33. annales a. 811. 2) Regino a. 888. 3) Agnellus Vitae pontiff. Ravennat. in vita Georgii apud Murator. SS. II. 185, ubi tamen Eccardo monente *Errardo* emendandum erit; et chartae Gislae, quae Karolum II. regem *suum, si dicere audeat, germanum* vocat. 4) Dachery Spicil. XII 490. Datum est imperante Hludowico augusto anno regni eius XXIIII; ubi tamen XVIIII. legendum erit, qui annus inde a die 6. Aprilis anni 868. currit. Nam vidua eius Gisla iam a. 869. d. 15. Aprilis in Gallia „*seniorem suum dulcis memoriae*" et „*viduitatem suam et habitus mutationem*" memorat. 5) Andreae presb. Bergom. chron. Mon. Germ. SS. III. 235. 237. 6) Ann. Fuldenses.

7 *Cuius in laudes carmen intra annos 916. et 924. compositum*[7], *auctorem habet Langobardum, qui aetate quidem provectus*[8], *sed amore Berengarii et exemplo Homeri, Statii et, cuius eclogas aeque ac Aeneidem legit, Virgilii incitatus, praeclara regis facta usque ad coronationem Romanam metro celebranda sibi proposuit. Qua in re vir Graecarum aeque atque Latinarum litterarum peritus, temporis ordinem in universum quidem secutus est, sed studio suo in regem satisfactum iri iudicavit, si praecipuas tantum eius expeditiones, omnibus quaecumque in laudem eius minus cadere viderentur praetermissis, caneret. At in iis quoque, quibus auctorem interfuisse patet, diligentiam scribendi desideres, cum, communi cum Liudprando errore, duas Arnulfi expeditiones Italicas plus anno discretas pro una eademque habeat, et utrique Widonem superstitem scribat. Quae tamen non obstant, quin, in tanta scriptorum saeculo decimo ineunte inopia, carmine res scitu dignissimas praebente, sermone vivido, imaginum magna quidem parte Virgilio Statio et Iuvenali depromtarum vi, et versibus classicos Romanorum auctores imitantibus delecteris.*

Liber medio aevo in scriniis bibliothecarum Italarum delituisse videtur. Codex unicus qui supersit, manu saeculi XI. in membrana exaratus, saeculo decimo septimo Patavii in bibliotheca S. Iohannis in Viridario a Nicolao Heinsio repertus et ab eo in editione Claudiani anno 1650. *laudatus, anno* 1654. *opera Lucae Langermanni Hamburgensis exscriptus et ab Hadriano Valesio publici iuris factus est. Valesii editio, adiuncto Adalberonis episcopi Laudunensis carmine ad Rotbertum regem, Parisiis anno* 1663. *in 8vo prodiit, prae-* 9 *fatione et commentario amplo instructa*[9]. *Valesii textum Leibnitius tomo I. SS. Brunsvicensium insertum paucis annotationibus ornavit. Utriusque Valesii et Leibnitii notas Muratorius Valesii textum secutus tomo II. SS. Ital. p.* 371 *sqq. servavit. Denique Bouquetus carmen T. VIII. p.* 106 *sqq. collectionis suae recepit, partim Valesii partim suis notis illustratum. Qua ratione quum errores complures primae editionis reliquas perrepsissent, saeculo XVIII. exeunte Iacobus Morellius, bibliothecae Venetae D.* 10 *Marci, cui codex Patavinus illatus fuerat*[10], *praefectus, librum a nepote suo, V. Cl. Bettio, iam Morellii successore, cum editis conferri curavit, et emendationes in Bibliotheca sua Manuscripta indicavit, glossas etiam nonnullas tam* 11 *interlineares quam marginales, quarum pars ipsi poëtae tribuenda est*[11], *adiecit. Quo factum est, ut nobis iam editionem anterioribus emendatiorem proponere concedatur.*

ΑΡΧΕΤΑΙ ΠΡΟΛΟΓΟΣ.

Non hederam sperare vales laurumve, libelle,
Quae largita suis tempora prisca viris.
Contulit haec magno labyrinthea fabula Homero,
Aeneisque tibi, docte poeta Maro.
Atria tunc divûm resonabant carmine vatum;
Respuet en musam quaeque proseucha[1] tuam.
Pierio flagrabat eis sed munere sanguis;
Prosequitur gressum nulla Thalia tuum.

1) *i. e.* precatio.

7) coronato Berengario et superstite. IV. 208. 8) nec dives, quod certe mirum fuisset in poeta; v. prolog. v. 17. 9) Usus sum exemplari bibliothecae regiae universitatis Gottingensis, cui P. Burmannus manu sua glossas aliquas et lectiones ab Heinsio in Claudiano enotatas adscripsit. 10) ubi eum a. 1821. evolvi, sed iterum cum editis conferre abstinui. 11) e. g. I. 261.

Hinc metuo, rapidas ex te nigrescere flammas,
Auribus ut nitidis vilia verba dabis.
„Quid[1] vanis totiens agitas haec tempora dictis,
„Carmina quae profers si igne voranda times?
„Desine; nunc etenim nullus tua carmina curat;
„Haec faciunt urbi, haec quoque rure viri.
„Quid tibi praeterea duros tolerasse labores
„Profuit, ac longas accelerasse vias?
„Endromidos[2] te cura magis victusque fatigat;
„Hinc fugito nugas, quas memorare paras."
Irrita saepe mihi cumulas quae murmura, codex,
Non poterunt votis addere claustra meis.
Seria cuncta cadant, opto, et labor omnis abesto,
Dum capiti summo xenia parva dabo.
Nonne vides, tacitis abeant ut saecla triumphis,
Quos agitat toto orbe colendus homo?
Tu licet exustus vacuas solvaris in auras,
Pars melior summi scribet amore viri.
Supplice sed voto Christum rogitemus ovantes,
Quo faveat coeptis Patris ab arce meis.
Haud moveor plausu populi vel munere circi;
Sat mihi pauca viri ponere facta pii.
Christe, poli convexa pio qui numine torques,
Da, queat ut famulus farier apta tuus!

1) Liber respondet.

2) *i. e.* vestis.

ΑΡΧΕΤΑΙ ΤΟ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΝ ΒΕΡΕΝΓΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΑΝΙΚΗΤΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC.

Graecia quaesitis cecinit si regna loquelis,
Moribus insulsos et relligione tyrannos
Tolleret ut quosdam immerito super astra beandos,
Quos Lachesis nigro satius damnavit Averno;
Roma suos vario vexit si figmine post haec
Augustos ad tecta poli radiata, perenni
Vibratu simul hos Stygio sorbente barathro:
Induperatorem pigeat laudare nitentem
Christicolas quid enim, caelum reserantibus undis[3],
Quodque replet Domini mundum spiramine totum?
Ergo Berengarium genesi factisque legendum
Rite canam, frenare dedit cui celsa potestas
Italiae populos bello glebaque superbos.
Stirpe recensita generis, quo stemmate pollet
Scire vacat; nam cuncta nequit mea ferre Thalia.
Francigenam fateor Karolum praenomine Magnum,
Quem tellus axi tremuit subiecta rigenti,
Quamque petens linquensque luit Sol aureus undas[4],
Et quam torret equis totiens invectus anhelis;
Prodit avis atavisque illo de sanguine rector
Ausoniae; Karoli sed enim nutritus alumni
Rite sub imperio, simili qui nomine Romam
Postremus Francis regnando coegit habenis[5].
Ille virum cernens belli sub imagine laetum
Et ratione pium regnique beamine dignum,
Egregii fidum lateris delegit amicum,
Fascibus imperiique aptum si bella ministrum
Forte ruunt. Italus princeps, exercitus armis,

3) *scil. baptismatis.* — odis *edd.*

4) ruit s. a. undis *edd.*

5) Karoli III.

Praeduros Martis didicit sic ferre labores.
Venerat ecce dies, primi cum fata parentis 888 Ian. 13.
Posceret atra lues regem, totosque per artus
Febris iit. Moriens primos compellat amicos.
Ultima Brengario referunt dixisse propinquo:
Subdere colla tibi merito deberet eous
Et licet occiduas cernit quos mersus in undas
Phoebus, uterque etiam mundi quos despicit axis;
Attamen Hesperiae proceres pro viribus ardent
Rite subesse tibi, tanto quia digna labore
Cuncta geris. Penes imperii te gloria nostri,
Atque tuis stabit Romana potentia fatis!
Haec fans, aetherias ductor concessit in auras,
Supremumque gemens regnorum liquit habenas.
Ille quidem sic astra subit; miseranda cupido
Sed populos persuasit agens, qui limite lato
Unius imperio soliti concurrere, plures
Ut mirentur abhinc diversa per arva tyrannos,
Et sibi quaeque legat proprium gens, omnibus idem
Dum perstaret amor. Raperet ne gaudia Rhenus
Aut Araris spectata diu, glomerantur in unum
Ausonii proceres, ac talia nuntia regi
Ire iubent: *Haec terra satis terraeque coloni*
Fluminaque antiquos subterlabentia muros
Nota tibi. Nec te revocet fera Gallia, digno
Quin potiare solo, trux aut Germania, quando
Sceptrigeri hoc potius dudum coluere propinqui,
Et genitor cunctis dilexit carius arvis.
His motus, gressum precibus contendit ad urbem
Irriguam cursim Ticini abeuntibus undis.
Sustulit hic postquam regale insigne coronam,
Non alias raptim cupidus pervadere terras,
Quod multos iuvenum loeto dimersit acerbo,
Laetitia resonant, plausu et fora cuncta resultant,
Templa sacrata virûm trepidant matrumque choreis,
Orgia et innuptae concinnant clara puellae,
Dantque choros molles; et tympana dextera pulsat,
Atque lyrae graciles extenso pollice chordas
Percurrit, septemque modos modulatur avenis.
Rura colunt alii, sulcant gravia arva iuvenci,
Tondent prata greges, pendentque in rupe capellae.
Omnibus una quies, et pax erat omnibus una.
Non[6] secus ac longa ventorum pace solutum
Aequor, et imbelli recubant ubi litora somno,
Silvarumque comas et abacto flamine nubes
Mulcet iners aestas: tunc stagna lacusque sonori
Detumuere, tacent exhausti solibus amnes.
Invidia tumidus, nec passus talia, Wido
Perfurit, ac nimios profundit pectore questus:
Otia, quae Latium foveant, piget usque fateri!
Nam video florere viros rebusque supinos
Fertilibus, solioque ducem considere celso,
Quem legere sibi. Montes superare profundos
Vis foret ulla mihi! Forsan perfringere foedus
Et faciles iuvenum possem subvertere mentes

6) *v.* 71—75. *ex Statii Thebaid. III. v.* 253 *sqq.*

Praecipuûm, Tyrrhena colunt qui rura! Volentes 888.
Subicient mihi colla, reor. Minus aptus in armis?
Quid? Potuit Paris egregias turbare Mycenas,
Excire atque nefanda feros in proelia Atridas.
Quid refert[7]*, quantus sedeat Rodulfus*[8] *in aula,*
An qualis referam Francis dominetur in arvis
Oddo, mei similes dudum notique sodales?
Solus egon' donis saecli privabor opimi,
Et taciti metam solus devolvar ad aevi?
Non, donec puras animus depascitur auras,
Vel si me rapidus Mavors perstrinxerit armis,
Provolvens iuvenum fusos in sanguine patres!
Talibus irarum dictis fundebat habenas,
Mente coquens bilem; iacto[9] velut aspera saxo
Cominus erigitur serpens, cui subter inanes
Longa sitis latebras, totosque agitata per artus,
Convocat in fauces et squamea colla venenum.
Iamque legit socios aptos furialibus ausis.
   Fama volans regis nitidas cum perculit aures,
Conatus agitare satis Widonen iniquos,
Fortuna servante modum, quatit ille tremendum
Regali de more caput, caelique tuetur
Convexa, atque sacris ita fatibus ora resolvit:
Tu caeli terraeque sator, qui fulmina[10] *torques,*
Annorumque vices dimensaque tempora noctis
Quatuor et mundi partes, quantum arctus ab austro
Et quantum occasus roseo consistat ab ortu,
Metiris, subeat geminos ut phosphorus ortus,
Praecedens nunc Solis equos pellensque tenebras,
Noctis agat prae se gelidos aliquando iugales:
Testis adesto pius, noxamque remitte cruoris,
Si manus haec mortis tulerit dispendia Gallis,
Debita iure mihi raptum ire volentibus arva
Infandum! Cui tanta viro concessa potestas,
Me regnis privare? Sedet si, conditor orbis,
Pro culpis abolere viros, nil vota retardent,
Sed per cuncta ruant fastus discrimina, quando
Ferrea iam scindit morituris stamina Clotho,
Ac miseris diri capitis discriminat angues
Alecto, crudele nefas, Acheronte sub imo.
   Nox subit interea variis distincta figuris,
Cum pater egregius tecto sese intulit alto
Post epulas, ubi membra toro laxavit honoro.
   Annua vix toto rutilarunt sidera mundo
Pace sub hac. En fraudis agit tentamina praedo,
Qua secuit quondam aerias rex Poenus[11] aceto
Imperii cupidus cautes. Ubi constitit oris
Italiae, nunc ille minis, aliquando rogatu,
Sollicitat iuvenum hoc fluxas sermone catervas:
Quisquis avet solidis protendere legibus aevum,
Et fasces mutare ducis, quae tendimus ultro
Rite fruens donis, nostros glomerare maniplos
Ne cunctetur ovans. Cuiquam si forte videtur
Futile quod ferimus, robur quia ponit in armis
Brengarii, stimulis olim quia motus iniquis

7) referam *edd.* 8) rex *Burgundiae Transiuranae.*

9) iacto — v. 100. *ex Stat. Theb. II. v.* 412 *sqq.*

10) *ita edd.* flumina *c.*

11) *Hannibal.*

Finibus absentes Gallos quaesivit Etruscis:[12] 888.
Quantus in arma feror, patriis vel quantus ab oris
Ausoniam subeo, liceat deferre tyranno,
Atque una caris veniat fundendus in agris!
Quîs placuere vices, ac dulce movere potentes,
Colla iugo posuere truci; male fida recessit
Sed penitus Tyrrhena manus, hostesque protervos
Exultans in regna tulit. Proh saeva nocentum
Consilia! Princeps aberat, pacemque parabat
Imperio, Veronae Atesis qua culta salubris
Irrigat. Ecce gradu celeri petit alta minister
Tecta ducis, sudore madens. *Fortissime rector,*
Inquit, *adesto tuis! Saltu super ardua montis*
Sese iniecit ovans coetus sat in arma superbus,
Cui nisi praeduros gladiis inferre maniplos
Institeris, quid opus Latio quae dicere victo
Damna ferent? Infensus ad haec ita reddidit olli
Rex: *Iubeo, iuvenis, tantum desiste moveri!*
Non caput hoc dum vita regit diffusa per artus,
Haec tellus cedet superata, pudetque fateri
Res Latii victas! Ait, accirique sodales
Imperat. Excurrunt vastos excita per agros
Agmina, amor quibus est pacis, quîs gloria curae
Natorum dulcisque domus, vitamque perosi
Adveniunt placido glomerati pectora regi.
Exacuunt iustas subitis rumoribus iras.
Undique collecti postquam venere manipli,
Ingenti fremitu pariter ducis ante tribunal
Bella cient. Liquidas tandem se reddit ad auras
Terribilis ductor, quando latus omne sub armis
Ferrea suta terunt, humeros et pectora late
Flammeus orbis habet, capiti tremit aerea cassis,
Et gemino dextra rutilant hastilia ferro,
Ensis in ore etiam praeclara refulget iaspis.
Pulcher honos regumque decus, fortissima pubes,
In mediis orsus, *rabidi commercia Martis*
Praesto. Manus capulo sit parta animusque labori,
Ut decet egregios! Regnum quia tollere pessum
Wido velit, certum est sociis atque arva vocatis
Partiri, et gremiis iuvenum subducere pactas.
Si foret huic animus mecum confligere solo,
Et partis[13] *differre nefas, quod fluctuat armis*
Mersurum populos! Ait, et spumantis habenas
Implet equi, praecepsque petit confinia belli,
Qua manus hostilis Latium pessumdabat armis.
Hic caelo ut pepulit gelidas aurora tenebras
Rorantes excussa comas multumque sequenti
Sole rubens, galeaque viri clusere minaci
Ora, tubaeque sonant, vocisque resultat imago,
Partitaeque vices tolluntur in aequora gentes.
Qualis[14] ubi, audito venantum murmure, tigris
Horruit in maculas, somnosque excussit inertes,
Bella cupit, laxatque genas, et temperat ungues,
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum: sic excitus ira

12) *cf. Ann. Fuld. a.* 883

13) *ita c. i. e.* partis, *ideo* suis. — pactis *Val. i. coni.*

14) *v.* 189—194. ductor in *ex Statii Theb. II. v.* 128 *sqq.*

Ductor, in adversos inicit ferus arma maniplos. 888.
Undique consurgunt acies, et pulvere caelum
Conditur, horrendisque sonat clamoribus aether.
Hic alius rapido deiectus in aequore cursu
Proteritur, pedibusque simul calcatus equorum;
Atque alius volucri traiectus tempora telo,
Cornipedis tergo pronus ruit; illius ense
Deiectum[15] longe caput a cervice cucurrit,
Hic iacet exanimis, fuso super arma cerebro.
Ille manu caret, hic gressu; nec visibus iste
Integer obruitur. Campi sudore madescunt,
Sanguine manat humus. Crudescens undique campo
Mars turmale furit, Wido si fulminis[16] instar
Labitur in turmas: Libycus velut agmina campis
Laeta boum cum forte leo procul aggere cernit,
Attollens cervice iubas sitiensque cruoris,
In mediam erecto contendit pectore turbam.
Hinc fremit Ausoniae ductor, furit inde minister
Wido necis, propria nimium virtute superbus.
Invicti valeat verum quis ferre tyranni
Pondera virtutis? Demum dare terga coacti
Illius effugiunt comites. Clamoribus ultro
Palantes sequitur: *Quae vos dementia cepit*[17],
Montibus ut septi gladios vitare velitis,
O socii? Haud quondam haec patriis promissa dabatis
Aedibus, Hesperiae quaevis praedulcia natis
Spondentes. Revocate gradum! Quid dextera possit
Haec, hodie cernetis, io! Ne fidite cursu,
Lecta manus! Frustra sed enim compellat abactos
Fulminei virtute ducis. Desertus amicis,
Stat[18] rationis inops, utrumne inglorius armis
Abscedat, redivivo[19] animam servare duello,
Redditus an pulcram properet per vulnera mortem
Hostibus. Haec secum subito dum mente retractat,
Unus adest comitum, ac rapidis calcaribus urgens
Iam torpentis equi latera: *Hospes inclite, Gallis*,
Inquit, *abi. Penitus nostri cessere manipli.*
Nec mirum credas hominem saevire per agmen,
Pulvereos Libyes potiusque haud[19*] *monstra per agros.*
Vidi equidem, geminos uno cum sterneret ictu
Ille viros. Pudet heu fari, quae funera victis
Intulerit. Discede, precor, melioribus ausis
Servandus! Tandem sociûm perculsus amore
Discedit, seseque suis maerentibus addit[20].
    Nox[21] ruit interea, curas hominumque labores
Composuit, nigroque polos involvit amictu,
Omnibus illa quidem mitis, sed turbida pulso.
Volvitur irarum furiis actique laboris,
Non tamen absque via mentisque vigore profundae.
Namque[21*] sub occiduas versae iam noctis habenas
Astrorumque abitus, ubi primum maxima Thetis
Impulit eoo cunctantem Hyperiona ponto,
Doctiloquos agit ille viros ad limen ovantis
Hesterna nece victoris, ne luce carentes
Prohibeat[22] mandare solo. Iam calle peracto

15) desectum *ed.*

16) fluminis *c. apud Heinsium.*

17) *cf. Virg. Aen. IX.* 601.

18) *ita correxi.* Sat *edd.*

19) *glossa interlinearis, quam notavit Heinsius:* renascenti post casum. *Burmannus* recidivo *legendum coniicit.*

19*) *Sententia est:* Nec credas, hominem mirum saevire per agmen, sed (et haud) potius monstra, Libyae per agros pulv.— *Valesius* miserum . . . agmen . . potius quam monstra . . *corrigit.*

20) *cf. Liudpr. Antap. I.* 18.

21) *v.* 238—240 *paucis mutatis ex Statii Theb. v.* 414—416.

21*) 243—245 *ex Statii Theb. III. v.* 33—35.

22) *glossa:* „Pro“ communis syllaba est modo.

Postquam introgressi, et coram data copia fandi, 888
Incipiunt: *Suprema dedit superare potestas*
Cui, ductor, fera bella, animum submitte rogatu.
Nam petimus, liceat socios mandare sepulcris
Aethere privatos, malis ne membra ferinis
Facta Deo pereant, campove relicta fatiscant.
Hoc fortis Wido, hoc populus miseratus amicos.
Nec adeo fractae vires animique labascunt,
Proelia quin superent ac spes in nostra cadendi
Iura solum. — Iuvenes, vitio tabescitis omnes
Gentis, ad haec victor, *fandi quia copia vobis*
Semper, et ore magis robur quam pectore; verum
Plus dixisse egisse[23], *minus taxatur honestum*[24].
Tollite membra tamen, mitto quia lumine cassis
Quod restat potius. Miseret tot mille iacentum
Unius ob noxam, luteo quîs corpore mundi
Arcana tribuit flatum ratione Creator.
Illa quidem videat Deus. At vos, aethera testor!
Aut Italis Galli celeres abscedite terris,
Aut bello fractas iterum densete[25] *catervas*[26].
Haec ubi dicta, viri gressum vertere frequentes
Ad socios; tolluntque citi sua funera campo
Sandapilis, reditura tubis ut cuncta ciebit
Nuntius aetheria praecurrens arce Tonantem

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER II.

Fluctuat interea Wido, crebroque retractat,
Milite quo bellum moveat, quae pectora sollers
Protendat ferro. Placuit sententia demum,
Sollicitet patria populos tellure quietos,
Unanimes quo bella ferant viresque reducant
Effaetas, paribusque solum potiantur habenis.
Summe Deus, qui cuncta foves, qui cuncta creasti,
Qui regis imperio caelum, mare, sidera, terras,
Qui facis, astra micent et signa micantia currant,
Te precor, intende, et mihimet succurre roganti,
Ac sensus infunde meos, commercia belli
Illectosque duces vili subnectere chartae
Quo valeam! Prior arma rapit iam Gallicus heros[27]
Aerios ducibus montes superantibus auctus,
Anscherio cum fratre simul, qui iure protervo
Quingentos acuunt propria de gente ministros,
Instructos animo et gladiis, nec viribus infra.
Gauslinus ter centum equites fera bella volentes
Praecelerare iubet; pariter contendit Ubertus
Bis centum pro laude viros; eadem omnibus arma
Et cultus similis, patriaeque in pectore vires.
Arma[27*] legens inimica iterum Tyrrhena iuventus,
Inclyta gens dudum, terraeque marisque duello
Apta satis, modo sed malefida et degener, ultro
Bella cupit; pariterque cohors Camerina superbit
Munere natorum, subigitque in bella sodales

23) plus dixisse quam egisse; *vox* quam *voci* egisse *superscripta est.*
24) *glossa in marg.:* Hic versus cuiusdam sapientis est Francigenae.
25) *ita c.* 26) *cf. Virg. Aen. XII. v.* 264.
27) *Wido*
27*) *cf. Liudp. Antap. I.* 17.

Mille. Sua virtute, magis sed prole supinus — 888.
Post monstrata fides — centeno milite laetus
Pauper adhuc Albricus abit, iam iamque resultat
Spe Camerina[28]. Utinam dives sine morte sodalis!
Quid furibunde ruis, sociis ad crimina lectis,
Ragineri? Non consilio nec viribus ullis
Vincitur, aethereo causas qui pensat Olympo,
Quique Berengario Latium concessit avitum.
Collectos etiam ducit Wilelmus amicos
Ter centum, lorica habiles galeaque minaces,
Nec iaculo segnes. Totidem propellit Ubaldus[28*]
Consimili fervore. Vacat non denique vulgus,
Instabili motum studio modicisque magistris,
Profari, quandoque manent hi forte labores
Doctiloquos; mihimet summam tetigisse duelli[29]
Sufficiat. Veniunt etiam, discrimina campo
Qui nuper tulerant, numero ter mille, magistris
Conserti pariter stupido restantibus arvo
Infandum. Foret his satius cecidisse duello,
Quam miseros vidisse dies. Nam dispare fato
Disperiere. Iubet tandem[30] Lamberticus horror[31]
Praecipuum[32] truncare; siti perit alter in arvis;
Ungrorum cupit infaustas differre sagittas
Tertius, alta poli scandit supremaque ponti
Tristis, ut almificis sese sustollere sceptris
Forte queat. Hominum pro mens ignara futuri!
Nunc acies glomerant, bellum numeroque minantur
Laetantes, timidisque etiam brevis addita virtus.
Per medios Wido incedens gratatur amicis,
Exsultatque[33] animis, et spe iam praecipit hostem:
Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.
Senserat horrisonos tandem saevire furores
Armipotens Latii decus, et spes inclyta belli
Arma ciet, primisque virûm regnique ministris,
Ocius accitas cogant in proelia turmas,
Imperat, ac latas vacuent habitantibus urbes.
Iussio torva means Italo iam perfurit arvo,
Conveniant nocuo rursus decernere ferro,
Quîs pia iura placent; notas exinde[34] per urbes
Laeta novare, nefas ardet! Sic praepete motu
Comit equos artusque terit[35] thorace iuventus.
Nec mora, Walfredus[36] ter mille resumit amicos.
His manus in capulo, primis ac fervor ab armis
Hostilem turbare globum; nec fortior alter,
Hostica quem pubes bello vereatur euntem,
Ausona cui faveat. Pariter tria fulmina belli
Supponidae[37] coeunt, regi sociabat amato
Quos, tunc fida satis, coniunx, peritura venenis
Sed, postquam hausura est inimica hortamina Circes.
Hos mille et quingenti equites comitantur euntes,

28) *glossa:* Nam Camerinam marchiam postea tenuit. Certum est quod Albericus interfecit compatrem suum Widonem in ponte, cupidus honoris; ideoque optat iste pervenisse eum ad culmen honoris sine nece amici.

28*) *cf. Liudpr. Antap. I.* 21.

29) *glossa:* Distat autem duellium et duellum; nam duellium est spatium quo bellum praeparatur, duellum dicitur ipse conflictus. Alii dicunt, quod duellum sit proprie conflictus duorum.

30) *glossa:* Vacat „tandem" et est versus de iis qui tibicines vocantur, quibus datur aliquid ad solam metri sustentationem. Est autem tibicen proprie furca apposita ad sustentationem ruentium parietum; unde Iuvenalis ait, de incommodis urbis loquens: „Nos urbem incolimus tenui tibicine fultam." (*Sat.* 3. *v.* 193.) 31) *i. e Lambertus, Widonis filius.* 32) *glossa:* Mageniredum significat; *cf. Liudpr. Antapod. I.* 38. 33) *v.* 56—62. *ex Virg. Aen. XI. v.* 491—497.

34) excide *c.*

35) *cf.* I. 169. 36) *a.* 896. *marchio Foroiulanus. Ann. Fuld.*

37) *glossa:* Supponidae patronymicum est a patre et per metaplasmum systolen corripitur po syllaba, vel per licentiam, quae est in propriis. Tres autem fuerunt filii Subponis in proelio, Adalgisus Wifredus et Boso. *Soror eorum Berengario nupserat, pater in chron. Casauriensi Piceni comes audit; cf. Vales. p.* 120.

Obtecti Chalybum pectus de more metallo 888
Gentis, et umbrati nitidis a vertice cristis.
Teutonico ritu sexcentos urguet ovantes
Leuto viros; etiam simili strepit agmine frater
Bernardus. Stimulant longis calcaribus armos
Alipedum cuncti, et cludunt latera ardua parmis.
Germanus sic bella gerit. Nec segnis abibat
Albricus, Tiberine, tuas non sanguine lymphas
Quis fraude infecit, quingentaque robora belli
Educit patriis horrentia viribus, atque
Francigenis olim duris exercita ludis.
Iamque morae impatiens glomerat Bonifacus amicos;
Alter ab adverso ac paribus circumdatus armis
Berardus numero ter centum. Maxima vulgi
Pars Italo vibrant omnes de more sarissas[38],
Orbe latusque tegunt clypei pro Marte sinistrum.
Advolat Azo ferox[39], subigens in bella sodales;
Vicinoque suas cogens ab limite turmas
Olricus[40], Latium Hadriacis qua clauditur undis,
Ac labor est saevis gladios praetendere Iberis[41].
Farier illectos studio Mavortis utrimque
Pontifices vereor. Strictis ingentia dictis
Praetereo, Rheni licitum nec foedera[42] paucis
Effari; hinc alio libitum transmittere cursus.
  Ut tandem collecta bonus videt agmina ductor,
Assilit in medium nitidis cernendus in armis,
Talia dicta ferens: *Nostri munimina regni,*
O proceres, prohibere minas Widonis iniquas
Sitne pium, sapitis, dudum qui funera campo
Experti. Mavult igitur quia tendere fastus
Nunc etiam, rebus finem quam ponere fessis,
Arma referte citi, et caram defendite terram,
Me duce, quem dudum precibus sustollere fasces
Hortati. Dixitque. Diu cessare duellum
Turba fremens queritur, subito concussa tumultu,
Vix labara opperiens. Ferus[43] omni in pectore saevit
Mortis amor caedisque. Nihil flagrantibus obstat.
Praecipitant redimuntque moras. Sic litora vento
Incipiente fremunt, fugitur cum portus; ubique
Vela fluunt, laxi iactantur ubique rudentes,
Iamque natant remi, natat omnis in aequore summo
Anchora; iam dulcis medii de gurgite ponti
Respicitur tellus, comitesque a puppe relicti.
  Campus erat dudum studio damnatus iniquo;
Huc ambae tendunt acies squalentibus armis.
Sed[44] iam bella vocant. Alias nunc suggere vires,
Qui pensas tacita mundum ratione Creator.
Fatalem populis ultro poscentibus horam
Admovet atra dies, Stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur caelo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu
Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur et patriae et, qui mente novissimus exit,
Lucis amor, animusque ultra thoracas anhelus
Conatur, galeaeque tremunt horrore comarum.

38) *cf. Stat. Theb. VII. v.* 269.

39) *Estensis stirpis eum fuisse, iam Valesius coniecit; cf. v.* 99. 100.

40) *Liudpr. Antap. II.* 57 *sqq.*

41) *glossa:* Iberi dicuntur Hispani ab Ibero flumine, a quo una Hispania Iberia dicta est. Nam Hispani per Hadriaticum mare furtim ad Liguriam, quae pars est Italiae, navigantes, maximam inferunt vastitatem; ideoque dixit: „Qua labor est saevis gladios praetendere Iberis." — *Sed Iberi hic Ungari esse videntur, ex Iberia (i. e. Asia) profecti. Valesius* Abaris *legere maluit.*

42) *Foedus cum Arnulfo ictum mense Nov. anni* 888. *cf. Ann. Fuld.*

43) ferus — *v.* 124 *ex Statii Theb. VII. v.* 137 144

44) *v.* 127. 129—145. *ex Statii Theb. VIII. v.* 334. 336-339. 346—352. 356-358. 363. 364. 367—369 *ad verbum fere exscripti.*

Quid mirum caluisse viros? Flammantur in hostem 888.
Cornipedes, niveoque rigant sola pinguia nimbo.
Iamque ruunt, primusque virûm concurrere pulvis
Incipit, ac spatiis utrimque aequalibus acti
Adventant, mediumque vident decrescere campum.
Pulcher adhuc belli vultus: stant vertice coni,
Plena armenta viris, nullus sine praeside vector.
At postquam rabies et vitae prodiga virtus
Emisere animos, sternuntque ruuntque vicissim
Ictibus innumeris. Haud tanta cadentibus haedis
Aeriam Rhodopen solida nive verberat arctos.
Interea Widonen[44] adit Walfredus ovantem
Caedibus, haud regem, sed enim qui nuper ab arvis
Sequanicis illectus erat. Capit eminus ipsum
Hasta viri valido nimium contorta lacerto,
Extremo galeae primoque in margine parmae
Semita qua lucet; clauso spiraminis haustu
Ilicet oppetiit. Moriens telluris alumnae
Infelix caraeque domus reminiscitur, atque
Damna modo Latiis quia venit adeptus in arvis.
Hinc acies sequitur caeso ductore; furitque
Ascherium sternens heros Atesinus[45] et Othum[46];
Comminus hunc stantem, metit hunc a poplite sectum
Cuspide transmissa. His socios demitteret umbris
Innumeros, ni Rhodanicus succurrere ductor[47]
Admonitus, fessis subito adforet ultor amicis.
Ut lupus in campis pecudes cum vidit apertis,
Non ductor gregis ipse comes, non horrida terret
Turba canum; ruit, ac toto desaevit in arvo:
Haud aliter dirum Wido se tollit in aequor.
Hic celsum quod cernit equo turbare sodales
Erardum indignans, uno duo corpora ferro
Cornipedemque equitemque fodit. Ruit ille ruentem
In dominum, lapsisque manu quaerentis habenis,
In vultu galeam clypeumque in corpore calcat,
Saucius extremo donec cum sanguine frenos
Respuit, et iuncta domino cervice recumbit.
Otgarii[48], comites rabido clamore vocantis,
Ora ferit framea; pereunt conamina vocis
Intercepta cruore. Milo verum arma cadenti
Dum rapit, infelix Itala deprenditur hasta,
Ac moriens linquit clypeum hostilemque suumque.
Auxilio collecta subit tandem Ausona pubes.
Bellum ingens oritur. Multum hinc illincque cruoris
Funditur, et totis sternuntur corpora campis.
Nam varium virtutis[49] opus. Nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit et aufert.
Ut ventis nimbisque minax cum solvit habenas
Aer[50], alterno profligens turbine mundum
Stat caeli diversa acies: nunc fortior austri,
Nunc aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Hic videt Anscherius fratrem quia vulnere labi
Albrici, ingemit, ac rapido conamine telum
Contorquens, clamore gravi: *Sator aetheris*, inquit,

44) Widonen *ed. c.?*

45) *aut Walfredus, aut, ut Valesio placet, Berengarius.* 46) *i. e. Ottonem.*

47) *Wido.*

48) Osharii *Langermann in cod. legit.*

49) v. 180—186 *paucis mutatis ex Statii Theb. VIII. v.* 382 - 388.

50) et *adiecit Leibn.* Iuppiter a. *Stat.*

Sic genus omne tuum propriis discriminet arvis, 888.
Ut fratres Italo torvus discernis in agro!
His dictis, volat ingenti stridore per auras
Cuspis in adversum; clypeo sed pulsa rigenti
Alipedi vadit mortem latura superbo.
Hic mortem Albricus caperet, nisi proxima virtus
Tolleret hunc iuvenum sociis et redderet armis.
Milibus[51] in mediis vadens: *Quid inertia bello*
Pectora, Ubertus ait, *duris praetenditis armis*
O Itali? Potius vobis sacra pocula cordi,
Saepius et stomachum nitidis laxare saginis,
Elatasque domos rutilo farcire metallo!
Non eadem Gallos similis vel cura remordet,
Vicinas quibus est studium devincere terras,
Depressumque larem spoliis hinc inde coactis
Sustentare! Miser voces dum tollit inertes,
Hasta subit latebras animi scrutata superbi,
Wifredi librata manu super horrida fantis:
Infelix Galle, Ausonios ne dicere pigros
Fas tibi, ni fallor, digitis impacta monebit
Hasta meis! Visu ille truci dum prospicit hostem,
Labitur, et carpit moribundus dentibus herbas.
  Hae diversa in parte vices utrumque cadebant.
Saevior at miseris instat regnator Etruscis
Hesperiae, timidumque vocat Widona per agmen,
Nil vulgare legens, sed quae dignissima vita
Funera, praecipuos annis animisque cruento
Fert gladio: innumeris[52] veluti leo forte potitus
Caedibus, imbelles vitulos mollesque iuvencas
Transmittit; magno furor est in sanguine mergi
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
Wifredum sed enim sonipes male fidus in armis
Rumpentem frenos diversa per agmina raptat
Iam liber; sic fessa manus. Venit hasta per armos
Principis, et laevum iuveni transverberat inguen,
Labentemque affigit equo. Fugit ille perempto
Consertus domino, nec iam arma aut frena tenentem
Portat adhuc equitem. Fratris iam membra regebat
Arduinus equo, laeva[53] marcentia colla
Sustentans dextraque latus. Singultibus artum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Undantem fletu galeam; cum multa gementi
Valde gravis curvas perfringit lancea costas,
Exit et in fratrem, cognataque pectora telo
Conserit. Ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, et adspecta germani morte, resolvit.
Procubuere pares fatis — miserabile votum
Mortis — et alterna clauserunt lumina dextra.
Ac[54] velut Edoni boreae cum spiritus alto
Insonat Aegaeo, sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere, fugam dant nubila caelo:
Sic regi, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversaeque ruunt acies, cadit obvia pubes.
Ut vidit socios regi dare terga sequaci
Ildeprandus, abit clamans: *Perstate sodales.*

51) Millibus *ed.*

52) innumeris — 220 *ex Stat. Theb. VIII. v.* 554—557.

53) laeva — v. 237 *ex Stat. Theb. II. v.* 596—603. 606. 607.

54) v. 238—241 ruunt acies *ex Virg. Aen. XII. v.* 365—369.

Quid fugitis? Spectate, virum si pellere ferro 888.
Forte queam! Similes artus natura creatrix
Huic dedit, ac similis sustentat viscera sanguis.
Num sacra riguit Styge? Num penetrabile plantis
Hunc modo tergus obit? Mortali urgemur ab hoste[55],
Haud legione, pium Domino quae servit ad usum.
Sic ait, et toto connixus corpore telum
Effundens, femur ingenti ferit eminus ictu
Ductoris Latii. Satis hoc; et tollere gressum
Pone citus facti cogente timore parabat;
Protinus intorquens iaculum sed ductor in hostis
Os, terebrat faciem, quartis[56] sine lege labellis
Increpitans: *Secreta tibi committere nullus*
Audebit, Tyrrhene, dehinc, quod apertus abunde
Hac illacque flues. Sint haec monumenta, minorem
Te frustra voluisse meis illudere telis!
Ille quidem evasit sociûm circumdatus armis;
Sed victor animi tota succensus in ira
Innumeram ferro plebem ceu letifer annus[57]
Aut iubar adversi grave sideris immolat: *Ite*,
Vociferans, *vestroque duci narrate, Latinos*
Dividat an recte vobis mea lancea campos!
Tyrrheni proceres iterum hinc atque inde pudore
Collecti statuunt gressum, firmantque vicissim
Undique sese armis, oriturque miserrima caedes
Amborum, et ferrum ferro sonat; undique mistis
Inter se stridunt mucronibus. Instat utrimque
Densa acies, rursusque novo respersa cruore
Arva madent, ruit Hesperias dum Phoebus in undas.
Quis modus ulterior, vel quae discretio belli,
Ni finem daret aetherea sator orbis ab aula?
Nocte instante solo tandem spissisque tenebris
Concedunt maesti et trucibus dirimuntur ab armis[57*].

EXPLICIT LIBER II.

INCIPIT LIBER III.

Tanta per Ausonios defervere proelia campos, 891.
Non modo finitimis, longe sed fama remotis
Dum canit, Arnulfi Germanica iura[58] prementis,
Brengario sed enim regum per stemmata iuncti,
Tendit ad imperium solito magis hispida plumis,
Amplectens una populum saevumque tyrannum[59]
Gutture profuso. Coquit ille in pectore curas,
Moxque vocans genitum: *Duros, Sinbalde*[60], *maniplos*,
Inquit, *age, et rapidis Italos pete cursibus agros*,
Rex ubi Brengarius audentes ardua Gallos
Insequitur bellis; tamen hos per vulnera dicas
Aut montis subito, mirum, succrescere partu, —
Tot veniunt. Tantumne potis perferre dolorem,
Nostra ut progenies propria vexetur in aula?
Nec tibi bella dari vereor, si iunctus amico
Iveris. At muris dicas servare superbos
Forte animam, neque velle tuis famularier armis:

55) *cf. Virg. Aen. X.* 375.

56) *i. e.* quadris, quatuor iam labiis, *scilicet cuspide divisis, ut Valesius explicat.*

57) *v.* 264. 265. *ex Stat. Theb. VII. v.* 709. 710.

57*) *cf. Liudpr. Ant. I.* 19.

58) *ita c.* rura *ed.*

59) *Widonem.*

60) *Zwentebaldum Liudprandus Centebaldum effert. cf. Ant.* I. 20. 21.

Esto, vices mutabo dehinc, et moenia scindam 891.
Ausoniae, rutilam donec veniatur ad aulam
Clavigeri[61]*, et totos Araris vacuabo furores.*
Paret ovans patri, simili succensus amore,
Mox Sinbaldus, et electo comitante ministro,
Ingrediens Latium, quosdam praemittit, amico
Pacificum referant sese qui tollere gressum.
Consimili fervore subit pater obvius olli
Brengarius, celsas nimium qua tollit in arces[62]
Se regnum ac subitis[63] Rhenos discriminat oris.
Hic ubi congressu dextras iunxere decoro,
Rex inquit prior: *O iuvenum fortissime, nostros*
Cur velis penetrare locos, cunctatio[64] *nulla est.*
Nuntia vera satis. Solum rogitare necesse,
Incolumem quia te nostris conspectibus offers,
Si fruitur pater optatis tuus optime rebus.
Inquit at ille: *Valet genitor, commune levamen,*
Teque valere cupit, pacatis foedere campis
Mansuro Latii. Celeres idcirco subegit
Nos petere Ausonias collecto milite terras.
Interea loca tuta petit dux Gallicus, atqui
Non geminis obstare sua virtute tyrannis
Posse videns. Illi fremitu, miserabile, clusos[65]
Irritant, hinc inde solum peragrando Latinum.
Verum ubi cuncta silere vident hostilibus ausis,
It monitu regis patrias Sinbaldus ad oras,
Quod solus queat hostilem superare furorem.
Tertia vix lunae se cornua luce replerant[66],
Hic laetus patriam postquam concessit ad aulam,
En Wido agmen agens, iterum renovare furores
Accelerat; contra ductor depellere pestem,
Instruit arma pius, tantosque recidere fastus.
Nec latet Arnulfum, rursus succrescere bellum
Hesperia. Widonem etiamnum milite fretum
Affore, cervicesque procaci adtollere fastu,
Audiit; ac solio, quo forte sedebat, eburno
Exsilit, ingentique domum clamore replevit:
Fortia iussa cito scribae sulcate papyris,
Actutum populos cogant quae adstare iubenti,
Quam varios linguis, tam duros pectore et armis.
Namque iuvat Latio clarum me visere amicum,
Quem totiens Rhodanus vexat properante Lemano
Milite. Quo fugient ergo? Caelumne subibunt,
An latebras terrae quaerent liquidive profundi?
Oderit Hesperiae, faxo, dux nomen amatae
Improbus, extremis terrae vel postus in oris!
Talibus infessus metuenda mole catervas
Praestruit, irarumque graves emittit habenas:
Eridanus veluti, nivibus fervore solutis,
Praeruptum exit in arva fluens, camposque per omnes
Cum stabulis armenta ruit, radicitus alnos
Litoreas fluctu undarum labente resorbens.
Iamque solum tenet Ausonium dux ille verendus, 894.
Cum Widonis abit rancore soluta superbo
Fama in castra rei. Sociis extemplo vocatis,

61) *summi pontificis Wido d.* 21. *Febr. a.* 891 *imperialem benedictionem acceperat.*

62) *Alpes.*

63) *i. e. praecipitibus?*

64) *i. e.* percunctatio.

65) *intra moenia Ticini.*

66) *cf. Virg. Aen. III, v.* 645.

Tunc ait: *O proceres, quid opus depromere verbis,* 894.
Quo res imperii vergantur pondere belli?
Collectis quando Hister adest hinc inde fluentis
Excidio nostri. Moneo, servate secundis
Rebus eo vosmet, tantis ac parcite bellis,
Abscedat donec proprios Arnulfus ad agros.
  Pingue solum interea regum dum lustrat uterque,
Pergami adveniunt urbem, quam detinet ultro
Munitam iaculis nimium sudibusque praeustis,
Natura tribuente locum satis arcibus aptum,
Ambrosius, pesti miser heu! devotus iniquae.
Qui regum infelix postquam defertur ad aures,
Obsidione iubent densa circumdare muros,
Ne capiat sociûm quemquam exteriusve remittat,
Dispersi donec populi tot luce sequenti
Conveniant, captumque locis emittere firmis
Vi certent, ausit rursus ne talia quisquam.
Postera cum primum stellas aurora fugaret[67],
Urbis ad excidium properat Germana iuventus,
Undique luctifico sonitu compulsa tubarum.
Hic fossas implent alii muroque propinquant,
Pars scalis etiam tendunt conscendere turres.
Urget enim utrorumque nimis praesentia regum,
Moenia quod retinent carum pro munere dantum.
Omne genus contra telorum effundere cives
Praedurisque parant hostes detrudere contis,
Nec possunt obstare tamen; tot milibus acti
Deficiunt. Verum cadit hic cum fragmine muri,
Ille ruit fossus iaculo; sine viribus alter
Stat rationis inops. Reclusis undique portis,
Urbs patet, hostili iam iam confusa tumultu.
Ecce verenda prius nullo sub honore tenentur
Atria; nam scissis pereunt velamina vittis
Virginis, impulsusque sacer fugit ipse minister,
Quorumdam stringunt ambas quia vincula palmas,
Oscula quae solitae sacris sentire litatis.
Ambrosius, auctor sceleris fomesque malorum,
Ut tandem videt immites dominarier hostes
Arcibus, adscensu celeri petit ardua turris,
Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo,
Aedibus ingenuis quondam iam[68] Marte refertis.
Pellitur inde tamen, victis accinctus et armis
Arnulfo manibus trahitur post terga revinctis.
Ille calens ira, testatur cuncta creantem,
Arboris hunc ramis subito demittier altae.
Proh genus invisum leti, suspendere ventis
Debita membra solo! Mortalibus altera rerum
Pars datur, ac membris prohibetur gleba caducis.
Hinc igitur iuvenum solvuntur frigore mentes;
Urbibus excedunt, laxisque repagula portis
Disscindunt, hostesque feros in moenia linquunt[69].

  Sed quia non illis praedo tutacula terris 895. Oct.
Obtinuit, subito Etruscas procinctus ad oras
Vertit iter, regum imperio Romana petentum

67) *cf. Virg. Aen. V. v, 42.*

68) *vox hic exciderat; codex habet:* ingenuis quondam morto marte. *Vales.* ingeniis quorumdam Marte resertis; *lenissimo remedio adhibito* iam *inserui.*

69) *Hic Arnulfi reditus in Germaniam et secunda profectio omittuntur.*

Atria; ne, summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere, postquam
Fluctivagas Rheni Arnulfus remearit ad undas.
Fugerat hic Romana vafer sed culmina tandem,
Ne lepidos caperent liquid[70*] foedata tyrannos. 896.
Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis, vexilla iubentque educere castris,
Viribus ac totis clausas insistere portas,
Vi saltem reserantis adire ut limina caelum
Principis ecclesiae liceat, ne frivola tantos
Propellant figmenta viros et vota retardent
Praesenti promissa loco templisque dicatis.
Talibus imperiis talique hortamine regum
Induvias rapiunt cuncti Mavortis anheli,
Commissas avidi ferro proscindere portas.
Iam quia parta sibi speculantur nigra Quirites,
Undique dissutis reserant penetralibus Urbem,
Admittuntque duces veneranda ad delubra mites.
Hic ubi perfectis nituere altaria votis,
Ardet inexpletum ductor proferre furorem
Barbarus. Infrenes animos sic ira fatigat.
Quid faciat, quo se vertat, quae moenia visat,
Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes ubi pestiferis restabat postera Gallis.
At ductor Latii socium sine more tyrannum
Ut videt ingruere, placido sic pectore coepit:
Desine, rex venerande; satis virtute peractum,
Nec decet ulterius socios deducere Rhenos.
Nam si itidem Wido victis spem ponit in armis,
Adveniat tumidus, dextra hac, sine, posco domandus,
Te dominante viris antiquo foedere iunctis.
Mitior his dictis, patitur, repedare volentes
Barbaricos proceres diverso ab limite lectos,
Germanae princeps metuendus et arbiter aulae.
Vix proprios tetigit fines rex ille verendus: 894.
Legirupis en Wido[70] tubis rediviva resumit
Agmina, item vetitos cupiens pervadere campos.
Saevior ipse etiam regni pater hostibus arma
Molitur, tantos avidus[71] finire labores.
Interea sors[72] lecta Dei, circumdata saccis,
Vota facit, vultum lacrimis altaria circum
Suffusa, has imo referebat pectore voces:
O rerum genitor, cunctis metuenda potestas,
Imperio qui bella regis pacemque perenni,
Da tantos cessare dolos; da criminis auctor
Veloci pereat leto; da tempora nostro
Longa duci, quando gemina fert laude coronam,
Virtutis merito, et generis quod stemmate pollet.
Audiit ista sator, totum qui curvat Olympum;
Mortis adesse diem cogit fera bella moventi,
Sic tamen ut proprio componat lumina lecto.
Ultima lux instat, nec iam spes ulla diei,
Cum vocat hic natum tanto pro funere maestum,
Haec monita fractis promens memoranda loquelis:
Nate, vides, quam dura premant dispendia vitam,

70*) *i. e.* liquit. — siquidem *Vales.*

70) *Wido iam ante primum Arnulfi reditum in Germaniam, a.* 894. *obierat.*

71) auidos *corr.* auidus *c.*

72) *i. e.* clerus.

Quae Pater ille hominum vetiti pro crimine pomi 894.
Intulit, et rupto maculavit foedere massam.
Nec ultra patriis poteris tutarier armis,
Namque rapit natura diem somnumque reducit.
Percipe verba tamen positi sub fine parentis,
Et ratione vales quacumque, adsciscere forti
Brengario. Hunc etenim fato meliore sequetur
Hesperia, et nostris etiam dominabitur arvis.
Nec plura effatus, medio sermone resistit,
Et vitam pariter moriens et famina linquit.
Laetantur populi, mortis cecidisse ministrum,
Et curis solvunt animos ac Marte lacertos:
Ut[73] cum sole malo tristique rosaria pallent
Usta noto; si clara dies zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, et informes ornat sua gloria virgas.
  Pars quoque magna virûm properant, Widone sepulto,
Orantes veniam Latii ductoris ad aulam,
Dum Widone satum, invalido comitante ministro[74],
Deficiunt, duplici nimium discrimine maestum,
Morte patris simul ac notis abeuntibus armis.
At recolens praecepta patris, iubet ire sodalem, 896.
Qui pacem petat ac regem summissus adoret:
Ne memor esse velit genitoris bella gerentis,
Sed legat in regnum sociali foedere amicum,
Militiaeque etiam Mavors si quando ministrum
Bella ciet. Dux interea venerabilis aevo
Fert pietatis opem venientibus ultro maniplis,
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis,
Praetendit solito verum pia viscera cunctis.
Nuntius in medio demum ut Lamberticus adstat,
Et quae sit fortuna viro pacisque voluntas
Edocet, ipse pater mitis sic pectore reddit:
Aequa referre malis nimium sacra iura recusant.
Namque poli sensum[75] *demissum traximus arce,*
Cuius egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animam, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare iuberet.
Nec genitus gignentis habet pro crimine noxam,
Veridico cecinit quondam velut ore propheta. Ezech. 18, 20.
Quapropter veniat, noster dicendus amicus
Hac ratione, fide violet ne iura protervus,
In levi cumulans genitoris pectore technam.
Sin tenet ille dolum iuvenili mente resumtum,
Colligat arma cito, patrique simillimus ultro
Exercens studium, faxit per bella periclum.
Percipit haec hilaris postquam iuvenilis alumnus,
Procidit, et supplex regi, veneratur amorem,
Quo tellus, pelagus servant atque astra tenorem,
Ne pontus liquidis arvum subvertat habenis,
Aut ignita poli mergantur sidera lymphis.
Hinc remeans, iuveni defert sua nuntia voti,
Ordine cuncta monens. Tandem rex optimus atque
Lambertus properant, ubi fertilis unda Ticini

73) *v.* 194—197 *ex Statii Theb. VII. v.* 223—226.

74) *sc. Lamberti matre Ageltruda, filii tutrice.* VALES.

75) sensum — *v.* 220. *ex Iuvenal. Sat.* 15. *v.* 146–150.

Alluit egregiam fluvii cognomine dictam 894.
Urbem, in qua soliti regem spectare Latini.
Mutua verba serunt, postquam promittit uterque
Mansurum foedus, roseis dum vecta quadrigis[76]
Fluctibus Oceani perfunditur orbita Phoebi,
Aut tellus immota manet, nec pondere cedit,
Undique pulcra tuens vertentem sidera mundum,
Si tot vita virûm posset durare per annos.
O iuvenale decus, si mens non laeva füisset!
Saepe datas volvit pacis rescindere dextras
Fraudibus inventis. Sed enim ratione sagaci
Deprendis, pater alme[77], dolos, ac murmura temnis.
  Tertia mox tamen hunc Latio produxerat aestas 898
Ubere telluris potientem pace sequestra:
Ecce dies instat iuvenilibus aemula factis,
Mortis acerba ferens. Studio iam vadit in altos
Venandi lucos, cupiens sibi mittier aprum,
Informem aut rapidis occurrere motibus ursum.
Avia sed postquam nimio clamore fatigant
Praecipites socii, ipse uno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum,
Abrumpens teneram colliso gutture vitam.
Bucina triste canens disiunctos usque sodales
Convocat, ac domini letum crudele resignat.
Hoc sonitu nemus omne tremit, fugiuntque volucres
Elapsae pennis, possessaque lustra relinquit
Omne pecus. Tanto sonitu glomeratur utrimque
Lecta manus comitum, disrupto et gutture mutum
Flebilibus iuvenem vocitat clamoribus. Ille
Nititur infelix fractas proferre loquelas;
Succidit in mediis equidem conatibus aeger,
Ulterius nec lingua valet, nec verba sequuntur[78].
Haud[79] segnes socii crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis ac vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuvenem agresti sublimem in stramine ponunt.
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violae seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,
Non iam mater alit tellus viresque ministrat:
Talibus expostum studiis ad templa reportant,
Ut condant digno iuvenilia membra sepulcro.
Hic ubi ductoris replevit nuntius auris
Brengarii, Widone satum cecidisse coactum
Cornipedis tergo, trahit has de pectore voces:
Heu mortis metuenda lues, quae dulcibus annis
Inseritur, tristesque negat componere soles!
Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit ac Latium quamvis turbaverit annis.
Undique tota cohors regni concurrit in unum
Vociferans: *Pie rex, nostri miserere laboris,*
Ne geminis posthac cogamur adesse tyrannis,
Cum solus placeas rebus superesse Latinis.
Ut Phoebo roseis arvum laxante quadrigis

76) *cf Virg Aen. VI. v.* 535.

77) *Berengari.*

78) *cf. Virg. Aen. XII. v.* 912. 913.

79) *v.* 270—277. *ex Virg. Aen. XI. v.* 64—71.

Vere novo, gaudent pecudes foetuque gravantur, 898.
Humor adest herbis ac vastis semina sulcis,
Gratus aer pennis, aequorque meabile nautis;
Cuncta nitent; succedit enim natura creatrix,
Et rebus proprias certo dat tempore formas:
Haud secus Italiae gestit sub principe tellus,
Impacatus ubi ab superis cum prole recessit
Guido ferus, fastusque odii moriendo rosolvit.

EXPLICIT LIBER III.

INCIPIT LIBER IV.

Quarta[80] igitur Latio vixdum deferbuit aestas, 900. Oct.
Hac ratione iterum solito sublata veneno
Bellua, Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris,
Sollicitat Rhodani gentem; cui moribus auctor
Temnendus Ludovicus erat, sed stirpe legendus,
Brengario genesi coniunctus quippe superba.
Hic dudum Ausonium cupidus regnasse per arvum;
Sed vetuit fortuna. Modo quia nuntia votis
Accipit, extemplo sociis ad tecta vocatis
Regia: *Quae totiens*, inquit, *volvistis amici,*
En volvenda dies ultro attulit! Este parati,
Praedulcesque petamus agros! Nam rure vocamur
Vicino Italiae. Vires huc forte superbas
Dum tulero, propriis discedet ductor ab oris.
O miser inque dies miser, invictumne lacessas?
Num te fama ducis totum vulgata per orbem
Praeterit? O Genitor rerum, compesce furores!
Nescio namque, mali quid mens praesagat eunti.
Iamque valens modicum invalidos Provincia alumnos
Legat in Ausonios inimico nomine campos.
Nec victor decus et Latii, spes unica regni,
Tunc Veneti servare solum de nomine dictum
Quartanam patiens poterat, nec tendere bellum
Hostibus, immodicas animo sed decoquit iras:
Ut caveis cum forte leo vinclisque tenetur,
Non artus[80*] agitare valet, non promere vires,
At duro premitur tantum sub lege magistro;
Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos,
Atque diu desueta cruor madefecerit ora,
Ipse lacer custos iras prior imbuet, inde
Obvia turba virûm morsus satiabit amaros.
Interea Ludovicus ovat, regnumque fatigat
Fastibus, ac tantos sibimet blanditur honores,
Hoste velut necto[81] spoliis potiatur opimis.
Infaustus Veronae etiam contendit ad arcem. 905.
More pii regis tamen, ut subsedit apertis
Moenibus, antiquos sociis disterminat agros,
Nil veritus; metuenda nimis quia sustulit ipsum
Fama, Berengarium leti dispendia passum.
Ah Latium, quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum, servato magistrum,
Ne pereant uno Latialia gaudia leto!

80) *inde ab a.* 896, *quo Lambertum Berengario reconciliatum nostro auctore credimus.*

80*) artes *ed. c.*?

81) *i. e.* necato; *metri causa, ut* Brengarius, partus, postus *etc.*

Convaluit quia regnator tamen, undique lecti 905
Conveniunt proceres laeti, vexillaque castris
Proripiunt, celeresque Atesis ad moenia tendunt,
Haec obiter comi reserantes famina regi:
Te petimus, pietatis honor, nec parva precatu
Credimus haec; urbem propriis si ceperis armis,
Membra viros sine curtari, qui foedera regni
Proturbant totiens, dammum pietatis iniquae
Ne patiamur! Ad haec: *Animis advertite*, ductor,
O proceres, inquit monitus, *et crimina capto*
Ne conferte viro, generis quia sanguine pollet,
Et forsan facinus maturis deseret annis.
Testetur pia iura poli, et dimissus abito.
Hoc satis. Hi contra celeres cum murmure gressus
Intendunt, rabidas acuentes pectoris iras;
Nil moti dictis, potius fera murmura rodunt,
Non se posse malum posthac dimittere inultum.
Talibus adveniunt urbem, muroque propinquant. fol.
Ilicet admissi penetrant miserabile templum,
Quo Ludovicus erat, subito rapiuntque ligantque,
Et pulcros adimunt oculos. Securus in aula
Forte sedebat enim, idcirco pia munera lucis
Perdidit, obsessus tenebris quoque solis in ortu.
Tu ponens etiam curtum femorale Iohannes,
Alta tenes turris, si forte resumere vitam
Sis potis; hinc traheris tamen ad discrimina mortis,
Et miser in patria nudus truncaris arena.
Nuntius at postquam sociorum allabitur aures,
Praelatum iuvenem communi lumine cassum,
Consilii fugiunt inopes, passimque recedunt:
Flante velut zephyro liquescunt aeros aurae
Vere novo, gremium solvunt cum rura coactum
Frigore brumali crebris boreaeque pruinis.
Nec removere viros cessat de parte superbos
Fortis Adalbertus[82], iuvenilibus obsitus annis,
Apenninicolas fausto[83] qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus servire magistro.
Emicuit subito in mediis lux alma tenebris,
Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exempto, patriaeque duce ac genitore recepto.
Qui licet effusos toto egerit orbe triumphos,
Cluserat imperii necdum diademate vultum,
Romana steterat rutilus nec vestibus aula
Induperatorum solito de more parentum.
Cur? Nisi quod vicisse dolos virtute decebat,
Ad summum transire gradum, nisi saepe vocatum?
Summus erat pastor tunc temporis Urbe Iohannes,
Officio affatim clarus sophiaque repletus,
Atque diu talem merito servatus ad usum.
Quatenus huic prohibebat opes vicina Charybdis,
Purpura quas dederat maiorum sponte beato,
Limina qui reserat castis rutilantia, Petro,
Dona duci mittit sacris advecta ministris,
Quo memor extremi tribuat sua iura diei
Romanis, fovet Ausonias quo numine terras,

82) *Eporegiae marchio, Berengarii gener. Liudpr. Antapod. II. 33.*
83) *e vocibus „Adal" et „bert" potentiam et splendorem indicantibus composito.*

Imperii sumpturus eo pro munere sertum,
Solus et occiduo caesar vocitandus in orbe. 916.
Talibus evictus precibus, iubet agmina regni,
Quîscum bella tulit, quîscum sacra munera pacis,
Affore, quae tanti gressum comitentur honoris.
Iamque iter emensus postquam confinia Romae
Attigit, ire iubet celeres ad templa sodales, Mart.
Vicinum qui se referant. Sonat ecce Sabura
Vocibus elatis populi: *Properate faventes!*
Rex venit, Ausoniis dudum exspectatus ab oris,
Qui minuet solita nostros pietate labores!
Fervere tunc videas Urbem et procedere portis,
Quot Roma gremio gentes circumdat avito.
Interea princeps collem[84] qui prominet Urbi
Praeteriens, ubi se prato committit amoeno[85],
Singula quaeque modis incendunt aethera miris
Agmina. Namque prius patrio canit ore senatus,
Praefigens sudibus rictus sine carne ferarum[86],
Indicio, devicta cadent temtamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.
Daedaleis Graius sequitur laudare loquellis;
Stoicus hic noster cluibus[87] quia pollet Athenis
Et sollers iter in Samia bene callet arena.
Cetera turba pium nativa voce tyrannum
Prosequitur, totaque docet tellure magistrum.
Hic etiam iuvenes nitida respergine creti —
Alter apostolici nam frater[88], consulis[89] alter
Natus erat — pedibus defigunt oscula regis.
Hinc ubi praesul erat, gressum comitantur herilem
Vestibuli ante fores, graduum[90] qua pervius usus
Advehit ornatam cupidos intrare per aulam.
Ille quidem sacro fulgens residebat amictu,
Altarisque subibat ovans hinc inde minister.
Quid referam populos istinc illincque coactos,
Undantesque gradus, cum rex ad templa subiret,
Evectus pastoris equo[91]? Mox quippe sacerdos
Ipse futurus erat, titulo res digna perenni,
Advenit ut tandem, lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis,
Undique turba premit, cui vix obstare satelles
Voce valet nutuque minans. Erat omnibus ardor
Cernere praesentem, cupiunt quem saecula, regem.
Ter quoque sacra pius gradibus vestigia fixit,
Maiestate manus cogens cessare tumultus
Undantis populi. Postquam conscenderat omnem
Adscensum, aureolo praesul surgens cliothedro[92],
Oscula figit ovans, dextramque receptat amicam.
Hinc adeunt aulam, pariter tibi, Petre, dicatam,
Ianitor aetherei pandis qui limina templi.
Ante fores stant ambo domus, dum vota facessit
Rex; etenim se cuncta loco vovet ultro daturum,
Quae prius almifici sacris cessere tyranni.
Ilicet his verbis volvuntur cardine postes,
Extollitque sacer laudes per templa minister.
Utpote Silvestrum videat properare magistrum,

84) *Montem Malum; cf. Leg. II p.* 68. 193. 218. 533. 85) *prato Neronis.*

86) *glossa ap. Valesium:* capita draconum caelata in ligno.

87) *glossa:* cluo Graecum est idem quod ausculto. Est autem polysemus sermo. Nam cluis nobilis et pugnax et auscultans dicitur et defensor.

88) *Petrus; cf. Liudpr. Antap. III.* 43. *Benedicti chron. c.* 29. 89) *qui in glossa* Theophylactus *dicitur.* 90) *S. Petri.*

91) *glossa:* Talis est mos Romanus, ut qui debet promoveri ad dignitatem imperii, praesulis equo devehatur in Urbem.

92) *glossa:* Cliophedrum Graece dicitur sella plectilis, quae vulgo valdestolum vocatur.


Constantinum etiam typico baptismate lautum. 916.
Nec minus his decus orbis inest rerumque potestas,
Tempora ni peiora forent impulsaque cessim.
Iam tumulo piscatoris[93] sacra purpura regis
Sternitur, et Christus lacrimis pulsatur obortis.
Templa petit ductor posthaec, ubi fercula dono
Pastoris digesta nitent. Setina[94] propinant,
Ac, decet ut regem, variant tuceta[95] ministri.
Mox croceis mundum lampas phoebea quadrigis, Mart. 24.
Luce Deus qua factus homo processit ab antro
Tumbali, perflat. Populus concurrit ab Urbe,
Cernere vestitum trabea imperiique corona
Augustum. Replicata calent spectacula totis
Aedibus, auratis splendent altaria pannis,
Cum princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo[96],
Quale decus terrae soliti gestare magistri.
Advenit et Domini pastor praepostus ovili,
Officio laetus, quamvis resonaret utrimque
Clamor: *Ades praesul! Totiens quid gaudia differs*
Innumeris optata modis? Per vincla magistri
Te petimus, depone moras, et suffice votis!
Talibus arae adeunt gestis apsida sacratae
Lumina terrarum. Modicum post en diadema
Caesar habet capiti gemmis auroque levatum,
Unguine nectarei simul est respersus olivi;
Caelicolis qui mos olim succrevit Hebraeis,
Lege sacra solitis reges atque unguere vates,
Venturus quod Christus erat dux atque sacerdos,
Omnia quem propter caelo reparentur et arvo.
Iam sacrae resonant aedes fremituque resultant
Clamantis populi: *Valeat tuus aurea princeps*
Roma diu, imperiumque gravi sub pondere pressum
Erigat, et supera sternat virtute rebelles!
Perstrepuere nimis; sed facta silentia tandem.
Lectitat augusti concessos munere[97] pagos
Praesulis obsequio gradibus stans lector in altis,
Caesare quo norint omnes data munera, praedo
Ulterius paveat sacras sibi sumere terras.
Dona tulit perpulcra pius tunc denique templo,
Baltea lata ducum, gestamina cara parentum,
Gemmis ac rutilo nimium pretiosa metallo,
Ac vestes etiam signis auroque rigentes,
Distinctum variis simul ac diadema figuris.
Quid referam, quantis replerit moenia donis.
Nonne maris paucas videor contingere guttas,
Syrtibus atque manu sumptas includere arenas,
Quando brevi tantos cludo sermone triumphos?
Doctiloquum, credo, labor iste gravaret Homerum,
Officio et genuit tali quem Mantua dignum.
Nec temtabo meis ultra fastidia dictis,
O iuvenes, inferre, calet quîs pectore sanguis,
Et plectro meliore movet praecordia Clio.
Mille mihi satis est metris tetigisse labores;
Maevius atque licet videar, vos este Marones,
Et post imperii diadema resumite laudes!

---

93) *B. Petri.*

94) *Setten, Satten ingentia vasa lignea hodieque vocant Germani, qualia sunt in quibus lac atque etiam aqua servatur.* LEIBN. 95) *glossa interpretatur:* regales epulas. *Sed notat Valesius. Persio* tuceta crassa *dici, et in glossis Isidori* tucetum *esse bubulam conditam apud Gallos Alpinos; ita significatio a re plebeia ad regalem transivit.* LBN. 96) *glossa exponit:* ocreas aureo colore respersas.

97) *cf. Legg. II. B.* 160.



1. Ademari chronicon

a Cod. regius Paris. N° 5927.

fol. 3. Rincipiũ regni francoꝝ eoꝝ
que originẽ ut gentiũ illa
rum. ac gesta pferam; Est autẽ inasia

fol. 99 AN. prosequenti normanni herio insulã incen
dunt mense iunio. & desolata est a generali
monachorum habitatione ibi fuerat domnus im pr

fol. 131. sagitte ex foris muro dã uulnerat interiit: & sic
exercitus eĩ dolore non sine magno regreditur.

b. C. 17 Paris N° 5926.
temporib; normãni sup dicti ꝗ pane orꝝ maq̃ ppetisse ausi sũt
cũ innumã classe hibniã ĩsulã que irlãda dr ingressi sũt u
na cũ uxorib; ꝛ libis ꝛ captiuis xrianĩ q̃s fecerãt s̃ suos. ũ
hirlãdis expulsi. ipsi ꝑ ipsi ĩ habitarẽ opulẽtissimã urbẽ.

G. Waitz scripsit

2. Vita sancti Venceslavi

a C. ducatis Guelferbytanus fol. 20.

fita memorabilis uiri nomen gestorumq; insignes men
tiones paulo post declaratura sequentis pręcedat tex
tus narratem. Quem uero quantum attenuat culpa
uiciose scribentis tantum exornat sci excelsa dignitas.
materię causam operum sacra auctoritate designantes.



b C. regius Bruxellensis N° 9289.

monumenta. huiusmodi sapientes á simplici corpo
rationis serie tradiderunt. cũ plures eoꝝ arden

C. L. Bethmann scripsit

3. Vita Brunonis, Deoderici

a C. ducatis Guelferbytanus inter Augusteos N° 76, 14

manus correctoris (Sigeberti?)

·A· Siquis q̃d sit acrasia q̃rit. ex uerbis sci augustini discere poterit. q ĩ libro
questionũ ĩ genesi sic ait; Viros uero qui erant ad ostiũ domus pcusserunt
cecitate. Greci habent acrasia. qd magis significat si dici potest audenciã.
que faciat n̄ uideri. n̄ omĩa. s; qd opus ẽ; Hac acrasia ꝛ illi pcussi sunt q
querebant helyseũ. Hanc ꝛ illi habuerunt q dnm post resurrexionẽ cũ
illo ambularent in uia non cognouerunt.
·B· insertũ literis huius tumulo epitaphiũ sup addidit aureis;

b C. bibl. St. Omer N° 788.

nordmannoꝝ tirannides. p huius modi obsidẽ aliquantũ re
friguit. et ecclesie demũ ceteraq; edificia quorũ ruine uix extite
rant hac ocasione restaurata

C. L. Bethmann scr.

Monum. Germ. S.S. T. IV. tab. I.
ad pag. 211.

GUMPOLDI
VITA VENCEZLAVI DUCIS BOHEMIAE.

*Aevo post caedem Vencezlavi ducis peracto, quum miraculorum virtute eius
perpetratorum fama Bohemiae fines transgrederetur*[1]*, et iam iamque de con-* 1
*dendo Pragensi episcopio et Bohemia Ratisponensium praesulum potestati
eximenda cogitaretur, Otto II. imperator Gumpoldo Mantuano episcopo*[2] *vitam
Vencezlavi scribendam iniunxit. Qui quaecumque tanto temporis spatio elapso
veracium virorum testimonio comperire poterat*[3]*, collegit et stilo diffuso contorto
et saepe obscuro explicavit. Liber intra annos* 968[4] *et* 973. *conscriptus, et b. m.* 4
Iosepho Dobrowsky docente[5] *omnium fere*[6] *quae postea de Vencezlavi vita prodie-
runt radix et fundamentum, statim claruisse videtur; nam ipso saeculo de-
cimo in usum breviarii non semel*[7] *excerptus, saeculo undecimo ineunte
auctori vitae Adalberti episcopi*[9] *innotuit, et saeculis subsequentibus
non solum a Sigeberto Gemblacensi*[10] *et Cosma*[11] *sed a reliquis legendarum
sancti Vencezlavi auctoribus, quos inter Karolus IV. imperator emicuit*[12]*, exscri-* 12
ptus est[13]*. Quibus omissis*[14]*, Gumpoldi tantum opus erroribus quidem minime
vacuum, utpote fama tantum innixum, sed quod proxime ad Vencezlavi tempora
accedit, proponimus.*

Gumpoldi librum, quem summus Dobrowsky anno 1819. *ex codice biblio-
thecae metropolitanae Pragensis saeculo XIV. conscripto, sed nec integro nec
textum bonum praebente quique auctoris nomen tacet, exscripserat*[15]*, ope codi-* 15
cum optimorum, quorum alterum anno 1823. *in bibliotheca ducali Guelferby-
tana, alterum anno* 1826. *in bibliotheca regia Bruxellensi evolvi, proponimus.*

1) *C. Guelferbytanus inter Augusteos in* 4° *numero* 11, 2. *signatus, com-
pluribus codicibus constat, quorum secundus foliis* 18—37. *Gumpoldi librum
exhibet. Exaratus est manu pulchra saeculi XI. exeuntis aut XII. Capitum
initia littera aurea indicantur. Prima pagina*[16] (18'.) *picturam exhibet mem-* 16
*branae purpureae auro et coloribus diversis illatam, Hemmam principissam
terrae prostratam et pedes Vencezlavi ducis amplexantem, cuius capiti Christus
vitae, cuius librum sinistra tenet, praemium coronam martyrii triplicem dextra*

1) Widukind. I. 35. 2) De ipso nihil praeterea constat; sedisse eum oportet intra annos 967. et 985. 3) v. cap. 21. 22. 23. 25. 4) Ottone d. 25. Dec. 967. iam imperatore facto, sed Bohemia nondum a Ratisponensi diocesi exemta v. cap. 15. 5) in libro: „Kritische Versuche die ältere bohmische Geschichte von spätern Erdichtungen zu reinigen. fascicul. I—III. Pragae a. 1803, 1807, 1819. 6) excepta scilicet Laurentii Casinensis vita Vencezlavi. 7) v. Dobrowskii legendas B. C. D. fascic. I. p. 8. sqq. III. 20 sqq. Legendae D codicem saeculo adhuc X. exaratum in bibliotheca regia Monacensi inter Benedictoburanos numero 105. signatum vidi. cf. Annales nostros VII. 387. et infra. 9) cf. c. 1. Boemiae descriptionem. 10) a. 921. 11) a. 894, 929, 932. 12) v. Acta SS. Sept. VII. 837—839. 13) v. Dobrowsky l. c. III. 25—52. 14) a Balbino in epitome historiae Bohemiae indeque iterum in Actis SS. Sept. VII. 825 sqq. legenda, quam a Christiano Bolizlavi I. filio conscriptam fingunt, typis expressa est. Fluxit praecipue ex Gumpoldo et legenda codicis Monacensis. 15) l. c. III. p. 53—119. 16) pagina exterior a scriptore vacua relicta, saeculo XIII. exeunte ultima vitae S. Aegidii recepit; ante eam pagina integra excisa est.

manu imponit, hac inscriptione aurea littera addita: Hunc libellum Hemma venerabilis principissa pro remedio anime suae in honore beati vencezlauvi martiris fieri ivssit. Dux veste viridi limbo aureo ornata, tibialibus rubris, fasciolis et calcaribus aureis indutus, laeva lanceam gestat, dextram, qua Christo Gumpoldi librum ab Hemma sibi porrectum obtulerat, adorans elevat. Hemma vestitu violaceo auro consperso et limbo et cappa aureis utitur. Folio secundo (19.) aeque purpura auroque ornato praefationis initium legitur, littera initialis S colore rubro viridi auroque ornata. Folio 20'. praefatione finita, coena qua Vencezlavus fratri reliquisque convivis poculum porrigit, fol. 21. ducis caedes prope ecclesiam et initium passionis aurea littera in membrana purpurea habentur. Textus fol. 37. explicit, pagina 37'. vacua relicta. Librum igitur, quum propter litterae formas ad saeculum X. aut undecimi initium referri nequeat, non Hemmae Bolizlavi II. uxoris, quae a. 1006. obiit,
17 sed aut alterius cuiusdam[17] Hemmae iussu confectum aut ex codice antiquiore iubente Hemma illa scripto exceptum esse crediderim. Certe magni habendus est, et textum licet haud raro scriptoris imperitia depravatum, proxime tamen ad Gumpoldi autographum accedentem praebet, quare nonnisi raro, sententia haud dubie iubente, ab eo recessimus.

2) C. regius Bruxellensis hodie numero 9289. insignis, olim sancti Laurentii in Leodio, membranaceus sec. XII. ineuntis, praeter Gumpoldi librum vitas SS. Trudonis, Pigmenii et duorum Ewaldorum continet, et a Bethmanno in usus nostros versus, textum in universum quidem bonum, sed aperte correctum et pro tempore emendatum sistit. Cuius rei testem haud dubium habemus caput 15, ubi verba Bohemiam Ratisponensi cathedrae subiectam praedicantia omittuntur. Qua in re ut multis in aliis assentitur ei

3) C. bibliothecae metropolitanae Pragensis sec. XIV. qualem a Dobrowskio expressum legimus, sed in fine miraculum quod anno 1091. vel 1092. contigit ex Cosmae chronico addit.

4) C. olim S. Adalberti Aquisgranensis, cuius apographum Bollandiani se habuisse in Actis SS. Sept. VII. 771. referunt, hodie latet.

5) Liber olim in codice bibliothecae Brunnensis in Moravia extitit, quem intra annos 1100. et 1130. conscriptum Bonaventura Pitter ad Dobnerum retulit. Explicuit tamen textus in morte Sancti in fine capitis 19, adiecta tantum formula „praestante Domino etc. usque saeculorum amen". ut lectio antiqua in
18 usum breviarii[18]. Codicis istius fata ignorantur.

Gumpoldi textui quaedam ex legenda inde sub finem saeculi X. derivata, quam ex codice M) regio Monacensi inter Benedictoburanos Nro. 105. signato V. Cl. Föringer, bibliothecae regiae custos, exscripsit, subiicere iuvabit. Quae licet haud magni momenti, tamen qualiter paucos intra annos eadem res altera vice narrata sit ostendit.

Librum Laurentii Casinensis monachi, ultimis saeculi XI. annis ex relationibus Bohemi cuiusdam et „domni Benedicti Saxonis, monachi Casinensis", adhibita vita S. Adalberti, conflatum et erroribus scatentem, hoc loco omitti placuit, quum quaecumque alicuius momenti esse poterant inde decerpta iam sexdecim
19 ante annos Annalibus nostris inseruerim[19].

17) b. m. Ebertus noster Hemmam ab Adamo Bremensi l. II. c. 49. memoratam indigitavit; sed principissa vocabulum Bohemiae ducissam fuisse indicare videtur. 18) Dobrowsky l. c. I. 7. 8. 19) T. V. 136—143.

INCIPIT PROLOGUS GUMPOLDI MANTUANI EPISCOPI[a].

Studiorum igitur genera multiformia varias cuique mortalium ingerere solent ingeniorum curas, quibus id genus racione praestantissimum[b] imaginationis potentia interioris, tum natura, tum etiam industria, res quoquo modo sensibus subiectas intellectu discernere, et ad vota humana in usus iucundos gaudet diffingere. Hic namque mente[c] moderatus, spreto caducorum ludicro, superna intendit, ille extructos in altum honores ardenti rerum fugacium siti exaestuans desiderat; hunc aetas iuvencula contra fas plerumque illicit, illum frigidae senectutis matura longaevitas in mores severos ac salubres coaptat; huic artis bellicae audax prudencia appetibilem laudis gloriam prometur, illi operum diversorum labor artificiosus desidiam eximit, mentisque naturalem subtilitatem extorquet. Quidam vero litteralis speculacione[d] profunditatis infixi, necnon liberali ocio per miras eloquiorum venustates perspicatius dediti, frequentissima reputacione[e], quo ordine siderum motus ac fixione non motabili disponantur, quae aut qualis mensura terrenae[f] magnitudinis ambitum[g], quadam quasi latenti racione, per formulas geometricales ad certam metiendi comprehensionem asstringat[h], quove dictu[i] tota per numerum decurrat summa quantitatis soliditatisque[k], aut per quas consonantiarum proportiones cantilena temperetur naturalis, vel qua opinionum imagine sub veri falsique proposito eorumque difficili commixtione tam profunda eloquentium subrepat disputacio, per artium scrupulositates investigare desudant[l]. Alii autem studiis incitati carminum, ludo insistentes[m] poetico, ad naeniarum[n] garrulitates alta[o] divertunt ingenia. Famam autem veritatis erga Dei sanctorum memoranda gesta, coelesti benignitate mortalium obtutibus toties designatam, incuriae quam exitiali[p] neglegentia, fabulis[q] delectati, non pavent subcludere. Nec mirum, si grandia ac philosophicas quaestiones moventia huiusmodi sapientes a simplici composicionum serie transduxerint[r], cum plures eorum, ardentius inhaerendo gentilium scriptis, non tantum[s] quid in sacris gestis laudi divinae proferendum ac litterarum indiciis in posteros divulgandum postposuerint[t], verum quicquid divinum ac menti devotae mitissimum[t*] simpliciter ac sine difficultatis perplexione videtur, penitus id quasi utilitate carens abiecerint[u]. Hac denique fortuna, uti plures existimant, res hominum volvente ac sublimium sagacitate rethorum[v] magis altiora spectante, nobis[w] a tanta sapientum[x] ac docta loquacitate admodum seiunctis, brevis tamen seriola[y] subnotacionis, quamvis corrupte[z] prolata, victoriosissimi imperatoris augusti Ottonis secundi sacro iussu rusticitati nostrae imposita, memorabilis viri nomen gestorumque insignes mentiones paulo post declaratura, sequentis praecedat textus raritatem[*]; quem vero quantum attenuat culpa viciose scribentis, tantum exornat sancti excelsa dignitas, materiae causam operum sacra auctoritate designantis[a].

EXPLICIT PROLOGUS[b].

INCIPIT PASSIO SANCTI VENCEZLAVI MARTYRIS[c].

1. Avulsa igitur ob insecabilis sacramentum Trinitatis prisco catholicorum idoneoque[d] refragatu[e] pestiferae haereseos sentosa pululatione, vitalis splendor dogmatis irradianti diffusione orbem atra errorum[f] caligine obfuscatum divinitus serenavit. Sed quia fidei salubris incrementa, quo primum roboris sumpsissent exordium aecclesiastici[g],

a) G. M. E. *desunt* 2. 3. b) prestantistissimum 1. c) mentem 1. d) speculacioni 2. e) disputacione 2. f) tenere 1. g) hambitum 1. h) astringat 2. 3. i) dicto 2. k) decer quantitatis solidatis, aut 1. l) desiderant 2. m) institentes 1. n) adueniarum 1. o) alia 1. p) exitali 1. q) fabulosis 1. r) transduxerunt *corr.* transduxerint 1. traduxerint 2. s) s. notandum 1. t) postposuerunt 2. t*) m. menti d. 2. u) abiecerunt 2. v) rhetorum 2. w) nobisque 3. *corr.* nobis itaque 2. x) sapientium 2. 3. y) *deest* 2. (*ubi* subnotatio::: *ex corr.*) 3. z) corrūpte 1. *) raritem 1. a) designantes 1. b) E. p. *desunt* 1. *Sequuntur in* 1. *picturae convivii et caedis Vencezlavi; tum* Incipit passio *etc.* c) inc. vita eiusdem 2. d) idoneque 1. i. c. 2. e) refugatu 1. f) eorum 1. g) aecclesiasticum 2.

priore[a] theologorum sollertia salutarium studiis textuum latius coruscante, libris inscriptum ac credulae posteritati certius praesignatum satis constare pernovimus: gentibus tamen quibusdam longo post errabundo anfractuum[b] diverticulo ad normalis rectitudinem tramitis sacra illustracione redactis, nondum cunctae mundi nationes, quamvis praedestinatae, huius gratiae donum simul sunt sortitae; sed ordinante coelesti maiestate, quasi paulatim surgentibus diaboli detrimentis, felicius in partes processit. Quarum quidem partium unam stili simplicitate praesentis exprimendam, incolis inhabitatam Sclavanicis[c], aggredimur[d]. Plaga aquilonalis[e], ceteris immitior ac fide tardior, nostrae prostratur[f] intentioni; quam ipsa sacri pneumatis[g] charistia ad christianae cultum professionis, quamvis sera, tamen beata conversione dignata est instituere.

2. Quoniam[h] quidem ab ipsis terrae incolis Boemia regioni vocabulum[i] sonat impositum; cui iam[k] regnante felicis memoriae praeclarissimo rege Heinrico, quidam gentis
1 illius progenie clarior ac potentia in cives eminentior, Zpuytignev[l, 1] nomine, principatus regimen sub regis dominatu impendens, divini cultus dulci voto attactus, sacri fontis mysterio regenerari non parum anhelans, baptismo mundatur, et novo studio fervens, domos Dei ad[m] beatissimae eius genitricis Mariae[2] sanctique apostolorum principis[3] memorandam veneracionem construxit, in quibus postmodum innumera annuatim miracula[n] ope divina cooperante fulserunt.

3. Huius interim laudabilis vitae diebus, honestorum actuum exemplo, per naturae legem obclusis, frater eius aetate[o] minor Wratizlav[p] in principatum, se publico assensu eligente, successit, fraternamque ipse[q] assecutus[r] religionem, victorioso Dei[q] athletae beato
4 martiri Georgio basilicam[4] Deo dicandam, christianae credulus veritati, erexit. Quo etiam post tardos temporum tractus naturaliter hominem exeunte[s], sobolem alta ammiracione[s*] mortalibus per laudes frequentandam, filiorum scilicet tam natu quam etiam actu maiorem, Deo dilectum Vencezlaum[t], superstitem sibi ac multo coelestium ardentiorem reliquit.

4. Qui vero mirae claritatis ac amandae indolis[u], dum floridam iuventutis aetatem primum attigisset, patre adhuc vivo, ad litterarum disponi exercitia[v] desiderans, paternumque crebro flagitamine deflectens animum, eius transmissu[w] in civitate Bunsza[x] litteris addiscendis est positus. Cuius itaque ingenio celeri capacitate divinitus instructo, brevi studio librum spalmodialem[y] ceteraque divinorum compluria perdidicit[z], et solidius interiori memoriae conexuit. Patre interim, ut iam dictum est, universae carnis viam
5 ingresso*, iuvenis ipse senum exempla actibus declarans, sub regis serenissimi Ottonis[5] fulgente potentia, favorabili populorum assensu in paterni ducatus successionem, se nimium refutante, delectus, et in principalis sedem dignitatis est elevatus.

5. Quam gravibus[a] tunc perturbantis molestiae diversitatibus principis novelli benignitas, terreno iure suscepto, intrinsecus angeretur, non est admirandum, quoniam coelestia prae ceteris intuendo mente devota[b] proposuit, ut quamvis publicae utilitati providendae debitor[c] extitisset, Dei tamen praedulci obsequio[d] uti primis se annis implicavit, potius despecto[d*] seculari fastigio, non repudiavit. Plebis autem commissae crimen luendum veritus, si dignam civilis districtionis legem non inpendisset; sed hoc ambiguum non diu mediastinum tractatus, quam sagaciter arripiens callem, ut neque hoc seculariter agendum omisisset, vel istud ob coelestia tendendum a se neglegi in futurum non expavisset; moderari in civium ac miliciae communes[e] utilitates legum decreta, benignissimo et admodum discreto dominio[f] denique residens, nutu certavit

a) priorum 2. b) amfr. 2. c) germanicis 3. d) *deest* 1. e) aquilonaris 2. f) protestatur 2. protestat 3. g) pneumati 1. i) vocablum 1. k) etiam *corr.* iam 1. l) Zyptineus 2. Spitigneu 3. zpitigneus M. m) ac 2. 3. n) milacula 1. o) *post suppletum* 1. p) Wratyzlaus 2. Wratislaw 3. wirizlaum M. bratesclabus *Laurentius Cas.* q) *deest* 2. 3. r) assectutus 1. s) eunte 1. s*) amiracione 1. t) Wencezlaum 2. M. u) i. puer 3. v) exertia *corr.* exerticia 1. w) transmissu 1. x) Budec 2. Budess 3. Budčea M. y) psalmodialem 2. z) a quodam venerabili presbitero nomine Uceno M. *) v. u. c. 2. a) gradibus 1. b) deuoto 1. c) debita 1. d) D. t. predulce obsequium 2. d*) d. de s. 1. e) comunes 1. f) domiolio 1. domicilio 2. 3.

1) cf. Ann. Fuldenses a. 895. Tunc iam christianus fuisse videtur. 2) Pragae „in urbe Praga". D. 3) in loco Budec, ubi Vencezlavus scholam frequentavit. 4) in arce Pragensi. 5) Heinrici, qui Vencezlavum postea bello aggressus est.

principali. In decernendo[a] providus, et misereri cuiquam promptus, in miseras reorum noxas facilius cessanda punitate exorabilis, omnigenarum qualitate poenarum in iudiciis alienus; domestica habitudine simplex, morum castitate perspicuus, bonorum promissione erga potentiores haud tardus, hisque adimplendis aeque devotus; incolarum quoque inopum iam rusticitatem maioribus saepe in diligendo praeferens[b]; viduatis parentum vel rerum adminiculo, necnon patria exulantibus[c], consolator ac paternus fautor miro semper caritatis splendore effulsit. Modestus in omnes actus, memorabilisque amator pacientiae, et inter[d] cunctas casuum adversitates prudens moderator, substantiarum largissimus in pauperum flebiles indigentias dispensator, humilitatis mansuetissimae placidus[e] executor, in se plerumque[f] severior, in ceteros ubique clementior, omnibus in aeternitatis exemplum largiendo, miserando, inscios[g] reformando, edoctos[h] roborando perluxit[i].

6. His ergo virtutum fulgentibus gemmis beatissimi iuvenis decorata conversatio, in tantum ad haec pietatis studium adamavit, ut quandocumque dispositis erga publicas necessitates colloquiorum vel placitorum inter ordinata iudicum plebiumque subsellia edictis, eoque eminentius res quaslibet in iudiciis praenoscente, si forsan quis noxa detentus, mortali sentencia quamvis debito proscriptus, eius[k] praesentiae ab incusatorum damnabili iudicio fuisset adductus[l], [eius[m] suffragiis immunis abiret e medio]; si vero princeps ille misericors, nec permutata legis necessitate neo iudicibus pro hoc solvendo aliquatenus ab eo exoratis, minime reum lege horribili cognovit eripiendum, se tandem cupiens ac sacros obtutus sanguinea caede non sordidandos subducere, edita quoquo modo excusabili racione, consessu ac iudicio excessit, quam sano ingenii acumine[n] salutaris aemulator et euangelici edicti, quo praecipitur: *Nolite iudicare, et[o] non iudicemini;* Luc. *et nolite condempnare, et non condempnabimini.* 6, 37.

7. Hoc ipse Deo plenus iuvenis mandatum perfectius amando, ac periculose a quoquam mortalium praesentiens[p] non sequendum, notatis reis criminosa dampnacione pereundis benignissime pepercit[q]. Verum ne tormentorum nefanda monimenta diutius excrevissent, omnia patibula, hominum suspendiis in eius regni locis quam pluribus erecta, penitus dirui fecit, nec ulterius hoc tempore reparari toleravit[r]. Felicissimo autem actuum provectu, bonitatis iam probandae cumulum magis magisque in dies convenustando exaggerans, quacumque terrarum parte clericos advenientes alacri munificencia sub tocius necessitatis grata relevatione ad se recepit, divinoque amore erga proximum servando[s] sub oculis eius adfixo, reverenda caritate secum eos libentius commanentes curiose benigniterque tractavit, eorumque[t] crebris sacrisque informationibus mens casta coelitus edocta, frequentius in discendo exculta, in miram scripturarum capacitatem prodivit[u]. Quicquid[v] namque docentium studia in eo praesignaverant, honestis actibus ipse complevit; quia omnium angustiae compassus, inbecillitate quosdam lassantes caritativo visitavit solacio, et mortis lege illaqueatos[w], plerumque neglecta a civibus minus religiosis sepultura, funebris[x] obsequii tumulavit officio. Sed gentibus, ducatu ipsius per legem ac morum consuetudinem[y] vetustam disponendis, rudis adhuc fidei doctrina nutantibus, dum per nefandas aditorum atque ararum furialium aedes proceres quoque ipsos diis libandum alienis[z] frequentius in anno concursantes beatae indolis iuvenculus conspexisset[*], ad hanc scelerosam edendis sacrificiorum victimis communionem quamvis saepe rogatus[a], mensae coelestis convivia prae omnibus esuriens, non tantum epulas refutavit illicitas, verum etiam profana convivarum, sordibus daemoniacis inquinatorum, quam strenue aufugit consortia. Super his tamen errore pestifero depressis non parum sollicitus, voluta saepius scriptura, qua per apostoli dicta praecipitur: *Alter alterius* Gal. *honera[b] portate,* quosdam, aliquo modo ad verum summi boni tramitem flexibiliores, sua- 6, 2. vis alloquio persuasionis, ut spretis quibus decepti fuissent idolorum imaginibus, ad

a) decerndo 1. b) proferens 1. c) exultantibus 1. d) in 2. e) placidissimus (*deest* mans.) 2. f) pl. ipse s. 3. g) in socios 1. h) et doctos 3. i) perduxit 1. k) *deest* 2. 3. l) addictus 3. m) e. s. i. a. e medio *desunt* 1. 2. n) accumine 1. o) ut 2. 3. p) persentiens 2. q) Carceres quoque destruxit et omnia patibula succidit. M. r) n. u. h. t. r. t. *desunt* 2. s) servandum 2. 3. t) erumque *corr.* eorumque 1. u) p. c. 2. v) Nam quicquid 2. q. nam 3. w) illaquetos 1. x) funeribus 1. *voc.* obsequii *suppleto.* y) v. c. 2. 3. z) Denique cum hi omnes predicti maliuoli irent ad immolandum demoniis agnos atque porcellos ut ederent ex his nefandissimis hostiis, ipse autem oportunitatem querens subtraxit se ab eis. M. *) aspexisset 2. a) conrogatus 2. 3. b) onera 2. 3.

verae et inmutabilis, crescere vel minui nescientis, semper[a] manentis, essentiam Deitatis, mentes et vota cum fide inclinassent, supernae mercedis bona promittendo inaestimabilia, constantissime adortari non destitit. Quosdam vero minus peritiae huius salutiferae capaces, corde duriores, sensuque vera intellegendi desidiores, iuxta monitum apostolicum oportune cathezizans[b] atque inportune obiurgatus[c], utriusque modi[d] designans praemium, pro viribus conando, quoscumque potuit, tam ultronea quam coacta etiam invitacione, ad patrisfamilias coenam, omnibus copiarum sumptibus habundantem, pulsa fame sacietatis aeternae gaudia subministrantem[e], coniungere cupidus properavit[f].

8. Inter[g] mira igitur ieiuniorum elemosinis fulgentium acta hoc egregium modestae consuetudini saluberrimo solitus est adnectere exemplo, videlicet ut divini insinuatione effaminis sacrae mentis intuitu altius perspecta, quia obedientiae magis quam sacrificii Deum[h] comprobare legitur obsequium, pios ac venerandos mores admodum exornare studuisset. Quoniam[i] redeunte per annuas vices legitimo arduae observationis ieiunio, sacer ipse iuvenis, saecularibus quamvis ob regimen negociis haut raro fuerit interceptus[k], indefessis tamen orationum, larga inter pauperes dispensatione volantium, operibus singulos quam veneranter perduxit[l] dies. Noctibus autem serenissimo instans pervigilio, lenis inmemor soporis, primo quietis nocturnae conticinio[m], spreto fulgentis stratu cubilis, clam ceteris de thoro[n] surgit, puerum cubicularem tacitus[o] excitat, codicellum manuali frequentia rugosum eripit, palatium nesciis custodibus egressus, comite solum clientulo, aspera montium cacumina, vallium exitialia[p] praecipitia, diverticulorum ac semitarum lapillosa vel glacię horrentia inter civitates itinera, continua psalmorum ceterarumque precum recitacione nudipes singulatim aecclesias quaeritando perlustrabat. In tantum itaque carnis afflictionem sufferens[q], ut scissis teneris[r] plantis, cruor defluus sparsim notasset vestigia. Domum autem reversus, quae mens interius gessit ipse dissimulando, principalium item vestibus ornamentorum solio residens induitur, sed caro mundissima cilicino subtus acumine dissulcatur[s]. Messis etiam inminente aestu, tuto noctis silentio per agellum tritici manipulos ipse falcicula[t] succidens, gravique fasce propriis impositos humeris, in secretiore[u] domus angulo abscondit, ibidemque trituratis, et inter saxa tritico fracto ac purgamentis agrestibus ad mundam excussionem a sanctis manibus ipsius[v] diligenter cribrato, cum fontis aspersione, quem ipse solus praesente tantum puerulo cum ydria[w] producens verae Trinitatis invocatione signavit, hanc farinulam massa[x] naturali congestam in libas sacrificales, sacerdotum manibus offerendas, ille proprio manuum labore coqui parabat. Necdum autem secum deputans missarum se satisfecisse sollempniis, sed obedientiae, quam divinitus iam didicit victimis laude praelatam, sapore delectatus, inter annuos processus adveniente[y] vindemia, clanculum accito nimiae fidelitatis iam dicto sequaci[z], vinearum septa noctu transiliens[*], fiscellulas utriusque dorso dependentes gravidis implens racemis, cellulam palatio remotiorem sibique adeo caram furto laudabili revisit. Interim hospitioli foribus repagulorum[a] cauta undique clausura munitis, in vas huic congruum vindemiolae uvas pistillo conterens, expressoque musti tenero liquore, per linei sacculi mundam subtilitatem studiosissima castarum[b] impressione manuum excolavit; sicque diotae, conscio solum clientulo, infusum, secretiusque repositum, considerata oportunitate, inter clericos conprovinciales cum oblatis, quas missali celebritati[c] providendo ipse coquebat, sub mira divinorum communione[d] distribuit. O indissolubile circa pectus castissimum fidei inviolabilis vinculum! O laudabilis obedientiae sectatorem devotissimum! O principis miram humilitatem, servulorum[e] officia divini amoris instinctu subire non pudentem! Qui mentis ardua contemplatione coelestia quae corde tenuit intuitus[f] archana, reverendam ac salutiferam

a) semperque 3. b) chatezizans *corr.* cathezizans 1. catecizans 2. c) obiurgans 2. 3. d) *supp.* 1. e) m *erasum* 1. f) in gremio sanctę matris ęcclesię constitutos assidue diuinis dapibus nutriebat, uel in tabernis bibentes et a doctrina recedentes, statim illos mensę pronos alligans, districte flagris uerberabat multis. M. g) inter *corr.* interea 1. h) dominum 1. c. 2. i) uo 1. q *lineae initio omisso.* k) inceptus 1. l) produxit 2. 3. m) *deest* 2. *ubi* nocturno. n) lecto 2. o) exc. tac. 2. 3. p) exitilia 1. q) s. a. 2. r) cissis teneribus 1. s) disculcatur 1. t) fascicula 1. u) secretiori 2. 3. v) eius 2. w) hydria 3. x) masse 1. y) adventante 2. z) sequace 2. 3. *) properabat in vineam suam cum ministro fideli. M. a) repaculorum 2. b) castrarum 1. c) celebritate 1. d) *ita corrigo;* communicione 1. 2. communicatione 3. e) servorum 2. f) *deest* 2.

dominici corporis et sanguinis collationem tanto veneratus est ac dilexit obsequio, ut libaminis[*] cultui coelestis, criminum contagia mundantis, non fidei solummodo militasset constantia, verum etiam fontis purgatissimi exteriore instar servuli agrestis labore ac pia largicione sacerdotum religioni sortitus[a] ipse fuisset.

9. Non latere autem benignam veri amatorum intentionem utile ducimus, quoniam honesta quorundam relatione, futurorum certa praesagia coelitus iam doctum iuvenem[b] in crebris erga res humanas eventibus[c] praescisse ac familiarium saepe[d] fidei per novos casuum terrores praesignasse, [experti sumus[e]]. Cuius doni memorabilis gloriosam inter tot miraculorum praeconia mentionem, scribentis non reticet humillima devotio; quia divinitus aperta visione, noctis conticinio, forte cuiusdam atrium presbiteri Pauli[e*], quod amoenis et vastis aedium munitur ambitibus, sub sancti Deoque pleni Vencezlavi[f] clarissimo obtutu, omni moenium cultu desertum et humanae passionis[g] habitacione omnino comparuit alienum. Quod videlicet ipse, pulsa somni carnalis gravitate, cordis speculatione pervigilis[h] excitatus, quîsdam[h*], quae visa sunt, prudenti sermone innotescens, subindeque quid[i] verius futurum edita iam pronunciasset ostensio, prophetanti[k] ore edisserens, convocatos huiusmodi dictis alloquitur:

10. *Thoro me accubantem, dulces amici vosque o familiares clientuli, noctis silentio gravis et alta sustulit visio; quoniam Pauli presbiteri porticum tota aedificiorum sublimitate ac hominum cultu videbam penitus desolatam. Quo viso moestus deicior, ac internae pro Dei fidelibus sollicitudinis molestia consternor. Sed tamen ut inmensa omnium cognitoris pietate in spem, qua credenti cuncta[l] posse promissum est, transferor, huius somnii[m] veritatem inminente iam casu[n] pernoscendam, clarae solutionis interpretamento[o] ad certam rei excussionem[p] explanare aggredior.*

11. *Domorum namque visa destructio felicem [aviae[q]] meae Liudmilae[r], sanctae[s] ac venerabilis matronae, portendit obitum. Quae videlicet matris meae, tam genere quam operum etiam inquinacione gentilis, furiali cum aliquot ministris ad scelus aeque paratis facta conspiracione, non multum hinc processuro tempore, clanculum irruentibus perversorum armis, pro christiani nominis ac fidei professione corporis[t] crudelem subibit passionem. Porticus autem, ut visio[u] testatur, populis[v] deserta amplitudo, clero, nostro inluso[w] tutamine, miserabilem praefingit e regno expulsionem tociusque substantiae non debitam amissionem. Enimvero execrabilis memoriae genitrix mea sectae vitali, quam pro toto posse confiteri, colere, corde tenus sequi et amare insto, et posthac aliorsum inrevocabilis instabo, mordaciter invidens, eosdem diversorum clericos ordinum[w*], quia mecum sentire non negant, ope terrena privatos, regno severius eiectum iri[x] molitur[y].*

12. Hac denique sagacis coniectura praedivinationis mens veri conscia minime frustratur; sed ut interpretacionis congrua[z] sonuerunt indicia, erga iam scriptae[*] peremptionem matronae, clerique longo adiacentium ambitu regionum in eius subiectionem immo mitissimam largitatem se prompte[a] concedentis[b] ferocem expulsionem, ordine incorrupto non longo post cuncta iam constat fuisse impleta. Qua[c] videlicet gratiae spiritualis significativa praescientia iuvenis electi praecordiis elucente, parentes[6] invidi [6] admodum concussi, iugiter ipsum Christi constantissimum amatorem per satellitum vicinius suis adiunctorum consiliis furtiva alloquia commoventes, a proposito, quo devotius coelestibus capessendis insistere decrevit, ob necessitates publicas ab eo providendas aliquatenus avellere conati sunt. Ipse autem coelestis armaturae roboratus tutamine, huiusmodi familiarium[d] suggestionum naeniis sacras interdum aures palam regni primatibus quasi consentiens applicabat[f], cordis autem interna consideratione assensum in actibus denegat; quia licet se quasi terroris humani[g] specie simulasset cedentem, templaque Dei aliquantum solito rarius sub publicis conventibus frequentasset, tamen quod mentis profunditate dilexit, operum mira constancia manifestavit; quia continuam precum

*) c. c. 1. 2. a) *deest* 2. 3. b) *deest* 2. c) evenientibus 2. d) saepe — miraculorum *desunt* 2. e) e. s. *desunt* 1. e*) p. p. a. 2. f) Wencezlai 2. *semper.* g) *deest* 2. (*ubi* habitationi) possessionis 3. h) pervigili 2. 3. h*) quibusdam 2. 3. i) quod 2. 3. k) prophetandi 1. l) cunta 1. m) somni 1. n) supernoscendam *praeposito* casu 1. o) interpretamenta 1. p) excessionem 1. 3. q) *deest* 1. 2. r) ludmillae 3. s) *deest* 2. t) c. sui 2. u) uiso 1. v) populi 2. w) cleri n. inclusi 2. 3. w*) o. c. 2. x) ire 2. y) molietur 2. 3. z) *deest* 2. *) scripturae 1. a) propter 2. b) concredentis *corr.* conced. 1. c) Quia 1. d) familiarum 1. f) applicat 2. 3. g) huni 1.

6) mater et frater. DOBR.

divinarumque orationum seriem, quam parvo inscriptam libellulo diligentius occultiusque[a] secum servando retinuit, depositis[b] interim secularis negotii curis, duodecies vel plus eo, quamvis interdum nisi sub secretiore cubiculi vel ipsius thalami silentio orandi locus concedi non posset, inter noctis vel diei certas vicissitudines casta intentione Christum laudando ad finem usque perlegerat.

13. Transcursa[b*] interim annorum iuvenilium tam felici aetate[c], in virilis animi robur dux ipse altius conscenderat[d]; paulatimque suorum vana sectantium consilia viriliter abiciens, eorumque errabundam a vero ignorantiam non modicum abhominatus, die quadam militum et amicorum contione[e] in[f] palatio facta, huiusmodi ipsos effamine increpationis alloquitur: *O amici et fideles utinam Christi! Cum ego litterali studio iam quondam parentum cura iniunctus[g] doctrinas avidius hauserim, inter caetera magistrorum*
1. Cor. 13, 11. *dicta quoddam apostoli scriptum addisco, quo ait: „Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.“ Hac quippe sententia, modo me ipsum intuendo, quoniam[h] primo iam adeunte pueritia rerum omnium factorem vilis ego factura cognoscere eiusque servitio me implicari[i] ardentius desidero, sed puer ego in principatum vestra censura patri[k] mortuo natu fratribus maior succedens, per legum frena moderata et rem publicam Deo praestruente[l] disposui, et patriam contra infestantium molem pro viribus tutavi: vos autem, quia cordibus erga summam veritatem speculandam desides fideque[m] mihi manetis dispares, quam plurimum in consiliis vestrae perversitati amabilibus, sed rectitudini[n] admodum dissimilibus, satis mihi iniuriosos hactenus[o] iam[o*] patior; qua districtione, si vita regnumque manebit incolume, posthac exsolutus vacabo, et iuxta scriptum retromissa[p] iuventute vir effectus[q], quae sunt parvuli evacuabo; praecepti actibus dominici, vestrae ulterius non obaudiens nequitiae, superna roboratus clementia insistam. Quocirca vanescat susurrationis vestrae adversum me conspiratio; cessent saeva publicis conventibus inter vos consilia. Pacis amor domi forisque in regno ferveat. Negocia cuiuslibet utilitatis iudicum eversione non damnentur[r]. Parricidiorum scelera, quibus pollui soletis, a quoquam ultra non praesumantur. Haec legis inquinamenta si summi regis metu[s] non deseritis, nostra ira in scelerosos Dei zelo accensa, quemcumque huiusmodi reum capite truncabit.* Finito[t] excellentis alloquio iussionis, nefastae participes coniuracionis domum pavidi redeunt, superba mentium fastigia, accepto sacri ducis potenti vigore, coacti deponunt, solitasque erga mirae sanctitatis virum insidias, quamvis ad modicum tempus, moliri desinunt. Iam tunc Deo serenante comprimuntur aliquantum sub eius manu barbarae motiones[v]; surgunt autem catholicae religionis laeta incrementa; quoniam divino cultui templa dicata, paulo ante infidelium neglectu cadentia, stabili reparatione fundantur, clerici patria bonisque privati, benigna largitate revocantur; statimque non tantum restituta, verum sancti viri plurimis adaucta muneribus substantia locupletantur, et tota per has partes tali sub principe elata congaudet aecclesia[w].

14. Deinde clarius virtutum eius coruscante per orbem decore, rei publicae commoda curioso ducis coelitus armati regimine studiosius geruntur[x]. Sed quae prius supernae dilectionis vigore peragenda instituuntur, vigilanti principis diligentia tanto minus negleguntur, quoniam, licet palatinae frequens cohortis latus utrumque circumstipaverit tumultuatio solita, tamen sagatius recolens assiduus pro se populoque incredulo orator, inopumque promptissimus fautor, moesticia pressorum benignus consolator,

a) occultusque 1. b) Repositis 1. b*) cum autem factus esset uir, conuocauit omnes uiros suos et matrem et exprobravit *etc.* M. c) felicitate 1. felicium 3. d) consocederat 1. e) contentione 1. 3. f) *deest* 1. g) iniunctas 2. h) quoniam *corr.* deum 2. i) implicare 2. k) patre 2. l) prestante 2. 3. m) mihique fide d. m. 2. n) r. valde a. 3. o) iniuriosus hactanus 1. o*) *deest* 2. p) etro missa 1. q) efectus 1. r) damnetur 1. s) metum non desideretis 1. t) inito 1. F. itaque 2. 3. v) nationes *corr.* motiones 1. w) In tempore autem illo multi sacerdotes de prouincia Bauuariorum et de Sueuia, audientes famam de eo, confluebant cum reliquiis sanctorum et libris ad eum, quibus omnibus habunde aurum et argentum, crusinas et mancipia atque uestimenta hilariter prout unicuique opus erat prestabat. Hii quoque omnes magistri mirabantur in doctrina eius. Poterat namque imitator fore psalmistę qui in spiritu dixit: Super omnes potentes me intellexi, quia testimonia tua meditacio mea est. In cuius etiam mente sola preciosę margaritę claritas fulgebat, cuique dominus tantam graciam conferre dignatus est, ut et preliis uictor existeret. Uultu autem fuit procerus, corpore castus, ita ut celebs libenti animo optaret uitam finire. Blandum habebat cum mitibus eloquium, quos autem sciebat inmites et uagantes sine causa toto animo uitabat. *addit* M. x) reguntur 3.

eventu subitaneo raptorum compatiens adiutor, nulla interrumpente saecularium mora perseverat.

15. At fraudulenta hostis inpurissimi machinatione huiusmodi operum affectibus, astu, si umquam poterit, antiquo perimendis, minimum retardante, frater eius Bolezlav[a] aetate minor, mentis perversitate et actuum qualitate execrandus, diabolico tactu instinctus[b], furoris nequitia contra virum Dei saevienter armatus, regni fraterna manu rapiendi cupidus, cum nefario ministrorum ausu mortales[c] exitii insidias sibi tendere quam plurimum conatus est. Sed divinitus praedestinatione rem, postmodum tamen futuram, tum fuisse certum constat dilatam. Iam parvo interiacente tempore vir Deo carus voto salutari propositum obligavit, se Deo donante aecclesiam nobili operum artificio constructurum, Christi eam victoriosique athletae eius beati Viti martiris honori dicandam. Nec mora, instat impiger facti, fervens autem propositi, missis Ratesponae[d] sedi regiae legatariis[e], Tutonem episcopum[7], totius probitatis virum, cuius diocesi tota 7 subcluditur Boemia[f], supplici rogatu, quo idem opus Deo sacrandum eius licentia et assensu fieret, implorat.

16. Dato iuxta beati ducis vota ab episcopo permissu, remissisque caritate nuntiis, artifices celeri iussione convocat: fervet opus, labor inpatiens effulget, aecclesia ad perfecti ornatus extremam manum perducitur, miroque metallorum fulgore decorata exornatur. Invitato iam dicto episcopo, in honorem[g] sancti Viti martiris consecratur[h. 8]; ibidemque plurima miraculorum, divina virtute mortalibus[i] gestorum, in praesens usque signa coruscant. Nondum autem sitibundi erga Dei iusticiam pectoris adimpleta profunditate, vir meritorum inaestimabilium electus Dei Vencezlaus terreni fasces honoris, quos casu novit fragiles, depositurum fraternoque iuri principatus moderamina spontaneo affectu illaturum cogitavit, necnon Romae liminibus apostolorum[k] orationis gratia quaeritandis sub domni apostolici sacra auctoritate saecularibus se renuntiaturum monachicoque habitu vestiendum, eaque conversatione vitae temporalis extrema visurum, interni ardoris siti anhelavit. Sed largissimi remuneratoris providentia, aequis semper meritorum recompensationibus se dignos glorificante, maiora huic coelestium consorti[l] servare dignata est certamina, ut post horum nobiles triumphos nobiliora captet et praemia.

17[m]. Quoniam vesano germani Bolezlawi regni desiderio[n] quoquo modo posset 935. acquirendi, per multimodas insidiarum versutias in sanctum Dei exardescente, iter[o] Romae tendendum intercipitur, profanae gentis cotidiana[p] conspiracio domiciliorum latibulis furtive densatur, ipsiusque fratris invidia[q] magis magisque, diabolo fomitem praebente, accenditur. Nequaquam tamen omnium saevitia in sanctissimi viri occultam necem coniuratorum beatam futuri diem trophaei ante Dei praesignationem accelerare valuerunt. Frater autem sceleris in eum luendi satis impatiens, ceteras fraudes in eius caedem non debere visum est diutius prosecuturum[r], verum unam aliis aptiorem nefas potius maturari a se[s] cautius inventam delegit. Nam cunctorum armis vestium contractura dolose latentibus, simulataque pace, amor sub fraterno obtutu quasi verus fingitur, qui magis nocendi facultate quaerenda monstratur[t].

18. Sub cuiusdam vero festivae diei exultabili ortu infelix ille fraudis amicus domum propriam[9] omni ornamentorum copia, quae huic genti umquam moris erant 9 habenda[u], quam studiose fulgidam fecit; convivium plus solito parandum ministris indixit; amicos sub hylaritatis specie invitavit; ipsiusque principis supplex[v] ingressus palatium, conviviis eum interesse fraternis primo omnium quo dignaretur corrogavit. Cuius mansuetudini quamvis falsae Deo dignus Vencezlaus[w] multum congaudens, atque consertis

a) Bolezlaus 2. b) tactus instinctu 2. c) mortalis 2. 3. d) Ratisponae sedis 2. 3. radaspone M. e) legaturus *suppl.* 1. f) c. d. t. s. b. *desunt* 2. 3. g) honore 2. 3. h) Episcopus autem Tutus expandit manus suas, cum gratiarum accione ad dominum ouans et dicens: Ite narrate filio meo UUenzezlauuo dicentes: Iam ęcclesia tua constat ante dominum deum uenustissime constructa. Cumque narrassent secundum iussionem episcopi, ualde gauisus fuit et conuocatis omnibus deo opitulante ipse incipiens miro ordine fundauit ęcclesiam in nomine sancti Uiti. M. i) cmortalibus 1. k) a. principis 2. l) glorificans m. h. celestis consortii 2. 3. m) *hic capitum distinctionem institui.* n) v. vel invidia 3. o) inter 1. p) *deest* 2. q) nequitia 3. r) persecuturum 3. s) ac *pro* a se 1. t) praemonstratur 2. 3. u) habendam 1. v) suplex 1. w) uencizlaus 1.

7) sedem tenuit a. 894—942. 8) Ecclesiam a Tutonis successore, Michaele episcopo, consecratam esse, Cosmas tradit. 9) Bolislawiae, hodie Bunzlau; in Laurentii Casinensis libro Uollesclabus vocatur.

935. invicem manibus, domum[a] gaudio introeunt. Epulis discumbunt. Vinoque post longum quîsdam[b] ferocium convivarum saturatis, fraus conflata diu latere nesciens, eos quasi unanimiter in sancti viri necem accendit. Qui malivoli, mucronibus veste iam tectis, ter surgentes, terque iterum quasi quodammodo lassi sedibus se inclinantes[c], viribus saltim[d] et audatia omnino emolliti, eo quod nondum divinitus iussa venerit passionis hora, inlaesum eum dimiserunt. Huius rei ipse haut inscius, periculo non pavidus, divini tutaminis securitate animatus, quamvis cuiusdam clientuli in[f] aurem susurrantis cautela, quomodo contra eum moliti fuerint, praestrueretur, sede[g] tamen non motus, fratrem ceterosque considentes[h] exhilarari, quasi hospitis[i] grata vice, amabiliter rogavit. Et paulo post amota mensa surgit, impletaque vino patera, modestae salutacionis dicto omnes dulciter huiusmodi alloquitur: *Salutet vos salus omnium Christus! Calicem, quem manu teneo, in sancti archangeli Michahelis amorem ebibere, unumquemque nostrûm ne pigeat, hoc amore spiritalitatis*[k] *eius altitudinem pro posse venerantes, ut quacumque hora lex naturae ad extrema nos deduxerit, animarum nostrarum paratus susceptor clemensque in paradisi voluptates dignetur fieri subvector, cordium imis precemur!* Statimque post verbum laetus ebibit, singillatim[l] omnibus eodem amore singulos scyphos[m] ebibendos blandissimo propinat osculo. Intrepidus autem, sumptis tam honeste epulis, uti divino iussu res differtur, domum inlaesus revisit.

19. Noctis autem sequentis[n] cursu, orationum ac elemosinarum curiosissima[o] desudans instantia, futuri[p] conscius, mortis pro Christo iura pati devotus pernoctavit. Redeunte autem post gallicinia matutinalis horae officio, pulso signaculo, non segnis thoro, ut iam est solitus, prosiliens, aecclesiamque properando ingressus, cantum nocturnalem laudesque matutinales modesta intentans auscultacione, post plurimas oraciones domum lassis membris aliquantum somno[q] reficiendis divertitur. Rubente iam[r] primum aurora, execrabili memoria scribendus Bolezlaus[s], viri sancti germanus, perversitatis auctor, quae prius arma contra innocentem latenter commoverit[t] non inmemor, specu quo latuit, more lupino, cum ex adverso agnum furtive lacerandum irruit, ipse cum aliquot sequacibus huic sceleri comparibus furibunde progressus, et mucrone succinctus, viro simplici media via obvius restitit. Quem sanctus ipse mitissima inter salutando[u] benignitate[v] ita[w] alloquitur: *Ave, frater dilecte! grates inmensae dilectioni tuae a nobis sint relatae, quia honorifice disposito*[x] *heri convivio bene nobis et satis iucunde*[y] *ministrasti.* Tam[z] dulci pessimus ille non respondens allocutioni, sed extracto cicius ense, in sancti capitis verticem, ut fortius valet, percutiens, ait: *Melius hodie tibi praeparavero*[*] *convivium!* Sed[a] ferro resiliente et nec vulneris tandem signum annotante[b], geminatur ictus. Quo nihilo magis laedente, tercio ferire cum velit, unâ cum extenso ictu ensis manu territi militis[c] excidit. Quem statim sanctus Vencezlaus per capulum[d] surripiens et supra scelerosum fratris iam inermis verticem manu librans[e]: *Videsne*, inquid, *o funeste? Verti in te posset tuae crudelitatis exitium. En! unde prohibeor fraterni sanguinis fieri effusor? Sed nolo, de manu mea ultimo examine sanguis*[f], *o frater, tuus quaeratur in me. Recipe gladium, matura supplicium; quae sunt agenda ne differas in longum!* Resumpto iterum frater impius ferro, altum quasi vinci metuens clamat, in auxilium sui socios[g] vocat, se quasi coactum et a fratris impetu prius laesum repugnare simulat. Mox sotii magno clamore vocati accurrunt, causam quasi sceleris[h] inscii de tumultu quaerunt, domini sui fervidam sentiunt iram. Eoque iam tunc sceleris auctore quarta vice sacrum caput per ictum saltim confringente, omnes simul armis irruunt, certatim membra lanceis gladiisque perfodiunt. Corpus sauciatum humi prosternitur semivivum. Crebrescunt iterum iterumque saevae gladiorum percussiones; sanguis innocuus effunditur; corpus labe vacuum minutatim[i] quasi a canibus laceratur. Anima sacratissima carnei clausura domicilii sub

a) *super lineam addit* 2. b) quibusdam 2. 3. c) acclinantes 2. 3. d) saltem 2. *saepius.* f) ut 1. ad 3. g) sed eo 2. 3. h) confidentes 1. 2. i) ospitis 1. k) spiritatis *corr.* spiritalitis 2. l) singilatim 1. m) cyphos 1. n) frequentis 1. frequenti 2. o) curiocissima 1. p) futurae 2. 3. q) somnio 1. aliquanto (*deest* somno) 2. r) autem 2. 3. s) beleziaus 1. t) c. l. 2. u) salutandum 3. v) benignignitate 1. w) *deest* 1. x) deposito 1. y) abunde 3. z) Iam 1. *) praeparo 2. 3. a) Et uix sanguis emanuit, quia inpotens erat pre pauore horribili, et beatus UUenzezlaus facile superare potuisset eum, quia et gladium abstulit a manu eius, sed noluit semet ipsum polluere. Ille uero uociferabatur dicens: Eia ubi estis? adiuuate me. Tunc omnes maliuoli accurrentes de latebris cum gladiis et lanceis multis uvlneribus laniantes occiderunt. M. b) anotante 1. c) m. t. 2. d) capulam 1. e) uibrans 2. 3. f) tuus o f. s. 2. g) s. in a, sui 2. h) s. q. 2. i) minuatim 1.

tot vulnerum exuta tormentis, nobili triumpho angelicis subvecta manibus, summi remuneratoris aspectum gaudio visura, et inter gloriosos martirum ordines per aevum consessura, sub 4.[a] Kalendarum Octobrium perpetuo laetantia regni coelestis ingreditur consortia. 935. Sept. 28.

20. Sacrum autem corpus credulorum pauci qui aderant venerabiliter sarcofago[b] includentes, celebrato a clericis funebri obsequio, extra aecclesiam certaminis loco vicinam condiderunt. Succedente post hinc in regnum nimiae perversitatis duce Bolezlavo, saevitiaque eius in catervas fidelium[b*] furente, non multo post beati viri necem[c], humana dum fruitur vita, clericos et amicos, necnon servicio eius familiariter iunctos, subita mortis sententia damnavit[d].

21. Peracta fortissimi Dei athletae[e] venerabili passione, ministri quidam sanguinem, qui per tabulas aecclesiae ipsa martirii hora aspersus apparet[f], iussi aqua lavantes, penitus absterserunt. Posteraque die illuc venientes, non minus quam cum primum parieti adhaesit cruorem ipsum eodem loco dilatatum[g] conspiciunt. Non parum ipsi hoc viso[h] territi, aqua iterum allata, multo[i] studiosius abluere decertant. Crastino autem probandi causa, si etiam adhuc frustrati sint, redeuntes, non minus tinctum sanguine parietem, quamvis ter ablutus videatur, agnoscunt. Quibus[k] multum super hoc mirantibus, eoque abluendi labore post inde cessantibus, usque hodie sanguinis eiusdem intinctione paries ipse pro signo venerando nitescit.

22. Ut[l] veracium saepe nobis relatu patefactum est, post constantissimi triumphum[m] athletae omnes sanguinis effusores innocentis superno incussi furore, aut demonum potestate rapti inter homines postea non comparuerunt, aut versa pro viciis natura, canum[n] latratu vice loquendi utentes, dentium stridore morsus imitantur[o] caninos, aut misera corporum ariditate siccati, necnon auditus continua privacione, vitam ipsis saltim odiosam finierunt.

23. Quiescente ibidem per trium spacia annorum venerando corpore, fidelibus quisdam[p] nocte visum est, ut, Deo rem insinuante, inde ad aecclesiam sancti Viti martiris, quam ipse iam construxerat, religiosiore condendum sepultura transferri debeat. Qui somno emersi viso credentes, et licet principis tyrannidem metuentes, noctis tamen medio conticinio bustum quam pavidi recludunt, preciosum martyris pignus, non aperto sarcofago, vehiculo[q] percaute ligatum superponunt, viamque, qua gressus eô dirigitur, carpentes, perveniunt ad rivum[10], incedendo supergredi animalibus plaustrum ducentibus nimia profunditate intransibilem, naviculis et portu utrimque[r] carentem. Stant quippe circumspicientes. Pons iam fractus undosa transgressione dissipatur; ligna ad eius reparationem non inveniuntur. Quid facerent[s]? Dum in hac versantur angustia, subito erectis obtutibus, ecce mira Dei praesente virtute, plaustrum altera stat[s*] ripa, undiquesecus[t] aquae humiditate[u] intactum. Quo miraculo ipsi aliquantum haesitantes, transnatato supra caballos rivulo, vehiculum sacro fasce gravatum prosecuti, ad locum praedestinatum citius applicant, aecclesiam cum sarcofago Deum laudando introeunt, foribusque diligentius obseratis precibusque sinceriter effusis, sarcofagum aperiunt; et ecce corpus carnea adhuc mole integrum et per cuncta vulnera sanum, apparentibus[v] tantum plagarum signis, nisi solum vulnus fraterno ense factum, quod se dehiscens sanguine visum est manare. Incluso iterum sub ipso altaris aditu, comitante fidelium turba, interque sonantibus clericorum ymnis, preciosum corpus celebri memoria venerandum condiderunt. Ibi vero divina saepius coruscante omnipotentia, innumerabilibus miraculorum signis felix exultacio fidelibus terrorque incredulis, tanti viri meritis, frequentissime clarescit. Cuius autem translationis tempus sub 4.[w] Non. Marcii mortalibus celebrandum annotatur. De virtutibus autem, quae pietas divina per meritorum eius orbi clarescentem gloriam post dignata est operari, sermonis nostri transcursu curiosa interseratur mentio, condignum videtur. 939.

a) III. Kal. Oct. M. b) sarchofago 2. *constanter*. b*) f. c. 2. 3. c) *deest* 1. d) Illi quoque forsitan cursu rapido uenientes in ciuitatem Pragam omnes amicos eius peremerunt et clericos eius persecuti sunt. M. e) atletę 1. f) apparuit 2. g) dilatam 1. h) *deest* 2. i) multa 1. k) Q. vero 2. 3. l) Et 2. 3. m) ath. tropheum 2. n) canu 1. o) imitantantur 1. p) quibusdam 2. 3. q) vegiculo *corr.* vehiculo 1. r) utrique 1. s) q. f. *deest* 2. s*) stat a. 2. 3. t) secus *deest* 2. u) humiditatem 1. v) aparentibus 1. w) III. M.

10) rivi vocabulum Rokytnicza ex Cosma et Christiano adnotat Dobrowsky.

24. Quidam crimine iudiciario capti[a], palatium sub vinculis ingressi, principis iussu carceri[b] includuntur, tenatioribus infra ligaminibus per manus ac pedes sub crudeli[b] custodia implicantur[c]. Qui media nocte, ut erat necesse, pervigiles, strictura compedum ac manicarum miserabiliter contriti, gemitu amaro corda pulsantes, in huiusmodi verba orationis, dormitante parum custode, omnes simul flendo[d] proruperunt: *O summe gementium consolator Deus, coeli terraeque mirabilis creator, aspice nos mortis iuri destinatos, et per suffragia dilecti tui Vencezlavi militis, qui semper iam in mundo vivus, miseris pro tuo nomine benignus extitit defensor, ab instanti damnatione educere nos miserrimos dignare.* Facta oracione, media pars carceris, qua custodes stantes vigilabant, repente tota quasi aere densissimo[f] obnubilatur; extinctisque intus ardentibus vigilum lucernis, cetera pars, qua vincti iacent, quasi sole clarissimo serenatur. Et ecce vox repentina, coelitus ut vere credendum est[g] emissa, vinctis in aures tonat[h]; ut surgant, indicit. Qui ergo tam pavore quam[i] laeticia stupefacti, membra silenter movent; statimque vincula in partes disrupta decidunt, manus solvuntur ac pedes; apertoque divinitus carceris hostio, laeti exiliunt. Ita Dei nutu expediti, laudes Christo sanctoque eius martiri Vencezlavo inter populos referunt, inmensaque virtutum eius mirabilia constantissime et credentes et ammirantes propagare decertant.

25. Inter[k] quos gentilis quidam, baptismu gratia nondum mundatus, cum se iam per beati merita Vencezlavi morte liberatum senserit, ad fidei catholicae veram agnitionem devotus convertitur, salubri lavacro purgatur, firmataque fide[l], ac Dei in se confixo amore[l*], natum unicum, quem aeque propria vita dilexit, in clericatus officium Dei servicio ad beati martiris aecclesiam se daturum promisit. Hoc postmodum impleto, credens ipse Deoque serviens, satis longam perduxit aetatem.

26[m]. Huic quid[n] aliud non minus succedit miraculum. Iuvenculum quendam cubicularium, nomine Podhiwen[o], ceteris fideliorem servulis[o*], eiusque secretis aptiorem, vir
c. 8. sanctus iam saeculo vivens admodum amavit; cuius etiam superius meminit scriptum. Qui[p] karissimo privatus domino, lamenta tristis per dies frequentavit, et non minus plura factorum eius exempla, quorum ipse conscius est, inter multos laudando dilatavit. Quo dux vesanus comperto, rapidissima[q] succensus ira, suspendio mox eum[r] interire iubet. Suspensus namque, ut vera bonorum testantur dicta virorum, post biennium, non aliter quam viva et sana solent hominum capita, florenti caniciȩ per pilos[s] crescere atque candescere visus est.

27. Interea[t] captus quidam severa iudicis sententia, in similem carceralis custodiae poenam, altera die perimendus, intruditur[u]; et prioribus solutis, multo strictius vincitur. Qui[v] etiam amarissime flendo sanctum Dei Vencezlaum intimis ad sui auxilium precibus vocavit dicens: *Sancte Dei martyr, si tantum, ut homines dicunt, apud altissimum Deum obtinere vales, interveni pro me morituro, ut tuis liberatus meritis, ad criminum purganda commissa miser ego praesente aliquantum diutius vita subsistam.* Statimque ut oratum[w] est, ruptis quam fortiter vinculis, Dei gratia nesciis custodibus carcere est exsolutus; sed extra astantibus paganorum latronibus iterum captus, nimium constringitur, et dum longius sub vinculis, precio quo possit commutandus, transfertur, priorem

a) iudicario capiti 1. b) *deest* 1. c) post hęc in carcere plurimi homines iacebant in ligno inclusi, et unicuique fuit torques ferreus in collo, et hii omnes in angustiis suis dominum omnipotentem deprecabantur dicentes: Domine deus per merita et orationes beati UUe(n)zezlauui adiuua nos. Nocte autem insecuta quasi tintinnabulum sonuit in auribus eorum, et lux refulsit in carcere, et tetendit se lignum uelut arcus, et extraxerunt pedes suos de ligno. Tunc omnes uociferabantur unanimiter dicentes: Domine deus miserere nobis. Mox adfuit Christi uirtus, et uniuscuiusque torques confractus, cecidit de collo, cecidit in terram. M. d) *deest* 2. 3. f) denso 2. g) u. v. c. e. *desunt* 2. h) intonat 2. 3. i) et 1. k) Quo uiso miraculo unus paganus qui in eadem tentus seruabatur, uotum uouit domino dicens: Si Deus adiuuat me per merita beati UUencezlauui, credo in Christum, et dabo filium meum ei in seruitivm. De quo statim omnia uincla ferrea ceciderunt, quem iterum iterumque artiusque incluserunt, et rursum sicut ante ceciderunt ab eo compedes. Qui continuo dimissus, et sancta fide instructus, baptizatus est, et postea uixit plurimos annos. M. l) firmitaque fidei 1. l*) a. c. 2. gnatum *corr.* natum 1. m) *Quae in hoc capitulo leguntur, non habentur in M.* n) Quicquid 1. H. quoque 2. 3. o) Podhivuen *alio atramento sed eadem manu in loco vacuo relicto* 1. *ubi* h *superscriptum*; n. P. *desunt* 2. 3. o*) s. f. 2. p) ui 1. q) rabid. 3. r) enim 1. s) pillos 1. t) Alius quoque eodem modo iussus fuerat retrudi in carcerem, a quo similiter cuncta argumenta uinculorum disrupta ceciderunt, quem increduli statim comprehendentes uendiderunt longinquis paganis. Qui cum duceretur ab eis, meritis beati UUencezlauui sicut et frequenter ceciderunt catene de manibus eius, et torques de ceruice eius. Qui etsi gentiles erant, cernentes mirabilia dei eum dimiserunt. M. u) includitur 2. 3. v) Quin 1. w) oratus 1.

repetit oracionem; ac mansuefactis gentilium cordibus, sponte eum solvunt ac dimittunt. At[a] ita denuo liberatus, laudes Deo et beato duci per terras eundo magnificavit[b].

28. Mansisse fertur eadem civitate, qua sanctum requiescit corpus, mulier quaedam visu orbata, manuum recurva inflexione ab ipso iam ortu contracta, omni usu[c] manibus per naturam concesso privata. Quae videlicet, reverso per annum die festivo[d], aecclesiam sancti Viti martiris ingressa, et ante sepulchrum beati Vencezlavi, quo desideravit, ducta, orans prostrata, tamdiu precibus lugendo perseverat, quoad cunctis cernentibus sancti viri meritis visu inluminatur, et manuum salva restitucione instauratur.

29. Postea quoque captus quidam ab his, quibus aliquantum pecuniae sub accomodacionis[e] pacto debuit, diuque sub vinculorum districtione, quo debitum solvat, contritus est. Sed ceteris inminentibus[f] negociis, aliquo per urbem ipsi vagantes, vinctum interim eum[g] inter viam publicam et aecclesiam deforis sub custodia iacentem dimiserunt. Ille media versatus angustia, manus contra portam aecclesiae levavit, hoc modo precatus: *O dux mitissime martirque sanctissime, cum iam multos ab impiorum manibus sanctitas tua ad magnum Deum intercedendo eripuerit, exoro miser, ne me obliviscaris ligatum, sed solita pietate hinc me facias exsolutum*[h]. Praesente[i] cicius Dei clementia, beati martiris precibus quasi ferrea acie concisa[i*], subito dissotiantur vincula, ipseque Dei templum grates rependendo ingressus, prolatisque ad Deum et sanctos martires orationibus, liber domum remeavit.

30. Francorum igitur provincia vir quidam pedum[k] incessu ab ipsa iam infantia carens[l], et viciata natura non gressibilis sed reptilis per terram se contrahendo incedens, nocte quadam per soporem visione intremuit, quoniam mirae pulchritudinis vir, albis[m] indutus, lectulo assistens[n], claudum excitat, ac salutem monstrat dicens: *Quoquo modo valeas, ô pauper, surge, ac Pragam, Boemiae*[o] *civitatem, quamvis omni data pro vehiculo quo feraris substantia, proficiscere, eôque perventus, aecclesiam sancti Viti martyris, qua sanctum Vencezlavi martiris corpus requiescit, ingreditor; factaque oracione ibidem, gressus praeter omne dubium recipies sanitatem.* Qui somno emersus iussa[p] neglegens, somni se delusum credens, iter impositum omnino differt. Nocte autem insecuta cubili pauper quiescens, eundem tantae claritatis seniorem lectulo iterum[r] cernit adstantem, qui eum hoc modo redarguens ait: *Pauper amande, somno excitare, visionis huius verum*[s] *agnosce praesagium. Unde misero tibi neglegentia, corpus debile curandum? Cur iter*[t] *ad propriam salutem nuper mea tibi indictum*[u] *visione distulisti?* Qua increpationis asperitate claudus evigilans, pulso auditus dubio, veritatis non inscius, respondit: *Proficisci non moror, ô pie ac venerabilis senior!* Factoque mane, paratur quantocius vehiculum; ac data mercatoribus per eandem viam tendentibus placita mercede, festino eorum ductu ad iam destinatum[v] pervenit locum, et iuxta priorem viri in[w] somno apparentis monitionem[x] sancti Viti martiris aecclesiae, qua beatum corpus quiescit, gressuum orbitate invalidus, aliorum[y] portacione infertur. Solo ante aram prostratus, intime Deum sanctosque precatur. Non diutius morante virtutis divinae[z] subsidio, sed per miranda beati Vencezlavi martiris[*] merita, pedum nervi prius contracti quasi fragore extenduntur[a], bases et plantae consolidantur. Surgit Dei gratia sanus, relataque[b] gratiarum actione, sana et forti incessus restauratione potenter sine alicuius sustentaculo egressus, patriam exultando ac Dei mirabilia latius praedicando revisit[c].

a) Et 2. 3. b) Postea quoque alium iussit princeps recludi in carcere, qui cum suspiriis frequenter inuocabat dominum dicens: Domine deus per merita beati UUencezlaui adiuva me. Et dum obdormiuit, statim expergefactus, uidit se stare extra carcerem in plateis, et neque compedes erant in pedibus eius, neque manices in manibus neque torques in collo illius. Et regressus ad uicarium, narrauit quomodo mirabiliter dei uirtute raptus esset de carcere, quem illi statim dimiserunt. *add.* M. c) uisu 1. d) festo 2. e) acomm. 1. f) in mentibus 1. g) cum 1. h) absolutum 2. i) Cresente 1. i*) c. a. 2. k) *deest* 1. l) vir claudus M. m) alis 2. n) asistens 1. o) boemiae *corr.* boemaniae 1. p) visa somni n. se d. esse c. 2. r) *deest* 1. s) certum 2. t) ita 2. u) i. tibi 2. v) designatum 2. w) in s. a. *desunt* 2. x) ammonitionem 2. y) ab horum 2. z) d. v. 2. *) *deest* 2. a) dist. 2. b) elataque 1. c) r. Explicit passio S. Wencezlai 2.

EX MIRACULIS S. WIGBERHTI.

EDENTE G. WAITZ PH. D.

In codice Guelferbytano August. 76. 14. mbr. s. XI. ex., qui infra accuratius
1 *describetur*[1], *fol. 38—40'. relatio quaedam de miraculis S. Wigberhti in coenobio Hersfeldensi aliisque locis factis hucusque inedita exstat. Cuius auctor, coenobii Hersfeldensis monachus*[2], *qui primis Ottonis I. annis scripsisse videtur*[3], *praesertim ea narrat quae vel ipse vidit*[4] *vel a coaevis accepit*[5], *iisque Heinrici regis tempora non uno loco illustravit*[6]. *Sed priora quoque tempora respexit, quippe qui Heionis, nobilis cuiusdam, narrationem de pugna a. 892.*
7 *cum Slavis commissa ex ore Gerberhti retulerit*[7]. *Ubique simplicem veridicum et fide dignum rerum gestarum se ostendit testem, multa tamen memoriae tradidit, quae sancti quidem virtutem probare videbantur, historiam vero nullo modo illustrare possunt. Quibus omissis*[8], *quaecumque vel ad coenobii Hers-*
9 *feldensis celeberrimi statum*[9] *vel ad saeculi X. res mores et instituta cognoscenda faciunt, a me exscripta hoc loco exhibentur.*

G. WAITZ.

Quedam Wigberti meritorum gesta beati
Vilis scriptoris titulat prescriptio vilis.

Clarescentibus longe lateque beati viri meritis suavique crebrae collocutionis rumore aures circumquaque commorantium mulcentibus, multi ad locum[1], sacrorum custodem cinerum, artioris propositi studium adamantes, fine tenus inibi Deo
1 eiusque confessori virtutibus glorificis venerando famulaturi convenerunt. Quam vigili autem sollertia sacer Christi confessor pii mandritae[a] curam sibi servientibus exibuerit, paucis annotare conabor, ut quisque prudens ex beneficiis carni quandoque moriturae[b] inpensis animadvertat, quantum semper invigilet animabus salvandis, sedulusque et supplex orat[c] ab eo sibi impendi remedium provisionis.

1. *De Gerhelmo monacho ex aquis salvato.* Erat ibi quidam monachus nomine Gerhelm, qui die quadam pro cuiuslibet rei utilioris dispendio recuperando proximum monasterio fluvium Fuldam puppi transmeavit . . . . . .

2. *De metuculoso meatu in aquis cuiusdam monachi dormientis.* Alio quoque tempore alius rei novitas huic non discordanti accidit eventu. Quidam namque ex fratribus nomine Erluvinus, ad solatium cellerario deditus, inventa apium examina fratrum usui adquirenda cum ministris illius officio deputatis ad silvam directus est . . . Hunc etiam ipsum post non paucis annis cellerarium aspexi utilem extitisse nostrae congregationi.

3. *De salvatione pueruli sub glatiem prolapsi.* Pauper quidam, secundum seculum nobili prosapia editus, qui ex contractione inferiorum membrorum gressu penitus erat fraudatus, huc adducebatur; cui etiam ad sedulum ministerium puerulus aderat nomine Wago. Quodam itaque tempore dum prae algoris nimia asperitate aquae de-

a) manditrae *c.* b) moriture *c. ubi saepius* e *pro* ae. c) *ita c. Auctor saepius* ut *cum indicativo coniungit.*

1) v. Ruotgeri Vitam Brunonis introduct. 2) c. 2. 8. 11. 12. epil. 3) Nam quae dicit c. 19: *Est locus Quidilingonburch nominatus nunc in Saxonum regno propter regalis sedis honorem sublimis et famosus,* post a. 936. scripta sint oportet. Megingaudus abbas, quem vivum c. 17. indicare videtur, a. 933—956. monasterio praefuit. 4) c. 2. 8. 17. 5) c. 3. 9. 11. 14. 19. 6) c. 5. 16 etc. 7) c. 11. 8) Exempli causa c. 8, ubi de se ipso loquitur, integrum retinui. 9) Litteras ibi floruisse, c. 4. 15. docemur; cf. c. 8.
1) *i. e.* Hersfeld.

fecerant in civitate, fossaeque in vallo, cui murus cingebatur, pro haurienda aqua, quarum inibi erat magna et profunda collectio, fiebant, eiusdem pauperis devotus minister . . . . . . per meritum nostri patroni sancti Wigberhti[a], cuius invocatio nominis, ut ipse postmodum narravit, ex ore eius non recessit . . . . .

4. *De puero in puteum prolapso.* Quidam etiam eiusdem congregationis monachus sororis[b] filium eidem monasterio advexit atque inter alios infantulos litteralis disciplinae studio erudiendum magistro scolae commendavit. Die vero quadam . . . . .

5. *De ruina cuiusdam supra murum sedentis.* Nuper[2] dirae calamitatis flagello super nos paganis concesso, regali consensu regaliumque principum dentis[b*] decreto sancitum est et iussum, honestorum virorum feminarumque conventiculis loca privata munitionibus firmis murisque circundari. Quod ut et apud nos ita fieret, ex omni abbatia familia convocata labori cotidiano huic operi instabat peragendo. Factumque est, ut propere[c] quodam in loco et absque norma confuse paries constructus usque ad definitam consurgeret summitatem. Cunctis itaque recedentibus, subito prolapsu dissolvitur murus, uno tantum adhuc desuper remanente, quem secum ruitura moles vasto impetu detraxit, altae fossae 12 pedibus[d] a muro distanti[e] iniecit. Excitati altisono fragore cadentis structurae, concurrunt populi, id quidem quod et factum erat existimantibus, sed qualis actam rem determinat exitus nec sperare valentibus. Nam inter ruinas lapidum hominem invenerunt obrutum, sed secum civitatem sospitem ingredi gavisi sunt.

6. *De puerulo ex muro prolapso.* Aliquantulum post haec temporis fluxit, et ecce cuiusdam viri pauperis filius admodum parvus eiusdem muri ascendit cacumen, exinde speculaturus . . . . .

7. *De lucerna inter manus accensa.* Silentio nequaquam arbitror esse committendum . . . . . .

8. *De candela incaute extincta et incensa.* Duo preterea eiusdem congregationis fratres in cuiusdam intervalli silentio dulci meditacione lectionis animum pascentes, unius tantummodo candelae subsidio fruebantur, quam tamen alter eorum alicuius folii revolutione extinxit. Contristati magnopere, pectore traxerunt mesto suspiria crebra, quid facerent non invenientes; nulla enim spes recuperationis illis uspiam apparuit. Ast ille, cui ob meritum virtutis et reverentiam dignitatis dignior gradus successerat — cuius ego, qui cum sederam, nomen et memoriam cum amore et honore veneror; vice[f] enim Christi et vocabulo nunc utitur merito[3] — flatu ab ore emisso, cinerem transferre curavit ex lichino, ne sordidatum, super quem iacuerat, inferret libello. Sed res aliter obtigit. Nam unde fieri poterat ut extingueretur, etiam accensa inde evenerat, ut splendidius luceret extincta.

9. *De Albgero ter sanato.* Multi itaque variae infirmitatis ac debilitatis dispendia sustinentes huc adducti, sperantes, sibimet viri Dei meritum auxiliari, quia[g] et liber vitae illius satis luculenter explanat[4], certam sepissime nacti sunt sanitatem. Contigit interea . . . . Huic etiam vocabulum Albger fuit. Hic autem huius suae terciae curationis effectum istiusmodi verbis solitus erat intimare. Ait namque: *Matutinalium* . . . . .

10. *De homine a demonio liberato.* Accessit inter haec dies natalicius beati Wigberhti ex annua revolutione summa celebritate festivus. Aderat alacri fervore gestientis animi copiosa frequentia populi, et ecce . . . . .

11. Non solum autem huc advenientibus gravibus multimodisque cladibus multatis, verum et in longinquo[h] positis atque aliquando etiam honestis personis pius Christi confessor invocatus exibuit remedia sanitatis; quod evidenti quoque nunc signo in satis probabili persona effecto liquido declarabitur. Vir quidam in Turyngia nobilis, non ignotae famae et dignitatis, nomine Heio, huiusmodi in semet ipso factum solitus erat narrare miraculum: *Duces ac primates Francorum in procinctu prelii contra Sclavos constitutos, cui et me contigit interesse, duri eventus excipiunt, atrociaresque exitus bello imponunt. Cumque pugnae materies in manibus habebatur, in primo congressu Arn[i] episcopus[5] occubuit, atque exinde totum pondus certaminis cruentissima strage in nostros conversum est; quibus infeliciter profligatis, tandem fugiendo sibi decreverunt consulere; sed nec hoc prospere. Tantae namque imbrium effusiones tamque nimiae pluviarum inundationes involvunt fugientes, ut neque arma repetere neque presidio fugae uti valuere; ubique capiebantur, ubique prosternebantur; undique cedes, undique mortes, infelix illa dies miserabiles nostratibus inflixerat clades. At mihi inter cedentes morientesque medio, malis undique circumsepto, ad cumulum infelicitatis ipse equus cui insedi concite constitit, ex nullis ictibus aut tonsionibus mobilis. Tandem supplices palmas tetendi, mihimet semper in necessitudine vicinum sancti Wigberhti his verbis implorari subsidium: „Sancte Wigberhte, Dei care, tuis supplicibus semper et ubique pius, scis ipse, quia[k] inter tuos positus nihil umquam lesus tuis servitoribus illorumve intuli rebus. Iam nunc ergo succurre citius, opitulare quantocius; in tuum enim pium et nunc et semper confido patrocinium". Tum ille, qui paulo ante cruentacioni aut mactacioni, cal-*

a) unigberhti c. b) soror *in margine suppl* c. b*) *ita* c. *vox delenda.* c) prepere c. d) passibus *corr.* pedibus c. e) distante c. f) uitę *corr.* uicę c. g) quod *corr.* quia c. h) longiquo c. i) ayn c. k) quod *corr.* quia c.

2) Haec Heinrici I. temporibus optime conveniunt, et testimonium non leve praebent, eius temporibus revera monasteria et civitates muris esse circumdata; cf. Iahrbücher I. 1. p. 155. Ita etiam Iocundus in hist. inedita miraculorum sancti Servatii dicit c. 40: (*Giselbertus*) *circa eius monasterium, imperatoris et palatium, novum construxit murum.* De Gorzia, Augusta et Wormatia postea moenibus cinctis v. infra Transl. S. Gorgonii, et vitas Udalrici et Burchardi. 3) Christianus, ut videtur, appellatus. 4) Vita a Lupo conscripta c. 12. sqq. 5) Wirzburgensis; cf. Regino a. 892. Thietmar I. 3.

caribus seu fustibus irrogatis, nihil sensibilitatis adhibuit, pernici cursu exilit equus; tamque celeri velocitate, ut cuivis[a] *hominum vix possit esse credibile, medio me hostium exemit, nullaque cursus lassitudine aut pastus defectione destitit, quoad me ei loco restituit, ubi mihi nihil adversitatis vel formidinis accessit.* Haec quidem ille multis, sed frequentius fratri nostro viro venerabili Gerberto verbis inculcare consuevit; quem et ego in primis pueritiae floribus venerandae aetatis et dignitatis virum aspexi. Ex cuius etiam relatione ita nos contigit nosse.

12. *De miraculis in Petro medico ostensis.* Admirationem quoque novae rei in quodam viro medicinalis artis scientia adprime erudito, nomine Petro, patratam, quamvis multorum auribus rumore vulgato sit instillata, estimo silenter non esse pretereundum. Hic dum pro cuiusdam fratris gravi et diutino labore accersiretur, multam illi suae peritiae diligentiam saluti restituendae adhibuit, quamquam nihil valitudinis seu levaminis illi impertiri valuerit. Tum sedatori passionum validae acutaeque adversae valitudinis vires accesserunt, nullius[b] scilicet compositione pigmenti remediabiles; sicque invalescente gravissimae infirmitatis molestia, sibimet ipsi aliisque iacuit desperatus. Qui videlicet, ut scientissimus omnino medicus, cum nihil suam in se ipso industriam prevalere conspiceret, iamque mortis vicinitate morienti similior esset quam languenti, accito viro magnifico patre monasterii Thiothardo[6] fratribusque in unum, obsecrans ut in eorum collegio uti sibi liceret monachico habitu ad serviendum sancto Wigberhto: *Credo enim,* inquit, *quia per gratiam intercessionis eius aut his cruciatibus cita morte preventus eripiar vel sanatus ad presentem vitam redeam.* Cumque, se hoc facturos non esse, quoniam, si spassaret, id eum non observare, responderent, magnis ille peticionibus cum validis iuramentis prolatis animos illorum in sui sententiam permutavit. Insistitur patrandum votum petentis, sed et affuit pietas Dei omnipotentis ostendendo meritum sui testis fidelis in restauratione optatae salutis. Igitur evolutis paucis diebus cum iam ad plenum convaluit, donativis, quibus a nostratibus est magnifice honoratus, inter quae etiam patenam et calicem de erario nostrae ecclesiae accepit, secum assumptis, cassato voto regreditur domum. Qui cum singillatim quaeque suis repositoriis collocasset, calicem et patenam cum aliis multis aureis argenteisque vasis ad idem ministerium consecratis quodam vasculo inclusit, et in oratorio ad latus altaris reposuit. Nec multo post tota eiusdem oratorii structura quadam nocte cum omni supellectili[c] intus retenta, grassantibus incendii flammis, absumitur. Egressi mane videndum querendumque, sicubi liquescentis metalli inter favillas aliqua congelatio reperiretur, et ecce inter ruinosas combusturas lapidum lignorumque miri candoris fulgore calix et patena, acsi eodem momento novae operationis artificio igni educti essent, quasi[d] nihil lesionis habentes inveniebantur, ob commonitorium videlicet animae salvandae, si aliqua sani consilii cautela insedisset menti apostatae.

13. *De ultione Erlolfo predoni ingesta.* Hactenus in beati viri miraculis, quorum pauca stilo prosecuti sumus, id nobis studii fuit declarandum, quam misericorditer pio paternae pietatis affectu egentium pressuris et angustiis presidia subrogaverit, quatenus illorum mentes ad ea sedulo semper anhelitu suspiranda instigaret, ubi nullus adversus felicitatis eorum gaudium deterit occursus. Nunc explicare conamur, quam districtae ultionis censura quorum malivolentiae obstiterit, rebus sibi servientium dampnum inferre molientibus, Deo mortalibus declarante insignia eius meritorum magnitudine signorum. Postquam mira verbi divini virtus et presentia famulum suum mirificis circumquaque in propagatione gentium plurimarum glorificaverat actis, largisque per donationes fidelium possessionibus locum amplificaverat, sacri thesauri salvatorem plurimi maliciosae mentis instinctu, et quidam quidem regia suffulti potestate, quidam autem in suimet vesania confidentes, res et predia sancto Dei a fidelibus contraditas per vim diripiebant. Quidam itaque talium Erlolf nomine quendam locum fratrum usui pernecessarium Hohunga[7] vocatum, regalis censurae presidio subnixus, cum suis omnibus aggressus est inhabitandum . . . .[8].

14. *De invasoribus morte multatis.* Cuiusdam viri nobilis vidua, oriundo Saxonica, possessionem quandam dotali dono iuri suo collatam, convocato fidelium virorum conventu, sancto Dei famulo legali contulit traditione, sibi tamen in fructuarium sustentationis usum quousque viveret concedendam. Haec igitur cum iam, propter spem quam in Deum habebat feliciter vita finita, diem clausit extremum, filius eius, contempta Dei potestate, iniquum aliquid contendebat moliri. Spiritu namque pertinaciae pariter et avaritiae stimulatus, eundem locum sibi usurpandum invasit iniuste. Erat autem et nunc in vicino positus vir, cui prestans meritum virtutis in sancti Dei confessoris coenobio contulit honorem regiminis; quem res acta non latuit. Tamen quia id illi aliqua vi refutare non licuit, quamquam valuerit, Deum ut super dedignaretur unus gemituum suspiriis deprecabatur . . . . His etiam quidam ex nostris fratribus, in superioribus quoque nominatus[9], videlicet Gerberhtus, vir virtutis et senectutis prerogativa venerandus eo tempore quo ego cum vidi, se[e] interesse solitus erat narrare.

15. *De fure per ustionem patefacto.* Clericus quidam in huius sancti patris nostri cenobio exercitiis litterariae eruditionis imbui, susceptus est gratia hospitalitatis, qui sepius . . . .

16. *De vindicta periurii cum districtione mortis illata.* Cum[10] multis nationibus, et maxime Saxonicis Thuringicisque, ab Ungariis pessima et gra-

a) cui' *c.* b) nullus *c.* c) suplectili *c.* d) et rasi *c.* e) set *c.*

6) Thiothardus senior a. 901—927. abbas praefuit, iunior uno tantum anno 927—928. 7) Huugen in Wetterabia; cf. Wenck H. L. G. II. p. 503. 8) Loco bis invaso, et bis restituto, cum tertio ipsum ingressus esset, oculum amisit. 9) c. 11. 10) a. 924.

vis malorum incursio incubuit, fierentque neces iuvenum ac seniorum, exterminia mulierum natorumque, nostros quoque calamitas commixtae miseriae involvit. Necdumque cinctione alicuius presidii loco isti vallato, silvarum rupium torrentiumque tuta latibula querebantur, atque illuc privatae res aecclesiasticae vehiculis, quibus facultas erat, in posterum servandae sunt deportatae. Vir autem quidam, nomine Odacar, servus cuiusdam nobilis hominis Thiodonis, crudelis et rapacis beluae animos gerens, harum delator extitit pecuniarum; conspirataque manus sceleratorum confirmabat, haec universa facile aut fraude aut vi illorum subdi potestati. Deo autem suis etiam in hoc miserante, praesumptivi sceleris eorum nefarium frustrabatur inceptum. Datis itaque post paucos dies induciis pacis[9], dignae admirationis vindicta istius modi malorum incentori excrevit. Interpellabatur dominus servi frequenter ab advocatis pro huiusmodi aliisque multimodis damnis rebus nostris scelerose illatis. Cui tunc quandoque in praesentiam adducto obiiciebantur[a] multa, quae adstruebat falsa esse cuncta, seque in sacratis sancti viri reliquiis iuramento firmare, in nullo horum sontem aut reum haberi. Quod et fecit, astantibus multis, non recogitans miser iudicium cuncta cernentis. At ille providus, qui in sua examinatione non fallit neque fallitur, oculus cito processit illicita ulturus. Quarto exin die summae celebritatis gaudia natalicii sancti viri votiva resplenduerunt, frequens nobilium cum simplicibus vulgi votis multitudo gratulabunda catervatim accurrit; quas et ille miser interesse non timuit. Ecce autem inter ipsa sacrosancta missarum sollempnia, cum iam sacra euangelicae lectionis tuba sonaret, omnisque frequencia adventiciae plebis, quae tanta intraverat, ut ampla ecclesiae capedo eidem conpressa videretur, intento corde silentia magna praestaret: cepit ille pessimus sui homicida, tetro horrore circumseptus, nigrescere totus, tamque fragosa et sonora ruina pavimento alliditur, ut non solum intra positorum sed etiam foras circa basilicam commorantium animos in admirationem verteret et stuporem. Non autem in totum linguae officio privabatur, nequaquam tamen ad salutem confessionis, sed ad proferendas causas et suae pravitatis et Dei virtutis. Sicque alienis manibus evectus, putidum exalando spiritum, penas sceleris morte multatus exsolvit.

17. *De homine ob periurium demonioso iterumque liberato.* Locus quidam Ordorph[10] nominatur, in quo verus crucicola Wigberhtus quondam beatam celi familiam spirituali magisterio regebat in scola virtutum, gubernatrici gratia comitante, ubi hactenus tot magnifica eius gesta clarescunt, ut proprium et opus et otium expetunt. Unum autem quod nuper in diebus venerandi viri et a puero in exertitiis virtutum bene instituti, domni Megingaudi[11], actum clarescit, huic lucubratiunculae inserere libuit. Cervus lassus et, ut veritas se habet, ex insecutionibus lupi usque ad mortem fatigatus in supradictae cellulae vicum incurrit, quem eiusdem loci cives circumsepientes, captum et occisum extentaverunt. Quo comperto, quidam positus in vicino, venatoris specie simulata, cum cornu canibusque ei loco postera die devenit, captam feram asserens suo iuri cedere debere. Cui econtra responsum est, si ex illa captura aliquid sibi vindicaret, legitimam iurisiurandi affirmationem debere procedere. Ad quod ille[b] non segnis, et in ea, quam vir Dei secum semper in itinere portare consueverat, capsa sacramento peracto, accepit quod repetiit, domum vanis speciebus iocundatus repedavit. Qui mox . . .

18. *Quod mortem incurrit qui pro eius nomine falso iuravit.* Albuvinus quidam, non parvae dignitatis vir apud primates seculi, non longe a monasterio habens possessionem in ripa fluvioli qui dicitur Gehisaha[12], contigua suis agris iugera servorum eidem loco famulantium sibi vindicare praesumpsit. Ut evenit, ut quadam die ambo vicani nostri per se ipse cum suis in id loci devenissent, factaque longa concertatione, quidam nomine Snelmuot, ipsius Albuvini agens economiam, cunctorum auditui ad id patenti ita sibi virum sanctum Dei precabatur auxiliari, sicut ille ager sui esset domini et nullius alterius. His sermonibus aliquis ex familia sancti viri, nomine Odacar, fidelis dominis suis et magni loci apud illos, cum indignatione commotus aiebat . . .

19. *Relatio Geltmari de miraculis apud se factis.* Videtur autem oportunum huic operi inserendum, quid coelestis miraculi divina pietas per meritum sancti patris nostri etiam in aliis locis dignata sit operari. Est locus Quidiligonburch nominatus, nunc in Saxonum regno propter regalis sedis honorem sublimis et famosus, quondam autem istius congregationis utilitati subditus, videlicet quia sancti Wigberhti extitit proprius, atque ideo etiam adhuc ex eius reliquiis habetur a multis honorandus. Erat in eo loco presbiter quidam[13], qui adhuc superest sed alius ecclesiae regimini praesidens, ex cuius relatione comperta habeo ea quae narro. Huic ipso erat consuetudinis . . . . His ita paratis, presbiter certificatus de magnificentia ei loco a Deo collati patrocinii, tanto devotius magnificentiusque divina in eius meritorum privilegiis magnalia, utcumque vel ubicumque valuit, propagare studuit, quanto cercius eius provisionem ibi semper affore credidit. Exinde animis[c] eius erga eum exarsit purus affectus, devoti quoque obsequii in eius veneratione excrevit strenuus cultus, eiusque nominis invocationem omni adversitati opposuit, quasi singularis peltae muni-

a) *sic c.* b) illi *c.* c) $\overline{\text{ais}}$ *c.*

9) Certo eaedem, de quibus Widukindus I. 32; quibus pactis, muri, quibus tunc temporis monasterium destitutum erat, iussu regis et principum exstructi sunt, ut c. 5. narratur. 10) in Thuringia; cf. Vita S. Bonifacii c. 24. Vita Wigberti c. 6. Lamberti Ann. a. 777. 11) abbatis a. 933—956. 12) Geysaha fluviolus, qui in Fuldam influit, etiam in diplomate Karoli M. Wenck III. p. 15 n. nominatur. 13) Geltmarus nomine, ut ex inscriptione capitis apparet.

men vel tutamen. Is dum quondam . . . . Nobis quoque facti fama magnifici testimonio claruit eiusdem presbiteri.

Haec de opulentissima materia meritorum beati Wigberhti carptim cursimque inexpolito stilo discingere studui, quae quasi ex quassatae maliferae arboris croceis candidulisque cumulis non praeelecta sed raptim assumpta, parvulis volis refertis, vobis, sancti patres, limanda oblaturus assisto. Verum quoniam tanta ac talia sunt sanctitatis eius insignia, ut dum singulae quaeque partes curiosius pro magnitudine rei[a] memoriae debeant scriptis commendari, plurimum utilitatis legentibus conferendo: multitudo tamen rerum gestarum quam plurima cogit omittere[b]. Exterritus estuat animus, non valens deliberare, quid[c] teneat, quid omittat; atque ideo pauca memoravimus, dissertioribus cetera relinquentes. Quod si quis me rigido invidae suggillationis stimulo, cur haec temptaverim temeritatis arguere velit, sciat me non in hoc pomposae garrulitati sed fratrum deservire caritativae peticioni, cui me in his etiam quae vires excedunt substerno libenter.

a) res c. b) amittere c. c) qđ c.

EX MIRACULIS S. MAXIMINI
AUCTORE SIGEHARDO.

EDENTE G. WAITZ PH. D.

1 *S. Maximini vitae a Lupo, episcopo fortasse Catalaunensi*[1], *conscriptae ut secundum librum de miraculis eiusdem sancti adiiceret, Sigehardo auctor fuit Wikerus, qui a.* 957—966. *abbas monasterium S. Maximini Trevirense regebat*[2]. *Ille, quamvis viribus diffisus, anno* 962. *vergente vel* 963. *incipiente*[3] *opus aggressus, ea tantum se narrare profitetur, quae abbas bene comperta*
4 *habuerit ipsique tradiderit*[4]. *Attamen etiam alios coenobii monachos consuluisse videtur. Nam etiamsi quae Gisilbertus dux Ogoni abbati retulerat*[5], *Wikero narrante, perceperit, alia tamen Thietbertus monachus*[6], *Ruotpertus presbyter*[7], *Wenido custos*[8], *Reginerus presbyter*[9], *fortasse Adalbertus quoque postea Magdeburgensis archiepiscopus*[10] *aliique*[11] *cum ipso communicaverunt. Haec omnia Sigehardus, qui certo certius monachus habendus est*[12], *calamo excepit, et simpliciter quidem temporisque ordine neglecto*[13], *sed satis accurate,*
14 *bona fide, et satis probabili dicendi genere usus*[14], *memoriae tradidit. Ex*

1) Acta SS. Mai VII. p. 20. 2) Ann. S. Maximini, supra p. 7. 3) a. 27. Ottonis primi, c. 11. 4) Praef.; cf. c. 23. (ed. c. 24.): *Iam vero ad hoc tandem veniamus, quod de se ipso venerandus pater noster referre solitus erat.* 5) c. 12. 6) c. 6. 7) c. 17. 8) c. 17. 9) c. 21: *ut ipse mihi saepe testatus est.* 10) c. 16. 11) c. 15: *ut affirmant qui viderunt.* 12) In Necrol. S. Maximini antiquo (Cod. Görres. Confluent. Nro. 2.) 6. Kal. Sept. occurrit: *Sigehardus abbas nostreque congregationis monachus*, qui an noster sit dubitandum videtur. Cur hunc Brower (Ann. Trev. IX. 41. I. p. 440) Aquitanum hominem dixerit, nescio. 13) c. 1: *ordinem temporum, ut gesta sunt, non valemus servare, quia similibus similia placet connectere. Nec video, quid obstet aedificationi legentium, quod in relatione gestorum huiusmodi tempora varientur, dummodo quae gesta sunt non sileantur.* 14) Ipse tamen modestia qua commendatur dicit in fine operis c. 30: *Ceterum obsecro omnes, qui hoc opusculum non liventibus oculis respicere dignabuntur, ut dum eos incultior offenderit sermo, facilem dent imperitiae veniam, nec stupeant, hominem rusticanum et qui vix pri-*

quibus capita 8—18, quae res Lotharingicas saeculi IX. et X. aliquatenus illustrant, hoc loco erant exhibenda, reliquis praetermissis, quippe quae ad historiam vix ac ne vix quidem spectent.

Codices in bibliotheca urbis Trevirensis ditissima, in cuius libris manuscriptis exscribendis hoc anno, VV. Cll. Wyttenbachio socio nostro et Laven bibliothecae praefectis permittentibus mihique benigno animo valde faventibus, integro fere mense occupatus fui, quinque inveni, quorum ope textum non uno loco emendavi.

1) *Nro.* 1151 (963.) *mbr. s. XIII. ex. fol., olim S. Maximini, magnam vitarum Sanctorum collectionem continet, olim 7 voluminibus digestam, quorum 4 adhuc supersunt. In secundo (olim tertio) f. 125'. Vita S. Maximini legitur, eique Sigehardi liber secundus subiicitur, qui recentiori manu*[15] *ex altero ut videtur exemplari saepius est emendatus. Ex hoc codice*[16] *procul dubio editio fluxit, quae Henschenio curante in Actis SS. Vol. VII. p. 25. prodiit. Ex eodem etiam, antequam correcturae et additio illa factae sunt,*

1[a]) *Nro.* 1167. *(CCCXCVI.) chart. s. XV. ex., olim Codex beatae Mariae virginis in Clusa Eberhardi, descriptus est.*

2) *Nro.* 1380 (1141.) *a.* 1514. *in membranis albis eleganter exaratus, maximam partem* 1. *sequitur*[17], *altero tamen codice adhibito, ex quo capitum divisiones et rubras recepisse videtur.*

3) *Nro.* 1396 (1337.) *chart. s. XVII. fol. inter varia historiam Trevirensem illustrantia etiam hunc librum ex codice optimo descriptum continet. Quae in* 1. *post correcta et in* 2. *melius leguntur, hic quoque recte habentur, alia vero ex hoc tantum emendari potuerunt.*

4) *Nro.* 1381 (1180.) *chart. s. XVI.* 4[to], *quamvis negligentissime scriptus mendisque innumerabilibus depravatus, ex fonte tamen bono haustus est.*

Alium codicem eumque antiquiorem, scilicet s. XI. scriptum, praefatione

ma artis gramaticae rudimenta perceperit, oratoris copia loqui nequivisse. Temeritatis vero, quasi qui viribus meis maiora praesumpserim, a nemine me spero arguendum, quia praemissa praefatiuncula satis lecturis aperiet, quanta praecipientis auctoritas me invitum multumque refragantem ad ista tandem impulerit. 15) Eadem, ut videtur, manu in schedula parva addita est historiola quaedam de miraculo ab Ottone imperatore probato, quae in editionem c. 25. Act. SS. Mai VII. p. 30. transiit, neque tamen Sigehardo tribui potest: *Sed quid praehabita recensemus miracula, cum novella habeantur in proximo? Te namque Wikero in abbatiali honore onereque constituto, patroni nostri gloria refulsit. Reginso, ut nosti, et Engela [de Branbach*[a]*] liberi ex liberis parentibus orti, se et unicum filium suum Adelmannum sancto Maximino tradiderunt, ea conditione, ut ipse puer, quoad viveret, posterique sui, qui masculi essent, duos denarios, feminae vero unum denarium ad altare beati Maximini in festivitate sancti Martini persolverent, post mortem vero illorum, quod melius haberent in pecoribus sive in vestibus, ecclesiae cederet. Interim quidam miles, hanc in patriam praedae causa veniens, ipsum puerum praenominatum, parentibus ignorantibus, subtraxit, et per Treberinum pontem equitans, abducere secum cogitaverat. Quid plura? Puer reflexis oculis monasterium divi pontificis Maximini intuens, ut eum sanctus Dei de manibus erueret militis, exclamavit. Unde iratus miles puerum percussit; sed mox ultione divina fracto equi collo, de ponte in aquam cecidit; puer autem super pontem incolumis et illaesus remansit. At puer lumina sancti expetens, tibi abbati Wikero causam innotuit. Qui Deo gratias agens, puerum parentibus restituisti. Perinde etiam hoc celebre factum regi serenissimo, Ottoni videlicet primo, ea luce Treveris existenti, aperiens, puerum suae regali magnificentiae praesentasti, utque testamento suo traditionem pueri praedictam confirmaret, necnon ab omnibus advocatis ipsum puerum memoratum eiusque posteros absolveret, et ut nulli beneficiarentur, exorasti. Quam denique petitionem piis votis morem gerens fieri decrevit, et cirographum inde conscribi sigillique sui impressione anno regni eius tertio iussit communiri.* Diploma Ottonis, ex quo haec excerpta sunt, (Hontheim Hist. Trev. I. p. 299.) an genuinum sit, valde dubito. 16) Rivet Hist. litt. VI. 301. errat, si hanc historiam ex cod. S. Victoris Par. editam dicit. 17) Ex hoc etiam historiolam n. 15. memoratam recepit, quae tamen iam ab alio quodam in nota marginali Sigehardo abiudicatur. Deest in codd. 3. 4.

a) de branbach *e corr. add.* 2.

vero, ut videtur, destitutum, qui olim monasterii S. Gisleni fuit, Bethmannus noster in bibliotheca Montensi invenit, quo sine detrimento editionem nostram carere posse, confido. Adnotationes quasdam Hontheim praebuit, qui libri fragmenta scriptorum Trevirensium collectioni (I. p. 465—468.) inseruit.

G. WAITZ.

PRAEFATIO.

Omni in Christo reverentia suscipiendo[a] *domino abbati Wikero Sigehardus*[b]. *Rogas, pater karissime, immo vi quadam auctoritatis extorques invito, quatinus arduum omnino meisque viribus praeminens explicandum opus assumam. Nam praecipis propriaque*[c] *potestate compellis, quo ea quae post editum a Lupo episcopo de vita sancti Maximini librum per eundem gloriosum Christi confessorem sunt gesta miracula, ne prorsus legentium vel audientium utilitati depereant, stilo alligem, ac conpetentis serie narrationis digestis, post illum primum, secundum super illis libellum absolvam, te certe locuturo suggerente materiam. Qua de re coartor e duobus, veritus scilicet, ne aut tibi renitendo inobedientiae crimen incurram, aut iterum parere conando coepto subcumbam; cum nimirum ingenioli mei tenuitatem et eloquii stillulam exequendo istiusmodi negotio nullatenus sufficere videam. Igitur tanta rerum difficultate*[d]*, qua nusquam illaesus evadere valeam, quasi quodam murorum ambitu inclusus et undique circumseptus, hoc solum michi agendum utile ratus sum, scilicet hac in parte locum evasionis eligere, qua perspicio minus ex praecipitio laesionis posse contingere. Nam cum constet, contemptum quidem seniorum ad animae periculum, defectum vero in coeptis spectare ad ridiculum, quis sanum sapiens tollerabilius, immo longe salubrius fore non censeat, pro impericia irrisiones hominum sustinere, quam pro superbia semet ipsum condempnare? Quapropter diu multumque desideratum opus perge*[e] *securus aggredi. Ego plane tibi pro viribus adero, nequaquam ausus tuae sanctitati diutius reluctari. Omnia ergo quae dixeris, vel a te ipso, ut promittis, et ab his qui adhuc vivunt tecum visa, vel ab his qui viderunt tibi probabilibus personis comperta, qualicumque prosequar stilo, non ad hoc propriae possibilitatis fiducia nitens, sed tam operosum michi negotium tuae potius cunctorumque sanctorum fratrum meritis et orationi committens. Aderit etiam, sicut semper in omnibus, ita et in hac quoque parte clarus noster forte Maximinus, facile, ut confido, apud Christum dominum obtenturus*[f]*, ut, sicut ille a Deo patre in Spiritu sancto factus est omnibus salus et iusticia, ita quoque et michi elingui efficiatur lingua. Quod si dignabitur, haud dubium, liquidam veritatem etiam a muto luculenter expressum*[g] *iri. Nec reticendum est, quod cum facile confidam, Deo piisque omnibus succedentium temporum hoc opusculum gratum fore, vereor tamen praesentium aliquos eidem derogaturos meque insulsum, falsiloquum, nullius momenti homuncionem, omnium reprehensione dignissimum, toto orbe adiudicaturos. Nec te, fateor, pater venerabilis, etsi voluerint, excipere valebunt, quin tocius huius insectationis peste involvaris, quippe cum et me iuxta assertionem talium falsa scribere conpuleris et scribenti falsitatis materiam ministrasses. Qua ex re operae*[h] *pretium video, praesenti*[i] *praefaciuncula calumpniandi viam istis obstruere, non magnae defensionis arte refragando, sed humiliter suggerendo, quo meminerint, primos ac fortissimos Christi assertores ydiotas*[k] *fuisse, non sophistas*[l]*; neque me expectant Mercuriali lepiditate*[m] *Tulliique*[n] *copia in curia declamaturum, sed in cellula monasterii rerum gestarum veritatem, sobrio ac veridico pii patris ore depromtam, puro simplicique sermone dicturum. Deinde vero, etsi merito illis despectui habita fuerit vilitas ista elaborantis, honori tamen quaeso habeatur praerogativa iubentis; nec statim credant, patrem nostrum, virum utique sancta vita et conversatione conspicuum, falsa dicere quam silere maluisse. His ita praelibatis, Wikere*[o] *pater, quod agendum imminet ineamus, exorata prius dignatione divina, quatenus ipsa annuente, quae illa sanctisque omnibus digna sint, et tu ore edicere et ego scripto persequi valeamus.*

EXPLICIT PRAEFATIO[p].

c. 890. 8[q]. Temporibus Arnulfi[r] imperatoris, cum iam in hoc loco religionis, pro dolor! status haut minima ex parte laberetur et monachicae professionis rigor paulatim laxari ac dissolvi coepisset,

a) suspiciendo 3. amplectendo 4. O. in c. r. s. *desunt* 1. 2. b) S. obsequium et debitam obedientie exhibitionem 4. c) que *post add.* 1. ac propria 2. d) difficillitate 1. difficilitate 2. e) pergo 2. 3. f) obtentaturus 2. *corr.* obtenturus 1. g) expresum 3. h) *post add.* 1. i) *deest* 2. *post add.* 1. k) ideotas 3. l) *e corr. rec. manus* 1. m) lepulitate 1. n) tullique copio *corr.* tulliique copia 1. tullique *corr.* tulliique 2. o) wichere 2. *corr.* wikere 1. p) *ita* 3. *ubi sequitur:* Incipit liber secundus de miraculis sancti Maximini archiepiscopi Trevirorum. — Exordium huius opusculi illi miraculo insigni statueram dedicare. *Ita fere etiam* 4. *Ceteri codd. et ed. hoc loco manci sunt.* q) c. 10. *edit.* — 2. *add. rubram:* Gravissimo periculo se exponunt qui abbatialem huius monasterii electionem cassare moliuntur; 3: Quam dire ulcio divina Megingaudum regni huius ducem hanc abbatiam tenentem et in sanctum Maximinum blasphemantem corripuit. r) arnoldi 1. 4. arnulphi 2. 3.

defuncto monasterii abbate Herkenberto, monachi pro electione abbatis palatium ex more conpetunt. Quibus cum peccatis exigentibus electio non permitteretur[a], sequestratis aliquibus monasterii possessiunculis, quae vix artam monachis sustentationem potuissent praebere, cuidam Megingaudo[1], regni huius duci, qui tunc forte aderat[b], abbatia ab imperatore donata est. Qua suscepta cum laetus ad propria remeasset, hilarem se ac iocundum pro accepto beneficio per totum diem[c] omnibus exhibens, adveniente nocte cum coniuge cubiculum adiit. Cumque laeti thoro pariter discubuissent, digressis omnibus, solam mulierem secreto in haec verba alloquitur: *Scisne*, inquid, *quantum michi munus dominus meus imperator largitus sit?* Illa vero cum se nescire fateretur: *Servum*, inquid, *praedivitem in beneficium michi indulsit; et si vis scire, ipse est Maximinus cum abbatia sua*[d], *quem etiam tibi si*[e] *volueris tradam.* Quibus auditis, sanae mentis mulier virum prope modum insanum, quantum in se fuit, pro temeraria garrulitate vehementer obiurgare, seque tanti beneficii indignissimam proclamare[f]; cum inter haec haut mora fuit, et ecce iniuriam dilecti Dei Maximini[g] digna vindicta subsequitur, atque os blasphemum ultio divina corripuit. Nam ille fragilis ac caducus terricola, qui inani iactantia ac tumido animo se super caeli consulem Maximinum extendisset, subito infra semet ipsum totus contrahitur, et paulo ante hominis forma, in spaeram quandam vel globum pene informem convolvitur.

9[h]. Tunc Megingaudus, tam acriter diutius[i] animadversus, in se rediit, quid et cur pateretur intellexit, et ex toto corde, adhortante coniuge, dicti poenituit, seque copiis praeparatis magna cum celeritate Treverim deportare praecepit. Tandem itaque ad monasterium ventum est, ante sanctum altare deponitur, xeniis preciosis ipsum altare cumulatur. Et qui prius se dominum superbe proclamavit, tunc sancti Maximini servum nutibus ac sibilis potius quam verbis humiliter assignavit. Nec fructibus suae satisfactionis privatus est homo, postquam ad eius clementiam, quem quasi procaciter laesit, supplex[k] confugium [c. 890] fecit. Nam fusa pro eo a fratribus prece, meritis Maximini caelestis ira sedatur, virtuteque sancti integra sanitas in puncto temporis Megingaudo redditur. Sic homo salubri correptione a Deo castigatus, ne ulterius blasphemaret in sanctos, Maximinum ex tunc vita sua colit ut sanctissimum, amplectitur ut patrem, veneratur ut dominum. Remque[l] gestam ad imperatorem protinus referens, pro denegata[m] fratribus electione sollicitavit, nec prius rogatu et obsecratione circa regem destitit, quam regalem fiscum, Ribiniacum[2] nomine, fratrum usibus acquisisset[n]. Huius ergo tanti ac talis patroni nostri sanctitatem quis satis miretur, quis digne collaudet? Adeo in meritis ac virtute Maximini nostri omnia altiora, omnia excellentiora sunt, quam ut ne aestimari quidem, nedum etiam abs quolibet mortalium valeant explicari. Sed nos unde hac quantulacumque sancti laudatione digressi sumus, ad propositum redeamus.

10[o]. Quamvis, ut superiore capitulo retulimus, ordo ac districtio regularis in hoc loco anteriori tempore negligentia et enervitate praepositorum aliqua claudicasset ex parte, numquam tamen divina meritis Maximini annuente clementia, huic loco sanctos ac religiosos defuisse viros, donec iterum datis abbatibus neglectus regularis observantiae vel in pristinum vel etiam in melius Deo propicio corrigeretur, cum ex multis quae non est temporis huius[p] explicare, tum etiam ex eo quod in praesentiarum referam, liquido claret.

11[q]. Siquidem post memoratum Megingaudum potestatibus et usibus huius regni ducum haec abbatia[r] subiacuit, his tantum exceptis, quae fratrum sustentationi dudum sequestrata fuerant; quae tamen ipsa, sicut et adhuc, eorum defensioni a regibus committebantur. Qua ex causa cum Gisilbertus admodum iuvenis dux regno praeficeretur, ut illa se aetas habet, secularibus oblectamentis et pompis ac voluptatum illecebris primo sui principatus tempore, quamvis postea[s] egregius[t] vir factus sit[3], se potius dedens, quam comoditatibus subditorum prospiciens, monachos huius mona-

a) admitteretur 3. b) aderant *corr.* aderat 1. adierat 3. c) *deest* 3. d) *post add.* 1. *deest* 2. e) si v. tibi 3. f) cepit p. 2. g) *post add.* 1. h) 2. *add. rubram:* Predicti Megingaudi conglobati curatio benivola; 3: Megingaudus penitentia ductus virtute Maximini pristine redditur forme. i) *ita codd. omnes*, diuinitus *ed.* — 2. *add.* uexatus, *quod in* 1. *quoque scriptum sed post deletum est.* k) suplex 1. l) que *deest* 2. m) deneganda *post corr.* denegata 1. deneganda *corr.* non deneganda 2. n) acquisiuisset *corr.* acquisisset 1. o) *In* 1. *nulla capitis distinctio;* 2. 3. *add. rubram:* Divina annuente clementia huic monasterio sancti ac religiosi viri numquam defuere (defuerunt 3.). p) *deest* 1. q) *Nulla distinctio in* 1; 2. 3. *add. rubram:* Quam graviter dux Gisilbertus hanc abbatiam dissipans fratres huius loci affixerit. r) abatia 1. s) *post add.* 1. *deest* 2. t) egregium *corr.* egregius 1.

1) cf. Regino a. 892. Lamei Acta Pal. V. p. 165. Ad eum Brower. Ann. p. 439. epitaphium in ecclesia S. Albani Mogunt. repertum refert. 2) Rübenach; cf. Arnulfi diploma ap. Hontheim Hist. Trev. I. p. 226. 3) De eo ita vita Gerardi Broniensis c. 23. ap. Mabill. Acta V. p. 268: *Ceterum ne dux Gislebertus, cuius mentionem praetitulavimus, a nobis abscedat illaudatus et inglorius, circa eiusdem sancti locum exstitit satis humanus et valde munificus, quaedam scilicet praedia subtrahens sibi militantibus, quae non pauca expenderat benificii gratia militibus, inibique contradens iure perpetuo cum militaturis Christo militantibus. Qua de re unum est quod moneo repetens, tibi dico, Ursidungi Cellensis* (i. e. S. Gisleni) *monache, qui ducis Gisleberti largissima victitas stipe, considerans diligenter attende, ne quando eius animae inveniaris inmemor esse, sed potius incogitabilem benignissimi Iesu pietatem pulses importunissima prece, quatenus aurea perpetuae contingat praemia vitae. Et ne forte desperando mussites rebellasse eum adversus dominum suum principem Romanum, mortis dirissimum, pro dolor! recepit commercium; et dominus Iesus non bis vindicat in id ipsum.*

sterii etiam vehementer afflixit, ea scilicet quae in usus eorum cesserant adimens suisque satellitibus disperciens. Ea autem tempestate vir cla-
919 rissimus Heinricus*, genitor serenissimi [augusti[a]]
936. Ottonis[b], cuius imperii anno vigesimo septimo haec scripsimus, monarchia regni potitus, subditos quidem iusticia, pace et clementia modestissime gubernavit, imperii vero apicem virtutibus et gloria omnique honestate singulariter decoravit.

12[c]. Inito ergo consilio, fratres, ut dictum est, intollerabili afflictione a Gisilberto depressi, regiam clementiam adierunt, quidque[d] incommodi a duce paterentur, conquesti sunt. Nichil tamen tanto labore assumpto proficientes, indignationem magis praedicti ducis, inmeriti licet, emeruerunt. Quid aliud agerent? Defectum tantum a monasterio, necessitatis ultimo coacti, meditabantur, cum subito vires denuo reparant animorum, consilium in hunc modum restaurant, scilicet ad regem regum, Maximino patrocinante, suum orando referre negocium. Quod[e] cum aliquandiu haut segniter ageretur[f], quadam nocte venerabilis Maximinus in visione duci quiescenti supervenit; ac primo quidem, quis sit quorumve causa venerit, pandit; deinde obnoxii culpas arguit; ad ultimum vero — mira dicturus sum et ferme incredibilia, his tantum qui Deum non credunt omnia posse — latera ac scapulas flagellis caedendo liventes reddit, statimque disparuit. Mox autem dux, somno suo simul ac somnio ita graviter excussus, familiaribus paucis, somnium quidem[g] se vidisse, quidque in ipso perpessus sit, attestantibus plagis, edixit, sed cur hoc, vel quis egerit, summo studio alicui illorum[h] indicare dissimulavit, quamvis tamen facile tunc ex consequentia gestorum id quoque conici[i] posset. Siquidem continuo Treverim versus iter acceleravit, et Maximinum sibi prece placans ac munere, monachis non solum ablata restituit, verum etiam amissam illorum gratiam pecuniarum, quibus fraterna communio valde eguit, redemit impendiis. Ex hoc iam tempore a iuvenilibus actibus resipiscens, magnificum prorsus evasit in virum, locumque istum et congregationem in tantum dilexit, ut eius potentissimum studio venera-
934. bili Ogone huic [loco[k]] abbate intronizato[l], diu nimis obtenebrata religiosae conversationis claritas vitae nostrae tandem splendidius reluxisset. Haec ergo omnia, ita ut retulimus, de se gesta, ipse sancto viro Ogoni confessus est. In qua etiam confessione se Deo ac sancto Maximino monachum futurum devovit, si uxori superstes coniugali vinculo mereretur absolvi.

13[m]. Referam et aliud, quod huic meo iudicio haut longe impar decernitur; nisi forte hoc Maximini virtutum credi debeat detrimentum, quod in illo miraculo facti socium Remigium clarum habuisse asseritur. Comes quidam, nomine Ruobertus[n, 4], germanus illius, de quo supra retulimus, Megingaudi fuit, cuius praedia in pago Naachgowe Maximini ac Remigii[5] conlimitantia[o] praediis adiacebant. Quam ob rem servi eius cum familia sanctorum crebro litigio decertabant, illis antiqua confinia supergredi cupientibus, istis e contrario totis viribus renitentibus. Interea cum crudelitas[p] servilium querelarum et rusticae contentionis a vicinis conpesci nequivisset, nostris cupidinosam iniuriam proclamantibus, causa refertur ad comitem. Ille mox placitum indicens diemque statuens, ad conspectionem ac circumductionem terminorum, magna turba circummanentium comitatus advenit, suisque praeire[q] iubet duces. Nec mora; unus ex illis, qui huius iniquitatis semper extitit caput, et se ceteris praeripiens fraudulentus[r] circumductor efficitur, praecedens et indice praemonstrans, ac multa de sanctorum praediis, antiquos transgrediens limites, falsa demonstratione in partes[s] sui senioris transferre conatus est. Ibat ergo, et cirroteca[t], quam rustici wantum[6] vocant, manu superducta, sicut voluit demonstravit, nostris subsequentibus ac renitentibus et auxilium Maximini atque Remigii constantissima inprecatione conclamantibus. Interea bonus ille ductor atque iustus cirrotecam[u] manui[v] detrahit[w], sed in eadem amputatum divinitus digitum reliquid. Tunc maliciae suae convictus et[x] a seniore suo, ut dignum erat, ignominiose[y] tractatus, gratiam ipsius amisit; sicque veritate declarata, omnis illa contentio terminum habuit.

14[z]. Est villa monasterii quae Wimari-ecclesia[7] dicitur, quam saevissimus quidam, cuius nomen memoriae nostrae elapsum est, in beneficio habuit. Qui cum sancti familiam gravissime afflictaret, etiam non inveniens, quid eis, unde culpari possent, obiceret, uni eorum, qui agrestior ceteris videretur, accipitrem suum custodiendum commisit, sciens rusticum illius artis nullam habere periciam, ut dum ales neglecta deperiret, interitus culpam in rusticum retorqueret. Ille vero

*) henricus *codd.* a) *deest* 2. 3. 4. b) octonis 1. c) 2. *add. rubram:* Afflicti fratres regiam clementiam contra ducem interpellaturi adierunt; 3: A. f. regis tutamine frustrati Maximinum merentur de tiranno ultorem. d) quicquid incomodi 2. e) *In* 2. *novum caput incipit hac rubra notatum:* Lamentantium fratrum precibus venerabilis Maximinus inclinatus, scelerato duci post illatas minas flagellationibus ipsum emendatum reddidit. f) agerent 2. g) se q. 3. h) *deest* 2. i) connici 1. k) *ita* 4. *deest* 1. 2. 3. l) intronisato 2. 3. m) 2. 3. *add. rubram:* Fraudulentus circumductor (antiquos 3.) prediorum sancti Maximini limites transgrediens quomodo punitus est (t. digiti amputatione p. sit 3.) n) robertus 2. *corr.* ruobertus 1. rubertus 4. o) cum limitantia 2. *post corr.* conlimitantia 1. p) cruditas 4. *corr.* crudelitas 1. q) perire *corr.* preire 1. r) fraudentus 2. s) partis 3. t) cirrotheca 2. 3. *et ita infra;* kirroteca 4. u) cirrotetam 1. v) manu 3. w) detrahat *post corr.* detrahit 1. x) *deest* 2. *post add.* 1. y) ignominiose 4. *quod etiam* 1. *ante correcturam habuisse videtur.* z) 2. 3. *add. rubram:* Sevissimus quidam tirannus innocentium hominum oppressor viscerum effusione vindicante (v. sancto 3.) Maximino miserabiliter interiit.

4) Alibi haud occurrit, nisi fortasse idem sit qui a. 884. a Reginone nominatur. 5) Ecclesia S. Remigii Ingelheimensis esse videtur. 6) Gallice *gant.* 7) Weimerskirchen ad Alisontiam (*Elz*). HONTHEIM.

diu[a] multumque reniti et impericiam excusare artis, cum tamen alitem demum conpulsus est custodiendam suscipere. Quid autem ageret? Servavit interim vivam, sine esu in domo fumica[b] cito morituram. Qua mortua, plumas ei detraxit, ac sale conspersam domino servandam suspendit. Putabat enim stulta rusticitas, se astuciam callidi hominis evasuram, si ei vel cadaver avis[c] tempore exactionis incorruptum valuisset exhibere. Cumque iam revoluto longi temporis spacio, immitis dominus accipitrem suum a rustico exegisset, ille protinus cadaver obtulit. Ibi nacta[d] occasione saevit homo, et fera crudelior quasi contumeliam sibi a rustico factam sociis omnibus imputat, astruens, communi consilio illum ad audaciam facti fuisse animatum; cunctosque in crastinum ad placitum[e] vocat, omni peculio spoliandos multisque insuper verberibus afficiendos. Territi ergo et aestuantes miseri, nocte illa convenerunt, omnique humano prorsus desperato[f] auxilio, Maximini opem expetere statuunt, electosque ex omnibus duos iuvenes, impositis eulogiis datisque mandatis, concite ad monasterium mittunt, illis cum timore maximo statutum placiti attendentibus. Missi autem iuvenes, cum fratres horae nonae sinaxim[g] celebrassent, portam monasterii valide pulsaverunt; et quia putabatur aliqua potens esse persona, mox intromissi sunt. Qui currentes per medium chorum, eulogias[h] ante altare tacite deponunt, ac primo scopis, quas secum detulerant, altare diverberant, deinde prostrati solo, ingenti ac miserabili ululatu Maximinum evigilare et in suum auxilium adversus tirannum[i] exurgere deposcunt. Eadem ergo hora eodemque momento, quo isti hic miserias suas deplorant, ille efferus de loco placiti surgens, secessum peciit, ibique cum inenarrabili[k] tortura viscera carnis simul et crudelitatis effudit.

15[l]. Bernaker[8] quidam erat vir nobilis et opulentus, qui longe postquam hoc accidit, quod actenus retulimus, eandem villam precario iure acquisivit. Qui facibus avariciae succensus, agris illius villae undique contiguos et collimitantes pauperum agellos, eo quod fertilis illa terra esset, sibi iniuste usurpavit. Congregatis autem arantium turbis, arare ipsos agros iussit, cum illi, quibus violentiam intulit, eum per Deum obsecrare et sanctum Maximinum, ut sua sibi sufficerent nec se inique suis possessiunculis spoliaret. Quibus cum id responsi redderet, scilicet nec latitudinem nec longitudinem pedis se propter Maximinum de omnibus hiis terris alicui concessurum, illi ad consuetum recurrunt praesidium, in ipso videlicet loco, quo aratorum multitudo iam tunc ad prandendum consederant[m], Dei sanctique Maximini subsidium, cum neminem haberent qui[n] eis tuicioni esse posset[o], cum magnis fletibus et eiulationibus solo strati precantes. Mira dicturus sum; ut affirmant qui viderunt, in nulla caeli parte ne quidem[p] minima caeli nubecula apparuit, cum subito in hoc tantum loco, ubi iuga boum cum aratris stabant, tanta tempestas exorta est, ut vi ventorum turbinisque vertigine elevati boves cum aratris in vallem quandam profundissimam, dimidio pene miliario ab hoc seiunctam loco, rotati proicerentur; ac sine mora, sicut undique fuit, ita ibi quoque serenitas affuit. Cumque agricolae quaquaversum dispersi, boves suos et aratra disquisissent, venientes ad vallem, boves quidem aliquos semineces, aliquos iam mortuos, his cornibus evulsis, illis cruribus vel cervicibus fractis, aratra vero in frusta[q] comminuta reppererant[r]. Tunc agricolae pro dampnis suis admodum moestificati, ad Bernachrum[s] sunt reversi, et quae acciderant cum gravi luctu nunciaverunt. Ille vero magno timore perculsus, et adhuc graviorem se vindictam sensurum suspicatus, virtute Maximini territus, ab insectatione pauperum cessavit ulterius.

16[t]. Nec reticendum, quod pro simili crudelitate Adalberto[u], huius nostri Adalberti[9] genitori[v], Gisilberti ducatus tempore evenerit. Ipse etenim cum inhumane prorsus familiam sancti tractaret, et a matre iuvenis ducis — nam pater[w] iam obierat[10] — proinde saepius obiurgaretur[x], nec corrigi a nequicia valuisset, quodam tempore sexaginta viri de villa Ramiche[y, 11] — haec[z]

a) *e corr.* 1. b) *post corr.* fumifica 1. c) eius 3. d) nata *corr.* nacta 1. e) palatium 1. 2. f) desperati 1. 2. g) synaxim 1. h) elogias 1. i) tyrannum 1. k) enarrabili 1. l) 2. 3. *add. rubram:* Opulentus quidam avaritie facibus succensus agellos sibi pauperum iniuste usurpavit. m) consederat 3. n) quis 3. o) possit 2. p) *post add.* 1. *deest* 2. q) frustra *corr.* frusta 1. r) repererant 1. s) bernachum 2. *post corr.* bernachrum 1. bernakum 4. t) 2. 3. *add. rubram:* Item Adelbertus quidam tirannus familiam sancti Maximini afflictabat, frustra tamen. u) ab alberto 2. *post corr.* adalberto 1. ab adalberto 3. delberto 4. v) genitore 1. 2. 3. w) p. eius 2. x) obiurgatur 2. *corr.* obiurgaretur 1. y) remiche 2. z) hoc 3.

8) cf. eius diploma Hontheim hist. Trev. I. p. 268. 9) Adalbertum Russorum apostolum, postea Magdeburgensem archiepiscopum, intelligi, Henschen putavit. 10) Quo anno Ragenarius obierit non constat; cf. Richer. I. 34. qui tamen tempus non recte definivit. Uxorem Hersendam mortuam Ragenarius *comes* c. a. 886. in diplomate ecclesiae Gorziensi dato nominat (Calmet I. Probb. p. 313). Altera quae hic nominatur fuerit oportet, quae post viri mortem pro Gisilberto puero (supra c. 11. cf. Richer. l. l.: *iam facto iuveni*) ducatum Lotharingiae administrasse videtur. Notandum est, quod saec. X. saepius feminae ducatus administrationem susceperunt, in Alamannia Hadawiga (Ekkehardus de casibus c. 10. Mon. II. p. 122: *Suevorum post Purchardum virum dux vidua*), in Bavaria Iudith (Ratherii Op. ed. Ballerinis p. CI, 382 n. 39.), in Lotharingia Beatrix (Chron. Senonense ap. Dacherium ed. 2. I. p. 616: *erat quaedam ducissa, quae viro suo viduata Lothariensem ducatum pro modulo regebat;* cf. vita Gerardi Tull. c. 21. et Gerberti epistol. passim). Ita etiam regnum imperatrices Adelheida et Theophania gubernarunt, quarum haec in diplomatibus Italicis non semel *imperator* audit; cf. Iahrbücher II. 2. p. 65. 66. 11) An Remingen (Remich) ad sinistram Mosellae ripam, 8 leucas supra Treviros? HENSCHEN.

enim beneficium eius erat — surgentes, omnes huc pariter venerunt; cunctisque pro foribus tota nocte excubantibus, licentia a custode impetrata, duodecim tantum infra ecclesiam missos per tria disponunt altaria, tota nocte suffragia Maximini indefessa prece quaesituros. Nec spes de Maximini pietate praesumpta votum supplicum miserorum fefellit. Mane siquidem[a] domina illa — hic[b] enim tunc morabatur — cum ad missam, Adalberto multisque aliis satellitibus comitata, procederet, omnes illi viri in ecclesia eius praestolantes adventum, mox ut ingressa est, cuncti pariter in pavimentum coram sacro altari corruunt[c], terribilibus ac[d] maximis clamoribus Maximinum in tanta necessitate patrocinari, seque de Adalberti[e] tirannide[f] iam tandem conclamant eripi. Vix illis clamoribus post evolutum dimidiae, ut fertur, horae spacium silentium est imperatum. Adalbertus vero[g] clementem[h] videns feminam haut modico dolore ex conpassione miserorum attactam, deierare per Maximini virtutem coepit, omniaque quae dicerent homines illos fuisse mentitos; et ut erat ense accinctus[i], manum protinus extendens ad capulum, procaciter nimis per spatam suam iuravit, se gravissimas poenas pro tanta temeritate luituros. Necdum minarum verba finierat[k], cum subito, videntibus cunctis — pallio enim tunc non erat amictus —, soluto divinitus cingulo, gladius de eius femore in terram cecidit. Factumque hoc, quod exinde miliciae foret inutilis, evidens[l] portentum fuit. Ita Maximinus, cum eius virtute Adalbertus publice confusus, mox beneficium amisit, ab ipsius feritate servos suos potenter eripuit.

17[m]. Tum Wenido custos ecclesiae, de quo superius fecimus mentionem[12], sumens lagunculam trium tantum capacem sextariorum vino plenam, Maximini benedictione exorata, sexaginta illos viros, vigiliis totius noctis ac fletibus fatigatos, satis habunde refecit. Et ne etiam corporali suae caritatis praemio privaretur, mox ut rediens intravit ecclesiam, eandem lagunculam ut erat prius plenam invenit. Porro istis omnibus, quae in hoc capitulo retulimus, Ruotpertus, presbiter et monachus, qui interfuit et vidit, attestatur.

18[n]. De Wenidone autem[o], dum arduam vitae suae conversationem, saepe michi ab hiis qui eum noverunt expositam, cum hoc confero, quod ita familiariter Maximini virtutum[p] quantulaecumque portioni communicat, quid aliud quam sancte censeam aestimare? Et quia tantum de hoc viro diximus, libet et aliud mei similibus, scilicet corde pollutis et corpore, in exemplum se cavendi referre, quod ille quoque referebat, quotiens neglegentiores vel moneret vel corriperet fratres.

19. Quidam in hoc monasterio fuit acolithus[13] . . . .

a) *post add.* cum 1. b) hinc 2. *corr.* hic 1. c) corruerunt 3. d) et 2. e) alberti *post corr.* adelberti 1. f) tyrannide 1. g) *post add.* 1. *deest* 2. h) *e corr.* 1. i) accintus 1. k) finieraut 3. l) *e corr.* 1. eidem 2. m) 2. 3. *add. rubram:* Miraculosa vini recompensatio. n) 2. 3. *add. rubram:* Sancta Wenidonis conversatio. o) a. d. *desunt* 1. 2. p) uir 2.

12) c. 5. 13) Narrat auctor in sequentibus quaedam nullius momenti de Wenilone monacho, Reginero presbitero, quem „*ante hoc biennium defunctum*“ dicit, Richwino monacho, „*qui nunc usque superest*“, Willero et Wikero abbatibus (c. 20—24), denique reliquiarum S. Maximini, Normannorum tempore reconditarum, inventionem sub Ratbodone episcopo (c. 26—29), ex quibus haec tantum de Normannis c. 26. recipienda duxi: *Ea tempestate, qua pene universam Galliam Northmannorum crudelitati feriendam divinae animadversionis censura subegerat, cum propriae impietatis facibus gentilium furor succensus urbes ac vicos et universas Christi ecclesias ignibus conflagraret, contigit hanc quoque urbem Trerericam cum suburbanis eius eisdem casibus obnoxiam subiacuisse. Et quoniam tam miseranda civium strages urbisque subversio improvisa ac subita evenisse asseritur, hoc monasterium inter cetera non solum concrematum est, sed tanta monachorum et ecclesiasticae familiae caede completum, ut ne unus quidem superstes remaneret ex omnibus, cui notus esset locus tumuli, quo sacrae reliquiae claudebantur.*

IOHANNIS GORZIENSIS
MIRACULA SS. GLODESINDIS ET GORGONII.

Iohannes, monachus Gorziensis, quum aetatem in rebus non solum coenobii sui sed publicis etiam gerendis consumsisset, et ex Hispania, quo Ottonis I. legatus ad Abderahamenem ierat, redux anno 960. *abbati et amico suo Eginoldo successor constitueretur, quod antea minime fecisse videtur, libris etiam in honorem Sanctorum conscriptis res monasterii sibi commissi illustrare et promovere instituit. Scripsit enim Miracula S. Gorgonii patroni sui, nomine quidem suo modeste celato, prout eum „semper humanae gloriae fugitantem“ novimus*[1]*; sed liber attentius evolutus ipsa sua modestia auctorem prodit. Quum enim capitulo* 12. *gesta in legatione ad Bosonem comitem et cap.* 15. *res Gorziensium cum Adalberone episcopo narret, quae utraque ab ipso perpetrata esse ex Vita constat, quis nisi auctor ipse, nomine viri omisso, qui tunc cum liber scribebatur monasterii sui abbas erat, ea ad* „quendam seniorum nostrorum“ *referret? Accedit, quod de suasoribus operis praefatus, ibi quoque abbatem tacet, et toto libro monasterii caput apparet. Quumque Iohannes Mettensis, auctor Vitae Iohannis Gorziensis, se nonnisi ea quae ab ipso amicisque eius perceperit calamo tradere profiteatur, plurimaque tam de rebus Iohannis quam de Adalberone episcopo ex nostro transscripserit, ea ad Iohannis auctoritatem referre censendus erit. Quibus omnibus, ut ei librum de miraculis S. Gorgonii tribuamus, commovemur.*

Auctor privilegia monasterio a Chrodegango episcopo concessa et Gesta pontificum Mettensium legerat, et priorem libri partem[2]*, scilicet historiam translationis* 2 *S. Gorgonii Roma Gorziam, prout in Vita Chrodegangi inedita legitur, enarrat; reliqua omnia, id est capp.* 7—26, *tempore Wigerici et Adalberonis episcoporum ipse viderat. Cumque Deoderici episcopi, quem Iohanni et Gorziensibus praecipuum amicum fuisse novimus, mentio non facta sit, librum statim post Adalberonis obitum*[3] *et primo Deoderici tempore, anno* 965, *duobus saeculis a translatione S. Gorgonii elapsis, conscriptum existimem, cui rei quae cap.* 24. *de Hugone duce narrantur congruere videntur. Opus non unam ob causam quod Monumentis Germaniae insereretur dignum, plurima de statu monasterii Gorziensis*[4] *et episcopatus Mettensis alias incognita continet, quorum partem aliquam paulo post a Iohanne S. Arnulfi Mettensis abbate in vita nostri transscripta legemus. Codices, qui olim in bibliothecis S. Arnulfi Mettensis*[5] *et* 5 *S. Remigii Remensis extiterunt, haud amplius superesse videntur, quare Remensis apographum, quale a Claudio Bretagne, priore loci, sibi transmissum*

1) Vitae eius prologus. 2) cap. 1—6. 3) v. cap. 15. in fine. Adalbero a. 964. obiit. 4) Hic quoque munitiones Heinrici I. regis iussu confectae occurrunt, cf. capp. 7 et 20. 5) Meurisse hist. de Metz. p. 164.

Mabillonius Actis SS. O. S. B. Saec. III. P. II. p. 206 *sqq. inseruit, paucissimis locis emendatum repetimus.*

Operi praemisimus pauca ex historia Miraculorum S. Glodesindis decerpta, quam Iohanni nostro deberi, quod tempus congrueret et Iohannes primos iuventutis annos iuxta monasterium S. Petri seu S. Glodesindis in domo et ecclesia monasterio isti subiectis transigens a sanctimonialibus hebdomada-
6 *rius sacri altaris adscitus esset, iam Mabillonius olim*[6] *ratus, postea Iohanni abbati sancti Arnulfi adscripserat ob locum Vitae Iohannis Gorziensis, quo hic tempore legationis Cordubensis scribendi minus peritus scribitur; quam sententiam posteriores quoque amplexi sunt. Sed ea ratio post superius monita non amplius obstat; et quum inscriptio*[7] *rem in dubio relinquat, tribus iam rationibus, — tempore scilicet, quum auctor inde a Wigerico se coaetaneum professus, Adal-*
8 *berone episcopo superstite*[8], *anno circiter* 963. *scripserit; stilo succincto ad Miracula S. Gorgonii proxime accedente et a prolixitate Iohannis Mettensis remoto; et quod Miracula Glodesindis eodem modo ut Miracula Gorgonii inter fontes Vitae Iohannis Gorziensis referenda sint, — ea Iohanni nostro adiudico*[9]. *Codex saeculi X., fortasse autographus, una cum bibliotheca S. Germani a Pratis regiae Parisiensi illatus, Numero* 1410 *insignitur; unde, post Labbeum*[10]
11 *et Mabillonium*[11], *locum qui ad res nostras facit proponimus.*

EX MIRACULIS S. GLODESINDIS.

1. **P**artibus primis gestorum sacrae virginis, ut dicendi siccitas patiebatur, ex veterum illarum litterarum situ in nova quadam facie Deo miserante reductis, priusquam reliquis expediendis succedam, lectorem, si quis forte haec in manus post illa sumere non fastidiet, bona venia paucis oratum volo, ne me quasi temerarium et omnibus forsitan seriis vacuum mentis quadam mobilitate ad haec denotet prorupisse, causasque aequo animo non aspernetur addiscere. In primis, quam exordio professus sum quaeque ceteris praeponderat, flagitatio sanctarum nimium inportuna eademque diutina subegit sororum, quibus quippiam denegare offensae pene videbatur in Deum. Deinde materia, tam perspicabilis quam merito sui praestantissimis quibusque — libere pronunciaverim — coaequanda, in sui commendationem per se ipsa sufficiens, animum in se tota cupiditate convertit. Nec scriptura illa, quamvis silenti feratur auctore, viribus rerum aliquid detrahit, cum semine utique acsi raro aspersa, non sterilem usibus nostris in immensum extendendam messem produxerit. Neque enim refert, quovis indicio ex quacumque cavernula gemma pulcherrima extrahatur, dummodo avaritiam mortalium usu expleat et decore. Et quoniam tanti pretii margaritam, pluribus pretiosis merito praeferendam, inter vitae huius aerumnas multiplices infirmitati nostrae solatium tam efficax divina praestitit pietas: indignum omnimodis iudicabam, si ad tantam gratiam linguae improba et ingrata torperent silentia, ut si non quanto dignum esset eloquii nitore oratio posset vestiri, nudus saltem sermo praestaret; ne salus quae erat in commune, videretur mortalibus intercludi.

2. Non autem certius nos aliquid allaturos hac scripti[a] novitate fatemur; neque enim intactam ordimur rem, cum alienis tantum vestigiis innitamur. Sed quoniam historia illa beatae virginis simplici, ut forte antiquitas de repente mandavit memoriae, stilo compacta, vulgo solum erat accommoda: considerantes iam Christo propitio plures disciplinarum studiis eminentes lectionem insulsioris scripturae non sine quadam nausea fastidire, eorum deliciis nostram operam non incongruum aestimavimus deservire. Fidem ergo gestorum et in priori parte, ut scripta praefata monstrabant, interpretatione fida, ut puto, usque ad obitum beatae virginis transposuimus, et nunc sequentibus deinceps pari nihilominus puritate, Christo domino nostro praevio meritisque ipsius sponsae divinae faventibus, narrandi ordine eadem vestigia persequemur.

a) in scripti *Labb.*

6) Acta SS. O. S. B. Saec. II. 1087. IV, 1. 435. 7) PROLOGUS DOMNI IOHANNIS ABBATIS IN VITAM SANCTAE GLODESINDIS VIRGINIS A SE EDITAM. 8) sed Ottone I. iam imperatore, ideoque intra Februarium mensem a. 962. et d. 26. Aprilis a. 964. 9) Nihil contra facit, quod auctor catalogi abbatum S. Arnulfi Mettensis, quem uno Miraculorum Glodesindis et Vitae Iohannis codice ductum patet, Iohannem Mettensem auctorem dicit. (Calmet I. Probb. p. 552). 10) Bibl. I. 724—739. 11) Acta SS. IV, 1. 436 sqq.; inde praefationem et capp. 32, 45, 47, 48 typis repetimus.

3. Gratum praeterea admodum habemus, quod haec posteriora certiori iam aliquantulum ducunt itinere, temporis maxime notitia, quae superiores partes non nihil infuscat, lucidius insignita. Nam excepto prima fronte nomine Childerici regis, et hoc sub opinione apposito, per totam exinde narrationem, quid sub quo rege vel principe gestum sit, ita siletur, ut etiam ipse Childericus, qui in nece sponsi beatae virginis sententiam ferens reperitur, non satis certos temporis reddat. Hunc siquidem Childericum, si tamen ipse est, fama tantum fert Karoli[a] senioris non multum superius tempora contigisse, eique adhuc superstite genitorem ipsius Karoli Pipinum, prius ducem et maiorem domus, ut tunc dicebatur, in regio culmine superductum, nimia illo socordia et inerti demerso ignavia, rebus regendis non solum minus idoneo, sed per omnia prorsus inutili reddito. Hoc utrum sic se habeat necne, non equidem in magno ponam discrimine. Ceterum annales seu historici[1] quos inspicere potui, praeter solam Karoli vitam, Raganfredum quendam continent, de cuius manu Karolus principatum sustulit; Childericum unus tantum ille annalis quam brevissime annotat, et famam supradictam sequitur, eo deposito de regno et tonsorato, Pipinum ei superductum. Si tamen is, de quo fama iactat, ea aetate fuisse credendus est, quomodo id, quod in praesenti libello reperitur, quod locus cimiterii sanctimonialium ad Sanctos Apostolos necdum temporis corpore beati Arnulfi haberetur insignis, possit probari, non satis elucet; cum constet et[b] beatum Arnulfum longius multo, antequam is Childericus fuisse dicatur, e mundo receptum, et ut sacra gestorum eius scripta declarant, vixdum anno dormitionis suae exacto, a loco sepulturae Mettis relatum. Ea utcumque sint quibusque pro arbitratu in medium relinquentes, non multum utique sententiarum pondus hac adimente ambage: quae restant omnino, Domino conatum iuvante, iam persequi contendamus, et translationibus geminis beatae virginis quae successerint virtutum miracula, quaeque ad sacratissimam tumuli eius reverentiam diversorum langorum sint ostensa remedia, officio non minus devoto quam debito explicemus. . . . .

29. Huic[c] Adventio successit, ut diximus, Walo episcopus, quo tempore Bertulfus Treveris praeerat archiepiscopus, ipso adhuc Karolo superstite, et Iohanne quodam universale nomen pape tenente, a quo et ipse Walo palleum promeruit. Qui Walo, dum vix septem annis aecclesiam rexisset, excursione Nortmannorum, postquam plures Galliarum partes pervagata fuerat, usque Treviros accedente, dum eis incaute manuque impari congredi parat, usque ad locum qui dicitur Rémicha[2] in littore Moselle obviam venit. Nortmannis impetum minaciter facientibus, dum his nulle ad resistendum suppetunt vires, non praelium iam illud, sed strages miserorum fuit. Ibi ępiscopus cum ceteris obtruncatur. Corpus post cladem Mettim relatum, et in basilica sancti Salvatoris, quam[d] ipse in sepulchrum sibi pridem a fundamentis extruxerat, sepultum.

30. Sub eo quoque, qui huic post annum subrogatus est, ępiscopo Ruotperto, gentis Alamannorum viro clarissimo, olei similiter emanatio ex ipso sacro sepulchro frequentius visa est profluxisse. . . .

32. Multa praeterea temporibus eiusdem Ruotperti[e] episcopi, nec minora superioribus, ad idem sacrosanctum sepulchrum dominus Iesus Christus est operari dignatus miracula, ex quibus subsequens stilus expedire aliqua temptabit eo securius, quo multos, qui his interfuerunt, nostra aetate superfuisse certo comperimus, quos in idoneum testimonium advocatos nemo est qui possit refellere. Ex ipsa quoque curatorum turba nonnulli haec ipsa nostra tempora attigerunt . . . .

45. Haec, ut valuimus, ex prioribus, quas invenimus, transfudimus litteris, non quod eandem scripturam nullam aestimaremus, quae utique plena fidei et ad rerum gestarum ordinem vires maximas subministrat, sed quia, uti praefatûs sum, litteratiorum, quibus iam Domino miserante tempora florent, hoc expetere voluntas[f] videbatur. Quamquam ne ad hanc quidem partem mihi aliquam scientiae praerogaverim facultatem, qui, ut vere fateor, frequentius tam[g] in dictis quam scriptis nimio rubore suffundor; et nisi aliquorum, qui forte in me amore labuntur improvido, stimuli incitarent, penitus conticerem; ob hoc vel maxime, quia, etsi scientia, qualiter praesentes et qui ex ipsa inter nos consuetudine quicquid ore exciderit probant, accipiant, secuturos certe aut omnino ingratos aut non multum haec curaturos, satis perspicio. Quibus tamen quod acerrimo dente in aemulos Hieronymus prooemio Hebraicarum quaestionum fixit, obiciendum: „Peregrina merces tantum volentibus navi defertur. Balsamum, piper et poma palmarum rustici non emant.“ Ita et illi, si despexerint, ne quidem legant, moneo et oro, dum tandem voti mei apud Deum et sanctam eius virginem, cuius me amor traxit immodicus, spem fideliter praesumptam mihi non penitus invideant vel intercludant.

46. Iam quia ad nostram aetatem res perducta est, liberioribus spatiis decurrentes, breviter, quae Dominus nobis videre concessit, anno-
tamus. Post Rotpertum, qui quadraginta praefuit 917
annis, Wigirico, decem annis pontificio exacto,
vita decedente, dum Benno quidam in heremitica 927.
conversatione dudum famosus, bona intentione Heinrici tunc regis, patris gloriosi postea cesaris domni Ottonis, eidem esset subrogatus, vixque biennium in sacro ordine exegisset, infanda et nimis lacrimabili servulorum quorundam factione excecatus et inutilis redditus, quo fungi non poterat officio sese ipşe abdicavit. Inde a principe electione petita et impetrata, virum magni post futurum
praeconii Adelberonem haec sancta sedes adepta 929.
est. Hic monasteria quaecumque per amplitudi-

a) Caroli *ed. semper.* b) *deest Mab.* c) *ex anterioribus haec enotavi:* cum archidiacono maiore, quem corepiscopum dicunt. d) qua *c.* e) rotberti *ed.* f) *ita Lab.* voluptas *Mab.* g) tamen *ed.*

1) Hincmari annales et Reginonem habuisse videtur. 2) Remich, inter Theodonis villam et Treverim.

nem suae erant provintiae[a] retro a multis iam annis interius et exterius spiritalibus et corporalibus opibus nimium lapsa, studio praeter cetera egregię animum recuperare induxit. Et primum quidem eius operum spiritalium Gorzia monasterium fuit, ubi magnarum virtutum viro domno Eginoldo promoto, et brevi copiosa religiosorum turba eó confluente, et in beatitudinem pauperum spiritu sub regula beati Benedicti conspirante, ad eius exemplar reliqua extra vel infra virorum ac feminarum, si qua etiam sub nominę canonicorum erant, composuit monasteria. Unde et hoc idem beatae virginis collegium, praefecta ibi domna Himmiltrude sanguinę et, quod maius est, spiritu sibi propinqua, ad monasticam institutionem coęgit. De cuius sancti pontificis dignis Deo operibus proprium est merito quod desideretur opus, nec huius articuli brevitate tantam concludi fas fuerit maiestatem. Quod ad praesens attinere videtur, brevi subicimus.

951. 47. Anno pontificatus sui 23. cum nongentesimus quinquagesimus primus dominicae incarnationis ageretur, matrem praedictam loci ipsius reparandi, quia vetustas et brevitas monere videbatur, cupido cepit inmodica. Id per se, quoniam nonnisi sacro corpore interim submoto fieri poterat, non praesumens, quid animo conceperat, episcopo intimat. Ille de fabrica ut fieret gratum omnino habens, suamque benigne pollicitus operam, de sublevatione sacri corporis diu cunctabundus, tandem Domini super hoc voluntatem ut exquirerent, imperavit; communicato deinde negotio patribus tunc venerandis Einoldo, de quo praemisimus, et Ansteo[3], aeque viro religioso e proximo sancti Arnulfi collegio, ipsisque animos eidem sancto pontifici vel abbatissae magis addentibus, in communi decretum est, ut fieret. Instabat tunc dies adscensionis dominicae, in quem populus universus missarum sollemniis condicto iussus adesse, praesul reverentissimus post verbum sacrae diei populo redditum, de hac ipsa re palam aperiens, Domini misericordiam cunctos monuit exorare, ut prosperum conatibus fidelium suorum largiri dignaretur effectum. Quod cum in crastinum sextae feriae multa cum devotione sacris aedibus circumquaque lustratis alacriter peregissent, in sequenti mox dominica omnes ad sacrum confluunt locum. Ibi ab ipso sancto pontifice missis dictis, itemque plurima exhortatione plebe in Deum animata, cunctis acclamantibus, et ministris sacrorum solitis supplicationibus preces in caelum tollentibus, ad arcam virginis aperiendam pontifex venerandus cumque eo patres monasteriorum simul et ceteri ex clero religiosi, digne Deo sanctaeque virgini submissi, reverenter accedunt. Moxque sacrosanctos artus, loculo tunc pro tempore praeparato exceptos, in proximam quandam domum interim conservandos transponunt. Eadem die a parentibus quidam illuc daemoniacus adductus, cum penes loculum in domo eadem populo abscedente esset relictus, post modicum intervallum, Domino et meritis virginis suffragantibus, a vesano spiritu est liberatus.

48. Sub ipsa fere hora sanctimonialibus a loco, in quo sacrum corpus extulerant, ad corpora curanda residentibus, puerulum naturali membrorum compage damnatum, penitusque ab ipsa nativitate contractum, baiulus, ut brachio ferebat, ecclesiae intulit. Inde a quadam ex sanctimonialibus intra domunculam, qua corpus sanctissimae virginis servabatur, sub ipso loculo solus relictus, parva mora intercedente, nimio repente clamore puer emisso, ad vocem ceteris accurrentibus, membris officio naturae directis, sanus divino auxilio est inventus. Hunc multo postmodum tempore eadem incolumitate gaudentem prospero ubique gradu conspeximus ingredi. Alter itidem puerulus oculis captus, sed et quorumdam membrorum inaequalitate confectus, alio ferente illo deportatus, et ante loculum proiectus, visu et ceterorum membrorum integritate virtute Christi et obtentu sacratissimae virginis repente, cunctis stupentibus et gratias Deo clamantibus, est muneratus.

Plura deinde et usque in praesens tempus pene cotidie cum fide petentium ibidem, domino Christo operante, exhibentur solatia, tum corporum, tum, quod praestantissimum est, animarum; ubi conscientia uniuscuiusque supplicantis satis persentit, quantam inde efficaciam precum suarum reportet; et nisi diffidentia sola retundat, vere Christi certus fatebor, nullius illic suspiria, nullius gemitus vel lacrimas pleno corde profusas, quaecumque illa fuerit necessitas vel angustia, inde aliquando vacuo fructu reversas.

MIRACULA SANCTI GORGONII.

PROLOGUS. Descripturus miracula patroni nostri beati Gorgonii, quae visu et auditu comperi, ineffabilem Dei omnipotentis clementiam mecum hortor ut exorent, qui suasores huiuscemodi exstiterunt rei, ut scilicet ipse, qui linguas infantium facit disertas,
Ps. 80, 11. et per prophetam dicit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud,* aperiat cordis mei plenarium intellectum, et repleat secundum iam memoratum prophetam omnia interiora mea suae dono affluentiae. Quod me consequi non diffido tam meritis eximii patroni nostri quam precibus eorum quos praefatus sum, quoniam, ut ait beatus Ambrosius: *Difficile est multorum preces non exaudiri.* Nemo ergo captus lepore saecularis eloquentiae, huc adeat ob hoc ut hic quid simile quaesitet, quoniam non inveniet, eo quod ignorem eam; et si

a) providentiae c. 3) uterque a. 960. obierat.

utique ad plenum illam comprehendissem, hic inserere detrectassem, pro eo quod a Domino improbetur, dicente scriptura[1]: *Perdam prudentiam prudentium, et sapientiam sapientium reprobabo.* Itemque beatus Paulus apostolus hoc ipsum comprobavit[2]: *Si quis vult*, inquiens, *inter vos*[a] *sapiens esse, stultus fiat ut sit sapiens.* Solum ille accedat, qui ferventi corde patronum nostrum collaudare satagit, ac velut apis prudentissima flosculos virtutum, quibus proficere queat, ad augmentationem animae suae colligere curat. Si quis igitur quidpiam utilitatis repererit, meritis sancti Gorgonii adscribat; si quid ignaviae, errori meo ignoscat. Non enim exorsus sum opus hoc animo temerario, sed ferventi in eius amore laudis praeconio, cuius pia intercessio sit apud Dominum omnium nostrorum optata remissio peccaminum. Amen.

1. Aggrediar ergo tandem cum Dei adiutorio atque ipsius prece, evolvere quaedam eius gesta, quae nobis ostendere dignatus est mirifica. Temporibus Childerici regis exstitit quidam Mediomatricae civitatis episcopus, nomine Chrodegangus[3]. Hic repletus amore illo, de quo dicit beatus Gregorius: *Numquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna si est*, plurima et laudabilia patravit opera, quae scire qui cupit, gesta pontificum legat Mettensium[4], ibique plenius instruetur. Ut ergo illud psalmistae[5] compleret: *Adiciam*[b] *Deus super omnem laudem tuam*, monasterium construxit in loco qui vocatur Gorzia, praediisque quam plurimis non modici pretii ditavit ob remissionem suorum criminum, ut idem in apolegiis[6] suis scribit, quae penes nos hactenus diligenti custodia servantur. In quibus non solum laicis, verum et fratribus suis coepiscopis, omnem prorsus abstulit facultatem sub horribili omnipotentis Dei interminatione, quidquam monachis Gorziensibus auferendi eorum, quae ipse dederat, vel in futurum praedicti monachi valerent adquirere, seu fideles pro remedio animarum suarum illuc collaturi erant, quique quietem eorum in Dei servitio perturbare molirentur. Dixit quoque illos, qui contrarii eius sententiae essent, dummodo neminem vellet aut deberet maledicere, invitandos ante tribunal metuendi iudicis, ut sibi conqueratur cum beato Petro apostolorum principe ac sancto Gorgonio de his, qui dehonestantes Deum ac sanctos eius praefatos, in quorum tutela eundem dedit locum, perturbatores atque destructores sanctae religionis fuere. Quod successores eius praesules aliqui parum, pro dolor! caverunt, qui exstirpatores, ut ita dixerim, totius religionis exstiterunt. Qui poenas quidem in oculis hominum partim luere; qualiter vero in futuro sint saeculo, novit supernus arbiter; de quorum miserrima conversatione melius est silere quam loqui. Sed redeamus, hoc triste deponentes, ad priorem piae recordationis virum.

2. Cum[7] omnia implesset memoratus Chrodegangus antistes erga religionis opera, quae sancto eius volvebantur desiderio, cupiens saepedictum locum abundantius caelestibus ditare thesauris, quem affluenter terrenis repleverat, Romanum adiit apostolicum Paulum nomine, poscens sibi dari pignora aliqua sanctorum, quae has insignirent partes regionis. Qui concitus volente Deo eius annuens precibus, tradidit ei tria corpora sanctorum martyrum, Gorgonii, Naboris et Nazarii. Sanctum Naborem martyrem Hilariaco delegavit monasterio; sanctum autem Nazarium cuidam religiosae feminae tradidit, quae in praedio suo ultra Rhenum quod dicitur Lorsan collocavit, eo quod idem praedium suum, una cum filio suo, sancto Stephano tradidisset; beatum vero Gorgonium penes se statuit in loco qui dicitur Gorzia, anno ab incarnatione Domini 765[8], ubi se quoque, cum vocaretur a Domino ex hac aerumnosa vita, sepeliri fecit.

3. Igitur[9] beatus Gorgonius miraculorum quid egisset priscis temporibus, ignotum est, eo quod simus iuniores tempore; sed hoc solum nobis volans fama detulit, quia cum deferretur a sancto pontifice Chrodegango, transita Ausonia, per quam eum Dominus multis virtutum glorificaverat portentis, in qua etiam villas praediaque adquisierat quam plurima, cives acciti fama desiderioque eius accensi, qui haec illi contulerant, venerit plebs fidelium eum comitantium ad sancti Mauricii collegium. Quo cum hospitarentur, clerici fama sublimi, quae longe lateque prolata erat, martyris Christi inretiti, accesserunt clanculo ad scrinium, quo tegebantur pretiosa ossa; aperientesque eum, sigillum cum omni diligentia ingeniose, ne perpendi posset, inciderunt, furantes eum, sigillumque ipsum continuo restituerunt in loco suo. Igitur postquam requieverant, advertentes quantum sibi visum fuerat, sublatis pignoribus sacris discessum est. Confecto itinere diei unius, nihil miraculi accidit, similiter secundo addito et tertio. Archicapellanus[c] hoc videns, dixit sociis: *Quid est, fratres, quod agitur? Forte Deum una cum patrono nostro offendimus, qui laetificabat nos assidue suis iocundis miraculis. Redeamus subtiliter nostras ad conscientias, confiteamur alterutrum humiliter, si quid deliquimus negligenter, pro quo beneficiis suetis forsan caremus.* Diligenter autem exquirentes se mutuo, minime invenerunt accidisse culpae suae naevo. Accedentes igitur, aperto scrinio, sigillum mox dissiliit haud ab aliis tactum, suoque se invenerunt fraudatos peculio. Indicantur lacrimabiliter episcopo quae acciderant; at ille graviter gemens, Pippinum regem tunc temporis moestus adiit, auribus regiae maiestatis ingerens quae sibi accidissent non sperata incommoda. Cui rex ait: *Nunc hiems horrida imminens reptare quid prohibet; transacta hieme,*

a) nos *ed.* b) adiiciam *ed. cuius scribendi rationem hinc inde correxi.* c) archidiaconus *Vita Chrodeg.*

1) 1 Cor. 1, 19. 2) ib. 3, 19. 3) cf. Vitam Chrodegangi episcopi cap. 11, fol. 23'. 4) auctore Paulo v. Monum. Germ. SS. II. 267. 268. 5) Psal. 70, 14. 6) privilegiis, polyptycho insertis; v. Calmet hist. de Lorraine I. Probb. p. 281. Celebre chartularium Gorziense a Boehmero nostro visum, et diplomata caesarum inde transscripta gaudemus. 7) cf. Vitam Chrodegangi cap. 11. fol. 23'. 8) v. SS. T. I. Ann. Laureshamenses, Laurissenses et Petavianos. 9) cf. Vitam Chrodegangi cap. 11. fol. 24. col. 2.

a) f. ibi MAB.

sumtis fratribus vestris coepiscopis, Virdunense, Tullense, ac duce regni[10], *adite praefatum locum, iubendo vobis reddi quae vestra sunt; si contemserint, sumite sanctum Mauricium cum sociis suis, ac repedate in patriam ovantes habendo eos.* Factum est ut rex iusserat, reditumque est ad Sanctum Mauricium cum manu valida. Panduntur edicta regis, inquisitum est diligenter, negatum fortiter. Tunc venerabilis praesul sic concionatus est ad eos: *Quia intulistis nimis prolixae dispendium viae confectae, insuper sancita regis contemnitis, facesso quae mihi idem rex imperavit.* Continuoque arrepta securi, cum sociis qui secum venerant pavimentum ecclesiae coepit confringere; quod illi minime autumabant eos audere agere. Cernentes vero hoc, summissis vocibus humiliter petiere inducias, se licere inquirere. Votis autem eorum devotus pontifex promto annuens animo, intermisit quod coeperat[11]. Mane facto reddunt thesaurum furatum; quem suscipiens praesul, cum grandi tripudio ab eadem egreditur ecclesia. Mox igitur ut valvas ecclesiae attigit, caeco oculos amissos reddidit.

4. Hinc multis emensis terrarum spatiis, perveniunt ad villam Waringisi[12] nomine nuncupatam. Cumque advenisset tempus somnii, locaverunt sancti martyris glebam in medio campo, ubi ad caput eius una tantum spina mensura cubiti erat, in quo lignum Domini, quod clerus secum vehebat, suspenderunt. Quae spina tantae altitudinis una eademque nocte excrevit, ut revertentes clerici ob lignum Domini, quod ibidem obliti fuerant, nullo modo valerent stantis ad terram culmen altitudinis eius attingere, sed potius quibusdam machinis factis ad ipsam scanderent. Cuius miraculi devotione in eodem loco ecclesiam construunt, atque ex nomine sancti Gorgonii aedificatam dedicant; ubi virtutes ipsius hactenus pollent. Nec dubitandum est, eum pluribus his effulsisse prodigiis per tot annorum curricula, qui tam brevi spatio temporis diebus nostris tot enituit signis; sed vecordia eorum et incuria, ut reor, qui, pro dolor! ingrati fuere tam Deo quam proprio patrono, recessit a memoria posterorum, adeo ut nec vestigium alicuius indicii possit inveniri. At nos imitatores illorum esse formidantes, quaedam audemus licet inculto eloquio.

5. Igitur post haec dum delata fuissent eiusdem beatissimi martyris Gorgonii reverenda ossa in praedium duorum fratrum inlustrium, vocitatum Mons-Vironis[13], locata sunt in prato, quod tunc temporis exstiterat, in quo nunc est ecclesia fundata ob pretiosam memoriam ipsius. Itaque sacrae excubiae celebratae sunt nocte, ut decebat, devote. Casu vero acciderat, et magis ut credi potest, disponente Deo, fratres adesse utrosque. Laborabatur ut surgeret, sed potens non erat levari illum. Quod prudenter advertens unus fratrum: *Hereditarius,* inquit, *iste vir socius Dei noster vult esse; et ego libens adsentio ac auctoritate mea confirmo. Interim quidem dum vivo honore praedii mei fruar, post mortem vero meam portionis meae hereditarius feliciter exstet.* Respondens alter dixit: *Quamdiu vult iaceat sibi*[a], *meus numquam particeps erit.* Vix verba finierat, moxque a daemone tamdiu tortus in terram volutatus est, quousque invitus daret, quod prius sponte dare detrectaverat. Tunc demum liberato eo a daemonio, ilico levi motu etiam martyr Christi elevatus est, gaudentium humeris ad locum destinatum vehendus.

6. Erat equidem saepe fatus vir Dei immitium et duricordium castigator citissimus ac post correctionem reparator eximius. In eodem siquidem itinere, quod subnectimus, stupendum accidit miraculum. Dum devenirent latores sancti pignoris ad locum Nomantum[14] nomine, deposuerunt ibidem onus pretiosum. Inerat autem huic sancto martyri moris, ut quemcumque affectasset locum, non prius posset levari venerabile corpus eius, quousque idem locus cum omnibus appendiciis eius ditioni subiceretur. Igitur advenientes mane quo coeptum carperent iter, glebam levare satagebant sancti martyris; sed nullius sequebatur efficacia conaminis. Gnari autem huius difficultatis, protinus adeunt loci dominum, qui forte illis diebus ibidem morabatur; morem pandunt, voluntatem propalant, quid tali recubitu suo beatus martyr portenderet instruunt. At ille vento superbiae turgidus, respondit, se nihili pendere quamdiu iaceret, nec hac occasione quidquam illi ullo modo cedendum eorum quae sui iuris erant. Continuo effrenatum os ultio divina insequitur. Nam ut haec verba finivit, os ipsius horribiliter ac turpiter distortum est, adeo ut auribus eius videretur proximare. Sentit tunc miser, quem concitasset ad perniciem sui. Statim autem beluina mens eius propriam resumens conscientiam, humiliter obtulit pretioso martyri, quae prius inani gloria elatus pertinaciter negaverat; moxque incolumitati pristinae restitutus, gratiarum rependit actiones. Sanctusque cum omni facultate adsumtus ad destinatum perfertur coenobium. Haec sunt iocunda et mirifica omnipotentis Dei opera, per quae dignatur glorificare servos suos in huius vitae politia, comprehendendo sapientes in astutia eorum. Vir enim iste putavit, se servo Dei, utpote defuncto, posse resistere; sed vigil de caelo custos eius, immo omnium fidelium, verbere proprii corporis hunc non solum multavit, verum etiam bonum, quod sponte non curavit impendere, coactive compulit gerere.

7. Ea tempestate qua Ungarii pervagabantur has regiones[15], Wigerico praesule civitati Mettensi praesidente[16], fugerunt monachi ad civitatem eandem, sua omnia secum tollentes; inter quae pretiosissimum pignus sancti Gorgonii evehentes, locaverunt in ecclesia sancti Salvatoris, eo quod septione murorum necdum munitus esset ambitus monasterii. Erat tunc temporis quidam venerabilis ac religiosus sacerdos rector et custos eiusdem ecclesiae. Hic accensus sancto desiderio, aggressus est quendam monachum, quem ego ipse

10) corrigo: *ac Trevirensi*, ut Vita Chrodegangi. 11) hucusque Vitae quod extat. 12) Varengeville ad Meurtham, supra Nancy. 13) Moïuron e sinistra Saliae (Seille). 14) Nomeny ad Saliam. 15) a. 919. 16) sedit annis 917—927.

puerulus valde senem vidi centenarium, ut ferebatur, poscens sibi dari reliquias de eodem corpore, quo dignus mereretur fieri benedictione tam grandi; quod ilico spondere illi non distulit. Venientes autem simul ambo constituta die, quo pactionem mutuo firmatam clanculo gererent, confestim ut glebam attigerant sancti martyris, quasi exanimes effecti, ceciderunt in terram pene mortui, nullum penitus sensum aut calorem aliquem habentes. Cumque post trium vel quatuor horarum spatium in se reversi fuissent, experti sunt in se virtutem martyris. Iterum autem post paululum cum iam convaluissent, quasi immemores pristinae castigationis, rursus venerabilis presbyter ait ad praefatum monachum: *Ecce sacrorum membrorum eius benedictione perfrui dignus non fui; saltim omne vel aliquam portionem scrinii, quo eius sacra continentur ossa, dare non differas.* At ille, ut reor vile aestimans fore quod petebatur, rursus idem adiit scrinium, admovensque manus tangere iam dictum scrinium, eodem modo ut prius in terram ceciderunt, et facti sunt velut mortui. Quo facto, sanctus martyr talem ceteris incussit terrorem, ut nullus deinceps eum inquietare praesumeret.

8. Temporibus itidem memorati praesulis Mettensium, cum domnus Adelbero iuvenili adhuc vernaret aetate, tactus divino instinctu, nudis pedibus ab civitate monasterium Gorziense gratia orandi adiit. Qui altaria cuncta perlustrans, sagaci industria invenit fimum tam asinorum quam reliquorum animalium in circuitu altarium. Tunc suspirans graviter et ingemiscens amare, cum lacrimis pergit ad tumulum beati martyris Gorgonii, prostratusque in terram, oravit cum lacrimis diutissime, inter quas orationes hanc ultimam dixit: *Deus omnipotens, si umquam promeritus fuero habere pontificatus honorem, hunc locum desertum et horribiliter profanatum reparare in pristinum temptabo statum.* Quod fidelis sponsor ac verax qualiter impleverit, facilius est oculis deprehendere quam lingua perstringere. Exaudivit enim has preces omnipotens Deus, et suffragantibus meritis praedicti martyris, adeptus est cathedram episcopalem.

9. Post non multum autem temporis erat anniversaria sollemnitas eiusdem martyris, et ipse domnus Adelbero, favente Deo iam praesul, venit interesse sacris sollemniis. Surgentibus vero monachis, ut laudes persolverent nocturnales, quidam caecus, qui lumine oculorum caruerat iam duodecim annis, sanctum poscebat Gorgonium misereri sibi. Et ecce dum sumitur antiphona ad invitatorium canendum, caeco reparantur lumina diu negata. Quod cernens episcopus, in gaudium attollitur maximum, laudes Deo persolvens ac sancto Gorgonio; sumensque pallium quod secum detulerat, sancto superponit tumulo.

10. Instigante humani generis inimico, qui felicibus omnium invidet actibus, maxime bonorum, accendit ex ira gravi praefatum praesulem Adelberonem adversus locum Gorziensem; dolebat enim se quam maxime a loco diu possesso ac praevalide sibi sociato eminus fugari. Unde satagebat versipellis cunctarum persecutor virtutum multipliciter tenerarum plantas arborum, antequam radicarentur profundius, radicitus evellere; fuissetque voti sui compos effectus, ni clementissimus Dominus, bonorum omnium dator et fautor, manum ereptionis suae quam primum sibi servientibus porrexisset. Iam enim transactis tribus ferme annis, ex quo exosum habere coeperat eundem locum, adeo ut monasterium saltim videre ac ipsos fratres fastidiret, deliberaverant iidem ipsi relicto loco Treverum usque maturaturum iri; quod ilico contigisset, nisi eisdem omnipotens Deus saeculum fugientibus portumque monasterii tutum quaerentibus restitisset, atque ad famulandum sibi sanctoque Gorgonio habilem concederet facultatem. Odii autem ac discidii haec causa fuit. Petierant saepedicti monachi, reddi sibi villam Waringisi dictam cum appendiciis eius, quam olim sibi famulantibus sanctus adquisierat Gorgonius. Praedones enim et vastatores sanctae Dei ecclesiae locum eundem, velut crudeles lupi ovem arreptam in frusta, sic ipsi omnia monachis a sanctis Dei viris pro fructu animarum suarum collata[a] in varia sciderant. Tenebat igitur villam illam unus fratrum eius carior ceteris; quapropter audire non poterat, ut quis eam requireret. Huiuscemodi ergo dum agitantur perturbationibus, ecce intempestae noctis silentio quidam eum adiit vir venerando habitu, pulcherrimo adspectu, splendore mirifico, et talibus aggreditur dictis: *Bonum quidem bene coepisti, sed lassus prope defecisti. Sit ergo tibi sollers cura emendandi, ne sit tui causa excidii. Profecto nisi te correxeris, in lapsus alios, unde te eximere non poteris, inveheris.* His dictis, evanuit. At ille coepit pavescere, pallescere, tremere. Convocato itaque camerario sibi fidissimo, orto die ait ad eum vultu moestissimo: *I fidentissime festinantissimus Gorziam, et adscisce abbatem citissime.* Qui dictis senioris sui parens, celerrime adscenso equo properare volebat versus Gorziam, cum repente invenit eum et quosdam fratrum ad portam civitatis praestolantes exitum civitatis, eo quod claves detinerentur adhuc penes custodem urbis. Qui laetus admodum factus: *Eia*, inquit, *congratulor vobis, quia laborem meum, qui mihi nunc contingeret, relevastis; debebam enim versus vos tendere. Ergo adite seniorem meum citissime, quia vos exspectat, desiderans vos videre cupide.* Mandatum igitur sibi destinatum cum implesset camerarius, studiosissime rediit abbas. Illo introgresso, ruens episcopus ad pedes eius, se reum, se culpabilem proclamans, Deum offendisse, patronorum iram liberalissimorum, sanctorum videlicet Petri, Pauli, Gorgonii, incurrisse, cum fletibus ingeminabat. Post haec inquit: *Praecedite iter meum, quod absque scrupulo hora diei tertia subsequetur, praestolantes me communiter cum omni fratrum agmine.* — *Nolite*, abbas inquit, *iter arripere, quia dies ieiuniorum sunt praecipui, quos violare non est possibile.* Qui respondens: *Nequaquam*, ait, *retardari valet mea subsecutio, quia divina urguet iussio.* Proficiscitur ergo ad monasterium, ut statutum fuerat. Veniens autem usque ad locum qui Crucis dicitur, discalciatus venit usque ad locum nudis pedibus incedens, atque in conventu fratrum pedibus cuncto-

a) collatis *ed.*

rum provolutus, pro obstinatione sua se culpabilem reddidit. Statimque baculo suo villam cum omnibus appendiciis suis reddidit; ac continuo advocans ministerialem suum, sub interminatione divinae animadversionis obstrinxit, ut si non vellet percelli maledictione et ultione Dathan et Abiron, Ananiae quoque et Saphirae, omnimodis tangere non praesumeret, quidquid ibidem collectum fuerat usibus diversis profuturum; quod iustum ipse fideliter complevit. Denique impleta est sententia sapientis Prov. 16, 7. Salomonis dicentis: *Cum placuerint Deo viae hominis, inimicos quoque eius convertet ad pacem.* Vere enim seniorum illorum viae Domino complacuerant, qui precibus crebris Deum sic pulsabant, ut inimicos eorum converteret ad pacem tam perfectam, ut qui prius nec reddere quae illorum erant voluerant, neque audire saltim, si quis eos necessitatis suae causa interpellare praesumeret, ipsis iam diffisis utrumque Domino imperante absque dilatione annuerent.

11. Alia item vice importuni valde crebro instabant praefato episcopo seniores monasterii saepedicti, quoniam urguebat eos penuria sibi insita, poscentes obnixis precibus, reddi sibi Langeivillam [15] ac ea quae Molinis [a. 16] sui iuris erant. At ille, ut silex durissimus, nullis movebatur sermocinationibus. Videntes ergo se nihil proficere, reliquerunt eum, suam omnem querelam commendantes Altissimo. Aliquantulum temporis fluxerat, et accersiens abbatem ac quosdam primores fratrum: *Tenete,* inquit, *quod diu requisistis attentius sine ulla efficacia; gratias mihi nullas rependite, sed sancto Petro, qui mihi hac nocte cum horrore vehementi haec ingessit dicta: „Bonum quidem coepisti, sed minime perfecisti; ideoque divina ultione, si te non proficue correxeris, citissime ferieris“. Ista vobis indicavi, ut sciatis, cui rependere gratias debeatis.* Hic finem loquendi fecit. Vere Dominus memor promissorum suorum compleverat quod Luc. 12, 31. dixit: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.*

12. Comes quidam Boso nomine, ampla persona, nobilis genere [17], villam nostram in Campania nomine Wasnau [18] invaserat. Ad quem quidam seniorum nostrorum ierat in Victoriacum [b. 19] castello constitutum, pro eadem causa interpellandum. Deductus igitur in eius praesentia, exposuit indigentiam quam patiebantur fratres maximam, putans compati illum debere. Sed ille e contrario obduruit intrinsecus, factus velut lapideus. Dixit itaque legatus comiti: *Si nobis non reddideritis, clamabimus nos.* At ille respondit: *Ad quem? Num ad regem? In veritate mihi rex pro minimo est. Dux Gillebertus sic mihi est acsi servus meus vilissimus.* Cui senior: *Si caremus terreno auxilio, convertemur ad maius supplementum.* Qui ait: *Quod est illud?* Respondit senior: *Deus omnipotens factor et refactor meus ut vester, atque accipiens personam vestram ut meam.* At ille subiunxit: *Tace et festina ocius repedare, ne cum magno dedecore faciam te vitam tuam transigere.* Respondens autem uxor illius: *Absit,* ait, *absit, ut hanc umquam incurras infamiam, et generi vestro hoc dedecus inuratis, ut aliquam servo Dei iniuriam inferatis, quin potius sinite eum salvum et incolumem ut venit discedere.* Ergo his dictis, discessum est. Ille utraque gravi infirmitate invasus est per octo dies continuos, sublata ei omni facultate manducandi, bibendi, dormiendi. Fecit autem se deferri Lingonas medendi gratia; sed infirmitas divinitus immissa non minuebatur, quin immo augebatur. Tunc pro legato sibi nuper directo dirigit ocius, ut ad se accelerare festinet; qui statim missus est, addito sibi socio alio seniore. Cumque venissent coram, dixit ad legatum prius missum: *In proximo cum me adisses, minime credere poteram, petitionem tuam tam citius adfuturam. Tene ergo,* porrigens illi baculum, *sine cunctatione, quod nuper tantoties te expetente expetitum pro humilibus ac votis supplicibus contumeliosa verba rependimus, immo iniuriosa inferre facta machinati sumus.* Dixit, et illos gratulabundos reddidit, sibi autem invaletudinem pedetentim allevari gavisus est; ac redeunte salutifera esurie, qua diebus octo moestus, ut supra diximus, caruerat, cibos sibi deferri petiit. Quibus aliquantulum refectus, cubitum se collocavit, atque somno diu negato aliquantisper incubuit, mane quoque usque in horam ferme tertiam somnum protelavit. Cumque excitatus requisisset, si monachi iam venissent, responsum est, amare praestolari utrosque; et ille absque retardatione iussit eos pariter introduci. Quibus introductis, sic eos prior alloquitur: *In veritate comperi, sanctum Gorgonium apud Deum maioris esse potentiae, quam mei in terris fastus superbiae. Unde deinceps me advocatum habetote, si placet, fidissimum, quem hactenus habuistis pervasorem atrocissimum; et quidquid perdideritis, ego cocto auro restaurabo.* Dixit veraciter, et adimplevit usque in diem obitus sui valenter, adimpleta psalmistae sententia dicentis [20]: *Haec mutatio dexterae Excelsi.*

13. Fama volans populos sermone replebat, quod sanctus Gorgonius hic minime totus haberetur, sed potius ultra Rheum in episcopio [21] suo nomine decentissime insignito medietas haberetur. Qua sollicitudine stimulati, praesul videlicet Adelbero, abbas loci aliique seniores quam plurimi, quaerebant, si Deo forsitan placitum esset dignoscere veritatem. Quapropter pariter conglobati, communi decreverunt consilio, quatinus triduano ieiunio panis et aquae affligentes corpora sua, notitiam abditae sibi rei explorarent, statuentes insuper tempus et diem quo haec adorirentur. Factumque est; veniente tempore constituto post completorium, recedentibus omnibus aliis, nominatae tantum personae conveniunt, albis se induunt; post haec omnibus seris diligenter obstructis, luminaribus toto monasterio accensis, altario appropiant; deinde

a) Molins *ed.* b) *ita restituo;* Vitry *legit Mabillon, quod ita saeculo X. scriptum esse haud credam.*

15) Longueville? 16) Moulin. 17) filius Richardi Burgundiae ducis, frater Rotberti regis. cf. SS. III. 372. 18) Vaneau sive Vanaux. 19) Vitry le Français; cf. Flodoardi Ann. a. 929. 20) Ps. 76, 11. 21) Mindensi. Epistolam Milonis, a. 969. vel 970. usque 996. episcopi Mindensis, a Labbeo et Mabillonio (Acta SS. l. c. p. 204.) editam collectioni nostrae Epistolarum reservamus.

incipientes summa cum devotione letanias ad finem usque explent. Omnibus rite completis, accedens episcopus ad scrinium, primum extulit illud, secundo autem admovens manus praedicto scrinio, quo tegebantur pretiosa pignora, quodque sigillis plurimis, ut audivimus, insignitur, cum sumsisset cultellum, ac primum incideret sigillum, tantus pavor omnes invasit ac tremor, ut putarent se ilico mori. Recessit ab illis omnis fortitudo, consilium, fiducia; nec poterat quisquam alii dare audaciam praesumendi, cum penitus cunctos pariter involveret calamitatis formido et anxietudinis. Sigillum, ut fuerat ex parte dissolutum, prae timore, ut dictum est, sic dimittentes, ocius studuerunt resignare ut invenerant, putantes se continuo ibidem exanimari. Fugerunt ergo, minime valentes scire, quod Deo placuit esse occultum [20]. Hoc tantum deprehenderunt, depositum ibi thesaurum Christo carum, quem humanus oculus non est dignus habere intuitu. Verum etiam recognoverunt suae miseriae imbecillitatem, attendentes illud quod beatus Gregorius dicit: „In tanta nos deiectione heu dirutos, ut hoc ad quod creati sumus nec cernere saltim valeamus." Sed utinam succurrant, sicut expedit, merita et preces eius miseriae nostrae, quem nobis Deus dare dignatus est in hoc aerumnoso saeculo patronum ac defensorem, Amen.

14. Exstitit quidam ab ineunte aetate mutus de Augustodunensi civitate, qui saepissime sanctorum perlustraverat loca multorum, poscens suffragiis illorum et meritis tandem iam sibi opitulari. Inter quae ad ultimum venit ad sanctum Gingulfum [21]; cui nocte indicatum est, ut ad sanctum Gorgonium properaret. Qui mane facto sciscitando, ut moris est ignaris viarum, iter acceleravit versus Gorziam, quemadmodum fuerat ei revelatum. Quo demorans aliquantis diebus, custodi religioso viro plurimum cotidianis diebus importunus exstitit, ut valebat, nutibus signorum, quo sibi liceret aliqua nocte iacere in ecclesia. Qui tandem taedio victus, permisit eum iacere sub gradibus, quibus ad altare adscenditur. Ecce autem intempestae noctis silentio, dormientibus cunctis, insonuit fragore miro scrinium beati martyris, adeo ut idem custos a sonitu illo timore perculsus expergefactus fuerit. Tum, sicut post mutus retulit, videbatur ei, quasi quidam tirunculus, a lecto beati martyris veniens, mitteret in ore eius digitum indicis, atque linguam scinderet a palato; cui plurimum sanguinis profluxit ab ore super eosdem gradus, videntibus cunctis fratribus; ac deinceps Deum glorificans et patronum nostrum sanctum Gorgonium, liberam habuit loquendi facultatem. Qui cum redire vellet in propria, veniens ad Arnoldi-villam [22], irae stimulis accensus, servum suum, nescio qua de causa, dure verberibus afflixit. Confestim igitur ut prius potestate loquendi privatus est; sed cito salubri consilio reperto, rediit ad misericordiam praefati martyris, et denuo reddita est ei loquela. Deinde gratanter ad sua revertens, nobis postea visus non est.

15. Sub eisdem ferme temporibus erat quidam veteranus miles senioris nostri domni Adelberonis praesulis, infestus valde religioni nostrae, eo quod teneret plurimum terrae de abbatia nostra. Accidit ergo, ut appropinquante vitae eius termino migraret ex hoc mundo. Casu autem accidente, quin potius, ut credimus, Deo volente, erat tunc penes nos idem senior noster. Erat vero iam vespera, cum ei nuntiata fuerat mors militis, coenaque eius iam parata. Quem ilico adiit quidam seniorum nostrorum pro quadam villa nostra optima, quam inter alia plurima etiam idem miles tenuerat. Sed ille mirifice iratus, mireque prae ira, ut sibi moris erat, in nigredinem versus — sicut enim plerique ab ira rubent, ita plerique nigrescunt —, non solum nullum petenti dedit responsum, verum etiam omnibus senioribus petentibus, ut postposita ira dignaretur aliquid gustare, ita contra omnes poscentes obduruit, ut nullum prorsus audire vellet, sed incoenatus frendens ira dormitum iret. Contristatis igitur omnibus nobis de eius tristitia — mallemus enim dispendium habere maximum quam eius contristatum videre spiritum, timentes, ne forte ob hoc odio haberet locum, quem multum ante dilexerat — sanctus Gorgonius solita sibi pietate nos absque meritis nostris consolatus est. Nam senior noster tota nocte in lecto decubans, neutrum facere poterat, nec vigilare bene nec dormire. Torquebatur, anxiabatur phantasmaticis visionibus, inquietabatur in lecto, huc illucque vertebatur, repausationis quies nulla dabatur. Tandem in se reversus, surrexit a lecto, adsumtoque baculo suo, perrexit in monasterium, reddens villam per eundem baculum sancto Gorgonio; et procidens in terram, veniam postulabat a sancto, ut sibi ignosceret, quod tam obstinato animo petentibus restitisset. Dimisso ergo baculo ad caput sancti Gorgonii, ad proprium rediit stratum; deinde reliquum noctis in summa quiete peregit dormiendo, nulla re penitus inquietante. Facto itaque mane, accito eodem seniore qui prius cum de praefata villa interpellaverat una cum abbate, iussit sibi deferri baculum suum, quem ad caput sancti Gorgonii posuerat. Qui cum delatus fuisset, accipiens illum, dedit abbati monasterii, dicens: *Ecce habetote villam, pro qua sero petieratis; gratiasque rependite sancto martyri, non mihi, quoniam non sponte mea, sed ipsius cogente impulsu, hoc ago.* Itaque praefatus senior, qui plurimis verborum contumeliis se arbitrabatur impeti, talem dumtaxat audivit contumeliam. In tantum denique nostrum dilexit locum, ut cum omnis pene civitas infesta ei esset pro nobis, ipsum tamen, meritis patroni nostri suffragantibus, a proposito caritatis amore numquam solverit, sed insuper omnibus invincibilem praebuit; cui, ut petimus die ac nocte [a], tribuat Dominus summae gaudia vitae, Amen.

a) *ita distinguo;* petimus, die ac nocte tribuat *ed.*

20) Postea tamen Henricus abbas idem scrinium reseravit anno 1088, in eoque invenit S. Gorgonii caput et praecipuas corporis eius partes, quas in pretiosiorem thecam recondidit. MABILLON.
21) S. Gengulfi monasterium Tullense. 22) Arnaville.

16. Quidam iuvenis de Monte Falconis[23] atrocissimo vexabatur daemonio. Hic per loca sanctorum diversa deductus, minime liberatus est; non quod merita iustorum impetrare hoc digna non essent, sed potius illi servabatur, cui Dominus annuerat, iuxta illud apostoli: (Eph. 4, 7.) *Unicuique nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi;* ita sancto Gorgonio hoc peculiarius datum est signum. Venerat quidem diebus quadragesimae ad memoriam martyris Christi, a daemone terribiliter tortus, hebdomada ferme integra penes nos immorans. Tollebat voces, quin potius clamores ad caelum truces, horrendos, confusos diebus ac noctibus; Deum non reverebatur nec in ecclesia, dum solvere debitum fratres conveniebant pensum, quin immo augebat clamores vocum, fremere dentibus, quosque mordere, dilaniare, ferire et spuere contra ipsa veranda altaria non cessabat. Prostratus toto in terram corpore, verrebat tam fortiter pavimentum ecclesiae manibus propriis, quasi essent lapideae. Surgente eo a terra, debacchante in se maligno spiritu, confringebatur et convolvebatur quasi anguilla vel muraenula, adeo ut plerumque videretur quasi cervix natibus illius adhaerere. Erat miseriae videre, quomodo furiis infestantis inimici repletus, cruciamenta, quae corpori suo miser ingerebat, minime quasi sentiret. An sentiebat, qui dolores plurimos corpori suo inrogans, ut alterius delirans repudiabat augendo? Quid multa? Replentur in his cruciatibus dies hebdomadae restante uno; tandem misertus Dominus, orationibus sancti Gorgonii annuendo, sanavit miserum. Nam die quadam missa celebrata, fratribus aliquibus abeuntibus, plerisque restantibus, ille vesanus hac illacque bacchando per ecclesiam dum discurreret, pervenit demum ad stationem abbatis, ubi ex more dependebat coronula argentea cum candela; quam arripiens, rupta catenula argentea, inter manus suas acsi plumbum complicavit, pedibusque suis conculcandam proiecit, quousque eidem manibus vi auferretur. Statimque sanctus martyr quasi diceret: Reddam bona pro malis, qui si non dixit verbis, factis comprobavit, adimplens iussa Domini dicentis: (Matth. 5, 44.) *Orate pro persecutoribus, benefacite his qui oderunt vos,* restituit eum integrae incolumitati. Liberatus daemone, dolores corporeos, quos illi contrahere hostis humani generis impulerat, acerrime sentiebat; unde et planctus tantos emittebat, qui proderent incommoditatis quam pertulerat immanitatem. Gratias ergo liberatori rependens, reversus in sua, nobis ulterius minime paruit.

17. Alius idem daemoniacus a provisoribus suis monasterio saepedicto deductus est, qui sibilis diebus ac noctibus perstrepebat horrificis, illum nimirum imitans serpentem lubricum, qui Adam protoplastum in paradiso devicit, atque corporeae mortis sententiam cum omni stirpe suo, Domino iuste inferente, suscepit. Hic post biduum curatus est. Non immemor itaque sui, corrigia discinctus collum suum circumdedit, atque per eundem se sancto Gorgonio famulum contradidit, multo suavius iugum Domini fore sentiens quam satanae atrocissimi, qui prius eum cruciaverat tortionibus fortissimis. Hic ergo sedule, quamdiu in hac carne deguit, debitum tot annis pensum suo exsolvit benignissimo adiutori.

18. Duo hic adnecto exemplaria, ut manifestem, quantam sollicitudinis largitatem circa clientes suos[a] exercuerunt sancti Dei viri, beatus videlicet Petrus apostolorum princeps ac sanctus martyr Gorgonius, unum mulcendo devotos, aliud terrendo reprobos. Quidam fratrum eiusdem coenobii gravi torquebatur febrium aestu. Deficiens autem tam somno quam aegritudine, in terram procidit ante gradus altaris, omnipotentem Dominum pro sua infirmitate supplicaturus, tum quoque intercessorem sanctum advocans martyrem. Qui inter ipsa verba orationis dum obdormisset, vidit in somnis quasi ursum ab ore suo egredientem. Ilico expergefactus, visum fratribus indicavit, se autem ardore illo febrium carere gavisus est.

19. Alius item frater machinamenta fugae diu meditans, iter aggressus est, duo damna monasterio inferens, primum quod Deo se subducens apostatavit ab ipso, secundum quod equum optimum secum abduxit. Qui aliquamdiu foris moratus, ignoratur utrum inspirante Deo an necessitate cogente, ad monasterium repedavit. Receptus igitur iuxta praeceptum regulae, non ex animo, ut adverti poterat atque post patuit, de priori transgressione ac irritae sponsionis poenitudinem gerebat; verum lassitudine refocillatus, iterum argumenta fugae cum amaritudine animae suae diutissima, ut perpendebatur, nutibus illius diversis confabulatus, moliebatur. His factionibus pravis diebus ac noctibus cogitationum suarum cumulos augmentabat, cum ecce fluxerant dies sollemnitatis martyris Christi. Tertia vero die iam transacta, una noctium cum se sopori dedisset, videbatur ei quasi staret in ecclesia sancti Petri in choro; et repente vidit per principalem fenestram quasi introeuntem senem venerandi vultus, quem antecedebat iuvenili aetate florens quidam quasi minister. Quem adorsus prior senex: *Tu*, inquit, *serve nequam, quid nunc fraudulenta iterum machinaris conamina? Iam pridem hinc fugisti et tibi peperci; et nunc iterum eadem meditaris? Absit, absit, ut tibi nunc impune ignoscatur.* At ille respondit: *Non, senior, non ista tractavi nec volui patrare. Quid mihi imputatur unde inculpabilis sum?* At ille subiunxit: *Quid, infelix, verba mendosa prosequeris? Nonne intuitus meus cordis tui secreta videt et rimatur? Haec enim nunc corde volutas, ut fugere valeas; sed nequaquam tibi cedet in prosperum. Unde terrae provolutus, lue tibi poenas pro hoc flagitio inrogandas, quoniam non potest remanere inultum; prius enim tibi indulsi, sed modo nequaquam parco.* Haec dicens, praecepit sibi adstanti, scuticam accipere, quod est verber ex corio factum, atque illo prostrato plagas multas inferre. Illo fortiter clamante, se numquam amplius talia cogitare aut opere patrare, in his clamoribus visio discessit; et quae putabatur phantasma esse, vera inventa

a) suo *ed.*

23) Montfaucon abbatia prope Virdunum.

est. Facto mane advocans thesaurarium: *Audite,* inquit, *qualia ludibria hac nocte passus sum.* Et incipiens omnem revelationis visum ex ordine prodidit, ut supra texuimus, subnectens ad singula irrisorie: *O qualia deliramenta phantasmatum, quae nobis communis ingerit inimicus.* His dictis, eum languor pariter et mors invasit; tribulatus enim quatuor mensibus, in fine quarti mensis, cum iam imminere cerneret diem obitus sui, necessitate compulsus, indicavit abbati omnia; tandemque finem vitae fecit. Haec dixi pro his, qui Dominum curare et appendere cogitationes nostras omnes aut non credunt aut minime pavent.

20. Orta aliquando[23] tempestate seditionum inter principes huius regni, quidam[24] contra fidem suam, id est christiani nominis, agens, misit legatos, et adduxit Hungariorum gentem. Quae gens perfida dum regiones circumquaque sitas pervagaretur, devenit tandem nostrum ad locum. Erat enim forte muri tertia pars diruta, pro eo quod castelli exiguitas a senioribus ampliabatur; altitudo muri novi paululum surrexerat, interruptio tamen murorum vasta patebat aliquibus in locis, adeo ut equitando usque ad fores monasterii absque obstaculo aliquo currere valerent. Hebdomada fere integra perspicaciter ab illis in circuitu cotidie lustrabatur mane, meridie, vespere; sed tamquam grande piaculum, si proxime accederent, peractum cavebant, aut quasi columnam ardentem, in qua ipsi arderentur continuo si approximarent, vitabant. Dubium nullo modo erat, quia si venirent et litem ponere vellent, absque recrastinatione illud caperent, ni impediret eius oratio, cuius et illa fuit repulsio. Abbas loci torquebatur, anxiabatur, pavebat, manibus plaudebat, moestus querebatur dicendo: *Perdidi omnes fratres iuvenes quos Deo nutrivi! Utinam pridem induxissem illos septionibus murorum Mettensium, ut remanerent post nos Christo servientes! Si nos senes soli trucidaremur, nihil esset dispendii.* Exaudivit omnipotens Deus has voces lacrimabiles, et nos a communibus hostibus eripuit, non aliter quam si essemus in medio campo locati, ut illi in circuitu nostro minime nobis auderent propinquare. Haec dixi, ut ostenderem, orationes defensionum sancti Gorgonii praestantiores esse ullis munitionibus maceriarum, etiamsi ferreae essent. Et revera praevius illorum deducens eos, dux videlicet Lotharii regni illius temporis[24], infestissimus nobis erat; qui nullatenus nos impune reliquisset, si non eum divina manus, intercedentibus patroni nostri martyris Christi meritis, a nobis eum arceret. Recedentibus illis, ut Dominus propalaret et ducis illius in nos odium et defensionem nostram spiculis orationum sancti Gorgonii, tertio exercitum suum omnem adunari fecit, ut super nos repente insciis nobis irrueret. Qui quoties vesperi talia videbat, ut sine cunctatione diluculo nos obsidendos nossent, veniente mane acrior illum adeo cura coercebat, ut funditus nostri oblivisceretur. Quod nos vitae tempore ipsius latuit, sed Deus occultorum cognitor perpetuo incognitum esse noluit. Nam unus militum ipsius, prae ceteris dilectus eidem, nos adiens, cum suffragia peteret tam spiritualia quam carnalia, haec eadem confessus est, pronuntians vere, quod Deus illo in loco esset, ubi tantum defensionis tutamen requiesceret. Quod, ut dixi, omnino antea nesciebatur, et si sciretur, non facile crederetur.

21. In eisdem quoque diebus exstitit alius quidam miles praefati ducis, insidiari nobis satagens; cuius nequitiam tutamina sancti martyris more solito repulerunt. Nam posthabita murorum custodia, qua iam bene munitum erat, et aliquantulum seditione frigente, praesertim etiam cum de praefato milite nulla suspicio haberetur nec de aliquibus aliis, venit ipse clanculo intempestae noctis silentio, nullo penitus in muro stante, nec uno saltim puerulo, ut per scalas conscenderet murum, facturus mala quae corde volutaverat perverso, si Dominus sineret. Cumque medium valli transscenderet, vidit equus et eques tale, quod in antea ire nec valeret nec vellet. Nam equus calcaribus vehementer exagitatus moveri loco non poterat. Ipse quoque festinavit retro repedare velociter, quia illud solum poterat, qui muro propinquare nequibat, eo quod videretur ei, quasi desuper a muro saxa crepitantia minitarent[a]. Quo pavore perterritus, sub omni festinatione Venderas[25] fugit, et languore correptus in lectum decidit, atque humiliter petiit, propter Dominum mitti sibi, cui sua panderet. Missus est continuo unus e fratribus, cui omnia quae supra retulimus confessus est, quae penitus nos latebant; subiungens manifesta sibi revelatione indicatum, quia nisi benedictionem ex parte monasterii sumeret, sanitatem omnino promereri nequiret; quod et factum est. Mox enim ut benedictio missa est, panis videlicet casei ac vini, confestim cibo sumto, recuperatis viribus, languore discedente, in pristinum robur convaluit, ac deinceps professus est illi loco fidelem perpetuo se futurum.

22. Ecclesiastica refert historia res his pene simillimas. Refert enim[26], quod in confinio Persidis Romanique imperii civitas insignis haberetur. Erat tunc discidium inter Romanos et Persas, pro eo quod subici per se Romanis vitabant. Cives illius urbis Dominus omnipotens mirabiliter perculit, et mirabilius extemplo laetificavit. Convenerant Persae Romanis tandem urbem auferre suaeque ditioni subiugare. Facto itaque vespere, quo mane obsidenda erat, murus omnis civitatis corruit. Quo periculo viso, cunctus populus una cum episcopo preces ad Dominum cum lacrimis fudit. Postquam diu clamatum est, adveniente nocte, recedente plebium multitudine, toto se corde ad Deum supplicandum contulit; et ecce diluculo surgentes, repererunt omnem muri ambitum restitutum. Gavisi ergo[b] plurimum, omnipotentem Dominum pro impensa misericordia glorificaverunt. Phalanx igitur hostium quantocius ad obsidendam urbem properabat; qua per gyrum obsessa, cunctipotens Christus, qui misericordiae suae donum illis stillare coeperat, perfecit usque ad ultimum. Nam elephantorum nares tanta culicum replevit copio-

a) minitaret *ed.* b) ego *ed.*

23) a. 954. 24) Chuonradus. 25) Vendieres, ubi Iohannes natus erat. 26) Cassiodori h. trip. V. 45.

sitas, ut omnino stare ibidem nequirent, sed potius fugarentur hac et illac. Ipsi etiam regi Persarum visus est homo armis aureis terribiliter
27 fulgens super murum stare urbemque defendere. Erat enim nuntius summi Dei, ad tuitionem missus fidelis populi. Ille autem rex contrariae partis Romanum ratus esse principem: *Fugiamus*, inquit commilitonibus suis, *quia conduxerunt adversum nos imperatorem Romanum.* Quibus hoc modo fugatis, Dominus suos mirabiliter ac misericorditer ab angoribus exemit. Illos ergo sine muri obstaculo dum libuit protexit; nos etiam similiter vallo precum sancti Gorgonii absque lapideis parietibus potenter sepsit. Nonne satis sine muro, qui tertia illius parte carebamus, praesertim quoque interruptionibus apertis bipatentibus maximis? Elephantos illos agitatione culicum fugavit; equitem insidiari nobis cupientem non dissimili modo repulit, cum videretur ei, quasi conquasseretur a muro iniectis lapidibus, cum, ut supra diximus, nec unus saltim in muro staret puerulus. Mirabilis prorsus Dominus in sanctis suis, misericordissimus in peccatoribus mihi simillimis!

23. Alio tempore exstitit quidam contractus, qui non aliter ire poterat, nisi cum scamellis, quae usque nunc in testimonium miraculi foribus appendent monasterii adfixae [a]. Advenerat festivitas senioris nostri, et praefatus contractus cum reliqua vulgi multitudine confluxerat, Dominum pro sui incommoditate interventu beati martyris supplicaturus. Factumque est; et ecce fratribus nocturnalem synaxim inchoantibus iam dictus aeger magnis coepit vocibus clamare. Sciscitantur fratres nutu signorum, quid sibi vellet illa ipsius tam gravis exclamatio. Respondit: *Nonne videtis, quomodo mihi nervi extenduntur, qui gravem nimis et pene intolerabilem mihi ingerunt cruciatum?* Nec mirum; priori enim statui reparandi nervi absque tortionibus ipsius fieri nequibant, quoniam diutina curvatione fuerant marcidi. Quem amore factae in se virtutis abbas aliquamdiu tenuit, eumque acsi consanguineum fovit proprium. Qui infelix loco adsuefactus, horrea fratrum noctibus ingressus, furtum continuare maturavit. Quod audiens abbas, eum abiecit cum magno dedecore, quem prius tenuerat et aluerat paterno amore. Adimpletum est in eo psalmistae praeconium dicentis: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Haec ergo ideo inserui, ut significarem, in quantam humanum genus heu! devolutum est fecem. Cum enim beneficiis respondere debuisset divinis, quae tam per se quam per famulos suos dignatur exhibere, hoc miserabilis non facit, sed potius pro benivolentia malitiam exhibet, inobedientiam scilicet, contemtum et superbiam. Cinis quoque ac pulvis vilissimi irritare Dominum altissimum ac magnitudine immensum minime formidant, molibus suorum inretiti criminum; quin potius augent contemtum in Dominum, ut et hic, qui pro sanitate sibi reddita latrocinii intulit dispendium. Quapropter omnes hortamur caveant illud sapientissimi [26]: *Qui reddunt mala pro bonis, non recedet malum a domo eorum.*

24. Recenti praeterea tempore dux Francorum [27] validam incurrit aegritudinem. Hebdomada enim integra et eo amplius graviter febri vexatus ac dysenteria, omnem amiserat facultatem alicuius sumendi edulii, mortem sibi imminere pavitans. Hac necessitate urgente, diebus epiphaniorum merita sancti adiit Gorgonii, petens humiliter sibi subveniri. Votis his sanctus Gorgonius aurem accommodans, interventu suo dedit ei vesperi posse cibum cum delectatione sumere, quod prius multis posse diebus destiterat, ut dictum est; et continuo repletus cibo, quod subsequens est complevit, scilicet dormiendi copiam; cum subito mane consurgens totus validus ac incolumis, gratias reddidit omnipotenti Domino, quin etiam non sui oblitus, pallium sancto tradidit Gorgonio conspicuum ob memoriam praestitae sibi sanitatis; alacer denique et incolumis in crastino ad domum propriam repedavit.

25. Longum est per singula disserere, quae et quanta Dominus per patronum nostrum virtutum propalavit prodigia. Hoc tantum subnectimus, quia nobis cernentibus caecis plurimis visum reddidit, claudis gressum, mancis manuum restaurationem, daemoniacis liberationem, phreneticis, caducis, sensu fraudatis pristinam sanitatem ac celerem morborum omnium curationem; quam prolixitatem fastidii causa devitamus, cum eadem eodem modo toties repetere nauseae sit legentibus et audientibus, licet sanatis sit exhilarationis tripudium. Sed etsi nihil horum fecisset athleta Domini Gorgonius, sufficeret superque abundaret, quae potior et carior Domino est, curatio videlicet animarum, quam hic perstringere pro tempore ratum duximus, ut qui aliqua medicamina carnalia enodavimus, saltim aliqua spiritualia succincte transcurrere non differamus.

26. Cum enim hic locus esset spoliatus omnibus subsidiis tam spiritualibus quam corporalibus, et cum exterminaret aper ferus ac singularis depasceret, Dominus virtutum omnium conversus respexit de caelo, et vidit et visitavit vineam istam, atque de omnibus saeculis istuc congregavit, de Graecia [b] videlicet, Burgundia, ac de penitus totis divisis orbe Britannis, Mettensibus, Tullensibus, Verdunensibus; atque unam fidelium turmam consocians, fecit fratres non solum carne sed et spiritu, cor unum et animam unam retinentes in Domino. Cum essent pauci numero, pauca eis suffecerunt, quae et pauca habuerunt; quando vero crevit multitudo, auxit etiam Dominus meritis sancti Petri atque Gorgonii facultates non solum in possessionibus extrinsecus, verum etiam in thesauris diversis intrinsecus. Altaria, quae diu profanata fuerant asinorum porcorumque stabulis, muri quoque fictiles absque coopertura, insigniti sunt venustate et honore, prout Domino placuit. Viri

a) adfixi *ed.* b) *an* Rhaetia?

26) Prov. 17, 13. 27) Hugo Capet. Hoc a. 965. in itinere Coloniensi, mense Maio vel Iunio, factum credi posset, nisi dies epiphaniorum obsisteret.

pauperes Dominum pauperem sequentes, simpliciter ambulantes, ditati sunt virtutibus, quod Dominus magis acceptat, spiritualibus. Plerique etiam curationes corporum in meritis susceperunt; qui autem fraudulenter incedentes depravaverunt vias suas, nec sancto Domini famulo Gorgonio condignam exhibuerunt servitutem, diversis multati sunt flagellis: alii daemonibus coerciti, alii intestinis ruptis, alii sanitate medii corporis amissa, alii a lumbis deorsum incensi igne incorporali. Bonitatis vero sectatores ante diem sui exitus promeruerunt a Domino vocari, audientibus illis fratribus, qui digni inventi sunt audire; alii vero in secreto mentis sui didicerunt, quando ex hoc carnis ergastulo educerentur. Vidimus eos vere solum Dominum desiderantes, aeterna vocibus moribusque inquirere, diebus ac noctibus illo suspirare, caduca omnia nihili pendere; vilissima quaeque, et quae nos modo respicere vix, ut ita dicam, volumus, illi pro magno suscipere, veneranter adimplere, acsi ipse Dominus visibiliter consignaret, illud fideliter memoriae commendantes ac opere exercentes [28]: *Qui se humiliat exaltabitur,* et illud [29]: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Domino invenies requiem.* At nos, pro dolor! interius tumentes, magnosque nos arbitrantes, volumus in futuro exaltari a Domino, cum nolimus pro eo vel ad modicum humiliari. Sed caveamus illud nobis tempore uniuscuiusque vocationis nostrae a Domino dici: *Non fecisti quod iussi; quid imprudenti fronte requiris quod promisi?* Locus enim hic, sicut et alia loca, humilitate crevit, nec destruetur nisi superbia; quia revera per eandem prius destructus est. Ergo Domini omnipotentis clementiam interventu sanctorum atque omnium fidelium Christo famulantium humiliter imploremus, ut qui stillam inenarrabilis misericordiae suae super hunc irroravit locum, tam gratuito suae affluentiae dono quam labore praedecessorum nostrorum, nec molibus depereat nostrorum peccaminum, sed magis augeat et dilatet in dies terrenis affluentiis, quodque optabilius, spiritualibus deliciis, sicut scit ipse; nec provocatus malis nostris se subtrahat nobis fons misericordiae dominus noster Iesus Christus in ablutione peccatoris et menstruae, ut continens in ira misericordias suas, quidquid delinquimus deleat et extergat flagello disciplinae paternae, neque ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, sed misereatur ut filiis, de quibus ipse per scripturas suas dignatus est dicere [30]: *Quem diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ita nos quoque in hac aerumnosa vita Dominus corripiat flagellando, ut excussis ab anima nostra omnium naevis sordium, velut secernuntur grana cum excutiuntur fortiter aristae, et quasi aurum in fornace probatum et purgatum facti, mereamur in illo desiderabili beatorum collegio ovantes adsciscí, ubi abstersis omnibus lacrimis, mors, clamor et luctus ultra non erunt, sed pax perpetua, lux indeficiens, gaudium ineffabile de perpeti contemplationis piissimi redemtoris nostri Iesu Christi et sanctorum angelorum atque omnium electorum, qui ab initio mundi creati sunt. Ad quod nos citius perducere dignetur Dominus omnipotens, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

28) Luc. 14, 11. 29) Eccl. 3, 20. 30) Hebr. 12, 6.

TRANSLATIO SANCTI EPIPHANII.

Ut saeculo octavo et nono Germaniae ecclesias et monasteria Sanctorum reliquiis ex Italia Galliaque congestis magis magisque ditari vidimus, ita et saeculo decimo Ottones et Ottonem sequentes Germanorum proceres, clerici et laici, pro caris amicis Italiae solo commissis, Sanctorum ossa in patriam reportabant. Singulare eius rei exemplum infra in vita Deoderici Mettensis episcopi occurret, pro talibus muneribus imperatoris favorem vendere soliti. Sed nec „furto sacro", ut reliquias sibi suisque ecclesiis compararent, Otwinus Hildesheimensis episcopus et Landowardus Mindensis abstinuerunt. Rem anno 964. *perpetratam ex libello clerici Hildesheimensis, qui eam a presbytero suae ecclesiae Thangwardo, cuius opera praecipue in hoc enituit, et sociis eius acceperat, edocemur. Scripsit defuncto Otwino, igitur post annum* 984. *Rei gestae narratio olim Vincentio Bellovacensi indeque Hermanno de Lerbeke chronographo Mindensi cognita, et ex codice S. Michaelis Hildesheimensis mixto in* 4to *sec. XV. a Browero in Sideribus Germaniae edita, indeque a Leibnitio in SS. Brunsv. I.* 257 *sqq. repetita, iam ope codicis eiusdem, a viro doctissimo et de historia dioceseos Hildesheimensis optime merito Hermanno Adolfo Lüntzel, iustitiae administrandae Regi a consiliis, cuius in bibliotheca hodie servatur, benigniter mihi transmissi, iterum recognita prodit.*

Divinae[a] gratiae[b] sapientem atque in sua dispositione clementem providentiam caro humana nec digne ammirari vel lucide satis intueri suppetit, quae sic suae ecclesiae ab ipso principio electorum praevidit auxilia, ut dum hostis concitaret pugnam, haec piorum meritis fulta victrix palmam obtineret et gloriam. Hinc est, quod tota Saxonia spiritali plaudens laetitia, plurima sanctorum pignera, maioribus quoque nescita, devoto includens sinu fovet et excolit, praesentis vitae tramitem ac futurae spem certa credulitate illorum omnimodis committens. Inter quos praecellit velut lucifer Epiphanius venerabilis pater, mirificus quondam Papiae doctor, nostrae nunc patriae magnificus defensor, vir sui temporis omnibus virtute imitabilis. Huius itaque tam praeclari patrociniis viri quia nostram Dominus illustrare atque munire dignatus est patriam, quo ordine illius sacrosanctae reliquiae, studio domni Otwini venerabilissimi nostrae ecclesiae episcopi aspirante, sint primum repertae atque ad nos usque deductae, uti isdem, qui huic felicissimo intererant officio, et maxime Thangwardone venerabili presbytero, cuius opera praecipue in hoc enituit, attestante didici, non sane[c] ingenio elatus sed devotionis studio debito incitatus, stilo diligentissime traditum, posteris usitandum humiliter transmitto.

1[d]. Cum Beringarius una cum filio suo Adelberto sceptra Italici regni invaderet, atque unius gentis diadema utrique sibi usurparent, in tantum ipse Beringarius avaritiae exarsit aestu, ut pecunia captus, ius fasque quaque confundens, aliquantum etiam de terminis sancti Petri praedatoria vi sibi arripere praesumpsisset. Ad cuius rabiem reprimendam legatis[e] domni apostolici Octaviani, qui et Iohannes, invitatur[1] Romam Otto maior, Cisalpinus scilicet rex, ut aut patriciatu Romanae urbis, quae sibi a maioribus suis competebat, descisceret, vel fessis eorum rebus succurreret. Accingitur itaque communi suorum con-

a) *in codice praemittitur haec inscriptio:* Qualiter reliquiae scilicet (*lege* sancti) corporis eius translatae sunt in Hildenesheym. b) Diuine gratie *c. et ita deinceps; ita nonnunquam etiam* c *et* t, i *et* y *inter se commutantur.* c) nisi *c.* nihil *edd.* d) *capitum divisionem institui.* e) *ita corrigo;* legatus *c.*

1) a. 961.

sensu et consilio bellicosus ecclesiarum miles ac egregius princeps contra apostolicum hostem, valida suorum semper et invicta septus manu, episcoporum quoque comptus grege; inter quos domnus Othwinus, nostrae ecclesiae praesul, enituit, ipsi principi tantum commendatus quantum fide probatus. Capto vero postea in castello sancti Leonis Beringario [1], atque in Bavariam cum uxore custodiae destinato, Adelberto[a] nichilominus fugato, reddita pace ecclesiis, Roma[b] iam patricius atque imperator apostolica benedictione creatus Otto caesar, Papiam repedavit; ecclesiasque per Italiam et Tusciam, priorum principum saevitia ac insolentia neglectas ac desolatas, canonice reformavit inque antiquum statum restituit.

2. Per id temporis pervigil dominici ovilis provisor Othwinus episcopus, licet corpore suis semotus, tamen studio caritatis illis coniunctus et benivolentia, qua mirifice respersus eos percoluit, quaeque ad suae ecclesiae utilitatem et fratrum commoditatem profutura praesensit, colligere studuit; praecipue tamen, ut fida sibi suisque conciliaret patrocinia, reliquias sanctorum, quos apprime ibi celebrari comperit, ab episcopis petiit, facileque obtinuit; simulque, ne eius opera in accipiendo alicuius versutia eluderetur, vir prudens prospexit. Librorum nichilominus tam divinae lectionis quam philosophicae fictionis tantam convexit copiam, ut qui illorum penuria inerti ante torpebant otio, frequenti nunc studii caleant[c] negotio. Et quia se in huiusmodi profectu ab omni iactantiae temperavit fastu, beati Epiphanii Papiae quondam episcopi divina gratia admodum mirifice sacratissima illa contulit pignera.

3. Nam cum ille venerabilis pater, respectu divini timoris quo semper animo sollicitus extiterat, ossa sanctorum furtim surripere vel absque oraculi praemonitu transferre quasi praesumptionis duceret, ita tamen mentis suae iudicium libravit, ut nec ipse non audendum quid aggrederetur, nec quod esset agendum, sua auctoritate dehortaretur. Unde factum est, ut venerabilis presbyter frater noster, cuius superius mentionem fecimus, in huiusmodi studio omnimodis deflagrans, cum nil tale attemptare necdum[c*] patrare praesumeret — erat enim aevo provectior, ingenio simplicior, crebris se inter oratum ieiuniisque vigiliisque commacerans —, sui votum animi divino dispensandum commisit arbitrio. Non tamen in hoc coepto usquequaque antistitis destitutus auxilio, qui tanto se acrius in singulis affligebat, quanto ambobus subtilius consulebat.

4. Solemnibus itaque ieiuniorum festive expletis, divinitus, ut credo, ecce affuit Landwardi Mindensis[d] episcopi presbyter, nostro fratri contubernii gratia familiarissimus, qui illum adhuc titubantem, cui animum eius aperiret, sollicite de omnibus, acsi idem quod ille sentiret, perquisivit, sanctissimi patris Epiphanii reliquias sanctaeque virginis Speciosae, uno ambitu templi inclusas, auferre suasit; supervenientis noctis tempus, nec in aliud protelandum, illis competere. Nec mora, 964.
complacitum est; collecto per diem huic officio apparatu necessario, nocturno suffragante silentio ecclesiam intrant; se tanto opere, terra tenus strati, impares accusabant; audacis nichilominus coepti veniam exorabant, illorum se patrocinio attentius commendantes, ut vel eorum reliquiis remunerari mererentur, vel si id non dignarentur, sine damno saltem sui, ab illis protecti, coepto pie removerentur. Surgentes itaque, beati Epiphanii sepulchrum recludere diu multoque sudore certabant, nulloque ingenio, cum omne studium impendendo consumerent, proficientes, beatae Speciosae virginis tumbam in prompto aperuerunt. In pavimentum itaque ante sacras reliquias provoluti orationique aliquantulum intenti, surgentes eas deosculando hymnis et laudibus sustulerunt; quarum partem, quae fratris nostri studio illi suffragabatur, piae memoriae dominus noster Othwinus huc postea una cum beati Epiphanii reliquiis transtulit; commendata, quae sibi competebat, parte Landwardo venerabili episcopo.

5. Sed cum postea omnis spes nostri fratris, qua in adipiscendo sanctum Epiphanium animo sudavit, pene defriguisset, temptandique nullum ultra haberet solatium, ad orationum iterum ieiuniorumque confugit praesidia[e]; quod de se non praesumebat, huius sancti meritis attentius commendabat. Evolutis itaque aliquot diebus, non sine magna sui contritione, quippe qui se pro huiusmodi studio Deo totum abstinentia et supplicatione effudit, divinitus in somnis ammonitus, ut ipse mihi, satis quippe verecunde — iactantiam namque omnimodis refutaverat — exposuit, animosior factus, ieiuniis fisus simul et oraculo, nocturno aspirante tempore, assumptis personis tali negotio probatis, ecclesiam beati Epiphanii adiit. Cumque ianuae, quasi prioris successus gratia, sibi commendatae appropiaret, pulsus custodibus, qui insequebantur, cessit; ostiolumque, fenestrae instar bipedalis non amplius mensurae, ante sibi numquam cognitum casu impegit, ingressusque imminentium declinavit impetum delusitque studium. Fiducia ergo insueta fultus — erat enim simplicioris animi —, sociis inductis, temptanda quaeque primus aggreditur, illos et adhortatur. Primo sancti patris sepulchrum sollerti diligentia usquequaque perlustrantes, vident, quod hypogeo[f] specu ad quinque pedes sarcofagus, ut post claruit, infossus, desuper marmore fulciebatur, quadrato insuper adhuc muro exstructo. Columna quoque nichilominus marmorea, altaris vice eius honori dicata simul et nomini, caput versus stabat erecta, basis parte sarcofagum occupans, ut geminam praestaret gratiam, decorem scilicet et munimen. His[g] igitur quantum dabatur perfectis, consultius tempori et labori cedendum dicentibus, praedictus frater noster primus officio accingitur, alios adhortatur; sicque gratia Dei animositate freti, facillime[h] muro partim rescisso, marmore inmensi ponderis mirifice admodum a paucissimis

a) Alberto c. b) romā c. romae ed. c) calcant c. c*) nec dum c. d) myndensis c. e) p̄sedia c. f) hippogeo c. g) Hiis c. h) facilime c. 1) a. 964.

964 remoto, purgantes locum sanctum, tandem invenere sepulchrum. Illud igitur aperire certantibus maxima difficultas occurrit de statua, quae licet parte pedis, ut dixi, superposita esset, ita tamen sibi vendicavit sarcofagum, ut in aperiendo omne studium eluderetur et ingenium. Desperantibus iam omnibus, actu consilioque diu suspensis, clarum divinae pietatis effulsit miraculum. Nam repente columna, quae tumulum occupabat parte, stupentibus qui aderant, frangitur, alia incolume altare firmiter sustentante, ipsoque impetu currendo longius ab ambitu sepulchri revoluta, facultatemque illis coeptum opus implendi celeritatemque praestabat. Rebus deinde ad votum cedentibus, nil operis eludebatur, apertoque sine vi sarcofago, tantus odor exuberavit, ut aromata aeque similitudine excelleret ac dulcedine.

6. Deo itaque in commune laudato, exsurgens a terra saepedictus frater, ante tumbam bis vel ter prostratus, cum fide ac summa devotione coelestem thesaurum pretiosissimum, sancti patris Epiphanii corpus integre colligens, puro atque ad hos usus parato lintheo involvens, venerabili nostro Othwino episcopo desiderabile munus apportavit, nimium iam eius absentia suspecto; quem et lectulo ut alios deluderet cubando, pervigil circa tertiam vigiliam praestolabatur. Quod ille ita, ut erat involutum, in cappella sancti Michaelis, iuxta quam hospitabatur, devotissime susceptum altari imposuit; deinde prostratus diuturnis ymnorum melodiis grates Domino magna animi compunctione litavit, surgensque, scrinio ad hoc proviso religiosissime reconditum, anuli sui impressione diligentissime signans, Augiam insulam, in qua ipse quondam monachus regulariter nutritus et conversatus est, abbati qui tunc monasterio praesidebat[1] servandum praemisit.

7. Facta autem de hoc postea inquisitione, imperatore graviter contra hoc commoto, unanimiter clero cum populo conclamante, sublatum urbis provisorem, patriae defensorem — nam post sanctum Syrum[2], cuius praecipue eo loci pullulant merita, huius sancti patrocinio[a] innitebantur, — omnium episcoporum clerici iubentur examinari. Sed hoc terrore divinitus, ut credo, cunctorum pace sedato, religiosus pater Othwinus, cura sibi commissae plebis suspectus, quam biennio fere aulico, quamvis invitus, servitio detentus reliquerat, suam ecclesiam revisere disponit; acceptaque imperiali licentia, dum familiarius imperatori colloquitur, secretum de reliquiis sancti Epiphanii in fidei pignus praesul confitetur; sicque eius auctoritate fretus, Alpes versus properans, sospes, his transcensis, Augiam insulam conscendit; ibique aliquantum consistens, haut minus obedientiam fratribus impertivit quam dudum iuvenis consuevit; acceptaque benedictione, atque suo summo ditatus patrono, monachis reliquias deducentibus profectus, astipulante itineris proventu, aliquot diebus evolutis incorruptum thesaurum, sanctissimi patris Epiphanii pignera aliorumque complurium, ad nostram perduxit ecclesiam.

8. Quanta tunc populi laetitia, quanta tunc fuerit matrum exultatio, vel quanta in occursum tanti patris properantium clericorum esset devotio, quis valet evolvere? Quis ibi prae gaudio a lacrimis temperaret, cum decus Italiae nostrae effulsit[b] patriae, cum novum sidus illuxit nostratibus? Translatum est autem corpus eiusdem beati patris a fratre nostro decima Kalendarum Decembrium die[3]; ad nos vero, Dei gratia comitante, a domino nostro sanctae memoriae Othwino episcopo octava Kalendarum Martiarum die perductum, atque cum maxima populi frequentia universique cleri tripudio in ecclesia collocatum est.

9. *De miraculis eiusdem sancti patris.* Illud etiam diligenti devotione inserendum reor, qualiter in ipso principio sacrosancti introitus, tanti patris signis effulserit virtus. Nam die qua sanctae reliquiae ad nostram ecclesiam perducebantur, ad tanti patris obsequium frequens in via utriusque sexus occurrit concursus; quos quidam longa podagrae tabens molestia, lento subsecutus est gradu, fluentibusque iam nervis, plus gressum baculo quam naturali egit modo. Appropinquantibus itaque reliquiis, cum currendo quis alium praevertere, ut in talibus moris est, niteretur, repente ab omnibus quibus comes ierat derelictus, studio quo poterat innixus baculo, doloris, ut ita dicam, immemor, a tergo multitudinem, ne premeretur, effugeret, suos insequitur, sancti patris merita — non quippe rusticum latebat — implorans assidue: cum ecce leniter podagricus humor restringitur, fluentes arteriae solidantur, ad cursum plantae paulatim informantur. Nec tamen quamquam fide salutem deprecaturus occurrit, hanc in promptu sibi astipulari credidit; verum cautius se sustentans, dum omni corpore acrius nititur, baculus frangitur, ipseque toto pondere terrae illiditur. Ulnis itaque surgere nitens, dum pedum auxilium pertemptat, et hos diligenter contrectat, integerrimae saluti condonatos, qui ante tumore induruerant, repperit; exiliensque, sanctas reliquias comitando prosequitur. Et quia villa Upstede[4] hospitabatur, quam domum incolebat Macco nostrae ecclesiae advocatus, ab illo agnitus, cuius sedulitate quoque saepe fruebatur, dum curationis suae ordinem illi contexuit, Deum in tam perspicua virtute collaudans, venerabili antistiti nostro Othwino haec, testis infirmitatis vel sanitatis, exposuit; hoc mirificum perspicuumque opus revelare palamque praedicare suasit.

10. *Item aliud miraculum.* Nec minus quoque illud memorabile et meritorium illius insigne praetereundum arbitror, quod admodum mirifice Dominus in Vulferio nostrae ecclesiae diacono ad declaranda tam eximii patris merita, spem quoque simul totius congregationis erigendam, illius patrociniis operari dignatus est; cuius sani-

a) *ita ed.* patrocinia *c.* b) affulsit *ed.*

1) Eggehardus tunc abbas erat. 2) v. Liudprandi Antap. III. 5. 3) a. 964. imperator natalem Papiae celebravit, eo quoque tempore Lantwardus in Italia aderat. 4) hodie Upstedt.

tatis tot testes existunt, quot supersunt fratres, qui illum in monasterio tunc noverunt. Renum namque vehementi dolore graviter laborabat, nec medicorum quoque ingenio poterat mederi, licet multi gratia succurrendi accederent pluraque impertirentur. Iamque iugis passio in augmentum progressa, acrius crudescere[a] atque per dies violentius crescere coepit, ambulando usum vix baculo innixus egit; interdum quoque pedes reptando manibus adimit; aliter enim non potuit. Ecce autem in vigiliis huius sancti patris, primae horae diei psalmodiis canonice finitis, fratribus ad collationem properantibus, obseratis adhuc iuxta normam monasterialis vitae ianuis ecclesiae, ille venerabilis vir hoc tempus quo se tanto patrono attentius liberiusque lacrimis supplicationibusque mactaret nactus, nec aliud per diem, populis haec festa frequentantibus, competere sciens, suspirio gravi, anhelitu difficili, durius, ut ante numquam, dolore agitatus, baculo nitens, vix quam dictu satis sit, per gradus brachiis manibusque reptando ascendit. Nam genua tibiasque saevius iam per venas nervosque discurrens invaserat dolor; veniensque ante sacratissimum corpus, se in terram cum multo labore et ingenti doloris cruciatu proiecit, diutissimeque orationi immoratus, magna contritione cordis se totum Domino profudit. Lacrimarum itaque uberius imbre profusus, ulnis nitens paulatim surgere parat; deinde leniter notum bacilli admodum caute auxilium pertemptat; erectusque tandem sine dolore, miratur, stupet; nec tamen, quamvis salutem optet, credere audet; manum admovit, locum ubi saevius doluit pertractat; nec signum doloris sentiens ullum, pavimento sternitur, Deum praesentemque gratificat patronum; fortiterque surgens, viso venerabili fratre 965.
Wirindago presbytero, baculum, salutis indicium, quo ante sustentabatur, levat, valenter descendit, qui reptando prius ascendit. Stupefactus itaque frater repentina salute, occurrit descendenti, auctoremque tanti miraculi cognoscens laudat; et quia ipsa die fratres lavandi negotio studebant, ad balneum illis in occursum properat, quibus suae sanitatis ordinem pleniter exposuit.

11. Quanto namque ab ipso sacrosancto reliquiarum introitu meritorum illius insignia cotidianis virtutum effulserunt incrementis, clarius facta quam verba loquuntur. Quotiens enim aeris intemperiem vel pestis obortae[b] illuviem illius reliquiis nostram urbem lustrando sedavimus? Saepe quoque iugi siccitate arva torrente, easdem circumferentes, quasi imperando pluvias elicuimus. Quis enim umquam huius sancti provolutus feretro, et quaqua fractus molestia, non mox erectus, animo inter oratum eius vicina praesensit auxilia? Sed haec fortassis quibusdam videntur superflua; sunt tamen clara meritorum eius indicia firmaque posteritatis solatia.

12. Haec tantum de beneficiis per beatum atque magnificum antistitem Epiphanium divinitus nobis collatis pro ingenii[c] mediocritate perstrinxi, quod audax inceptum ac viribus impar gemina devotionis scilicet ac debita[d] gratia subii, ut et fratrum diligentiae sequenti aevo opera Dei, quae, sicut scriptum est, revelare et confiteri honorificum est, legenda devotissime subministrarem; nostro quoque tempori, tam egregia Dei facta posteritati stilo transmittere negligere, incuriae et inertiae notam meo studio abstergerem.

a) erudescere *c.* b) oborta *c.* c) ingenio *c.* d) *an* debiti gratia?

RUOTGERI

VITA BRUNONIS ARCHIEPISCOPI

COLONIENSIS.

Vitam Brunonis optimi viri, animo factisque ad Ottonis fratris magnitudinem proxime accedentis, amicus ei et in cathedra Coloniensi successor Folcmarus
1 *sive Poppo*[*], *Ruotgero clerico Coloniensi*[1] *et praecipuo defuncti familiari et comiti*[2] *scribendam iniunxit. Quo munere vir talibus amicis dignus, litterarum Romanarum*[3] *et Graecarum peritus, iudicio rectus*[4] *rerumque calamo tradendarum apprime gnarus, absque mora functus, librum egregium, et Sigeberto monente luculenter scriptum, qui tamen nonnunquam propter brevitatem intentiori animo legendus est, Folcmaro obtulit. Opus igitur anno* 966. *aut* 967.[5] *intra biennium post Brunonis obitum et paulo ante Widukindi res gestas*
7 *Saxonicas*[6] *et Hrotsuithae panegyricum*[7], *quibuscum in laudibus Brunonis congruit, absolutum, praecipuam sibi fidem conciliat, et inter primos aevi illius fontes referendum, statim ut prodiit doctis viris plurimum sese commendavit. Siquidem Folcuinus abbas, ut supra monuimus, in gestis abbatum Lobiensium nostrum ad verbum paene ducem secutus est, et Thietmarus Brunonem in cunctis divinitus humanitusque proficuitatibus pollentem celebrans*[8], *quominus de innumerabilibus tanti viri ingenuis actibus plura proferret, se libro de nobili eius conversatione scripto prohiberi dicit. Eodem tempore auctor vitae Mahthildis reginae*[9] *et saeculo post Sigebertus*[10] *nostrum exscripserunt,*
11 *Hermannus Contractus*[11], *Aegidius Aureaevallis monachus*[12], *et Trithemius eum noverant; nec apud Colonienses latuisse auctorem tantis eorum memoriae*

*) idem nomen est; cf. quae infra ad vitam Iohannis Gorziensis cap. 47. notavi. 1) praef. et cap. 13. „*huius sancti cleri senatus*“. — Eum scholarum magistrum fuisse, Leibnitius coniecit; congregationi S. Pantaleonis adscriptum fuisse ex verbis cap. 47. haud necessario efficitur. 2) c. 4: „sicut ab ipso . . hoc saepius ruminante didicimus“, c. 29. 30. 37: „in acie vidimus“, c. 43: „Wicfrido episcopo, ut ipse testis est“; ibidem inter „clientulos,“ archiepiscopi in itinere Gallico comites, fuisse videtur. 3) e. g. Terentium novit c. 39. 4) cf. e. g. quae de Friderico archiepiscopo Moguntino cap. 16, de Heinrico duce eiusque adversariis c. 17. dicit. 5) Bruno d. 11. Oct. 965, Folcmarus d. 18. Iul. 967 obiit. 6) nec tamen Widukindus Ruodgeri libro usus, eodem animo Brunonem laudat II. 36. cf. I. 31. 7) v. 53 sqq. — cf. et infra vitam Iohannis Gorziensis cap. 116. 8) II. 15. 9) cap. 9. 10) vita Deoderici c. 1. SS. ecclesiast. c. 130. chronicon ad a. 953—965. 11) a. 965. neque tamen librum habuisse videtur. 12) Gesta epp. Leod. c. 34.

titulis commendatum, altera Brunonis vita testatur, saeculo XIV. conscripta, quam Ruotgero praecipue inniti lectores facile advertent. Editionem nostram post priores Surii, Leibnitii et Byei curas ope codicum trium, omnium scilicet qui unquam innotuerunt, instituimus.

1) *C. bibl. ducalis Guelferbytanae mbr. sec. XI. in fol. inter Augusteos* 76, 14 *signatus, qui plerumque per quaterniones littera valde parva exaratus, paginis* 63[13] *complura magni momenti opera historica exhibet, Sigeberti* 13
vitam Deoderici I. Mettensis episcopi, fol. 5—18'. *vitas Goerici, Clodulfi, Adelberonis II., Romarici abbatis, Amati confessoris, Adelphi abbatis, Mansueti episcopi Tullensis auctore Adzone, quas aeque ac easdem in codice regio Parisiensi N.* 5294 *a Bettone scriptas ex antiquiore quodam libro fluxisse patet, tum fol.* 18—24. *vitam Grodegangi episcopi Mettensis; fol.* 25—30. *olim Alperti libri de diversitate temporum et de gestis pontificum Mettensium fragmentum extabant, iam in bibliotheca regia Hannoverana reconditi; fol.* 31—36. *Aviti, Severi, Evodii, Pauli scripta de S. Stephano; fol.* 36'. *Bedae epistola ad Eadfridum de vita Cuthberti; fol.* 38. *Miracula S. Wigberti; fol.* 40. *Luciani epistola de S. Stephano leguntur. Inde a folio* 43. *Ruotgeri vita Brunonis, Sermo in natali S. Pantaleonis, Stephani sermo in natali S. Maurini, Translatio S. Maurini et sermo S. Augustini; fol.* 49—63'. *Harigeri et Anselmi gesta pontificum Leodiensium habentur. Folii* 63'. *pars, fol.* 64. *et aliae codicis partes vacant. Scribis, quibus tanti libri debentur, corrector successit, qui multa passim emendavit, perperam omissa in margine et in scedulis annexis supplevit; correctorem hunc fortasse Sigebertum Gemblacensem fuisse, coniicere licet, quod tamen manus cum chronico eius autographo collata confirmabit aut refellet. Certe Sigeberto codicem hunc ad manus fuisse, operibus quae continet Sigeberto notis confirmari videtur. Inter quae vita Brunonis textum talem praebet, qualem paucis tantummodo mendis exceptis Ruotgerus scripserit, nosque servata scribendi ratione ad litteram fere exprimendum censuimus. Usus erat eo iam ante nos Leibnitius in SS. Brunsv. I.* 273 *sqq. sed Surii editione seductus, textum minus bonum et fidum dedit.*

2) *C. bibl. regiae Bruxellensis, olim S. Pantaleonis Coloniensis, iam numeris* 329—341. *signatus, membranaceus in fol. sec. XV. quem a.* 1826. *evolvi*[14] *et Bethmannus noster iam in usum nostrum convertit, a Surio*[15] *typis ex-* 15
pressus est. Exhibet vitam et miracula S. Pantaleonis, vitam et translationem S. Maurini auctore Stephano, vitam et translationem S. Albini, vitam Mahthildis reginae, testamentum ecclesiae S. Ceciliae, notitiam de constructione monasterii S. Pantaleonis, vitam breviorem S. Brunonis, Ruotgeri vitam S. Brunonis, sermones Augustini et Bedae; et Ruotgeri quidem opus insertis historiis translationum S. Evergisili et Patrocli. Altera vita magnam partem ex libro Ruotgeri hausta, propter nonnulla tamen aliis fontibus qui hodie latent debita typis vulgari meretur. Exscripsit eam et in capita distinxit Bethmannus.

3) *C. bibl. regiae Bruxellensis N.* 7460. *olim Vallicellianae, vitas SS. mensium Octobris et Novembris continens, mbr. fol. max. duabus columnis sec. XIII. scriptus, quem adhibitis Surii et Leibnitii editionibus Byeus in Actis SS. Bollandianis mensis Octobris T. IV.* 698—790. *secutus et praefatione atque commentario*

13) In eodem volumine alter codex, cuius folia iam numeris 65—156 insigniuntur, habetur, sed a nostro plane diversus, chartaceus scilicet et qui nonnisi saeculo XV. exaratus est; hinc errore manifesto totus liber saeculo XV. adscribitur in b. m. Eberti nostri catalogo codicum Guelferbytanorum, Archiv VI. 5. 14) Archiv VII. 407. 15) Acta SS. V. p. 701.

comitatus est. Detexit eum iterum a. 1839. *et in usus nostros convertit Bethmannus; textus, multis vocibus omissis, aliis additis, a genuino recedit*[16].

Capitum distinctionem, quae a Leibnitiana paululum recedit, ex codice 3. *acceptam, nonnunquam prout sententia flagitare videbatur emendavimus. Codex* 1. *capita longiora exhibet, sed omissis numeris nonnullis in hac re facem praeferre nequivit.*

INCIPIT PRAEFATIO VITAE[a] DOMNI BRUNONIS COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Domino in Christi gratia beatissimo atque in omni splendore sapientiae[c] perfectissimo Folcmaro archiepiscopo Ruotgerus[d], servorum suorum ultimus, verae claritatis gloriam sempiternam. Imposuit sanctitatis vestrae reverentia super caput meum gravem quidem sarcinam, set pro captu parvitatis meae dulcem admodum et iocundam, videlicet ut vitam mirabilis et magnifici archiepiscopi Brunonis, qua potuerim sermonis facultate, describerem. Cui virtus laudem contulit, quam, ut ipse meruit, stili mei officium implere non potuit. De ipso tamen[e] quomodocumque loqui, quia vos iussistis, delectabile fuit. Qui ab initio sic fuit animatus, ut non magis sua causa se putaret natum, quam nostra reique publicae procreatum. Fecit omnino plurima et prope infinita, quae digna fuerunt sempiterna memoria; set non expectet auditor aut a me aut a quolibet haec omnia explicanda. Quod si quis fideliter et vere agendum promitteret[f], singulos quos pueritiam praetergressus[g] vixit annos propriis et his utique spaciosis codicibus insigniret. Aestimo igitur multos longe lateque hac occupatos industria, ut gesta eius his etiam qui post futuri sunt, partim scribendo partim commemorando transmittant. Non enim in una provincia aut in uno negotiabatur regno; omnium quos adire poterat salutem benivolentiae atque laboris studiique sui quaerebat commertio. Non[h] desunt plurimi qui hoc laute et prudenter exequi possint, cum, etsi nulli alii tales valeant repperiri, in solis[i] eius discipulis omne studiorum et eloquentiae genus adhuc recenti eius memoria ita per multa terrarum loca floreat, ut maxima rerum gestarum insignia non enarrare modo, verum et exornare sufficiat. Quot quantosque de alumnis tanti viri episcopos, quantos in quacumque ecclesiasticae professionis disciplina probatissimos novimus, qui eum et familiarius noverunt, et perfectius illustribus monumentis vitam eius declarare potuerunt! Set qui sum ego, qui votis vestris, dominorum excellentissime, ausus fuerim contraire? Feci ergo quod potui, quomodo potui[k], non praesumens de scientia, set fiduciam qualemcumque retinens in obedientia. In quo etsi minus possibile mihi visum est id explere quod aggressus sum, praecepti tamen vestri dignitatem ita venerari semper et amplecti animum induxi, ut impossibilitatis meae oblitus, in manibus vestris sim oculis et animo totus. Hinc ego largifluae[l] pietati vestrae supplico[m], ut quod huic operi meo deest in pompa ornatuque sermonis, suppleat in auribus vestris eius[n] commendatio, quem pro merito virtutis tam suaviter amastis. Beatitudinem vestram Deus omnipotens ad salutem nostram diutissime incolumem[o] et benevalentem conservare dignetur[p].

INCIPIT VITA DOMNI BRUNONIS ARCHIEPISCOPI[q].

1. Sapientiae nimirum est, scire unde sit donum quod quis accepit[r*]; ne[r] a se sibi hoc esse, aut a Deo quidem sed sibi debitum, putet. Si enim quaerimus, quid nobis debeatur, nihil invenimus nisi supplicium. Misericordia autem Dei praerogavit nobis
1 Cor. 4, 7. gratiam, ut haberet, quibus redderet gratiam pro gratia; et hoc iam[s] esset debitum, quia Deus voluit, non quia homo meruit. *Quid enim habes*, ait apostolus, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ineffabili igitur provi-

a) Incipit vita 1. 2. c) gratiae *corr.* sapientiae 1. d) Rotgherus 2. Rogerus 3. e) t. me q. 3. f) promittit 3. g) *ita L.* praegressus 1. 2. 3. h) Nec 2. 3. i) solis *corr.* scolis (*deest* discipulis) 3. k) q. p. *desunt* 2. *sed postea corr.* l) largistuę 1. m) suplico 1. n) *deest* 3. o) colum 1. p) d. Explicit prologus 2. 3. q) Coloniensis *addit* 3. r*) accipit 2. r) nec 3. s) etiam 3.

16) De aliis codicibus qui Ruotgeri opus praebere dicebantur, haec addimus: C. bibl. regiae Bruxellensis Nr. 982. chart. fol. sec. XV. exeuntis nonnisi ex Ruotgeri libro decerpta, iisdem verbis fere semper servatis, exhibet, ideoque a Bethmanno neglectus est. C. bibl. ducalis Guelferbytanae inter Helmstadienses Nr. 353. chartac. in folio sec. XV, tum Codex universitatis Lipsiensis Nr. 594. et c. regius Monacensis inter Tegernseenses Nr. 897. mbr. sec. XIII. ad Ruotgeri opus minime faciunt.

dentia bonitatis Dei collatum est electis eius, ut et gratis copiosis gratiae muneribus ditentur, et tamen hoc ipsum, quo munerantur, quodammodo per gratiam mereantur; alius sic, alius vero sic, unusquisque secundum quod in eo operatur unus atque idem 1. Cor. 12, 11. spiritus, dividens singulis prout vult. Soli Unigenito non ad mensuram dat Deus Spiritum. In ipso namque, ut ait apostolus, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Col. 2, 9. membris eius pro sua cuique voluntate partitur; quibus habundanter omnia dat ad 1. Cor. 15, 28. fruendum, videlicet se ipsum, ut sit Deus omnia in omnibus. Dispar haec claritas et diversa donorum largitas nunc est admirabilis quaestio, quandoque erit honorabilis[a] pulcritudo et ornatus domus Domini, de qua dicitur Deo: *Sanctum est templum tuum,* Ps. 64, 5. 6. *mirabile in aequitate.*

2. Compertum est nuper a plurimis in venerabili Coloniensis aecclesiae archiepiscopo Brunone piae memoriae, et satis a prudentioribus intellectum, homo homini quid praestet[c], vel excellat[d]. Cuius plerique[e] dicta et opera, qui[f] familiarius eum noverant, satis admirari nequibant. Erant enim in uno illo homine res valde dissimiles: natalium nobilitas, honorum dignitas, scientiae, quae inflare solet, tanta sublimitas[g], ut nihil supra, animi vero et habitus humilitas, quantum a sagatioribus discerni potuit, ut nihil infra putares. Nam[h] media caritate constrata sunt. Arridebant[i] ei omnia quae ad fastum suppeterent, quae[k] a[l] se semper studiosissime vigilantis[m] manu discretionis abegerat. Ita aliud ad oculos hominum, aliud ad testem cordium exhibebat[n]. Cuius conversationis exemplo plurimos salubriter institui posse credimus, si eandem strictim a puericia repetamus. Habent enim in illa mediocres et humiles, unde convalescant; elati contra et divites, unde obstupescant. Attavorum eius attavi usque ad hominum memoriam omnes nobilissimi; nullus in eorum stirpe ignotus[o], nullus degener facile[p] reperitur; hic tamen omnes, salva augustorum et regum excellentia, omnino perspicacissime liniamentorum gratia, artium gloria, et omnigena animi superabat industria: natus eo 925? tempore, quo pater eius Heinricus[q] rex gloriosus, perdomita[r] barbarorum saevitia, represso etiam intestinae cladis periculo, diruta magno studio reaedificabat, et volentem populum iusticiae frenis in tutissima et optatissima[s] demum pace regebat. Ita nativitatis eius tempus iam quasi futura bonae voluntatis eius insignia praeferebat. Nam cum omne quod bonum esset[t] vivacissime semper appeteret, pacis donum quasi nutrimentum et ornamentum quoddam caeterorum[u] virtutum sollicitius expetivit, quod bonis omnibus profuturum praescivit. Tranquillitatis enim tempore nutriri[v] debent et solidari virtutes, ut perturbatione qualibet ingruente, a status sui vigore hominem emolliri non desinant.

3. Nimis longum est prosequi[v*], quomodo memoratus rex, pater huius magni viri de quo agimus, ad illam tam gratae pacis serenitatem pervenerit, cum ipse omnia regni[w] spacia et continuis finitimorum incursionibus et gravissimis inter cives etiam et[x] cognatos dissensionibus concussa et atrociter vexata repererit[y]. Hinc etenim saeva Danorum gens terra marique potens, inde centifida Sclavorum rabies barbarorum frendens inhorruit; Ungrorum nihilominus insecuta crudelitas, transgressa terminos Marahensium, quos sibi non longe ante impia usurpavit licentia, plerasque provintias regni eius ferro et igne longe lateque vastavit. Dies ante, quam huius mali materies narrandi[z] deficeret[*]. Trans Hrenum[a] occidentem versus nobis omnia rebellabant, ipsi certe regni adhuc angusti[b] principes in sua viscera pene inremediabiliter saeviebant; quae omnia vel resecare vel sanare[c] nemo nisi praecipua virtute et singulari praeditus industria posset. Set post aliquantulum[d] temporis tantus timor per gratiam divinam invasit extraneos, ut nihil umquam eis esset formidabilius; tantus amor colligavit domesticos, ut nihil umquam in quolibet potentissimo regno coniunctius videretur.

4. Eo tempore generosa regum proles, annos circiter quatuor habens, liberalibus 929. litterarum studiis imbuenda[e] Baldrico venerabili episcopo, qui adhuc superest[1], Traiectum missa est. Ubi cum ipse disciplinabiliter[f], utputa bonae indolis puer, ingenio sagaci

a) ammirabilis 2. c) prestat 3. d) v. e. *desunt* 3. e) pleraque 2. 3. f) quid 1. g) *deest* 3. h) N̄. 1. *deest* 2. 3. i) Aridebant 1. k) hec 3. l) ad 1. m) uigilanti 2. 3. n) exibebat 1. o) innotus 3. p) *deest* 2. *sed postea. corr.* q) hienricus 1. henricus 3. r) per dogmata 1. s) et o. *desunt* 3. t) *deest* 3. u) cetorum *superscripto* a 1. v) nutri 1. v*) prosequi 1. w) r. sui sp. 3. x) *deest* 3. y) repperit 3. *qui hic novum cap. incipit.* z) narranti *ed.* *) deficiet 3. a) rhenum 2. renum 3. b) *ita* 1. augusti *edd.* c) narrare 3. d) aliquantum 2. 3. e) imbuendo 3. f) disciplinaliter 3.

1) obiit a. 976.

Liudpr. IV, 14. proficeret, invisa Nordmannorum[a] tyrannides[b] quasi[c] per huiusmodi obsidem aliquantum refriguit, et aecclesiae demum ceteraque[d] aedificia, quorum ruinae vix extiterant[e], hac occasione restauratae[f] sunt. Ita nulla suae aetatis spacia absque[g] utilitate sanctae Dei aecclesiae transigebat. Per ipsum enim, licet adhuc inscium, iam christianus populus ab hostibus liber, in Dei laudibus exultabat. Deinde ubi prima grammaticae artis rudimenta percepit, sicut ab ipso in Dei omnipotentis gloriam hoc saepius ruminante didicimus, Prudentium poetam tradente magistro legere coepit. Qui sicut est et fide intentioneque catholicus, et eloquentia veritateque praecipuus, et metrorum librorumque varietate[h] elegantissimus, tanta mox dulcedine palato cordis eius complacuit, ut iam non tantum exteriorum verborum scientiam, verum intimi medullam sensus, et nectar ut ita dicam liquidissimum, maiori quam dici possit aviditate hauriret. Postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni Graeca vel Latina eloquentia, quod ingenii sui vivacitatem aufugeret. Nec vero, ut solet, aut diviciarum affluentia, aut turbarum circumstrepentium assiduitas, aut ullum[i] aliunde surrepens fastidium ab hoc nobili otio animum eius umquam avertit; ita ut mundiciam cordis eius attestaretur iugis meditatio et indefessum continuae exercitationis studium, cum iam penitus omnis huiusmodi affectio transiret in habitum, sicut scriptum est: *Ex studiis suis intellegitur puer, si munda et si recta sint opera eius.* (Prov. 20, 11.) Huc accedit, quod sicut fervorem animi sui non passus est aliorum desidia et levitate extingui aut superfluis vanisque corrumpi colloquiis, ita libros, in quibus studuit, aut quoscumque prae oculis habuit, incaute refringi aut corrugari vel quomodolibet minus diligenter tractari omnino aegerrime tulit; nihil sane in his, quae ad se pertinebant, neglegendum ducens; quoniam quidem, ut Salemon ait: *Qui minora neglegit, paulatim decidit*[k]. (Eccl. 19, 1.)

5. Igitur postquam pater eius, fundato et ad unguem pacato imperio, rebus humanis concessit, (936.) Otto filius eius maior natu, benedictione Domini auctus et oleo laeticiae unctus, magna voluntate et consensu principum regnare coepit, centesimo octogesimo octavo lustro, sexsagesimo tercio[2] indictionum circulo ab incarnatione domini nostri Iesu Christi; vir in quem spiritus Dei donum contulit singulare veritatis et fidei. Cuius virtutes si me narraturum promiserim, nimium mihi sumpserim[l], et ferendus minime fuerim. Excedit enim laus eius et gloria, quicquid vel ipse Cicero sibi promitteret in facundia. Hic germanum suum Brunonem Deo dicatum, adhuc adolescentulum, honorabiliter, ut par fuit, e scolis in palatium evocavit, locum videlicet tam lucidissimo aptum speculo, ubi, quicquid deforme per totum pene mundum esset, in studiis liquidius appareret. Huc enim ex omnibus finibus eius confluebat totum quod sibi aliquid esse videbatur. Nihilominus ab omnibus calumpnia qualibet oppressis hoc asilum unicum petebatur. Exemplar ibi sapientiae, pietatis et iusticiae supra hominum memoriam eminebat. Inde reversi, qui sibi paulo ante domi videbantur doctissimi, rubore[n] notati, rudimenta artium, quasi *Nunc coepi* dicentes, aggressi sunt. Cui in laeva parte mamillae nil saluit, sese ab hoc quasi celso tribunali exinde verecundus abstinuit. Vas illud suum implevit Dominus spiritu sapientiae et intellectus. Nec suffecit[o] ei in gazophilatium cordis sui colligere, quod in promptu habebat; peregrina insuper conduxit aenigmata, et quicquid phylosophicum terrenisque sensibus remotissimum sensit, hoc undecumque contraxit. Oblitteratas diu septem liberales artes ipse retexit. Quicquid historici, oratores, poetae et phylosophi novum et grande perstrepunt, diligentissime cum doctoribus cuiuscumque linguae perscrutatus est; et ubi magister excelluit ingenii velocitate, ibi se discipulum praebuit humilitate.

6. Saepe inter Graecorum et Latinorum doctissimos de phylosophyae sublimitate aut de cuiuslibet in illa florentis disciplinae subtilitate disputantes doctus interpres medius ipse consedit, et disputantibus ad plausum omnium, quo[p] nihil minus amaverat, satisfecit. Non enim examen improbum in illa castigavit trutina, nec se quaesivit extra; gloriam sibi aestimabat testimonium conscientiae suae[q]. Spectavit hoc frequentius iudex

a) normannorum 3. b) *ita codd.* tyrannis L. c) *deest* 3. d) ceterarumque 1. e) etiterant 1. f) restaurata 3. g) atque 1. h) *deest* 3. i) illum 1. k) decidet 3. l) supserim 1. presumpserim 3. n) rumore 3. o) sufficit (*deest* in) 3. p) quod 1. 2. q) nec quesivit extra gloriam, sed sibi sufficere estimavit testimonium c. s. 3.

2) id est intra annos 935—940 et 930—945.

in talibus falli nescius, rex orbis terrarum maximus, et qui regnum suum exterius fortitudinis et consilii vigore firmavit, interius illud tali splendore vestivit. Horum spectator et ipse Deus creditur[a], cuius misericordia donum, quodcumque tribuit, custoditur. Quis enim a tanta et tam incomparabili altitudine prohiberet arrogantiam, nisi pius ipse suam adhiberet custodiam?

7. Israel episcopus Scotigena[3], sub cuius magisterio illustrissimus hic de quo 3 loquimur plurimum se profecisse testatus est, de moribus eius[b] requisitus a quibusdam, quos ipsi audivimus hoc idem sollicitius ruminantes et quasi pro oraculo habentes, sanctum eum adprime virum esse[b] respondit. Satis laudabile scitumque doctoris de discipulo testimonium. Graeci, quibus aeque magistris usus est, ad tantam gratiam stupebant; digna nimirum de illo problemata domum suis civibus reportabant; quorum studium quondam fuisse dicitur, aut audire semper aliquid novi aut invenire. Act. 17, 21.

8. Milies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari[c], consulere afflictis, opem ferre miseris. Quae omnia sic administrabat, ut refugium factus egenis omnibus videretur. Ita cum esset in otio, nemo fere magis videbatur in negotio; nec, cum esset in negotio, umquam cessabat ab otio. Lucubrationibus intentissimus inveniendis, in dictatu, quaecumque sunt honestissima, acutissimus fuit. Latialem[d] eloquentiam non in se solum, ubi excelluit, set[e] et in multis aliis politam reddidit et inlustrem. Nullo autem hoc egit supercilio, set cum domestico lepore, tum urbana gravitate. Post epulas, cum alii, et maiores etiam ut accepimus, paulo agunt remissius, ipse lectioni et meditationi vacabat[f] attentius. Matutinum crepusculum nullo pretio vendidit, nec tunc se somno sollicitanti ullo modo credidit. Scurrilia[g] et mimica, quae in comoediis et tragoediis a personis variis edita quidam concrepantes risu se infinito concutiunt, ipse semper serio[h] lectitabat: materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compositionibus pro maximo reputabat. Translaticiis usus est scolis, non[i] corpore quidem set mente quietus[k]. Quocumque enim circumagebantur tabernacula aut castra regalia, bibliotecam suam, sicuti arcam[l] dominicam, circumduxit, ferens[m] secum et causam studii sui et instrumentum, causam in divinis, instrumentum in gentilibus libris; utputa doctus Matth. 13, 52. paterfamilias, qui novit de thesauro suo proferre nova et vetera. Nec in ipso itinere desidiae locus erat; in turba, quod paucorum est, quasi solus erat. Confabulabatur namque utillimum aliquid cum quovis, aut meditabatur id[n] ipsum in quovis.

9. Cum ad divinum ventum esset officium, animum agebat intentum, brevi quidem set pura se oratione Domino commendans. His, quibus convixerat[o], habitu et gestu aliquando, mente aliud actitans, satisfecit. Non enim aliter tam vere popularis esset, neque tam multis meliora persuasisset. Quicquid sacerdotum Domini aut perfectorum virorum quispiam illo in tempore magnum in religione moliebatur, hoc quasi solo quodam comite nitebatur; nec rebatur auctoritatem suam satis per se vehementem, nisi hunc, quasi succenturiatum[p], nosset se in divina acie sustentantem. Servus autem Dei non mediocriter in incepto profecit; rumores vulgi pro nihilo duxit; nec quod ante pedes fuit solum, set multa quoque in posterum praevidit. Hinc est, quod de fratre suo cognomento patris sui, et de Cuonone[q] in affinitatem regiam assumpto[4], dum nimiam 4 inter eos colloquii familiaritatem, et hoc maxime missarum tempore, cerneret, praesago spiritu fertur dixisse: *O in quantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo male parta contubernia resolventur!* Eventus rei non multo post dictis fidem fecit.

10. Prima dispensatio credita est illi adhuc adolescenti in quibusdam monasteriis[5]; in quibus degentes cum idoneo aecclesiae[r] testimonio, partim voluntarie partim vi, ad regularem vitam constrinxit, sciens quod et invitis bona praestantur. Ipsaque post paululum Deo sacrata loca, annuente regia liberalitate, privilegiis et immunitatibus pristinis reformavit, nihil sibi suisve[s] exinde beneficii iure reservans, nisi quantum coenobiorum

a) conditor 3. b) *deest* 3. c) patrocinali 1. d) laicalem 3. e) scilicet 2. *qui saepius ita falso l git compendio scriptum* scl. f) uaccabat 1. g) Scurilia 1. h) serie 3. i) *deest* 3. k) quietis 3. l) aquam 1. m) frequens 3. n) *deest* 2. *sed corr.* o) quibuscum v. 3. p) succentarium 3. q) conone 3. r) 1. *modo* ecclesiae *modo* ęcclesiae. s) suisuel 1.

3) fortasse idem quem a. 947. synodo Virdunensi praesentem memorat Flodoardus in Annalibus „*Israhele Brittone*“. 4) genere regis. 5) iam. a. 947. abbas erat; Flodoard h. a.

patres sponte causa caritatis obtulerant. In his extat Loresham, locus regum munificentia nobilis, adhuc in memoriam tanti viri retinens et praerogativam libertatis[6] et monimenta religionis. Deinde cum de virtute in virtutem giganteis, ut ita dicam, passibus iret, et quocumque pedem intendit, semper in voluntate Domini proficeret, orta
953. est subita tempestas dissensionis in aecclesia, dormiente credo Iesu[a] in pectoribus vigilum ante fores domus Domini excubantium; ita ut quidam Sathanae socii, invidiae spiritu distenti, imperatorem ipsum, per quem salus erat in populo, videlicet lumen orbis terrae, conarentur extinguere. Quare hoc, nisi ut non[b] arguerentur eorum mala
Ioh. 3, 20. opera? Nam teste euangelica veritate, *omnis qui male agit, odit lucem.* Cassato igitur[b] per Dei miserationem hoc per serpentinum[c] sibilum concepto consilio, nequitiae suae virus per tocius regni eius viscera diffuderunt. Quod licet ubique et legum minaretur silentium et plebis per caedes et rapinas interitum, nusquam tamen ferocius quam in occidentis partibus aestuabat[d]. Ibi principes vi et rapto assueti, populi rerum novarum cupidi, civilibus omnes[e] cladibus intenti, aliorum ditescere miseriis praeoptabant.

11. Tunc sanctae Coloniensis aecclesiae pastor Wicfridus[f] diu admodum imbecillis,
Iul. 9. regiae tamen maiestati et patriae satis fidus, fessis tandem relictis terrae artubus, supernis spiritibus sociatus est. Plebs autem destituta pastore, in ipsa confusione nil anceps nil varium molita, unicum unice optatum in domno Brunone, magnifico viro et probatissimo, sibi delegit solatium, secuta magnatum et tocius cleri consilium. Qui in[e] iuvenili corpore moribus maturus, in maximo nobilitatis fastu humilis et mansuetus erat;
Rom. 12, 3. in sublimitate sapientiae, quam percepit, non plus sapere quam oportet sapere, set sapere ad sobrietatem animum induxit; in regali affluentia parcus sibi, dives amicis fuit. In ea primum electione praeter caeteros Godefridus floruit episcopus[7]; set si[g] quis alium voto praeiret, difficile quispiam expediret. Hoc uno inter spem metumque dubii ferebantur, quod honoris dignitatem et viri gloriam metientes, indignum fore tantae sublimitati metuebant, quod ei cum tanto ambito praeparabant. Et revera si quis in toto hoc regno locus esset augustior, aut certe clero, populo, aecclesiis, omnique apparatu elegantior, hic tanti pastoris receptui[h] ab omnibus qui eum noverant dignior putaretur.

12. Conspirantibus itaque omnibus et idem in Christo sentientibus, cum adhuc inhumatum et ad oculos positum secundum consuetudinem loci corpus bonae memoriae decessoris eius aspicerent, electi sunt a senatu sanctissimo quatuor summi viri et eodem numero laici, omnes adprime eruditi, qui omnia haec perferrent ad palatium, et patefacta[i] post defletam destitutionem electionis unanimitate, memoratum desolatis flagitarent solatium. Quid multa? Complacuit, Deo gratias, imperatoriae[8] auctoritati, sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta constantia visitatorem festinanter ad destituti gregis custodiam mitteret. Missus tandem e castris terreni imperii in coelestis regis tabernacula cum spiritualibus nequiciis pugnaturus intravit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei prae se ferens[k]. In illo mox novi eius comites viderant et quod blandiebatur et quod terrebat. Affabilem namque se valde et mitem praebuit, et cum eius industriam in agendis nihil effugeret, requisivit tamen undecumque sollicitius, quid agendum sibi esset, quibus consuetudinibus inniti debuisset. Erat ei comitate condita gravitas; ita confluenti turbae modicum[l] hilaris et per omnia mirabilis apparebat.

13. Ventum est ad sacratissimam sedem, huic pio provisori ab omnipotente Domino ante tempora praeparatam, in ipso tempore praesentatam. Factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio vulgi; novis gaudiis exultavit civitas. Clerus ex monasteriis convenit, sanctimonialium multitudo concurrit, conditio quaelibet et sexus uterque plus solito ad gaudia convenerunt. Aecclesia laeta prolem suam, maternis eatenus[m] lactatam uberibus, iam in Christi gratia adultam, in die tantae sollempnitatis ablactavit, et spiritualiter matrem esse constituit, quae sibi postmodum filiolos, in quibus Christus

a) illum 2. b) *deest* 3. c) serpentium 3. d) estuabant 3. e) *deest* 3. f) wiikfridus 2. g) *deest* 2. 3. h) preceptui 3. i) patefactā 1. k) f. referens 3. *ipse corr. in rasura.* l) modice 3. m) cathenis 2. *sed corr.*

6) a. 956. ius liberae electionis redditum accepit. Cont. Reginonis. 7) Spirensem fuisse Cornelius Byeus coniicit; sed quid officii Spirensi episcopo in diocesi Coloniensi, nisi legatum regium electioni deputatum fuisse statuas? 8) regiae potius tunc temporis.

formaretur, affectu dulcissimo parturiret. Episcopi autem, qui frequentes aderant, et [953.] huius sancti cleri senatus, acclamantibus cunctis in voce exultationis et salutis, electum a Deo et hominibus virum super cathedram pontificalem sedere fecerunt, et laudem Deo simul universi clamore, quo quisque[a] poterat, in organis nihilominus et cymbalis et quocumque signo laeticiae personuerunt.

14. Exinde omnis eius intentio, omne studium, sanctae matri aecclesiae aut munimento fuit aut ornamento. Munienda scilicet erat exterius, ornanda interius; munienda in secularibus, ornanda in spiritualibus[b]. Dilexit ante omnia decorem domus Domini [Ps. 25, 8.] et locum habitationis gloriae eius; hoc se ardere desiderio multis modis perspicaciter[c] ostendit, quod hic scripto perstringere necesse non est, quoniam quidem illustrium eius factorum memoria recens est, nec in eius populo de eo loqui cessabit omnis qui fidem et veritatem amabit. Quaedam tamen de his, ut proposuimus, propter exemplum et instructionem plurimorum scriptorum silentio tegenda non sunt. Inpossibile namque est, tanti viri gesta per cotidianos virtutum profectus evolvere, dignisque factorum laudibus magna eius merita congruenter attollere, quae longe lateque more prudentissimae apis, ut Christi bonus odor esse posset, benefaciendo et oppressorum inopiam sustentando collegerat. Hoc nimirum aliis ad vitam, aliis ad mortem erat. Nam qui amaritudinis zelo succensi, bonarum artium[d] ignari, dissimillima suis factis studia, quae nec[e] inmutare poterant nec venerari noverant, detrahendo et maledicendo pervertere conabantur, mortem sibi et vae perpetuum comparabant, secundum prophetae comminationem dicentis: *Vae, qui dicunt malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras* [Ies. 5. 20.] *lucem et lucem tenebras! — Qui vero sequitur me*, dicit Dominus[f], *non ambulat in tenebris*. [Ioh. 8. 12.] Hic profecto ante tempus non iudicat, nec quemlibet facile ex sua sententia dampnat. Bonis igitur propositum est pessimis displicere, unde vitam suam non popularium vanitate sermonum, set conscientiae veritate metiuntur.

15. Antequam in suggestum pontificalem vir iste in lege Domini eruditus ascenderet, seditiosis nostrae rei publicae civibus, quos inflammavit spiritus Satanae insurgere in christum Domini, erat spes quaedam Colonia[g] potiundi; ita magnanimum regni Lotharici populum aut pacis sibi foedere devinciri, aut crebro belli impetu propter oportunitatem loci terreri posse arbitrabantur[h]. Set postquam illam hic filius pacis, custos aecclesiarum Dei pervigil, introivit, dici non potest, quanto moerore sint afflicti, quanta desperatione incepti sui perficiendi obducti sunt, quicumque in hoc regno erant pacis inimici. Hinc blasphemiae, maledicta, probra et multimoda impietatis commenta. Sane mentita[i] est iniquitas sibi, ut quia[k] pastorem nec corrumpi nec ullo modo seduci posse sciebant, gregem saltem ab eius amore, si quis daretur huiusmodi fraudis processus, his mendatiorum ostentis averterent. Docti namque et magni viri invidiam[l] promereri norunt, habere nolunt.

16. Ea tempestate ab imperatore et exercitu eius obsessa est Magontia, urbs [Aug.] nobilis et opulenta. Erat enim referta[m] hostibus et insidiatoribus regni; et ubi vigere solebat sinceritas religionis, illuc maxima confluxit sentina dissensionis. De archiepiscopo loci varius principum aeque et vulgi sermo fuit: alii innocentiam eius in coelum ferre, virtutes praedicare, ea quae passim, et in illis praesertim partibus, per civile malum perperam agebantur, ipsi prae omnibus odiosa dicere; quippe partes eum execrari testabantur, idcirco e medio secedere; minimum curare, cui urbs pateret, cui milites obedirent. Haec fere illorum erat sententia, qui coniuratione impia foederati, eius iugi auxilio et consilio in omnibus se fretos esse iactabant; hoc solo causam suam defendentes, quod nequaquam reproba esse posset, cui talis vir communicare vellet. Alii vero, et pene omnes quorum cordibus divina gratia inspiravit, potestatem a Deo ordinatam[n] venerari, imperatorem omni devotione sequi, tutorem opum, vindicem[o] scelerum, largitorem honorum. Ipsi etiam, quibus domi sua res familiaris, coniuges et liberi curae erant, aut pax et salus sua quomodocumque dulcis extiterat, longe aliter huius viri merita aestimabant. Nos interim haec Dei iudicio relinquamus, et a diverticulo ad propositum redeamus.

a) quo quis ei 3. b) muniendo scilicet ext. ornando int. (m. in s. o. in sp. *desunt*) 3. c) specialiter 2. 3. d) arcium 1. e) *deest* 3. f) d. D. *deest* 2. g) coloniam 2. h) arbitrantur 3. i) inimica *L.* k) quem 3. l) inuidia 1. m) refecta 2. *sed corr.* n) o. a deo 2. o) vindicte 2. *sed corr.*

953. Aug. 17. Novum itaque Agripinae[a] civitatis custodem et designatum antistitem imperator ad novum invitavit consilium, expertus, quid ante hanc iniunctam ei curam mente linguaque posset. Ibi varius altrinsecus assentantium favor, et prope, cui merito crederetur, incertum. Audire hoc erat frequentius, etiam ab his qui in castris regalibus militabant, laudare adversae partis fortitudinem, praeferre in eisdem innocentiam causae, quod coacti et nimis inviti hunc sibi laborem assumerent. Et quoniam quidem nec inter[b] hostes quisquam tam demens inventus est, qui maiestatem regiam blasphemaret, in Heinricum fratrem eius, Bauwariorum ducem et marchionem inclitum, barbaris et omnibus id locorum gentibus, ipsis etiam Graecis, formidabilem, crudelitatis inchoatae culpam omnem et malitiam retorquebant. Re vera autem quo quis melior, et ad conservandam imperatori et regno eius fidem promptior erat, hunc magis exosum habebant[9]. In hoc impie latrocinantis et periurae partis odium[c] Bruno, gloriosus et populo Dei optatus praesul, semet ipsum sponte libensque coniecit, nec duplici corde nec labiis dolosis cuiquam occasionem praebens, aut dissimulare quod vellet, aut simulare quod nollet. Ita neque alium fallere animum induxit, neque ab alio[d] se falli ipse consensit. Prius tamen dura temptavit corda[e] rebellium, si quo modo ullis salutiferae suasionis eius et doctrinae possent curari fomentis; ultimam cauterii differens medicinam, donec pia sollicitudine diligentius experiretur, quid[f] sibi haec infrenis audatia polliceretur.

18. Erat in ea coniuratione princeps imperatoris filius Liudulfus[g], unice clarus et spectabilis adolescens, qui non solum ad conservanda[h], verum etiam ad exornanda patriae monimenta victoriae sufficeret, si seductoribus minime credidisset, et heres esse, non proditor, voluisset. Set quia, festinans ditari, paterno non meruit obedire consilio, contigit illi secundum veridicam Salemonis sententiam, ut hereditas, ad quam festinavit (Prov. 20, 21.) in principio, in novissimo benedictione careret. Egregius ergo ut[i] plenus consilii, futurus et iam designatus, ut diximus, sacerdos Domini, dolens de contemptu[k] fratris, de interitu nepotis, eundem accepta fide per obsides in castra beluino animo venientem, (Widuk. III, 18.) eductum ut ferunt de turba, seorsum ita allocutus est: *Nescis, iuvenum omnium quos terra tulit clarissime, quantum tibi tuisque profueris, si ammonitionis meae verba in pectoris tui secreta demiseris. Tu namque maxima gloriosissimi patris tui cura et nostra gloria, quid nobis sperandum relinquis, si te ipsum nostris votis ademeris? Non respicis honorandam pii genitoris tui*[l] *canitiem, quem te contristari*[m]*, cui te iniuriam inferre non expedit? Non recordaris eius paternam erga te semper a puero pietatem? Deum, mihi crede, offendis, cum patrem contemnis. Non est quod te excuses. Ad iniuriam eius respicit, quicquid novum contra hoc regnum absque eius voluntate moliris. Causam tuam tractas cum inimicis tuis, quo contra decuit*[n] *cum amicis. Illi enim non te, set quae sua*[o] *sunt, quaerunt in te; salutem tuam parvi pendunt; verbis omnia, non rerum veritate metiuntur*[p]. *Vide, quaeso, quo te ducant, ne forte seducant. Qui eras gaudium et corona patris tui, spes et oblectatio tocius regni, quomodo conversus es in amaritudinem? Desine tandem esse Absalon, ut possis esse Salemon. Cogita*[q]*, quis te tantum exaltaverit, quis omnes regni huius principes tibi sacramentorum fide firmaverit. Quare hoc fecit*[r]*? Numquid ut ingratus existas? Numquid ut proditor esse discas? Vere insaniunt, qui te sic decipere volunt. Time cottidianos singultus, expavesce frequentes gemitus, horresce lacrimas patris tui. Minus aegre ferret, totum sibi ab hostibus praeripi regnum, quam te, cui servat regnum. Innocens cor tuum venenosis heu! blanditiis seductum est; paternae pietatis patet sinus, in quo nullus est dolus. Dolet pius pater filium sibi corruptorum impietate praereptum; gaudebit ad reditum. Si paulo iratior est seductoribus tuis, cito mitescet, cum te suas delicias receperit; nec scelere, set errore hoc actum esse iudicabit, cum te sibi restitutum senserit, quem etiam plus quam se ipsum amavit!*

19. Haec et his similia domnus Bruno, vir bonus, dicendi peritus, de salute pulcherrimi iuvenis valde sollicitus perorabat. Ille vero, quasi cuius mentem Erinnis[s]

a) agrippine 2. 3. b) in 3. c) odivit 3. *qui falso hic novum caput incipit, sed erroris conscius ad marginem* . V. *posuit.* d) ab a. *desunt* 3. e) *deest* 3. f) quod 2. g) liodulfus 1. ladolfus 2. h) confirmanda *corr.* conseruanda 1. i) E. uero p. 3. k) conteptu 1. l) *deest* 3. m) contristare 2. n) *deest* 3. o) tua 3. p) Non istud est sapere *add.* 3. (*deest* ne fortes). q) tecum *add.* 3. r) fecisti *L.* s) erinis 1. 2.

9) igitur Heinricum oderant, quod regi utilis et fidus esset.

ad coeptum[a] nefas instigasset, aurem cordis sui neutiquam passus est huiusmodi monitis admoveri; vix auditu exteriore, ne videretur nimis insolens, propinquavit. Innocens enim ab huius dissensionis miseria videri quam esse, honestius duxit. Movit eius iuvenilem animum anxietas et metus elegantissimorum comitum, qui nisi illius impiae coniurationis tabo[b] essent infecti, ornatus et iocunditas esse possent[c] imperatoriae dignitati. Tunc utique tam desiderabilem, tam manu fortem, tam egregiam eius prolem deceret hoc agmine stipari, de hac delecta iuvenum excellentia gloriari. Erat prae omnibus in eius animo quasi quidam stimulus dux paulo ante fortissimus, tunc autem praedo audacissimus, Cuono; etiam parta, ut ipsi iactabant, divitiarum et regni gloria, set revera labor sterilis pro tranquillitate, sollicitudo semper anxia pro securitate. Nam is, cui ut ita dicam omnia erant in manibus, agendo ut plus haberet, ut nihil haberet omnimodis effecerunt. Interea tamen modis omnibus, nec dolis minus quam viribus, certare, neque[d] dies neque noctes requiescere, adversarios inter se[e] suspectos facere, nihil intemptatum relinquere neque quicquam pensi habere, dummodo id efficerent, ut maximis intra regnum urbibus, et his opulentissimis, quocumque ingenio potirentur, inde cunctis regni finibus facile se imperaturos[f] arbitrantes. Ac ne quid penitus sine fraude fieret, cum Arnoldo, strenuo imprimis viro, cui summa rerum per idem tempus in Bauwariorum terra[10] commissa fuit, secretius[g] pollicitationibus infinitis, commemorando 10
insuper odium vetus, egerunt, ut se primum, deinde[g*] urbem praeclaram, postremo totum illud regnum Heinrico duci periurus abdicaret. Tantum sibi roboris inter eos invidia et odium vendicavit. Simul Ungros, antiquam pestem patriae, sollicitabant, ut regnum in se ipsum divisum invaderent; arbitrantes, hoc modo sibi[h] sollicitudinem, qua premebantur, aut penitus adimi aut aliquatenus minui posse.

20. Hac de re, utputa[i] tam subita et improvisa, commotus imperator, et magis illorum miseriae quam suo dampno dolens, obsidionem Magontiae, accepto tandem quod petebatur pacto, dimisit; e[m] castris orientem versus cum his, quos fidos habuit, consultum partibus illis, festine proficisci disposuit; fratrem suum Brunonem occidenti tutorem et provisorem, et ut ita dicam archiducem, in tam periculoso tempore misit; cui talia mandata dedit: *Unum nos semper idemque sensisse, nec umquam vota nostra in quocumque negotio discrepasse, dici non potest, frater dilectissime, quantum delector; et hoc est quod in acerbis meis[n] me maxime consolatur, cum video per Dei omnipotentis gratiam nostro imperio regale sacerdotium accessisse. In te namque et sacerdotalis religio et regia pollet fortitudo, ut et scias sua cuique tribuere, quod est iusticiae, et possis adversariorum sive terrori sive fraudi resistere, quod est fortitudinis et iusticiae[o]. Nec abesse tibi iam dudum perpendi ipsam ingenuarum artium[p] matrem et vere virtutem[q] philosophiae, quae te ad hanc modestiam magnitudinemque animi erudivit. Scio itaque, frater mi, scio, quod nemo prudentiae tuae persuadebit, id tua non interesse, quantum perversi de bonorum pernitię glorientur, quacumque id quod intenderint honestate verborum velent[s]. Dicent fortasse, bellis haec sedanda esse, quae ad te non pertineant, quae tui minysterii dignitatem non deceant. Huiusmodi fraudulenta verborum iactantia istius metropolis praesul[11], vides, quantos seduxit[t], quantos ad civilis cladis rabiem illexit; qui si subducere se vellet a dissensione, quemadmodum fingit, et bellorum periculo, ut religioso degere posset in otio, nobis profecto et nostrae rei publicae melius id, quod ei regali munificentia contulimus, reddidisset quam hostibus. Hostes dico, ut fere omnes sentiunt, nefarios civium praedones, patriae proditores, regni vastatores, militiae desertores[u], qui me ipsum utique sacrilega audatia suis, credo, manibus necatum, aut quovis quam acerbissimo mortis genere perisse vellent; cui filium sustulerunt, fratrem[v] regno, liberis, ipsaque dulci coniuge, vita denique ipsa privare contendunt. Tu solus mihi demum es solidum, fidum firmumque solatium, qui tantum ab ineunte aetate in bonis actibus[w] profecisti, ut benefacere summaque diligentia omnia circumspicere tibi iam ex consuetudine in naturam venerit[x]. Te plane sospite*

a) acceptum 1. 2. 3. b) tabe 2. c) p. etiam i. 2. 3. d) ut neque 3. e) a. interdum 3. f) impetraturos 1. g) secretas 2. g*) d. Regenesburgh u. 3. h) *deest* 3. i) imputa 1. m) et (*deest* castris) 3. n) *addunt* rebus 2. 3. o) constantiae *praefert Leibnitius.* p) arcium 1. q) uirtutum 1. s) uellent 1. 2. t) q. s. *desunt* 3. u) r. v. m. d. *desunt* 3. v) fratrum 2. fratre 3. w) artibus 3. x) ueniret 1. 2.

10) comes palatinus, cui Heinricus Baioariam commendaverat. Vita Udalrici c. 10. 11) Fridericus Moguntinus.

953. Sept. *si iucunde et ex integro fruitus fuero, ut mens mea semper flagitat, desiderium postulat, animus implorat: tum dignitas, tum gloria, tum decus aderit. Praesidii satis habundeque nobis est; ne nobis nos desimus! Hoc vero summopere curandum est. Tu mihi, tu inquam testis, quanta cura quantaque benivolentia foverem, tuerer, amplecterer hos, quos modo tam crudeles patior, quibus tamen adhuc quam libentissime mederi vellem, si sibi ipsi parcere vellent. Ah quanta*[*] *importunitate praecipites perire festinant, secumque prolem meam innocenter educatam in omnia scelera versant! Ita in potestatibus temperare illis adeo difficile est, qui per ambitionem probos se non esse, set videri, praeoptant. Nosti dilectissime, quod quidem cum dolore recolo, eos mihi frequenter duriores et magis*[a] *infidos fuisse, quos amplius fovi, quos in multis necessitudinibus foederatissimos amavi, quos denique mihi coniunctissimos aestimavi*[b]. *Grave hoc perpessu*[c] *fuit, duplex miseria. Quod autem me urguet, mala superiora praeponderat, cum ille quem genui praereptus mihi, paternae pietati didicit insidiari. Enitere igitur, vir Deo dedite, non quo modo primum, set modo potissimum; enitere, quaeso, consilio illo tuo quo calles plurimum, ut pro loco et tempore aut arma desuadeas, aut quoquo pacto compescas. Absens tibi corpore, ubicumque ero, gaudeam tibi, grituler providentiae et moderationi tuae. Id mihi reputare libet quod feceris, id itidem*[d] *libeat tibi quod fecero. Opto et cumulate desidero, ut ea nobis sit votorum et oblectamenti summa, non tantum coram Deo, set etiam coram hominibus, provideri bona alterutrum ea quae sunt, et si fieri potest, cum omnibus habere pacem.* Deinde postquam ruerunt in oscula, non sine lacrimis ab invicem digredientes, imperator orientem, frater eius occidentem petivit.

Sept. 21. 21. Moxque ad Aquas Grani palatii[e] properavit[11]. Ibi principes regni, quorum id intererat, convenit, eos variis multisque modis instruxit, atque hoc cum eis potissimum egit, ne seductoribus aut vanis eorum promissis crederent, ne minas timerent[f], regiae maiestati et suae ipsorum fidei pollicitationes nullas praeponerent; spondens se ante[g] tempus et in tempore semper paratum fore, ut[h] pacem aecclesiae violatam, si sic necesse esset, vitae etiam suae periculo reformaret. Hoc facto, Coloniam laetus adiit; expecta- Sept. 25. batur ordinationis tempus et unctionis laeticia salutaris. Hoc facto, innovatum est gaudium plebis, et refulxit in conspectu omnium qui convenerant, ornatus stola iocunditatis, sacerdos domini Salvatoris. Postea nardus pretiosa dedit odorem suum; in medio aec- Exod. 28, 35. clesiae aperuit os suum. Audiebatur secundum legale institutum sonitus intrantis in

*) *ita corrigo*. Aliquanta 1. (2. 3?) a) magnis 1. b) existimavi 3. c) perpessum 3. d) f. identidem 3. e) palatium 3. f) terrerent 3. g) autem 3. (*deest* se). h) vel 2. i) plebis *vel eiusmodi vocabulum deest.*

11) De tempore electionis et ordinationis cf. Ballerinorum editionem Opp. Ratherii, p. LXXVII. Ratherius eodem die quo Bruno electus et consecratus est, praesentibus praeterea Rotberto Trevirensi archiepiscopo, Balderico Ultraiectino, Hildebaldo Mimigardevordensi, Druogone Osnabrugensi, Berengario Virdunensi, Folberto Cameracensi episcopis. Ratherius in Phrenesi haec ita narrat (c. 1.): *Pulsus episcopio Veronensi Italiae, ordinatus ubi fuerat, cum ad gloriosissimi regis se contulisset Ottonis auxilium, copiaque restitutionis praecessisset nulla, ipso quoque piissimo rege conante, data optione, interventu fratris eius Brunonis archipraesulis atque patratu, postquam electus coram eodem ad Aquas quod dicitur Grani palatium, non solum ab his quorum intererat specialius, sed et ab episcopis, abbatibus, comitibus, totiusque regni primoribus quarta solemnis ieiunii septimi mensis feria fuerat expetitus: rursum sequenti dominica ab eodem, hoc est Leodicensis ecclesiae populo electus, septem a coepiscopis, duo quorum fuerant archipraesules, ceteri praesules, praelibato scilicet Brunone, Rodberto, Baldrico, Hildibaldo, Druogone, Berengario, atque Folberto, conniventia decretorum, consensu atque exemplis nonnullorum, quibus et id contigerat, antiquorum, summo totius quae aderat*[i] *favore, destinatus eidem atque solemniter inthronizatus ecclesiae; cumque postea ingenio iam fati Baldrici, patratuque, qui eum super ambonem ecclesiae Coloniensis spectanti cuncto specialius collaudaverat populo, Rodberti Trevirorum archiepiscopi, vi publica comitum Regeneri atque Ruoduolti — nepos ipsorum, qui et filius fratris exstiterat Baldrici, talia ut quid contigerint ne difficile sit coniectari, eiusdem nominis puer quidam ut institueretur — et ut per omnia materies personarum acceptione pateat neglecta, timiditate iam dicti regis germani — ne scilicet iam fati comites a rege ad Conradum, qui tunc contra ipsum agebat, deficerent sibique cum eo inimicarentur, vel, quod verius ipsius asserunt defensores, resistendo quia nullum habere potuit idem archiepiscopus, ut inhiaverat, ex episcopi amicis vel militibus adiutorem — fuisset expulsus, Moguntiaeque benignitate archiepiscopi Willihelmi filii regis munificentissima copiosissime frueretur: data otii occasione, curavit, quae circa eum acta fuerant, in libros digerere, qualitas elaborans ne vel curiosis lateret sui temporis. Utique hoc audientes duo illi eius specialius inimici, Rodbertus videlicet et Baldricus, dixerunt eum phreneticum esse.*

domum domini Dei; exemplum et documentum factus est omnibus obtemperantibus sibi in salutem. Quid autem fecerit, quomodo docuerit, qualiter pro pace aecclesiarum Dei se ipsum impenderit, actu[a] est mirabile, dictu difficile. Tantum enim superiorum insignia huius cotidiana opera praecedebant, ut totum, quod in aecclesiis sive ampliandis sive restaurandis, quod in reliquiis et corporibus sanctorum in suam parrochiam transferendis, quod in privatis vel publicis[a*] aedificiis componendis, quod in ordinandis domibus familiaeque sanctae Dei aecclesiae rebus fecerat, ad aliorum opera[b] pene incomparabile videretur. Nam sicut super omnes[c] docentes se intellexit, ita cordis sui[d] aciem, ingenii acumen, animi vigorem, ad maiora sapientiae et virtutis opera direxit[e]. De religione primo et cultu Dei, quod Graeci theosebian[f] dicunt, secundum datam sibi sapientiam, canonicam et apostolicam auctoritatem secutus, instituit, ut multitudinis, quae in diversis[g] congregationibus ad eius honorabilem sedem pertinentibus erat, unum cor esset et anima una; ut vestium superfluitas, morum inaequalitas, et quicquid hoc modo[h] effeminatum et indecens in eius aecclesia videretur, vera et spirituali circumcisione, quod est initium sapientiae, diligentissime abscideretur; ut divinis ministeriis[i] omnes, quorum id intererat, intentissime[m] secundum praefixam sibi regulam viverent, nec aliam sibi suae salutis causam ullatenus aestimarent. 953. Sept.

22. Haec et his similia cum venerandis patribus et cleri sui senioribus frequens egit, eosque in custodia dominici gregis secum pariter invigilare sollicitus ammonuit; et quia culpa temporum urguebatur, ut rarius haec cum illis ageret quam volebat, sollicitius absens non minus quam praesens, spiritu fervens[n], Domino serviens aestuabat. Erant ei foras[o] pugnae, intus timores. Pugnabat contra luporum aecclesiam Dei devastare cupientium rabiem; timebat Domini ovium simplicitati, sicut apostolus: *Timeo* inquid, *ne, serpens sicut Evam seduxit astucia sua, ita sensus vestri corrumpantur a simplicitate, quae est in Christo Iesu.* (2 Cor. 11, 3.) Ita exercitato pectore contra adversa omnia robustissimus erat; in prosperis quoque talis animus minime vacillabat, rebus aeque et crebris exercitationibus docens omnes sibi subditos, sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Visus est singulari illa mentis suae agilitate pene excessisse generale illud, quo dicitur, mentem, cum dividitur ad multa, fieri minorem ad singula. Cogente igitur[p] imperiali auctoritate, suscepit, ut iam dictum est, tractare negotia regni apud Lotharios[q]. Et cum unicuique de principibus et magistratibus suum partiretur onus[r], unicuique sibi congruum imperaret opus, nihil tamen erat, quod non ipse obiret; hoc maxima consilii vivacitate providens, quod omnibus expediret.

23. Causantur forte aliqui divinae dispensationis ignari, quare episcopus rem populi et pericula belli tractaverit, cum animarum tantummodo curam susceperit. Quibus res ipsa facile, si quid sanum sapiunt, satisfacit, cum tantum et tam insuetum illis praesertim partibus pacis bonum per hunc tutorem et doctorem fidelis populi longe lateque propagatum aspiciunt, ne pro hac re quasi in tenebras amplius, ubi non est praesentia lucis, offendant[s]. Nec vero nova fuit huius mundi[t] gubernatio aut sanctae Dei aecclesiae rectoribus antea inusitata; cuius exempla si quis requisierit[u], in promptu sunt[v]. Nos vero ad alia festinantes, quid quisque[w] de pio hoc viro loquatur, suo ipsius iudicio relinquimus; scientes, sani capitis esse neminem, qui bonum evidentissimum ullo maledicti obprobrio fuscare nitatur. Honestum enim et utile[x] nostrae rei publicae fuit omne quod fecit. Factis vero suis hunc finem nequaquam constituit, ut nonnisi per hominum ora favorem captando volarent, set ita vixit, ita opera sua coram hominibus temperavit, ut pessimis horrori, bonis esset honori. His aperte cunctis innotuit, quod in episcopatu bonum opus desideravit, in quo nec ab invidis et aemulis suis facile potuit reprehendi, nisi hoc ipsum in laude eius magis proficeret, quod talibus displiceret. Hac igitur mirifica operatione detentus pervigil summi patrisfamilias operator et summus praesul,

a) actu *corr.* actum *corr.* actu 1. a*) in p. 2. 3. b) operam 2. c) superos *L.* d) eius 2. e) dilexit 1. f) theofebian 1. g) diuersi 1. h) h. m. *desunt* 3. i) mysteriis 3. m) diligentissime *L.* n) fruens 1. o) foris 2. 3. p) *deest* 3. q) lotharicos 2. 3. r) o. u. s. c. i. *desunt* 3. s) offendt 1. offendunt 2. t) huiusmodi 3. u) si quesierit 3. v) *hic* 2. *addit:* Nemo igitur super hac re culpabilem eum dicat, cum Samuelem sanctum et alios plures sacerdotes pariter legamus et iudices, et Danielem prophetam duos sacerdotes ad mortem dampnasse legamus. *Sed hoc glossema est partim ex Widukindo I, 31. haustum, quod 2. solito more in textum recepit.* w) quis 3. x) uelle *corr.* utile 1. uelle 2.

954. lucernam ardentem, boni videlicet operis exemplar, in manibus ferens, ad ea quae Dei sunt alios volentes duxit, alios nolentes traxit.

24. Set inter haec humani generis antiqua pestis non cessavit invidiae suae virus per opera pii doctoris iam in bona spe germinantia longe lateque dispergere. Nam cum primum Lotharici regni populus multimoda magni huius viri exhortatione[a] vix tandem inductus, blandimenta pacis valde sibi insueta temptaret, et his, qui sola civili dissensione tutum sibi aliquid pollicebantur, assensum in sui pernitiem ex parte plurima praebere[b] respueret, saeva Ungrorum gens, et qualem numquam terra nostra sensit barbariem, a perversis illecta civibus, transitis Germaniae[c] plerisque provinciis, Galliae, cui iam olim nobilis Francorum populus insedit, omnia ferro et ignibus vastatura se totam infudit. In hac acie Cuono, qui prius[d] dux erat egregius, cum suis sequacibus militavit — utrum ad hoc, ut odio suo, quod in virum Dei Brunonem bonis certe mansuetissimum conceperat, hac foeda crudelitate satisfaceret, an ut quibus posset in tanto periculo subveniret, incertum; set illud prius latius opinione disseminatum est. Nam et ante contra eum dura quaeque fraudulenter, quia vires defecerant, temptavit, ita ut Mettim, urbem opulentissimam, dolo invaderet, ipsi Coloniae et caeteris regni munitionibus suspectum se faceret, probra iactaret, minas effunderet. Et postea aliquantulum[e] temporis in hac eadem qua dudum erat immanitate permansit. Nihil reliquit intemptatum, quo foedus in populo nostro per sapientiam doctoris sui pactum dissolvere se posse putaret. Homo namque erat paulo ante summa potentia summaque fortuna, set ignarus, quomodo secundis rebus uti conveniret. Has quoniam, postquam abusus est, perdidit, in bonos ultra modum impatiens saeviit[f]; set a nefariis suis conatibus semper, ita Deo dispensante, repulsus est, ut hoc eum non leviter poeniteret, quod magnum facinus tanta levitate aggressus est.

25. Pepercit autem in omnibus sacerdoti suo et pio provisori populi sui misericors et miserator Dominus, et ita omnia ordinavit, ut absque bello et humana pernicie maxima saepe pericula sedarentur. Inter quae frequenter ipse interritus aut secum intentus legit, aut de maximis quibusque rebus, quasi curarum instantium nescius, disputavit. Hoc Treverim, hoc in Alisatio gentibus et populis innotuit, quanta constantia et securitate animi sui inconstantes et temerarios adversariorum motus redarguit, cum eos, qui in alienis se fortissimos iactabant, in propriis tam imbecilles esse monstrabat. Et revera quos nulla umquam acies, nulla inflexit[g] asperitas, hos huius viri pietas imbelles et timidos faciebat. Consilio namque et bonorum hominum multitudine, non saevitia timendus fuit; et quod nemo hostium tam acriter vigilabat ad pernitiem, quam ipse ad salutem. Fama autem et multitudinis iuditio minimum motus est; suo sibi iudicio usus est, et in quo recta probavit, non ut sibi, set Deo placeret, optavit. Itaque — ut paucis[h] multa comprehendam, plura omittam — intus et foris, domi militiaeque indefessus Domini praeliator, animi plus quam corporis viribus tamdiu contra pestilentes et inquietos tantumque vitae etiam suae plerumque periculo decertavit, ut nominis quoque eius fama, quousque pervenit, bella sedaret, pacem formaret, studium in omnibus bonis artibus firmaret, sanctae religionis et salutiferae quietis gratiam ampliaret.

26. Quoniam igitur humilis iste philochristus[i] et meliorum ardens aemulator carismatum, servus Domini Bruno, secundum dignitatem sedis suae, Romanae quoque sedis et apostolicae benedictionis privilegio debuit insigniri, et cum eis pariter, qui traditam
12 a beato Petro apostolo sanam servare[12] doctrinam, catholicae fidei integritate, in vera confessione et inviolabili veritate praedicationis uniri: synodicam suam epistolam per Hadamarum, venerabilem monasterii Fuldensis abbatem, Romam ad Agapitum, mirae sanctitatis papam, direxit; in qua, cuius spiritus esset, et quia pastor ab ovibus electus, a Domino missus esset, innotuit. Appellatusque est ibi concors et concivis apostolorum, princeps[k] ac propagator Domini praeceptorum. Legatus inde cum magna mentis ala-
Ies. 61, 3. critate reversus, pio pastori, cui antehac gratia Dei collatum est secundum prophetam

a) exortatione 1. huius exercitatione v. t, indoctus 3. b) *deest* 3. c) G. et p. p. 3. d) pius 1. e) aliquantum 2. 3. f) seuit 1. g) inspexit 2. infelix 3. h) pacis 1. i) phylochristus 1. k) *fortasse* apostolorum principis *legendum erit.*

12) i. e. servarunt *aut* servare habent, debent.

oleum gaudii pro luctu[a], tunc attulit pallium laudis pro spiritu moeroris. Spiritus nam- 954. que Dei cordato homini, et sacramenti[b] huius magnificae virtuti[c] magis quam his quae visibiliter gerebantur intento, divinitus inspiravit, ut erigeret cor suum in spem per[d] gaudium spirituale, ne tristaretur in eo quem sensit imminere laborem. *Cor enim, quod* Prov. *novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* 14, 10. Sapientiae haec verba sunt.

27. Legatus ergo, ut loqui coepimus, Roma rediens, bonum nuntium Coloniam ferre acceleravit, portans sacrum habitum ab universali pontifice missum, praetendentem iugum Domini suave et onus eius leve, et ipsum quod sub eo dispensatur humile ministerium, quod verba Domini testantur dicentis: *Qui maior est vestrum, erit minister vester;* ferens Marc. 10, 43. simul reliquias de proprio corpore sancti Pantaleonis martyris et privilegium apostolicae sublimitatis auctoritate traditum; quo et eodem pallio praeter consuetudinem sacerdos Domini quotiens[d*] vellet indui permissus, ut concessis omnibus quae petebantur, prae[e] magnitudine virtutis et sapientiae in participatum eius operis et prope in consessum tantae dignitatis admissus est. Properavit in occursum eius laeta civitas; undique iubilans multitudo accurrit; convenerunt in suburbio prope antiquum locum, ubi aecclesia eiusdem pretiosi martyris erat, inculta adhuc et ruinae proxima. Ibi deposita sunt grata onera, deinde suo quaeque loco reposita.

28[f]. Monet me hic aliquantulum immorari festivus ille, et qui postea in[g] brevi, III. pro dolor! factus est funerosus, eiusdem loci occursus. Ibi venerabilis iste amictus[h] primo, ibi postremo, semel laeto, semel lugubri carmine susceptus est. Corpus enim religiosi et Deo digni sacerdotis ibidem sepeliendum officii sui insignia non amisit, quae tamen spiritualiter et ideo[i] feliciter, ut credimus, anima secum vexit. Archano itaque Dei omnipotentis consilio provisum est, ut idem locus ad declaranda sancti sui[k] martyris merita prima hac occasione illustraretur et talis fieret, ubi vir iste Domini pacificus et mirabiliter humilis potissimum eligeret sub eiusdem pii martyris patrocinio tremendi iuditii diem et futurae resurrectionis gloriam exanimis praestolari. Non multo post ibidem, utputa in loco secretiori[l] et ab urbanae inquietudinis molestia remotiori, fratres in laude divina pervigiles et sollicitos sub monasticae regula disciplinae Domino servire instituit; quibus abbatem praeposuit nomine Christianum, suae videlicet professionis foronomum, et in lege Domini, sicut hunc decuit ordinem, adprime eruditum. Cui ordinato hoc breve commonitorium de occidentis partibus scripsit: *Ut sis quod vocaris, cura, gentilitati ne degeneres. Id serio triumpha, ut non, sicut prius, antiquetur; set de virtute in virtutem ut eatur, nava!*

29. Numquam ita civilium negotiorum occupatione detentus est, ad quam eum non sua libido, set populi necessitudo attraxit, ut animo illo ad omnia vivacissimo non vigeret, intentus religioni praecipue et lectioni, in cuius studio mori videbatur. Ad id agendum exemplo suo et crebro monitu accendit omnes pene quos prae oculis habuit. His vero qui hoc ita non amabant vehementer indoluit, eosque, licet alias familiares essent, a secreto tamen et amico moeroris loco, ubi se sibi licentius et ideo diligentius solebat explicare, removit. Pectus cordati viri pertaesum fuit regifici luxus et consuetae, hoc praesertim tempore, potentibus iocorum et voluptatum illecebrae. Unde si quando suis coactus quodammodo reddidit quod non debuit, excessum hunc modicum fletu plerumque largiore detersit. Vitam praesentem et dulcem metuit, et amaram expertus est. De vita vero omnis sollicitudinis et languoris ignara, haud dubium, quin ante omnia plurimum cogitaverit, qui[m] de ea tam luculenter multotiens et cum familiaribus et coram plebe sibi commissa disseruit.

30. Iuvenis ut erat omnique pompa circumfluus, audeo dicere, dissolvi vellet, tantum ut cum Christo esset. Hinc lacrimae assiduae, suspiria fere continua, furtivae orationes, et singultus in ipso etiam lecto clarius perstrepentes, ut testantur, quos id minus celare poterat, etiam dum latere volebat. Quotiens diem mortis posuit ante conspectum cordis! Quotiens ad hoc vocis quoque officio prorupit, quod corde molitus est! Quo-

a) tui *corr.* pro luctu 1. b) sacrae menti *L.* c) virtutis 3. d) vel 3. d*) quoties 1, *interdum.* e) ip 1. f) *Hoc primum loco signo* §. *et numero* III. *capitum divisio indicatur in* 1. g) in in 2, (*deest* qui). h) amicus 3. i) in Deo *L.* k) *deest* 3. l) N. m. p. i. u. i. l. s. *desunt* 3. m) quid 1.

tiens audivimus eum vehementi gemitu praeoptasse id, quod futurum non tamen sine gravi trepidatione speravit, ut aestuosum mundi huius naufragium in Dei sola misericordia tutus evasisset et in littore tandem securitatis intimae constitisset! Elapsurus quodammodo putabatur, ut, quasi mortem, aufugeret totum quod ei in huius mundi deliciis blandiebatur. Testes supersunt conversationis eius quam plurimi; quotiens eum in secreto, corde contrito et spiritu humiliato, persenserant, mirari plus poterant quam imitari. Nam ille popularis plerumque quasi solitarius vixit; mirum dictu, inter convivas laetissimos laetior ipse frequenter abstinuit. Molles et delicatas vestes, in quibus nutritus et ad hominem usque perductus est, etiam in domibus regum multociens[*] declinavit; inter purpuratos ministros et milites suos auroque nitidos vilem ipse tunicam et rusticanas ovium pelles induxit. Lectuli delicias vehementer aspernatus est. In balneis cum lavantibus cutisque nitorem quaerentibus vix aliquando lotus est; quod eo magis mirum est, quia ab ipsis cunabulis eiusmodi munditiis et pompa regia educatus est. Haec autem pro tempore et loco modo palam modo secretius egit, ut et laudem humanam subterfugeret, et tamen subditis exemplum hoc agendo praeberet. Multi enim verbis, plus exemplis proficiunt plerique. Apud mites et humiles nemo humilior, contra improbos et elatos nemo vehementior fuit. Hunc terrorem, qui beneficio obligari non potuit, indigena aeque et alienigena formidavit; et recto convenientissimoque ordine omnis, ad quem magnitudinis eius fama pervenit, primo eum timere, postea consuevit amare.

31. Sanctorum corpora atque reliquias et quaelibet monimenta, ut suis patrocinia cumularet et per multos populos ultra citraque hac celebritate gloriam Domini propagaret, undecumque collegit. His loca et ministeria[a] omni sumptu et apparatu copiosius praeparavit; de quibus singulis plura essent dicenda, si paterentur promissa compendia. Inditia sunt haec invictae fidei, qua non ea, quae sua[b], set quae sunt Iesu Christi, quaesivit. Baculum et cathenam sancti Petri qua diligentia, quo fervore, quo gaudio Coloniam, alterum Metti, alteram Roma adduxerit, omnes noverunt; in cuius honore domum eius honoratissimam mirabiliter ampliavit, quam de pulcra pulcherrimam fecit. Inclitos et praecluis[c] famae martyres Patroclum, Elifium[d], Privatum et Gregorium, quorum gesta sunt permagnifica, merita gloriosa, patrocinia tuta, Christophori sanctique Pantaleonis, ut iam dictum est, pretiosas reliquias, quibus se patronis specialius delegavit, utputa gemmas gratissimas et dulcissima pignora ad sanctissimam suae aecclesiae sedem miro ambitu variis de locis adtraxit. De translatione beati Evergisili, tercii eiusdem sedis archiepiscopi, quid factum sit huius pii provisoris dispensatione, plurimis notum est; quem in aecclesia beatae Ceciliae virginis cum hymnis et divinae laudis celebratione repositum, plebs religiosa ita veneratur et colit, ut praesentem crederes beneficiis largioribus cotidiana obsequia mutuari[e].

32. Caetera quae tam brevi tempore suae aecclesiae filiis oblectamenta contulit et dona salutis, pensari nequeunt, aestimari non possunt; quae ex omnibus pene mundi plagis et terminis religioso affectu et animo congregavit, quasi conitiens quod futurum erat, ut pro brevitate dierum suorum gregi[f] sibi commisso dona perhennia confirmaret. Quo tamen studio id curavit potissimum, ut et illis unde abducta sunt desiderium, et his quo adducta sunt amplificaretur gaudium; quatinus utrique, bono odore Christi, qui est in martyribus, immo quod ipsi sunt, licet diversis affectibus provocati, et illi vivatius appeterent quod neglegebant, et isti perpetuo venerarentur quod ad se translatum esse gaudebant. Nam qui[g] nescit bonum amare quod habet, si ablatum ab illo fuerit, discit fortasse bonum amare quo caret; et habebit illud dum aberit fructuosius in memoria, quod sibi inutiliter habuit in praesentia. Impletum est hoc modo euangelicum illud
Math. 25, 29. elogium, quod dicitur: *Omni habenti dabitur, et habundabit; ei autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.*

*) multocies 1. *hoc loco.* a) monasteria omnia 2. 3. b) quia non sua 3. c) preclare 3. d) elisium 1. e) 2. *loco verborum* plurimis notum — mutuari *exhibet translationes S. Evergisli et Patrocli ita pergens:* non duximus supprimendum. De translatione S. Evergisli — — — in se completum novit. *Quam cum Leibnitio post finem huius vitae reiecimus, utpote non ab Ruotgero profectam, sed ex eius narratione imitando expressam. Ne autem Ruotgero antiquiorem et ab eo operi suo insertam putemus, id vetat, quod cum de Patroclo iam supra auctor locutus sit breviter, in hac translatione ad eam sermo iterum recurrat, reliquis sanctis omissis; quod ineptius est, quam ut Ruotgero imputare possimus. Verba quoque* urbs ista metropolis — extendebat *atque* colitur usque in presentem diem *non illo ipso tempore, sed post tantum scribi potuisse satis apparet.* f) grege 2. g) quis 3.

33. Interea certatim multis in locis per parrochias episcopii sui fidelis hic Domini servus et prudens, aecclesias monasteria et caetera aedificia servitio domini Dei sui et honori sanctorum eius apta, quaedam a fundamentis erexit, quaedam prius fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparavit. In his singulis, qui Deo omnipotenti sub regula vitae canonicae deservirent, provida ingenii sui arte disposuit, ac ne quid eis pro modo conversationis suae deesset, liberaliter disponendo providit. Cuius operis et saluberrimi studii monimenta[a] perhennius in his ubi acta sunt locis firmata perdurant, ita ut in laudem et gloriam Iesu Christi memoriam tanti viri nullam aetatem obscuratum iri in perpetuum patiantur. Iddem ad exteras nationes transfudit, et in regno suae providentiae delegato partim exemplo, partim opere proprio, partim varia personarum qualitate et crebra ammonitione diffudit. Non enim passus est suorum quemlibet aut incassum occupari, aut otio torpere inerti; diffiniens, ut solebat loqui, ignavum pecus arcendum a praesepibus; et secundum apostolum: *Ut qui non laborat, nec manducet.* 2 Thes. 3, 10. Non possunt singillatim perscribi bona omnia, quae fecit, quae docuit, quae amavit. Tantum semper materiei[b] supererit id curantibus, ut ipsi profecto ante lassi cessaverint, quam id quod moliuntur expleverint. Iam vero in praedicatione verbi Dei et in subtilitate[c] disputationum, et[d] de sinceritate scripturarum, qualis quantusque fuerit, admirari possumus, diffinire non possumus; quae tam copiose sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi et ea quae secundum pietatem est doctrina profudit, ut plenum eum esse sapientia Dei, per quam omnia facta sunt, nemo hoc audiens et recte intellegens dubitaverit. Et ut nihil quod divini cultus usui competeret, sagax eorum quae sunt Iesu Christi scrutator intemptatum relinqueret, si quos aut in suorum ovilium septis aut extra repperit, qui singulari acie contra diabolum dimicaturi solitariam vitam appeterent, hos cum omni veneratione susceptos, suaeque[e] exortationis caritativa consolatione munitos, per diversas monasteriorum et aecclesiarum cellulas, cum idoneo[f] aecclesiae testimonio et religioso ut decebat officio, alibi singulos, alibi binos inclusit; quibus tamen ad invicem, nisi sermone tantum et aspectu, nullus pateret accessus. His sumptus et quaecumque humanae fragilitati necessaria videbantur, per fidelissimos suae administrationis vicarios sollicite ministravit, et praecipue per apostolorum festa, quotquot in anno occurrerant, singillatim eos donis congruentibus visitavit. Ita secundum perspicuam apostolicae normam doctrinae bona Rom. provide curavit, non tantum coram Deo, set etiam coram hominibus[g], ut cuiuscumque 12, 17. affectus sive conditionis homines, si Deum quaererent, inter eius discipulos aut probari possent aut erudiri.

34. De ancillis Dei quae in monasterio sanctae Mariae divinae religioni fuerant IV. deditae, deque canonicis ad sancti Andreae apostoli aecclesiam[13] translatis, et si qua erant huiusmodi, scrupulum quidem reliquit non modicum, set his[14] quibus mentis acies ita non viget, ut sinceram eius intentionem in diversis operibus valeant perspicaciter intueri. Qui utique si adverterent, non homines propter locum, set locum a Deo eligi propter homines, et quia obedientia Deo[i] placet super sacrificium, scirent fortasse, oves vocem pastoris audire debere, et magis id[k] ratum acceptumque Deo fore, quod[l] per obedientiam, quam quod per propriam voluntatem secuntur. *Ubi autem zelus et con-* Iac. 3, *tentio*, ait Iacobus apostolus, *ibi inconstantia et omne opus pravum*[m]. 16. Similiter in eo, quod nefarios quosdam patriae civiumque praedones de regno, ubi quieti et pacifici esse noluerunt, quasi pestem bonorum expulit et exulari coegit, ipsis, licet nescientibus, profecto consuluit. Quo enim diuturnior nequam, eo graviorem et prolixiorem sibi comparabat poenam. Quando autem boni quiescerent, si malorum furori nemo resisteret? Nimirum pepercit illis Deus, quibus hoc magna sua patientia et bonitate permisit, ut de pace et statu patriae suae absentes audirent, quod praesentes numquam videre vellent; felices, si bona sua saltem in peregrinatione cognoverint, et patriam cupierint[n] de qua expelli non possent, ubi beati omnes pacifici, quoniam filii Dei sunt vocati. Talis itaque

a) m. aere p. 3. b) materieri 1. c) et sublimitate 3. d) *deest* 2. 3. e) suę queque 1. suae quoque 2. 3. f) c. dei et e. 3. g) c. omnibus h. 3. i) do 1. k) ad *corr.* id 2. l) quam 1. m) est *add.* 3. n) cuperent 3.

13) quae ad S. Mariae monasterium pertinebat. 14) *scil.* tantum scrupulum reliquit.

per Dei omnipotentis gratiam vir iste fuit, ut nec odio nec invidia ad persequendum eos qui tales erant ullo modo excitaretur, nec a miserendo aut parcendo miseris duritia aut crudelitate aliqua restringeretur, set ut pastor sollicitus et vere dux populi Dei salutem omnium et utilitatem in omni quaesivit negotio; et quos ipse in via Dei duxit et docuit, ne a perversis seducerentur et in errorem mitterentur, strennue decertavit. Tantum autem aberat a saevitia, ut pro his etiam, quibus amarum aliquid pro qualitate factorum necessario inferebat, ipse frequenter amare fleret; ita gaudere cum gaudentibus, cum flentibus flere consuevit. Nam et qui hoc dixit, quendam sathanae in interitum carnis tradere iussit, ut spiritus in die Domini salvus esse possit[a].

955. 35. Igitur cum iam prope esset summa dies et ineluctabile tempus, quo Deus
omnipotens, propitius terrae, populi sui ultus sanguinem, servorum suorum vindictam
retribueret in hostes eorum, aggravata[b] est ultra modum et omnino intollerabiliter
superbia ferocissimae gentis Ungrorum, seducta, credo, superioris anni successu[c]. Siqui-
Prov. 16, 18. dem, ut veracissime dictum est: *Ante ruinam exaltatur cor*, ibi ceciderunt omnes qui
operabantur[d] iniquitatem[e]. Praevenit hanc pressuram imminentem aecclesiae pax in
954. Dec. placito[f] regali, quod in Arnestat[15] habitum fuit, ex integro condita[f*], et ex magna iam
parte per imperatoris nostri fratrumque eius sapientiam confirmata. Et revera tribubus
1 Cor. 14, 33. et linguis innotuit, quia Deus dissensionis non est, set pacis; tantam[g] huius initio operatus
est salutem populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat
ei tempus exercitum congregandi; set fiduciam habuit per Christum ad Deum, qui
1. Reg. 14, 6. potens est salvare in paucis sicut in multis. Aderat ibi Cuono, non iam dux set miles,
955. toto, ut putabatur, animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat;
cilitio membra domans, Deum gemitibus, ut fertur, exorans, ut si sic eius sancta voluntas existeret, permissa regi nostro et exercitui eius victoria, eum ab impiis, quibus se prius male coniunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit ieiunium ipsa, quae tunc erat, in vigilia sancti Lau-
Aug. 9. rentii martyris, per cuius interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse
refugium. Propositum suscepti operis negat, expedire bellum, primo sanctae festivitatis
10. diluculo susceptum, vixdum vespertino crepusculo, Deo misericorditer dispensante et pro suis pugnante, satis feliciter peractum, miserendum[h] post victoriam Cuononis interitum, gloriosissimum imperatoris triumphum, regem ipsum barbarorum, duces et principes captivos, trophaea per totam regni ipsius latitudinem usque ad eiusdem gentis fines frequentissima; quae omnia proprii industriam operis ad gloriam et laudem Dei omnipotentis expectant[i].

36. Nos ut, a quo paululum deflexímus, ad propositum redeamus, quid interea pius archiepiscopus Bruno, totius semper perosus malitiae et indefatigatus iusticiae executor, fecerit, disseramus. Cum videret se ad praestitutum diem seniori et fratri suo magno imperatori cum auxiliaribus copiis non posse occurrere, simulque esset[k] sollicitus, ne forte barbari bellum vitantes in Galliam suo iuri commissam provinciam declinarent, — arbitratus sic se regno consulere votisque imperatoris sic amplius deservire — Liudolfum prolem regiam, nepotem suum, convenit, aegrum eius animum blandiciis[l] melle dulcioribus delinivit, statum pristinum, si quae sua erant accuratius vellet attendere, repromisit. A quo postquam medicinalia sermonum et exortationum suarum antidota non ut prius obliquis ambagibus declinari, set solito avidius praegustari[m] et ad interiora pectoris recipi sensit, eum mox episcopii sui locum venerabilem, Bonnam videlicet, iucunde satis invitavit, iucundius suscepit, omni voluptate utriusque digna et commoda cunctisque qui aderant gratissima, non immemor regiae dignitatis, affecit. Qui dum adhuc simul essent, de his quae in expeditione bellica, immo divina, virtute facta sunt, nuntios acceperunt. Institit nepotem patruus amplius consolari. Factum est in brevi instinctu huius consiliarii, ut filio suo, qui perierat et inventus est, imperator totam Italiam delegaret, et quod maius fuit, paternam firmissime pietatem impenderet. Ubi

a) posset 3. b) etenim 3. c) successum 3. d) operantur 1. 2. *Folc.* e) *deest* 1. f) *ita correxi Folcuino suffragante*; palatio *codd.* f*) condicta 2. 3. *Folc.* g) tanquam 3. *et Folcuinus.* h) miserandum 2. i) expectavit 3. k) esse 1. l) blandiens 2. m) s. s. a. p. *desunt* 3.

15) Arnstadt in Thuringia; cf. Ann. Augg. a. 954.

dum maxime placuit populo, viamque affectavit Olimpo, repente flos ille integerrimus et robur regni tutissimum e medio excessit. Pater autem eius imperator ac semper 957. magnificus triumphator, post luctum consolatione recepta, cum fratre suo veterem necessitudinem nova consuetudine iunxit; Coloniam venit; ibi se non tam fraternis deliciis, 956. April. quam mutuis cum illo aspectibus, affatibus, et cunctis omnino iucundissimis usibus oblectavit. Nec defuit ibidem severa in improbos et importunos cives regni censura iudicii, blanda item in bonos et mites piae dominationis liberalitas. De statu regni rebusque eius tutandis et dilatandis sedulo et strennue in commune consultum[a], ut de sanciendis quibuslibet, aliis resecandis, cautissime ageretur, summo consilio provisum est.

37. Quaesivit interea summa diligentia pius pastor Bruno, veritatis assertor, euangelii propagator, navos et industrios viros, qui rem publicam suo quisque loco fide et viribus tuerentur. His ut neque consilium neque copiae deessent, sedulo curavit. Quotquot etiam de principibus et regionariis prioribus, caeterisque quorum dispositio regni intererat, saluberrimis suis admonitionibus ad communis bonorum omnium utilitatis foedus fide plena consenserant, hos ipse inter summos et familiares habebat, eisdem imperatorem, germanum suum, adprime conciliabat[b]; pensans non temere a quodam sapiente dictum: *Bonus, ubi neglegas, segnior, at[c] malus fit improbior.* Archiepiscopum Treveris Heinricum, magni meriti et summae probitatis virum, qui Rutberto[c*] magnifico presuli, Coloniae in gravi pestilentia, cum et imperator ibidem esset, defuncto, successit, Wilhelmum quoque, praecluis et gratissimae excellentiae archimandritam, nepotem suum, Fritherici Mogontiani antistitis successorem, ambos egregios, ambos in Domini lege perfecte instructos, imperatori alterum consanguinitate, alterum probitate, utrumque familiaritate coniunctissimos, ipse quoque inprimis summa veneratione colebat. Hos igitur tales tam illustres, tam certe sapientes et religiosos et in omnibus bonis artibus eruditos viros ad consilium, ne forte ipse per se, ut sunt humana, a tramite veritatis uspiam exorbitaret, frequenter adhibuit; hos cum ipso simul non solum in lectione consilio et disputatione, set etiam in acie vidimus, providentes bona non tantum coram Deo, set etiam coram hominibus. Erat namque in occidentalibus Lotharici regni finibus velut indomita barbaries, ea quae videbatur aecclesiae proles, felicitati invidens alienae, nec minus saluti suae, despiciens paternae blandimenta exortationis, terrorem vix sentiens potestatis. Qui si iuri suo permitterentur[d], suis perversi, sibimet ipsis pessimi viderentur. Ille vero ante omnia provido usus est moderamine discretionis, ut pro qualitate locorum et temporum in praelatione pastorum[e] ad sapientissimi imperatoris nostri imperium dominici gregis paci et tranquillitati consuleret, illos nimirum caeteris praeferens, quibus nequaquam esset incognitum, quid pastoris esset officium, quid mercennarii vitium, quid in ministerio susceptio[f], quid in angaria aut agendum esset aut sperandum; alios, ut quasi cortinae iacinctinae interiora domus Domini ornarent; alios, ut quasi saga cilicina deforis violentiam tempestatum arcerent.

38. Libet meminisse quoddam huius pii patris pium et laudabile factum, quod in ipsis sacerdotii sui primordiis, ut pro luctu spirituque moeroris in oppressorum cordibus excitaret spem salutis, effecisse cognoscitur, quamvis hoc ipsum, ob inopiam recte dividentium, linguae calumpnianti fuit obnoxium. Quid enim non pervertit invidentia, qua nulla maior esse videtur amentia? Siquidem Ratherus, Veronae — quae civitas est Italiae — ordinatus praesul, cum ex quadam levi suspitione, ut mos est gentis illius, ab honore propriae[g] sedis esset expulsus, Leodicensis[h] cathedrae vacanti, magna eius industria, 953. secundum statuta canonum incardinatus est. Quod quidem propter abundantem doctrinam[i] et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos florere visus est, non eidem solum aecclesiae cui praefuit, set et multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est. Simul quia in illis partibus per zelum et contentionem, unde fieri solet inconstantia et omne opus pravum, quidam etiam sacerdotes Domini, plerumque, quod dictu nefas est, terrenae plus iusto confisi potentiae, populum inperitum scandalizabant: saepe dictus saepeque dicendus domnus Bruno, cui iam totius regni dispensandi cura

a) consilium 2. b) consiliabat 2. c) aut 1. 3. c*) ruotberto 2. 3. d) ipsos quoque quos inprimis summa veneratione colebat *add.* 3. e) *deest* 3. f) suscepto 2. *deest* 3. g) primae *L.* h) leodicensi 3. i) abundantiam doctrinae 3.

imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc eiectum antehac et neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei et veritatis foedus adduci, ut a nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica obstruere posse credidit, si nulla occasio scandali[a] posset in eorum episcopo repperiri. Set ad sui pernitiem pars sinistra praevaluit; quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum aestimabant. Quid multa? Erratum est, saevitum est, nec cessatum est, donec expulsione eius crudelitati suae et nequitiae satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis eius; conspiratio enim gravissima facta est, quae nisi et hic penitus amoveretur, et in[b] eundem locum Baldricus, qui erat de magnatorum terrae illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari non posse visa est. Ad hanc sentinam tempestates undique innumerae confluxerunt; navis aecclesiae laborante remige fluctuavit; gubernator ipse procellosae tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur; cessit, ne[c] vinceretur a malo, set vinceret in bono malum; cessit
955. adversantium voluntati, ut suo eos gladio iugularet sibi. Obstricti sunt sacramentorum fide spontanei, ut si accipere mererentur episcopum quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem aecclesiae et ius imperatorium tuerentur. At ne quid in eiusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigationibus scrupulum commoveret, cum imperatore germano suo id effecit, ut Rathero episcopo, bis
961. iam destituto, antiqua sedes Veronensis aecclesiae redderetur.

39. Multa sunt alia et prope infinita, quae in brevi non in Lothariorum[d] tantummodo populo, quem ipse ex integro susceperat gubernandum, quem etiam, sicut in praesentiarum cernitur, ex inculto et fero paccatum reddidit et mansuetum, set etiam per totum regnum gloriosissimi imperatoris sui in Dei rebus et salute tocius populi strennuissime operatus est. Erat enim eidem omnino communis cura cum seniore et
956–962. germano suo, quorum uterque de altero merito gloriabatur in Domino. Praeterea Lotharium, sororis suae filium, de antiqua regum prosapia ortum, cum a sobrinis suis vehementer esset oppressus, mirifice eruit et exaltavit; nec cessavit, donec in locum patris sui regem constituit, ac maiores ipso potentioresque Hugonis filios omnesque illius regni principes sub iugum eius stravit; ita prospiciens universis, ut sub unius moderamine imperii omnes pariter et ab hostibus tuti, et inter se invicem possent esse pacati.

40. Imminet regno illi, quod reticendum non est, saeva clades, Nordmannorum gens, quibus in piratico latrocinio non sunt alii exercitatiores. His ex magna iam parte praeda erat populus dissensione et civili pernitie assuetus. Quod illis superfuerat, inter se domestica seditione consumpserant. Egit autem provida dispensatio rectoris nostri, qui,
Terent. Hea. 1, 1, 25. quoniam hominem se esse intellexit, humani nihil alienum a se putavit, egit inquam, ut ad se quasi ad tutissimum portum confugerent omnes, qui quietem et pacem amarent. Ipsorum etiam barbarorum immanitatem et intolerandam dudum ferociam mitiga-
16 vit. Siquidem eo tempore et rex eorum Haroldus[16] cum magna suae multitudine gentis regi regum Christo colla summittens, vanitatem respuit idolorum.

961. 41. Erat imperatori filius adhuc tenellus, delicatissimae indolis et integerrimae
17 voluptatis[e], obses pacis et gloria plebis. Hunc archiepiscopis patruo fratrique[17] commendatum, ad custodiam regni Cisalpini reliquerat imperator, profecturus Romam et res tocius Italiae ordinaturus. Caesar ipse futurus, electum summo consensu ab omni populo regem esse constituit, unxeruntque Ottonem aequivocum patris Bruno archiepi-
Mai 26. scopus, Wilhelmus et Heinricus caeterique sacerdotes Domini regem in Aquisgrani palatio, et exultavit maxima gratulatione populus dicens: *Vivat rex in aeternum!* Divisi sunt deinde ab alterutrum germani, par semper invictum; et imperatore Alpes Penninas transeunte, remansit citra spectatus atque incredibili pietate utrobique desideratus pius pastor et archiepiscopus Bruno. Non longe post domino et fratri suo, quia ipsum per
18 se ire non licuit, auxiliares copias non levem armaturam[18] de Lothariorum populo misit. His praefuit Godefridus dux, quem ipse nutrivit, vir sapiens et religiosus, amantissimus pacis, observantissimus aequitatis, imperatori per id tempus ad votum serviens, omnibus[f] placens. Hic eodem tempore[19] febre correptus, in magnam spem

a) *deest* 3. b) *deest* 1. 2. 3. c) nec 1. d) lotharicorum 2. 3. *saepius*. e) voluntatis *coniicit L.* f) omnibusque 2. 3.

16) cognomine Blataand. 17) scil. eius (Ottonis II.) Brunoni et Wilhelmo. 18) gravis armaturae equites, quibus hodieque Lotharingia antiqua excellit. 19) obiit a. 964. Cont. Reg.

futurae quietis exspiravit. De cuius innocentia quodammodo securus, quasi testis et 964. conscius vitae eius, pius pater Bruno, cum de pecunia dispensanda ageretur pro remedio animae illius, non valde eam talibus indigere asseruit. Imperatoris praeterea redi- 965. tum frater eius nocte dieque sollicitus expectavit; redeunti in omni gloria laetus occurrit. Eius enim[a] eximia virtus, dignitas, et in eo negotio quod gessit fides et continentia; simulque cum ipso spem otii, et tranquillitate animorum iudicia, leges, cum concordia populi regis et principum auctoritatem reductam aestimavit. Cuius consiliis omnibus, cum ipse nihil aliud dies ac noctes nisi de salute populi cogitaret, interfuit, et inter primos excelluit. Hic eidem gravissimus auctor ad constituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem publicam perficiendam fuit.

42. Igitur cum in hoc sanctissimo studio imperator tricesimum regni sui, germanus eius duodecimum pontificatus sui ageret annum, nondum[b] nisi vix praelapsus aetatis quadragesimum, sanctam pentecosten[19] simul Coloniae celebrantes, qua maior morta- Mai 14. libus gloria concessa non est, sese invicem inter[c] sancta sollempnium dierum officia una cum diva matre, sorore regina, nepotibus filiisque regibus, totaque illa Deo dilecta familia et cunctis regni senatoribus affuerunt. Constat enim nullum aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Hanc itaque gloriosissimi caesaris[d] augusti, et germani eius, summi et incomparabilis viri Brunonis archiepiscopi, fidam Deoque placitam in omni voluntate et opere coniunctionem, hanc conspirationem in omni utilitate et honestate administranda et bene gerenda, hanc iucundissimam vitae officiorumque omnium societatem, mors saeva, mors horrenda, mors inquam sola diremit. Et revera, quamvis nihil atrocius videretur, nihil[e] tamen esse potuit, quod eam innocentius diremisset.

43. Ergo cum summus antistes Bruno senioris et fratris sui orientem versus eun- Iun. tis contubernia, ruens prius in oscula et flens largiter, reliquisset, paccataque omnia et quieta intra metas regni sibi creditas, agens Deo gratias, aspexisset: iterum iterumque suos omnes, clerum, populum[f], quae agenda fuissent, ammonuit; et mox in occidente Compendium adiit, ut ibidem nepotes suos ab invicem dissidentes ad concordiam revocaret, in fide et gratia stabiliret, aecclesiae religionem, regi honorem, et quae sua essent dictante aequitatis ratione, annuente Domino, singulis confirmaret. Eo intentus negotio infirmari coepit; et sic[g] Remensium civitate gravi corporis molestia detentus, quinto demum die postquam invasit, aegritudo eum praevenit. Quibus diebus in itinere non minus quam in hospitio, lectione assidua, nullo pene alio cibo refocilatus est. Interrogatus autem familiariter ab episcopo[h] Wicfrido[20], ut ipse testis est, cuius morbi gravedine urgueretur, non morbum set dissolutionem sui corporis esse, respondit. Episcopus itaque supradictae metropolis dignissime eum recepit, humanissime tractavit; et in festi- Oct. 1. vitate quidem, quae tunc inerat, sancti Remigii, levius aliquantulum habuit, ita ut clientulis eius et sociis spes esset recuperandae salutis eius. Ipse autem, vocatis episcopis qui simul cum eo venerant, Theoderico[21] et Wicfrido, postulavit, ut[i] testamenti sui faciendi copiam ei facerent et adiutorium exiberent[k]. Quod cum perdolenter et lacrimabiliter valde excusarent, valitudinem optatam in brevi pollicentes futuram, ille animi industria, qua semper viguit, econtra renisus: *Dum tempus est,* inquit, *hoc fiat; multa nobis alia post haec restant agenda.* Ingravata est deinde infirmitas et invaluit; iamque anhelitus intercluso faucium meatu vitalium lassitudinem praemonstravit. Tunc vocato notario, coram memoratis testibus testamentum suum ipse dictavit; res omnes quas habuit a sese, dum adhuc in bona spe viveret, abalienavit, dispersit, dedit pauperibus; quodque ordinandis exterioribus aecclesiarum Dei aedificiis congessit, in brevi secundum collatam sibi sapientiam, facta et corroborata cautione sua congrue et professione sua digne, divisit. Hoc qui legere ipse quaerit, inferius scriptum in promptu habebit. Ingenium, quod mundo corde et iugi exercitatione politum dono Dei reddidit[l] et inlustre, illum[m], ut liquido apparet in eius verbis, non defecerat in extremis.

a) *deest* 3. b) nundum 1. c) *deest* 3. d) cesari 1. e) ñ 1. f) populumque 2. 3. g) *deest* 3. h) ipso e. 2. i) ut in 3. k) ei exhib. 2. l) reddit 1. 2. m) illud 3.

19) aut Ottonem circa diem 23. Maii Colonia Ingelheimum reversum, post paucos dies Coloniam iterum adiisse, aut, quod aegre credas, Ruotgerum errasse statuendum erit. Certe imperator die 23. Maii Ingelheimi, d. 25. Triburiae, d. 2 et 8. Iunii Coloniae diplomata edidit. 20) Virdunensi. 21) Mettensi.

VI. 44. Post haec pauper Christi, collecta animi virtute, iterum semotim episcopos ad-
965. Oct. vocavit. Quibus assidentibus et interioribus factis, haec verba gemitu exuberante et fletu inundante profudit[a]: *Tria mihi videntur genera esse confessionis, quibus se cor hominis domino Deo suo, renum testi et*[b] *scrutatori cordium, patefacit, non ut ipsi, qui nihil non novit, lucidius innotescat, set ut ille, qui se parum novit, veracius semet ipsum agnoscat, et aut Deum in benefactis laudet, aut se in malefactis accuset. Hoc cum sem-*
Math. 24, 42. 43. *per fieri debeat — sic enim vigilare praecipimur, ne fur veniat*[d] *quando nobis incautis damnum illaturus irrepat — tum pulsante domino domus per infirmitatis molestiam, necesse est, ut mens se quibus possit*[e] *viribus erigat, qua valeat intentione iudici suo appropinquanti assurgat, sopitis terrenis desideriis spe ad superna flagret, bona perennia, etsi non meruit, minime tamen desperet, sibi defidat, in Domino confidat. Ecce fratres dilecti, sicut cernitis, pulsatur ianua pectoris mei; vocor ad reddendam rationem operis mei. Si quid potestis, rogo, ferte praesidium, orationis vestrae porrigite manum. Incertus inter spem metumque feror; ut in neutram partem pronior inflectar, id vero enitendum est. Set quae sunt vires meae? Misericordiae remedium praestolor; in manu Creatoris mei sum; de me, quod ipsi placet, ut fiat expecto. Bonum est confiteri Domino. Confessio et magnificentia opus eius. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante, fieri potest. Est autem quaedam confessio, non peccata deplorans, misericordiam*[f] *tamen implorans; de qua per*
Ps. 49, 23. *psalmistam ex persona Domini dicitur: „Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare meum". Hoc salutare, id est dominum Iesum, ore confiteor, et corde credo, quod Deus illum suscitavit a mortuis*[g]. *Hic omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos agnosco. Hunc dominum Iesum nemo potest dicere, nisi in Spiritu sancto; ante illum est omne desiderium meum, et gemitus meus ab eo non est absconditus. Dixi, confitebor adversum me iniusticias meas Domino, quod est secundum genus confessionis lamentabile in peccatis. Tercium, quod commendat beatus Iacobus apostolus:*
Iac. 5, 16. *„Confitemini, inquiens, alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini", hoc vobiscum, domini et fratres mei, agere volo, hoc anxie quaero. Spero autem, quod advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Deinde postquam his se coram Domino totum effudit, corporis et sanguinis dominici sacramentum, virtutis[g*] eiusdem sacramenti non inscius, expetivit. Quod cum fuisset allatum, vir ille Domini, quid animo senserit, toto[h] corpore prostratus ostendit. Refectus autem hac vitali alimonia, spe validior lectulo restitutus est, dies postquam non minus quam quinque in eodem corporis languore et spiritus fervore permansit.
VII. 45. Sollempni vero die beatorum martyrum Gereonis et sociorum eius iam ver-
Oct. 10. gente[i], subito mentis excessu raptus, episcopis, ducibus, comitibus, et cunctis qui aderant, luctum movit ingentem, quia dissolutionem optatissimi corporis instare putabant praesentem. Ille, ut solebat, paululum convalescens tumultum manu sedabat, fletus et rugitus astantium mitigabat, maiores et hoc[k] affatu ultimo digniores ex nomine vocabat: *Nolite*, inquiens, *nolite, fratres, hac mea sorte tristari. Divinae animadversionis iudicio cunctis mortalibus imposita est ista conditio; non licet nolle, quod Omnipotens sanxit inevitabile. Tristibus istis in brevi laeta succedunt. Illuc non assumpta vita, set mutata in melius, pergo, ubi viros longe plures et clariores, quam hic umquam viderim, cito videbo.* Nec plura his locutus, lectulo fessa mox membra reposuit. Consuetum paulo post, luce adhuc integra, vespertinae laudis officium, nocte iam profunda completorium ipse cum fratribus consummavit; domino Deo suo sanctorumque eius precibus sese quasi mox iturum attentius commendavit; iter suum magno illo viatico, sancto videlicet et unico redemptionis nostrae pignere, munivit; episcopos seipsumque et eos qui praesto erant
VIII. benedictione consignavit. Ita tremendam dissolutionis suae horam animo intento ad
Oct. 11. Creatoris sui imperium expectavit[l]. Et in media nocte transacta, conversus nisu quo poterat ad episcopum Theodericum nepotem suum: *Domine*, inquit, *ora!* et mox inter psallentes Domino et orantes nimiumque flentes spiritum exalavit[m]. Quod in illo non potuit mori, redditum est Creatori; corpus autem eius exanimę, sicut ipse vivus praece-

a) perfudit 2. *sed corr.* b) r. t e. *et postea* l. i. s. u. i. q. s. p. n. *desunt* 3. d) neq. 2. veniens (*deest* q.) 3. e) potest 3. f) tuam *add.* 2. g) me et — suscitavit *desunt* 3. g*) uirtutem 2. 3. h) *deest* 3. i) vertente 3. k) ad hoc 2. l) ita — expectavit *desunt* 3. m) exilauit 1.

perat, eodem die, id est 5. Idus Octobris, indefessi eius comites levatum in feretro 965. transferentes, octava[a] postea die ad augustam sedis ipsius metropolim Coloniam perve- Oct. 11 nerunt. Quorum adhuc nonnulli iureiurando et mirum in modum affirmando testantur, in longo illo itinere nullam pene lassitudinem aut laboris molestiam se sub tanto onere pertulisse. Unde autem ibant, quocumque ibant, quascumque et[*] gentes, quascumque terras attingerant, omnes mirabiliter huius, ut eorum verbis utar, digni Deo viri merita in rem publicam, in imperatorem, in reges, in principes, in omnem populum, eximia, qua quisque facultate poterat, aestimabant.

46. Iam vero cum eiusmodi exequiae Coloniam adventarent, et hoc per omnem Oct. 18. regni Lotharici populum fama nimis odiosa dispergeret, ita dissoluti sunt omnes, praesertim sanctissimae sedis illius et aecclesiae alumni, quasi discessus tanti pastoris et obitus eiusdem esset aecclesiae funus. Nam secundum amplitudinem prioris consolationis tunc invaluit vis et magnitudo doloris. Flebant igitur[b] omnes, plerique donec exsiccarentur in eis lacrimae. Multi congelatis membris attoniti, in tanta orbitatis huius miseria semet ipsos[c] vivere obliti sunt. Ante omnes luctu se lacrimisque, magis autem interno dolore cordis affecit, qui hunc patrem patriae prae caeteris amavit, Folcmarus, memorabilis probitatis et industriae diaconus ac prudens fidelisque huius sanctae aecclesiae protus et iconomus, quo nomine eum ipse pater, utputa vicarium suum et sibi in omni negotio coniunctissimum, honorare consuevit; in quo solo tunc omnium desolatorum[d] ora oculi et animi versabantur, quorum certe omnium voluntate atque desiderio iam electus, licet nondum designatus, fuerat praesul. Huic pius pater absenti, quod eum nosset, ex nomine res suas omnes egenis et aecclesiis episcopii sui distribuendas, praescius credo futurae successionis, summo studio delegavit.

47. Est prope muros civitatis aecclesia, structura quidem et opere humilis, set VIIII. apostolorum nomine, in quorum veneratione consecrata perhibetur, insignis; in ea depositum pastoris sui corpus exanime sacerdotii velabant[e] insignibus; quo paucis, nisi episcopis et quibusdam secundi ordinis sacerdotibus, patebat accessus. Inde mox elevatum, clerus et populus cantum planctumque permixtum ingeminantes, in aecclesiam beatissimi Petri apostolorum principis, ubi sedes erat venerabilis, detulerunt. Noctem illam celeberrime in vigiliis et psalmodiis, vix refocillatis corporibus, insomnem duxerunt. Mane autem facto, convenit universa civitas, et eorum, qui de[f] diversis provin- Oct. 19. ciis et regnis subita fama exterriti advenerunt, innumerabilis multitudo. Affuit Treverensis archiepiscopus et Leodicensis antistes[22]. Processerunt in medium episcopi Theodericus et Wicfridus[23], testes ultimae sanctionis eius et legationis, quam filiis suis ibidem Deo militantibus misit. Lectum est testamentum eius in presbiterio venerabili ante altare sanctissimi Petri; recensita sunt et ea, quae pio quidem et sollicito in Dei rebus animo rogavit et iussit, set scribenda non censuit, videlicet ut anno illo toto per singulos dies[g] numquam minus quam libra denariorum[h] integra in usus pauperum erogari deberet.

48. Deinde secundum postulationem et desiderium cordis eius, quo flagrabat in extremis suis, suasum est clero sanctissimo, ut volenti animo corpus eius transferri permitterent ad monasterium monachorum, quod in honore sanctorum martyrum Pantaleonis, Cosmae et Damiani atque Quirini extra urbis muros non solum tunc construxit, set adhuc usque consilio et providentia sua construit et ordinare non cessat, gubernante Deo insignia bonae voluntatis eius per sanctorum merita, quorum illuc et reliquias advexit et patrocinia sibi religiosa et sedula supplicatione providit. Assenserunt promptissima voluntate omnes ad omnia quae imperavit; solum illud difficillime persuasum est, ut de summo sacratissimae sedis eius loco corpus abduceretur exanime. Lugebant quasi iterum destituti, non audentes post longam deliberationem vel in hoc resistere eius religiosissimae voluntati. Deductus est pastor ab ovibus, dici non potest, quibus lamentis et questibus. Sepultus est in aecclesia beatorum martyrum 14. Kalendas Novembris, ubi usque hodie perspicue monstratur, quantus fuerit in oculis bonorum omnium. Quem

*) *deest* 2. 3. a) nono 3. b) *deest* 3. c) semetipsis 2. 3. d) desolatarum 1. e) vallabant 3. f) *deest* 3. g) *deest* 1. h) *deest* 3.

22) *Eueraclus qui et Euercar* glossa codicis sec. XI. 23) *Virdunensis episcopus* glossa sec. XI.

postea amiserunt, qualis fuerit, et[a] boni et mali lucidius agnoverunt. Frequentant locum sepulturae eius; certatim memorant, quid fecerit, quid docuerit, qualis vixerit, qualis obierit. Modo pro illo orant, modo, ut ipse pro se orare dignetur, rogant. Signa non quaerunt, vitam adtendunt, doctrinam recolunt; futurum in eo aut sibi aut posteris suis magnum aliquid pollicentur. Denique omnes eius monimentis, sicut olim per vivum, ita nunc per mortuum ad Dei laudem et gloriam excitantur.

49. *Testamentum domni et in Christo venerandi Brunonis archiepiscopi, feliciter*[b]. *Bruno servus Christi, filiis suis Coloniae Deo militantibus. Quae in animum induxi de rebus quae divina mihi commisit munificentia dispensandis, vestro roborari iudicio, inniti testimonio, si ipsum me*[c] *praesentem haec Deus vobiscum*[d] *communicare non siverit, dignissimum statui scripto ad vos perlato*[e]. *Eapropter ex sententia fratrum nostrorum Theoderici, Wicfridi, qui et ipsi alumni vestri sunt, cuncta consciscite, recte Deo volente cuncta transagite, et quicquid thesauri nostris opibus illati*[f] *aecclesiae — quicquid enim est*[g], *clavibus huius Evizonis viri illustris*[h], *kimiliarchi sancti Petri, custoditur, praeter si quid a ministris nondum*[i] *relatum sit — ne quid ab aecclesia divisum esse videretur, sub testimonio Christi et aecclesiae, ante altare sancti Petri, palam domno Popone*[i*] *proto et iconomo aecclesiae nostrae congesta diligentique ratione inspecta, vasa aurea et preciosiora quaeque in ministerio sanctae Dei genitricis Mariae et beati Petri apostoli in ipsa aecclesia*[k] *in perpetuo usu perpetuo consecrentur. Cuppam auream, sigillum et scutellam*[l] *Graecam, quae penes*[m] *nos sunt, beato Pantaleoni; candelabra praeterea quae in ministerio nostro sunt cottidiana, equitem argenteum a Magonciaco*[n] *archiepiscopo datum, pallia decem optima, vasa decem argentea ex melioribus, libras centum ad claustrum perficiendum, trecentas ad aecclesiam ampliandam, cortinam latiorem, mensalia tria, tapecia tria, scannalia totidem, mappas triginta, insuper equarum quicquid nobis fuerit, ipsis quae aecclesiae repertae sunt exceptis, villas*[o] *quas aecclesiae nostrae adquisivi, Langalon*[21] *iuxta Renum, Werebetti, Heingelon*[p], *Lidron, Wishem*[22], *quam Mosa alluit; domum quoque sobrini nostri Mettensis episcopi, et villam Havingan*[q], *insuper quicquid de rebus aecclesiae nostrae tenet, trado. Detur etiam usui monachorum tercia pars huius anni fructuum, ad usus nostros elaboratorum*[r]. *Ierichomium*[s, 23] *loco competenti ad nutum abbatis non longe a coenobio constituatur; cui quicquid praedii nobis Tuitii est, Leresfelt praeter*[t] *in Saxonia usque*[u] *situm, et*[v] *quicquid Gevehardus quondam Bonnensis praepositus iuxta Mosellam scitur habuisse, confero. Et ut hoc bona venia nostri senioris et successoris fieri queat, pro utriusque nostrum remedio, Ruothinge*[24], *quod aecclesiae*[v*] *rebus opera nostra augmentatum est, ut libet, utatur. Instar oratorii, quod beato Privato construimus*[w] *iuxta altare sancti Martini in occidente aecclesiae, beato Gregorio magno martyri, qui recens adductus est, fiat, ubi sacratissimum corpus eius recondatur. Huic fundando centum librae legentur. Cuppas aureas fratribus nostris ad Sanctum Petrum, libras viginti, cortinam, mensalia duo, scannalia totidem. Ad sancti Gereonis altare urcei magni, pallia duo, tapete ex maioribus; fratribus naves et librae duodecim, mensale et scannalia duo. Ad altare sancti Severini consummandum quatuor librae auri; fratribus librae octo, vasa duo, mensale, scannalia duo. Sancto Cuniberto scutulae duae. Sanctis*[x] *Ewaldis duobus pallia tria; fratribus vasa duo, librae octo, mensale, scamnalia duo, tapetę unum. Sancto Andreae librae triginta, pallia quatuor, totidem vasa, candelabra duo; fratribus librae sex. Beato Elifio martyri, sancto Martino confessori conferatur tantundem; praedium praeterea Solagon per precariam nostrae aecclesiae adquisitum. Ad sanctae Mariae altare vasa duo ex melioribus; monasterio et claustro perficiendo librae centum, cortina, scamnalia duo, mappae totidem. Ad altare sanctae Ceciliae auri librae tres, cortina, candelabra duo, vasa duo, tapete*[y] *unum, scamnalia duo; in consummando monasterio librae quinquaginta. Collegio illius monasterii librae decem, mensale. Ad Sanctas Virgines vasa duo, candelabra duo, pallia duo, cortina, tapete*[y] *unum, scamnalia duo. Sanctis monialibus*[z] *librae decem, mensale.*

a) *deest* 3. b) *haec inscriptio deest* 3. c) ne 1. d) nobiscum 1. e) *scil.* communicare. f) allati 3. g) e. e. *desunt* 3. h) illustri 1. i) mundum 3. i*) poppone 2. 3. *et infra.* k) ecclesiae 1. l) scutulam 2. m) pene 1. n) maguntino 2. magontio 3. o) uillis 2. 3. p) heingilón 3. q) bauingan 2. 3. r) elaboraturum 2. s) Ierichomium 3. t) preterea 3. u) usque ad 3. — *an* in Saxonia adquisitum? v) l. p. i. s. u. s. et *manu correctoris* 1. v*) e. nostrae 2. w) construximus 3. x) Sancti 1. y) tapetum 2. *et infra.* z) sanctimon. 3.

21) Langel infra Bonnam. 22) Wessem supra Ruremondam. 23) i. e. *γηροκομεῖον*. 24) Roediegen?

Altari sanctorum martyrum Cassii et Florentii auri librae duo, baccina quae penes nos sunt, cuppae duae, pallia totidem; fratribus librae decem. Sancto Victori et collegio tantundem. Monasterio et claustro Sosacio[25] *fundando librae centum; altari sex vasa, pallia totidem, tapete unum ex maioribus, scamnalia duo, cappa et casula ex nostris, praedium praeterea quod Wodilo de precario*[a] *nostro dedit, illud etiam quod domnus Popo Richildinchuso*[26] *et Arvite*[27] *nobis satis naviter adquisivit*[b].

Fundite corda preces, lacrimosas mittite voces;
  Ecce pater patriae conditus in silice,
Regia progenies, terras memoranda per omnes,
  Bruno pacificus, vir bonus atque pius.
Archos antistes, cui data[c] Colonia sedes,
  Visus erat cunctis karus ubique bonis.
Offendit tenebras lux vivacissima tetras;
  Invida lingua tacet, laus modo vera placet.
Non fuit hic mundus tam raro munere dignus,
  Raptus ab hoc naevo, iam fruitur Domino.
Idus Octobris quinto praesul duodennis[c*]
  Vitae concessit, spes comes alma fuit[d].

VITA BRUNONIS ALTERA[e].

1. **H**einrico[28] primo et piissimo rege de medio facto, qui pro sui ineffabili clementia prudentique rei publicae amministratione omni mundo famosus, et pater patriae dictus est, filius eius Otto primus divina dispositione in locum patris favorabili totius curiae acclamatione exoptatissimus[f] imperator successit. Postquam autem consecratus esset in regem, prefecit fratrem suum Heinricum ducem super Baiowariorum gentem. Sanctus vero Bruno, etate minimus, sed honestate morum haut infimus, adhuc degebat sub censura litteralis disciplinae, et leta indole de die in diem proficiebat in Christi servitute. Cum autem profecisset etate et sapientia, rex adiunxit eum sibi per amorem fraternitatis in ministerium archicapellani. Milies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari, consulere afflictis, opem ferre miseris. Quae omnia sic administrabat, ut refugium factus egenis omnibus videretur. Nichilominus ab omnibus calumpnia qualibet oppressis hoc asilum unicum petebatur. Exemplar ibi sapientiae, pietatis et iusticiae supra hominum memoriam eminebat.

2. Hoc tempore Wicfridus agebat regimen Coloniensis ecclesie, Richarius vero Leodicensi presidebat cathedrae; quorum canonica et spirituali provisione status sanctae florebat ecclesiae. Ea tempestate dux erat Kuono nomine, cui ob soliditatem sepius expertae fidei atque multiplicitatem iugis obsequii idem rex Otto delegaverat provintiam totius Lotharingiae.

3. Tunc[29] Wicfridus sanctae Coloniensis ecclesie dignae memoriae archipresul, diu admodum imbecillis, regiae tamen maiestati et patrie satis fidus, fessis tandem relictis terrae artubus, supernis spiritibus sociatus est. Plebs autem destituta pastore, in ipsa confusione nil anceps, nil varium molita, unicum unice optatum in domno Brunone, magnifico viro et probatissimo, sibi delegit solatium, secuta magnatum et totius cleri consilium. Mox dispositione divina in hoc sui intentionem clerus et populus firmavere, ut domnus Bruno regis germanus ordinaretur eis episcopus, in diversis negotiis experti eius inflexibilem esse constantiam ad omnem equitatem et iusticiam. Erat enim vir magnanimus, prudentia et consilio prestantissimus, pietate misericordia et caritate profluus, concordiae et pacis alumpnus, ita ut vulgari cognomine diceretur Bruno pacificus. Concordantibus autem omnibus, et votis ipsorum Dei providentia concurrentibus, post exequias honorifice celebratas, ut tam venerabilem Coloniensis sedis decuit antistitem, unanimiter electi sunt a senatu sanctissimo quatuor summi viri et eodem numero laici, omnes adprime eruditi, qui omnia haec perferrent ad palatium, et

a) precatio 1. 2. precatu 3. b) Explicit vita domni Brunonis archiepiscopi 3. *epitaphium deest.* c) clara 2. 3. c*) duodenus 2. 3. d) *hic* 2. *addit:* Bruno pius. Quod de casula mandastis domni Brunonis, eam fuisse non dubitetis, quam nostri priores Engilbertus et ceteri ipsius nomine in maxima habuerant veneratione, eaque semper usi sunt in obitus (obitu *cod.*) sollempni commemoratione. e) *ex codice* 3. f) favorali t. c. a. exoptantissimus *cod.*

25) Soest. 26) Recklinghausen. 27) Erwitte. 28) ex Ruotgero cap. 5. 29) capp. 3. 4. ex Ruotgero cap. 11–13.

patefacta post defletam destitutionem electionis unanimitate, memoratum desolatis flagitarent solatium. Quid multa? Complacuit, Deo gratias, imperatoriae auctoritati, sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta constantia visitatorem festinanter ad destituti gregis custodiam mitteret. Missus tandem e castris terreni imperii in celestis regis tabernacula cum spiritualibus nequitiis pugnaturus intravit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei pre se ferens. In illo mox novi eius comites viderant et quod blandiebat et quod terrebat. Affabilem namque se valde et mitem prebuit, et cum eius industriam in agendis nichil effugeret, requisivit tamen undecumque sollicitius, quid agendum sibi esset, quibus consuetudinibus inniti debuisset. Erat ei comitate condita gravitas; ita confluenti turbae modicum hylaris et per omnia mirabilis[a] apparebat.

4. Ventum est ad sacratissimam sedem, huic pio provisori ab omnipotente Domino ante tempora preparatam, in ipso tempore presentatam. Factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio vulgi; novis gaudiis exultavit civitas. Clerus ex monasteriis convenit, sanctimonalium multitudo concurrit, conditio quelibet et sexus uterque plus solito ad gaudia convenerunt. Episcopi autem, qui frequentes aderant, et huius sancti cleri senatus, acclamantibus cunctis in voce exultationis et salutis, electum a Deo et hominibus virum super cathedram pontificalem sedere fecerunt; et laudem Deo simul universi, clamore quo quisque poterat, in organis nichilominus et cymbalis et quocumque signo leticie personuerunt.

953. 5. Ascenso autem tanto culmine potestatis, nequaquam sibi inde crescebat tumor elationis; sed sancta mens episcopi se potius inclinavit humilitati, illud in memoria recondens, quod scriptura admonet dicens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* (Eccl. 3, 20.) Pervigil fuit sapientia, placabilis lenitate nimia. Serpentis astutiam cum lege custodivit, et columbae simplicis animum non amisit. Gregem sibi commissum dilexit, et per baculum disciplinae multos ab errore eripuit, quosdam collationibus assiduae disputationis ad meliora ducens, quosdam placidae maturitate doctrinae desiderio sanctae conversationis implens. In sermone fuerat mitis, in doctrina humilis, malorum acerrimus destructor et veritatis studiosus assertor, humilibus blandus, superbis severus. Quosdam infra septa gregis suscipiens, ex lupis oves fecit; alios extra septa enutrivit; et quicquid alios docuit, ipse primum implevit.

6. Erant enim in illo uno homine res valde dissimiles, natalium nobilitas, honorum dignitas, scientiae, quae inflare solet, tanta sublimitas ut nichil supra, animi vero et habitus humilitas. Heinricus primus, pater istius sanctissimi viri, Romanorum rex et semper augustus, strennue gubernavit imperium. Post quem filius eius Otto primus, frater ipsius sancti viri, potenter imperavit. Post quem Otto secundus, et Otto tercius, et Heinricus, nepos Heinrici ducis Bauwariorum, et ceteri filii et nepotes eorum successerunt usque in hodiernum diem [28]. Attavorum eius attavi usque ad hominum memoriam omnes nobilissimi; nullus in eorum stirpe ignotus, nullus degener facile reperitur. Hic tamen omnes, salva augustorum et regum excellentia, genere, nobilitate et morum honestate precellebat. Erat enim statura procerus, vultu decorus, aspectu pulcherrimus, lata fronte, alto supercilio; oculi eius magni et clari quasi carbunculus; visu metuendus, barba rubicunda, circa humeros et pectus large dispositus.

7. Adeptus itaque Dei ordinatione summi sacerdotii gradum, magis amari quam timeri affectabat. Ecclesiastica iura canonica auctoritate confirmabat. Exinde omnis eius intentio, omne studium, sanctae matri ecclesie aut munimento fuit aut ornamento. Munienda scilicet erat exterius, ornanda interius; munienda in secularibus, ornanda in spiritualibus. Dilexit ante omnia decorem domus Domini et locum habitationis gloriae eius. Hoc se ardere desiderio multis modis specialiter ostendit. In omnibus etiam extitit fortis adletha Dei et propugnator christiane fidei. Hiis rex letissimus, considerans virum omnium virtutum profectibus crescere, in quo non dubitaret secundum animam quiescere, et cum quo auderet cum omni confidentia partiri onera regalis iusticiae, commisit ei procurationem totius Lotharingie [29].

8. Interea dominus rex, uxore priore defuncta, ex regina, quam ab Ytalia duxerat, filium equivocum suscepit, quem sibi successorem regali benedictione consecrari disponebat. Quo comperto filius eius Ludolfus maior natu, qui plurimo iam tempore spei huius detinebatur cupiditate, dampnum hoc irrecuperabile duxit intolerabile, adeo ut paterne vite sive saluti discrimen meditaretur intemptare. Unde multimodis promissionum speciebus corrupto duce Kuonone cum nonnullis principibus, collectis copiis, hos insidiarum tetendit aditus, ut oculis capti patris erutis, libere potiretur regni fastigiis. Verum extimplo detectis insidiis nutu divino, rex exercitu coacto obsedit in civitate Moguntia ducem cum filio. Sed quia cingebantur forti ambitu murorum, tuti prevalida conspiratione civium: rex usus consilio prudentium, sacius duxit hac vice loco cedendum. Secedens igitur abinde, Agrippine Coloniam peraccessit, ibique regni proceres unanimiter coadunatos fidei sacramento suae securitatis confirmavit.

9. Deinde rege pro diversis necessitatum causis Ytaliam profecto, sanctus archiepiscopus Bruno Aquisgrani palatium venit cum Metense episcopo, quem dux Kuono civitate dolo capta [30] propulerat ab episcopio. Illic occurrit ei domnus abbas Odilo [31], iam senio fessus et egritudine continua, seque in manibus eius commendavit et sua omnia, iterans proclamationem preteritis annis coram rege dilatam. Unde commotus Emmo [32], non iam in occulto sed hostis publicus factus est abbatiae, collectaque latronum manu, absque misericordia et discretione bona diripiebat ecclesie. Non tulit ulterius hanc iniuriam sanctus Bruno piissi-

a) mirabil c. 28) Haec indicare videntur, auctorem ante a. 1268. vixisse; cf. et c. 9. 12. 29) v. Ruotg. c. 22. et de c. 8. Ruotg. c. 16—20. 30) cf. Ruotg. c. 24. 31) Stabulensis. 32) V. Cont. Flod. a. 976.

mus; sed missa copia militari reum diffugii latibula captantem cepit, captumque custodiae gravissimae mancipavit; donec accepta fide Leodicensis episcopi, cuius erat propinquus, et sacramento ipsius, quod nichil tale presumeret ulterius, iuberet eum absolvi a publicis compedibus. Non multo post castrum Longiae manu militari aggressus, obsidione prevalida fatigavit, tandemque captum iuri ecclesiae[31], sicut hodie est, remancipavit. Per idem tempus cum exclusus fuisset a civitate Metensi dux Kuono — tulerunt namque ex ea thesaurum magnum —, collecto exercitu sanctus Bruno insecutus est eum, atque a finibus suis eum expulit; sicque episcopum Metensem[32] loco suo restituit. Hoc modo propulsis hostibus a suae ditionis finibus, Ludolfum regis filium in patris gratiam fratrisque concordiam et amititiam venerabilis reduxit episcopus; Deique miseratione ac piae sollicitudinis suae prudentia mediante, firmissima pace stabilita, circumquaque cognomen, quod ante episcopatum Christo annuente fuerat adeptus, perpetualiter obtinuit „Bruno pacificus."

10. Dignitas etiam pontificalis et sedes in ipsa primis[a] quidem in annis admodum humilis et pene ingloria erat; dum huius[b] episcopi nomen agebat, nil amplius reverentiae vel obsequii sive honoris habebat, quam quilibet presbiter vel pastor apostolica ex indulgentia per manus impositionem dotatur. Solius stolae vel unici baculi nuditate contentus, liganda ligabat, solvenda solvebat. Verum iurisdictio gladii vel civilium negotiorum, totus denique ducatus, quo sit ordine pontificio additus, ex vulgata nobis editione derivatum, posteris transmittere curabimus. Igitur Romanum regente imperium glorioso Ottone, ipsius ad gratiam frater eiusdem Coloniensibus pontifex preficitur, ad seculum egregiae indolis, circa Deum mirae religionis; cuius apud nos vita vel actus, multarum virtutum redimita flosculis, curiosum delectabit lectorem. Et quidem miram viri efficaciam maxima ex parte indigestam scriptoris transsiluit articulus, quoniam fama eius celerior remotos orbis angulos impleverat. Huius sacerdotii temporibus orta occasio regem cum exercitu Ytalicas movit in partes, de regni negotio cum Longobardis acturum. Qui eidem fratri et episcopo Galliarum procurationem delegavit, facere iudicium et iustitiam iniunxit; prospectum sciens sub tali patrono ecclesiae tam populo quam clero, tam civili quam plebeio. At sanctus Bruno, depositi curam gerens, lustratis ecclesiis, vicis et castellis, urbibus, quaeque ad agenda quosque animavit, dissidentes ab invicem concordavit, pacem reformavit, reformatam iurisiurandi sacramento consolidavit cum primis provinciarum.

11. Mediante[33] ita beati Petri festo, idem antistes, cum esset Coloniae, missa legatione regem Parisiensem sollempnizandi gratia invitavit. At rex, tam consanguinitatis quam dilectionis affectu coniunctus, ire non distulit. Venit; decenti et congrua rei veneratione suscipitur, plenissima iocunditate tractatur. Tamen, nescio qua temeritate, die sacra coronatus procedere dictaverat. Quod renisus antistes, ut ne insolitis consentiens fraternum precaveret offendiculum, regiae coronae procuratorem quoquo modo suasum, hoc egisse dicitur, ut sacra die eam prolaturus ex populi pressura occasionem sumeret, et spontaneo lapsu quasi impulsus pedibus offenderet, casuque simulato dyadema labi permitteret. Sic factum est; et populi angustiatus pressuris, cum labente corona labitur, populique strepentis pedibus attentatur[c]. Nec res gesta regem latere poterat, qui spe sua frustratus processit quidem, circulatus[34] tamen; missisque peractis, pregustato potius quam sumpto cibo, non ultra discumbere voluit, sed maturato praecinctu ire perrexit. Res interim silentio tegitur. Parisiensis tamen, se dolens iniuriatum, similem antistiti retributionem machinatur. Unde sacra die beati Dyonisii, Parisiorum apostoli, rex invitavit[d] episcopum, qui sollempnem missam omni cum clero celebraturus, gratiam pro gratia reciperet. Paruit antistes; dieque sacra pontificali cum gloria ornatus procedens, alium nescio quem gentis illius episcopum altario astare reperit. Intellexit eruditus animus veteris irae ultionem; sed quoniam se sacris missalibus initiaverat, aliud ad altare divertit, suisque cum sequacibus impositam missam explevit; et nec regi valefaciens, impransus, suis comitatus civitatem egreditur, innotesci volens tam regi quam civitati, pro illata iniuria iudicium eis affuturum. Nec ultra moratus, suos comprovintiales revisit; sumptus et necessaria parat; castra militum ordinat; reversusque regem cum suis omnibus expugnat, propellit et exturbat; civitatem flammis absumit et vastat, et victor regreditur[d*].

12. Interea ducis Lotharingiae[35] stimulata invidia, quasi universa Gallia suae maiestati ad iniuriam clerico foret edita[e], idque suae generositati incautum autumans, primum pacis commertia non est veritus irrumpere; sed collecto exercitu, latrociniis, incendiis quacumque regnum omne cepit infestare. Quid plura? Gemit pius pastor laceri gregis incommoda; nunc in cordis divisione animadversionis querit consilia; et an iniuste foret cedendum, an pari congressione dimicandum, pendula mente discutit; quoniam gladii censuram non in vacuum sibi creditam intellexit. Conscitis itaque primis provintiarum consiliis, querit, invenit, diem statuit; qua congressus cum duce, victor existit; cuius disturbato exercitu, ipsum ducem captum et vinculis iniectum, ne tantam victoriam sanguine fedaret, fratris affuturi iudicio reservavit. Sicque pacis hoste distracto, pax redditur ecclesiae. Nec multo post imperatorem fratrem, Ytalico exacto negotio, letus excipit. Quem, quae frater et episcopus egerit, quam civilis, quam pacificus, quam districtus iudex et victor fuerit, minime

a) primus *cod.* b) *ita corr.*; hiis *cod.* c) allentatur *c.* d) invitatum *c.* d*) ingreditur *c.* e) edito *c. an* tradita?

31) Metensi. 32) Adalberonem. 33) Quae sequuntur, iam olim a Gelenio Hierotheca p. 59. exscripta Thietmari narrationi II. 15. quodammodo illustrandae conducunt. Brunonem minime fratrem prodidisse patet, sed verum rei ordinem nemo facile explicabit. 34) i. e. circulo ornatus. 35) Kuonradi.

latere potuit. Unde sollempni principum habito colloquio, id omnium pari sanxitum est consilio, ut devicti ducis monarchia presuli Coloniensi suisque successoribus usu et iure cedat perpetuo, et ut presules sic et duces nominentur, sic et sint, iudicentque in gladio, qui antea unico utebantur baculo.

13. Hac ergo subnixus dignitate sanctus Bruno pacificus, pacis et gratie alumpnus, bonae voluntatis hominibus pacem reformavit, discordantes a devio revocavit, obstinaces et duros ad aliorum terrorem variis sententiarum modis multavit. Sponsam suam, inclitam Coloniam, a iugo ancillari excussit, frenum tributi eius solvit, ac libertati perpeti eam donans, gloriae benedictionem primus in ipsa inseruit, reliquias sanctorum quacumque collectas in ea congessit. Pontem* etiam porrectum trans Reni alveum, equissimo rationis actus libramine, deiecit, quoniam latronum manus cum fedaverant. Nempe qualibet dierum Transrenenses ruricolae negotiandi causa per eum Coloniam ingressi, causarum diversitate vix in vespere expediti, declinato die dum redirent, ipso in ponte rebus et vita privati Reno iniecti sunt; mortisque auctores latuerunt, sceleris sui sigillum noctem habentes. Hinc sanctus Bruno prope urbis muros monachorum congregationem instituit, quam rerum suarum fecit heredem, multiplici eam dote nobilitans. Locum quidem, fundamenta iaciens, initiavit; sed ad premia bonae voluntatis suae beato fine vocatus, imperfectum reliquit, sed sumptuum copiam ad fabricae erectionem disposuit; in qua et sepultus quiescit. Qui cuius coram Deo sit meriti, ex prospectus eius regimine cotidie sentimus.

14. *De expulso episcopo et in sedem ab ipso Domino reducto.* Veronensi ecclesiae intra Ytaliam preerat vir strennuus, nomine Ratherus, habitu monachus, totius religionis cultor precipuus, et divinarum scripturarum tractator luculentissimus. Hic[35] Aquisgrani palatio canonice electus instante Septembris mensis ieiunio, sequenti dominica consecratus est a duobus archiepiscopis, videlicet dignae memoriae sancto Brunone Coloniensi atque Trevirensi Ruberto, necnon coepiscopis quinque, et consensu cleri plebisque intronizatus est supradictae ecclesiae. Qui sic potitus pontificali cathedra, res episcopii et ecclesiastica iura legitimae districtionis disponebat censura, posthabitis illorum consiliis, qui eatenus in talibus negotiis non ea que sunt Christi, sed sua querebant commoda. Erat enim vir idem, licet alias admodum probus, ut se habet morum diversitas, spiritus vehementioris, paulo severior in responsis, zelo iusticiae et equitatis. Sed quia, ut quidam ait, *veritas odium parit*, huiusmodi studiis non solum clericorum, sed etiam civium in se odia concitavit. Quorum quidam, episcopis Ruberto Trevirensi et Balderico Leodicensi consanguinitate proximi, dampna questus sui conquerentes, per violentiam episcopi concitaverunt eos in odia et inimicitias domini sui, illum protestantes freneticum et indignum honore et nomine episcopi. His convitiis presul idem Ratherus modice motus, non ad exteriora confugit adiutoria, sed ad librorum conversus armaria, adversus Baldricum et Rubertum episcopos exorsus est scriptitare quedam invectiva. Unde contigit, ut emulorum suorum exardescente invidia, de sede pontificali expelleretur non absque contumelia. Qui expulsus ad gloriosi regis Ottonis suffragia se contulit. Ipso rege pietatis intuitu conante auxiliari, verum adversariis fortiter obsistentibus, cum nulla restitutionis eius copia processisset, utile visum est, ut ad benignitatem piissimi sanctique Brunonis archiepiscopi ordinatoris sui confugium faceret. Qui veniens, benigne susceptus et consuetudinario benignitatis eius more honorifice habitus, non multo post cathedrae suae decenter est restitutus. In tanti enim viri iudicio evanuit omnium inimicorum eius obstinata coniuratio, et in eius defensionis constanti testimonio obmutuit onus adversariorum prescriptionum. Proponebat enim vir totius providentiae ordinem illius canonicae electionis et ecclesiasticae consecrationis, nec debere tantam iustitiam irritam fieri qualicumque accusatione testimonii laicalis, immo omnes factionis huius ministros graviter formidare posse offensam apostolicae animadversionis. Igitur dulcifluae facundiae suae antidoto adversariorum animis mitigatis, sic ordinante divina clementia disposuit, ut omnibus indissolubili concordia pacificatis, ab eisdem cum omni honorificentia in sedem suam reduceretur episcopus, a quibus antea fuerat cum indecenti contumelia propulsus, et emendatior fieret omnibus evi sui diebus.

15. *Epistola episcopi Ratheri ad Brunonem.* Extat etiam epistola ipsius episcopi ad sanctum Brunonem directa, satis luculenter digesta[36]; in qua eum patronum suum nominans, cum inestimabili gratiarum actione protestatur, se divina clementia preeunte et subsequente et eius spirituali prudentia mediante in virum alterum transformatum, et renovatione mentis et spiritus in melioris status efficaciam commutatum, suorumque omnium amore[a] in profectum et augmentum sui honoris conglutinatum[b].

Hic quaedam excidisse videntur.

Visio abbatis Wolberonis. Nam cur, quare, quam ob rem, tanti viri gratulemur patrocinio, hec causa est. Tempora prioris Frederici, Coloniensis archiepiscopi[37], nobis invisa et infesta fuerunt; qui eiusdem sacrae congregationis violentus invasor, multis etiam gravavit adversis. Quandoque enim mortuo eiusdem loci abbate, liberam eis

*) pontis *c.* a) amorē *cod.* b) *Posthaec quamquam in codice nullum lacunae vestigium extat, satis tamen apparet, finem huius narrationis intercidisse, sequentiaque nil esse nisi sermonem quendam de S. Brunone, initio carentem, auctore quodam monacho S. Pantaleonis, qui fortasse vitae finem dedit. In exemplari, unde noster exscripsit, procul dubio aliquot folia exciderant, quod scriba non sentiens haec ita conscripsit. BETHMANN.*

35) cf. supra p. 262. n. 11. 36) diversa ab ea quam in Opp. Ratherii p. 529. legimus. 37) a. 1099 sqq. Fridericus II. saeculo XII. medio sedit. Nec liber ipse medium saeculi XIII. superare videtur; v. supra c. 12 in fine.

electionem infringens, qua ex Benedicti apostolici indulgentia illud adusque tempus gloriabantur, abbatem eis intrusit ignotum, cui ad obediendum iurisiurandi sacramento compulit, renitentes inclementer afflixit et exiliavit, etsi non ipse, tamen per manus dominorum crudelium. Nam intrusus abbas plerosque suae congregationis fratres secum adductos singulis obedientiis prefecit, claustrum eis omne subiecit. Eratque necesse, sub hac dissidentia ecclesiam periclitari. Videns ergo Dominus populi sui afflictionem, mediante Brunonis merito, erroris huius auctorem episcopum Fredericum vita absolvit [38], ut se non deesse suis monstraret, et intrusus abbas intenderet cumque suis subiectis mitius ageret. Interea revocantur exules, eiciuntur et remittuntur adulterini officiales. Solo abbati manere conceditur; reverentia ei digna exhibetur; nullo gravamine vellicatur [a]; Dei super hoc metuentes iudicium seculique infamiam. Iam optato cursu iubeleus aderat, serena se tempora secundabant, dum et captivis indulta libertas, et iam dudum defuncti presulis Frederici datum est innotesci. Nam eiusdem ecclesie custos nocte quadam post matutinos, fratribus cubitum regressis, ut familiare est custodibus, altaria lustrabat, luminaria reparabat, postremo tumbam sancti Brunonis visitans oratum se deposuit; cum repente collapsis oculis haec in spiritu vidit. Vidit, et ecce sepedictus episcopus Fredericus lugubri gestu erat incedens et crebris singultibus secum dure agi insinuans. Quem idem custos, ut erat, in spiritu allocutus, causam meroris inquirit, dum pro ipso universalis ecclesiae multa precum reditio, elemosinarum distributio, omnimoda salubrium votorum oblatio, Deum indesinenter sollicitaverit. Et ille: *Vera*, inquit, *vera*, *frater*, *commemoras*, *sciasque*, *Deum delectari in precibus fidelium pro me fusis. Ex quibus dum gratiam consequi debueram, a sancto Brunone graviter impedior. Obstat enim multa queritans adversa, quibus miser ego hanc sanctam nocui congregationem; nec sibi satisfactum pro hiis, nec digna pro meritis me recepisse, opponit. Pro solis ergo vobis hactenus michi negata est venia.* Et custos: *Mi domine*, ait, *si omnibus hiis, quae prosecutus es, fides adhibenda est, nobis quid* [a*] *de tali presumendum est patrono?* Et ille: *Magni*, ait, *meriti hunc apud Altissimum scias*, *et vere provisorem et dispositorem omnium*, *quae vobiscum aguntur. Nam locum istum et fratres quasi a Deo sibi creditam possidet familiam*, *utque advocatus vester inter vos frequenter versatur*, *cuncta ordinat et disponit. Et quoniam ipsi de vobis cura est*, *misericordiam flagito; vestris super me precibus moveatur!* Nec plura hiis locutus, subtrahitur; custos etiam sibi redditur.

Item de eodem Brunone archiepiscopo. Magni enim meriti apud Deum beatus Bruno esse dinoscitur. Nam quicumque in quartana vel terciana laborat, si ad sepulchrum eius devoto corde accesserit, et de calice, qui eius pectori superpositus in sepulchro fuit, per tres continuos dies biberit, eius meritis a Deo sanctitatem se percepisse gaudebit.

De miraculo, quod in cena Domini contigit ad sepulchrum eius. Ne vos lateat miraculum, quod in cena Domini contigit, vestrae caritati intimare disposui. Cum mane convenissemus oratum pariter, ingessit se pari devotione quaedam, ut oraret. Haec quinquennio manus infirmitate laboraverat, ut in palme medio infigerentur sibi digitorum summitates. Mox ut prostravit se sepulchro sancti Brunonis archiepiscopi, extensa manu sanitatem obtinuit. Et ne videatur inane, cycatrices iacentium digitorum probant manifeste.

Bruno pacificus, eterni regis amicus,
Te [b] duce, pastore et rectore Colonia gaudet.
Cum duce maiestas, et cum duce regnat honestas,
Sub duce pax grata multis et curia lata,
In duce lex culta viget et sapientia multa.
Cum duce maiores sunt et plerique minores,
Sub duce prudentes versantur et insipientes,
Et merito vere scit quemque decenter habere.
Tractat clementer humiles, timidosque potenter.
Clerus honoratur ab eo, populusque iuvatur;
Attollit plenos opibus, solatur egenos;
Nil patitur nequam, sed legem discutit equam.
Delicias nescit, qui non sub eo requiescit.
Cum duce multarum sunt gaudia divitiarum.
Hoc siquidem iuste, quia dispensando venuste
Non illas celat, sed in hiis ut prosit anhelat.
Isti sunt mores, quibus acquisivit honores,
Per quos et captat sibi plures atque coaptat.
Letus, non tristis, semper perduret in istis [c].

DE TRANSLATIONE SANCTI EVERGISLI ARCHIEPISCOPI [d].

Centesimo octogesimo dominicae incarnationis octavo lustro, sexagesimo tercio indictionum circulo, regnare coepit Otto, unctus laeticiae oleo; qui Coloniensis gregis custodem se natu minorem constituit fratrem suum Brunonem, atque occidenti 953
praefecit tutorem et archiducem; ipse vero pacare regnum versus est in orientem [39]. Sanctus Bruno, piisimus vicesimus secundus sancti Evergisli suc-

a) vellitatur c. a*) nobisque c. b) Me cod. c) *hic sequuntur in codice duo versus:* Arborei flores designant orbis honores. Ut pereunt flores, pereunt sic orbis honores. *Sed apparet, in codice, unde noster descriptus est, eos ab alio in loco vacuo additos fuisse, ut saepe fit in codicibus; nostri scriptor, diligentissime omnia exscribens, neque hos versus omittendos putavit. BETHMANN.* d) *ex codice* 2. 38) a. 1131. 39) V. Ruotgeri c. 20.

cessor, omnium factus est morum speculum bonorum, nardus preciosa dedit odorem suum, vere dux populi et sollicitus pastor gregis dominici. Cum causa colloquii habendi de statu regni apud principes regionis illius iter haberet in occidentem, forte in reversione, pacato regno, ad opidum Tungrensium devenit, quod venerandos reliquiarum cineres sancti Evergisli conservavit. Nam peccatis exigentibus, civitatem totam longa vetustas et bellorum tempestas cum nomine penitus delevit, ac novitas alio sedem episcopalem transmutavit. Cumque ibi summus praesul pernoctaret, illudque animum eius multum moveret, quod tam sacer locus ad nichilum iam quasi deveniret, in ipsa nocte apparuit ei sanctus Evergislus, quasi palliatus casula conscissa, qui ei dabat talia verba: *Videsne, ut vestimenta mea sunt neglecta et tinea consumpta? Quoniam tu illuminabis lucernam meam, illumina tenebras meas. Nam hinc eripiar, et in Deo murum transgrediar.* Nec mora, episcopus sompno solutus rem volvebat tacitus. Facto autem mane, bonae memoriae ad se iussit venire Folcmarum yconomum, quem in omni negotio consuevit habere coniunctissimum, remque illi ex ordine nuntiavit, et ut ille in medium consuleret postulavit. Qui mox dicebat ad primam responsionem, sanctum Evergislum propriam debere revisere sedem. Laetatus episcopus, tam sacri corporis reliquias sua imperiali potentia propriae sedi se velle restituere, suis nuntiavit omnibus. Hoc vero illi audientes, illud eis optabile fore praedicabant, et pene omnes prae gaudio flebant. Nec mora, cum omni devotione perrexit cum suis episcopus ad locum ubi iacebat sanctum corpus, et post quoddam altare de quadam fabrica iam senio consumpta cum omni veneratione elevavit, ac multum flentibus incolis, cum suis Coloniae reportavit. Ubi[a] ad sanctissimam sedem ventum est, ingens concursus populi factus est; clerus cum sanctimonialibus convenit, uterque sexus concurrit, tota civitas novis gaudiis exultavit; sicque cum omni celebratione divinae laudis quinto Calendas Aprilis honorabiliter repositum est in ecclesia sanctae Ceciliae virginis. Ibi vero tot Dominus cotidiana dignatus est per sanctum suum conferre dona salutis suae sacrae ecclesiae filiis, ut praesentem credat unusquisque adesse largioribus beneficiis.

DE TRANSLATIONE SANCTI PATROCLI[b].

959. Sanctus etiam Patroclus quomodo ad nos venerit,
Prov. 15, 30. reticendum non est. Nam sicut per Salomonem dicitur: *Fama bona impinguat ossa,* huiusmodi adipe et pinguedine repleatur anima nostra. Anno ab exordio salutis nostrae, id est ab incarnatione Domini nostri Iesu Christri, ducentesimo septuagesimo quinto Aurelianus principatum Romani imperii adeptus est, quinque tantum annis et sex mensibus regnaturus; sub quo gloriosus et sanctus Domini martyr Patroclus victoriosi certaminis sui cursum feliciter consummavit, et in curru Dei decem milibus multiplici, hoc est in milibus laetantium, evectus, in urbem coelestis rei publicae triumphavit, statuens in Tricassina urbe tropheum gloriae suae, corpus posteris honorandum, exteris etiam gentibus praedicandum. Exinde circiter sexcentos octoginta quinque annos sanctus Bruno, reverendissimus Coloniensis ecclesiae archiepiscopus, ab Ottone imperatore augusto fratre suo in Lugdunensem Galliam missus est, nobis in tempore ipso, populo illius provintiae pene sero[c]; ubi diversae voluntates civium distractaeque fuerunt sententiae; velle suum cuique; nec consiliis solum et studiis, sed armis etiam dissidebant et castris. Illic ergo duarum sororum eius filii summa rerum potiebantur. Hii propinqui inter se foedere sanguinis, discordes animis, ludibrium avaris suis militibus erant, qui lucris tantum divitiarum intenti, neque in hac neque in illa parte fidem habebant. Ubi enim regionis principes avaritiae aestibus anhelant, pacis gaudia miseri quique frustra expectant. Sed gloriosus archiepiscopus, pacis nuncius, citius quam credi posset, calidae fecit silentia turbae maiestate manus; deinde, quid utile omnibus esset, quid singulis expediret, edocuit; et reconciliatis invicem civibus, bonitate in suos usus, iusticia in omnes, pacem integerrimam reformavit. Hiis ita gestis cum iam redire disponeret, multis precibus obtinuit ab Ansgiso Tricassinae ecclesiae venerabili episcopo — quem et paulo ante expulsum, inter alia insignia legationis suae cum ingenti plausu populi restituit propriae sedi[1] — ut donaret sibi secum pariter asportandum corpus beati Patrocli martyris; cuius passionem legere meritumque perpendere qui quaerit, in promptu habet. Episcopus autem, qui plurima debuit, hac, ut ita dicam, occasione oppressus, coactus insuper infinitis precibus, postulanti tandem paruit, ne videretur ingratus; maxime quia exigentis animus huic muneri tantum intentus alia penitus recusabat. Religionis enim amore captus, sicut exterius habuit per virtutem quod superborum insolentiam nequitiamque retunderet, sic per pietatem interius decorem domus Domini diligenter administrare curabat. Cumque se hoc gratum munus ab episcopo consensu cleri totiusque populi promeruisse gauderet, ipse ne quid infectum relinqueret adhuc in plurimis occupatus, misit acceptum reliquias

a) *deest e.* b) *ex codice* 2. c) *an* servo?

1) cf. Hugonem Flor. qui haec narrat.

virum omni laude dignum Everkarum, Leodiensem episcopum, et cum eo clericos ac monachos religiosos. Inter quos fidelis populi multitudo non minima, causa laudabilis spectaculi, confluebat. Cumque ad locum destinatum venissent, videntes ibi pavimentum marmoreum perstratum, nullum vero certum recognoscentes reconditi signum thesauri, alii quidem adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Tunc admonente episcopo et exhortante eos qui convenerant, praemissa tandem sollempniter oratione, opus propter quod venerant aggressi sunt cum fiducia. Confestim autem ut aperuerunt sarculis terram, mirabile dictu, repleti sunt omnes odore vehementissimo, quo nichil umquam suavius sentiebant; et quo quis magis proximus fuit sepulchro, eo magis se odoris dulcedine affectum esse testatus est. Unde factum est, ut omnes tunc religiosi fossores esse cuperent, quatinus divinae fragrantiae vim mirificam habundantius caperent. Nullus tamen, qui intra parietes eiusdem ecclesiae fuisset, expers huius suavitatis inventus est; nec erat quisquam, qui vel tam dulce, vel huic simile aliquid se umquam oluisse fateretur. Augebatur itaque magis et magis aura delectabilis, donec veniretur ad corpus sancti martyris. Tunc vero mirum in modum ita afflati sunt omnes, ut sibi ipsis eo quod senserant pleni omnimodis viderentur, et tamen adhuc velut sitibundi haurire amplius niterentur. Vere mirabilis vir iste fuit, qui Christi bonus odor Deo in omni loco, secundum apostolum, mortuus aeque ut vivus apparuit. Elevatae sunt igitur a sarcofago lapideo sancti martyris reliquiae, indeque prospero cursu cum frequentia exultantis populi Coloniam translatae sunt. Urbs ista metropolis et mater ecclesiarum fidelis populi, principatum auctoritatis suae hinc longe in Gallias, inde usque ad occeanum extendebat. Dignus profecto locus, qui custodiret in gremio suo perlatum ad se sancti martyris corpus, in quo non modo magnus sanctorum corporum et reliquiarum numerus, verum etiam numerosa milia martyrum expectant venturum in die iudicii Dominum suum. Sed sollicitudo summi pontificis nichil negligendum ducens, ut perfecta quaeque de magnis maxima faceret, imperfecta suppleret, neglecta magnifice illustraret, modis omnibus invigilabat. Quocirca ratum duxit, ut locum quendam Saxoniae, Susatium nomine, rebus seculi opulentum, populo plenum, longe lateque circumpositis Saxonum gentibus, nichilominus provintiarum populis notissimum, sed religionis adhuc pene ignarum, hiis sancti Patrocli pigneribus decorare et quodammodo ad sacramenta futurae salutis initiari debuisset; fiducialiter agens in illo, et credens, quod aromatizans fumus ille, qui in manifestatione sancti eius corporis, sicut supra diximus, invisibiliter aspersus et sensibiliter cognitus est, per famam meritorum eius multis fieret profuturus. Unde factum est, ut corpus beati martyris a venerabili Brunone archiepiscopo Colonia deductum, cum honore magno et gaudio, occurrentibus cum clero populis, Susato inferretur; et repositum in ecclesia cum divinis laudibus, quam idem pius antistes fundaverat et donis competentibus ditaverat; ubi etiam a civibus et incolis terrae in magna veneratione habetur et colitur usque in praesentem diem. Nam et domus Domini, in qua inunctia sunt a Maria pedes Domini, repleta est ex odore ungueuti. Cuius rei mysterium quasi explanari videtur, cum sponsa ad sponsum loquitur: *Unguentum effusum nomen tuum.* Nam quod tunc uni domui contigit, nunc totus mundus in se completum novit.

a) inventi 1.

VITA MAHTHILDIS REGINAE.

*Egregiis feminis, quibus Ludolfina familia saeculo nono claruerat, saeculo
decimo Mahthildis, Heinrici I. regis coniux, atque Ottonis I, Heinrici ducis,
Brunonis archiepiscopi, Gerbergae reginae, Hathwidis ducissae mater, accessit,
Cuius virtutum fama ipsa superstite late percrebuit, in obitu eius a Widu-*
1 *kindo celebrata est*[1]*, et post inter filios et nepotes, in coenobiis ab ipsa fun-
datis Quedlinburgensi*[2]*, Northusensi, Poledensi et Angerinensi, in scriptis et
memoria hominum viguit, donec tandem quadragesimo circiter post obitum
eius anno*[3]*, iussu Heinrici II. regis, pronepotis eius, vita quam hic proponimus
conscripta est. Auctor clericus aut monachus ex numero eorum, qui ingenio
et sapientia regi commendati, eius familiaritate fruebantur, qui tamen nomen*
5 *suum latere voluit*[4]*, scriptis antiquioribus*[5] *et narrationibus familiarium reginae,
fortasse Richburgae abbatissae Nordhusensis, inniti videtur; certe rerum quas
narrat bene gnarus fuit, licet nonnulla minus recta de duello*[6] *Widukindi cum
Karolo M., de baptismo Widukindi per Bonifatium archiepiscopum*[7]*, de incerto
modo successionis Heinrici I. narraverit*[8]*, immo in iis, quae extrema Mahthildis
tempora attingunt, Berengarium regem Heinrico duci Mahthildae filio capti-*
10 *vum commissum*[9]*, et Ottonem II. una cum patre in Italiam profectum esse*[10]*,
scribat. Quae tamen non obstant, quin auctori in universum fidem habeamus
et plurima alias ignota de vita et actibus optimae reginae, filiorum et nepo-
tum eius nos doceri gratulemur. Liber in usum Heinrici II. scriptus, proaviae
eius virtutes, quibus Sanctos aequaverit, celebrat, sed errorem matris filium
Heinricum Ottoni praeferentis non reticet. — Auctor quisquis sit, poetas
Latinorum, praecipue Virgilium legit, et poeticam venam oratione, cuius
membra rhythmo et sono sibi respondent, ostendit*[11]*. Hoc et aliis compluribus*

1) III. 74. 2) cf. Annales Quedlinburgenses a. 936. 3) scripsit enim auctor Heinrico rege, igitur post annum 1002, et ante annum 1012, quo Thietmarus vita nostra iam usus est. 4) Ruotgeri vitam Brunonis novisse videtur; v. c. 30. 5) Godehardum, abbatem tunc Altahensem, fuisse, cuius interventu Heinricus a. 1017. monasterio Nordhusano villam Gamin confirmavit, V. Cl. E. G. Foerstemann gymnasii Nordhusani conrector in commentatione de vita Mathildis a. d. 9. kal. Aug. 1838. edita indigitavit; sed quominus viro illi, litteris habitu et consuetudine cum rege ei rei aptissimo, librum adiudicem, obstat, quod et Vita Godehardi ea de re tacet, et complures alios eiusdem conditionis viros tunc extitisse constat. 6) c. 1. 7) ibid. 8) c. 4. 9) c. 15. 10) c. 22. 11) e. g. capite 23:

„Cum autem peragrasset civitates Saxoniae regionis
et quaeque necessaria singulis impendisset monasteriis,
iterum Northusunensem civitatem adiit,
quam nimium dilexit,
ut videret Richburgam,
quam nuper constituerat abbatissam.
Statim autem ut venit,
hanc ad se vocari praecepit“.

huius aevi scriptoribus usitatum, apud nostrum tamen ita praevalet, ut pene totum eius opus in sententias versibus similes dissolvi possit, quod a Cl. Foerstemann in commentatione de vita Mahthildis a. 1838. *edita exemplo demonstratum, a quovis lectore in quavis libri parte ita esse facile intelligetur. Quod ut a more Romanorum alienum, ita et singularis usus vocis* nihilominus, *quae apud nostrum* nihil minus quam *significat, a bona latinitate abhorret.*

Liber statim ut prodiit Thietmaro[11] *notus et ab eo in rem suam versus,* 11 *saeculo XII. ineunte ab Ekkehardo abbate Uraugiensi in compendium redactus*[12], *et paullo post ab Annalista Saxone exscriptus*[13], *saeculo vero XV. ineunte Coloniae in monasterio S. Pantaleonis integer transscriptus est. Quo saeculi XV. codice omnes quae prodierunt editiones Bollandianorum*[14], *Leibnitii*[15], *Erathi*[16], *et nostra nituntur. Servatur hodie*

1) *Bruxellis in bibl. regia Burgundica numeris* 329—341. *insignis, binis columnis pulchre scriptus et hic illic in margine picturis ornatus*[17]. *Librum* 17 *a Bethmanno in usum nostrum versum, integrum expressimus, correcta tantum saeculi XV. orthographia et emendatis locis aliquot. Qua in re subsidio fuerunt*

2) *Ekkehardi Uraugiensis compendium vitae Mahthildis reginae, iisdem saepe verbis ex nostra contractum, sed sententiis saepe loco suo motis, quare loca nonnulla, quae in Bruxellensi excidisse videbantur, haud tuto ex Ekkehardo restitui posse iudicavi. Usus sum tamen codicibus Vaticano-Guelferbytano*[18] *sec. XII, cuius lectiones, quantum in particula operis Guelferbytana habentur, iam Leibnitius T. III.* 655 *sqq. protulerat, Wirceburgensi*[19] *saec. XII. et* 19 *Claustroneoburgensi a D. Goldhann transscripto*[20]. *Alios eiusdem compendii codices Monacenses sec. XII. et XV, Sanctae Crucis in Austria sec. XII. et Hamburgensem chartaceum in Annalibus nostris recensui*[21].

3) *Codex regius Parisiensis inter libros S. Germani N.* 440. *mbr. sec. XII. Annalistam Saxonem exhibens, cuius textus, quantum ex vita Mahthildis derivatus est, cum nostro ad verbum fere convenit.*

4) *Ultimo loco codicis regii Bruxellensis N.* 3202. *signati mentionem facimus, qui Bethmanno monente ex codice Carthusiae Coloniensis descriptus, uno saeculi XVII. folio initium tantum vitae Mahthildis continet, ex nostra ad verbum excerptum, hoc exordio:* „Sancta Mathildis regina ex progenie" *etc.*

INCIPIT PRAEFATIO IN VITAM GLORIOSAE REGINAE MAHTHILDIS[a].

Heinrico regi summae venerationis dignissimo, explanator huius operis vobis exoptat incrementa spiritualium carismatum, augmenta virtutum, et prosperitatem temporalium rerum. Cum multis sit notum, vos scientia disciplinaque artium diversarum praeditum, plurima

a) mathildis 1. *sed in excerptis Ekkehardi Uraugiensis saeculo XII. ineunte scriptis semper antiquior et genuina forma* mahthildis *usitatur.*

11) I. 11. ex capp. 6. 10. 17; II. 12. ex cap. 25. 12) Fecit hoc eadem ratione qua et historias Alexandri, Gothorum, Francorum, Langobardorum, Saxonum ex Vita Alexandri, Iordani, Gestis regum Francorum, Paulo Diacono et Widukindo contraxit, insertis scilicet Vitae etiam iis quae apud Widukindum de Mahthilda regina legerat. V. Archiv T. VII. 486—493. 13) ad a. 911, 921, 936, 946, 968. 14) Acta SS. Mart. II. p. 358. 15) SS. Brunswic. I. 192. 16) Cod. dipl. Quedlinburg. p. 925 sqq. 17) egimus de eo supra pag. 253. 18) de quo retuli in Annalibus nostris T. V. 158—161. 19) ibid. VII. 489. 20) ibid. 21) T. VII. 487, 488. et VI. 184, 239.

perlegisse volumina, sanctorum vitam patrum in se continentia, quorum exemplis vestra venerabilis conversatio bene potest informari et ad altiora transvehi, non minimae est virtutis, vos pia vestrorum inquirere facta praecedentium propinquorum, et maxime vestrae proavae Mahthildis, illustris reginae; cuius vita lucida merito est imitanda, et cuius virtus tanto est laudabilior, quanto sexus fragilior. Gratias agimus vestrae almitati, vobis placuisse, hoc opus a nobis recitari, nostrae imperitiae magnum et nimis formidandum, cum vestro dominatui subiecti sint perplures ingenio et sapientia nobis excellentiores, qui radio linguae profunda possunt penetrare. Vobis imperante hoc opus inchoari, difficillimum videbatur nostrae parvitati; sed praesumptionis esset maximae, vestro imperio nos resistere. Implevimus quidem vestrum praeceptum ultra modum nostrarum virium; non autem dubitamus, invidorum studia affore, qui quod fecimus cupiunt reprehendere. Igitur obsecramus, rex gloriose, et si fas est dicere dulcissime, non temeritatis audacia sed necessitatis causa: librum manualem ne feratis in publicum sapientibus deridendum, priusquam vestra peritia persenserit, quid vestrae pietati in eo displicuerit, et haec clementer corrigantur, quae vestrae sapientiae non recta videantur. Dignum est enim, ut qui huius dictatus est praeceptor, sit etiam emendator et defensor; ne a nobis[*] insipienter edita, invidorum perfodiantur lingua. Habetis quidem in hoc volumine perpauca vestrorum facta patrum, ex quibus potestis discere, quid agere quidve vobis expediat vitare. Rector totius mundi, qui illorum corda visitando, iusta concessit agnoscere et operibus implere, ipse vobis concedat, quae recta sunt agere et alios ad haec admonere, et virili fortitudine vos iniusta refugere et aliis prohibere; tribuat vobis invictissima arma, quibus vestrorum inimicorum superetur saevitia. Ipsius etiam gratia vobis sit fautrix firma et comes assidua, et faciat vos exemplum et formam iustitiae, ad gubernandam fideliterque regendam ecclesiam; ut speculator idoneus effectus, sitis magni consilii, industriae et disciplinae. Dominus vias vestras omnes ita disponat, ut in omnibus eius mandatis sine reprehensione vivatis, et ad bravium supernae vocationis perveniatis, ibique coronam iustitiae atque coelestium thesaurorum donativa percipiatis. Si cuiquam in hoc opusculo quid placuerit, laus praeceptoris erit.

EXPLICIT PRAEFATIO IN VITAM[a] MAHTHILDIS REGINAE.

INCIPIT LAUDABILIS VITA GLORIOSAE REGINAE MAHTHILDIS.

912. **1.** Temporibus Conradi, regis Francorum gloriosi, extitit in partibus Germaniae dux quidam Otto nomine, honestate morum perspicuus et in decernendis rebus providus, clarus nobilitate generis et famosus bellorum triumphis. Cui Hathuwic, matrona venerabilis, coniugali copulabatur vinculo. Quibus duo gignebantur filii, herili forma decorati; et ipsos summa nutriebant diligentia, uti exigebat nobilitatis honorificentia. Maior natu vocabatur Thancmarus, et alter Heinricus. Is quamvis esset iunior, probitate morum tamen elucebat altior, et ab annis puerilibus intendebat bonis operibus, sequens humilitatis vestigia, quibus certissime pervenitur ad virtutum culmina[b]. Omnes cum quibus erat, haud minus quam se ipsum diligebat; nulli se praetulit, nec per vim aliquem oppressit. Puer vero mirae claritatis ac amandae indolis cum attigisset florentes annos iuventutis, coeperunt inter se tractare parentes, ut illi desponsarent virginem, genere sibi non inferiorem, et cuius mos liberalis praeclaro iuveni esset persimilis. Interim illorum pervenit ad aures, in coenobio Herivordinense egregiam hospitare puellam nomine Mahthildam, genere nobilem, specie exoptabilem, et moribus illustrem, ut cum ava sua abbatissa disceret psalmodialem librum et industrias operum. Haec etiam virgo traxit egregium genus a venerabili viro Witikino, qui in occidentali regione dux fuerat gloriosus, opibus pollens et dignitatis honore multos praecellens. Proh[c] dolor! sed errore captus adorabat idola manu artificum facta, Christumque colentibus varios ingerebat cruciatus, quia deerant praedicatores, qui Christum praedicarent, incredulos ad fidem converterent. Rex vero Karolus, vir christianissimus et erga Dei cultores benivolus, tunc temporis tenebat arcem principatus. Cum autem praefati ducis comperisset incredulitatem, nimium doluit, et congregans omnem suum exercitum, iniit bellum

*) *ita Erath:* vobis *L.* 1? a) in v. *desunt* 1. b) c. v. 1. c) proch 1.

contra eundem Witikinum, causa defendendae fidei et errantem ad salutis viam convertendi. Cumque convenissent et diu inter se certarent amborum milites, et ex utraque parte iam deficerent pugnandi vires, placuit principibus, ut rex cum Witikino conferret manus, et cui Christus victoriam concederet, ipse cum toto exercitu suo regnaret. Qui congressi, diu multumque instabant bello robore colluctanti. Tandem Dominus, lacrimis christianorum pulsatus, suo bellatori de hoste triumphum concessit, fides ut meruit.

2. *De conversione Witikini ducis.* Tunc Deo donante Witikinus proiecit arma perfidiae, ac arripuit scutum fidei christianae, novo fervens studio, sacri fontis in mysterio veterem hominem deponere et novum in Christo induere. Quem rex christianissimus benigne suscipiens, a venerabili episcopo Bonifacio eum baptizari praecepit, ipseque illum de sacro fonte levavit; et per consanguinitatem fidei postea fuerunt concordes amici. Witikinus vero baptizatus, mox mirum in modum totus in Dei opere est conversus. Dehinc omnis exercitus sibi subiectus hanc eandem fidei credulitatem est confessus, et suum principem devote imitando, sacro baptismatis intingebatur fonte. His ita peractis et composito inter se foedere pacis, rex Karolus cum victoria revertebatur laetus. Dux autem Witikinus in propriam remeavit patriam, sancti Spiritus gratia illustratus; et sicut prius persequebatur Christum invocantes, sic postmodum ad fidem Christi traxit quosque errantes, et ut antea bonorum extitit persecutor, ita vigilantissimus tum apparuit sacrae fidei propugnator. Iam tum desiderabat ecclesias reaedificare, quas prius destruxerat in infidelitate, et ubi constituerat idola, hic iam sanctorum collocavit oratoria. A posteris ergo eiusdem Witikini, egregii ducis, processit stirps beatissimae Mahthildis. Cuius pater, nomine Thietricus, in occidentali regione comes fuerat gloriosus[1], et venerabilem Reinhildam, Danorum Fresonumque germine[2] procreatam, moribus 2 probabilem, sibimet adiunxerat coniugem. Qui meruit dono Dei gignere infantem hominibus amabilem. O felix partus huius infantis, cui gratia Christi postmodum contigit dignitas regalis! Nam extitit gloria parentum, laetitia propinquorum, spes hereditatis, et decus totius futurae sobolis, amabilis dum nascitur, et amabilior dum nutritur. Quid plura? Tunc temporis raro videbatur infans talis. Cum ergo illustris parvula esset ablactata, desideravit abbatissa Mahthild, mater Thietrici comitis, quae in Herivordinense sedem possedit abbatiae, praefatam puellam nutriendam suscipere. Parentes autem illius consentientes petitioni abbatissae, sibimet ad procurandum commendabant, ut illam doceret sacras lectiones et manuum operationes.

3. *De desponsatione Mahthildis.* Puella igitur insignis mirum in modum proficiebat in cunctis, aetate tenera, probitate grandaeva, capax in studio disciplinae litteralis et operum industriis. Cum autem ubique divulgaretur virtus illius laudabilis, etiam pervenit ad aures praeclari ducis Ottonis, qui statim misit suum comitem Thietmarum haec 909. ad explorandum. Ille vero praecepto ducis obediens, ad supra memoratum coenobium iter acceleravit ardens, et statim adiens cubiculum matronarum eidem puellae iussu abbatissae servientium, ac adminiculo earum clam se inferens monasterio, diligenter perspexit formam virginis herilem et mire laudabilem. Igitur tacite investigatis et caute consideratis omnibus quae desiderabat, domino suo reportavit hilaris cuncta quae viderat. Die vero sequenti dux Otto disposuit, ire suum filium Heinricum ad praefatum coenobium una cum comite Thietmaro, suo magistro, ut cauta consideratione perspicerent, si forma moresque puellae sibimet convenirent. Elegit itaque non paucos iuvenes, genere et specie elegantes, qui comitarentur iuvenem Heinricum, quo se iactantius ferret ad praedestinatum locum. Appropinquantes autem monasterio, castra metati sunt in campo; pauci vero illorum quasi causa orationis ingressi oratorium, viderunt virginem intus sedentem et psalterium manu tenentem, honestissimam habitu et admodum reverendo cultu. Heinricus autem, eximiae virginis amore succensus, interdixit sociis, ne cuiquam indicarent, qua causa huc venissent; statimque ad castrum revertebatur, ubi cetera pars iuvenum commorabatur. Et induens se herili ornatu, templum denuo intravit multo comitatu, postulans sibi copiam dari abbatissam alloquendi. Quae etiam procedens, ipsum cunctosque suos satellites suscepit gaudens. Postquam autem invicem dedissent verba salutationis, secum duxit iuvenem Heinricum una cum comite Thietmaro in suum

1) habitabat in villa Enger proxime Herford; vide infra cap. 11. 2) i. e. patre Dano, matre Fresone.

909. cubiculum, et familiare cum eis in longum produxit colloquium. Egregius vero iuvenis interim sumens fiduciam animi, paulatim incepit sermonem de virgine, interrogans, quantum provecta esset aetate aut qualis staturae; postremo etiam desideravit sibi licentiam dari ipsam conspiciendi. Qua* evocata praecepto abbatissae, apparuit in ea virginalis incessus et verae pudicitiae habitus, frons serenus[a] et speciosus ad intuendum vultus in candore liliis extitit persimilis, in vivido autem colore assimulabatur rosarum foliis. Hanc tanti decoris ut vidit egregius iuvenis, minime valens diutius celare amorem cordis, postulavit prece instanti, ipsam virginem sibi desponderi. Contra haec abbatissa oculos deiecit, et nutanti animo in responsione diu haesitavit. Cum autem magis ac magis perseveraret adolescens in incepto petitionis, tandem domina talibus respondebat verbis: *Non est nostrum, eam nuptam dare alicui absque consilio et consensu parentum; dignum est enim, ut a nobis integra fide illis restituatur, ex quibus nostrae procurationi commendata est. Quin etiam nobis versatur in dubio, si alterius viri eam decreverunt thalamo; nam illam desiderabant perplures genere et forma illustres. Quamquam autem nobis sit incognitum, quem de his*[b] *velint eligere generum, adimplebimus tamen vestrum votum; et si Dei aderit voluntas, nostra de parte non tardamus nuptias, quia excellentia vestri generis crebro insonuit auribus nostris, et hoc non est minima pars foederis, quod ipse*[c] *ad nos iter direxistis.* Haut mora, ornamentis honeste paratis, quae congrua erant desponsationi virginis, sequenti die Heinricus secum duxit venerabilem virginem in partes Saxoniae. Tunc circumducebatur per civitates[d] egregii ducis Ottonis a comite
2 Thietmaro et militibus ceteris, donec in Walohusun[2] praeparabatur convivium nuptiale magno honore, uti decuit illos, qui postea imperabant gentibus plurimis; ibi perfruebantur connubiis et licito foedere amoris. Heinricus autem tradidit[3] venerabili nuptae in dotem omne quod attinet ad eandem civitatem, patre suo consentiente, et ipse venerabilis dux Otto enutrivit eam in vice filiae usque ad obitum suae vitae. Tribus autem
912. annis post haec transactis, vir venerandus mortem subiit temporalem, et Dei ordinatione Heinricus ducatus percepit honorem. Ascendens autem gradum dignitatis, tantam humilitatem exhibebat subditis, ut etiam, si posset evenire, exoptarent ipsum regale solium iam possidere.

918. 4. *De obitu Conradi regis.* Interim dum haec agerentur, invasit regem Conradum crudelis languor, et mors sequebatur crudelior. Tunc disponente Deo successit Hein-
919. Apr. ricus regali solio; bello seu pace fieret, est incertum, sed absque dispositione Dei non[e] accidisse non est dubitandum. His ita dispositis, Christo adiuvante, multa exercuit bona opera vigilanti diligentia, gratias agens Deo largitori de dignitate seculi. Inopum et viduarum apparuit promptissimus consolator. Cum autem mirum in modum proficeret princeps laudabilis, Christus illi plus auxit honorem dignitatis, perplurimas nationes suo subiugans dominatui, Danos, Sclavos, Boemones, Baiowarios, ceteraque quam plurima regna, quae suis antecessoribus non fuerant subdita.

5. *De religione Mahthildis.* Hic plurima praetermittuntur de laudibus regis Heinrici, quia properandum est ad vitam moresque illustris reginae Mahthildis, de die in diem Christi gratia in omni bono opere proficientis, ut nepotes eius et posteri totiens habeant gaudium animi, quotiens tam sanctae matris meritum invenerint legendum; cuius probitati computatur et meritis, quidquid futurae soboli evenerit honoris ac dignitatis. Cum igitur regalis solii ascendisset gradum venerabilis regina, illustris maritali potentia et illustrior religione divina, in coniugii foedere manebat pudica, et tamen nihilominus[f,4] carebat palma virginitati proxima[g], humilitate sic tendens ad gloriam, ut dono Dei postmodum mereretur fieri allecta in coelesti patria. Nam quanto sibi[h] accessit potestas sublimior, tanto se humiliavit devotior; et quod perraro evenit, dignitatem seculi sine superbia possedit. In publico processit ornata gemmis et serico, sed interius gerebat pretiosius ornamentum, cor acceptabile Deo; tantamque sibi subditis exhibebat humilitatem et in vice matris caritatem, ut omnibus esset amori pariter et honori. Noctis

*) Que 1. a) *ita* 1. *respondens sequenti* vultus. b) hiis 1. *constanter.* c) *ita* 1. *et* 3. *in quo tamen vox postea erasa et* ipsi *scriptum est.* d) *ita* 3. ciuitas (*absque* per) 1. e) *vocem inserui.* f) nichilominus 1. g) *ita distinguo, ed. post* palma. h) iam *addit* 2.

2) Wallhausen in Thuringia ad Helmam prope Rosla et Sangershausen. 3) cf. chartam Heinrici I. regis d. 16. Sept. a. 919. 4) *i. e.* minime.

quoque tempore sese a latere regis furtive subtraxit, quasi ipso ignorante relinquens regalem thalamum[a], orationi intendebat animum, ut sibi reconciliaret Deum, quem diligebat casto amore et cui serviebat integra fide. Quis etiam dubitet, ut rege nesciente electa Christi famula talia posset agere? Ipse etenim bene intelligebat, sed quasi se nescire simulabat, quia veraciter noverat, cuncta eius opera bona existere et utrisque prodesse. Igitur faciles illi consensus praebuit ad omnia quae desideravit; nam sua voluntas a Deo incipiebat, et in Deo coepta finiebat. Quicquid mundus delectabile habuit, pene totum pro amore Christi contempsit. Divitias non concupivit, paupertatem non timuit; eius manus semper larga fuit pauperibus, et ab elemosina eroganda raro inveniebatur vacua. Numquam quis ad illam accessit dolens, qui non abiret gaudens, et quis illam egens adiit, impetravit quod voluit. Sin autem quempiam intellexit aliqua vi opprimi, aut pro scelere criminis carcere includi, seu populari examine deputari morti, nihil habuit hilaritatis, antequam reconciliavit exacerbationem regis. Si quando abscessit non exaudita, id provocante vulgari[b] sententia, rex secum tacitus ingemuit, quod petentis votum non implendo perturbavit, et saepe egressus[c] a iudicio, quasi ipsam mulcendo, arbitris reliquit discutienda, quaeque fuerant legaliter punienda; et ecclesiam ingressus seu aliquo bono opere detentus, illud euangelicum solicita mente adimplevit, quod Christi famula suis auribus sedulo infudit: *Nolite iudicare, ut non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7, 1. 2.

6. *De procreatione liberorum suorum.* Deus autem omnipotens, sibi servientes numquam derelinquens, clementer inspexit bona opera regis Heinrici et beatissimae Mahthildis, atque illis multiplicavit excellentiam nobilissimae prolis. Beatus etiam partus, qui in utroque sexu enituit pulcherrimus, nec particulatim comprehenditur, nec penitus reticetur. Otto praeclarus, ante regalem dignitatem procreatus, natu fuerat maximus, forma 912. insignis et moribus illustris. Heinricus autem, in regali solio natus, iunior fuit annis, 920. c. sed haud inferior excellentia probitatis. Huic nimirum tanta inerat pulchritudo, ut tunc temporis vix posset alicui comparari viro. Industria[d], armis, vultu[e] patri fuerat consimilis; in omni autem tolerantia adversitatis caute observabat vestigia inclitae genitricis, et propter haec specialiter dilectus sanctae Dei; quasi esset unicus illius, confovens eum omnibus deliciis, ceteris in amore praeposuit filiis, atque desideravit ipsum regno potiri post obitum incliti regis Heinrici, si permissu Dei voluntas illius posset adimpleri. Hinc etiam venit puero prima labes mali, et ob hoc Otto egregius contra fratrem parumper est commotus, talique modo inter ipsos crescebat invidia et lis assidua. Bruno vero, aetate minimus sed honestate morum haud infimus, in annis puerilibus scolasticae 925? deditus censurae, divino famulatui insudabat die tenus. Sed enim insignis gloria parentum de filiis iam prohibet prolixitatem sermonum, quia remeandum est ad vitam Heinrici regis et beatissimae reginae Mahthildis. Quorum probitas enumerari non potest, sicut dignum est. Ambo fuerant fortunati, et merito laude sunt digni; nam illorum promeruerat virtus, quidquid boni nunc resplendet in nepotibus. O beati, qui non solum fuerant in carne coadunati, sed in animo uno et spiritu ad omne opus bonum prompti! Inerat illis unus amor in Christo, aequa coadunatio in bono, Deo placens voluntas, et recta peragendi facultas, par dilectio in proximos, aequalis compassio in subiectos. O beatum virum in cultu divini famulaminis studiosum, et egregiam mulierem, quae totis visceribus diligebat Christum regem! Non ergo est dubitandum, quin Dei gratia nunc perceperint praemium virginitati proximum, quia in ipsis regnavit castitas coniugalis, nec tamen defuit continentia laudabilis. In cunctis eorum actibus resplenduit modestiae virtus; merito fuerunt rectores regni talibus a Deo virtutibus munerati. Beati existunt, et aeternae beatitudinis requiem possidebunt; pro quibus ipsae elemosinae exorant, quas larga manu indigentibus tribuebant, quamdiu in mortali vita manebant. Quid plura? Quanto sublimiorem ascenderant dignitatis gradum, tanto devotiorem Christo impendebant famulatum.

a) et ingressa ecclesiam palatio proximam *Ekkehardus hic legisse videtur, ita scribens:* quasi ipso inscio surrexit, et ecclesiam palatio proximam ingressa. b) id dictante populari 2. c) egressus 2. 3. regressus 1. d) *ita corrigo.* In fiducia 1. *et ed.* e) *vocem recepi ex Ekkehardo, qui haec habet:* industria, fortitudine, vultu patrem similabat.

7. *De intentione monasteria construendi.* Cum autem persisterent magna prosperitate pacis, omnipotentis Dei inspiratione desiderabant monasteria construere, et adminiculum praebere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenus sui suorumque patrum vel nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmissima. Igitur tractantibus,
935. tanti operis fundamentum quonam ponerent loco, principibus populi in unum convocatis, postulabant sibi consilium dari, in qua parte regionis haec decenter possent adimpleri. Ad haec principes responderunt, dicentes; intra Winithehusun[a] existere sanctimoniales regulari disciplina carentes, quae non possent illic diutius demorari, ni sustentarentur adiuvamine regali; et consilium dabant in Quitilingoburc transferri. Ergo ambobus hoc placuit consilium, et se conspirabant implendum. Posthaec rex Heinricus adiit Batfelthun, quo saepissime exercuit venatum. Ibi paucis diebus interpositis languore correptus, vi febrium nimirum laboravit, sed parumper sedato infirmitatis dolore, inde ad
936. Erpesvort[b] iter direxit, ibique cunctos principes regni convenire praecepit, ut se invicem coadunarent, quem suorum filiorum regale solium possidere eligerent. Venit et Diemoht[c] abbatissa Winethehusinensis[d], evocata praecepto regis. Et prioris haud immemor desiderii postulabat, ut sibi subditas sanctimoniales in Quitilingoburc consentiret transponi; quae petitionem regis gratanter accipiens, libenter id annuit.

8. *De obitu Heinrici regis.* His ita dispositis, rex Heinricus perrexit ad Imilebun[e], secum comitantibus paucis. Illic iterata est eius infirmitas, et non multo post
Iul. 2. sequebatur mortis asperitas. Cum autem sentiret sui corporis dissolutionem imminere, reginam ad se vocans, multa cum ipsa disputavit secreta, et postremo sermonem talibus conclusit verbis: *O nobis semper fidissima et merito dilectissima, Christo gratias agimus, quod te superstitem relinquimus. Nam nullus sibi adiunxit*[f] *mulierem fide firmiorem, in omni bono probabiliorem. Itaque gratiam habeas, quod nos sedulo mitigasti iratum, et in omni re utile nobis dedisti consilium, nos saepius revocasti ab iniquitate ad iustitiam, et sedulo monuisti, vi oppresso facere misericordiam. Nunc te et nostros filios omnipotenti Deo commendamus et electorum Dei precibus, simul cum anima, quae de corpore iam est recessura!* Haec cum dixisset, et regina haud minus illi[g] gratias egisset, moerore plena ecclesiam est ingressa, se suaque omnia commendans Deo, sicut semper solebat. Interim discessit anima regis de ergastulo carnis. Sentiens autem sancta Dei plebis lamentatione, inclitum virum rebus humanis excessisse, prostravit se in orationem, et ipsius animam commendavit in Christi fidem. Postea surgens interrogavit, si adhuc aliquis ieiunaret, qui animae sui domini missam decantaret? Audiens hoc Adeldach[h] presbiter, respondit festinus: *Domina, nondum quidquam gustavimus.* Venerabilis regina olim induerat duas armillas mira arte celatas, quae tanta firmitate brachiis fuerant circumdatae, ut sine auxilio fabri nullatenus possent divelli. Has tunc minimo tangens digito, citius dicto excussit, ita ad presbiterum dicens: *Accipe tibi hoc aurum, et canta missam animarum.* Quamdiu enim venerabilis domina postmodum vixit, eidem presbitero magnam exhibuit gratiam, numquam tradens oblivioni, quod primam missam decantaverat animae regis Heinrici; et ob memorem causam huius facti ipsi impetravit episcopalem dignitatem[i, 5] apud filium suum Ottonem. Cum autem finita esset missa animarum, regina flens intravit cubiculum, ubi iacebat corpus mortuum, et intus invenit regales filios multum lacrimantes, simulque cum eis omnes militum principes. Haec ut vidit inclita regina, decoras genas lacrimis est perfusa, et exanimi corporis pedibus provoluta amarissime flebat, sicut venerandus rex erga se promeruerat. Sed tantam illi Deus contulerat gratiam et tam laudabilem temperantiam, ut nec per impatientiam illum offenderet, et tamen digne regis obitum plangeret. Tunc filiis ad se vocatis, talibus eos verbis admonuit, dicens: *O filii karissimi, haec sedulo inducite vestrae menti*[k]. *Deum timete*[l], *et ipsum in omnibus semper honorate*[m], *qui talia potens est facere.* Hic

a) winethusun 3. b) erpesford 3. c) *ita* 2. dietmoet 1. diemut *Cl.* demot 3. d) winethesusinensis 1. e) unilebun 1. imileba 2. imilebi 3. f) coniunxit 2. g) illi pro omnibus bonis sibi ab eo benigne impensis gratias 2. h) *ita* 2. adeldao 1. i) in Bremis *addit* 2. k) menti, quemadmodum sapiens quidam nos hortatur dicens: Omni tempore memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. Verum qui rex est et dominus semper timete et honorate, qui nos de terra plasmavit et in terram redire facit, qui dominatur in regno hominum et cuicumque voluerit dabit illud, et humillimum hominem constituet super eo. Nolite contendere etc. 2. *Igitur hic quaedam omissa sunt.* l) timere 1. m) honorare 1.

5) a. 936. exeunte.

merito vocatur rex et dominus, qui tantam potestatem exhibet pauperibus et divitibus. [936.] *Desistite iam contendere pro transitoria dignitate; talem finem capit omnis mundana gloria. Beatus est ille, qui sibi praeparat aeterna semper permanentia. Nec inde vester animus contristetur, quis vestrum alteri praeponatur. Memoriter retinete, quod in euangelio dicitur veritatis ore: „Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur“.* Post [Luc. 14, 11.] haec rite paratis omnibus, quae necessaria erant ad funus, maximo cum honore corpus in Quitilingoburc transportabant, ubi ipse requiescere decreverat; ibique honorifice tradiderunt sepulturae. Tunc regina venerabilis supra memoratam abbatissam monasterii[a] Winithehusinensis ad se iterum vocavit, et congregationem sibi subditam illuc transferri admonuit. Quod abbatissa primo rennuit, sed postmodum imperante eius filio Ottone consensit.

9. *De electione Ottonis regis.* Post excessum incliti regis Heinrici ductores primi conveniebant et de statu regni consilium habebant. Perplures diiudicabant, Heinricum regno potiri, quia natus esset in aula regali; alii vero desiderabant, Ottonem possidere principatus honorem, quia aetate esset maior et consilio providentior. Quid plura? Disponente providentia Dei, sceptrum regiminis cessit Ottoni. Inde magis ac magis [Aug. 8.] inter fratres convalescebat discordia, quae inter ipsos versabatur ab infantia. Assidue litigantes, nil pacificum mutuo loquebantur. Tunc regius iuvenis Heinricus multa sustinuit adversa, quae inclita mater econtra salutaribus disciplinis lenivit, et sedulo ammonuit scripturae dicentis: *Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio* [Prov. 3, 12.] *complacet sibi.* Hic multa de angustiis eius praetermittuntur, quia si per singula volve- [939.] rentur, narrantibus simul et legentibus prolixa viderentur. Tandem mediator Christus [941.] Iesus nolens fratres inter se diutius discordare, per sanctae matris meritum illos concordavit in unum. Post haec rex Otto praefecit fratrem suum Heinricum ducem super [946.] Baiowariorum gentem. Sanctus vero Bruno, aetate minimus, adhuc degebat sub censura litteralis disciplinae, et laeta indole de die in diem proficiebat in Christi servitute. Cum autem profecisset aetate et sapientia, rex adiunxit eum sibi per amorem fraterni- [940.] tatis in ministerium archicapellani. Interim obiit Wigfridus vir venerandus, qui archiepiscopalem Coloniae sedem possedit; et munere superni dispositoris Brunoni cessit [953.] episcopalis honor dignitatis. Ascenso[b.6] autem tanto culmine potestatis, nequaquam sibi inde crescebat tumor elationis; sed sancta mens episcopi se potius inclinavit humilitati, illud in memoria recondens, quod scriptura ammonet dicens: *Quanto magnus es,* [Eccli. 3, 20.] *humilia te in omnibus.* Pervigil fuit sapientia, placabilis lenitate nimia, serpentis astutiam cum lege custodivit, et columbae simplicis animum non amisit. Gregem sibi commissum dilexit, et per baculum disciplinae multos ab errore eripuit, quosdam collationibus assiduae disputationis ad meliora ducens, quosdam placidae maturitate doctrinae desiderio sanctae conversationis implens. In sermone fuerat mitis, in doctrina humilis, malorum acerrimus destructor, et veritatis studiosus assertor; humilibus blandus, superbis severus. Quosdam intra septa gregis suscipiens, ex lupis oves fecit, alios extra septa enutrivit. Et quidquid alios docuit, ipse primum implevit. Necnon in eadem civitate extruxit quam plurima monasteria. In omnibus etiam extitit fortis athleta Dei et propugnator christianae fidei. Quid mirum, filios in bono proficere, quorum mater numquam cessabat Deo servire?

10. *Qualiter post obitum mariti vixit.* Quis scripto valet comprehendere vel cuius lingua poterit explicare, quam gloriosus amor Christi flagrare coepit in mente illustris reginae Mahthildis post obitum Heinrici regis? Stabilis permansit in fide, humilis in Dei timore; cuiusque disciplinae memor extitit, et iustitiam cum religione retinuit; ad omnem tolerantiam fortis, et ad sustinendam iniuriam mitis, facilis[c] ad faciendam misericordiam, gerens pacem fraternam. In omnibus eius actibus et confabulationibus laudabilis apparuit gravitas et admiranda dignitas, tamque se honestam exhibuit in pudore, ut perplures[d] arbitrarentur illam esse virginem, ni vidissent[e] egregiam prolis foecundi-

a) *deest* 1. b) accenso 1. c) mitis et affabilis fuit. Raro videbatur irata vel commota, nemo vidit eam ultra modum merentem aut ridentem, neminem dampnavit, nulli malum pro malo reddidit 2. d) videntes 2. e) nisi viderent 2.

6) cf. Ruotgeri vitam Brunonis c. 30; caput 5. vitae alterius ex nostro transscriptum est.

tatem. O quanta reverentia Dei timoris! Semper intendebat studio orationis et quam[a] forti animo se praeparavit ad resistendum diabolo, fiducialiter gerens scutum fortitudinis ad expugnandum secularis pelagus temptationis. Transitoriis enim rebus non im-
7 plicata, Christum solummodo secuta est. Noctis[7] quoque tempore, quando omnibus mos est requiescere, collocavit se in lecto quasi causa dormiendi, ut sic celaret intentionem operis boni, et parumper est dedita sompno, ut potius confortaretur ad serviendum Deo. Postquam autem persensit, dormire omnes in cubiculo secum pernoctantes, spreto fulgenti stratu clam surrexit, atque cubicularem puellam tacita excitavit; exin gressu[b] suspenso exiens cubiculum, ecclesiam intravit sancta celebritate ymnorum, non stipata turbarum obsequiis, sed incedebat sine humano favore, gratia Christi secum comitante; pernox in oratione non cessabat Deo servire. Quotienscumque ecclesiam intravit, numquam vacua manu ad altare accessit, nec rege vivente nec in viduitate. O quam feliciter consummavit longitudinem noctis in omni studio boni operis, et quam familiari voce ad Deum clamavit et veniam peccatorum postulavit, et qualem cum sanctis animabus meruit habere amicitiam, quibus a Christo imploravit requiem sempiternam. Ante galli cantum totum finiverat psalterium, nisi brevitate noctis impediretur. Sentiens autem tempus appropinquare, quo conveniebat[b*] nocturnales laudes celebrari, recessit ad cubiculum cum silentio, et nesciente aliquo collocavit se in lecto, quasi totam noctem illic dormiendo egisset et nusquam inde pedem movisset. Dato autem signo ad nocturna, haut segnis surrexit, et properando iterum intravit ecclesiam, divinas laudes auscultans, et intento corde orationum instantia desudans. Post nocturnam vero omnibus egressis, intus mansit ianuis clausis, oculis ac manibus intendens in coelum, invictum ab oratione non relaxavit spiritum, usque dum aurora lucis umbram depulit noctis. Postea ingressa cubiculum, reclinavit se paulisper ad requiescendum, ut lassa membra reficeret, ne in famulatu Christi deficeret[c]. Interim confluxit multitudo pauperum, de eius manu acceptura victum et vestitum. Quorum clamorem mox ut persensit, impigre de somno[d] surrexit; esurientes misericorditer pascens, et nudos vestimentis induens, non dubitavit se Christi membra tegere sub inopum veste. Quibus etiam refectis, et quae necessaria erant habundanter impensis, vestimenta viduitati congrua induit, et ecclesiam cum reverentia intravit. Nullus praevalet dicere, quanta religione consueverat missam audire: nullum interim protulit verbum, sed actu pariter et habitu intendebat in Deum. Quid plura? A matutina hora usque ad vesperam nemo illam conspexerat a bonis operibus otiosam. Non est etiam reticendum beatissimae reginae temperamentum, quod in omnibus suis laudabiliter servavit; nam nec cibo aut somno amplius indulgebat, nisi quantum naturae necessitas depoposcit. O beata, quae dolo caruit, et in qua pietas apparuit! Mitis et pacifica et omnibus misereri promptissima, neminem iudicans, neminem dampnans, nulli malum pro malo reddens, nihil arbitrio suo agebat, sed per omnia ad nutum et voluntatem Dei tendebat. Omnes male agentes illam oderunt, et recte viventes dilexerunt. Magnam[e] adversus omnes iniurias patientiam assumsit, et quae excellens fuit regina, propter Deum multa sustinuit adversa. Raro videbatur irata vel etiam commota; nemo illam vidit ultra modum moerentem aut ridentem. Miro caritatis splendore effulsit, modestiae mirabilis amatrix et humilitatis placida sectatrix; in se plerumque severior, in ceteris autem clementior, omnibus fuit totius bonitatis exemplum, largiendo, miserando, errantes convertendo. Quotiens sibi tributa solvebantur a vectigalibus, decimas inde dedit pauperibus et Christo famulantibus; et quo ire pede non poterat, misso munere circuibat. Neque enim sunt tam parva quae gessit, ut omnia litteris comprehendi possint; quia si quis universa numerare voluisset, immensum legentibus volumen edidisset.

11. *De tribulatione, quam a filiis sustinuit regina Mahthildis.* Tunc diabolicae fraudis astutia, semper invidens operanti bona, studuit Deo dilectam reginam a servitio Christi impedire sua callidissima temptatione, et contra venerandam Christi famulam quosdam excitavit perversos, eius vitae et virtutibus invidos, qui ad aures filiorum per-

a) *ita* 1. perquam *L.* b) *ita corr.* ex ingressu *cod.* et ingressu *L.* b*) conueniebant 1. c) Deinde surgens infirmos ubicumque audivit in vicino visitavit, necessaria praebuit 2. d) sompno *saepius* 1. e) magnas 1.

7) cf. Widukind. III. 74.

vulgabant, quod innumerabiles pecunias congregasset, et regalis[a] census[b] opulentiam penitus consumpsisset. Cum autem haec et alia istiusmodi pervulgarentur regi Ottoni, graviter commotus, totum imperialiter[c] reposcebat, quod sancta Dei pauperibus distribuebat; ubique mittens exploratores, qui eius nuntios, indigentibus munera portantes, expoliarent et contumelia affectos remitterent. Haec et his similia cum immerito sustineret Christi famula, quod illi videbatur molestius, haut minus gravem iniuriam sibi intulit Heinricus, quem miro affectu amoris cunctis praeposuerat filiis. Ad extremum cogebant eam, dotales regiones relinquere et sacro velamine se consignare. O beatam dominam, quae in multis temptata, nec tamen temptationi succubuit evicta! Quid creditur illi inesse moeroris, dum undique angebatur tanta vi tribulationis? Minus moleste ferret, si Heinricus, quem egregie amavit, fratri non concordasset. Impia ergo discordia, quae inter ipsos versabatur ab infantia, illos tunc consociavit ad iniquitatem, quos prius prohibuerat fraternam gerere[d] pacem. Contra haec omnia venerabilis regina miram in cunctis exhibuit patientiam et fortem in adversis constantiam; custos oris sui, ne quid proferret incongrui, studiosa ad continuae orationis usum, ut vinceret insidias adversantium, immo illata sibi iniuria constantior, et psalmistae versiculi non immemor: *Dominus mihi adiutor est, non timebo, quid faciat mihi homo*; leve existimans, quid ferret, tantum ne Christo vilesceret. Ps. 117, 6. Nulli maledixit, sed propriis deputavit meritis quicquid angustiae pertulit ab adversantibus filiis; semper retinens in memoria, quod in sacra didicerat scriptura: *Quia per multas tribulationes et angustias oportet nos introire regnum Dei.* Act. 14 21. Si quis autem calumpniam, quam patiebatur, ingemuit ipsa praesente, quasi cupiens moerorem ipsius lenire, talibus verbis econtra fertur respondisse: *Rex Otto calumpniatur nobis, id nostris exigentibus meritis; Deus autem sciat illum, qui contra nos excitaverit*[e] *nostrum amabilem filium Heinricum, cuius solamine sperabamus enatare quicquid nobis accidisset triste; nunc iste adversatur nobis, qui debuit esse consolator. Nequaquam tamen pati possumus, ut quid de eo inclementius dici audiamus; quia nunc a nobis praecordialiter diligitur, quamvis inimicus putetur. Illud autem nos graviter compungit recolentes, illum nobis dulcissimum erga nos esse tam amarum. Sed nil ageret, si regis iuvamen sibi deesset; Deus autem illi parcat, ne ab ipso ultionem recipiat. Utinam donante Deo sine amborum fieri posset periculo, ut propter nos tanta inter eos firmaretur pacis unitas, ne ulterius inirent inimicitias!* Cum autem sancta Dei vidisset, molestias filiorum sibi non minui, sed de die in diem plus augeri, relinquens quidquid rex Heinricus sibi dederat in dotem, in occidentali regione adiit Angerinensem[f, 9], cupiens adversantibus parcere 9 filiis, ne incurrerent iram divinae ultionis. Illic, Deo cooperante, haud minus quam consueverat quodque bonum exercebat. Post haec divina dispositione regi innumerabilia supervenere flagella[10], retroversis victoriae triumphis, aliisque rerum nihilominus[11] secundis. 944. Heinricum autem invasit morbi gravedo, quae et illum purgavit a delicto. Et tamen superna miseratio illi pepercit feriendo, quasi Christus satisfaceret voto matris, quae sedula prece ei exoravit veniam remissionis.

12. *Qualiter reducta sit.* Videns autem rex Otto, quia nihil proficeret in prosperis ut prius, timuit usque ad mortem contristatus. Tunc sacerdotes et ceteri principes, quorum corda Deus illustraverat, ingressi ad venerabilem reginam Edith, cohortantur illam, ut admoneret regem, quatinus cum honore suam in regnum revocaret matrem. Quae statim ingressa ad regem, sic ait: *Ne contristetur noster dominus, divinis flagellis correptus, revocetur vestra mater sanctissima, regnumque, ut convenit, prima possideat; et ut speramus, vestra omnia prosperabuntur et in pristinum restituentur*[g] *gradum.* Rex autem poenitentia compunctus et commissi haut immemor reatus, Deo inspirante, in sancta matre se deliquisse cognovit. Haut mora, missis episcopis, ducibus ac comitibus et omnibus sapientissimis militum, matrem cum honore revocandam, praecepit Christi

a) regales 1. b) quasi publici questus pessumdaret omnia 2. c) imperaliter 1. d) gerens 1. e) excitauerunt 1. excitauit 3. f) *ita* 1. 3. in occidentales secessit partes 2. g) restituuntur 1.

9) Enger igitur paterna eius domus erat; cf. supra cap. 3. 10) Auctor Liudgardis filiae Ottonis morbum innuere videtur, ob quem rex Quedlinburgensi coenobio Kinlingam villam contulit; d. 30. Sept. a. 944. Thornburgi. 11) *i. e.* nihil minus quam.

944. famulae huiusmodi scripta deferri: *O venerabilis domina, Dei iracundiam iam satis nimiumque exacerbavimus in nos persecutione vestra. Fatemur, quod peccavimus, et iniuste contra vos egimus; propter Deum nobis dimittite, et a Christo veniam remissionis implorate. Quodlibet supplicium libenter patimur, tantum ut vestra gratia fruamur. Ad haec ut ad nos iter dirigatis, petimus; nos et omnia nostra ditioni vestrae subdimus, insuper et restituemus quidquid vobis iniuste abstraximus. Nil nobis iocundum erit, antequam vos videre contigerit.* Beatissima vero regina petitionem filii hilari mente percipiens, quidquid pertulerat adversi penitus tradidit oblivioni, nec diutius distulit, sed iter accelerans in Gruona[a] venit.

Oct. 13. *De reconciliatione Ottonis et matris.* Cum autem adventus venerabilis reginae Mahthildis pervulgaretur ad aures regis Ottonis, multo comitatu obviam tendit, secum comitante regina Edith. Ut vero primum vidit Deo dilectam appropinquare, ab equo desiliit, et propius accedens, genu flexo in terram, veniam postulavit, dicens: *O omne decus nostri decoris, et solatium cuiusque laboris, cuius meritis deputabimus regnum, quod possidemus. Sumite de nobis quodcumque supplicium vultis, ut nobis tantum liceat redire in gratiam reconciliationis. Iam satis luimus, quidquid contra vos deliquimus; nam ex illo tempore, quo abscessistis a vestra dotali regione, retroversa est omnis prosperitas belli, necnon fractae sunt nostrae vires, et crebro contra nos praevaluerunt hostes.* Contra haec mater venerabilis, decoros oculos perfusa lacrimis, filio statim praebuit osculum pacis, quasi ab eo nihil pertulisset adversitatis, et animum supplicantis talibus consolabatur verbis: *Fili mi, nolite contristari; speramus enim, vos veniam a Domino consequi; nam si nostrorum non exigissent peccaminum merita, vestra ex parte nulla nobis obvias-*
13 *sent adversa. Deus autem vobis tribuat indulgentiam per ineffabilem suam misericordiam, qui paratus est misereri cuique poenitenti, si commissa perfecte defleverit et postmodum non admiserit.*

14. *De reconciliatione Heinrici.* Comperiens autem Heinricus, iuvenis decorus et egregiae matris nimium dilectus, regem Ottonem suum fratrem tanta satisfactione inclitam sibi matrem reconciliasse, haut minus poenitentia compunctus, iter tendit, et ubi sanctam Dei invenit, talibus verbis eam est aggressus: *O venerabilis domina et, si fas est dicere, mater karissima, nos graviter contra maternam vestri dulcedinem deliquisse confitemur; sed nunc veniam postulamus, quam non meremur. Attamen obsecramus vos per animam et nomen nostri patris, ut in pristinum vestrae gratiae gradum nos redire concedatis. Non dubitamus, quin a Christo consequamur veniam remissionis, si vos ex toto corde ignoscitis; quia, ex quo vestram pietatem in iram provocavimus, morbi gravedine nimium periclitati sumus.* Quem venerabilis domina ut vidit lacrimantem et pro indulgentia humiliter supplicantem, diutius pati non potuit, sed in hanc vocem celeriter prorupit: *Fili mi Heinrice, noli flere; desiste, fili, desiste! Mater enim tua ex te audire non praevalet haec precantia verba. Propius accede, et matri tuae osculum praebe! Deus fidelis sit tibi placabilis; nos te diligimus, sicut prius; nam non ignoramus, quod te adversum nos excitavit persuasio inimicorum.* Haut mora, satisfactione tali percepta[b], rex Otto et dux Heinricus sanctam Dei introduxerunt in[c] dotales regiones, et sicut dignum erat primam constituebant. Post haec mira inter matrem et filios erat pacis tranquillitas, et ad omne bonum unita voluntas; in consolatione pauperum fuerunt unanimes, in constructionibus ecclesiarum et monasteriorum concordes. In matre erga filios mira fuit caritas, in filiis obedivit sancta humilitas; et ut breviter concludatur, perseverabant pacis stabilitate usque ad obitum vitae, diabolum conculcantes per caritatem, qui nuper inter ipsos seminaverat litis fomitem.

946. 15. *De obitu Edith reginae.* Interim contigit piam Edith reginam, perpetuo
Ian.26. victuram, praesentem amittere vitam. Rex autem Otto, iam provectae aetatis[12] simul cum matre, ecclesias et monasteria construxit; portans pacem et recte iudicans, pater-
13 nam in cunctis imitatus est pietatem. Post obitum Edith illustris reginae tres[13] annos egit in viduitate, cunctis bonis operibus diligenter instabat, et sacras lectiones studiose

a) grona 1. ad gruonam hilaris accelerauit 3. b) perceptione 1. c) *deest* 1. *sed adest* 3.

12) Rex annorum tantum 34 erat, igitur haec verba ad Mahthildem potius referenda aut errori auctoris tribuenda sunt. 13) Auctor Edithae obitum anno 947. adscripsisse videtur.

legebat. Iamdum multis comprobarat castitate viduitatis et assiduitate orationum, sibi animum esse, a coniugali consortio se velle postmodum abstinere. Tunc construxit beatissima regina Mahthild monasterium in Palidi[14], illic congregans turmulam[a] clericorum, quibus larga manu impendebat quaeque necessaria[15]. Interim vero obiit Lotharius, Latinorum princeps egregius, 950. cui regina Adelheit in matrimonium copulata fuerat, excellens morum probitate et generis nobilitate. Hanc quidam perversus, nomine Berengarius[b], multis infestabat iniuriis, ut ea potita coniuge, dominium pariter sibi usurparet in regno Latinorum. Quod cum pervenisset ad aures incliti regis Ottonis, fratrem suum Heinricum et omnes principes militum convocavit, et ad bellum arma praeparari iussit, dicens sibi esse animum, regionem visitare Romanorum, superbienti Berengario ut resisteret et viduae oppressae subveniret. Quid plura? 951. Rite paratis rebus, prospero cursu in Italiam pervenerunt, et gratia Dei sors victoriae contigit regi Ottoni in expugnatione Berengarii regis et in ereptione Adelheidis. His itaque peractis, rex cum exercitu suo Christo offerebat sacrificium laudis, qui in omnibus suum adimpleverat votum, et contra inimicos confortaverat manum. Postea rex commendavit Berengarium fratri suo duci Heinrico custodiendum[16], praecipiens, illum in regionem Baiowariorum mitti et illic sub arta custodia constringi; ubi etiam praesen- 964. tem vitam finivit. Praefatam vero dominam Adelheidam gaudens secum duxit per civitates Latinorum. Videns autem, quod mirae esset prudentiae et probabilis vitae, suum 951. animum illius amori indulsit, et in coniugium sibi copulavit. Postea aliquantum temporis in Italia commorabantur, et non multo post in regionem Saxonum proficiscebantur. 952. Illi autem per longum tempus regni solium possidentes, gratia Dei foecundabantur sobole regali. Primo procreabant puellam, inclitae Mahthildis reginae vocabulo dictam, quam rex Otto coniunxit in Quitilingoburc contubernio sanctimonialium iuxta matris votum. Exinde gignebant puerulum, patris nomine vocatum; huic post obitum patris Dei ordi- 955. natione provenit dignitas regalis. Quotienscumque beatissima domina Mahthild suae sobolis partum comperit, Christo gratias retulit, cuius misericordiae deputavit, quicquid sibi boni et hilaritatis contigit.

16. *De infirmitate et obitu Heinrici ducis, filii Mahthildis.* Igitur venerabilis regina multum hilaris effecta, quia filii de finibus Italiae venerant incolumes, et in utroque sexu clara suae sobolis multiplicabatur progenies; sed insperate dolor ingens accidit, qui hoc gaudium in moerore penitus consumsit, et quem oblivioni non tradidit, quamdiu mortalis vitae spiritum traxit. Heinricus, dux Baiowariorum praeclarus, nimia infirmitate correptus est. Qui cum sentiret, morbi gravedinem non minui, sed magis magisque augeri, iter festinavit in Palidi, piam matrem videndi. Illic et sanctam Dei postremo vidit, atque in propriam regionem proficiscendi licentiam postulavit. Regina vero aegrotantem filium secum paucos dies retinuit, eiusque infirmitati omnem curam et medicinam adhibuit. Appropinquante autem die quo abire decreverat, sancta mater illi plurima praedixit, ac postremo his salutaribus verbis admonuit: *Fili mi karissime, matris tuae*[c] *verba diligenter attende, et poenitentiam tuorum age peccatorum, ut a Deo consequaris veniam. Nam versatur in dubio, quorsum haec spectet aegritudo; ut enim timemus, tuam desiderabilem faciem ultra non videbimus.* Praeter haec per spiritum prophetiae multa illi praedixit, quae eventus rei postmodum comprobavit. Postea sese invicem amplectentes, oscula dederunt, multum lacrimantes. Quid plura? Heinricus in regionem Baiowariorum perrexit, et ibi quam plurimos dies aegrotando laboravit, usque dum Deo 955. iubente anima de corpore exivit, et ut speratur, paradisi ianuam introivit. His ita per- Nov. 1. actis, in urbe Ratispona sepelierunt corpus incliti ducis. Tunc venerabilis domina Iudit, illustri viro legali vinculo coniuncta, misit nuntios, grave nuntium piae matri indicaturos. Qui cum recto cursu in Quitilingoburc venissent, et tristem ducis obitum principibus indicassent, per totum diem omnes in dubio versabantur, a quo sanctae Dei haec placide nuntiarentur. Altera vero die postquam missam audierat, cum dialogum accepisset in manum et studiose intendisset legendum, Richburch sua fidelis pedisequa

a) *ita codex;* tria millia *Act. SS. et Leibn.* b) berngarius 1. c) Ultima m. t. v. fili c. 2.

14) Pölde prope Herzberg, ad radices silvae Hercyniae. 15) cf. diploma spurium apud Maderum Antiqq. Brunsv. p. 107. 16) Berengarius prima expeditione victus quidem, sed in regno relictus est, et cum deinde caperetur, iam obierat Heinricus. LEIBN.

intravit, et nuntios de regione Baiowariorum venisse indicavit. Quae statim moerore concussa, quasi mali quod acciderat praescia: *Iube illos,* inquit, *accersiri, ut comperiamus,*
Virg. *quomodo se habeat infirmitas filii nostri.* Qui cum fuissent ingressi et coram data esset
Aen. I, 520. copia fandi, reginam salutaverunt, et adhuc nil triste dixerunt. Illa autem multa interrogavit super filio corde sollicito, si se lenius haberet infirmitas, vel quomodo apud ipsum ageretur rerum prosperitas. Legati vero de his pauca respondentes, epistolas praesentabant pertristes, quae causam continebant, quam ipsi indicaturi venerant. Ut ergo cognovit gloriosa regina ex litteris, dilectum filium suum ex hac vita migrasse, pallor in facie apparuit, et gelidus tremor per omnia membra cucurrit, et liber, quem in manibus tenebat, cadentem vultum suscepit. Cum autem paululum refrigesceret moeroris asperitas, statim prorupit in lacrimas, et totum diem flendo peregit, nec prae doloris amaritudine quicquam cibi eo die gustavit. Convocans autem sanctimoniales ad ecclesiam, illas exhortabatur pro defuncto misericordiam Domini implorare, et ipsa pri-
6 mum flectens genua, hanc orationem effudit pro cari filii anima: *O domine Deus omnipotens, miserere animae famuli tui, quam de hoc seculo migrare iussisti: memento, quaesumus, quod perraro iocunde vixit, et omne tempus mortalis vitae pene in angustia peregit.* Post haec ab oratione surrexit, et ad sepulchrum regis Heinrici gressum mediocriter tendit; super quod caput inclinans, sic illacrimans ait: *O noster domine, quam felicior nobis extitisti, qui hanc amaritudinem doloris non expectasti in stadio vitae mortalis! Nunc, ut speramus, gaudes in requie, nec quicquam curas de nostra perturbatione. Quotiens acerbum diem tuae mortis menti induximus, hac sola consolatione respiravimus, quod*[a] *dilectissimi filii nostri vita superstes erat, qui ore*[b], *nomine et habitu te maxime referebat*[c]. In hac etiam die herilia deposuit vestimenta, quae in viduitate pro ornamento habuit.
17 Post obitum enim memorandi regis Heinrici assidue induit coccinum[17] unius coloris, non in publico, sed sub lineo vestimento, et pro decore ornamenti ante se gessit parum auri. Hoc totum tunc deposuit, et postmodum lugubri veste induta processit. Posthac neminem voluit audire carmina secularia cantantem, nec quemquam videre ludum exercentem, sed tantum audivit sancta carmina[d] de euangeliis vel aliis scripturis sacris sumpta, necnon in hoc sedulo delectabatur, ut de vita vel passione sanctorum sibi cantaretur. Cetera mundi delectamenta[e] respuit, et tota[f] intentione divino famulatui tantum intendit; Deum[g] in omnibus et super omnia diligens, et nihil[h] eius amori praeponens[i]. Resplenduit in ea aurum iustitiae, gemma misericordiae, gravitas amabilis, honestas admirabilis, sermo modestus et in suo tempore congrue proferendus. Numquam reticuit, quicquid loqui idoneum fuit. Peregrinis, viduis et pupillis praeerat, sicut mater filiis. In omnibus quae fecit, temperantia iustitiae sibi non defuit.

17. *Quanta cura elemosinam impendebat egenis.* Difficile est enumerari, quantum intendebat venerabilis regina elemosinarum largitati. Bis in die omnigenis ciborum deliciis inopes recreavit; insuper cum accederet[k] mensae regali, praecepit peregrinos et indigentes convocari, illis devote distribuens alimenta, quae sibi apponebantur lautissima, credens se pascere Christum sub specie pauperum. Si aderat monasterium, tria[l] superposita mensae misit Christo famulantibus et in aegritudine decumbentibus, sin autem abfuit monasterium, ceteris indigentibus haec eadem porrexit. Quid autem mirum, quod hominibus larga fuit et benivola, quae gallo cotidie ministravit, qui lucem diei nuntiat et quosque fideles ad Christi servitium excitat. Nec etiam oblita est volucrum aestivo tempore in arboribus resonantium, praecipiens ministris, sub arbores proicere micas panis, ut si quis de volucribus supra sedisset, in nomine Creatoris illic alimoniam inveniret. Porro ubicumque iter egit, iuxta currum candelas portari iussit, quas singulis divideret oratoriis, et simul cibos, quibus in itinere obviantes reficeret egenos. Sin autem ita intenderet lectioni vel psalmorum decantationi, ut ipsa praetereuntes videre non posset,

a) quid 1. b) voce 2. c) Ipso subtracto, iam quae nobis spes et consolatio nisi in Deo *addit* 2. d) secularia cantantem *addit* 1. e) oblectamenta 2. f) *ita corrigo;* tuta 1. g) D. vero ab ipsis cunabulis in 2. h) nil 1. i) p. quod ex prudentibus eius virtutum praeconiis conici poterit. Nam ut beatus Gregorius ait: Numquam est amor Dei otiosus; operatur enim magna si est; si vero operari rennuit, amor non est 2. k) accideret *Erath.* l) rex 1. ter *L.* tres superpositiones 2.

17) *vestem coccineam* Ekkehardus scribit; et ita coccinum intelligendum esse, ex Widukindo III. 74. prodit, ubi dicit, Mahthildam nihil de honore regio minuisse.

aut si caput somno inclinaverat, quia in bonis actibus noctem pervigilem ducere solebat, Richburgam sibi ministrantem sanctimonialem praecepit diligenter observare, ut nullus praeteriret pauperum insalutatus vel de suis largitionibus non[a] recreatus. Si vero illa negligente aliquis pertransiit egentium non percipiens alimentum, statim caput elevans de somno, quasi spiritu prophetiae plena, praecepit currum stare et egenum qui transierat revocare, praebens illi victum seu aliud necessarium. Post haec paullisper commota, sanctimonialem salutaribus verbis admonuit, ut deinceps diligentius observaret, quidquid suae fidei commendasset. Vox egeni numquam apud illam inaniter sonuit, nec ipsa surda praeteriit[c]. Non minor erat misericordiae usus, quam de plebe concursus; nec deerant qui peterent, nec deficiebat quod donaret. In quacumque civitate[d] commorabatur hieme, per totam noctem ignis ardebat in singulis tectis quae ibi fuerant, et insuper sub aere nudo[e], ut quisquis indigeret, illic sese calefaceret, aut quisquis in caligine noctis erraret, viso lumine non offenderet. Praeter cotidianam largitatem elemosinarum singulari honore celebravit sabbatum; a prima quippe hora, immo ab ipsa aurora lucis, numquam vacavit ab operibus bonis. Mane balneum praeparari iussit, et pauperes peregrinosque lavari iussit. Aliquando vero cum se a populi frequentia abripere potuit, ipsa occulte ingrediens, manibus propriis sordes diluebat singulis, et quae multis imperabat regina, pauperibus serviebat quasi ancilla. Si vero ipsa impedita est ingredi, circumfusa multitudine populi, suas intromisit pedissequas, quas in fide apud se noverat probatissimas, ut necessaria egenis ministrarent et in vice eius ipsis humiliter deservirent. Egredientibus autem illis de balneo, omnes cubiculum introduxit, esurientibus dans alimenta et nudis vestimenta; quia non dubitavit, membra Christi tegi sub largita veste inopi. Laborantibus autem in infirmitate, qui ad se non poterant venire, misit poma et quae inter regales cibos videbantur optima; et saepe accidit gratia Dei, ut qui infra decem dies nil gustaverat cibi, per eius merita perciperet refectionem pariter et salutem. Nec hoc silendum esse censeo, quare tali reverentia custodiret sabbatum. Primo quidem propter vigiliam dominicae resurrectionis, quae in hac die celebratur per circulum orbis; dehinc quia venerandi regis Heinrici anima in eadem die de corpore soluta est, et, ut speratur, paradisi ianuam est ingressa. Quamdiu ergo sancta Dei vixit, studiose observavit incliti regis octavum, tricesimum et diem anniversarium. Nullus etiam dubitet, quin eius bona opera placuissent Deo, quae tanta devotione operabatur in sabbato; nam ipsa quoque eadem die de hoc seculo migravit, et de labore ad requiem pervenit.

18. *Quia nunquam ocio indulserit; et de pane pauperi de monte proiecto.* Festis diebus, quibus non licitum est insistere manuum operibus, ipsa legit[f] vel legentibus aurem accommodavit, et quidquid sacra scriptura praecepit, memoriter tenuit. Cotidianis vero diebus psalmodiae et divinae lectioni inhaerebat, nec minus manuum operationi instabat. Si quando autem impediebatur diverso populorum sermone, solito more divini operis studium celebrare, hora saltem refectionis stans ante mensam, nihil cibi gustavit, priusquam aliquid operis faceret, illud non obliviscens quod dicit apostolus: *Qui non operatur, nec manducet.* 2 Thes. 3, 10. Clementia vero Dei omnipotentis meritum venerabilis reginae nolens diutius latere, per illam operabatur miracula, ut liquido cunctis innotesceret, quantum sibi obsequentis vita placeret. Nam dum quodam tempore in Quitilingoburc anniversarium diem regis Heinrici magno apparatu celebraret, ut semper consueverat, tanta confluxit multitudo pauperum, ut nullo possent comprehendi numero. Regina vero illorum adventu hilaris effecta, praecepit, quosdam collocari in cacumine montis, et ceteros in imo vallis, ipsa ministrans in monte vescentibus, alios vero commendans dispensatoribus. Cum autem omnes regales cibos impendisset, et larga manu quaeque necessaria habundanter ministrasset, adhuc tortum panem[g] non perceperant, qui in valle sedebant. Stans ergo illa supra montis verticem, subito arripuit panem, super quem signum crucis imponens, invocato Christi nomine, proiecit ab alto cacumine; qui volutus de loco in locum, inter

a) *deest* 1. c) sed ei quaeque necessaria tribuit *addit* 2. d) In quocumque loco 2. e) sub divo 2. f) *Ekkehardus ex Widukindo III. 74. tradit, eam ancillas litteris instituisse, et pergit:* Nam et ipsa litteras novit, quas adhuc adolescentula in monasterio Hervordiensi, avia sua matre Theodorici eiusdem loci abbatissa docente, didicerat; *quod supra cap. 2. legerat.* g) quos dare solebat tortos panes 2.

densitates saxorum et sepium integer pervenit in cuiusdam pauperis sinum, cui illum decreverat dandum, coram astante plurima multitudine populi, qui eiusdem testes fuerant miraculi. Ad haec beatissima regina Christo gratias humiliter egit, cuius munere et virtute id noverat evenisse. Sed et alio nihilominus in eadem civitate[a] est declarata miraculo.

19. *De cerva, quae ampullam devoraverat.* Mos quippe fuerat sanctae dominae, cotidie sacerdoti ad missam praesentare oblationem panis et vini pro salute et utilitate totius sanctae ecclesiae. Quadam ergo die, finita missa, una aurea ampulla incaute est perdita, in qua sancta Dei ad sacrificium vinum obtulerat. Richburc autem pedissequa eius et aliae sibi ministrantes, nimio timore coangustatae, ubique requirebant, et invenire non poterant. Sequenti vero die cum cantaretur missa, Christi famula solitam reposcebat ampullam a sanctimoniali praedicta, quae perfusa rubore dixit, furto esse sublatam. Post missam regina ecclesiam egressa est, paullulum commota; statimque obviam habuit quamdam cervulam[b] infra claustra monasterii edomitam; quam ut vidit, blando nutu ad se vocavit, adiurans per nomen Christi, ut sibi vas redderet, quod devorasset. Bestia autem virtuti imperantis obediens, dicto citius ampullam evomuit, haud immerito illius praecepto parens, quae Deo semper fuit obediens. Omnes qui aderant Deo gratias agebant, quia regina de bruto animali vas illaesum recepit, quod nec ipsa devoratum viderat, nec ab aliquo audierat.

20. *De prophetia sanctae Dei.* Non etiam prophetiae dono caruit, quae signorum efficacia enituit. Regalis progenies quodam tempore in Fraso[18] conveniens, pariter venerunt regales pueri, filiorum scilicet filii, Otto puer filius Ottonis imperatoris, et Heinricus natus Heinrici ducis Baiowariorum; et sicut venerabilis regina hunc prae ceteris suis natis dilexerat, ita et filium eius Heinricum, suum parvulum nepotem, aliis nepotibus in amore praeposuit. Sedente igitur Mahthilda venerabili ad epulas regalis mensae et secum Adelheida[c] regina, coram astabant pueri iocantes ludo infantili. Tunc Heinricus mensae accessit propior, qui sanctae Dei fuit carior, egregiam aviam diligenter intuens, ac familiariter se reclinavit in eius gremium, tamquam ab ea desiderans osculum. Quem venerabilis regina gratanter suscepit, et amplectens illum brachiis, sic ait: *O domine Deus omnipotens, gratias tuae pietati referimus et laudes, qui hunc parvum nepotem nobis reservasti incolumem, cuius patrem atra dies mortis abstulit. Sed gratias tibi, qui hoc nomen de nostra generatione delere noluisti. Hunc nobis, quaesumus, salvum reserva, quamdiu velis mortali nos tenere in vita, ut nostrum amabilem filium Heinricum per nomen saltem imitetur et vocem.* Tunc et venerabilis regina Adelheit sic ait: *Quam exoptabilis est huius pueri aspectus, et quam decorus ad intuendum vultus! Ubi ergo invenietur virgo, quae ei conveniat forma et ingenio? Nos natam habemus parvulam, nomine Hemmam*[19]*; hanc illi reservemus, si Deo placet et vobis, ut nobis copuletur hic gener exoptabilis.* Econtra Christi famula reticuit, et diu in responsione haesitavit. Post haec longa trahens suspiria, haec reddidit verba: *Absit, ut de nostra parte vobis eveniat tantum triste; expedit enim filiae vestrae feliciori se viro adiungere. Hoc nomen tunc solummodo decus habuit, quamdiu dominus noster Heinricus vixit. Postquam autem in posteros venit, numquam infortunio caruit. Quid dicimus de angustiis et tribulationibus, quas sustinuit pater ipsius? Sed enim adhuc in divina dispositione est, quid huic debeat accidere. Speramus autem, hoc nomen non excidere de genere nostro, priusquam aliquis parvulus nepos oriatur de eiusdem parvuli semine, qui sublimetur regali dignitate.* Quis[d] autem dubitet, electae Christi famulae prophetiam in christianissimo rege Heinrico nunc esse impletam; qui sine vi et armis suscepit culmen regiminis, et tranquillitate pacis nunc tenet honorem dignitatis? O rex Heinrice, merito laudande, induc etiam atque etiam menti tuae prophetiam insignis reginae, et cognosce te tantae dignitatis ascendisse

a) eodem castello 2. b) capreolam 2. c) adilheida 1. d) Quis dubitet, hanc prophetiam in Heinrico Babenbergense ipsius pueri postea filio adimpletam, qui post ducatum Baioarie optime administratum, Ottone tercio imperatore reuerendae ipsius Mahthildis pronepote defuncto, ipse nichilominus pronepos imperii suscepit coronam? Preterea eadem Dei famula *etc.* 2.

18) Frose ad Albim. 19) nupsit a. 966. Lothario regi Gallorum.

solium per ipsius interventum et meritum. Dominus Deus omnipotens, qui te elegit et sine vi culmen honoris concessit, tribuat tibi copiam benedictionis suae, coronetque te corona iustitiae, faciat te blandum iustis et terribilem impiis, quatinus iustitiam sectantes per lenitatis mansuetudinem corrobores, et errantes per iustitiae districtionem terrifices. Angelus Domini te semper praecedat, comitetur et subsequatur, qui omnes actus tuos dirigat, et cunctos inimicos sub tuis pedibus conterat, ut ad profectum sanctae ecclesiae diuturno vivas tempore, et postmodum vitam percipias sine fine. Auctor huius dictatus non omitteret, quin tibi, rex gloriose, perpetuae felicitatis et mundanae prosperitatis plus exoptaret, si non ab invidis magis deputaretur vituperationi adulationis, quam caritati veritatis. Supersunt plurima de te laudabiliter dicenda; sed haec praetermittenda sunt, ut ora invidorum obstruantur.

21. *De unctione Ottonis regis.* Revertendum est ad priora, ut ad finem perducantur incepta. Cum igitur longe lateque divulgarentur innumerabiles virtutes reginae Mahthildis, mira opinione laudis vocatus est filius eius rex Otto in regnum Romae a (961.) praesule sedis apostolicae, ut gloriam imperialis coronae perciperet et Romanis praeesset. Tunc commendans regnum et Ottonem, parvum filium suum, piae matri et archiepiscopo Wilhelmo, secum tulit fortia virorum pectora, et Christo duce Romam properabat, sicut papa mandaverat, secum comitante regina Adelheida. Cum autem pervenisset ad cathedram sancti Petri, simul cum uxore imperialem coronam accepit munere (962. Febr. 2.) Christi, et totus populus Romanorum se sponte subiugavit ipsius dominatui, et sibi solvebant tributa, et post illum ceteris suis posteris. Interim venerabilis regina inter spem et metum angebatur dubia, utrum filio suo evenissent prospera an adversa, et pro incolumitate eius vitae Deo semper obtulit sacrificium continuatione precum et largitate elemosinarum. Tunc etiam construxit monasterium in civitate Northusunensi[a] consensu sui parvuli nepotis Ottonis, pro anima regis Heinrici et sui carissimi filii, cui patris nomen imposuerat, et quem in praefata civitate procreaverat. Illic congregaverat turmulam[b] sororum Deo et beatae Mariae virgini famulantium. Interea pervulgabatur Ottoni imperatori in Roma, suam optimam matrem nimium contristari de eius absentia; qui miro accensus amore Christo dilectam videre, statim reliquit Romam et pervenit in civitatem Coloniam, ubi frater eius Bruno venerandus archipraesulatus tenebat infulam. (965. Mai. Iun.) Illic sancta venerabilis regina filio obviam venit cum nepote parvulo, quem Romam petens sibi commendaverat, secum etiam comitante herili puero Heinrico, quem in loco filii dilexit, postquam idem dux Baiowariae, filius scilicet eius, ex hac vita discessit. Venit et regina Gerbirc, sanctae Dei filia. Illic regalis conventus postremos alterutrum dedit amplexus, et illic sortiti sunt extrema collocutionis verba, id ita disponente divina clementia. Postea enim se non viderunt in hoc mortali corpore, sed ut speramus in aeterna nunc congaudent requie.

22. *Quomodo vestigia filii Ottonis deosculaverit.* Ergo inclita regina primum a caesare et filio suo archiepiscopo Brunone ceterisque illic confluentibus honorifice suscepta, suos gavisa est se vidisse filios et nepotes, necnon Christo referebat laudes et gratias pro incolumitate omnium. Postea vero quam se mutuo salutarunt, ingressi sunt cubiculum, inter se producentes familiare colloquium. Interim introiit episcopus Baldericus[20], qui fuit magister Brunonis archiepiscopi temporibus regis Heinrici, et omnibus caput inclinans, regalem conventum benedixit. Post haec ad sanctam dominam Mahthildam specialiter infit: *Laetare, venerabilis regina, talibus muneribus a Deo honorata; nunc vides filios tuos et illorum filios! Vere adimpletus est in te versiculus psalmistae, qui ait: „Et* (Ps. 127, 6) *videas filios filiorum tuorum".* Econtra regina Deo gratias egit, sicut semper solita fuit[c]. Tunc disseruit filiis et nepotibus suis de constructione monasterii Northusunensis, et quali[d] angeretur timore, ut inceptum opus non posset perficere; tandem sic ait lacrimis perfusa: *Istud monasterium nostrae aedificationis extremum est opus, ut aestimamus. Aetas nostra ad laborandum est fragilis, insuper ceteris distribuimus monasteriis possessiones et rerum facultates; quapropter commendamus vobis omnibus, ut inceptum opus perfi-*

a) northusanensi 1. *constanter.* — in castro Northusun 2. b) *ita et* 2. c) quod sibi Dominus ex Syon in tantum benedixit *addit* 2. d) quasi 1.

20) Traiectensis; non, ut Ekkehardus vult, Leodicensis.

965. *ciatis; quia inchoavimus pro anima nostri domini, et carissimi filii Heinrici, necnon pro regni stabilitate, et vestrum*[a] *omnium incolumitate.* Ad haec imperator Otto coram omnibus respondit: *Deus secundet vestra incepta; nostra non deerunt auxilia, quin etiam cohortamur filium nostrum Ottonem et ceteros nostros nepotes, ut illis subsidium praebeant, quamdiu vivant.* Postea pariter perrexerunt in civitatem Northusunensem, ad videndum ipsam congregationem. Tunc Deo dilecta regina sanctimoniales convocavit[b], et omnes imperatori commendavit. Ille autem omnes placido animo et hilari vultu suscipiens, Deo commendavit, dicens: *Sancta Dei genitrix virgo Maria, coelestis*[c] *regina, illas*[d] *clementer suscipiat et per amorem filii sui*[e] *semper custodiat, ut Deum solum prae omnibus diligant, et illi tota mente deserviant, non pro appetitu humanae laudis, sed solo desiderio aeternae remunerationis*[f]. *Ad haec precamur, ut filii nostri ac nepotes tali misericordia commoveantur erga has sanctimoniales, ut quamdiu remaneat una scintillula nostrae sobolis, illis numquam desit adminiculum consolationis.* Tunc[g] pro se suorumque salute parentum vel nepotum haec omnia iterando firmabat, quae sancta Dei consensu nepotis sui antea dederat, insuper et illa addidit, quae mater desideravit. Postea septem dies[h] in eadem civitate commorabantur, et sancta regina filio commendavit quam plurima, quasi in hoc mortali corpore ulterius eum non esset visura. Ut autem dies illuxit quo rex abire decreverat, mane surgentes in longum produxere sermonem, multum lacrimantes. Post haec ingressi sunt ecclesiam, pariter audituri missam, et venerabilis regina hilaritatem vultu simulabat, sed magnum dolorem corde premebat. Finita autem missa, filium talibus verbis iterum est aggressa: *Fili mi carissime, sedulo inducite vestrae memoriae omnia, quae in*[i] *hoc loco commendavimus fidei vestrae. Saepe hic iucunde viximus, et de periclitatione partus nos eripuit Deus. In hac civitate fratrem vestrum Heinricum procreavimus, quem propter paternum nomen nimium dileximus, necnon et hic nata est soror vestra Gerbirg. Ergo quia per intercessionem sanctae Mariae virginis in hoc loco bis enavigavimus angustias partus, huius monasterii [in eius honore*[k]*] fundamentum posuimus, et maxime pro anima vestri genitoris et fratris et pro incolumitate vestra, sicut supra memoravimus. Quapropter convenit, ut quotiens horum*[l] *memineritis, propter nos maiorem compassionem in hoc loco commorantibus exhibeatis. Ad haec, ut opinamur, extrema collocutionis verba hic inter nos sortimur. Quid plura? Haec ultima vestrae matris visio huius monasterii sit*[m] *admonitio.* Tunc imperator compunctus corde, promisit se omnia impleturum quae postulaverat. Deinde pariter egressi ecclesiam, substiterunt ante ianuam, et amplectentes se invicem, fletus utrorumque humectavit faciem. Postquam autem oscula mutuo dederunt, omnes qui aderant lacrimas fundebant. Regina vero in ipsis foribus sistens gradum, euntem filium deducebat ad equum claro intuitu oculorum. Exinde ecclesiam ingressa, propere ad locum contendit, in quo imperator, dum missa cantabatur, steterat, et flectens genua, abeuntis filii lacrimando deosculabatur vestigia. Haec ut vidit Witigo comes et ceteri, qui adhuc substiterant, milites, gemitu perculsi exierunt, et haec imperatori dixerunt. Qui statim ab equo desiliens, ad ecclesiam revertebatur ingemiscens, et ingressus invenit illam adhuc in eodem loco orantem et multum lacrimantem, statimque pronus in terram cadens, ita locutus est: *O venerabilis domina, quali servitute has lacrimas vobis possumus rependere?* Iterumque aggressi, perpauca dixerunt voce lacrimabili. Postremo venerabilis regina sic ait: *Quid nobis prodest diutius morari? Quamvis nolentes, cogimur tamen ab invicem divelli; et nos*[n] *intuendo dolorem non minuemus, sed potius augmentabimus. Ite iam in pace Christi; nostram faciem ultra non videbitis in carne mortali. Ut aestimamus, nil praetermisimus, sed vestrae fidei commendavimus omnia, quae mente gerebamus. Tantum animae nostrae haec munera remittite, ut hunc locum sedulo inducatis vestrae memoriae.* Imperator vero inde per-
966. gens, peragravit alias urbes Thuringiae regionis, postea iterum Romam perrexit, filio
967. suo secum comitante.

23. *De aegrotatione Mahthildis.* Iamiam appropinquavit hora multis luctuosa, in qua Deus animam inclitae reginae de carnis ergastulo voluit dissolvi, ut perciperet

a) virorum 1. b) *ita corrigo;* conuocari 1. c) coeli 2. d) has famulas suas 2. e) s. domini nostri Iesu Christi 2. f) retributionis 2. g) Mox manu sua confirmat quae 2. h) menses 2. i) de 2. k) i. e. h. *desunt* 1. l) ut quorum 1. m) sit frequens a. 2. n) uos 1.

967 praemium laboris et gloriam aeternae remunerationis. Per[a] circulum totius anni laborabat aegrotatione gravi, sed tamen circuibat loca regalia, quamvis deficerent corporis vires. Cum autem peragrasset civitates Saxoniae regionis, et quaeque necessaria singulis impendisset monasteriis, iterum Northusunensem civitatem adiit, quam nimium dilexit, ut videret Richburgam[b], quam nuper constituerat abbatissam. Statim autem ut venit, hanc ad se vocari praecepit, multa interrogans de congregatione sibi commissa. Post haec ipsa monasterium est ingressa, diligenter investigavit, quali studio disciplinae unaquaeque fuisset exercitata. Nam ex quo primum monasterium construxit, hanc consuetudinem semper habuit, ut ipsa scolam intraret, et singularum[c] studia intente persosceret; quia sibi fuerat hoc munus gratissimum, videre vel audire cuiusque hominis profectum. Tunc commorabatur in eadem civitate a tempore autumni[d] usque ad festivitatem nativitatis Christi. Post sollempnitatem vero sancti apostoli Thomae iterum ab- Dec. 21. batissam ad se vocavit, et hunc sermonem cum ipsa habuit: *O nobis semper fida et nostrorum laborum maxime conscia, iam cognoscimus frequentia infirmitatis, nostrae dissolutionis diem nobis appropinquare, et idcirco expedit nobis hinc iter accelerare, ne hic praeveniat nos ultimus dies praesentis vitae.* Econtra abbatissa prae singultu et lacrimis primo reticuit, et paullo post sic ait: *O amabilis domina, quid sibi vult haec prophetia? Cur nobis miseris tam triste malum praedicitis, aut cui nos desolatas relinquitis? Speramus enim, ut Deo propitiante nondum tale quid eveniat. Verum quia versatur in dubio, quorsum vertatur[e] haec vestra aegritudo, humiliter vos petimus, ut hic maneatis per aliquot tempus, usque dum videamus, si Deo donante leniatur vester morbus, ut, si grave infortunium eveniat, quod mors nostrae saluti invida nos vestra vita destituat, saltem hac consolatione respiremus, ut in hoc loco nobiscum requiescat vestrum amabile corpus.* Tum Deo dilecta regina haec responsa dedit: *Haec iam pridem a nobis fuerant praecogitata; et quantum nobis placuisset, nostrum corpus in hoc sepeliri loco, si praedestinatum esset a Deo, ut filii nostri Ottonis et aliorum nostrorum nepotum erga vos maior esset procuratio! Sed hoc haut consentiri pertimescimus, quia dominus noster Heinricus in Quitilingoburc requiescit, iuxta quem oportet nos commendari sepulturae, et diem ultimum exspectare. Nunc autem si in hoc loco evenerit obitus noster, gravius coangustabitur vester animus, et inferetur vobis calumnia[f] despectionis, si mortuum corpus vobis auferetur invitis. Hae igitur causae admonent nos hinc iter accelerare. Quid plura? Deum semper diligite, nec alium praeter eum amatorem admittite, sed semper eius famulatui intendite. Estote in oratione pervigiles, et in sancto proposito permanentes. Memores estote animarum, pro quibus hoc posuimus monasterium, insuper et nepotum nostrorum adhuc mortali in vita degentium, necnon mentionem nostri facite; nam[g] neminem ultra videbitis vobis placabiliorem. Commendamus vos Deo orphanorum patri, et sanctae Mariae virgini, et sanctorum intercessionibus, quorum reliquias hic collocavimus; non turbetur cor vestrum, sed spe tendite in Deum; quamvis enim corpore simus absentes, amore tamen semper vobis praesentes erimus.*

24. *De unctione reginae.* Igitur discessit Deo dilecta regina de civitate Nort- Dec. 22. husunense in 11. Kalendarum Ianuarii, et maximum moerorem illic commorantibus reliquit sanctimonialibus, quas semper materno dilexit amore; quia illam in hoc mortali corpore, pro dolor! ulterius non erant visurae, quae illarum fuit honor, laetitia, decus et gloria. Tunc in Quitilingoburc properabat, ubi Deus sanctam animam de carnis 968. ergastulo dissolvi praeordinaverat; ibique nimia aegritudine correpta, usque ad obitus diem infirmabatur. Appropinquante autem dissolutionis die, ad se vocari praecepit supra memoratam abbatissam Richburgam, cui omnia eius secreta tunc fuerant notissima, ut diem obitus sui illic exspectaret, et in extremis, sicut antea, fideliter ministraret. Sentiens autem sancta domina diem ultimum sibi advenire, episcopis et presbiteris omnem censum erogabat, quem utilitati pauperum nondum accommodaverat, et munifica manu inter monasteria dividebat[21]; illud recondens in memoria, quod euangelica praecipit

a) Beata igitur M. iam senio fessa, non minus enim quam septuagenaria erat *etc.* 2. *Certe anno* 909. *nupta, anno* 968. *ad minimum* 75 *annos habebat.* b) rigburgam 1. c) singulorum 1. d) autumpni 1. e) versatur 1. f) calumpnia 1. g) *haec* 2. *ita effert:* nullam enim sollicitudinem meliorem circa salutem animarum nostrarum ultra poteritis invenire.

21) ita et Widukindus III. 74.

968. scriptura: *Vende omnia quae habes et da pauperibus.* Cum igitur innumera conflueret
Matth. 19, 21. multitudo, aegrotantem reginam visitare, venit et Willehelmus[a], Moguntinae sedis archiepiscopus, et quamvis Deo iubente prior mortem esset subiturus, tamen aggreditur sanctam Dei, verba consolationis ministraturus: obiturus visitavit obituram, et suae mortis nescius, consolabatur modicum post se victuram. Beata vero regina episcopum ut vidit, hilari vultu et quam familiari suscepit affatu: *Non dubitamus,* inquit, *voluntate Dei vos nunc ad nos dirigi; nam nemo nobis familiarior et ad hoc opus esset[b] acceptior; quandoquidem nobis haec absumta est spes, ut dilectus filius noster Bruno maneret superstes, usque dum nostra extrema videret, et corpus terrae commendaret. Nunc autem primum audite nostram confessionem, et date nobis remissionem, per potestatem quae vobis tradita est a Deo et sancto Petro principe apostolorum, et tunc intrate ecclesiam, et cantate missam pro peccatis et negligentiis nostris, insuper pro anima domini nostri regis Heinrici, et pro omnibus Christi[c] fidelibus, vivis et defunctis.* Completa autem confessione, episcopus intravit ecclesiam, omnia implens quae regina desideraverat. Finita missa, rursum intravit cubiculum, et iterando dedit illi remissionem peccatorum. Postmodum perunxit eam sacrato oleo, et recreavit sacrosancto corporis et sanguinis Christi mysterio. Tunc inibi commorabatur per triduum, quia credebat iamiam imminere eius obitum. Quarto autem die cum intelligeret, diem dissolutionis nondum instare, ad aegrotantem reginam accessit, et eundi licentiam postulavit, plangens fletu inconsolabili, quia sentiebat, eius infirmitatem minime leniri; sed si moeroris asperitas animo ullas remitteret inducias, non dolere, quin potius deberet gaudere; quia sanctae Dei anima recessura de corpore, de labore ad requiem creditur pervenire. Sancta autem domina et episcopus colloquebantur inter se plurima, quae enumerare sunt perlonga. Interim regina ad se vocavit abbatissam Richburgam, interrogans, si quid sibi superesset, quod episcopo dare posset. Illa vero respondens ait: *Quid vobis, Deo dilectissima, potest superesse? Omnia vestra in necessitates pauperum sunt distributa.* At illa: *Ubi sunt,* inquit, *pallia, quae nostrae sepulturae iussimus abscondenda? Illa nobis praesententur, ut nostro nepoti in pignus amoris donentur; nam ipse prior nobis his indiget, ut putamus, quia iter difficillimum est incepturus. Semper enim versatur in dubio, quo se vertat instabilis fortunae conditio, vel ad quos labores miseros pertrahat homines. Cum autem noster obitus evenerit, hoc proverbium in nobis potest adimpleri, quod ore vulgi dici solet: „Propinqui saepe invenient nuptialem vestem et lugubrem.“* Interim dum haec loqueretur regina, venit abbatissa afferens pallia; at illa haec accipiens, dedit episcopo, et ait: *Haec munera nostra sint monimenta*[d]. Et cum haec accepisset episcopus, gratias egit, et eam benedicens recessit. Conversus autem ad circumstantes, cum silentio sic locutus est: *Hinc in Radulveroth tendimus, et unum ex clericis nostris hic*[e] *relinquimus, ut si dominae nostrae obitus eveniat, cito ad nos redeat, et nobis annuntiet, ut iterum veniamus, et decenti honore corpus terrae commendemus.* Regina vero caput erigens, quasi episcopus haec ad se dixisset: *Non est opus,* inquit, *ut hic relinquatur, sed vobiscum potius proficiscatur; vos illo plus indigetis in comitatu vestri itineris. Ite in pace Christi, quocumque voluntas ipsius decreverit.*

25. *De obitu episcopi.* Episcopus autem inde in Radulveroth pergens, ibique medi-
Mart. 2. cinalem accipiens potionem, subitanea morte defungitur. Euntes autem nuntii haec in Quitilingoburc indicabant. Cum autem omnes dubitarent, qualiter haec reginae indicarentur, ne infirmitatis eius asperitas adaugeretur, venerabilis Christi famula, quasi spiritu prophetiae illustrata, lacrimabiliter subridens ait: *Quid intra vos murmuratis? Et cur triste malum nos celare desideratis? Novimus enim, Willehelmum episcopum de hoc mundo migrasse, et hoc est magnus cumulus infirmitatis nostrae. Praecipite signa ecclesiae pulsari, et pauperes congregari, ut elemosinas accipiant, quae pro anima eius ad Deum intercedant.* Post haec duodecim dies mortalis vitae spiritum duxit.

Mart. 14. 26. *Qualiter suos consolata sit.* Sancto autem sabbatho, in quo Christi famula recessura erat a seculo, ut primum persensit lucescere, omnes in cubiculo secum commorantes admonuit de somno surgere, ut presbiteros et sanctimoniales convocarent, et

a) Wilhelmus 1. *et infra.* b) esse 1. c) *vox deest* 1. d) sunt munimenta 1. Istud caritatis donum mei apud te sit commonitorium 2. e) hinc 1.

quae agenda essent agerent. Cum ergo innumera utriusque sexus multitudo conveniret, 968. praecepit sancta Dei nulli introitum prohiberi. Igitur omnibus introgressis, salutaribus Mart. 14. monitis illos instruxit, dicens: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore;* Ps. 2, 11. 12. *apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta. Declinate a malo et facite bonum, ut in extrema hora vestrae animae ab insidiis diaboli eripiantur, et aeterna vobis praemia a Deo donentur.* Post haec praecepit, ut omnes exirent in pace Christi, nisi qui necessaria sibi essent ministraturi. Tunc ad se vocavit suam neptulam abbatissam Mahthildam, filiam Ottonis imperatoris, salutaria illi dans monita, ut esset pia et humilis, prudens et cauta, ac sibi commissum gregem custodiret, et ut monasterium raro egrederetur, ne secularibus dedita a Christi servitio impediretur. Dedit etiam ei in manum computarium, in quo nomina defunctorum scripta erant procerum; commendavit illi domini sui regis Heinrici animam, commendavit et suam, et omnium fidelium, quorum memoriam recolebat. Novissime autem Richburc abbatissa moesta processit, et genu flexo in terram, pedes reginae lacrimando amplectitur, ita inquiens: *Domina mi carissima, cui relinquitis congregationem desolatam, super quam me indignam constituistis abbatissam? Difficile mihi est servare gregem commissum, quia vestrum aberit subsidium.* Sancta vero regina super haec verba totis visceribus commota, dixit: *Summo vos commendamus defensori; non relinquimus vos alienis, sed filio nostro Ottoni aliisque nepotibus nostris.* At illa ait: *Versatur nobis, domina, in dubio, quo se vertat animus illorum.* Cum ergo abbatissa amare fleret et consolationis verba expeteret, regina moerorem eius lenire cupiens ait: *Quo spes nostra tendenda, quo animus noster dirigendus, nisi ad Deum? Primum quaerite regnum Dei et iustitiam* Luc. 12, 31. *eius, et haec omnia adicientur vobis. Credimus, filium nostrum Ottonem, prioris promissi haud immemorem, vobis impendere solamen. Quicumque autem possessionem ecclesiasticam ex nostra parte vestrae necessitati traditam iniusta despoliatione scindit vel comminuit, provideat, quid Deo respondeat; contra vero quisquis muniat vel augeat, a Deo, fideli remuneratore, dignam mercedem recipiat.*

27. *Qualiter obierit.* Post haec verba praecepit presbiteros et sanctimoniales propius accedere, ut eius confessionem audirent et sibi a Deo remissionem postularent. Quo facto, iussit missam celebrari et corpus Christi sibi afferri, ut per sacri mysterii communionem securius evaderet callidi hostis laesionem. His omnibus rite peractis, sibi astantes admonuit, ut psalmos vigilanter decantarent et euangelium legerent, usque dum anima iussu Dei de corpore discederet. Post haec nullum verbum protulit, sed oculis expansis et manibus elevatis, animo et spiritu in coelum intendit. Appropinquante autem hora nona, iussit cilicium humi poni et corpus moribundum supra collocari, propriis manibus cinerem imponens capiti: *Non decet,* inquit, *christianum nisi in cilicio et cinere mori.* Dein sanctae crucis se muniens signaculo, cum pace et requie obdormivit in Domino 2. Idus Martii. Ut rectissime potuit investigari, anima sanctae Dei egressa est de corpore in ipsa[a] hora diei, qua semper consuetudinem habuit pauperes recreare in nomine Domini diebus quadragesimae. Cum autem corpus lavissent et ad ecclesiam detulissent, venerunt nuntii reginae Gerburgis, filiae venerabilis domnae Mahthildis, afferentes pallium auro intertextum, aptum cooperire loculum. Tunc electae Christi famulae prophetia in omnibus fuit adimpleta, et de transmigratione archiepiscopi Willehelmi et veste lugubri.

28. *De sepultura eius.* Igitur sepelierunt corpus in basilica sancti Servatii, iuxta sepulcrum regis Heinrici[23], cum magno honore, ubi ipsa decreverat requiescere et diem iudicii expectare. Ergo discessit de corpore, nobilis genere, nobilior moribus et sanctitate, senex et plena dierum, omnibus suis posteris bonum relinquens exemplum. Cum honore enim praesentem vitam duxerat, et cum honore de mundo migrabat; et quidquid temporaliter vixerat, in bonis operibus consummabat. Non est enim mortua credenda, cui, ut speratur, reddita est iustitiae corona; quia temporaliter vivens, omnes desideravit salvos esse et neminem de grege Christi perire; in profectu cuiusque hilaris, in adversitate autem pertristis; erga omnes pia et compassibilis, exceptis vitiis, quibus non compassio sed rectitudo debetur. Multorum festivitates sanctorum in ecclesia cele-

a) id est nona *addit* 2. 23) ubi adhuc conspicitur.

brantur, quorum meritis non impar est, ut speramus, et a quorum societate non separabitur in aeterna beatitudine. Vere fuerat dignum templum, in quo Dominus habitaverat, ieiuniis castigatum, orationibus refectum[a], puritate mundatum. Sed quid de eius laude digne potest dici? Dominus in illa laudetur, et ipsa in Domino; ipse enim est laus ipsius, cuius laus ab eius ore numquam recessit, cui est honor et gloria, decus et imperium in secula seculorum, Amen.

EXPLICIT VITA GLORIOSAE REGINAE MAHTHILDIS.

a) et mundatum, puritate decoratum 2.

HROTSUITHAE CARMINA

DE PRIMORDIIS COENOBII GANDERSHEIMENSIS ET DE GESTIS ODDONIS I. IMPERATORIS.

Septuagesimo circiter anno postquam poeta Saxo Karoli Magni res gestas et gentis Saxonicae ad fidem christianam conversionem versibus expressit, Hrot-
1 *suitha*[1], *monialis, coenobii in quo degebat Gandersheimensis primordia et res gestas Ottonis Magni imperatoris carmine Latino celebranda suscepit. Fuit ea, ut credi fas est, Ottone I. rege*[2] *in Saxonia nata, et monasterio, quod a Liudolfo comite, Ottonis I. proavo, conditum, ex posteris eius abbatissas accipiebat, tradita, litteris addiscendis operam dedit, et dum nec matura aetate vigebat, nec scientia, ut ipsa modeste de se scribit, proficiebat, „ex sentenciis scripturarum, quas intra arcam coenobii collegerat, textum aliquem conficere satagebat“. In libris scribendis primo Rikkardis, sapientissimae atque benignissimae magistrae, aliarumque eius vice instruentium, postea*
3 *vero Gerbergae abbatissae magisterio usa est*[3]. *Haec Heinrici Bawariae ducis et Iudithae, Arnolfi ducis natae, filia, quae inde ab anno circiter* 959. *per quadraginta amplius annos*[4] *coenobium Gandersheimense rexit, initio regiminis sui, licet aetate minor sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores, quos ipsa prius a sapientissimis didicit, Hrotsui-*
5 *tham admodum pie erudivit*[5]. *Quae quidem librorum sacrorum necnon classicorum studio delectata, primum scribendi periculum fecit in historia b. vir-*

1) ita in praefat. Historiae Mariae, in fine Historiae resurrectionis Domini, in praefatione Gangolfi et in praefatione Pelagii constanter nomen scribitur; semel tantum in praefatione Comoediarum HROTSVIT legimus. 2) „nec matura adhuc aetate vigens nec scientia fui proficiens“ ipsa de se ad Gerbergam abbatissam praefata circa a. 960—965. scribit; et in carmine de constructione Gandersh. v. 526 se longe post obitum Ottonis ducis, anno 912. defuncti, natam tradit. Igitur neptis Hrotsuithae abbatissae anno 927. defunctae vix habenda erit. 3) Praefat. hist. B. Virginis. 4) obiit a. 1001. Id. Novembr. 5) praefatio libri de historia B. M. V. et carmen ad Gerbergam v. 6—12.

ginis Mariae metrica, atque carminibus de ascensione Domini, de S. Gan-
golfo, de passione S. Pelagii Cordubensis, et de Theophilo vicedomino; quibus
postea carmina de Proterio, de passione S. Dionysii et S. Agnetis adiunxit[6]. 6
In his omnibus libros suos secuta est, passionem tamen Pelagii ab incola civitatis
in qua passus est audierat. Deinde quum animadvertisset, „catholicos plures
Terentii figmenta frequentius lectitare et dulcedine sermonis delectatos nefan-
darum notitia rerum maculari“, poetam illum scribendo sex comoedias christianas
imitata est, „ut eodem dictationis genere, quo turpia incesta lascivarum femi-
narum recitabantur, laudabilis sacrarum virginum castimonia celebraretur“[7].
Quae omnia non iactantiae vel vanae gloriae causa, sed ut supplici mentis
devotione ingenium a Deo acceptum servitio eius consecraret[8], *composuit.*
Fama tamen ei non defuit. Nam philosophorum laudibus ornata[9], *mox in* 9
tantum innotuit, ut modesta virgo „clamor validus Gandeshemensis“[10] *a se ipsa*
vocari posset. Aestate anni 965.[11] *Otto secundus rex, tunc decennis, a virgine*
impetravit, ut patris eius Ottonis imperatoris gesta carmine celebranda susci-
peret. Aggressa est opus, usque ad coronationem Romanam a. 962. produ-
cendum, libro nullo adiuta, sed relationes eorum qui res scribendas afferebant
secuta. Quod quum ipsa aperte dicat[12], *liber Ottonibus oblatus et a consan-* 12
guineis eorum, Wilhelmo, Gerberga aliisque eorum ministris ut ita dicam
dictatus, et nonnisi quae grata viderentur exhibens, pro historia proprie dicta
minime venditari poterit. Sed neque ita librum spernendum esse, narratio sim-
plex, plana, temporis ordinem in universum secuta, et compluribus[13] *quae alias*
frustra quaesiveris sese commendans admonet; atque omissis potius quam pro-
latis virgo veritati nonnunquam officere dicenda est[14]. *Magno igitur historiae* 14
incommodo dimidia fere pars operis, narratio scilicet pene integra rerum
annis 953—962. gestarum, excidit.

Liber exeunte Ianuario aut mense Februario anni 968. absolutus[15] *Ger-*
bergae abbatissae oblatus est, quo ab ea Wilhelmo archiepiscopo traditus, eius
iudicio Ottonibus transmitteretur. Nec Wilhelmi obitus, qui die 6. Non. Mart.
contigit, libro nocuisse credendus est, quum Hrotsuitham paullo post[16] *aliud* 16
carmen, de fundatione scilicet coenobii Gandersheimensis et de maioribus
Ottonum, orsam esse constet[17]. *Quo libro historiam monasterii sub primis*

6) v. Praefat. ad Gerbergam in carmine de Proterio. 7) Praefat. in comoedias. 8) ibid. „ut acceptum in datorem retorqueam ingenium“. 9) Epistola ad quosdam sapientes. 10) Praefat. in comoedias. 11) Praefat. ad Ottonem II. v. 6. 7. Quum liber ante obitum Brunonis archiepiscopi, qui 5 Id. Oct. a. 965. defecit, inceptus fuisse videatur (v. 64.) et postquam nuntius de Ottonis II. coronatione Romana a. 967. Dec. 25. in Saxoniam pervenerat, sed Willehelmo archiepiscopo et Mahthilda regina superstitibus, qui d. 6. Non. Mart. et 2. Idus Mart. a. 968. obierunt, absolutus sit (v. 1505. Praefat. ad Gerbergam in fine. et vv. 23. 24.) carmen aestate a. 965. ab Ottone rege tunc in Saxonia diutius morante expetitum fuisse coniicio. 12) Praefat. ad Ottonem I. v. 14—23. 13) e. g. tempus quo Heinricus dux Iuditham duxit, et narratio liberationis Adalheidae quasi authentica. 14) e. g. in describendis seditionibus Heinrici ducis, quem Gerbergae patrem fuisse memineris. 15) v. n. 11; ideo eodem tempore quo Widukindus priorem operis sui partem absolvit. 16) certe priore carmine iam absoluto; nam fundationem Gandersheimensem non ante annum 968. inceptam esse, mentio v. 79. de Ottonis II. coronatione Romana iniecta probat, et v. 81. 82. librum de laude Ottonum memorat. 17) Trithemius carmen hoc non vidit, reliqua Hrotsuithae opera, ut in codice S. Emmerammi iam Monacensi hodieque extant, in chron. Hirsaugiensi enumerat; at quae in fine profert *Diversorum quoque carminum et epigrammatum lib. I. Epistolas etiam quasdam non inelegantes* non de deperditis iam opusculis, sed de carminibus epigrammatibus et epistolis per codicem dispersis intelligenda esse, eo probatur, quod codex unicus in fine membranam vacuam praebet, et Celtes codicem qualis hodie invenitur iam anno 1501. edidit, dum Trithemius chronicon Hirsaugiense, anno quidem 1495. inceptum, nonnisi anno 1511. absolvit, ideoque ditiorem codicem non vidisse existimandus est. In libro de SS. eccl. c. 391. illa praetermisit.

abbatissis, Liudolfi et Odae filiabus, usque ad obitum Christinae a. 919.
18 tradit. Hauserat eam ex scriptis in monasterio servatis, vita Hathumodae[18],
chartis Liudolfi fundatoris[19], Hludowici iunioris et Arnulfi[20], et ex narrationibus
seniorum[21], quum ipsa rebus quas narrat multo posterior, virorum et mulierum quos celebrat nullam se novisse confiteatur[22].

Utrumque carmen, pii animi et eruditionis apud feminas eius praecipue
aevi rarae documentum, auctorem classicos Romanorum poetas assiduo lecti-
23 tasse, probat. Ipsa alio loco[23] se in syllabarum dinoscendis naturis et in
dictionibus componendis errasse professa, hic quoque cum in metro[24] tum
in formis verborum[25] nonnunquam deliquit. Contra formae antiquae mîs et tîs loco mei et tui usurpatae, Plauti Terentiique studium arguunt. Diminutivis saepius adhibitis delectatur[26].

Carmen de primordiis coenobii Gandersheimensis, praemissis
27 beatissimorum pontificum Anastasii et Innocentii vitis versu hexametro scriptis[27],
per medium aevum in loco ipso servatum, in chronica Gandersheimensia, qualia saeculo XIII. ineunte ab Eberhardo in Theotiscam linguam versa legimus[28],
transiit, saeculo XVI. medio aliquibus foliis omissis, sententiis nonnullis vetustate corrosis, Bodoni Clusano canonico[29] commendatum, sed ab eo nunquam
restitutum atque cum reliquis Clusani coenobii codicibus et chartis clam ab-
30 latum esse traditur[30]. Igitur carmen ipsum usque ad saeculi XVIII. initia
delituit, dum apographum saeculo XV. confectum[31] a Io. G. Leuckfeld repertum[32] et ab abbatissa Gandersheimensi pretio comparatum, eodem fere tempore[33] in Leuckfeldi antiqq. Gandersheimensibus p. 410 sqq. et in Leibnitii
Scriptoribus Brunsvicensibus T. II. 319 sqq. prodiit. Et ille quidem nonnisi
textum, qualis satis corruptus in codice legebatur, vulgavit, Leibnitius vero loca plurima coniecturis, ingenii et doctrinae testibus, emendavit, eamque in rem et
Bodonis libro aliquotiens usus est. Utraque editione, fortasse et codice ipso
34 Gandersheimensi aut eius apographo[34] Harenberg usus, in historia Gandersheimensi p. 469 sqq. textum Leibnitii auctoritate, saepe tamen et suo
arbitrio „et rationibus prosodicis manifestissimis", correxit, at non ubique
emendavit. Nostrae autem editioni subsidia comparaturus, quum vere anni
1835. Gandersheimum adiissem, non solum codicem Hrotsuithae, qui saeculo
superiore comparatus erat, ablatum, sed reliquos etiam omnes bibliothecae
codices aut ablatos audivi, aut pluvia situque pessumdatos reperi. Omni igitur
codicis nanciscendi spe ablata, quem nec bibliothecis Gottingensi vel Guelferbytanae nec tabulario fisci ducatus Brunswicensis illatum fuisse didici, loco eius

1) apographum codicis Leibnitio transmissum et ipsius manu emendatum,
quod in bibliotheca regia Hannoverana servo, et

18) v. 104 sqq. 19) v. 118 sqq. 20) v. 444 sqq. 21) v. 522. 22) v. 526. 23) in praefat. libri I. 24) e. g. Gandersh. 270. Otto 230. Hiatum etiam admittit. 25) e. g. deponens vi passiva Gandersh. v. 239. Otto v. 459. „veneratur", Prol. ad. Ott. II. v. 38. „tueantur"; passivum vi deponentis usurpat, in Otton. v. 593. „recitati sunt", v. 141. „moderat" comoedos secuta scribit. 26) *gratiola, perpaucula verbula, locellus*, et alia eiusmodi occurrunt. 27) Bodo ap. Meibom. SS. II. 494. 28) Leibnit. SS. III. 149 sqq. Fluxit inde chronicon rhythmicum ducum Brunsvicensium apud Leibnit. III. 1. sqq. 29) se eo usum esse, dicit in Syntagmate Gandersh. apud Meibom. SS. II. 479. 494. 30) Leuckfeld Antiqq. Gandersh. p. 276. 31) Harenbergio, incerto auctore, teste p. 1074. Leibnitius in Actis Erudit. a. 1708 p. 488. librum „non recentissimum" notat. 32) Leuckfeld l. c. p. 276. 33) iam a. 1708. in Actis Eruditorum p. 487, carmen secundo Leibnitii tomo illatum esse, nuntiatum erat, qui tamen a. 1710. demum integer evulgatus est; quem ideo Leuckfeld a. 1709. praevenit. 34) haec „manuscripta duo" fuerint, quorum possessores nomina sua profiteri nolle asseverat, p. 1074.

1[b]) editionem Leuckfeldianam adhibui, tum

2) Bodonis syntagma Gandersheimense, qui multa ex Hrotsuithae opere mutuatus est,

3) Leibnitii coniecturas, ab ipso in margine plurimum notatas, et

4) Harenbergii editionem consului, iisque subsidiis textum, quantum fieri poterat, restituere conatus sum.

Multo feliciori mihi esse licuit in carmine de gestis Oddonis, quod scilicet ope codicis unici

1) olim Sancti Emmerammi Ratisbonensis, iam in bibliotheca regia Monacensi adservati, quem ibi a. 1833. evolvi, maiori successu restitui. Codex manu saeculi X. exeuntis vel XI. ineuntis in 4to exaratus[35], tribus libris opera Hrotsuithae, legendas scilicet Sanctorum, comoedias et carmen nostrum, exhibet. Pagina quaeque 24 versus continet. Interpunctio fere nulla, excepto puncto in fine plurimorum versuum obvio. Scriptor textum haud bene intellexit, errores suos nonnunquam correxit. Littera cuiuslibet versus prima alternatim rubro atroque colore scribitur; littera maior auctorem novam rem ordiri indicat. Magno rei litterariae damno quaternio unus et alio loco sex folia exciderunt, quod iam ante exitum saeculi XV. factum esse oportet, quo Conradus Celtes argumentis capitum, qualia e re esse putabat, et emendationibus haud paucis codici manu sua illatis, eum typis edendum curavit.

2) Editio Celtis in operibus Hrotsuithae Norimbergae in folio a. 1501. prodiit. Textus multis in locis a codice unico discedit, partim errore editoris, partim ubi quae vitiose legi videbantur emendanda esse censuit. Qua quidem in re haud dubie nonnunquam bene de Hrotsuitha meruit, et certe reliquos omnes editores multum antecellit, nonnunquam vero sine iusta causa textum aut vere bonum aut qui saltim tolerari posset arbitrio suo immutavit vel negligenter exprimi permisit; et argumentis capitum haud bene perpensis et operi intrusis, ut de fide Hrotsuithae, dum contra historiae veritatem scripsisse censebatur, viri docti dubitarent, effecit. Quae macula ei inspersa nostra demum editione delebitur.

Celtis editio a Iusto Reubero paucis in locis secundum regulas grammaticae notissimas emendata, a. 1584. in SS. Germanicis repetita est, a. 1621. ab Heinrico Meibomio una cum Widukindo in fol., vita sanctimonialis et annotationibus historicis, quibus lectores nostri absque ulla iactura carere possunt, aucta, sed textu aliquoties perperam mutato prodiit; quarta vice a. 1688. ab Heinrico Meibomio iuniore scriptoribus Germanicis T. II. p. 709 sqq. sed textu vel magis corrupto, inserta est. Textum Meibomianum repetivit Heinr. Leonh. Schurzfleisch in editione operum Hroswithae p. 175 sqq. a. 1707, dissertatione de poetriae nostrae vita et operibus praemissa, adiectoque indice latinitatis, sed Meibomii lectionem adhibita editione principe aliquoties correxit, et quinque in locis[36] a prioribus editoribus recedens, veram codicis lectionem habet, petenti sibi fortasse a coenobitis Sancti Emmerammi transmissam. Sextam demum editionem Georg. Chr. Ioannis a. 1726. in altera editione Reuberi SS. Germ. ex Meibomiana et Schurzfleischiana conflavit, et semel veram lectionem ab editoribus neglectam coniectura assecutus est.

35) cf. Archiv VII. 409—411. 36) in praefat. ad Oddonem I. v. 27, in praefat. ad Oddonem II. v. 12, et versibus 321, 434, 752.

*Quae cum ita se habeant, textum ad fidem codicis unici restitui, et non-
nisi locos aperte corruptos ex Celtis coniectura aut nostra emendandos sus-*
37 *cepi*[37]. *Divisione igitur capitum qualem codex exhibebat adoptata, pro rubricis
a Celte textui intrusis et erroris plenis annorum numeros margini adscripsi,
et ita meliorem iam operis editionem propono.*

37) Diphthongi ae et oe in codice perraro simplici e expressae, constanter restitutae sunt.

CARMEN DE PRIMORDIIS COENOBII GANDERSHEIMENSIS.

Ecce meae supplex[a] *humilis devotio mentis*
Gliscit, felicis primordia Gandeshemensis
Pandere coenobii, quod cura non pigritana
Construxere duces Saxonum iure potentes,
Liudulfus[b] *magnus, clarus quoque filius eius*
Oddo, qui coeptum perfecit opus memoratum.

a) supplet 1.
b) *ita constanter emendavi.* Luidulfus *editi.*

Ordo nunc rerum deposcit debitus harum,
Ut prius illustris constructio Gandeshemensis
Apto coenobii recinatur carmine nostri;
Quod nam construxisse ducem reverenter eundem
Constat Saxonum, quem praedixi[c], Liudulfum.
Hic praenobilium[d] natus de stirpe parentum,
Ortus quique sui respondens nobilitati,
Moribus egregiis usuque suae probitatis
Inter Saxones crevit laudabilis omnes.
Namque fuit strenuus, forma nimiumque decorus,
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis,
Atque sui generis solus spes et decus omnis.
Hinc nam Francorum magni regis Hludowici[e]
Militiae primis[f] adscriptus pene sub annis,
Ex ipso digne summo sublatus honore,
Gentis Saxonum mox suscepit comitatum;
Ac cito maioris[g] donatus munere iuris,
Principibus fit par[h], ducibus sed nec fuit impar;
Quique[i] suos omnes vicit pietate parentes,
Non minus insignis pompa vincebat honoris.
Cui coniux[k] ergo fuerat praenobilis Oda,
Edita Francorum clara de stirpe potentum,
Filia Billungi, cuiusdam principis almi,
Atque bonae famae generosae scilicet Aedae[l].
Haec igitur crebro precibus consueverat Aeda
Se totamque suam Domino committere vitam;
Saepius atque piis insistens sedula factis,
Promeruit, bene promissis edocta supernis,
Discere, baptista Christi referente beato,
Quod sua progenies seclis quandoque futuris
Possessura[m] foret iuris decus imperialis.
  Ergo nocturnas quondam scindente tenebras
Aurora lucis splendore suae rutilantis,
Haec prostrata sacram solito iacuit secus aram,
Sacratam sub baptistae Iohannis honore,
Oratu pulsando iugi penetralia coeli.

c) pdixi 1.
d) pnobilium 1.
e) Hludovici 1.
f) *ita coniicit* 3. primus 1.
g) maiori 4.
h) *deest* 1. *supplevit* 3.
i) Quinque 4.
k) coniunx 4.
l) Prodae *male legit* 2.
m) *ita* 1b. 4. Promissura 1. Promeritura *coniecit* 3.

1. Hrotsutha C. reg. Monacensis *2. Vita Mahthildis C. reg. Bruxellensis*

fol. 140' X pi gratanla tactus sub corde secreto
S eui tractauit summoq; dolore reuoluit
C ontra iusticiā quicquid pfecerat unquā
H oc quoq; defleuit nimis psepe lamentas
Q uod male blanditis horū cessit suadelis
I psū qui uerbis corruperunt simulatis
S ed quāuis tale ferret sub corde dolore

G. H. Pertz scr.

parī. aut onotor
mētā
pere inherti. dif
finiens ut sole

C. L. Bethmann scr.

4. Vita S. Oudalrici
a C. reg. Paris Suppl. 165. 17.

R ELIGIOSVS AVTEM ANTISTES MIS
so legato. nuntiauit imprīobitū pdicti nepo
tis sui. & ab patriā uicinbuta nominatā. quę

G. Waitz scrips.

Cod. Caes. Vindob. Nº 854. necessit. Dona etiā sci sps tradere ubi neces
sitas fuit cū confirmationę chrismatis non
omisit.
GRATVM FINECESSARIVM ITER PPLIS
eu quarto anno scdm cstitutionē cano
num ministeriū suum ad implendū causā
regendi & pdicandi atq; cfirmandi dioc;

5. Purchardi gesta Witigowonis C. autogr. Carlsruhanus.

D as studui xpo. ne nos fortuna sinistro
C umpede psternat. nobis et gaudia demat
L anti pastoris. pleni celestis amoris
S cā di mater uirgo. da uota frequenter
N ato; pnobis; p uita nasq; regentis.
A c omnis scī quorū sub honore dicari.

O mnia sustinuit secum patienter & egit;
P ost modicum dns uenit fit & iste redemptus;
G loria uenit ei mox erubuere superbi;
H ic est de numero patientum damna beato.
C um dño quorum sunt regna beata polorum

6. Vita Adalheidis imp. a C. Oxoniensis Bodl.

nuntiauit romę fuisse defunctū. Et qa uir boni tes
timonii erat. dña augusta ualde illū diligebat. sic
& oms bonos diligere solita erat. Et statī ut ei obitū
audiuit. ex familiarib; q aderant unū uocauit. & ut p
eo dño preces funderet humilit̄ rogauit. & quasi in ex
cessu mentis ita exorsa ē. dicens. Qd faciā dne ut qd

G. H. Pertz scr.

6. C. reg. Paris. Suppl. 854. amissa oculoꝝ lumina recipiunt. paralitici ualitudinē corpoꝝ.
febricitantes sanant̄ ibi & ex diuersis infirmitatib; multa reparant̄
infirmi. grā & miseratione dni nri ihu xpi q regit ambitū celi
patria seloꝝ sclā. am

G. Waitz scr.

3. Vita Johannis Gorziensis C. reg. Paris S. Germain 1410. fol. 4.

TEXTVS IPSIVS YSTORIÆ

P recepta secularis doctrinę quę rhetorica dicit̄ in personis
singulis demonstrandis int̄ cetera ēē tradunt̄. ut maiores illi
us qui p̄dicandus est altius repetant̄. & ita p gradus quasi filo

G. Waitz scr.

7. Vita Adalberonis C. reg. Paris 5673. fol. 26.

apd pias diuinitatis aures interuentores
Nā beato martino Ĩferon depcabat̄
turonis. scō dionisio parisius. scō remi
gio remis. scē marię uirdum. scō petro

G. Waitz scr.

Cumque piam studiis mentem laxaret in illis,
Vidit prona pedes hominis, propius sibi stantis.
Ac commota parum, volvebat pectore multum,
Quis foret ille, suum qui conturbare secretum
Praesumpsisset, in hac hora precibus satis apta.
Fronteque de terra, modicum conversa, levato,
Aspexit iuvenem miro splendore micantem,
Indutum vestis velamine flavicomantis,
Ceu foret e pilis curvi contexta cameli;
Cuius, candori nimio pulchrae[a], faciei
Barbula parva, nigris sociata colore capillis,
Quoddam splendentis praestabat stemma nitoris.
Quem matrona videns nec[b] mortalem fore credens,
Obstupuit, mentis iuxta morem muliebris,
Procumbens subito magno terrore coacta.
Ille sed affatu[c] blando trepidam refovendo
Inquit: *Ne trepides*[d], *nec perturbata pavescas;*
Sed cognosce, gravis pulso terrore timoris,
Quis sim! Magna tibi portans solamina, veni.
Nam sum Iohannes, liquidis qui tinguere lymphis
Christum promerui. Quia nos crebro coluisti,
Nuntio[e]*: Virginibus sacris tua clara propago*
Instituet claustrum, pacem regnique triumphum,
Dum sua religio studio steterit bene regum.
Hinc tua progenies seclis quandoque futuris
Culmine pollentis tanto clarescet[f] *honoris,*
Ut terrenorum nullus tunc tempore regum
Iure potentatus illi valeat similari.
Dixerat, et subito rediens penetraverat aethra,
Linquens matronae solamen dulce benignae.
Huius magnifici decoris promissio grandis
Progeniem domnae[g] claram[h] specialiter Odae
Signavit, de qua natus dux inclitus[h*] Oddo
Sceptris Henricum regem genuit satis aptum,
Qui pater[i] augusti fuit Oddonis venerandi,
Eius qui, regis fultus virtute perennis,
Postquam Saxonum rexit patris vice regnum,
Nutu divino benedictus namque secundo,
Imperii sedem Romani dignus eandem
Ac sceptrum iuris susceperat imperialis,
Aequivocumque sui natum pariter benedictum,
Disponente pia regis bonitate perennis,
Imperii sedem conscendere fecit[k] eandem
Atque pari similis splendore frui dicionis.
Haec igitur modici demonstrat pagina libri
Plenius, e causis rerum quem scripsimus harum[1].
Nunc ad opus coeptum devote perficiendum
Est convertendus stylus noster studiosus.
Ast ubi Liudolfo fuerat venerabilis Oda
Foedere legali coniuncta, suo seniori,
Inter nostrates celebris profecerat omnes
Moribus et factis, callem gradiens pietatis;
Exemploque suae vivens matris venerandae,
Se totam Domino commendabat prece sacra,
Corde tenens matris monitum claustri faciendi.

a) pulcrae 1. *quod semper correxi.*
b) nec non 1. 1b. 4.
c) effatu 4.
d) trepidas 1. 1b.
e) Nunctio 1.
f) *ita coni.* 3. *et legit* 4. clarescat 1
g) *ita coni.* 3. domni 1. domini 1b. h) *deest* 4. h*) *ita correxi, ut etiam* silva, sidera *scripsi;* inclytus, sylva, sydera 1
i) *ita coni.* 3. patris 1. 1b.
k) *ita coni.* 3. facit 1.
1) scilicet carmen de gestis Oddonis.

Hinc nam legalem non raro sui seniorem
Exhortabatur blandis nimium suadelis,
Ut de gazarum construxisset propriarum
Sumptu[a] coenobium divinis laudibus aptum,
In quo sacrandae Domino velamine sacro
Fine tenus castae possent[b] habitare puellae
Atque vacare sui sancti famulamine sponsi.
His ergo monitis vir concedendo fidelis,
Coniugis electae precibus consenserat apte,
Ac sic communi similis conamine voti
Deservire Deo coeperunt protinus ambo.
Quîs[c] fuit ecclesiae possessio denique parvae
Trans ripas Gandae supra montana locatae,
Unde locum celebrem vocitabant Gandeshemensem.
Illic[2], obsequio Domini digne celebrando
Dum locus investigari posset magis aptus[d],
Communi[e] multas vita iunxere puellas,
Atque sui natam decreverunt Hathumodam
His habitu similem fieri, sociamque perennem.
Utque[f] puellaris rectrix fore[g] posset ovilis,
Primitus hanc ipsam reverenter ad instituendam
Tradebant abbatissae cuidam venerandae,
Quae praelatarum vice succedendo priorum,
Tunc Herifordensem sortita fuit sibi sedem.
Tali[h] divinum meditati sunt famulatum
Nisu Liudulfus coniux[i] insignis et eius.
Post haec acceptis proprii scriptis senioris,
Scilicet almifici regisque pii Hludowici[k, 3],
Eius permissu cum non modico comitatu
Romam pergebant, sanctique patris visitabant
Sedem[l] muneribus dignis precibusque benignis,
Ipsius auxilio deposcentes sua vota
Iuxta velle Dei sese persolvere posse.
Hisdem[m] temporibus possedit papa beatus
Sergius ecclesiae primatum namque regendae.
Hic ubi perlegit chartas regis sibi missas,
Sensit honore ducem summo dignum venientem,
Et perquirendo causam, qua venerat illic[n],
Affatu miti blandum se praebuit illi.
Quem, ceu pontificem summum merito venerandum,
Exorans dux Liudulfus cum coniuge pronus,
Utitur[o] his verbis tota dulcedine mixtis:
Inclite papa, tuis ne sis durus peregrinis,
Qui de longinquis terrarum venimus oris
Muneribus nostri famulatus te venerari.
Nitimur ardentis toto conamine mentis
Condere coenobium Domini sub honore sacrandum;
Unde quidem visum nobis est maxime iustum
A te consilii solamen quaerere certi
Et studium nostri tibi rite precando fateri,
Qui caput ecclesiae toto dominaris in orbe;
Quo, si forte tibi placeat devotio nostri,
Auxilium praebente tua pietate paterna,
Quod votis gerimus, factis bene perficiamus.
Ac tu[p] *— consilium nimis merito flagitamus —*

a) *ita* 1b. sumtu 1. *ubi etiam* promtus *et alia eiusmodi leguntur.* b) posent 1. c) Queis 4. d) *ita coni.* 3. aptum 1. 1b. 4. e) *ita* 3. 4. Coram 1. Co... 1b. f) *ita coni.* 3. Atque 1. 1b. g) f. rectris 1. h) Tale 1. i) coniunx 4. k) *ita* 1b. 4. Ludowici 1. *de* 2. *non liquet.* l) *ita corrigo;* Eidem 1. 1b. *quod Leibnitius pro* Aedem *scriptum et de ecclesia B. Petri sermonem esse statuit, cui Harenberg suffragans* Aedem *recepit; at de papa nostram loqui, sententiarum nexus probare videtur; cf.* „namque“ *v.* 126. *tum v.* 127. *sqq.* 136. 137. m) *ita* 1b. 4. Iisdem 1. n) ille 1b. 4. o) *ita Leibn. emendavit.* Utique 1. Ut igitur 1b p) *ita* 1. 1b. *Leibnitius legendum proponit* A te consiliumque, *quod* 4. *recepit.*

2) cf. vitam Hathumodae c. 4. 3) v. Liudulfi chartam a me editam p. 5.

Susceptis donis clementi pectore nostris,
Scilicet et regis compulsus amore perennis,
Praesta sanctorum nobis sacra pignora, quorum
Omnis coenobii constructio possit honori
Apte signari, sacris meritisque[a] *tueri.*
Utque sit absque iugo regum per secla potentum,
Nec terrenorum patiatur vim dominorum,
Hoc rectoris apostolici solum ditioni
Tradimus, ad defendendum pariterque regendum[b].
Haec dux. Et[c] summus praesul sic Sergius orsus
Inquit: *Te miti complector pectore, fili,*
Consortemque tuam pariter complector amandam,
Atque piis studiis gaudens congaudeo vestris,
Nec vobis credo fas esse[d] *negare petita.*
Hic duo rectores fuerant aliquando potentes,
Praesul Anastasius sedis sanctissimus huius,
Et coapostolicus sacer Innocentius eius;
Qui post pastorem Petrum Paulumque magistrum
Ecclesiae meritis celebres fulsere supremis;
Quorum tam magna servantur corpora cura
Actenus a cunctis huius rectoribus urbis,
Ut nec particulam quisquam subtraxerit unquam,
Pleno membrorum numero remanente sacrorum.
Sed quia iure piis concedere debeo votis[e],
Amborum[4] *vobis donabo pignora gratis,*
Corporibus sacris abscisa[e*] *patenter ab ipsis;*
Si sacramento confirmatis mihi facto,
Haec in coenobii venerari iam memorati
Fine tenus templo vestri munimine[f] *facto,*
Nocte dieque sacris illic resonantibus hymnis,
Necnon accenso praeclaro lumine semper.
Hoc et apostolici iuris, sicut et petiistis,
Coenobium nostri designamus ditioni,
Ut[g] *terrenorum sit securum dominorum.*
His dux promissis laetatus corde, verendis
Mandatis se pontificis summi fore sacris
Mox responsurum factis, inquit, studiosis,
Qui foret ecclesia dignus mox aedificanda.
Ut fert multorum sententia vere[h] scientum,
Proxima coenobio fuerat tunc silvula, cincta[i]
Collibus umbrosis, quibus et nos cingimur ipsis;
Necnon in silva fuerat sita parvula villa,
In qua Liudulfi soliti stabulare subulci,
Intra septa viri cuiusdam lassa quieti
Corpora nocturnis sua composuere sub horis,
Dum sibi commissos debebant pascere porcos.
Hic quondam, cum sanctorum venerabile festum
Esset cunctorum mox post biduum celebrandum,
Sub noctis claras tenebris ardere lucernas
In silva multas ipsi videre subulci.
His visis, cuncti mirabantur stupefacti,
Quid nova splendentis vellet sibi visio lucis,
Miro nocturnas scindens splendore tenebras;
Hocque domûs patri narraverunt tremefacti,
Demonstrando locum, quem lux perfuderat ipsum.

a) *ita coni.* 3. mentisque 1. 1b.
b) regundum 4.
c) At *Leibnitio suadente* 4.
d) *ita* 1b. f. e. c. 1.
e) *post* Amborum *distinguunt* 3. 4.
4) scilicet praesulum.
e*) abcisa 1. 1b. 4.
f) *ita* 1b. 3. numine 1.
g) Ut quidam t. 1. 1b.
h) vera *coni.* 3. 4.
i) *ita emendavit* 3; cuncta 1. 1b.

Qui visu clare[a] cupiens audita probare,
Extra tecta domus illis habitans sociatus,
Insomnem coepit noctem servare sequentem,
Non[b] claudens oculos somno suadente gravatos,
Donec succensas rursus rutilare lucernas
Aucto vincentes numero videre priores,
Ipso quippe loco, sed prisco quam prius[c] hora;
Ominis hoc signum felicis namque serenum
Ut Phoebus radios spargebat ab aethere primos,
Fit notum, fama cunctis prodente iocunda.
Nec latuisse ducem dignum potuit Liudulfum,
Aures sed citius dicto pulsaverat eius.
Ipseque sacrata festi mox nocte futuri
Observans caute, si quicquam postea tale
Coelitus ostensi monstraret[d] visio signi,
Cum multis silvam pernox conspexerat ipsam.
Nec mora, cum nebula terras nox texerat atra,
Undique silvestris per gyrum denique vallis,
In quo fundandum fuerat praenobile templum,
Ordine disposito cernuntur lumina plura;
Quae simul arboreas umbras noctisque tenebras
Clare pollentis scindebant luce nitoris.
Hinc simul astantes Domino laudem referentes,
Omnes esse locum firmabant sanctificandum
Eius ad obsequium, qui luce repleverat illum.
At dux coelesti non ingratus pietati,
Arboribus mox succisis spinisque reiectis,
Consensuque suae dilectae coniugis Odae,
Omnino vallem mundari iussit eandem;
Silvestremque locum Faunis monstrisque repletum
Fecit mundatum divinis laudibus aptum.
Hinc, quos poscit opus, prius acquirens[e] sibi sumptus,
Protinus ecclesiae construxit moenia pulchrae[g],
Quae splendor lucis designavit rutilantis.
Hac igitur causa fuerat[h] iam coepta secundo
Coenobii sub honore Dei constructio nostri.
Interea lapides structurae convenientes
Non potuere locis nancisci prorsus in illis;
Unde moram templi patitur perfectio coepti.
Abbatissa sed a Domino sperans Hathumoda
Impetrare fide credente se[i] omnia posse,
Frangebat sese nimio persaepe labore,
Nocte dieque Deo sacris studiis famulando;
Et subiectarum multis illi sociatis,
Coelitus auxilii petiit solamina ferri,
Ne non perfectum remaneret opus bene coeptum.
Nec mora, coelestem quam quaerebat pietatem
Sensit adesse[k] suis votis promptam[l] misereri.
Nam ieiunando sacris precibusque vacando
Cum prostrata die quadam iacuit secus aram,
Vocis mansuetae[m] monitis exire iubetur
Atque sequi volucrem, quam[n] iam progressa sedentem
Cerneret in saxi cuiusdam vertice magni.
Ipsaque complectens animo praecepta parato,
Egreditur, dictis credens ex corde iubentis;

a) claro *coniecit* 3.

b) Nunc 1b. 4.

c) *ita* 1b. plus 1. *fortasse* prisca *legendum*; sed prius quam prisca hora.

d) monstrarit 1.

e) adquirens 4. g) pulcre, Desiderantur versus deficiunt duo carmina 1. 1b. *Quod* 3. *de duobus versibus accepit, addens sensui nil deesse*; 4. *addit*: In manuscripto antiquiori duo versus minus recte scripti exstant, ideo cancellati. Hinc error ortus. — *Certe nihil deesse videtur.* h) *deest* 1. *adest* 1b. nisu *coniecit* 3.
i) *vox deest* 1. 1b. *extat* 2.

k) *ita* 2. ad sese 1. 1b.
l) promptum 1b.

m) dulcisonae 2. V. m. die quadam iacuit secus aram 1. 1b. *a Leibnitio correctum ut in textu.*
n) *ita* 1. quem 1b. 3. 4.

Ac cementariis secum sumptis bene gnaris,
Perrexit citius, quo duxit Spiritus almus,
Donec ad coeptum[a] perrexit nobile templum.
Illic candidulam vidit residere columbam
In designati[b] praecelso vertice saxi;
Quae mox expansis volitans praecesserat alis,
Temperat atque suum non sueto more volatum,
Posset ut[c] aereos[d] directo tramite sulcos
Cum sociis gradiendo sequi virguncula Christi.
Cumque columba locum volitans venisset ad illum,
Quem nunc non sterilem magnis scimus fore petris,
Descendens terram rostro percusserat illam,
Sub cuius lapides latuerunt aggere plures.
Quo certa[e] viso Christi dignissima virgo
Emundare locum socios praeceperat ipsum,
Tellurisque gravem fodiendo scindere molem[f].
Quo facto, praestante pia bonitate superna,
Copia magnarum monstratur multa petrarum;
Unde monasterii cum templo moenia coepti
Omnia materiam possent traxisse petrinam.
Hinc magis atque magis toto conamine mentis
Factores templi, Domini sub honore sacrandi,
Instabant operi mox nocte dieque recenti.

Sed dux Liudulfus, primus qui conditor eius
Extitit et cura cuius processit origo
Omnis structurae precibus poscentibus Odae,
Proh dolor! ad summum non duxit opus studiosum;
Sed naturalis saeva tactus nece mortis
Cogitur ante suum Factori reddere flatum, 866.
Quam perfecta domus Domini foret inclita prorsus;
Commisitque suae carae moriendo relictae,
Atque suis natis, ducibus supra memoratis,
Totius infandi[g] pondus curamque laboris,
Exorans votis ut complerent studiosis
Omnem coenobii structuram perficiendi.
Cuius in antiquo corpus venerabile templo
Tunc gremio terrae commendatum fuit apte;
Ossa sed annorum post decursus aliquorum
Sunt hac[h] in ecclesia translata locanda novella.
Forsan ad hoc[i] illum mundo Deus abstulit isto,
Dum vix[k] aetatis febres[l] tetigit mediocres,
Illustris domnae post haec ut plenius Odae
Mens intenta[m] Deo, posset tractare superna,
Expers carnalis totius prorsus amoris.
Nec tamen auxilii solamen denegat illi,
Sed praestabat opem solita pietate recentem,
Qua[n] suffulta suas posset ditescere nonnas
Omnibus his rebus, noster quibus indiget usus.
Ergo sui natam, Liutgardae[o] nomine dictam,
Nutu clementis regis praestante perennis,
Elegit clarus Francorum rex Ludowicus
Regni consortem sibimet sociamque[p] perennem,
Filius illius[5], cuius dono Liudulfus
Suscepit primum propriae gentis dominatum.

a) incoeptum *corrigit* 3.
b) *ita* 2. 3. Inde signati 1. 1b. 4.
c) Posse tunc 1. 1b.
d) aethereos 4. *deest* 1b.
e) certo *coni.* 3. *recepit* 4. *sed ad* virgo *referendum est, metro licet invito.*
f) *Primo ita eandem sententiam extulerat poeta:* Et molem terrae circumfodiendo secare.
g) infantis 1. 1b. ingentis *coni.* 3. *recepit* 4.
h) ibi 4.
i) *ita coni.* 3. adhuc 1. 1b.
k) ae. v. 1.
l) fines ... mediocris *coni.* 3.
m) *ita* 1b. intentata 1.
n) *ita* 1b. Quae 1.
o) lutgardae 1. luitgarda 1b.
p) *ita coni.* 3. sacramque 1. 1b.
5) Hludowici Germanici.

Quae regina quidem nobis ad prosperitatem
Facta, suae dignum sanctae matri famulatum
Praestat, opem[a] regis praebens, proprii senioris,
Multaque[b] coenobio promisit commoda nostro[c].

Interea Christi virgo felix Hathumoda,
Cum gregis undenos curam bis gesserat annos, 874.
Ocius in Christo moriens transivit ad astra,
Gerbergae tenerum commisit ovile regendum.
Haec fuit illustri cuidam nimiumque potenti
Desponsata viro, Bernhardo[d] nomine dicto;
Sed sese Christo clam consecraverat ipsa
Coelesti vere[e] sponso velamine sacro,
Omnino sponsum spernens animo moriturum.
Nec tamen extemplo, pro seditione cavenda,
Auro fulgentes potuit deponere vestes,
Induitur solito sed vestitu pretioso.
Interea venit, quem sponsa Dei reprobavit,
Uti colloquiis eius quaerens manifestis.
Audivit vero, votum quia fecerit ipsa,
Velle puellarem caste servare pudorem.
Quae cum tardaret cito nec procedere vellet,
Quod prius audierat, verum fore valde timebat;
Impatiensque morae domnam[e*] precibus placat Odam,
Donec ipsa suam iussit procedere natam,
Ornatam pulchre cultu vestis pretiosae,
Necnon gemmatis sponsarum more metallis.
Ast ubi Bernhardus vidit, quam desideravit,
His verbis caram causari fertur amicam:
Non raro didici, fama procedente sinistra,
Quod tu[f] nitaris[g] nostrum disrumpere pactum
Et fidei foedus servandum solvere prorsus.
At nunc ad bellum citius properare futurum
Praecepto regis cogor, nostri senioris.
Hinc tempus quod nunc[h] non est hoc discutiendi,
Si redeam certe sospes, comitante salute,
Scito procul dubio, quod te mihimet sociabo
Atque tui votum penitus pessumdabo vanum.
Dixerat, et dextra, permotus mente, levata,
Iurat per gladium, per candidulum quoque collum,
Iuxta posse sui factis praedicta repleri.
Respondens ergo Gerberg ait ore modesto:
Christo me totam committo meam quoque vitam,
Utque fiat de me iuxta Domini, rogo, velle.
His ita colloquiis mutuo sermone peractis,
Bernhard[i] mox abiit, casuque suo cito sensit,
Nil contra Dominum quemcumque valere superbum;
Et quia plus iusto deliquit inania fando,
Decidit in bello victus virtute superna.
Ac Christi virgo sponsi coelestis amori
Se mox coniunxit, quem caste semper amavit.
Cuius primatus sexto, ni fallor, in anno 880
Brun dux, ecclesiam promptus defendere sanctam,
Incursu de saevorum satis Ungariorum[6]
Proh dolor! ex ipsis Domini pravis inimicis

a) *Ita* 3. *lacunam explevit.* Et nato 4. *coniicit.* P. o. *desunt* 1. 1b.
b) *ita* 3. *lacunam explet.* Plurima 4.
c) nostra 1. 1b.
d) Bernrado 3. *correxit. ex* 2. *ubi tamen et* Garburgis *legitur.*
e) *ita* 3. Coelesti fera 1. 1b.
e*) dominam 1. 1b.
f) te 1. 1b.
g) nitans 1b.
h) quodni 1. 1b. quoniam *coni.* 3. 4.
i) Bernhrad 2. 3.

6) Nordmannorum, cf. Ann. Fuld. a. 880.

Occiditur, binis cum praesidibus venerandis, 880.
Omnibus atque viris propriae pariter legionis.
Quo mox occiso, iunior frater suus[a] Oddo
Dux factus populi dono regis Hludowici,
Respondit factis sanctae voto genetricis,
Ac studio simili concordans nititur illi
Cultibus ecclesiam dignis ornare novellam,
Quae post haec anno fuerat sacranda secundo.
Moenia coenobii perfecit[b] omnia nostri,
Commoda mansuris illic per secla puellis.
His bene perfectis, iuxta praecepta parentis 881.
Eligitur, domna[c] poscente videlicet Oda, Nov. 1.
Ipsa dies templo condigne sanctificando,
In cuius noctis medio quam pluribus illo[d]
Tertio conspicuae quondam fulsere lucernae,
Et quod[e] cunctorum pariter venerabile festum
Sanctorum vasti[f] fuerat per climata mundi,
Principio mensis celebrandum rite Novembris.
Hac fama templi passim resonante[g] sacrandi,
Undique permultae mox confluxere catervae,
Optantes diei praesentes esse celebri.
Scilicet aurorae primo candore micante,
Omnis nostrarum collectim[h] turba sororum,
Susceptis patronorum gratulando piorum
Corporibus sacris, pergit resonantibus hymnis
Ad loca coenobii summo conamine structi.
Tunc tandem cunctis ad cultum rite paratis
Festi, Wichbertus praesul[7] Domini benedictus
Dedicat hoc templum Domini sub honore decorum
Omnibus ad laudem sanctis per secla perennem,
Quorum nunc festum digne fuerat celebrandum.
Hoc[i] nam facta fuit clari sacratio templi,
Centum mansuris octo vicibus revolutis
Octonis denis, uno pariter superaucto,
Postquam virgo puellaris sine sorde pudoris
Seclorum regem peperit propriumque[k] parentem.
Tunc coepere locis primum silvestribus illis
Carmina divinae laudis clare resonare.
Exin[l] et illius nostri collectio coetus
Illic permansit Domino iugiter famulando.
Et licet abbatissa gregem Gerberga recentem
Caute servaret[m] crebris monitisque doceret[n],
Conservare suae fuerant[o] quae congrua vitae
Contra propositum nec quid patrare profanum,
Domna tamen conversando[p] venerabilis Oda
Intra claustra monasterii cura vigilanti
Scrutatur coniunctarum persaepe sororum
Actus et studium, mores, vitae quoque cursum,
Ne vel, contempta[q] maiorum lege sequenda,
Vivere lege sua reprobe[r] praesumeret ulla,
Vel locus illiciti foret ullius[s] peragendi,
Exemploque suo praemonstravit[t] facienda.
Et ceu prudentis[u] dulcis dilectio matris
Nunc terrore suas prohibet delinquere natas,
Nunc etiam monitis bona velle suadet amicis,

a) i s f. 1
b) p. et o *coni.* 3. *ex* 2.
c) *ita corrigo; cf. v.* 410. domina 1. 1b.
d) illic *coni.* 3.
e) *ita* 3. quid 1. 1b.
f) fasti 1.
g) resonate 1. 1b.
h) *ita* 3. collectum 1. 1b.
7) Hildenesheimensis.
i) *scil.* festo.
k) *ita coni.* 3. propriamque 1. 1b.
l) Exin est 1. Exin et 1b. ex tunc 2. E. i. n. est c. 4.
m) *ita* 3. seruare 1. 1b.
n) *ita* 3. docere 1. 1b.
o) fuerat 1.
p) conseruando 1.
q) concepta 1. 1b.
r) reprobo 3.
s) *ita* 3. illius 1. 1b.
t) pmonstravit 1.
u) pudentis 1.

Sic haec sancta suas caras instruxit alumnas,
Nunc dominatricis mandando iure potentis,
Nunc etiam matris mulcendo more suavis,
Quo[a] vita simili cunctae[b] communiter uni
Servirent regi, iubilant cui sidera coeli.
Praeterea quas maternae pietatis amore
Nutrivit vere, magno veneratur honore,
Has ipsas vocitando suas saepissime domnas.
Nam quoties neptes[c] eius proceresque nepotes,
Quos praepollentis decus extollebat honoris,
Eius ad implendum convenerunt famulatum,
Certantes donis illam donare coruscis,
Regis ut illustrem socrum propriamque parentem,
Illos mox verbis affari dicitur istis:
Exortans moneo vos, o mea pignora cara,
Ut maturetis condignis primulae[d] *vestris*
Muneribus nostras large ditescere domnas,
Hic servire piis debent quae sedulo nostris
Patronis, quorum meritis, precibus quoque sacris
Successus nobis optatae prosperitatis
Necnon regalis decus accedebat honoris.
Hac ratione suam stirpem persuaserat omnem
Erga coenobii cultum pie sollicitari.
Et loca, quae generi dono regis Hludowici
Possessura quidem proprium suscepit in usum,
Permittente sua pariter pietate benigna,
Ecclesiae tradi faciebat Gandeshemensi.
Nec rex ipse locum sublimavit minus illum,
Liudgardis pia reginae bonitate precante;
Sed tradens illi[e] largitur praedia multa[8]
In ius Gerbergae, nostrae rectricis amandae,
Ipsius illustris reginae namque sororis.
Quem[f, 9] rex Arnulfus, successor scilicet huius,
Posthac per scriptum regali iure statutum
Firmat, vinetis eius dono superauctis;
Ac sic coenobio succedunt prospera plura,
Summorum meritis intercedentibus almis
Pontificum, quorum constat sub honore dicatum.
Sed ne plus iusto fragiles extollere mentes
Suaderet talis[g] successus prosperitatis,
Utque probaretur felix nostri dominatrix,
Vere iudicii salubris censura superni
Perplures horum mundo subtraxerat isto,
Quorum coenobium fuerat solamine fultum.
Ergo rege pio iam defuncto Hludowico[h], 882.
Qui regum[i] primus nostros tradebat in usus
Regali prius obsequio loca debita multa,
Necnon chyrographis eius sub nomine scriptis
Iura monasterii firmaverat omnia nostri[10];
Eius post annos discessus denique paucos
Liudgardis regina, sui dignissima regni
Consors, tantorum quae nobis causa bonorum
Extitit, e[k] mundo discessit proh dolor! isto
Non sine nostrarum magno rerum detrimento.
Cuinam consimilis successit causa doloris,

a) Quod 1b. b) *ita coni.* 3 cuncta 1. 1b.
c) neptis 1b. 4.
d) primula 1b. 4.
e) illi 1. 1b. illo *corr.* 3.
8) a. 877. Ianuar. 26. Orig. Guelf. IV. 377.
f) Quae *coni.* 3. Cui 4.
9) scil. *locum.*
g) Suadent tales 1b. 4
h) Ludowico 1.
i) regem 1b. 4.
10) a. 877. Ianuar. 26. Orig. Guelf. IV. 370.
k) Exiit e 1. Exstitit in 1b.

Abbatissa bonis Gerberg quia dedita curis,
Quae praedictorum suffulta iuvamine regum,
Necnon reginae germano foedere iunctae[a]
Coenobium donis ornavit saepe coruscis,
Usibus et quaestum nostris superaddidit amplum,
Postquam bis denos binos quoque praefuit annos,
Officio vice rectricis perfuncta prioris,
Deposito[b] fragilis mortali pondere carnis,
Factori flatum reddebat ab aethre receptum; 896.
Orbatumque sui dimisit ovile sorori
Christinae procurandum sancteque tuendum.
  Quae praefatarum mores sectando sororum
Atque sui vitam bene praemeditando gerendam,
Illis fit similis magnae forma probitatis,
Quîs[c] fuit aequalis provectu[d] nobilitatis.
Mater et illius, stabilem corrumpere cuius
Mentem nullarum potuit mutatio rerum,
Quo minus obsequio Domini fieret studiosa,
Provocat exemplis illam, monitis quoque crebris,
Ut sese semper circumspiciens sapienter[e],
Commissum caute sibimet servaret ovile,
Necnon factorum iuxta meritum[f] variorum
Nunc pie subiectas monitis mulceret amicis,
Nunc etiam verbis iuste terreret acerbis,
Ne quem divini ritum cultus violari
Torpens affectus cordis permitteret eius.
Ipsaque domna sui studio laudabilis Oda,
Quae claris splendens radiis mirae bonitatis,
Sat dilecta Deo fuerat, celebris quoque mundo,
Semper maternae solito pietatis amore
Eius adoptivis studuit conquirere natis,
Quicquid nonnarum deposcere sciverat usum;
Oddonisque[g] ducis clari devotio grandis
Concordando suae votis[h] carae genitricis,
Auxilio regum, quibus exhibuit famulatum,
Ipsum virgineum coetum[i] Christi famularum
Fovit clementer, necnon provexit amanter.
Nec propriae vitae compelli quivit amore,
Ut vel eas damno laedendo tangeret ullo,
Vel minus impleret, quae mater digna iuberet.
Ac sic concessae sibimet per tempora vitae
Omni ferventis studuit conamine mentis
Coenobio patronorum praebere suorum
Ipsius auxilii semper tutamina certi;
Nec vice terribilis metui petiit[k] senioris,
Sed bene mansueti genitoris ad instar amari.
Unde loco non immerito permansit in illo
Hactenus insignis laus illius pietatis.
Nos quoque permotae tantae dulcedine famae,
Necdum maternis quae tunc erupimus[l] alvis,
Sed fuimus vere longo post tempore natae,
Haut[m] minus illius constanter amore flagramus[n],
Quam qui praesentem contemplabantur eundem
Atque suae donis ditabantur pietatis.
  Hic igitur talis praeclarae vir pietatis,

a) iuncta 4.
b) Deposita 1 1b. 4.
c) *ita coni.* 3. Qui 1. 1b. Queis 4. d) provecta 1. 1b. profectu 3.
e) sapientem 1. 1b. 3. 4.
f) mentem 1b. 4.
g) Ottonisque 1. 2.
h) *ita* 3. vocis 1. 1b.
i) castum 1.
k) *ita* 1b. 4. potuit 1. 3.
l) *ita coni.* 3. nunque rumpimus 1. nunquam rumpimus 1b.
m) Hanc 1. n) flagrari 1.

Qui pius[a] urbicolis tribuit bona talia nostris,
Morte sui matrem nostri domnamque potentem
Praeveniendo prior, vetiti pro crimine pomi[b],
Quod protoplastes degustavere parentes,
Exuitur membris limoso stamine textis,
Proh dolor! atque seris clausit sua lumina[c] mortis, 912. Nov. 30.
Coetu nostrarum circumvallante sororum
Pernimio domni fletu lectum morituri.
Cuius ad exequias summo nisu celebrandas
Undique nostrates[11] confluxerunt lacrimantes[c*],
Atque sui lethum cari senioris amarum
Omnes immodicis pariter flevere lamentis.
Sed luctum procerum, vulgi pariterque lamentum,
Vicit nonnarum miseranda querela suarum;
Quae pro defectu mentis[d] solito muliebris
Vivere spernentes, citiusque mori cupientes,
In lacrumando modum voluerunt ponere nullum.
Hinc patris eiusdem cari dominique benigni
Corpus per triduum conservabant inhumatum,
Ceu sese lacrimis sperarent posse refusis
Extincti flatum citius revocare reductum.
Tandem consilium sapiens satis advenientum
Decernens vanae[e] spei debere reniti,
Ocius in tumulo non absque dolore parato,
Sed luctu nimio circumstantium[f] madefacto,
Membra ducis tanti digne servanda locari
Fecit in ecclesiae medio, quam struxerat ipse.
Illic nostrarum studio certante sororum,
Continuis precibus dilectus spiritus eius
Semper Celsithroni[g] commendatur pietati,
Quo det[h] ei requiem clemens sine fine perennem.
Scilicet ante dies octo totidem quoque noctes,
Quam ducis occasus miserabilis accidit huius,
Ipsius nato, regi quandoque futuro,
Nascitur Henrico famosus filius Oddo,
Qui fuit electus regis pietate perennis
Primus Saxonum rex post patrem strenuorum,
Augustus Romanorum pariterque potentum.
Mensibus hinc senis cursu volitante peractis, 913. Mai.
Dum decus hoc tanti[i] clarum generis fuit ortum,
In quo laeta procul dubio promissa repleta
Christi baptistae creduntur primitus esse,
Istius exiguae quae mox in vertice Musae
Aedae[k] namque suae memini fore dicta parenti,
Oda nimis felix, nostri spes et dominatrix,
Quum decies denos septem quoque vixerat annos,
Vitam fine bono consummans[l] transit ad astra,
Exspectans spe felici tempus redeundi
Flatus, atque resurgendi de pulvere pleni
Corporis in tumulo, quod nunc sub tegmine duro
Iuxta natarum requiescit busta suarum.
Nec Christina, suis quae sola remansit alumnis, 919.
Iam tunc instantis grandis dulcedo doloris,
Plus quam bis ternos post matrem vixerat annos;
Sed reddens animam, Factore vocante, beatam,

a) prius 1.
b) poni 1b. 4.
c) *ita* 1b. limina 1.
11) Saxones.
c*) lacrymantes 1.
d) *ita* 3. meritis 1. 1b.
e) *ita* 3. variae 1. 1b.
f) circumstantum 4.
g) celsithronae 4.
h) *ita* 3 Quod et 1. 1b
i) *ita* 3 hortanti 1. 1b.
k) *ita* 4. Adae 1. 1b.
l) *ita corrigo;* consumens 1. 1b. 4.

Iungitur in lucis patria pacisque perennis
Eius germanis, quarum pollebat honoris
Heres et sanctae sectatrix inclita vitae.
Quas matri cunctas in coelo consociatas,
Alme Pater, tecum praesta gaudere per aevum[a],
Illius[b] boni mercede perenniter uti,
Quod retro cuncta tuis servasti secula caris,
Quo te cum Nato necnon cum Flamine sacro
Solum rectorem coelestibus imperitantem
Dulci[c] laetitiae laudemus[d] voce iocundae.

a) *ita coni.* 3. eum 1. 1b.
b) Illiusque 3. 4.
c) Dulces 1b. 4. d) *ita* 3. laudantes 1. 1b.

CARMEN DE GESTIS ODDONIS I. IMPERATORIS.

Gerbergae illustri abbatissae, cui pro sui eminentia probitatis haut minor obsequela venerationis, quam pro insigni regalis stemmate generositatis, Hrotsuit Gandeshemensis, ultima ultimarum sub huiusmodi personae dominio militantium, quod famula erae[f].

O mea domna, quae rutilanti spiritalis varietate sapientiae perlucetis, non pigescat vestri almitatem[g] *perlustrare, quod vestra*[h] *confectum non*[i] *ignoratis ex iussione. Id quidem oneris mihi inposuistis, ut gesta caesaris augusti, quae nec auditu unquam affatim valui colligere, metrica percurrerem ratione. In huius sudore progressionis quantum meae insciciae difficultatis obstiterit, ipsa coniicere*[k] *potestis; quia haec eadem nec prius scripta repperi, nec ab aliquo digestim*[k*] *sufficienterque dicta elicere quivi, sed veluti si aliquis nescius ignoti per latitudinem saltus iturus, ubi omnis semita nivali densitate velaretur obducta, hicque nullo duce, sed solo praemonstrantium nutu inductus, nunc per devia erraret, nunc recti tramitem callis inprovise incurreret, donec tandem emensa arboreae medietate spissitudinis, locum optatae comprehenderet quietis, illicque gradum figens, ulterius progredi non praesumeret, usque dum vel alio superveniente induceretur, vel praecedentis vestigia subsequeretur, — haut aliter ego magnificarum prolixitatem rerum iussa ingredi, regalium multiplicitate gestorum nutando et vacillando aegerrime transcurri*[l]*, hisque admodum lacessita, competenti in loco pausando silesco, nec augustalis proceritatem excellentiae sine ducatu appono subire. Si enim facundissimis dissertissimorum sententiis, quas vel modo scriptas vel otius de his rebus non dubito fore scribendas, fuerim animata, fortasse nanciscerer unde mei rusticitas velaretur aliquantisper. Nunc autem omne latus tanto magis caret defensione, quanto minus ulla fulcitur auctoritate; unde etiam vereor, me temeritatis argui tendiculasque multorum non devitare convitii, eo quod pompis*[m] *facetae urbanitatis exponenda eloquentius, praesumpserim dehonestare inculti vilitate sermonis. Si tamen sanae mentis examen accesserit, quae res recte pensare non nescit, quanto sexus fragilior scientiaque minor, tanto venia erit facilior; praesertim cum non*[n] *meae praesumptionis, sed vestrum*[o] *causa iussionis huius stamen opusculi coeperim ordiri. Cur tamen aliorum iuditia formido, quae vestri solummodo censurae, si quid fefelli, obnoxia existo? vel cur nequeam devitare convicia, quae solummodo silentio studere debeo, ne si seriem pro sui vilitate nulli ostendendam velim propalari, merito omnium succumbam reprehensioni*[p]*? Vestro autem vestrique familiarissimi, cui hanc rusticitatem sanxistis praesentatum iri, scilicet archipraesulis Wilhelmi, iudicio, quoquomodo factum sit, aestimandum relinquo.*

f) *i. e.* herae. g) almiē 1. h) *ita Reuber.* uestro 1. i) *ita* 2. si 1. k) *ita* 1. k*) *ita* 2. digestum 1. l) *ita legendum esse videtur;* transcurre 1. transcurro 2. m) pomposis 1. verbis pomposis 2. n) *ita* 2. si 1. o) *ita* 1. vestrae *Reuber.* p) represensioni 1.

AD ODDONEM I. IMP.

Pollens imperii regnator caesariani
Oddo, qui regis pietate fovente perennis
In sceptris augustalis praeclarus honoris
Augustos omnes superas pietate priores,
Quem plures gentes passim metuunt habitantes,
Muneribus variis Romanus donat et orbis:
Exiguum munus ne spernas carminis huius,
Iste sed oblatus laudum placeat tibi census,
Quem postrema gregis solvit tibi Gandeshemensis,
Quem dulcis patrum collegit cura tuorum,
Continuumque tibi debet studium famulandi.
Forsan gestorum plures scripsere tuorum
Et sunt scripturi post haec insignia multi;
Sed non exemplum quisquam mihi praebuit horum,
Nec[a] scribenda prius scripti docuere libelli,
Causa sed est operis tantum devotio mentis.
Haec et ad audendum suadebat opus metuendum;
Nam sat formido, quod gesta tui modulando
Incaute sim falsa sequens, non vera retexens;
Sed non hoc suasit mala mis[b] praesumptio mentis,
Nec summa veri contempta sponte fefelli;
Sed res ut scripsi sese sic prorsus habere
Ipsi dicebant mihi, qui scribenda ferebant.
Hinc augustalis pietas non spernat, honoris
Quod simplex humilis gessit devotio mentis.
Et cum te libri laudantes congrue multi
Post haec scribantur[c] meritoque placere probentur,
Ordine postremus non sit tamen iste libellus,
Quem prius exemplo constat scriptum fore nullo.
Et licet imperii teneas dęcus Octaviani,
Non dedigneris vocitari nomine regis,
Donec perscripto vitae regalis honore,
Ordine digesto necnon sermone decoro
Dicatur sceptri decus imperiale secundi.

a) *ita recte edd.* Hec, *littera* H *rubra* 1.

b) *i. e.* mei.

c) *ita* 1. *et Schurzfleisch.*

AD ODDONEM II. IMP.

Oddo Romani praefulgens gemmula regni,
Oddonis flos augusti splendens venerandi,
Cui rex altithronus, perpes quoque filius eius,
Praestitit imperium pollens in vertice rerum:
Vilem ne spernas vilis textum monialis,
Quem praesentari, si digneris reminisci,
Ipse tui claris iussisti nuper ocellis,
Et cum perspicias maculis sordescere crebris,
Ad celerem[d] tanto veniam mox pronior esto.
In monstrando, tuis quantum plus pareo iussis,
Si tis[e] praecepto non urgerer metuendo,
Non foret ullo[f] modo mihimet fiducia tanta,
Ut tibi praesentis scrutandum rusticitatis

d) scelerem *corr.* celerem 1.

e) *i. e.* tui.

f) *ita* 1 *et Schurzfl.*

Auderem[a] satis exiguum praeferre[b] libellum;
Qui praestante Deo patri subiunctus in aula,
Ipsius et monitis[c] promptus parere paternis,
Par decus imperii retines concorditer ampli,
Conportans dextra sceptrum regale tenella.
Sed quia te memini sublimiter assimilari
Nato famosi regis David Salomoni,
Qui genitore suo praesente iubenteque sancto
Optata regnum suscepit pace paternum,
Ipsius exemplo te contentum fore spero;
Qui cum regnando resideret in arce superba,
Prudenter legum condens decreta sacrarum
Ac penetrans animo rerum secreta profundo,
Nunc libet et minimis mentem laxare rimandis,
Sed nec conflictum fastidit rite duarum
Solvere iuditii celeri discrimine recti,
Prolem restitui verae mandans genitrici.
Hinc supplex te posco quidem nostrum Salomonem;
Et licet imperii tenearis sollicitandi
Cura, digneris tamen et propriae monialis
Ludendo[d] seriem nunc lectitare recentem,
Quo male compositis verbis mox decidat omnis
Rusticitas, oris detractibus imperialis[1],
Nominis et titulo signata tui venerando
Despectus nimia meriti tueantur ab aura.

a) Audarem 1. b) perferre *edd.*
c) *ita* 2. monitus proptus parare 1.
d) *ita corrigo;* Lugendo 1. Transcurrens *correxit* 2.
1) *i. e.* detracta aspectu regis.

Postquam rex regum, qui solus regnat in aevum 919.
Per se cunctorum transmutans tempora regum,
Iussit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum[e], nomen habentem
A saxo per duriciam mentis bene firmam,
Filius Oddonis magni ducis et venerandi,
Scilicet Henricus, suscepit regia primus
Fausto[f] pro populo[g] moderamine sceptra gerenda.

Hic pollens quantae fuerat bonitatis honore,
Et quanta populos rexit pietate subactos,
Qualiter et reges meritis tunc temporis omnes
Praeminet eximiis, excedit denique vilis
Huius carminuli textum nimium viciosi.
Nam fuit immitis reprobis, blandus quoque iustis,
Summo conservans studio legalia iura,
Aequa satis meritis reddens quoque praemia cunctis.
Huic rex pacificus dederat de sidere[h] Christus
Eius civilem vitae per tempora pacem;
Omine felici tenuit quoque culmina regni,
Ni fallor, denos labentis temporis annos
Necnon bis ternos multum feliciter actos,
Conregnante sua Mathilda coniuge clara,
Cui[i] nunc in regno non compensabitur ulla,
Quae posset meritis illam superare supremis.

e) saxorum *corr.* saxonum 1.
f) Iusto *correxit et edidit* 2. g) populi *Meib.*
h) dessidere *corr.* de sidere 1.
i) Qui 1. *correxit* 2.

Trina quibus Deitas dederat tres denique natos,
Iam tunc, felici disponendo pie genti,
Ne post Henrici mortem, regis venerandi,
Imperium regni male surriperent scelerosi,
Hi sed regalis nati de germine stirpis
Rexissent regnum concordi pace paternum;
Quamvis dissimiles his servarentur honores,
Binis regnanti subiectis scilicet uni.

Inter quos primus fulsit ceu lucifer ortus
Oddo, micans radiis nimium clarae bonitatis,
Gratia quem regis solita pietate perennis
Rectorem plebi praevidit rite fideli.
Hic aetate prior fuerat, meritis quoque maior,
Congruus et sceptris defuncto patre gerendis.
Non opus est, verbis eius summam probitatis
Dicere, vel pueri meritum laudabile tanti,
Cui Christus talem iam nunc augescit[a] honorem,
Possidet ut Romam pollenti iure superbam,
Quae semper stabilis summum fuerat caput orbis,
Edomat et gentes, Christo favente, feroces,
Quae prius ecclesiam laniabant saepe sacratam.
Post hunc Henricus fuerat feliciter ortus,
Inpositoque patris famosus nomine regis,
Provida quem domini pariter sapientia Christi
Dignatur[1] servare ducem populo bene fortem,
Belliger ut fortis, belli doctissimus artis,
Fortiter ecclesiam praemuniret venerandam,
Ceu murus iaculis obstans fortissimus hostis.
Post hunc aecclesiae pastor Brun nascitur almae,
Gratia pontificis quem duxit summa perennis
Dignum catholici curam gestare popelli;
Hinc quoque divino nutu patris pia cura
Ipsum[b] servitio Christi fecit religari[c],
Abstractum gremio carae nutricis amando,
Ut regni pompis posset constare relictis
Miles stelligerâ semper regnantis in aula.
At Christus, Patris sapientia vera perennis,
Tironem refovendo suum clementius istum
Ipsi dona dedit tantae praeclara sophiae,
Quod non est[2] illo penitus sapientior ullus
Inter mortales fragilis mundi sapientes.

His igitur pueris regali more nutritis, 929.
Ipsorum patri famoso denique regi
Henrico placuit, factis quod rite replevit,
Ut, vitae calidas sospes dum carperet auras,
Ipse suo primogenito regique futuro
Oddoni dignam iam disponsaret amicam,
Quae propriae proli dignę posset sociari.
Hanc non in proprio[d] voluit conquirere regno,
Trans mare legatos sed transmisit bene cautos
Gentis ad Anglorum terram sat deliciosam,
Demandans, ut continuo cum munere[e] misso
Aedwardi regis natam peterent Eaditham,

a) augessit 1.
1) *i. e.* dignata est.
b) *Meib. versui huic sequentem praemittit.*
c) religali 1.
2) an loco *fuit?* Praesens supra v. 49. usitatum dubium facit, utrum hic de vivo an de iam defuncto Brunone sermo sit.
d) propria 1.
e) *ita restituo;* commune 1; tardamine 2.

Quae patre[1] defuncto iam tunc residebat in aula, 929.
Fratre[2] suo regni sceptrum gestante paterni;
Quem peperit regi consors non inclita regni,
Istius egregiae genitrix clarissima domnae,
Altera sed generis mulier[a] satis inferioris[3].

Haec nam versiculis proles quam scriptito regis,
Haec, inquam, fama cunctis fuerat bene nota;
Nobilitate potens, primis meritis quoque pollens,
Edita magnorum summo de germine regum.
Cuius praeclaro facies candore serena,
Regalis formae miro rutilabat honore;
Ipsaque perfectae radiis fulgens bonitatis,
In patria talis meruit praeconia laudis,
Ut fore iuditio plebis decernitur omnis
Optima cunctarum, quae tunc fuerant, mulierum.
Nec mirum meritis si lucebat bene primis,
Germen sanctorum quam producebat avorum;
Hanc tradunt ergo natam de stirpe beata
Oswaldi regis, laudem cuius canit orbis,
Se quia subdiderat morti pro nomine Christi[4].

At regis nostri venientes denique missi
Ad fratrem domnae iam tunc residentis in arce,
Illi nudabant, quaecumque secreta ferebant.
Quae sibi percerte comperta satis placuere,
Moxque suae dulci narrabat voce sorori,
Exortans illam regi parere fideli,
Illam qui propriae proli voluit sociari.
Cumque suae monitis menti instillaret amicis
Oddonis dulcem, pueri regalis, amorem,
Collegit innumeras summo conamine gazas.
Ast ubi collecti visum fuerat satis ipsi,
Praedictam sociis domnam comitantibus aptis
Trans mare percerte summo direxit honore,
Condonans illi gazas nimium preciosas.
Necnon germanam secum transmisit Adivam[5],
Quae fuit aetatis meriti pariterque minoris,
Quo sic maiorem prorsus conferret honorem
Oddoni, nato famosi regis amando,
Egregie binas stirpis mittendo puellas,
Ut sibi quam vellet sponsam licito sociaret.
Aspectu primo sed mox Eadit veneranda,
Iure placens cunctis habitu[b] summae bonitatis,
Regali nato censetur congrue digna.
Haec illi dulcem peperit clarissima prolem
Nomine Liudulfum, tantis genitoribus aptum,
Quem populus merito dilexit amore tenello,
Exoptans prolongari vitam satis ipsi.

Histis sic habitis, instabat denique finis 936.
Henrici regis, cuius mortem gemit omnis
Illius imperio populus iurique subactus.
Quo nam defuncto, regnum susceperat Oddo,
Eiusdem primogenitus regis venerandus,

1) Eadwardo.
2) Aethelstano.
a) milier 1.
3) Ecgvina; mater Eadgithae fuit Aelfleda.
4) cf. Bedae hist. Angl. III. 2 -9.
5) cf. Willelmi Malmesb. et Ingulphi narrationes.
b) habitus 1.

Et voto cuncti iam respondente popelli, 936.
Unguitur in regem, Christo praestante, potentem.
Cui rex gratiolae coeli munuscula tantae
Contulit, ut digne cunctis celeberrimus ipse
Gestorum reges fama praecelleret omnes,
Oceanus refluis quos iam circumfluit undis.
Insuper e tantis ipsum sacra dextra potentis
Protegit insidiis occulta fraude paratis,
Et tam magnificis ornat persaepe triumphis,
Ut credas, regem David regnare fidelem,
Iam nunc antiquis fulgentem rite triumphis.
Nec solum gentes frenis moderat bonitatis,
Quae prius imperio patris dederant sua colla,
Sed multo plures certe sibi vindicat ipse,
Subdens gentiles Christi servis ditiones,
Quo pax ecclesiae fieret[a] stabilita sacratae.
Ad bellum certe quoties processerat ipse,
Non fuit[b] populus, quamvis virtute superbus,
Laedere qui posset vel exsuperare valeret
Ipsum coelestis fultum solamine regis;
Eius nec cessit telis exercitus ullis,
Ni sua spernendo forsan regalia iussa
Illic pugnaret, quo rex idem prohiberet.

At dux Henricus, frater regis venerandus,
Princeps in regno fuerat tunc nempe quieto
Post regem, plebi merito venerabilis omni;
Qui sibi condigne legali iunxit amore
Arnulfi natam, ducis egregii, generosam,
Nomine Iudittam, vultus splendore coruscam 938
Ac fulgore magis cunctae nitidam bonitatis.
His ita digestis, fuerat pax undique nostris
Ad tempus modicum libitoque minus populorum,
Bellorum certe saevo clangore tacente.

O quam tranquillum ridens deduceret aevum
Fortunata satis nostrae res publica gentis,
Quae nimis imperio regis regitur sapientis,
Si non antiqui mala calliditas inimici
Turbaret nostrum secreta fraude serenum!
Denique devictis aligenorum[c] bene telis,
Exoritur nostris subito discordia fortis,
Laeserat et plebem bellum civile fidelem
Plus quam bellorum structura frequens variorum.
Huius causa mali fuerat non parva dolendi
Denique conflictus quorundam non moderatus,
Ex quibus Henrico quaedam pars mente benigna
Devovit regis fratri[d] ius vernulitatis,
Pars Evurhardo comiti studium famulandi.
At cum quisque sui peteret solamina domni,
Hinc gravior dominis discordia nascitur ipsis.
Tandem percerte conflictu progrediente,
Praedictus praeses male collectas legiones
Mox ad castellum Baduliki[1] capiendum
Ex inproviso mittens sub nocte nigella,

a) fiere 1.
b) Nullus erat 2.
c) alienigenûm 2.
d) *ita* 2. regi fratris 1.

1) Belike, e meridie civitatis Lippstadt.

Duxit captivum fratrem regis generosum, 938.
Henricum, vinclis palmas stringendo cruentis
Eius candidolas, ornamentis magis aptas;
Atque suas gazas disperdens innumerosas[a],
Ad sua mox prolem secum deduxit herilem,
Utitur ut socio proprii domini quoque nato.
Quo rex comperto, moerens sub corde secreto,
Deflevit tristis nimium miserabile factum;
Vix quoque germani damnum paciens grave cari,
Nobile mox Abrahae factum sequitur patriarchae,
Quod miserans egit dum Loth ex hoste redemit;
Militibusque suis summo conamine lectis,
Necnon inmodica tota de gente caterva,
Pompa regali pergit solamina fratri
Ferre, sub ingenti cordis languore, dolore[b].
Nec mora, quem venit fratrem refovere, redemit,
Auctores tanti condempnavitque piacli,
Suspendens quosdam ligno reprobis reparato,
Quosdam de patria mandans discedere cara.

His bene dispositis regis iussu sapientis, 939.
Protulit antiqui rursum mala fraus inimici
Inventum sceleris primo mage deterioris[c],
Cunctis horrendum seclis[d] meritoque stupendum.
Denique praedictus postquam rediens Evurhardus
Praeses ab exilio, patriam remeabat[e] amandam,
Hoc sibi graciola regis praestante benigna,
Gislberhto comiti vinclis sociatus amoris,
Consilium dederat, quod non tibi Christe placebat!
Ut caperent iustum regem Domini benedictum,
Et quod plus, iusto non iustam vim faciendo,
Illum mox proprio deprivarent male regno.
Hoc quoque consilium perversa mente repertum
Henrico regis fratri suasere fideles,
Mulcentes nimium verbis ipsum male blandis,
Quo prius illatum nollet iam reddere damnum,
Ipsorum votis sed plus parendo nefandis,
Susciperet regnum, depulso fratre, regendum.
Qui male blanditis tandem victus suadelis,
Pro dolor! ipsorum se promisit fore promptum
Votis, ac firmis hoc confirmaverat orsis;
Sed spero certe, non se sic corde tenere,
Illis consensum sed vi praebere coactum.
Qui male namque spei vacuae solamine capti,
Sperabant regem populos olim dominantem
Ipsorum fragili citius subiungere iuri;
Sed rex de coelis, iudex aequissimus orbis,
Cunctorum solus qui cognoscit cogitatus
Vanaque[f] mortalis potis est disperdere cordis,
Commentum tanti sceleris virtute potentis
Dextrae confregit, qua cuncta creata creavit;
Scilicet insidias christo Domini[g] reparatas
Vertit in auctores tanti meritoque piacli;
Quique suo laqueos domino tendere malignos,
Ex ipsis ipsi primum sunt illaqueati.

a) innumerosos 1.
b) dolenti 2.
c) *ita* 2. deteriores 1.
d) *ita* 2 sedis 1.
e) remebat 1.
f) *ita corrigo;* Eua namque 1. — Quanam 2.
g) *ita corrigo;* christi domino 1. *et edd.*

Non me plus licito tantae sophiae fore[a] iacto, 939.
Ut sperem plene verbis edicere[b] posse,
Quanta graciolae Christus virtute supernae
Saepius hunc ipsum regem digne benedictum
Fecit multiplices salvum percurrere fraudes
Necnon insidias hostili parte paratas;
Sed nec hoc fragilis fas esse reor mulieris
Inter coenobii positae secreta quieti,
Ut bellum dictet, quod non cognoscere debet:
Haec perfectorum sunt conservanda virorum.
Principium quod cunctorum finis quoque regum,
Hoc dico solum, recte quod dicere possum.
Sudori quis[c] posse dedit sapientia mentis
Omnia compositis sapienter dicere verbis?
Qui solus semper fecit miranda potenter.
Quique David regem toties de fraude fidelem
Eripiens Sauli, sceptrum regni dedit ipsi,
Hunc pariter regem[1] David pietate sequentem
Protexit de millenis persaepe periclis.
Denique cum solus, perpauco milite septus,
Esset ab adversis circumdatus undique turmis,
Insuper atque fugam propriae partis male factam
Pectore moerenti ferret nimiumque dolenti,
Credere nec paucis sese praesumeret ipsis,
Illum qui reliquis non deseruere relapsis,
Sed ratus tantum, se mox graviter moriturum:
Otius auxilii fultus virtute superni,
Miratur turbae se iam superare cruentae
Tantas absque suae fraudes discrimine vitae.
At si forte suos, pugna crescente sinistra,
Audivit socios letali vulnere laesos,
Praedicti regis lacrimans mox utitur orsis,
Quae moerens dixit, tristi cum pectore sensit
Ictibus angelici populum gladii periturum:
En, qui peccavi, dixit, *facinusque peregi,* 2. Samuel. 24, 17.
Hinc ego vindictae dignus sum denique tantae!
Hi quid fecerunt damnum qui tale tulerunt?
Iam nunc, Christe, tuis parcens miserere redemptis,
Ne premat insontes iusto plus vis inimica!
Has igitur preculas miserans divina potestas,
Parcebat regis solita pietate ministris,
Et dedit optatum miserans ex hoste triumphum,
Iusto praedictos comites examine perdens.
Ipso namque die, quo decepti vacua spe,
Speravere suis constringendum fore vinclis
Regem, qui merito tenuit regalia sceptra,
Ex inproviso praeses proruperat Udo,
Adducendo quidem multam secum legionem,
Ac subiit validum forti luctamine bellum.
Nec mora, percussus periit gladiis Evurhardus,
Gislberhtus saevis fugiens quoque mergitur undis.
At rex interea nescit tam fortia bella,
Averso quidni[2] residens in litore Reni,
Nec tunc auxilii scivit solamina tanti
Iam, miserante Deo, subito casu sibi missa.

a) *ita* 2. forte 1.
b) v. me e. 2.
c) Sudori. quis 1.

1) Ottonem.
2) *i. e.* quidem.

Denique dum pugnae sensit discrimina tantae 939.
Haut gaudens inimicorum de morte suorum,
Sed plus tantorum moerens de corde virorum,
Sumpsit non modicum, Davidis more[a], lamentum,
Qui super occisum doluit regem pie Saulum.

Ast ubi victores laeti venere, videntes
Illius fusis vultum lacrimis madefactum,
Haut aptum tanto luctum dixere triumpho,
Sed reddi grates regi debere perenni,
Qui tunc impleri fecit pietate fideli
Quod patet in libro regis scriptum Salomonis,
Dicentis, iustum de tristicia liberandum Prov. 11, 8.
Necnon iniustum pro iusto mox fore dandum.
His mentem regis demulcendo suadelis,
Ipsum tristiciam cogunt deponere tantam,
Et bene victrici congaudentem legioni
Se post bella suis blandum praebere ministris.
Qui nam laeticiam vultu monstrans moderatam,
Sed clam subtristem servans in corde dolorem,
Reddebat grates imo de pectore Christo,
Non dederat propriis ipsum quia tunc inimicis
Praedam, sed dextra protegit rite superna.
Ipsius titulum tanti clarumque triumphi
Non sibi, sed Christi designavit pietate*.

His ita digestis, modicum tempus requievit 941.
Civilis belli populus luctamine lassus.
Sed nec sic veteris finem sumpsit dolus hostis,
Qui semper fragiles temptat pervertere mentes,
Post factum facinus suadens superaddere peius.
Fertur percerte quorundam pectora[b] bile
Tanto pestiferi tandem penetrare veneni,
Ut mortem regi vellent inferre fideli,
Ipsius et fratrem populo praeponere regem;
Nec timuere diem paschae sanctum maculare, April. 18.
Si posset fieri fuso cum sanguine iusti.
Sed non consensit tanti commissa piacli
Agnus paschalis, qui pro nobis redimendis
Se dedit electum patri moriens holocaustum;
Sed mox consilium cunctis nudavit eorum,
Et sic insontis salvatus erat bene sanguis;
Quique rei placiti[c] sunt inventi scelerosi,
Pro modulo culpae poenis damnantur amaris:
Quidam iudicio quidni dantur[d] capitali,
Quidam de patria longe pelluntur amanda.

Post haec Henricus frater regis generosus,
Christi gratiola tactus sub corde secreto,
Secum tractavit summoque dolore revolvit,
Contra iusticiam quicquid perfecerat unquam.
Hoc quoque deflevit nimiis persaepe lamentis,
Quod male blanditis horum cessit suadelis,
Ipsum qui verbis corruperunt simulatis.
Sed quamvis talem ferret sub corde dolorem,

a) *ita* 2. mere 1.
*) *i. e.* pietati
b) *ita* 1. et *Schurzfleisch*.
c) *ita* 1 *bene; h. e.* et qui inventi sunt rei placiti scelerosi.
d) condemnantur 2.

Praesentare tamen spacii per tempora longi 941.
Non se regali praesumebat faciei;
Absens sed cordis studio florente dolentis
Optabat, veniae dari munus sibi dulce.
Tandem percerte forti devictus amore,
Ilico poenalem proicit de corde timorem,
Et sub nocturnis nimium secreto tenebris
Adveniens, in regalem se contulit urbem,
In qua natalem regis celebrare perennis Dec. 25.
Rex pius obsequiis coepit sollempniter aptis;
Depositisque suis ornamentis preciosis,
Simplicis et tenuis fruitur velamine vestis,
Inter[a] sacratos noctis venerabilis hymnos
Intrans nudatis templi sacra limina plantis.
Nec horret hiemis saevum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram,
Corpus frigoreae sociavit nobile terrae,
Sic sic moerentis toto conamine cordis
Exoptans veniae dux praestari sibi munus[b].
Quo rex comperto, victus pietate benigna
Instantisque memor festi cunctis venerandi,
In quo coelicolae pacem mundo cecinere,
Laeti rege suo tenera de virgine nato
Ut pie salvaret mundum merito periturum,
Pro diei tantae pacem portantis honore
Condoluit, miserans fratri commissa fatenti,
Atque suam pie gratiolam concessit habendam
Illi cum veniae dilecto munere plenae;
Necnon post aliquot spatii tempuscula parvi 946
Ipsius iuri proceres subiunxerat omnes
Famosae nimium gentis Baioariorum,
Ipsum nempe ducem merito faciendo potentem.
Et post haec ultra fuerat discordia nulla
Inter eos, animis fraterno foedere iunctis.
Avaresque[c, 1] per hunc saevi saepissime victi,
Post haec Oddonis[d] regnum regis spatiosum
Non laedunt telis consueto more cruentis,
Tangere nec contingentes audent nationes,
Ex terrore ducis tanti nimium tremefacti;
Hic quia prudentis functus valitudine mentis,
His hominum monstris bellis obstans iteratis,
Ad nos pergendi calles secluserat omnes.
Insuper et primus, Christi de[e] nomine tutus,
Audenter cum subiectae plebis legione
Eiusdem populi patriam petiit scelerosi,
Inpugnans gentem cunctis retro namque rebellem
Scilicet, et spoliis rerum captis variarum,
Quas sibi communes collegerunt prius hostes
Orbis perplures devastantes regiones,
Uxores procerum, soboles rapuit quoque dulces;
Et sic prostratis rediit gaudens inimicis.

Istis[f] sic habitis, properata diecula tristis Ian. 26.
Venerat, ingentem nostris augendo dolorem,
In qua praefulgens meritis regina supremis

a) *ita* 2. Iter 1.
b) *ita corrigo;* Exoptans praestari veniae munus sibi dux 1. *Celtes emendat:* Optans p. v. m. s. dulcis.
c) Auarosque *corr.* Auaresque 1.
1) i. e. Ungri.
d) Ottonis 1.
e) *vocem inserui;* bene 2.
f) *Hoc loco codex non distinguit.*

Aedit praesentis vitae discessit ab horis, 946.
Ipsius imperio genti faciens famulanti
Tristiciam necnon nimium cordis cruciatum
Eius in abcessu; magno quam denique luctu
Et non inmerito flevit plebecula cuncta,
Quam plus maternae fovit pietatis amore,
Quam dominatricis iussis confringeret artis.
Cui licet a Christo requiem sine fine perennem
Necnon laeticiam iustis retro reparatam
Praestari citius iam non dubitaverit ullus,
Qui meritum vitae scivit laudabile castae
Ipsius ac mitem gessit quam denique mentem;
Attamen humanae pro consuetudine causae
Non mirum, populus planctum si sumpsit amarum,
Dum sibi tam subito fuerat spes tanta retracta.
Et facies domnae nimium regalis amandae
Necnon subiecti praefulgens gloria regni
Mandatur terrae, gremio servanda sub amplo,
Donec assurgat, non corruptumque resumat,
Quod nunc includit tumulus, praenobile corpus.
Haec igitur puerum supra paucis memoratum
Acriter orbatum dimittebat Liudulfum,
Feminei dulcem sexus unam quoque prolem,
Nomine Liudgardam, summa bonitate coruscam,
Moribus et facie similem matri venerandae.
In quas percerte soboles mox stirpis amandae
Affectu cordis populus[a] deducitur omnis
Magno, pro meritis summis utriusque parentis.
Sed magis ac iuste dulci fervebat amore
Erga regalem puerum dominum Liudulfum,
Ipsum spe mentis tota complexus amantis.
Hicque sibi naturales imitans bene mores,
Extiterat cunctis blandus dulcedine mentis,
Mansuetus, clemens, humilis, nimiumque fidelis.
Hinc quoque graciolam, Christo praestante benigno,
Tantam promeruit, meritam digneque recepit
Gentibus in[b] cunctis patris imperio religatis,
Ut quicumque suae saltim perpaucula famae
Verbula conciperet latebris propensius auris,
Ipsius in dulcem totus raperetur amorem,
Absentem venerans animis dominum studiosis.
Quem pater egregius, rex et senior venerandus,
Dilectae matris mortem graviter pacientem,
Affectu patrio necnon pietate benigna
Digno[c] percerte iam sublimavit honore,
Subiecti faciens regni digne dominari.
Necnon Liudgardam simili causa venerandam,
Unica feminei quae spes sexus fuit illi,
Graciola parili coluit, provexit, amavit.
Hanc quoque Conrado vinclis sociavit amoris,
Egregio strenuoque duci, nimium quoque forti,
Munere qui talis dignus constabat honoris.
Utque suo subdi nato[d] faceret Liudulfo
Multum devotae perfecto mentis amore
Francorum gentis dominos praenobilis almos,

a) *ita* 2. populi 1.
b) *ita* 1. *et Schurzfl.*
c) *ita* 2. Signo 1.
d) *ita* 2. subclinato 1.

Necnon primates Suevorum scilicet omnes, 947.
Ipsi legali praepulchram foedere iungi
Idam iussit, Herimanni natam ducis almi,
Qui fuit illustris princeps in partibus illis.
Haec quoque regalis fuerat consortia prolis
Pro meritis propriae probitatis digna subire,
Ac vice reginae summo veneratur[1] honore,
Rege iubente quidem per consuetam pietatem.
Illam nec habitare locis voluit segregatis
Rex idem, nati digne succensus amore,
Sed ceu reginam regnum transire per amplum,
Quo sic dilectus sentiret filius eius
Dultia graciolae semper munuscula magnae,
Ipsi cum sponsa regni sociatus in aula.

Interea rex Italicus gravido Hlotharius 950.
Infectus morbo, mundo discessit ab isto, Nov. 22.
Italiae regnum linquens merito retinendum
Summae reginae sibi quam sociavit amore,
Regis Rothulfi fuerat quae filia magni,
Edita magnorum longo de stemmate regum;
Cui nomen clarum dictavit summa parentum
Nobilitas, illam digne vocitans Aethelheitham.
Haec quoque regalis formae praeclara decore,
Atque suae causis personae sedula dignis
Factis regali respondit nobilitati.
Scilicet ingenio fuerat praelucida tanto,
Ut posset regnum digne rexisse relictum,
Si gens ipsa dolum mox non dictaret amarum.
Denique defuncto, quem praedixi, Hluthario,
Pars quaedam plebis fuerat, quae retro rebellis
Menteque perversa propriis dominis inimica,
Restituit Beringarii regnum ditioni,
Quod patre[2] defuncto raptum violenter ab illo
Olim per manus regis devenit[a,3] Hugonis.
Optato certe qui sublimatus honore, Dec. 15.
Detegit invidiae quicquid sub pectore tristi
Gessit, dum regni deflevit damna paterni;
Felleque plus iusto cordis succensus amaro,
Fudit in insontem concretum quippe furorem,
Iniustam vim reginae faciens Aethelheithae,
Quae regnans illi damnum non fecerat ullum.
Nec solum celsae solium sibi proripit aulae,
Sed simul aerarii claustris eius reseratis,
Omne quod invenit dextra tollebat avara,
Aurum cum gemmis varii generis quoque gazis,
Necnon regalis sertum praenobile frontis.
Ornatus nec particulam dimiserat ullam,
Nec timuit propriis illam spoliare ministris,
Obsequiis quoque personis regalibus aptis,
Regalique potentatu, miserabile dictu!
Postremo quoque pergendi pariterque manendi 951.
Quo vellet, libertatem male denegat omnem. Apr. 20
Solam cum sola committens namque puella
Servandam cuidam comiti sua iussa sequenti,

1) deponens significatione passiva.

2) avo, Berengario I.

a) *ita 2. vox iam erasa, fuisse videtur* dederat.

3) scil. plebs.

Qui iussis captus regis non iusta iubentis, 951.
Non metuit propriam culpae sine crimine domnam
Clausam carcereis claustris servare cubilis,
Circum diffusis custodum denique turmis,
Ut mos personas est servari scelerosas.
Sed qui de vinclis Petrum tollebat Herodis,
Hanc, quando voluit, miti pietate redemit.

Certe dum variis animo foret anxia curis
Nullaque spes sibimet certi solaminis esset,
Praesul Adhelhardus[1], factum deflens miserandum
Vixque suae damnum carae paciens grave domnae,
Illi transmisit missum mox namque secretum,
Utque fugam caperet monitis suasit studiosis
Ac peteret muris urbem structam bene firmis,
Quae caput ipsius constabat pontificatus;
Hic loca praesidii mandans tutissima certi,
Illi condignum quoque praeberi famulatum.
His nam regales monitis pulsantibus aures,
Inclita de mandatelis[a] regina benignis
Laetior, exoptat vinclis absolvier artis;
Quid faceret tamen ignorat, quia nulla patebat
Ianua, quae somno pressis custodibus alto
Illam nocturnis pateretur abire sub[b] horis.
Sed nec personam causa famulaminis ullam
Subiectam sibi carcereis possedit in antris,
Ipsius implendis esset quae sedula iussis,
Ni supradictam solummodo namque puellam
Necnon presbiterum vitae laudabilis unum.
His ubi continuis narraret cuncta lamentis,
Quae moerens animo multum volvebat[c] amaro,
Voti communis placito visum fuit illis,
Res melius verti, studio si forte latenti
Sub terra foveam facerent fodiendo secretam,
Per quam de vinclis possent evadere duris.
Haec ita percerte constat completa fuisse
Ocius, auxilio Christi praesente benigni.
Nam caute fovea iuxta placitum reparata,
Advenit libertati nox apta recenti,
In qua dum somnus plebis perserperet[*] artus, Aug. 20.
Tantum cum sociis regina piissima binis[d]
Custodum fraudes fugiens evaserat omnes,
Atque viae spatium noctis sub tempore tantum
Pertransit, plantis quantum valet ergo tenellis.
Sed mox ut scissis cessit nox furva[e] tenebris,
Atque polus radiis coepit pallescere solis,
Abscondens in secretis se cautius antris,
Nunc vagat in silvis, latitat nunc denique sulcis
Inter maturas[f] Cereris crescentis aristas,
Donec nox solitis rediens induta tenebris,
Obtegit rursum nebulo terram tenebroso:
Tunc iterato viam studuit percurrere coeptam.

Denique custodes illam non invenientes,
Narrabant factum comiti nuntium[g] tremefacti,

1) Regii Lepidi.

a) *ita recte coniicit Ioannis;* demandat elis 1. demandans Elis *edd. quonam sensu, nescio.*
b) *ita* 2. ab 1; *cf. v.* 548.
c) *ita* 2. uolebat 1.
*) *ita corr.;* proserperet 1.
d) bonis *corr.* binis 1.
e) *ita bene* 2. surua 1. *etiam* surda *ferri posset.*
f) *ita Reuber emendavit* maturos 1.
g) multum 2.

Cura cui conservandae fuit indita domnae. 951. Aug.
Qui terrore gravis percussus corde timoris,
Pergit cum sotiis illam perquirere multis;
Et cum deficeret, nec iam dinoscere posset,
Quo regina suum tulerit clarissima gressum,
Detulit ad regem Beringarium timidus rem.
Hic quoque continuo nimiam conversus in iram,
Circumquaque suos subito mittebat alumnos,
Praecipiens illos nullum transire locellum,
Sed caute cunctas iam perlustrare latebras[a],
Si forsan latebris regina lateret in ullis.
Ipseque cum fortis sequitur turba legionis,
Ceu qui vult hostes bello superare feroces,
Et rapido segetem cursu peragravit eandem,
In cuius sulcis latuit tunc domna recurvis
Haec quam quaerebat, Cereris contecta sub alis.
Scillicet[1] huc illucque locum percurreret ipsum,
In quo non parvo iacuit terrore gravata,
Et quamvis circumpositos disiungere culmos
Nisibus extenta cunctis temptaverit hasta,
Non tamen invenit, Christi quam gratia texit.
Ast ubi confusus rediit, nimium quoque lassus,
Praesul Adelhardus mox advenit venerandus,
Induxitque suam gaudenti pectore domnam
Intra namque suae muros urbis bene firmos,
Hicque sibi digne toto servivit honore,
Donec maiorem Christo miserante decorem
Regni suscepit, pridem quam moesta reliquit.

Denique nostrates quidam, tunc experientes,
Reginam domino desolatam fore caro,
Cuius praedulcem gustaverunt pietatem
Quando[b] per Italiam coeperunt pergere Romam,
Eius[b] multiplicem recitati sunt pietatem
Crebrius Oddoni[c], magno tunc denique regi,
Augusto sed Romani nunc denique regni,
Nullam dicentes aliam consistere dignam
Tecta sub ipsius thalami regalia duci
Post obitum dominae flendum cunctis Eadithae.
Et rex laetatus tantae dulcedine famae,
Pectore volvebat tacito per tempora longa,
Quo pacto sibi reginam coniungeret istam,
Quae fuit insidiis regis circumdata tantis.
Venit et in mentem, praedictum denique regem,
Qui quondam patriis fuerat depulsus ab arvis
Eius et auxilio citius miserante reductus,
Ingratum fore nunc donis tantae pietatis;
Hinc quoque mox aditum sibimet providerat aptum,
Ipsius Italicum iuri subiungere regnum.
Hoc ubi colloquio sensit narrante paterno
Patris amor verus spes et gentis, Liudulfus,
Non sua sollicitans, patris sed commoda tractans,
Praepaucis secum sotiis secreto resumptis,
Italiam petiit, fortique manu penetravit,
Exortans patris imperio populum dare collum;

a) tenebras 2.

1) *i. e.* Nam licet.

b) *hi duo versus desunt in edd.*

c) Ottoni 1.

Moxque redit clarum referens sine marte triumphum. 951.
Quo rex comperto, populis narrantibus, Oddo[a],
Corde super natum laeto plaudebat amandum,
Ipsius causa qui iam discrimine tanto
Audacter subiit gentem turbando ferocem.
Utque labor talis non frustraretur amoris,
Ipse quidem gentem festinus adivit eandem,
Plebis non parva propriae comitante caterva,
Regalis pompae vario comptusque decore,
Alpibus accinctas altis intraverat horas.
His Beringarius compertis[b] obstupefactus,
Non bellum movit regi, non obvius exit,
Sed se salvandum castello protinus apto
Intulit, in tutis posito firmisque locellis.
At rex famosus noster, virtute superbus,
Audacter satis ignotas pertransiit horas,
Italici Papiam regni cepit quoque domnam[c]. Sept. 23.
Qua certe capta, cuncti velut agmine facto
Quaerentes regem proceres venere recentem,
Certabantque suo iuri se subdere magno.
Quos nam more suo suscepit mente benigna,
Promittens ipsis eius munus pietatis,
Si post haec illi servirent mente fideli.
Istis sic habitis, crebro tractamine cordis
Reginae satis egregiae memor est Aedelheithae,
Regalem certe cupiens quandoque videre
Ipsius faciem, cuius didicit bonitatem.
Unde quidem mandatelis[d] secretius actis,
Quae fuerant pacis necnon praedulcis amoris
Sub signo fidei firmae mandaverat illi.
Hoc quoque suadelis exhortabatur amicis,
Ut celeri Papiam cursu peteret, populosam
Urbem, quam cum tristicia dimisit amara,
Quo, praestante sacra regis pietate perennis,
Hic modo sublimem gaudens captaret honorem,
Quo prius ingentem fuerat perpessa dolorem.
His mandatelis cessit regina benignis,
Et quo iussa fuit, pariter comitantibus ivit
Permultis subiectorum cuneis populorum.
Ut rex hos sensit, cuius mandamine venit,
Ipsius Henricum fratrem praecepit amandum
Huius in occursum regredi trans litora Padi,
Ut sublimandam regni splendoribus ęram[1]
Tanti compositus ducis[e] ornaret famulatus.
Qui studio mentis praecepta sequens senioris,
Egreditur certe cum regali legione,
Castraque reginae gaudens petiit venerandae,
In quis cum sotiis residebat denique multis,
Illam condigne summo comitatus honore,
Donec regali praesentaret faciei.
Quae merito regi statim placuit satis ipsi,
Eligiturque sui consors dignissima regni.

Tunc[f] rex se novitate rei cernens retineri,
Tempore ne patrias instante rediret ad oras,

a) Otto 1.
b) compertus *corr.* compertis 1.
c) dominam 1.
d) mandat:clis 1; *v. infra v.* 651.
1) *i. e.* heram.
e) *ita* 2 *d. c.* 1.
f) *Hic codex non distinguit.*

Liudulfum placuit carum praemittere natum, 951.
Ut gens Saxonum fortis volitaret ad illum
Et regnum sub patrono staret bene tanto.
Qui parens iussis devota mente parentis,
Ad patriam rediit curam regnique recepit,
Omnia prudenter necnon nimium sapienter
Complens, in patria quae tunc fuerant facienda.
Interea dux Henricus, regis venerandus
Frater, in Italia cordis conamine summo
Obsequiis operam gessit regalibus aptam,
Offitium non germani solummodo cari
Sed mage ius servi studio complendo benigni.
Hinc non inmerito regi placuit satis ipsi,
Est quoque reginae fraterno iunctus amore,
Affectuque pio fuerat dilectus ab illa.
Tunc rex Italicum peragraverat undique regnum, 952.
Primates regni propriae subdens ditioni.
His quoque completis iuxta votumque locatis,
Ne Beringarius regnum raperet sibi rursum,
Conradum cum non paucis ex agmine lectis
In Papia residere ducem iussit sapientem,
Cui veneranda suae dederat consortia natae;
Ipseque continuo rediit cum coniuge clara,
Intendens patriae sedem festinus adire.
Quem gavisa quidem plebs suscepit venientem,
Altithrono grates spargens super aethera dulces,
Qui miserando suae plebis solita pietate,
Quem pius elegit, regem cum pace reduxit.

Hac[a] ita laeticia dignis rebus celebrata,
Advenit dux Conradus cum pace reversus,
Adducens Beringarium supra memoratum,
Ipsius ingenii captum sic arte profundi,
Gratis ut Oddoni[b] venit se subdere regi.
Tunc idem rex, qui semper fecit sapienter,
Hunc regem certe digno suscepit honore,
Restituens illi sublati culmina regni
Ista percerte tantum sub conditione,
Ut post haec causis non contradiceret ullis
Ipsius imperio multis longe metuendo[c],
Sed ceu subiectus iussis esset studiosus.
Hoc quoque sollicitis decrevit maxime dictis,
Ut post haec populum regeret clementius ipsum,
Quem prius imperio nimium corripuit[d] amaro.
Qui se complendis simulans promptum fore iussis,
Ocius abscessit, patriam laetusque petivit.
Ast ubi sublimem regni possederat arcem,
Laesus suadelis quorundam namque sinistris
Mox infelici graviora quidem iuga genti
Infert, vi magna pro despectu sibi facta[e],
Se regnum pretio contestans emere magno,
Nec fore culpandum si ius fregisset avorum,
Sed magis Oddoni[f] culpae meritum reputari,
Ipsi primates plebis qui venderet omnes.
Haec res ad regem mox ut pervenit eundem,

a) *hic codex non distinguit.*
b) ottoni 1.
c) mutuendo 1.
d) contrivit 2.
e) facto 2.
f) ottoni 1.

In Beringarium iusta succenditur ira, 952.
Corde super populi damnis moerens miserandi,
In meliusque statum[a] studuit[b] convertere rerum.
Et faceret citius, Christi munimine fultus,
Si non fortunae restaret causa sinistrae.
Namque decore sui florente per omnia regni,
Cum se gauderet cunctis fulgere secundis,
Protulit antiqui renovata lues inimici
Fraudis commentum cunctis per secla dolendum[c],
Iam tunc pacificum temptans confundere regnum.
Hoc ut quantocius posset patrare malignus,
Regni rectores primum turbaverat omnes,
Sperans interitum plebis mox esse futurum.

Denique famosi natus regis Liudulfus 953.
Ut cognovit amicitiae signis satis aptis,
Quanto perfectae fidei dilexit amore
Henricum, regis fratrem, regina fidelis,
Quodque suae fidei studio se subdidit omni,
Tangitur interni iaculis secreto doloris,
Haut ira fervens, odii nec felle tabescens,
Sed super amisso carae genitricis amore
Ex aegri latebris ducens suspiria cordis;
Deceptusque malis permultorum suadelis,
Pertimuit fragilis pro consuetudine mentis,
Quod post non uti donis deberet honoris
Condigni, sed forte locum subire secundum.
Quod fieri Christus numquam permitteret aequus,
Si staret regnum iusta sub pace quietum.
Ast ubi sub tristi vultu saepissime patri
Monstratur moestus, solito nec more serenus,
Sunt qui decepti[d] serpentis fraude dolosi[e] . . . .

(Versus plurimi exciderunt.)

Sed[1] quo regalem patris hinc augeret honorem. 957.
His rex compertis, ex prosperitate fidelis
Laetatus prolis, tota dulcedine mentis
Haec illi mandat scriptis extimplo remissis:
In seculum seculi maneat laus Omnipotenti,
Qui dedit in tantis temet gaudere secundis,
Grates adque tibi dentur, karissime fili,
Quem constare quidem penitus cognosco fidelem;
Haut obscura tuae fidei quia signa dedisti,
Cum per te regnum cupiens augescere nostrum,
Signasti nobis proprii decus omne laboris.
Hinc ego gratanter, quae fecisti sapienter,
Accipiens, vice conversa condigna rependo,
Hoc ipsumque tibi regnum committo regendum,
Imperio subdi nostro quod constituisti.
Praecipioque tibi iussis, dilecte, paternis,
Ut quem victrici populum dextra superasti,
Absque mora tecum facias firmare tenendum
Foedus, cum iuramento structum metuendo.

a) *ita* 2. statuit 1.
b) *ita* 1. statuit 2.
c) *ita* 2. dolentum 1.
d) *ita* 1. deceptum *Celtes scripsit bene.*
e) *finis folii* 148. *Quaternio proximus, quo res annorum* 953, 954, 955, 956 *et* 957 *descriptae erant, excidit (igitur* 388 *circiter versus).*

1) conclusio legationis vel epistolae Liudulfi victoris, ex Langobardia patri missae, cuius argumentum ex Ottonis responso discere licet.

Haec dux Liudulfus decreta legens venerandus, 957
Laetior ex mandatelis tantae pietatis,
Iussus cum iuramento religat sibi firmo
Ad patris obsequium populum digne moderandum.

His bene dispositis, summo cum foedere pacis
Ardens absentis faciem meruisse parentis,
Coniugis et karae dulci devictus amore
Ac prolis geminae[1] longe post terga[a] relictae,
Posthabitae fines patriae placuit repedare,
Quo post exilii pondus nimium grave duri
Posset quandoquidem patriae captare quietem.
Utque celer morulis haec impleret sine cunctis,
Non iter optatum pondus tardaverit ullum,
Collectim proprias iussit praemittere gazas,
Ipsius et faciem turbam praecedere totam,
Quam belli causa secum deduxerat illo,
Promittens ipsum, vita comitante, futurum
Ad fines patriae spatii post tempora parvi.
Hoc quoque melliflui verbis signaverat oris,
In quîs castellis, in quîs voluitque locellis
Sumptus hospicii dignos sibimet reparari.
Hac moti fama nostrates desiderata,
Affectu cordis gaudebant interioris*,
Omneque moeroris pondus cunctique doloris,
Quod prius absentis causa tulerant senioris,
Ex animo deponentes, communiter omnes
Causam laeticiae duxerunt esse supremae,
Si post paucorum meruissent ergo dierum
Cursus, promissi iuxta praeconia loeti[b],

(Versus plurimi exciderunt.)

Aeque[2] ferens[3] sceptrum capitis diademaque pulchrum 962. Febr. 2.
Atque sui cultus omnes regales amictus,
Ornatus sed maioris[c] suscepit honoris
Augusto summo pariter mox conbenedicta.

Hactenus Oddonis famosi denique regis
Gesta, licet tenui Musa, cecini modulando.
Nunc scribenda quidem constant, quae fecerat idem
Augustus solium retinens in vertice rerum;
Tangere quae vereor, qui femineo prohibebor
Sexu; nec vili debent sermone revolvi,
Qualiter invicti duro luctamine belli
Obtinuit constructa locis castella marinis, 962.
Quae Beringarius coniunx possedit et eius, 963.
Ac illum, iuramento cogente peracto, 964.
Misit in exilium misera cum coniuge Willa;
Qualiter et recti conpunctus acumine zeli
Summum pontificem, quaedam perversa patrantem 963.
Eius nec monitis dignantem cedere crebris,
Sedis apostolicae fraudari fecit honore,
Constituens alium, rectoris nomine dignum;

1) Ottonis et Mahthildis.
a) posterga 1.
*) *ita* 2. interiores 1.
b) *i. e.* laeti; *scilicet Liudulfum revisere, qui tamen die* 6 *Sept. eius anni obiit. Hinc folia circiter sex, vel versus* 290, *res annorum* 957, 958, 959. 960, 961 *et* 962 *usque ad corronationem Ottonis Romanam exhibentes, exciderunt. — Lacunam hic sensit Reuber.*
2) Aeque ac Otto.
3) scilicet Aethelheidis una cum Ottone Romae imperiali corona redimita.
c) maiores *corr.* maioris 1.

Qualiter et regno tranquilla pace quieto 965.
Nostrates adiens, illic iterumque revertens, 966.
Necnon amborum retinens decus imperiorum,
Ipsius prolem post illum iam venientem,
Scilicet Oddonem, nutricis ab ubere regem, 967. Dec.
Ad fasces augustalis provexit honoris 25.
Exemploque sui digne fecit benedici.
Haec igitur nostris nequeunt exponier orsis,
Sed quaerunt seriem longe sibi nobiliorem.
Hinc ego[a], tantarum prohibente gravedine rerum,
Ultra non tendo; finem sed provide pono,
Post haec incepto ne succumbam male victa.
His ita finitis et summatim replicatis,
Est ingens regis pietas oranda perennis,
Quo pius augustos[b] praestet deducere nostros[1]
Instantis vitae tempus feliciter omne,
Et fultos semper cunctis ad vota secundis,
Ecclesiae multos custodes servet in annos,
Nobis solamen dantes clementius. Amen.

a) ergo *corr.* ego 1.
b) *ita corrigo;* augustus 1.
1) scilicet Ottones.

VITA IOHANNIS ABBATIS GORZIENSIS

AUCTORE IOHANNE ABBATE S. ARNULFI.

Inter monumenta historica statum rei publicae, ecclesiae, litterarum, morum per saeculum X. illustrantia vita Iohannis Gorziensis abbatis praecipuum locum obtinet. Scripta est diffusiori quidem stylo, sed a viro doctrina litterarumque[1] cultu insigni et rerum quas narravit apprime gnaro, Iohanne abbate S. Arnulfi Mettensis[2], qui plurima quae narravit ipse testis vidit, reliqua autem a Iohanne, aut a sociis eius se accepisse testatus[3], libros etiam ab illo compositos, Miracula S. Glodesindis[4] et S. Gorgonii[5], consuluit, et veritatis aeque capax atque cupidus ex scriptis suis comprobatur. Ipse inter abbates, qui Iohannis moribundi lectum moerentes circumstabant, iussu Deoderici episcopi Mettensis designatus, vitam amici egregii scribendam suscepit. Primam

1) patres, nec minus classicos Romanorum auctores legit. 2) abbatem fuisse ex praefatione patet, S. Arnulfi ex cap. 66. 3) praef. c. 48. 77. 4) v. supra pag. 235. 5) v. supra; capp. 8, 10, 11, 12, 15.

6 *eius partem*[6], *res a Iohanne dum in saeculari habitu conversabatur perpetratas et introitum in monasterium complexam, anno* 978[7] *absolverat, quo circa nativitatem Domini a Deoderico domi conventus atque ab ipso et a Poppone Traiectensi episcopo iterum excitatus, operi perficiendo manum rursus admovit*[8]. *Sed partis secundae, qua vitam Iohannis per quadraginta annos monachi et abbatis scribendam susceperat, nonnisi ea extant, quae narrationem usque ad a.* 956. *producunt; reliqua omnia, scilicet reditus a legatione Cordubensi, quaeque abbas annis* 960—973. *egit, et tertia operis pars, qua de obitu eius se scripturum pollicitus fuerat, omnia aut perierunt, aut quod magis credam,*
9 *auctore morte praerepto*[9] *nunquam scripta sunt. Quae quanto historiae damno interciderint, cuique patet. Obiit noster ante annum* 984[10].

Liber de vita Iohannis Gorziensis, addita in eodem volumine Vita et translatione S. Glodesindis, Mettis apud S. Arnulfum adservatus, ibique ab auctore gestorum abbatum monasterii eiusdem[11] *exscriptus est, qui*
12 *tamen, nulla ut videtur auctoritate fultus, Iohannem Gorziensem*[12] *etiam Ansteo in monasterio sancti Arnulfi, eique demum Iohannem alterum successorem facit, aliaque de Iohanne iuniore addit, quae ut dubiae fidei infra referenda curavi*[13]. *Codex postea monasterio S. Germani Parisiensi illatus, a Labbeo in Nova Bibl. Mss. I.* 741 *sqq. et a Bollando in Actis SS. Febr. III.* 686 *sqq. luci datus est. Mabillonius textum, adhibito codice unico in Actis SS. O. S. B. Saec. V. p.* 363 *sqq. editum, annotationibus illustravit. Quae editiones quum, ultimis membranae paginis vetustate exesis, textum lacunis deformatum exhiberent, conandum statui, an nova lectione textus integrior restitui posset. Quod pro parte aliqua ex votis successit. Evoluto enim codice unico, qui hodie in bibliotheca regia Parisiensi inter Sangermanenses Numero* 1410 *insignitur, membranaceo in* 4[to] *saeculi X, in membrana, exesa quidem, reliquias tamen aliquas litterarum vocabulorumve legi, quarum ope voces et sententias interdum integras restituere contigit. Integriorem igitur quam hucusque legebatur textum proponimus. Ceterum quae*

16 1) *scriptor ipse aliquot in locis erraverat,*

ut 2) *manu secunda sed eius temporis correcta sunt, in textum recepi. Liber in media pagina desinit.*

Divisionem capitum a Mabillonio institutam servavi.

6) capp. 7—45. 7) Quum Poppo a. 977. Baldrico successerit, et Deodericus a. 980. Ottonem II. in Italiam comitatus sit, nativitatem Domini anni 978, qua episcopos a Gallica expeditione reduces Mettis commoratos fuisse suspicor, annis 977 et 979 praehabui. 8) c. 46 -48. 9) Si annis quinque 973—978 prima 45 capita scripsit, haud mirum, quod biennio trienniove, quo supervixit, peracto in capite 136. substitit. 10) in charta Deoderici ap. Meurisse p. 326 iam defunctus memoratur. 11) Martene Coll. III. 1199 sqq. et Calmet I. Preuves p. 546 sqq. 12) Theutberto comiti palatino, uxorem eius Ermentrudem filiam edituram esse, praedixit; quod ad Iohannem iuniorem spectare videtur. 13) „Ioannes a fratribus sancti Arnulfi postulatus ut eorum pastor fieret, benignissime consensit. Statim eorum loci famam iam ubique celebrem studio litterarum adeo nobilitavit, ut non solum ex proximis civitatibus, verum ex Saxoniae atque Baioariae partibus undecunque ad eius magisterium quam plurimi confluerent, ex quibus nonnullos et vitae merito et sapientiae excellentia post ad episcopatus apicem vel ad regenda monasteria electos fuisse cognovimus. Inter coaevos suos et morum elegantia et ingenio capax laudabilis eminebat. Hic denique piae memoriae Ioannes inter perplura, quae intra gymnasium sophiae peregit, exercitia responsoria beatae virginis et martyris Luciae authentica modulatione composuit, necnon et beatae Glodesindis vitam cum officio nocturnali. Vitam vero antecessoris sui domni abbatis Ioannis scribere aggressus, imperfectam immatura morte praereptus reliquit“.

PREFATIO SEQUENTIS HYSTORIAE DE VITA DOMNI IOANNIS[a] GORZIE COENOBII ABBATIS.

Nostrum, in omnibus quae piae probae vel honestae vitae sunt, rari nostra aetate exempli, patrem Iohannem iam pridem, eo adhuc superstite, animus erat ad multorum profectum scriptis proponere, et ne tantus vir ex nimia desidia, quod nefas utique et non sine reatu reputaretur, obscuri nominis fama tectus lateret, literis qualibuscumque committere[b]. Interea nobis diversa curantibus, et pro ocio impeditius forsitan negotium exspectantibus, spes in longinqua male porrectas casus rerum, ut adsolet, repente praecidit mortalium. Nam dum cunctamur, idem vir sanctissimus inicio sanctae quadragesimae[1] prima ipsa die post horam vespertine refectionis, sane ut sibi semper moris par- (974. Febr. 23.) cissimae, id est panis tantum et aquae, acutissima febre corripitur, quam post quintam exinde diem exitus est subsecutus. Tum vero acsi per sera suspiria altius nobis tempora eatenus tam praesentia ex manibus praerepta ingemuimus, qui utique, quaeque dicenda essent de ipso, ab ipso melius dum advixisset — ad quem scilicet, si quo opus fuisset, facilis esset recursus — disceremus; si tamen quisquam ille intimus ei existeret, qui aliqua ex eo extorquere se posse confideret: adeo humanae semper fugitans gloriae, quicquid egerat, Deo soli operum ac cordis[c] sui testi committebat. Sed miro modo ut gloriam quique appetentes ab ea amplius deseruntur, ita econtra se fugientes ipsa magis insequitur. Unde sancti viri quanto latere desiderant, tanto conspectius, licet inviti, produntur. Hoc igitur casu mente pene consopita, cum a tantae rei, quam dudum conceperamus, exorsu nos graviter deiecisset, quid rursum iacentes et desperatos paulatim in vires reduxerit, ac deinde iam volentes magis ac magis impulerit, ferme (2.) id fuit. Cum vir sanctus ex tam valido, ut dictum est, morbo lecto statim decubuisset, festino mox nuntio, qui circumquaque curam monasteriorum habentes sumus inventi, ad se in crastinum omnes contraxit. E quibus nutu divino neminem tunc contigit defuisse, additis ex primoribus domus sanctae sedis beati Stephani[2] viris[c*] religiosis, ad hoc mino- 2 rum quorumcumque turba non modica, ille singulos accedentium ex lecto ipso in osculo sancto, vultu admodum gaudente, exceptos, ac pro tempore et re causis aliquibus determinatis, tum praeterea cunctis in commune solita sibi semper exortatione, quantum morbus paciebat, de infelicitate huius, de felicitate alterius vitae pauca locutus, multitudine vale facto dimissa, patres reverentissimi Kadhroe[3], Berhardus, Hudo, Adelmodus, cumque his ego infimus, cum nonnulla parte nostrorum sanctorum exitu illius observando substitimus. Ibi per quatuor quibus superfuit dies, admixtis pariter loci eiusdem sancti collegii fratribus, qui unico ei famulatu assidue inhaerebant, dum ei (3.) tristi admodum officio assidemus, atque ex eius sacro ore, quo et inter ipsa vitae mortisque certamina doctrinae salutaris gratia profluebat, pendemus: variae inter nos cedi sermones ceperunt, quomodo summus ille opifex, cunctorum dispositor et ordinatissimus moderator, hunc tanto tempore sibi fideliter famulantem — quadragesimus siquidem in sancto proposito annus ei tunc erat — tam acerrime circa exitum sineret fatigari. Neque enim vehementiori cuiusquam alias discrimine intremuimus. Pia vero potius unicuique cogitatio aestuabat, si forte pro attestanda vita eius probatissima aliquo eum Dominus ad gloriam suam evidentiori declarare dignaretur indicio. Inter hos fluctus animorum cum fere nulla aegris mentibus clarior aura rationis se aperiret, sibi tantum quisque diffisus, ex dolore nimio reputabat, quid sibi fieret, cum nec illi tantae perfectionis viro supera[d] parceret dispensatio. Sed hanc temerariam mentis affectionem (4.) ipsa citius ratio[e] revera[f] compescuit, qui certis utique scripturarum documentis revin-

a) *ita c. hoc loco.* b) committeret *c.* c) acordis *c.* c*) uiros *c.* d) superas 1. e) raro 1. ratio 2. f) reuersa 1. uel reuera 2.

1) Quum anno 933. habitum monachi induisset, anno 973. aut 974. ineunte obiisse existimandus est; nominatur in charta anno 973. (non 974) Aug. 22. edita, in Tabouillot Histoire de Metz. 2) cathedralis ecclesiae Mettensis. 3) abbates coenobiorum extra muros Mettenses sitorum, S. Clementis, Vincentii, Symphoriani, Martini et Arnulfi esse videntur. Certe Kadhroe et Iohannes SS. Clementi et Arnulfo praeerant.

cebamus, et vitam hominum non in ostentatione[a] corporum, sed in virtute aestimandam[b] meritorum et morum. Nec adtendendum, quo exitu quisque hinc exeat, sed qualis exeat. Quacumque enim occasione, moriendum omnibus inevitabiliter est. Et mors undecumque pio bonum est. Nec refert, innocentem mori naufragio an febre, dummodo innocens sit. Et sive hinc[c], sive inde moriatur, querendum, qualis sit qui moriatur, quo post mortem iturus est, non unde de vita exiturus est. His et huiuscemodi firmamentis liquido satis collegimus, illam examinationem viri iusti, quam quidem ipse, ut inter cuncta semper inflexibilis, sapienter et aequo animo tolerabat, non modo laudi illius nihil detrahere, sed ad amplioris quoque meriti fructum accedere; nam electis qui ad perpetuam vitam tendunt, quid obest, si aliquando[d] dure moriuntur? Nec item signorum vel miraculorum novitatem plerumque differentiam facere sanctitatis, vel inde patenter ostenditur, quod per malos hec aliquando fiant, multosque aecclesia summo honore, memoriis studiose exstructis colit, de quibus, an uno saltem signo claruerint, reticetur. Iamque ut caeteros taceamus, Iohannes ipse, quo nemo in natis mulierum maior, teste euangelio, signum fecit nullum, et dum in carcere gladio feriretur, utrum vel extrema qualibet nota a quolibet homicidarum seu latronum distiterit[e], perpetuo omnium scripturarum silentio consopitur. Proinde[f] frustra aliquid eiusmodi splendoris corporei in commendationem[g] tanti viri desiderari, de quo firma satis et absque cunctatione[h] fides constaret, eaque in operibus suis et sancta conversatione atque indefessa usque in finem in bonis perseverantia visa sint[i] signis omnibus mirabi-
(5.) libusque praestare, et saluti animarum non sine plurimo fructu conducere. Cum haec et multa his similia in eodem sancto conventu mutuis confabulationibus sererentur, universis in eandem[k] sententiam venientibus, utile nimis et pernecessarium iactabatur, ut eiusdem beati viri conversatio, in quantum vel videri potuerit vel maiorum relatio docuisset, ad multorum profectum se digna memoria scriberetur. Ego iam inde ab initio tanti negotii avidus, hac consultatione factus accensior, etsi tenuitatis ingenii non inmemor eram, ad hoc et mens laboris praesaga ab aliis ad me revolvendum persentiret, voce tamen caeteris addita, ut fieret item itemque ingeminabam. Cum dubie cogitationi verus[l] continuo successisset, tumque meque omnes ad hoc potissimum delegissent, inter ruborem et aviditatem temporis articulo deprehensus, dum quid deliberarem non facile occurreret, tandem inpatientia vicit, meque ad quod solvendum non sufficiebam, nimium praeceps et impudens obligavi. Et plane fateor, ut improbum scriptorem me sumpsisse materiam non viribus aequam; sed spes tandem ea solatur, quod miseratione divina, quicquid illud erit oneris, meritis eiusdem viri, qui certa fide mea in praesentia claritatis Christi assistit, levandum non dubito; et qui licet immeritum, dum nobiscum esset, sancta familiaritate sui[m] non iudicavit indignum, nunc pie operi sui amoris instantem, ope amicae olim pietatis pro gratia sua, ut libere praesumo, non deseret. Preterea cum plurimos sanctorum virorum deinceps cęperim hortatores, accedente praecipue tamquam pulcherrimo culmine totam fabricam miro lumine venustante domino et praecellentissimo praesule, gloria tam divina quam humana clarissimo, Deoderico, nostro speciali patrono, et non modo hortatu, verum, quod inevitabilius est, iussu me inpellente, tantorum mihi suffragia non defutura confido, ut quod ex me est impossibile, per eos quorum voluntati parere desidero, ea, de cuius plenitudine omnes quod habemus
(6.) boni accepimus, gratia superna supplere dignetur. Quae igitur a primis gesserit annis, quorum raram admodum ad nos constat pervenisse notitiam, in medium relinquentes, ea tantum, quibus in virum perfectum assurgens, plurimo videntibus et imitari volentibus emolumento fuit, ut misericordia Christi stilum regere dignabitur, expedire temptabimus. Primo videlicet quanto in saeculari adhuc habitu degens, bonae actionis germine viruerit, vel qualiter, ipsa optima fruge in terra sui cordis uberius fructificante, ad monasterialem inde vitam transierit. Deinde quo studio in eodem sancto proposito, quo labore, qua iugiter vigilantia in omni virtutum exercitio, et prius in contubernio ceterorum sub maioris imperio, et postmodum in regimine substitutus, locum quem

a) hostentatione *deleto* h *c.* b) aestimandameritorum *c; in margine manu* 2. . . . ndendum *absciso initio.* c) s. inde 1. uel hinc 2. d) a. dicit 1. *deletum* 2. e) destiterit 1. f) prop(terea) 2. *in marg.* g) commendatione 1. h) con 2. i) sunt 1. uel sint 2. k) eadem 1. l) consensus *sententia flagitare videtur. Labbeus* metus *correxit, quod Mabillonius supplendum censet.* m) sua 1. uel sui 2.

semel in acie spirituali ceperat tenuerit, nec quocumque hostis impulsu gradu excesserit, donec, Domino secum certante seque servante, victor evaserit. Postremo quis ei finis feliciter consummati certaminis fuerit, cui nos misericordia divina etiam praesentes fuisse concessit.

TEXTUS IPSIUS YSTORIAE.

7. Precepta secularis doctrinae quae rhethorica[a] dicitur, in personis singulis demonstrandis inter caetera esse traduntur, ut maiores illius qui praedicandus est altius repetantur, et ita per gradus quasi filo quodam ad ipsum linea deducatur, tamquam ex illis, ex quibus originem ducit, illustrior esse possit et clarior, conparatione data ab arborę, quae annosa iam in ramis aruerit, ut sterilitatem, inquiunt, ramorum radix fecunda compenset, et quod in fructu non teneas, mireris in trunco. Fuerit hoc institutum illorum, qui tantum quae carnis sunt sapiebant, et non tam de propriis unumquemque clare vel obscure gestis quam de alienis famosos reddi vel infames putabant; cum stet contra ratio, plerosque ex obscuris sepissime claritatem, ex clarissimis item alios probrosae[b] vitae calamitatem mutuasse[c]. Longe autem diverso itinere ab his nostra incedit religio, in qua mentium ac morum potius ingenuitas, et vera spiritus dominio vitiorum exuta libertas, quam carnis vana ac tumens et in morem fumi vanescens cęlebratur nobilitas. Apud hanc de pulvere suscitatur egenus, et de stercore pauper erigitur, ut[d] cum principibus coelestis populi sedeat gloriosus. Nec desunt probationi documenta, cum David ex pascuis gregum in regnum, Petrus cum consciis paupertatis ex retibus piscium in orbis tocius attollitur principatum; quaeque abiecta sunt mundi et ignobilia eliguntur, ut potentia et nobilia confundantur. Dicente autem ipso huius principe instituti: *Si vos manseritis in sermone meo, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos* (Ioh 8, 31. 32.) — quod non est aliud nisi liberos vos faciet — itemque ipsius principis praecone: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, (2. Cor. 3, 17.) cuicumque de tanto munere libertatis gloriari licebit, frustra ei illius antiquitatis enumeratio[e] et nomina cineresque maiorum in laudis titulo conquiruntur; nisi forte spiritui carnem praetulerimus, cuius caduca nobilitas illi permanentis dedecus ignobilitatis superducere consuevit.

8. Sed quorsum haec tam longis anfractibus circumducta? Quoniam scriptoribus quibusque in quolibet quem dicendum susceperint talia fere ex more sumuntur inicia, ut qua regione terrarum, sub quo coeli climate, cuius linguae vel gentis, qua conditione, cuiusve fortunae parentibus prodierit, quasi pro viribus futurae rationis, primo statim iaciant fundamento. Quod ego in hoc nostro, quem tam copiosa spiritus generositas commendat[f], superfluum iudico[g] laborari, cum eum tanta consumatae virtutis gloria, tot perfectorum retro virorum prosapiae sic aut aequet aut proximet, ut quicquid felicium operum dignis de illis laudibus celebratur, in isto velud mundissimo speculo totum resplenduisse monstratum sit. Ne cui tamen curiosiori minus fecisse, et tamquam ex inopia materiae hanc dicendi partem sermo subterfugisse culpetur, quam succincte si qua forte talium inserere oportebit comprehensis, melioribus et fructu salutari plenissimis[h] tempora transferantur.

9. Oriundus itaque hic Iohannes ex territorio fuit partim Metensi partim Tullensi, villa olim regia vocabulo Vinderia[4], parentibns utique non[i] nimium obscuris, substantiae 4 sane locupletioris. Pater provectae omnino aetatis, ut fere nonagenarius crederetur, inter suos ut facultate sufficiens omnibus aequus et bonus ac sine querela habitus, usque ad infimum quemque cunctis se praebens accommodum. Dumque ruri intentus ac regende familiae, quam secundum mediocritatem vitae non minimam procurabat, plura ei ex iusto labore succrescerent, essetque possessionibus, sumptibus, pecunia, ex benedictionibus Domini admodum auctus, hospitalitati, elemosinis, aecclesiae quoque prout poterat honorificentiae, caeterisque bonarum fructibus actionum studiosius insistebat. Coniuge denique liberioris generis in ipso aevo senili iunioris etatis sumpta, hunc Iohannem duosque post ipsum procreat.

10. Ipse in domo paterna eo teneriori cura educatus[k], quo animus senis ut ad id

a) rhetorica 1 b) probosae 1. c) mutasse 1. uel mutuasse 2. d) et 1. e) emuneratio 1. f) comitatur 1. uel commendat 2. g) iudicio 1. *deleto* i. h) plenissim' 1. i) nota ualde 2. *in marg*. k) eductus 1. uel educatus 2.

4) Vendiere, paullo infra Pont-à-Mousson ad Mosellam.

aetatis editum omnem inpatiens arcebat iniuriam. Litterarum tamen primis vix elementis traditus addiscendis[a], aliquandiu non longe a conspectu patris, postmodum, licet aegre eodem patre ferente, Mettis eis quae tunc esse poterant scolis instituebatur. Nonnullo etiam tempore in monasterio sancti Michaelis super Mosam fluvium[5] ad studia moratus est, ubi tunc temporis Hildeboldus quidam grammaticam professus ex discipulis domni Remigii[6], doctissimi ea aetate magistri, scolas habebat. Cuius[b] doctrina, ut ipse multoties postea fatebatur, incertum incuria an quodam, ut apparebat, supercilio, cum tamen a patre sepissime non mediocriter muneraretur, macram satis frugem scientiae eum contigit retulisse.

11. Patre iam inde brevi deficiente, cum ipse adolescentiam iam videretur ingressus, post aliqua, matre utpote iuniore thalamum innovante, solus fratrum totiusque familiae domesticae curator relinquitur. In ea parte actualis scientiae vel rerum omnium domesticarum amministratione quam strenuus, cautus, et ingenio caeteris propemodum hominibus praestantiori emicuerit, ut agro, pecore[c], familia, et his instituendis atque alendis substantia non mediocri locupletatus, deinde in artium diversarum, quae ad variam supellectilem usui sunt, exercitio et dispositione quantum valuerit, ut fere in mundanis negotiis nihil esset quod eum praeteriret — de his omnibus silere melius puto, quam parum digne conscribere; presertim cum multorum adhuc horum reminiscentium testimonia sufficienter supersint, ex quibus, si quos hec cura pulsat, facile possint doceri.

12. Usque ad exactam itaque virilem aetatem in domo propria versatus, diversorum tam secularium quam et ecclesiasticorum, honeste dumtaxat vitae hominum, familiaritati in variis officiis et negotiis per omne id tempus, prout oportunum fuit, adhaesit, ex quorum contubernio optimam sibi formam vivendi[d] exemplumque conduxit. In domo comitis Riquini, praestantissimi ea tempestate et in omni genere agendarum rerum prudentis et sagacissimi viri, per annos aliquod obversatus, plurimum exinde sibi cępit profectum. Nam et aeclesiam villae ipsius ex qua ortus est dono eiusdem comitis possidebat. Dadonis etiam, summi ingenii et famosissimae sanctitatis episcopi Virdunen-
7 sis[7], non parvo tempore frequentia usus est, qui sibi quoque eum ob bene meritam indolem vivaxque[e] in eo perspectum ingenium, perpetuum facere cupiebat; sed quas ob causas non obtinuerit, parum comperimus.

13. Cuidam deinde nobili viro Warnerio in confinio Tullensi causa aeccłesiae sancti
8 Laurentii in villa Fontaneto[8] eidem civitati adiacentis se nomine Domini socians, eius officiis quam familiariter insistebat. Ea occasione Tullo ei tunc temporis frequens recursus, quia cum hac ex proximo, altera quoque quam simul genitalis soli retinebat ecclesia, eiusdem erat dioceseos. Unde Bernerum diaconum ipsius sancte sedis in subiectione ecclesiastica sortitus magistrum, virum sane et opinione sanctitatis et litterarum scientia eó loci satis celebratum, studio lectionis apud eum intentiori cura operam tunc cepit inpendere. Altius autem sibi eatenus sic tempora praeterisse dolebat, ut de integro rursus scolas innovare cogeretur. Puerulus siquidem in diversa, ut dictum est, preceptoribus ad studia commissus, quantulumcumque aurem inde vaporatam retulisse visus erat, totum id consequentium curarum mole pene sopitum amiserat. Sed facilitatem ingenii gratia iuvante divina, ea citius dampna lucri sequentis felici reparavit successu. Prima itaque elementa grammaticae primasque tantum partes Donati ex ipso Bernero[f] audivit, eaque introductoria aspersione contentus, divinis se omnino transtulit scriptis. In quibus intra breve tempus tantum intellegentiae praetulit lumen, ut omnium novo miraculo ad quascumque sapientum non dificulter occurreret questiones.

14. Ecclesiam porro sancti Laurentii, quam diximus, unico amore excoluit, et in ministerio aecclęsiastico necessariis quantum religiosius potuit exornavit. Quotiens denique vacuum erat, strato ibi locato per plures dies inde non recedebat, noctesque creberrimas orationibus continuabat. Et quamquam seculo adhuc voluptatem laxare videretur, secretius in occulis Domini pro locis et temporibus spiritalibus inhiabat. Ibi feminam quandam[g] ex geniceo[h] domini sui divinis officiis sub velamine deputavit. Quae

a) id est pars— 2. b) pro „de cuius“; nam ablativus . . . (nece)ssario dixit 2. c) peccore 1. d) uidendi *corr.* uiuendi *c.* e) iuuaxque 1. alius vivax (*deleta*) vel vi... 2. f) B. *c.* g) quendam 1. h) geneceo 1.

5) S. Mihiel. 6) v. Ademar. III, 5. supra pag. 119. et Flod. H. R. IV, 9. 7) sedit a. 880—925. 8) Fontenay ad Mosellam.

ut integra corpore loco sancto est tradita, ita usque sub debito fine naturae sancta manens carne et spiritu, sub stipe ipsius aecclesiae, nulla umquam attacta infamia, felix consenuit. Ibidem quoque peregrinum quendam iam provectae aetatis presbiterum exceptum, dum beato fine excederet, aluit et omni cura servavit. De quo plura bone actionis nobis pater Iohannes narrare consueverat: quod scilicet operi divino nocte ac die intentus, nullo fere tempore praeter corporeae necessitatis curam limen aecclesiae excesserat. Psalmos verbis et sensu distincte, ut pene sillabas eum recensere putares, assidue ore volvebat. Oratione pura noctis plurimum occupabat. Cum ipsis cogitationibus voce ipsa confligens, easque quasi manu deverberans: *Abite*, inquid, *vani et ignavi, non mihi psalmiculum ore subtrahite!* Ad martirem quoque plerumque querula voce clamitans: *Laurenti, quid hic agis, cur non me ab his vęsanis defendis?* Demones variis proludiis sibi obversari corporeis oculis testabatur, ut sepe sibi infestissimi usque in quosdam corporis cruciatus deicerent, lectoque per aliquod dies non consurgeret.

15. Hic idem de se referre solitus erat, tempore quo Nortmanni irruptionibus saevis circa Sequanam et Ligerim populabundi excurrebant se ab eis comprehensum, et in puteo quodum nimiae altitudinis, quales in patria que Belsa[9] dicitur plurimi conspiciuntur — nam inde oriundus erat — deiectum, in nullóque penitus lesum; inde item extractum in alio profundiori praecipitatum; cum nec sic opprimi potuisset, eductúmque gladio ferire decerneret[a], tandem uno ex ipsis dicente, necdum eum pervenisse in genus terrae quo mori deberet, divinitus ut creditur dimissum; cum post aliquod orarum spatia Nortmannis praetergressis, puteo se reptando utcumque[b] exemisset, et iter ingressus fame pene deficeret — nam triduo iam fere sine cibo manserat —, repente in media via tres iacentes reperit panes, ex quibus usque ad praedictam ecclesiam sancti Laurentii pervenit. Is sine ulla cunctatione firmabat, psalmorum virtute, quos semper in ore versabat, quos in ipsis etiam puteis consistentem se assidue decantasse fatebatur, de tot periculis liberatum. Ab eo idem Iohannes se ex multis, quae forte leviter gesserat, crebro monitum, et aliquando acrius redargutum, multipliciterque correctum, sepius gratulari solebat.

16. Sed et aliis quam pluribus, si quos probatae vitae ac doctrinae compererat, solitario comitatu quamquam secreto interim adhaerebat, paulatimque et quasi per partes a quibuscumque mundi oblectamentis subducens, castigatioribus se actibus applicare satagebat. Paulo ante dicto Bernero diacono maxime delectabatur, eumque honore et officio amplissimo venerationi habebat, pro eo quod non modo doctrina et vita eius, que item vicem gerebat doctrine, apud ipsum proficiebat; set et quod, si qua in se reprehendenda forte vidisset, nequaquam his vel ad momentum parcere noverat, quin statim severius, et si ita res exposceret, etiam publice obiurgaret. Erat idem Bernerus inter cetera, que bono odore de eo fama resperserat[c], religionis[d] et praecipue vitae pudicissimae a puero insignis[e], in vitia mordax, ut nec superioribus aliquando cederet personis. Eloquii nihilominus multa ei venustas, et plurima in exortando et persuadendo facilitas. Census ei non multo[*] sumptuosus, sed nec omnino abiectus. Simplici enim victu vel tegumento contentus, si quid tamen eorum fuerat, lautioris cultus et ut pene notaretur erat. Ita vir puri animi, sordium exteriorum attactum prorsus quadam sibi insita natura horruerat. Tantumque pudicitiae[f] virtus mentem[g] eius totam pervaserat, ut quo forte loco mulierem sedisse conspexerat, nullo pacto illa recedente eodem ipse vel fatigabundus succederet.

17. Interea Iohannes et Mettis monasterio sancti Petri, ubi et domum vicinam habebat, sub occasione aecclesiae quam tenebat, quae cum villa propria eidem monasterio subiacet, ebdomadarius sacri altaris ascitus, post aliquod quam ibidem offitium ceperat tempus, tali ordine salutis ei occasio divinitus providetur. In collegio puellarum eiusdem loci, quod nunc feliciter Domino miserante procedit, erat quedam moribus et conversatione remotior a ceteris, annis admodum puellaribus, nomine Geisa, quam amita eidem religiosa secretiori apud se custodia educebat; hec Fredeburg dicebatur. Ea ita-

a) *ita c. an* decernerent? b) atcumque *c.* c) *hinc 7 lineae alia manu eius temporis scriptae.* d) relionis *c.* e) insignia *c.* *) multu *c.* f) puditítiae *c.* g) *hinc prior rursus manus.*

9) Beauce ad Ligerim.

que Geisa cum ad artiora se cotidie sancte conversationis extenderet, inter cetera sancti propositi ornamenta, etiam sub omni veste cilicii usum addiderat. Iohannes eius instituti[*] adhuc[a] vix[9] aut omnino ignarus, dum quadam die, quonam incertum loco, cum ea familiaribus, ut cum ceteris adsolebat, sermonibus quedam insereret, a pectore puellae intra interulam, quae fuerat subtilior, umbram cilicii ad carnem latentis sub dubio visu prospexit. Manu protinus ad explorandum quid esset iniecta, ubi rem asperior tactus edocuit, stupore vehementi et toto corpore tremore exhorruit. Quid deinde hic habitus praetenderet, percuntatus, verecundior illa et rubore vultu aspersa, postquam aliquandiu obticuerat: *Nescis*, inquid, *nos non isti seculo vivere aut deservire debere? Hec ad quae*[b] *plerosque deditos video, vana prorsus et animarum perditionem esse perpendo. Longe alius mihi animus ab his, proprii tantum periculi sollicitam*[c] *cogit existere.* Plura in hunc modum sancti desiderii verba cum replicasset, Iohannes ab imo pectoris in alta excitatus suspiria: *Ve*, inquid, *misero mihi et ignavissimo, qui tamdiu moras non modo steriliter, sed etiam perdite vivendo protraxi! Scilicet me virum, hunc fragiliorem sexum virtute praeire oportuit. Nam summo probro et contumelia, non solum non consequor iam ambulantem, sed nec deses et totus herens terre ullo motu progredior aut conitor.*

18. His igitur acrius stimulatus et supra quam alias antehac cuiusquam exemplo virtutis accensus, de perfectioris vitae institutione fixa mente deliberat. Studium itaque lectionis divinae cum eisdem ancillis Dei summa vi statim arripuit, et primum sacrae bibliotecae historiam veteris ac novi testamenti percurrens ex integro, deinde quecumque in divinis officiis certis temporibus in aecclesia frequentatur, lectionis libri qui Comitis dicitur[10], orationes et si qua sunt sacramentarii in usus diversos, regulas supputationum temporalium, quae coram antedicto Bernero diacono prius ex multa parte relegerat, memoriae vicaciter[11] ut nemo superius commendavit. Precepta canonicae institutionis, hoc est decreta conciliorum, iudicia penitentum, ordinem actionum ecclesiasticarum, ad hoc et secularium edicta legum, ad unum usque ut ita dicam verbum corde recondita mire continuit. Omeliarum, sermonum, ac diversorum tractatuum in lectionibus epistolarum vel euangeliorum, sed et gesta sanctorum si qua sunt memorabilium, tantam concepit notitiam, ut quociens postmodum ei oportunitas forte accessisset loquendi, acsi prae oculis liber adesset, a prima usque in extremam sententiam ex ordine tamquam visa persequens vestigia verbis communibus universa revolveret. Cantibus ecclesiasticis sub idem temporis insudare, nec erubuit nec desperavit. Et licet nonnulli ut alieniori aetate deludi tacite riderent ingenium, pertinacia boni desiderii quamvis duro eluctato labore prorsus evicit.

19. Hec ei interim sanctorum negociorum ocia cum praedictis ancillis Dei fuere. Ex cuius etiam collegii multitudine plerasque[c*] ab infimis delectationibus ad caelestium desideriorum flammas igne divini eloquii permutavit. Que nunc usque testes ordinis vitae virtutumque eius existunt. Iam vero in caeteris exercitiis spiritalibus, continentia, ieiunio, vigiliis, orationum frequentia, vel reliquo labore corporeo, carnisque castigatione, quanta se virtute accinxerit, et de die in diem melioribus se praeparans, gratia Christi comitante in ulteriora semper tetenderit, sequentium attestatione operum forsitan melius demonstrabitur.

20. Ad mundi contemptum et facultatum renuntiationem ex integro, omni desiderio estuabat. Sed quo locorum se conferret, non facile pervidebat, adeo exemplorum copia se ex tota hac regione subduxerat, nec ullum omnino monasterium in cunctis Cisalpinis partibus sed et vix in ipsa Italia audiebatur, in quo regularis vitae diligentia servaretur. Quia igitur quo se verteret ignorabat, quod solum poterat virorum quorundam, quos fama vulgatior[d] a saecularium conversatione seiungere videbatur, frequens limina obterebat, eorumque actionibus intentus, nec in conlaborando[e] inferior, mensem plerumque aut eo amplius, nunc in istius nunc in illius contubernio et quoquo poterat obsequio exigebat. Mettis per id temporis duo continentis vitae praeconio satis celebres habebantur: alter Rotlandus scole cantorum in domo sancti Stephani praesidens, et in remotioribus oratoriis sancti Michaelis, quod erat in superiora eiusdem basi-

*) *ita Lab.* instituti *corr.* uestituti *c.* a) adhuc pa *c. quod Labb.* parum *explicat.* b) *ita I.;* atque *c.* c) solicitiam *corr.* solicitam *c.* c*) plurasque *c.* d) fulgatior *c.* e) co::laborando *c.*

9) scil. *gnarus.* 10) Hieronymo tributi. 11) i. e. *pervicaciter.*

licae sancti Stephani, orationibus, spalmis, missarumque celebrationibus, noctes diesque continuans; alter Warimbertus apud basilicam sancti Salvatoris non longe a clustris clericorum, pari nihilominus studio in rebus divinis Christo deserviens. Quorum vite omnibus acceptissimae testes adhuc multi supersunt, ex quibus, si quis velit, plenius potest addiscere.

21. His itaque non parvo tempore cohaerens, et multo divini operis labore se ipsum exercens, etiam apud eandem sancti Salvatoris basilicam retrusionis cellulam, in qua perpetuo clauderetur, adorsus est. Sed credo loci incommoditate offensus, utpote medio urbis, et potius secreta quelibet silvarum animo meditatus, interim statuit differendum. Audita interea fama viri venerabilis Humberti, qui Virduni reclusus, et scientia litterarum sanctarum, et laudabilis vitae testimonio clarus, et merito sanctus ab omnibus eo loci habebatur, celeriter ad eum contendit, et brevi mutuis confabulationibus animo inter se coadolescentes, aliquod dies cum eo exegit. Omnium ibidem excessuum suorum puram confessionem deponens, ex eodem venerabili viro formam penitentiae cepit. Carnibus ut putatur ab ipso tempore omnino abstinuit, et ieiunia sibi semper amica infatigato rigore arripuit.

22. Cum vero comperisset, et alterum quendam solitarium in vicinia eiusdem civitatis, intra remotiora saltus qui Argonna[11] dicitur, commorari, etiam hunc eadem fervoris 11 instantia adiit, si forte ibidem desiderio diu concepto de heremi habitatione satisfacere posset. Hic autem solitarius, Lantbertus nomine, et moribus et scientia omnino rusticanus erat, et nisi quod multus labor, quo satis superque durissimo et velut inrationabili se ipsum atterebat, eum aliquatenus in rebus divinis commendabat, alias stolidus et agrestis totus parebat, ut qui forte infirmiorum eum conspexerat, risum tenere vix posset. Tegendi corporis etiam et verecundiorum ei cura postrema; similiterque cibi vel potus longe ceteris mortalibus usus dissimilis. Modium integrum farinae in unum plerumque panem redegerat, qui mensem aut certe duos ei sufficeret, donec prae nimia duritia nisi securi non posset effringere, indeque sibi particulam ad pondus cotidie praeriperet. Item lebetem permaximum, holere ac legumine simul plenum, in unum excoxit, quod repositum cotidie, dum quid residui fuit, ad mensuram aqua cruda resolutum percepit. Subito quolibet mentis inpulsu ex heremo se proripiens, villas[a] et civitates subintravit, itemque repentę cellulae condidit. Noctis plerumque medio missas exorsus, etiam si sic animus tulit vesperi, aut ante, aut sub lucis crepusculo, post bidui triduive ieiunium, ut defectio corporis fuit, non diei non noctis ullum tempus in reficiendo servatum est.

23. De cuius conversationis vario proludio Iohannes nihil motus, multotiens etiam tantas in inbecillo corpore vires cum quodam stupore secum compensans — erat enim macie et squalore nimio confectus — cum eo aliquandiu est commoratus, cellulam quoque sibi ad habitandum compegit. Plures tunc ex vicino civitatis illuc visendi gratia venientes, et queque necessariis usibus conferentes, non minimum in sancto desiderio accendebantur. Inter quos et praefatus Humbertus plerumque accedens subindeque recedens, nonnunquam et aliquod dies subsistens; et quidam vir natione Britto, Andreas nomine, liberalibus adprime studiis eruditus, sed et animi virtute praepollens, et quod his maius est, in divina admodum studiosus. Hic de patria insula infestatione Nortmannorum, cunctis eiusdem insulae incolis aut occisis aut fugatis, cum pluribus aliis doctis aeque ac sapientibus viris pulsus, a reverende sanctitatis episcopo Dadone, cuius supra mentio facta est[12], in Monte-Falconis[13] cum nonnullis qui cum eo advenerant Brittonibus 12 exceptus, et satis liberaliter est procuratus.

24. Cum his communicato consilio, utrum loco eodem sibi salubre ac frugiferum esset manere, illi ut cauti et illius portentuosae stoliditatis heremitae morum non ignari, ab eius cohabitatione omnimodis animum deflexerunt; maxime eodem Humberto suadente, ut Romam memoriam beatorum apostolorum supplicatum prius adire temptaret, quod iter ipse iam dudum Deo propitio exegerat, et sic demum vita comite rediens, quod in commune ratio demonstraret pariter exsequerentur[b]. Mox moras omnes animi fervore disrumpens, sumptu sane non ignobili facto, iter magna ope maturat. Sociatus est ei

a) uulas *corr.* uuilas c. b) et sequerentur 1, uel exsequerentur 2.

11) hodieque Argonne. 12) c. 12. 13) Montfaucon; v. supra pag. 43. et Flod. H. R. IV, 39.

Bernacer quidam clericus, multo ante tempore cum Warimberto illo, de quo supra
c. 20. dictum est, Mettis apud ecclesiam sancti Salvatoris versatus, manu libraria ceteris eius temporis non inferior, canendi disciplina admodum praestans, sed et artis calculatoriae studiosissimus, caeteroque ingenio in rebus non minimum pollens, tenui quidem re, sed devotione in divina optime cumulata.

25. Postquam vero Romam veniens vota sancti desiderii circa loca queque sancta explevit, cupido eum in ulteriora tendendi amplius cępit. Ibique aliquibus ex comitatu relictis, ipse cum praedicto Bernacro paucisque quibusdam expeditior, usque montem sancti Angeli cognomine, qui Garganus dicitur, ocius percucurrit. Ipso tamen itinere montem Cassinum beato Benedicto insignem et congregatione monachorum frequentem conscendit, cumque ipsis servis Dei aliquod dies remoratus[a], sancti praepositi vestigia, que ibi nonnulla supererant, curiosius exploravit. Interiora etiam illa marini sinus, quae civitati Neapoli adiacent, servorum Dei habitacula sub nomine sancti Salvatoris, mon-
13 tem Bebium[13] haud procul perpetuo vapore fumantem miratus, penetravit, eorumque orationibus se commendans, nonnihil benedictionis ex his que secum tulit eisdem servis Dei largitus est.

26. Tandem Christo duce, felici cursu et cunctis prospere sibi cedentibus domum regressus, nec mora, monitore suo Humberto convento, consilio ipsius, quia locus desideriis eorum aptus nusquam occurrebat, secum interim domi subsistere, et si qua piae actionis poterat ibidem exercere, quamquam admodum aegre satius[b] duxit. Eratque utpote qui figuram huius mundi praeterire quantotius adtendebat, habens tamquam non habens, emens tamquam non possidens, utens hoc mundo tamquam non utens. Et iam totus caelestibus flagrans, specie sola res transitorias disponere videbatur. Ceterum vita eius in quo a monachi instituto differret, haud facile quisquam discerneret. Ita pernox in vigiliis, orationibus noctes diesque coniungens, lectionibus sacris studio vix aliquando interciso inhaerens, omnique castigatione corporis sese coercens, crucis auctorem, satis in sublime cruce levata, nisu indefesso cotidie sequebatur.

27. De tenore ieiuniorum ipsius an quid sermo digne valeat explicare, prorsus non sentio. Quae tanta pertinatia ab ipsis initiis sibi indixit, ut si qui forte erant ex sibi adhaerentibus qui hec cognoscere poterant, miraculo stuperent ingenti, quomodo vel extremo spiritu respirarę[c] in tanta austeritate sufficeret, qui pocius in augmentum admirationis postquam diem aut etiam biduum plerumque sine ullo cibo ac potu, ut nec modicum quid gustaret, transegerat, incredibili virium integritate et facie laetiori agilis et constans ad opus quodcumque incederet. Id vero ipsum ex ore ipsius nobiscum confabulantis sepe audivimus, quod in diem alterum frequenter omni cibo vel potu carens ieiunia extraxerit. Fatebatur enim, dum quidam fratrum dura aliqua refugientium aquam in potu male sibi conducere quererentur, nemini aeque ac sibi prius prae continuo usu vini, aquae perceptionem exosam fuisse: *adeo*, inquiens, *ut si qua dierum mihi vino fuerat abstinendum, aquam stomacho nausiante, panem etiam ipsum per totam diem cum omni cibo funditus respuerim.*

28. Praeterea quam celer et tamquam ne quis se prior irrueret festinus, armaturam caelestem induerit, quoque robore contra virtutes contrarias bellum Christo fretus susceperit, carneque ac spiritu reluctantibus, cum pars[d] melior de palma semper contenderit, tamen semper periculi metuens ridivivi, brachia numquam remiserit, utque inter hec, viciis hinc propulsis, virtutibus hinc intromissis, edificium morum optime compositorum structura perpulchra erexerit, magnorum ingeniorum vires[e] vix posse expedire existimo; cum certe hec ad ea, que divino munere post in conversatione monasteriali peregit, inicia quedam velut et abiecta valeant reputari. Hec autem omnia intra abdita domus, Deo solo teste, vix aliquibus ex familia consciis, operabatur, cavens omnino scire sinistram, quid faceret dextera, et ut tęnerae plantationis virgultum, priusquam sufficienti irrigatione radicem defigeret, manus atque ventorum contactum non bene credulum devitabat. His ergo, quoniam ad dicta rebus exaequanda ariditas ingenii minime sufficit, praetermissis, ordinem rerum potius exsequamur.

29. Sanctus Pater et unicum in his regionibus postmodum lumen monachorum,

a) remotus 1. b) spatiis c. c) respirarae c. d) pras 1. e) uirex *corr.* uires c. 13) Vesuvium.

domnus Einaldus, ipso tempore Tullo in summo omnium bonorum exemplo vitam ducebat. Is[a] in scientia literarum tam secularium quam divinarum ea[b] tempestate inter suos nulli secundus, cum esset sedis eiusdem primo quidem primiscrinius, postea autem etiam primus archidiaconus, cunctarumque opum affluentia dilatatus, amore celestis desiderii tactus, cunctis quae habuerat usque ad siliquam ut dicitur distributis, tantum simplici veste retenta et libris ac veste sacerdotali, in cellula claustro clericorum adherente sese cohibuit, et triennium fere in summa et ardua continentia vitam agens, raro usquam praeterquam ad ecclesiam missas celebraturus aut nocturnae orationis obtentu processit. Servulo tantum uno contentus fuit, qui ad queque forinsecus necessaria mittebatur. Nam nisi quae episcopus loci vir venerabilis Gauzlinus, in misericordiae operibus sane memorabilis, aut religiosorum quicumque misissent, nullis aliis sustentabatur. Clientulus quoque ex clericis unus, qui missas celebranti assisteret, derelictus. De qualitate indumenti, cibi, vel potus, qua cilicii assiduitate, ieiuniorum frequentatione, penitentiae austeritate sese damnavit, superfluus esse vereor in dicendo, cum etiam copiam quamcumque verborum operationis ipsius superet magnitudo.

30. Hic dum die quadam solus resideret in cellula, vocem de repente, unde aut a quo editam nescius, claro omnimodis sono hec audivit dicentem: *Sustollam te super altitudines terrae, et cibabo te hereditate Iacob patris tui; os enim Domini locutum est haec.* Ies. 58, 14. Paululum inde attonitus et secum ut fit multa animo reputans, postquam misso circumquaque ministro, si forte puerorum aliqui e scolis vicinis, dum recitant, hoc protulissent, ac neminem toto id temporis spatio in quolibet loco contiguo fuisse renuntiante, vir prudentis ingenii, gratiae divinae sibi oraculum in spem fiducialius deinceps de donis Domini praesumendi directum, fideliter intellexit. Quod apud se quidem ipse forti custodia animi servare studuit reconditum, rebus autem postea in ipso omnium eorum fides est subsecuta. Et hec quidem de iniciis tanti viri breviter pro loci negocio inseruimus; ceterum tanta felicium gestorum eius extat materies, ut et proprium opus doctioribusque merito arripiendum desiderent, et amplissimo audientibus et imitari volentibus fructui possint existere.

31. Cum itaque hic Iohannes et ipse domnus Eginoldus tam propinquis locorum intervallis abessent, alter alterum nisi facie sola et locutione communi non noverat; adeo uterque popularis fugitans gloriae sese tantum testibus fruebatur a Deo[c]. Cum interea casu quodam supra memoratus Humbertus e cellula, qua se iam dudum Virduni recluserat, ea quo nescitur obtentu effracta[d], eundem venerabilem patrem Einoldum ex improviso Tullo convenit. Is enim inter raros alios vitae ipsius iam pridem conscius fuerat. Viro sancto ad tam insperatam eius praesentiam stupefacto, praesertim quod fama ad se certo detulerat, lege reclusionis eum intrusum fuisse, causisque egressionis acceptis, inter quas praecipua erat, ob hoc se advenisse, ut heremum potius simul expeteret[e], ibique multo melius quam in urbium frequentia omni hominum molestia liberi Domino deservirent: consilio clam inter se conflato, ipsi per se, cunctis arbitris procul, flumine Mosella oppidum ipsum praeterfluente traiecto, et specu quodam in saltu vicino reperto, ibidem se tamquam perpetui heremitae futuri recipiunt. Mox quibusdam religiosis ex oppido virum sanctum requirentibus, et quamvis locum aditu difficilem amore superantibus, ubi eos convenerunt, ceptum huiusmodi, quod nulli utique bono umquam esset probabile, saniori consilio dissiparunt. Tanta siquidem loci iniquitas fuerat, ut nec ipsi cuiquam labori ibi insistere, nec a quoquam facile eis quicquam necessariorum posset conferri. Sed et ipse ut erat vir consilii non dificulter meliori sententia flexus, amicam continuo repetit cellulam, Humberto Virdunum ad sua se interim recipiente.

32. Qui dum rursus eum crebrius reviseret, quadam die inter cetera que familiaritas illa parere adsolet colloquia, dum, si qui forte alicubi ad id temporis qui ad sancta desideria aspirarent existerent, vicaria interrogatione percunctantur, hunc de quo agimus Iohannem sibi, ut praemissum est, optime notum adduxit in medium. De cuius laudabili conversatione cum plurima replicaret: *Hominem*, inquid domnus Einoldus, *olim cognosco, et ad me crebro venientem usu communi expertus sum; utrum autem harum*

a) His *corr.* is *c.* b) ex *corr.* ea *c.* c) adu *c.* et Deo *L.* ac Deo *M.* d) efracta *c.* e) *an* expeterent?

rerum, quibus nunc praedicatur, ei mens inesset aut studium, necdum vel tenuiter advertere potui. At ille: *Ita*, inquid, *homo est, non passim cuicumque se nisi notissimo aperit, et id non facile quidem. Apud se enim omnimodis latens, vitam, qua in secretioribus sub oculis superni arbitri districte admodum sese coartat, oculis hominum, ubi in publicum exierit, offerre summa vi atque arte dissimulat. Adtamen a vobis evocatus citius aderit, et mutua vestri collocutio me nihil extra quam res est de eo afferre facile comprobabit.* Nuntio mox se eum velle videre et alloqui insinuans, ita condixit, ut ipsius staret arbitrio, utrum ipse eum domi, an ille se Tullo conveniret, quidque horum mallet resignaret. Iohannes ad totius probabilis officii semper exsecutionem non segnis: *Discipulum*, inquid, *potius obviam decet ire magistro. Ego, ut dignum est, Tullo eum convenio.* Ut ergo advenit, Humberto adhuc ibidem eum opperiente, quam familiariter sibi alterutrum atque officiosissime adgaudentes, omnibus e conspectu remotis, de causa, propter quam accersitum illum miserant, conferre coeperunt. Tandemque ubi, post non modicam rerum celestium confabulationem, desiderii sui alter alteri iam fida secreta refuderat, consilium exinde sibi vitae ducendae, uti quibus seculo pęnitus erat animus renunciandi, cura sollicitiore disquirunt.

33. Sub hoc Iohannes causam sibi ratus oportunam cecidisse, totius suae conventionis cum viris religiosis ei seriem pandens, et maxime apud quos Mettis sibi frequens tunc solum erat recursus — nam a ceteris aliorum locorum iam dudum abstinebat — quanta viri ipsi in eandem sententiam concordia conspirassent, aperuit. Illo quam facile animis ad hoc inclinatis, ut secum ipse eosdem viros conveniret, hortatus est. Ita Humberto tunc propria repetente, ipse post dies aliquod Mettis accedens, et super sancto virorum illorum instituto non modice delectatus, aliquandiu etiam apud eos est commoratus. Interdum vero ad propria sub tempore recurrens, memoria[a] semel accepte dulcedinis quasi moras diutinaė absentiae egrę ferentem, suam[b] eis presentiam[c] citius
c. 17. revocabat. Erant autem religiose ille, de quibus supra dictum est, apud Sanctum Petrum feminae, Geisa et amita eius aliaeque nonnullae, et Salecho clericus sancti Martini ultra fluvium Mosellae, et Randincus presbiter tituli sancti Simphoriani extra portam urbis meridianam, apud quem et crebrius pro loci secretioris usu conveniebant, et Bernacer diaconus, comes Iohannis iam pridem Romani itineris; nam duo illi de qui-
c. 20. bus memoravimus vite praestantioris, Rotlandus et Warimbertus, iam vita decesserant. Cum his, veluti in quibusdam coelestium disciplinarum scolis, sanctorum ingeniorum viribus se ipsos cotidie in studiis omnium probatarum virtutum exercentes, duo ipsi viri praecipui aut lectionibus aut orationibus seu certe mutuis ad celestia cohortationibus insistebant, ipsosque cum quibus versabantur ad maiora sui imitatione amplius atque amplius provocabant.

34. Sed et idem venerabilis Einoldus iam et ipsa, ad quae interdum recurrere videbatur, propria civitatis Tullensis funditus sibi praecidens, dum cum ipsis tamquam mansionem perpetuam statuit, eosdem pariter omnes ad renuntiationem quoque rerum omnium impellebat. Unde cum dė his instantius consultarent, loca, in quibus communem vitam professi pariter habitare possent, sollicite pertractant; ad hoc nullo eis in his dumtaxat regionibus, qui sibi ad ea que mente conceperant oportunus videretur, occurrente — adeo seculi macula quedam cuncta fere coenobia offuscaverat — longinqua queque et peregrina delegere statuerunt. Hoc cum omnibus uno animo eademque sententia placuisset, Iohannes superiore profectione sua Italica circa Beneventanas regiones loca se quedam in desertis valde oportuna asserit conspexisse, in quibus labore manuum ad exemplar antiquorum sanctorum facili victu vitam ducere possent, quae utique et vinėtis et situ et vastitate obductis copiosa, et cetero usu mortalibus per omnia essent acommoda. Ad hoc et montis Cassini, quem subierat et propriis visibus exploraverat, mentionem adducens, simul et illius abditi intra sinus marinos sancti Salvatoris coenobii quod monti Bebio imminet, postremo in id omnes assensi sunt, ut quantotius profectionem illuc maturare decernerent.

35. Cum ecce, divinitus ut certum est hoc procurato, ad noticiam episcopi, magni postmodum rerum divinarum recuperatoris, domni Adelberonis, hec omnia perferuntur.

a) *in marg. manu* 2. Hic ui | . . sensu | . . (*i. e.* Hic videtur sensus esse). b) *addit* 2. c) *addit* 2.

Bernacer enim, unus ex ipsis, dum aecclesiae sancti Salvatoris post domnum Warimbertum stipe domini eiusdem aecclesiae magni et memorabilis viri Lantberti deserviret, eodem domino suo secretius evocato rem omnem ordine aperit, meritisque sanctitatis domni Einoldi atque huius Iohannis ceterorumque qui cum eis erant et fervore sanctorum desideriorum eidem plenius intimatis, et qualiter, quoniam in his regionibus non eis aptus occurreret locus ad serviendum Domino, exteras destinarent petere regiones, id ab eo interim accepit responsi, ut quoquo pacto eos retinere temptaret, dum ipse oportunitate temporis capta episcopo ea insinuaret. Quod Domino faciente cicius ex voto cadente, queque sibi super viris eisdem erant comperta, pleniter explicat, addens ad hoc summo utique probro hanc maculam eis omnibus post seculis inurendam, si hi famuli Christi tanta spacia eius episcopii, Deo propicio sic in inmensum dilatati, ita sibi causarentur praeclusa, ut quia nusquam exciperentur, in longinqua quedam sub coelo incognito properarent, frustraque tot dicionis ipsius esse monasteria, si modo ab his tam brevis numeri homines pellerentur.

36. Episcopus cum nihil sibi umquam magis desiderio fuisse respondisset, quam ut penes se retinerentur, ac vicissim ab ipso Lantberto de loco habitationis eorum exquireret, ille Gorziam monasterium, non multum ab urbe longius, eis optime posse concedi respondit. Ibi repente viro prudentissimo, quid aliquando, antequam apicem pontificalis honoris attingeret, super loco eodem sibi in voto fuerit, secum animo reputante, nec humano consilio sed divina cura rem agi considerans, nihil omnino cunctatus firmat sententiam. Interim rem taceri iubet, dum tempus eos detur acciri. Erat locus idem ex qua olim fuerat specie praestantissima longo iam situ pene praeferens solitudinem, et praeter paucos in veste monachi inibi habitantes, quibus divinae stipis vix modicum quid inferebatur, cetera ornatu omni submoto[a] foeda locum facies obsidebat. Possessionum quicquid exterius fuerat, Adelbertus comes, vir genere quidem clarus, ingenio autem ferox ac violentus, nec bono cuiquam fere umquam morum probitate probabilis, ex beneficio episcopi cui militabat, gratia sane ingrata, tenebat. Cognatus ipse iam dicti Lantberti — nam eius sororem habebat — idemque inter se quibusdam animositatibus dissidebant. Ergo idem Lantbertus postquam animos episcopi ad hoc inclinatos persensit, Bernacro celerius refert, ut viris quantum potest persuadeat, quo mox coram venientes, quem sibi locum deligere malint, fuerint percunctati, omnibus praetermissis Gorziam postulent.

a) sub motu c.

37. Dum hec clandestinis inter hos agitantur consiliis, omnium horum adhuc illis ignaris et de peregrinatione maturanda tractantibus, alius item ipsorum, cui nomen Randinco, absque licentia episcopi, sub quo stipe canonica alebatur et titulo supra memorato deserviebat, se vel quibus deputatus esset deserere, vel quoquam perpetuo posse secedere, non satis integrum sibi videri, suggessit. Domno Einoldo cum nullo modo improbante, immo canonicam sic se habere regulam asserente, ad hoc et ceteris ut ocius fieret in commune ferentibus, Bernacro mediante per virum clarissimum omniumque apud episcopum consiliorum intimum Lantbertum conspectibus episcopi praesentatur. Ubi cum, gratia habitus postulandi quid reliquis quoque esset in voto, ex eius narratione palam perclaruisset, omnes qui forte constiterant ammiratione gaudio intermixto, ne tales ac tanti desiderii usquam dimitterentur, dignaque eis provideretur pocius habitatio, vocibus orabant et precibus.

38. Mox omnibus coram accitis seque digne ac reverenter exceptis, post audita ac reddita vicissim colloquia ubi episcopus, quam promti in eos animi esset, exposuit, locum sibi ad votum quocumque in suo episcopio copiam eis dat eligendi. Illi spatio brevi inter se conferendi petito et accepto, Bernacer, ut clam doctus erat, Gorziam nominat. Ceteris incerto nutantibus, eo quod peregrinatio eis multo dulcius complaceret, Iohannes, quo maiore nemo ardore exilii estuabat, astu quodam, tamquam id omnino esset impossibile: *Optime*, inquid, *neque alter quisquam melius postulabitur!* estimans videlicet, eo sibi denegato — pro eo quod Adelberto nullatenus terra videretur posse extorqueri, uti qui magnitudine potentia ac ferocitate cum sui tum fratris Bernuini Virdunensis episcopi, acerrimae pariter mentis viri, plurimum ac pene in inmensum niteretur — sua nihilo desideria remoranda. Quod longe aliter Domino disponente provenit. A con-

sultatione namque mox introgressis, cum quid convenisset retulissent, episcopus nihil omnimodo differens, sine ulla cunctatione, ut iam dudum animi fervore conceperat, locum
933. protinus iuri eorum contradidit[14]. Nec multo post etiam terram eidem Adelberto sublatam, que res[a. 15] utique ad vim non minimam spectare videbatur, licet ei prae magnitudine devotionis postrema haberetur, monachis ex integro reddidit.

39. Quanto autem studio vel ipsos vel locum unice praeter cetera dilexerit atque voluerit, oculorum magis quam sermonum fide petendum est, ut brevi ex illo dudum squalore deterrimo[b] cuncta loci illius habitacula in novam quandam lucem et gratam aspectibus resplenduerint venustatem; ubi etiam, ut mox inde ab initio praeoptaverat, sepulchro sibi quam longissime ante obitum collocato, Domino miserante venerabiliter est tumulatus. Praestititque ei gratia Christi opere adimplere, quod quondam ante non-
16 nulla ordinationis suae tempora tacito sibi in mentem voto obvenerat. Nam[16] tempore Wigirici praedecessoris sui cum quadam dierum populo admistus[c], qui ex urbe ad idem monasterium, angustia siccitatis compellente, pedibus nudis processerat, ipse quoque ad martiris ibi quiescentis beati Gorgonii sepulchrum usque venisset, horrentemque loci situm vidisset, ita ut iuxta altaria ipsa vestigia foeda animalium deprehenderet, ubi se ad orandum prostravit, altius prae tanta praelatorum iniuria circa loca sanctorum ingemiscens, in hec, ut ipse postea referre consueverat, verba inter orandum prorupit: *Si indignum me*, inquid, *ó pietas Christi inmensa, et tuum, qui hic ades testis Domini, pium auxilium, huius sancte sedis tuae ministrum umquam promovere dignaberis, hanc loci huius miserabilem, quam cerno oculis, faciem in aliam ab hac habitudinem, te mihi adiutore facto propicio, commutabo.*

927 Mart. 1. 40. Audivit Omnipotens, et Wigirico non post multum tempus absumpto[17], cum ei Benno quidam genere Suevus, in heremitica apud Turegum vastam solitudinem[18] aliquando vita famosus, zelo utique pio optimi tunc principis Heinrici, Octonis cesaris postmodum gloriosissimi genitoris, successisset, eoque, quo profundo iudiciorum Domini abisso incertum, a pristine sanctitatis et heremo quaesitae laudis dignitate defervente,
928. ad ultimum lacrimabili rerum serie a nefandissimis servulis in abditis excecato, dum
929. sese postea in concilio episcoporum[19] idem publice officio abdicasset, ipse Adelbero, praeter spem omnium, cum esset regii quidem paterna simul ac materna stirpe longe retro
20 usque ab hominum memoria sanguinis[20], sed ob rei familiaris inopiam, qua secundis matris nuptiis laborabat, censu aliquanto tenuior, consensu omnium publicisque aecclesiae

a) *ita Labbeus correxit*, quereus c. sublatam querens, utique *Mab.* b) *i. e.* teterrimo. c) admittus c.

14) Chartam exhibet Calmet hist. de Lorraine T. I. Preuves p. 338. 15) scilicet *terrae sublatio.* 16) cf. Iohannis Gorziensis miracula S. Gorgonii c. 8. 17) cf. Translat. S. Glodesindis. c. 46. supra p. 237. 18) in Heremo, Einsiedeln. 19) cf. Mon. Legg. II. p. 18. 20) filius Wigerici comitis, consanguineus Evae comitissae (matris Odalrici Remensis archiepiscopi), cuius et maritus Hugo comes a S. Arnulfo descendit. Cognatio Adalberonis haec est:

Hludowicus Pius (?)
N.
N.

Wigericus comes obiit in monasterio Harsteria. — Fridericus monachus Gorz. abbas S. Huberti.

Richizo — N. (Wigericus comes): Gozilinus et alii.

Wigericus comes: Fridericus Brunonis vices gerens a. 959. dux a. 960. † 984? uxor a. 954. Beatrix Hugonis M. filia. — Adalbero I. episcopus Mettensis 929 † 964. (cf. Flodoard. a. 942, 947, 948, 950, 951, 953, 954, 959.)

Fridericus: Theodoricus dux a. 984. (Richer. 3, 103.) † 1024. — Adalbero II. episcopus Mettensis 984 † 1005.

Theodoricus: Fridericus II. dux † 1032. — Adalbero III. episcopus Mettensis 1046. † 1072.

Fridericus II.: Beatrix nupta Bonifacio Tusciae marchioni. — Sophia.*

*) cf. supra p. 84. Albericus in chronico ad a 1033. Beatricem et Sophiam filias Sifridi, fratris Friderici II, fuisse scribit.

legitimisque suffragiis in sacrae Metensis cathedrae pontificium Domino promovente 929.
sustollitur.

41. Cuius deinceps actus de die in diem felicius procedentes ut Christo duce succreverint, et ut in monasteriorum praecipue reparatione[20] studium prae cunctis transfu- 20
derit, nequaquam brevi sermone stringi quisquam quesierit, neque mihi id, si sapiam, arrogare praesumpserim. Et certe res ipsa ita se cunctorum ingerit oculis, ut quicquid dictum fuerit, minus videatur, et multitudo factorum nequaquam exaequari valeat facultate verborum. Ecclesiam siquidem, quam superiorum temporum perturbatione ab omni paene studiorum bonorum fervore tam in divinis quam et humanis detritam susceperat, ita secum Domino operante ex nullo, ut ita dixerim, in summum repente statum provexit, ut quecumque diocesi suae suberant monasteria, longo iam et veteri morbo ab opere rectitudinis languida et pene desperata, regularibus disciplinis reddiderit, viros vita et doctrina probatos singulis quibusque locis praeficiens, qui mundo perfecte abdicato, ceteris documento et disciplina proficerent. Clericorum ipsorum conciliabula, eo quod divisam cum seculo conversationem non satis probabat, in monachorum instituta mutavit. Sanctimonialium habitacula, quod ea, etsi non re, fama tamen obscurari quam aegre ferebat, omni sinistrae suspitionis morsu eripuit, et ad idem quo monachos institutum, et in nullo dispares observationes, pro sexus virtute coercuit. Nec iam antiquioribus et eminentioribus contentus locis, ipsas quoque cellulas longius ritu vago dispersas, in quibus vix octo aut certe minoris numeri clerici rurales nuda verborum reddebant[a] officia, monachorum habitu et observationibus insignivit. Utque tempora resque tulerunt, terras sumptibus eorum necessarias et quae locorum erant restituit, et propriis usibus subtractas egregia liberalitate additis testamentis contradidit.

42. Sed quamquam omnium miro studio eum cura tenuerit, Gorzia tamen, ut dixi, unico sibi semper fuit amori, pro eo quod et principium operum eius extiterat, et sanctitas praedictorum virorum Einoldi atque Iohannis eum praecipue oblectabat, quibus etiam, prae excellentia virtutis fidei et sapientiae, in omnibus fere deinceps divinis seu humanis est usus consiliis. Nec ferme aliquando, quicquid eorum promulgavit sententia, frustra temptatum est, ut contra, si quo extra egressum, sero penituit.

43. Ingressi sunt autem idem monasterium anno incarnationis dominicae 933. obti- 933
nente partem Franciae regni quondam Lotharii Heinrico Germanorum rege, quo gloriosissimus Otto cesar, omnium retro praeconia superans et universo orbi non minus gloriae quam fructui natus, exortus est; Franciam autem occidentalium partium Ludowico, filio Karoli, qui bello apud Suesionum civitatem nota fama nec victus nec victor, in custodiam ad mortem usque detrusus est. Ut autem eos pariter superior descripsit conventus, ita omnes sacrae miliciae successerunt, id est ipsi primi et novi duces exercitus praestantissimaque eius seculi lumina, Einoldus atque Iohannes, deinde Salecho ex clericis sancti Martini citra Mosellam, Randincus presbiter tituli sancti Simphoriani, Bernacer diaconus de quo supra memoratum est, cumque his adulescentuli duo, Teuthincus minister domni Einoldi, et Teutherus, qui adhuc bone conversationis superest, cum Randinco presbitero, cuius erat nepos, admissus. In vestibus clericorum aliquandiu incesserunt, donec episcopo illuc veniente, et more monastico electione de sibi praeficiendo patre petita et accepta, cum institutione vitae regularis, habitum quoque monachi commutarunt.

44. Uno enim voto et pari sententia domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipse primus omnium episcopo regularem conversationem ex instituto beati Benedicti scripto professus, et cruci dominicae dedicandus, cucullo induitur. Sequentes abbati ex ordine profitentes, in miliciae celestis et obedientiae sacramenta sub ipso omnes similiter pari[b] modo coniurant. Ad res extra curandas domnus Iohannes doctus et gnarus earum eligitur. Pauci qui ex vetusta conversatione ibi supererant monachi, ad exemplum novorum coacti in communionem vite etiam ipsi assensi sunt. Census eis vel substantia primo admodum tenuis fuit, quam tamen interioris animi tesaurus facile tolerabilem faciebat, fidesque in Deo plena, quae nescit defectum, religiosos quosque ex locis diversis

a) reddebat c. b) patri *corr.* pari c.

20) cf. chartas a Calmeto in Preuves de l'Histoire de Lorraine collectas I. p. 338 sqq.

in eam tunc primum nascentis gratiae venustatem excitos, quibuscumque necessariis[a] impendendis ardore certatim altero alteri inruentibus impellebat.

45. Ad hoc ipse Iohannes quaecumque in facultatibus pridem supererant, tamquam fidele Christo mancipium, immo probans in modico, quam fidelis in maiori esset futurus, illuc cuncta contraxit, ita ut ne propinquis aliquibus, vel ipsis etiam carne germanis, quicquam ex quibuscumque possessionibus relinqueret, quin potius ad cumulum gloriarum celestium ipsos, qui tantum duo fuerant sibi germani, ad divinum post modicum temporis secum subegit servitium. Resque omnes tam in domibus quam in agris cum vinearum pulcherrima admodum copia, quaecumque partibus erant venture, in unum redactas, usibus communibus monasterii delegavit; condicione tamen ea proposita, ut dum ipse adviveret in ius monasterii retenta, eo decedente non aliter ab heredibus, si qui forte proximiores tunc essent, repeterentur, nisi prius in libris argenti 30 monasterio datis redimerent. Matrem quoque secundo viro viduam, post nonnullum tempus cum aliquibus ex familia ad se recurrentem, quod iam provectioris esset aetatis, in stipe monasterii[b] extra suscepit. Ubi etiam plures annos ipsa sancta anus postea in bona conversatione, fratribus congregationis ipsius serviens deguit, et quaeque in vestibus erant necessaria, ipsa cum suis aliquibus, quae secum in eadem stipe monasterii manebant, strenue satis ac fideliter exercebat. Ibique in ipso devotionis obsequio diem clausit extremum.

46. Cum ad hunc[c] usque locum nisu admodum debiliore evectus, in documentum prorsus hebetatioris ingenii, veluti viribus cunctis effusis, a coepto tandem segnis et tamquam multo opere delassatus, brachia penitus deiecissem, nec ulterius viam qua procederem aut nullam aut dificulter inveniendam mihi superesse, sperarem, inopinato studiorum omnium lux hac nostra nominandus aetate, et cum usui tum ornatui rerum omnium totus natus, maximus et inclitus praesul domnus supervenit Deodericus. Quo videlicet hortatore atque impulsore, ut in principiis reddidi, unice praeter cetera usus, ad hoc opus nimium audax prorupi. Is ubi me casu domi convenit, si quid iussi operis seu quantum confecerim requisivit. Cui cum verebundus, uti egeni conscius ingenii, nec negare, nec libere, quod quoquo modo ineptum et plenum nugarum edideram, offerre praesumerem, atque inter utrumlibet haesitans trepidarem, ille, scedulis sibi deferre iussis, ordine cuncta cucurrit. Tum vero velut eos, qui sub luce maligna diversum ab eo quod se habet res intuentur, modo quam erant dissimili eum cuncta efferre, et quibusque obviis palam iactare, satis quod mirarer nosse non potui.

47. Forte ibi tunc Traiectensis seu Dabentrensis ecclesiae pontifex clarissimus atque in grege
978. Dec. 25. doctorum admodum celebratus domnus Popo[21] adfuerat, festis natalis dominici in communicationem gaudiorum ab eodem nostro antistite, cum suo, id est ipsius Poponis, genitore, viro in rerum publicarum cura strenuissimo atque comite palatino, cui nomen Berno, asscitus. Ei cum eadem pariter verbis non semel sufficientibus ingeminans extulisset, ad me cum ipso ora conversus, ut coepta nullo cunctabundus explerem, hortatu magis ac magis ampliore animos addere et favore quam plurimo mihi tamen erubescendo non desistebat accendere.

48. Quibus cum in aliquam forte facilitatem sese animus attolleret, ut pene iam sibi possibile esse ad quod tanto plausu instigabatur promitteret, in semet paululum post tamen relapsus, et virium itidem ut erant consideratione remensus, non minus quam a principio propriae inercie veternum, solo haerere compulerat. Sed ut cito moras cunctationis dirrumpam, cum hae utcumque animationis[d] excitassent, tum qui inminutionem amor viri quem suscepimus nescit admittere, prae omnibus quicquid virium mihi posset superesse, superque ipsas vires contendere sibi coegit expendere. Itaque

a) necessarius *c.* b) manasterii *c.* c) adhuc *c.* d) animationes *Mab.*

21) Poppo sive Folcmarus sedit annis 977—990. Utrumque nomen idem esse, supra in Vita Brunonis vidimus. Iam igitur SS. T. III. p. 767. apud Thietmarum IV. 1. 2. cum Annalista Saxone Poppo Traiectensis intelligendus et dicendus erit; et recte abbas Fuldensis et Laureshamensis, qui ab aliis Bobbo, a Thietmaro VIII. 5. p. 863. appellatur Wolcmarus. Aliud exemplum nominis huiusmodi duplici modo usitati infra in Miraculis Adalheidis occurret, et Liudolfum et Liudgardam Dudonem et Dudicham vocari SS. T. III. 215. 745. vidimus. Eodem modo apud Anglos hodieque Robertus et Wilhelmus nomina Bopp quoque et Dick efferuntur.

reliqua ab ipso religionis habitu accepto, que ei conversatio fuerit, quantum scilicet aut ex testibus cunctis piis eius actibus adherentibus, viris utique religiosis, aut ex ipso narrante, ut casus tulit — quod tamen, dum gloriam respuit, rarum fuit — audivimus, vel quae ipsi, quibus nulla potior fides, persensimus, hinc ut Domini erit misericordiae prosequemur.

49. Ceterum ne cui seu interrupta aut extraordinaria series videatur, si qua de personis, quarum[*] quippiam eorum que dicentur interesse videbitur, inserentur, quarum et nonnullas superior propositio intulit, et decurrens alias pro causarum oportunitate et temporum sermo plures inducet, de quibus utique prioribus consequentia non reddere, ratio ipsa, etiam si conaremur, resisteret. Simul vir isdem longe incomparabilis cum ita vitam egerit, ut solitarius inter multitudines vixerit — nam frustra nisus recederet, si quis eius robore virtutum se posse aspirare confideret — non sibi tamen soli que fecerat arrogabat, verum caeteros secum operari quicquid illud vel secreti solius esset iudicabat. Nihilque prae se superius quam communis vitae actionem umquam alicubi fecerat. Quocirca qui ei pariter versabantur, eorum non inmerito gestis ipsius acta intererunt, qui non modo nullam tamquam superiores ei invidiam facient, sed illis potius ex tanti viri contubernio fulgor[a] quodammodo amplior cumulabitur et claritas crescet et gloria.

50. Antequam ergo ultra promoveam, primo quia non alias forsitan magis oportune se locus offerre videtur, de viris quoque illis venerabilibus, quos textus superior memoravit, Andrea atque Humberto, dignum arbitror dicere; quorum uterque his item c. 23. utrisque Einoldo atque Iohanni non imparis sanctitatis, incitamenta et quidam quasi stimuli ad virtutes fuere. Hii enim ut fama vulgante loco praedicto se viros eosdem recepisse et plures undique ad eos divinae servitutis amore compererant festinare, ipsi quoque nullo remorati, etsi non tempore animo tamen atque intentione pari, illuc convolarunt, et monasticam institutionem professi, quibus fuerant prius praevii et magistri, eorum magisterio et ducatui subici nec abnuerunt nec erubuerunt. Et cum Andrea quidem germanus ipsius Maginfredus, postea etiam alii quidam gentis eiusdem sunt subsecuti. Cum Humberto autem puerulus quidam ei ministrans, Milo nomine, susceptus est, bone ipse indolis et non minimo postmodum usui profuturus.

51. Praeterea quod de eodem viro venerabili Humberto primo cum narrationi in- c. 21. cideret est praetermissum, hic breviter reddendum videtur, qualiter ipse quoque divino impulsu in habitum religionis transierit. Ex parentibus hic etsi ruralibus non adeo tamen re familiari subtritis, dum adulescens cum eisdem versaretur, quadam forte die, uti se vita illa invicem retinet privatorum, noti aliqui vel affines in domo eorum venerant convivae. Illis, ut forte hora tulit, ibi nocte retentis cubitumque petentibus, lanceolas, quas de more baiulantes attulerant, feni acervo, quod propter fuerat, verso sursum ferro apponunt. Casu idem adulescens paulo ante acervo conscenso[b] ibidem obdormierat. Ad multam fere noctem somno excitus, cum extra nescio quo ante condixerat egredi vellet, per acervum se sensim dimittens, inter erectos cuspides vicino nimium est illisus periculo, ita ut veste corpori adhaerente comprehensa ferroque terebrata, per hastile usque ad terram decurreret. Hastili subacto et re palpatu solicitius explorata, stans et tam praesentem circa se Dei custodiam etiam prava molientem considerans, gradum ab incepto iam meliora deliberans retinet, atque in reliquum Deo servire mente tota pertractat.

52. Nec multo post, licet patre plurimum obsistente, rebus cunctis posthabitis, Romam proficiscitur, et in id perlustrationis tempore non parvo exacto, reversus cellulam reclusoriam Virduni sibi constituit. Ubi diuturna abstinentia ceterisque bonorum operum studiis, pluribus visus est profuisse. Lectioni quoque assidue operam dans, brevi non modicum scientiae tesaurum sibi comparaverat. In quo illud miraculo fuerit[c], quod ante horum fere expers, spiritu tantum magistro sapientibus repente non dispar, certe superior in multis apparuit. Ibi per idem tempus duae oppidi ipsius religiosae feminae cellula seorsim remotae ab eo instituebantur, et ex fenestra tantum cellulae verbum doctrine seu ceterae institutionis sumebant. Aliae item duae apud eandem urbem eius sunt exhortatione accensae, quarum altera mater plurimarum ancillarum

*) quorum c. a) furgor c. b) consenso c. c) fuerat corr. fuerit c.

22 Christi postea facta est[22] in territorio Tunlensi[*], loco qui Buxerias dicitur[23]. Ubi monasterium ab episcopo bonae memoriae Gozlino[24] ex novo constructum, postquam he duae primum sunt intromissae, multiplex deinde ex diversis mundi lateribus sancti fervoris se ibidem examen infudit, ut usque hodie nova quadam gratia inter cetera resplendere videatur. In ea itaque cellula reclusoria multos agens[a] annos, postquam, ut supra memoravimus, gratia domnum Einoldum visendi Tullo veniens domnum Iohannem ei innotuit, indeque propria repetiit, mox certae sedis ipsorum famam percepit, cum eis et ipse habitaturus accurrit. In qua societate de reliquo pio admodum labore est conversatus, donec causa religionis exinde monasterio beati Apri Tullo translatus est; ubi et in cura gregis dominici beato fine quievit.

53. Andreas quoque et ipse postquam in eadem sacra milicia plurimam aetatem confecerat, iam senex et mentem candore capitis referens, Romam ad postulationem pape Agapiti mittitur, qui litteris cum nuncio quodam idoneo viro multum a domno
c. 950. Einoldo efflagitaverat, aliquos sibi religiosos, quos in monasterio beati Pauli, quod tunc ad monasticum ordinem transferre moliebatur, cum auxilio regis Albrici collocaret, transmitti. Quo cum altero quodam fratre, qui ex monasterio Luxovio Gorziam ante aliquod annos advenerat, perductus, regulari institutione loco informato, non multo post receptus ad Dominum, ibidem est tumulatus.

54. Et quia mentione duorum augmentum congregationis eiusdem tangere coepimus, de aliis quoque quae[b] memoratu dignae successerunt personae, quam succincte res pacientur, mox inferre non inconsequens arbitramur. Ita enim, plano quodammodo spatio, de viro quo proposuimus decurret narratio libera atque omnibus expedita sibi primum absolutis, soli tantum proposito continuus et nullo intercisus labor incumbat negotio. Ut ergo suave fragrans[c] odor, in qua Christus recubuerat, domus ibique iuxta vel procul respersus est, fideles quique eo adtracti, mira celeritate undique cepere concurrere. Nec solum qui sancto desiderio iam dudum accensi, vel spiritu occultius inspirati, vel lectione divina excitati, quis eis viam rectae conversationis ostenderet exspectabant, mox tota aviditate quod oblatum cernebant amplexi sunt, verum alii quoque, qui eatenus frigidi torpuisse videbantur, horum exemplis concitati, tamquam carbonibus vivis sibi admotis calefacti, ad eorum consortium ardentissime festinabant.

55. Neque hi fere quicumque de trivio, sed urbanarum deliciarum gloriaeque et sumptuum fuere non ignobilium, quorum etiam opibus non modica supellectile locus est auctus. In his patruus iam dicti venerabilis domni Adelberonis fuit Fridericus, qui
25 infantulus quidem monasterio sancti Humberti[d.25] fuerat mancipatus, sed simili caeteris[e] loco eorum morbo pallente, ipse quemadmodum maiorum ducebatur exemplis, indifferenter seculo convivebat. Eratque ad id temporis, quia iam admodum aetate processerat, et magnorum quantum ad secularia sensuum virque industrius videbatur, episcopo adhuc tunc iunioris aetatis adherens, cuius et consultu pleraque tunc in episcopio agebantur. Animis praeterea, ut vere patruus, severioribus, a pluribus quam sepe non necessariis iuvenilia molimina revocabat. Hic tandem aliquando secum retractans, cum tantam eorundem virorum Dei videret instantiam, corde compunctus, cunctis quae se male illexerant posthabitis commodis, ocius eis accessit. Nec multo post loci ipsius praepositus post abbatem[f] statuitur, ac domnus Iohannes ei solatio subponitur[g]. Postea
26 autem rogatu episcopi[26] Leodicensis Richarii monasterio proprio sancti Humberti restitutus et regulari ordine abbas praefectus, usque in finem laudabili conversationis rigore rem divinam optime monastico tenore continuit. Situs est Treveris in monasterio sancti Maximini, quo dum sollempnitas dedicationis[27] eum invitat, morbo repente pervasus, diem extremum ingressus est; novaque nove fabrica ecclesiae novo ospiti novum primo sinum aperuit.

28 56. Simili[28] modo Virdunensis aecclesiae primus ab episcopo curam gerens Odilo,

*) *ita c.* a) ei gens *c.* b) *deest in c.* c) fraglans *c.* d) *corrige* Hucberti. e) cetęris *c.* f) habatem *c.* g) subpunitur *c.*

22) a. 962. 23) Bouxières aux Dames, hodie dioc. Nanceiensis. 24) obiit a. 963. 25) S. Hubert. 26) annis 922—945. 27) a. 942. 28) Kaddroes quoque sub Agenoldo Gorziam degit, ut ex Vita eius cap. 24. discimus: „Rumor igitur ubique nomen eius detulerat, et de virtutibus viri omnes gentes narrabant. Adalbero praesul nobilis nobilem Mettensium nobiliter gubernabat cathe-

vir natalibus clarus, facultate sufficiens, in rebus agendis admodum strenuus, et si clericum forte non impediret, nullo* que mundi fert ambitus loci sui cuiquam impar, cunctis illis mordacibus[a] curis reiectis, huic sancte paupertati pauper spiritu factus se contulit, exiguumque ac vile stipendium cunctis seculi opibus gloriosius et sufficientius estimavit. Is quoque post bene adultum sanctae conversationis robur, petitus reformationi monasterii, quod dicitur Stabulacum, ibidemque promotus[28], ad rectitudinis lineas, quae 28 prava forte invenerat, Christo auxiliante correxit; ubi etiam cursum naturae persolvit.

57. Ad idem ferme tempus, specimen ut ita dicam et flos eius quod tunc coelestis conpingebatur serti, iocundissimus atque spectatu dignissimus Angilramnus, primo Tullensis, deinde sanctae quoque Metensis aecclesiae primicerius, nobilitate et opibus ea aetate, quodque consequenter satis esset gloriae praestans, moles secum auri atque argenti caeteraeque cumulos supellectilis trahens, instar primitivi illius apostolici populi in usus pauperum redigenda, sanctam illam sociaetatem expetiit. Predii quoque non ignobilem quantitatem monasterio sub testamento perpetuo obtinendam contradidit. Cuius quae postmodum fuerint conversationis insignia, quantaque fortitudine robur structure eius in reliquum se tenuerit, gratius forsitan audietur, si prius, quo paululum initia eius impulsa visa sunt vacillasse[b], breviter perstringetur; cum praesertim concussus, non statione penitus sit exturbatus, eoque firmius postea pedem fixerit, quo ad tempus sese neglegentius locum quem ceperat observasse doluerat.

58. Is itaque ubi cum eo quo diximus sumptu susceptus est, eo quod ampla erat persona et ex deliciis, cunctisque ipsorum ante notissimus, mollius ceteris tractabatur atque honorabatur. Nam et ex eius clientibus aliqui ad idem se propositum contulerant. Ipse interea, uti qui necdum quam semel male admiserat gloriam perfecte corde dispulerat, nequaquam aequa aliis pati, et pro his quae loco contulerat paulo incontinentius elevari. Iamque quod consequens, increpationibus obstrepere[c], correptionibus non adquiescere, et uti qui se minores cunctos attenderet, quasi de superiori loco sententiam ferre, sed et si qui forte infirmioris animi sibi pro moribus accessissent, eos contra maiorum prolata pro libitu contueri. Ad hec pater Einoldus caeterique iam perfectae in Christo aetatis, multa pro rebus et temporibus reclamare, hortari, obsecrare, et prout aetas pateretur paulo severius obiurgare. Quibus tamen nonnunquam fere acerbiora in facie referens, vix contumeliis temperabat.

59. Quid plura? Cum tempore haec tracta plus opere longiore, ingrata nimium tedia peperissent, quadam forte dierum, dum pro simili nescio qua insolentia acrius argueretur, maiorem in modum animo concitato, e conspectu abbatis et ceterorum pariter assidentium sese proripuit, et male iam seculo, nisi Christus obvius repulisset, revolvendus, claustrum egressus est. Fratres tristes ac pavidi insecuti, cum eum in porticu exteriori, in qua exiens resederat, invenissent, eius genibus advoluti, modis omnibus quibus poterant aggrediuntur, et nunc divini nominis obtestatione, ne faceret, obsecrare, ne quod bene coeperat bonum male amitteret; nunc perpetuam, quae se apud seculum consequeretur, ignominiam obiectare: reminisceretur magis ante exacti laboris, quem tam turpiter in medios conatus desereret; reminisceretur ad ultimum districti examinis, cui forsitan senex iam iamque se cerneret propinquare; astutias[d] insuper diaboli praecaveret, qui fructum totius laboris ei gestiret praeripere. Multa in hunc modum replicantes, cum ille adhuc inflexibilis, sua tantum sibi redderentur — se deinceps, quid se

*) i. e. nullo eorum quae. a) mordatibus c. b) facillasse c. c) obtrepere c. d) astituas c.

dram. Cumque e diversis partibus multa ad eum perferret fama, huius quoque viri nomen detulit; et ut erat amator religiosorum, venerabiles viros Agenaldum et Ansteum ad se advocatos, de viro interrogavit, et quomodo ad eum perveniat, inquirit. Venerabiles iam igitur dicti viri, desiderio domni pontificis rescito, saepe virum Dei super eo alloquuntur. Sollemnis erat dies, qua beati martyris Gorgonii agebatur festiva memoria[1], et undique confluentibus populis, ipse quoque homo Dei Kaddroe advenerat. Nacti itaque locum, ei praesulis voluntatem exponunt, et suas preces ante eum prosternentes, ut secum dignaretur manere, exposcunt. Sed quis eorum non diligeret in terris societatem, qui in caelestibus castris iam meruerant aeternam dignitatem. Precibus ergo supplicantium evictus consentit, et locum non longe ab urbe Mettensi positum, et multorum sanctorum corporibus et reliquiis inclitum, sed tunc iam ad nihilum redactum, suscepit commendatum". 28) a. 947. synodo Virdunensi interfuit.

1) 5. Idus Septembr.

fieret, satis curare — reposceret, illi maioribus instare, et pro viribus quae mensuram nesciunt caritatis, animos viri in diversa versare, sermones sermonibus, preces precibus instaurare.

60. Nec prorsus, Domino cooperante, loco discessum est, donec occulus ille miserationis antiquae, ut tunc Petrum, ita et hunc modo respiceret, atque in quendam alterum ut ita dicam hominem commutaret. Nam et iste in amaras profluens lacrimas, ilico rediit, et corpore nudato fascibus virgarum manu praelatis, poenam clamoribus postulans, pedibus abbatis prosternitur, non modo gemitibus, verum totius gestu corporis doloris magnitudinem protestatus. Quis, putas, ibi lacrimas tenuit? Quis eam caniciem se vestigiis omnium intuens provolventem, non corde solutus est? Quis, cum lacrimosis ille vocibus inclamaret: *Cedite reum! cedite rebellem! ne parcite quaeso superbo et vęcordi et contemptori!* non gaudio mixto fletibus in eius veniam proclamavit?

61. Tandem pater plenus pietatis assurgens, aliique[a] cum eo, manibus caritatis suppositis solo erigunt, et cunctis clementer, ut tanta deiectio merebatur, indultis, in numerum tota alacritate recipiunt. Is vere dies in tantum ei extitit salutaris, ut quisquis illum deinceps attenderet, vix aliquid in eo viri qui prius fuerat recognosceret. Summa etenim vi, quantum in se fuit, abiectionem sui et quaeque extrema semper appetiit. Delicias et mollia omni genere respuens, difficilia et austeriora magis amplexus est. Honorem impensum miro pudore non ferens, gravabatur potius quam oblectaretur. Parcitatem cibi vel potus ea arte quasi callidus quidam observator assumpsit, ut de singulis quae apponebantur cotidianis momentis paulatim quiddam subtraheret, donec ad minimam[b] quandam quantitatem rediret. Interdum etiam quibusdam penitus, tamquam obessent, abstinebat. Nunc quidem piscem omnem minorem generis, dum grandiores rarius posse conquiri estimat, respuens, nunc eos ipsos quos magis appetere videbatur, dum undecumque quesiti offerrentur, post non multum temporis quodammodo fastidiebat, tantaque ut ita dicam obstinatione, victor sui, quod semel animo statuerat custodivit, ut pulticulis tandem farinae contentus esset, quanquam[c] inter haec creberrima, quae etiam, dum in seculo viveret, diebus ieiuniorum fortiter perferebat, panis tantum et aquae ieiunia exerceret. Ut enim multorum fide percepimus, adhuc in seculo ei biduum totum sine ullo cibo et potu omnino transire quasi nihil videbatur.

62. Illud autem stupori videntibus erat, quod vigor corporis ei tam vividus perseverabat, ut nihil de opere fratribus consueto praetermitteret, coquinam, vestium ablutionem, horti communem operam, caltiamentorum lavationem, missae ebdomadam[d], ordinem omnem claustri et oratorii, vivido robore adimpleret, vultusque ei hilaris et gaudens continue superesset. Tantum post aliquod temporis intervallum, a pristina corpulentia venter ei subsederat. Orationum et vigiliarum eius instantiae teste illud fuit tugurium, quod penes tumbam domni Chrodegangi, tamquam cellam solitariam, usque vocationis suae tempus incoluit. In quo mox sinaxi fratrum expleta solus ostio se obcluso recipiens, gemitibus et planctibus et infinitis genuum inflexionibus noctes diesque continuabat. Et cum plerumque fratrum vigilias praeveniens plurimum noctis in precibus occuparet, finitis eisdem vigiliis, quantumcumque noctis hieme vel aestate superesset, somnum deinceps nullatenus[e] noverat, nisi ob sanguinis forte, quod vix tamen fuerat, minutionem; sed toto deinceps usque horam secundam vel terciam spacio in ea sancta contricione et coelestis ianuae pulsatione perseverabat.

63. De continuatione silentii quod praedicem nescio, cum ipsa quoque licita colloquendi invicem tempora fugiens, in spalmorum potius melodiam commutaret. Et si forte compellaretur, breve quiddam reddens, ad solita et amica silentia protinus recurrebat. Curis quibuslibet corporis, balneis, quod[f] ceteris recreationibus communi usu regulae indultis, cilicium, vilitatem vestium, et ceterorum cultum horridum praeferebat. Extremum quidem fuerit quod dico, animi tamen eius virtuti comprobandae permaximum. Dum fratres sabbato ante mandatum vel feria quarta, ex more antiquo quidem
29 sed tunc noviter nobis tradito[29], calciamenta sibi abluerent, ille cuilibet ex inproviso post veniens, dum frater unum abluendum manu teneret, alterum quodammodo invito

a) aliisque *c.* b) *ita correxit Labb.* nimiam *codex.* c) quandam *c.* d) ebdomedam *c.* e) lullatenus *c.* f) balneisque et *Mab.*

29) mos igitur per complura monasteria iterum invaluit; cf. Iohannis vitam Odonis Clun. II, 23.

violenter subripiens abluebat. Item dum vel faciem mane vel manus pransuri lavarent, nunc quidem ad vas illud, ex quo aqua quibusdam forulis fratribus ministrabatur, praecurrens, et obicem illum quo forulum illud obstruitur, dum frater lavaret, tenens, nunc linteum quod ad tergendum dependet offerens, voluntatem cordis ardentis ministrabat.

64. Plura in hunc modum obsequiorum eius studia in omnes serviebant. Et cum hec et his similia humilitati cordis eius fuerint documento, ad hoc et locum ordinis sui in choro, quem superiorem tenebat, tamquam infirmitate impediretur non ferens, in ultimum usque commutavit. Revera enim post tantam austeritatem viribus defetiscens, non iam vel ad standum in choro vel ad ceterum laborem sufficiebat. Quanta autem et vitae puritas fuerit, ex fine perclaruit. Nam non longe ante obitum nocte quadam nescio quid divini audiens, nulli quicquam dicens, mane in fenestra praedicti tugurii exaravit sic: *V. Id. Septembris somniavi me moriturum.* Fides his cicius facta est. Nam post paucos dies febre correptus, mense plus lecto decubans, ad praefixum usque diem languore valido perductus est. Totumque id spacium absque ullo omnino permanens cybo, sola tantum aqua sustentatus est, et ita usque in nativitatem sanctae Dei genitricis perdurans, — quam in crastinum beati Gorgonii martiris, cuius corpore idem monasterium percelebre est, dies consequitur, quo tunc maxima diversis ex partibus religiosorum virorum turba confluxerat, — plerisque eorum eum invisentibus, per totam fere diem nunc hoc nunc illo ad se introeunte, verbis salutaribus communicans, integra mente et sermone ante mediam fere noctem decessit. Funus multitudo quae convenerat decenter digneque tanto viro curavit.

65. Eadem denique nocte, et ut conici potuit ipsa ora qua obiit, cuidam congregationis ipsius, Adelgero nomine, in monasterio quod dicitur Senonias[30] in partibus 30 Vosagi cum fratribus quiescenti, quidam in somnis apparens: *Surge*, inquid, *et quia domnus Angilramnus defunctus est, campanas pro eo facito concrepare.* Experrectus ille et quibusdam excitatis, dum signo tantum innueret nec certo intellegeretur quid vellet, luce data eadem referens nec adhuc creditus, tercia die epistola obitus eius allata, noctem et oram nullo diversam fuisse compertus est.

66. His super hoc, quae omittenda[a] non erant, commemoratis, quoniam de omnibus illius collegii, qui singuli fere digni memoratu pro merito egregiae conversationis essent, longitudine obstante non sufficimus, patrem nobis in monasterio sancti Arnulfi postea datum domnum Ansteum[31] fas non est praeterire. 31

Hic item in seculari habitu domno Einoldo socius, cui et sanguine iungebatur, post aliquot annos, relictis omnibus facultatibus, ex[b] archidiacono in pauperem Christi vere mutatus est, et in eandem societatem commigrans, vita non inferior caeteris claruit. Fuit autem lingua quantum ad exteriorem sermonem facundissimus, sed et in scripturis sacris studiosissimus, quanquam et artium nonnulla ei notitia fuerit; corporis quoque gratia quaedam virtutem eius animi insignibat. Vultu ac statura decentissimus, vox ipsa virium plena, grato ut nihil supra modulamine in sacris concentibus aures implebat. Quod tamen quantum in se erat coelestium desiderio famulabatur, et aedificationi audientium serviebat. Verbo gratia multa redundans, exhortationi et animis undecumque movendis ad omnem facultatem in quolibet dicendi genere, ut rhetorem diceres, sufficiebat. Ad hoc et architecturae non ignobilis ei pericia suberat, ut quicquid semel disposuisset, in omnibus locorum et edificiorum sinmetriis vel commensurationibus non facile cuiusquam argui posset iudicio.

67. Aliquandiu ergo in eodem monasterio decanus et abbatis in omnibus onera strenue sustentans, vita, verbo omnique sancte conversationis exemplo forma gregi dominico factus, ut pene per ipsum post abbatem omnia disponi viderentur, tandem viro egregio Heriberto apud Sanctum Arnulfum — qui primus eidem loco a domno Adelberone pontifice[c], clericis inde submotis[32], regulari monachorum ordine praefectus est — 32 vita decedente[33], pastor in Domino profuturus statuitur. Ibi brevi eius industria claruit. Habitacula enim monastico ordini pulcherrimo scemate construens, locum, quem omnino

a) omittenda c. b) *vox erasa* c) pontificis c.

30) Senones. 31) Hinc auctorem vitae sub Ansteo in monasterio S. Arnulfi vixisse patet. 32) a. 941. 33) a. 944.

incultum et nullis ad religionem institutionibus suscepit, ad omnes usus Domino serviendi aptissimum reddidit, et cum interioribus extruendis sine intermissione operam dederit, non minus exterioribus, quae item misere ubique locorum delapsa fuerant, reficiendis strenuus et prudens incubuit. Ruris quicquid monasterio subiacebat, ita in vineis, pratis, agris, silvisque excoluit, ut cum rem omnino pauperrimam et vix paucissimo numero parcam nimis stipem promittentem invenerit, post annum exactum — nam is gravis et quasi pestilentia[a] attactus[b] fuit — in omnem copiam rerum necessariarum Domino benedicente supereffluxerit; cunctisque intrinsecus fratrum habitationibus intra quadriennium expletis, muro in modum castri forinsecus cuncta circumdare animum intendit; quod, opem undique praebente eodem venerabili pontifice, quatuor mensibus
953. laboratum pene ad summam esset perductum, nisi infausta regni dissensio, quae inter domnum et gloriosissimum, tunc adhuc regem postmodum cesarem, Ottonem et filium eius Liutulfum et generum Cuonradum exorta, usque ad gentis inimicae Deo Ungrorum
954. in nos eruptionem deseviit, impedisset. Proxima tamen aestate Domino cooperante ocius peractum.

68. Cumque horum extra perpetua sollicitaretur cura, nihil tamen de his quae vel ad vite vel conversationis puritatem vel ad pastoralis solertiae vigilantiam pertinebant, est aliquando praetermissum, quin cotidie solitum pensum orationum, psalmorum vel lectionum sanctarum expleret. Omnibus dominicis et festivitatibus sanctorum celebrioribus missas publice dixit. Ad hoc una quaque quarta feria privatim. In quibus quantis gemitibus et lacrimarum victimis se ipsum conficeret, ne referri quidem potest; et ut fiducialiter efferam, in visceribus piaetatis et simplicitate cordis et mansuetudine animi, condescensione infirmorum, recreatione miserorum, et omnibus omnino misericordiae actibus, non alter eo fuit praestantior. In his 16 annorum exactis laboribus, in sancte perseverantiae fine cursum consumans, pridie nativitatis beatae Dei genitricis
960 Sept. 7. decedens, in monumento a se iam olim longe rętro a primis annis sui regiminis praeparato, plurima devotorum virorum frequentia, domno et venerabili antistite Adelberone munus exequiarum explente, depositus est ex parte basilicae aquilonari, anno Domini 960.

69. Sanctae Metensis aecclesiae archidiaconus Blidulfus iam in processu loci eisdem servis Dei non sine magno multorum miraculo sociatus est. Vir enim cum et nobilitate generis et rerum copia non mediocri fultus, et multa in quamcumque partem arte animi callens, prudentiane ea dicenda sit an astutia, ad hoc et litterarum ceteros eius loci praeiret scientia, quippe qui ex scolis adhuc supererat Remigii, tum secularibus ita deditus videbatur, ut vix cuiusquam in eo religionis vestigia viserentur. Is ut dicitur morbo repente praereptus, venerabilem Einoldum citius advocans, monachum profitetur. Statimque habitum sumens, eger monasterio devehitur, ac post paucos dies integer Deo propitio redditus[c], mentis meliore integritate felix et multis deinceps exemplo futurus convaluit. Atque in sancta conversatione fere inferior nulli apparuit. Is post plures annos maiori calore virtutis tactus, heremum, altero quodam cui Gundelach vocabulum fuit sibi sociato, in remotioribus Vosagi expetiit; ibique in illa divinae contemplationis suavitate, acerba admodum corporis castigatione, et mundo vere, ut veratium qui eum noverunt fert sententia, mortuus, decem aut eo amplius annos exigens, felix decessit, atque in eiusdem cellulae suae oratorio ab eodem sotio suo, viro aeque sanctissimo, sepultus, eundem ibi reliquit vitae vel rerum paupercularum heredem.

70. Porro isdem sotius eius ex monasterio Fulda olim retro ante complures annos flore iuvenili conspicuus, Treveris apud Sanctum Maximinum[d] ob insignem religionis conversationem commigraverat. Deinde domni Eginoldi fama accensus Gorziam veniens, ei individuus fere comes per aliquot tempus adhesit, donec eodem iubente, cum praedicto venerabili Blidulfo, in monasterio sancti viri Ogonis magni et praeclari prius in
34 Sancto Maximino[d] abbatis[34], et post Leodicensis aecclesiae egregii pontificis[35], delegatus, post obitum ipsius domni Ogonis utrique inde Gorziam regressi, mox brevi ad ea quae

a) *ita Labb. correxit;* stipilentia *c.* b) actactus *c.* c) *secunda iterum manus incipit.* d) maximum *c. bis.*

34) v. Sigchardi Mir. S. Maximini c. 12. supra p. 232. 35) a. 945–947.

praedixi heremi remotiora pari consensu[a] secedunt, et ut dictum est, ipsi domno Blidulfo succedens, locellum ipsum usque in finem vitae incoluit, doctrinaque et vitae puritate clarus ibidem quievit.

71. Virdunensis etiam aecclesiae vir religiosus Isaac in vita canonica satis decenter conversatus, iam canicie ipsa reverendus, cum alio bonae spei, tunc iuniore nunc Domino auspicabiliter provehente eiusdem sancti collegii patre, domno Odolberto[35], fere 35
post duos quam superior Blidulfus venerat annos susceptus est. Quique ut erat magnae simplicitatis et totus interioribus animae bonis deditus, sine querela et innocentissima actione conversatus, etiam finem sui divino meruit praescire responso. Quiescentibus namque quadam nocte fratribus domnus Einoldus vigilans, repente vocem producto sono ter inclamantem audivit sic: *Isaac, Isaac, Isaac!* Qui[b] cum mane eodem accito finis sui eum commoneret, et quid audisset ediceret: *Et ego,* inquid ille, *easdem voces audivi et vocationem meam adesse cognosco.* Ilico autem morbo tactus, brevi decessit. De his igitur, qui quodammodo eminentiores in ea congregatione viguerunt, hic commemorasse sufficiat, non quod omnia quae digna memoratu essent de eis dicta sint, cum utique de singulo quoque eorum proprium condi possit volumen. Sed et plurimi[36] in eodem 36
sancto collegio magnarum virtutum viri extiterunt, qui merito in exemplum scriptis et laudibus offerendi essent.

72. Sed a proposito, quo aliquandiu divulsi sumus, iam quodam clamore revocamur. Unde his quae praeteriri indignum censuimus expediti, ad viri venerabilis Iohannis acta, cui hic proprie stilus sudat, Domino misericorditer praeeunte recedamus. Primum quae ei institutio conversationis et animi virtus fixa ab ipsis principiis in finem usque ductu continuo fuit, ut in neutram partem mirabili vigore deflexerit, in quadam veluti brevi tabella describere cupio. Quod sicut a me expleri posse non mihi prorsus arrogaverim, ita vix umquam a quoquam, quamvis dissertissimo, estimem comprehendi. Nec vero penitus reticendum, ne ipsa parva quae dicentur, si pigro sudario defodiantur, quos possent lucris dominicis subtrahant.

Subiectionem patri et obedientiam tanta pertinatia tenuit, ut quicquid semel ore ille imperans emisisset, hic, tamquam famulus verberum metuens, sine dilatione arriperet. Et in ipsis statim principiis, dum pater Einoldus credito sibi regimine loci vehementer angeretur, si sibi exteriora curanda essent, qui longe alia divine speculationis meditabatur, idem domnus Iohannes ei accedens: *Non horum, domine,* inquid, *cura sollicitemini, ego hoc vos fasce levabo. Interioribus tantum, ut cupitis, animum intendite; quicquid exteriorum est, ego Christi gratia et meritis vestris adiutus mihi susceperim.* Cum itaque ita omnia ei commiserit, et ipse in solo Deo vacationem assumpserit, non tamen quid umquam parvum vel maius idem domnus Iohannes nisi eo conscio aut consilio eius et voluntate egit. Et horum ipse domnus Einoldus, si quando ita interesset, testis erat: *Numquam,* inquiens, *mihi inoboediens fuit, nec fuit aliquando, qui me et illum in pacem reduceret.*

73. Nec destitit prudens et sagax in utramvis partem domnus Einoldus eum diversis exercere mutationibus. Nam plerumque ab exterioribus de industria eum revocans ad interiora, etiam ad infimum quodque reduxit officium, in quo ne nutu quidem aliquando visus est renuisse. Iussus praepositus, paret continuo. Praepositura deposita, esto decanus! iugum quietus admittit. Eo abiens, cellarium cura! manum ilico profert. Alio ibi succedente, vestes fratrum serva! nihilo plus reluctatur. Sic hospitibus, sic si ita contigit infirmis, sic quibusque aliis imperatis, summa cum alacritate, morae nescius ministravit. Quaecumque nummis vel quibuslibet aliis rebus expendit, summam eorum in breve notatam abbati post ebdomadam aut mensem reddidit, nec minus quaeque extrinsecus de ratiociniis quibusque illata recepisset. Cumque domnus Einoldus hec audire fastidiens, quia nihil superfluo eum expendere satis sciret, non ultra sibi haec referri interdiceret, nihilominus tamen ipse cuncta usque ad siliquam, ut dicitur, annotata servabat.

a) *hinc prima manus iterum incipit.* b) Quid *c.*

35) Odolbertus Gorziae inde ab a. 974. sedit; anno 987. Immonem abbatem legimus. 36) e. g. Rambertus abbas Senoniensis. MABILLON.

74. Pacientiam, humilitatem, seu abiectionem, et quae omnia superat caritatis in Deum et in omnes fervorem, incredibile dictu est, quanta fortitudine servaverit. De quibus singulis quibus frequenter documento fuerit, si recensere velim, nimium scripta ferrentur[*] in longum. Unde saltem simplicia annotamus. Prepositurarn monasterii vir c. 55. venerabilis Fridericus, de quo supra meminimus, et sub eo hic domnus Iohannes gerebat. Ille ut superior, hunc gravibus verborum contumeliis persepe etiam publice et praesentibus[a] secularibus irritabat. Illo diutius perstrepente, hic tantum item itemque ad satisfaciendum terrae se sternens, perpetuum tenebat silentium. Cum ille crebro eadem clamore ingeminans, ira fessus iam et in verba deficeret, Iohannes acsi simulacrum sine voce diu immotus persisteret, ad ultimum columpnam vel parietem tangens, et ut eis potius verba quam sibi faceret dicens, e conspectu se proripiebat. Ille eo tamquam contemptus incensior, quolibet forte residebat. Inde post paululum motu subsidente, ubi placidior ad se mentem redierat, secrecius eodem Iohanne abducto, pedibus eius advolutus: *Occidisti me!* aiebat. Cum Iohannes: *Ego in quo? Patientia tua me,* dicebat, *occidit*—: *Non ita,* inquid iste, *sed animositas vestra vos occidit.* Nec pluribus, lites ilico rumpebantur. Nam isdem vir reverendus hoc uno licet esset notabilis, cetera egregius, et ut magno natu conspicuus et insignis omnibus habebatur. Et hos ipsos motus animi, quos vetus adhuc conversatio integrabat, prudens citius compescebat, doloribusque ac planctibus uberrimis postmodum sese conficiens condempnabat.

75. Nec dissimile huic est, quod inferimus. Cellarium ipse Iohannes, Bernacer autem iam ante dictus vestiarium sive cameram fratrum servabat. Is quadam die cella-37 rium ingressus, vas quoddam, quod imapum[37] dicunt, guttulae excipiendae vasi vinario suppositum invenit. Eo arrepto, questibus Iohannem aggressus, et vas quod sui ministerii esset cur ita perditum dedisset, multa congeminans, illeque nihil laesum assereret: *Pro carraria,* inquid, *vini non sic attaminatum vellem.* Cui Iohannes: *Decem,* ait, *vascula huiusmodi, carraria una vini possunt adquiri.* Is domnus Einoldus superveniens, et altero iam abeunte, dum extrema, quae vixdum finiens Iohannes illi eminus loquebatur, audisset: *Quid hoc,* inquid, *est? An contenditis?* Illo protinus terrae prostrato: *Non,* inquid, *praeter panem, aquam et salem quicquam percipias, dum licentiam dedero.* Iussa suscipiens, nec ipsi quid referens, nec cuiquam verbum inde ullo modo faciens, triduo continuo abstinuit. Et forte tunc ferventissimi et ipsa estate dies fuerant longissimi, nec ob id soliti quicquam operis praetermisit, quin alacrior et celer ad universa discurreret. Nam valitudo corporis ei iusta, et in neutram partem nimia, facili motu per gratiam celestem ad quaeque agenda sufficiebat.

76. Ab infimis quoque probra multotiens infinita sustinuit. Alii eum hypocritam, alii avarum, alii tenacem, alii fraudatorem publice appellabant. Nonnulli non eum seculum reliquisse calumpniantes, in oculis familiam domus suae, quae cum matre monasterio serviebat, ingerebant dicentes: *Tua huc subdolus contraxisti, ut liberius ea hic possideres, et melius quam domi sufficeres hic procurares. Ecce et*[b] *geneceum claustrum monachorum fecisti.* Hec et plura in faciem dum iacularentur, ipse ut rupes immota manebat, nec umquam fuit, quod quidem a quoquam rescire ipse potuerim, qui ex ore eius contumeliosum verbum retulerit. Et hoc sane silentium inter clamores tenebat iratum. Nihil ibi praeterquam terrae stratus veniam tacitus postulabat; quod et ipsis, qui longe ultimi ordine erant, eum frequenter fecisse percepimus. Quippe qui ad hoc animum dederat, ut nil tam esset abiectissimum, quo non se ultroneus inclinaret. Unde et ipsas latrinas fratrum eum frequenter purgasse, non dubiae fidei virorum relatione cognovimus.

77. Si quando ex more communi ebdomadam vicis suae susceperat in coquinam, et ex consequenti munditiarum faciendarum, non fere aliquando, nisi gravis eum occupasset utilitas, vicarium requisivit. Ipse aquam a puteo hausit[c], humero coquinae illatam igni suspendit, legumina vel holera lecta vel manibus propriis concisa infudit, lavit, coxit et apposuit, vasa refectorum solus elavit, nec in pedibus fratrum abluendis, quod erat finitimum, alteri mandavit officium. Et hoc quidem commune cum caeteris. Illud

*) ferentur c. a) praesentis c. b) egeneceum c. c) hausis c.

37) fortasse i. q. hanapum, vas, germanice *napf.*

autem ex ore eius ipsi percepimus, quod farinam ad usus totius congregationis, duorum vel trium modiorum, solus ipse, uno tantum puerulo aquam infundente, commiscuit, fermentavit, in massam subegit, sudore nimio in formulas panum expressit, dum pistoribus opera reliqua succederet. Et hoc multi, quamvis in conclavi clam omnibus id egerit, nota quadam nimiae parcitatis inurebant, cum ille fidele Christo mancipium, ne quid rerum monasterii deperiret, pervigil observaret, et quod maius ac verius est, causa sudoris sui praemiis coelestibus munerandi.

78. Sui ipsius curam quam minimi duxerit, ex his satis potest perpendi. Cibos lautiores, vestes splendidiores, calciamentorum nitorem, strati molliciem, balnearum fomenta, medicamentorum in morbis quibusque ingruentibus adibitionem, et quicquid omnino ad corporis aliquam delectationem accedere praeter inevitabilem necessitatem perpenderet, hec velut crimini ducens, penitus respuebat; cum tamen nulli alii usu eorum, quibus forte opus fuerat, interdiceret. Et haec magna in eo erat discrecio, ut cum ipse sibi austerus et pene indiscretus videretur, aliis nemo misericordior esset. Ipse ieiunans, alios ad cibum cohortabatur; ipse vigilans, alios somnum indulgebat; ipse laborans, alios quiete remittebat; ipse dum balneis penitus abstinens, ab ipso conversationis suae tempore numquam eis usus fuisse diceretur, nisi forte aliquando post gravem egritudinem lecto resurgens, si quibus tamen aliis competeret, numquam dampnavit vel interdixit. A perceptione cibi vel potus ante horam vel postea, in perpetuum sibi obstrusa, nullum, si causa infirmitatis expetiit, suspendit; quin et aegrotantibus usum carnium ultro ipse obtulit et non rogatus ingessit. Sic in vestibus, caltiamentis, stramento lectuli, cum ipse sibi viliora, abiectiora, parciora et duriora semper elegerit, ceteris ad omnem copiam et quantum professioni non nimis[a] obstaret, elegantiora et molliora exibuit.

79. Fallatiam viciorum in his vigilantissime observabat, in quibus non facile cuiquam, etiam si esset superior, cessit; sed mox vitio aut fraude quemlibet aliquid petere sensit, omnimodis denegavit. Cum enim, ut dictum est, sub motibus irarum ita mutus quodammodo existeret, ubi corrigendi locus advenerat, ibi linguam excandescere et in verba acriter pungentia vehementi quodam terrore videres effundi. Nec omnino adulatio, quo communi pro dolor! morbo plerique laboramus, in eo quod foveri posset habebat. In quo[b] simul et mendatii maculam ut capitale quiddam horrebat, ut si in gratiam potentium aliqua eum aliquando dicere necessitas loci aut temporis compulisset, ita inter utramque viam cautus verbo incederet, ut et eos quantum satis esset attolleret, et veritatis limitem non excederet. Praeterque communem hodie hominum observantiam illo apostolico eum insignem vel solum, quantum humana paterentur, esse persensimus: Iac.
Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. 3, 2.

80. Vigilias ac ieiunia in eo praedicare si cepero, omnium qui eum noverunt ora me oppriment, cum vix quempiam huius aetatis qui ei in his aequari potuerit extitisse, concordi omnes miraculo clament. Cumque perpetua pene lex ei esset, post vigilias quantacumque profunditate noctium actas somnum in lucem usque nescire, audires illum in illo, quod mos habet monasticus inter nocturnum et matutinale officium, intervallo, vario huc illucque perreptare curriculo, et in morem apis psalmos tacito murmure continue revolvendo, nunc circa altaria genua flectere, nunc paululum residendo mox exurgere, et aliquandiu stare, itemque egressus celo tempus noctis inspicere, deinde lucernis aut emungendis aut reficiendis assistere, tum etiam scolas canentium revisere, interdumque retibus texendis quod nocti superesset expendere. Sepissime ipsas communes praeveniens vigilias, et lucernas dormitorii, tamquam haec sibi specialiter cura esset indicta, plerumque etiam ut videbatur ex superfluo, cum clare lumen effunderent, corrigens; mox oratorium quam latenter posset ingressus, et coram altare prostratus, diutinis planctibus et suspiriis, ut custodes audirent, cum multo lacrimarum flumine sese conficiebat.

81. Inde aliquando ipse signum ad vigilias concrepans, nihilo segnius cum ceteris psalmorum, orationum vel lectionum communium opus exequebatur. Que tunc temporis utique ut ferventibus conversationis iniciis, et numero et longitudine et mora dicendi multiplicius extendebantur, quae postmodum pusillanimitas imbecillium in nonnullis com-

a) *ita Labb. correxit;* minus *c.* b) qo *c.*

pulit coartari. Nam et orationes noctu ternae mox signo dato ad vigilias multo prolixiores fiebant, et post ipsas, omnibus pariter in choro residentibus, 30 psalmi a 119mo usque in finem psalterii, in ternas orationes denis distributis spalmis, singillatim silentio dicebantur. Erantque primi decem defunctorum, medii familiarium, extremi generalium. Brevioribus estivis noctibus et festis diebus 15 tantum cantica graduum, terna similiter oratione distincti. Lectiones hiemalibus vigiliis ita producebantur, ut prophetis, qui Kalendis Novembribus ponuntur, duabus fere ebdomadibus expensis, aut denuo a quocumque eorum repeteretur[a], aut alia quedam adderentur. Unde et eundem virum sub una quondam lectione Danielem totum, dum tertius lecturus assurrexisset, 37 explevisse percepimus. Item post dies natalicios apostolus, et a septuagesima eptaticus[37] usque ad dies passionum, et in ipsis Ieremias integre, ad vigilias legebantur, quorum nunc plurimum ad mensas suppletur.

82. Et super hoc post reliquum cursus[b] nocturni vel psalmorum consuetudinalium, usque ad signum crepusculi a pluribus plerumque psalterium singillatim ex integro dicebatur. In quibus cum ceteri aliquando quid remissionis expeterent, hic ita infracto robore somno repugnans ad nullam fere cedebat lassitudinem, ut et toto quantum id protenderetur pervigil staret intervallo, et matutino officio[c] vel primae horae, quae continue subsequitur, cum spalmis septem penitentiae et letania expleto, mox lectioni accederet. Ubi cum ei aliquando ipsa vincente natura somnus obreperet, a codice se statim excutiens, huc illucque spalmi quid semper demurmurans spaciabatur. Maximumque aestivis matutinis huiusmodi in eo cernere erat spectaculum, quibus aut raro illum aut numquam lectulum repetisse, nisi minutio sanguinis interesset, cognovimus. Nam noctu vel intervallis, hieme vel estate, si ita forte intempestive vigiliae longe ante lucem explerentur, ut nimia fatigatio compelleret, paululum se lecto reclinans, tam festinus ilico resurgebat, ut nec obdormisse quidem crederetur. Illud autem sepe ex ore eius ipsi audivimus, quod ab ipsis conversationis initiis hoc adversus somnum matutinis horis continuum traxerit bellum, quod numquam superare valuerit, quin hisdem horis semper sibi rediret infestior: *Ex veteri*, inquiens, *saeculi consuetudine hunc mihi blandum hostem nutrivi!* — quia noctibus vigilans mane somno usque in multam diem indulgebat — *Unde huc usque etsi non videam, crepusculum tamen adesse ipse cotidie somnus pronuntiat.*

83. Ad superiorem scientiam ante conversionem, usum lectionis in quibuscumque divinarum litterarum libris tanto studio adiecit, ut eminentissimorum doctorum fere nullus eum praeterierit, donec Spiritu sancto praevio ad omnem, quantum mortalibus fas est, noticiam[d] scripturarum pervenerit. In his primum moralia beati Gregorii ordine quam sepissime percurrens, pene cunctas ex eo continentias sententiarum ita memoriae commendavit, ut in communibus exortationum sive locutionum confabulationibus omnis eius oratio ex eiusdem libris decurrere videretur. Nec minor ei Augustini, Ambrosii, Ieronimi, vel si quis antiquorum ad manus venissent, lectio erat; et quia ad id temporis, utpote studiis frigentibus, pene nec ipsi codices inveniebantur, Augustini in Iohannem et psalmos et de civitate Dei integre perlegit, postremum in libris de Trinitate multa intentione sudavit. In quibus cum de dialecticis rationibus quaedam offendisset, maxime ubi propter demonstrandam relationem Patris ad Filium et Spiritus ad utrosque, eam quae dicitur „ad aliquid" cathegoriam introducit, eiusque occasione de omnibus quoque decem praedicamentis strictim quaedam commemorat, scolasticam mox super his sibi aperiendis expetens, ab ipsis introductionibus Isagogarum laborem arripuit lectionis. In quo cum diu ingenita sibi vivacitate ingenii, et ut in rebus ceteris quas umquam arripuerat, indefatigato[e] labore luctaretur, repente domnus pater Einoldus medios praecidit conatus. Is enim rerum earundem iam olim studiosissimus, et quanto labore ea constarent expertus, tempora eum in his frustra nolens expendere, brevi prohibitione avertit, et ut animum pocius sacra lectione occuparet, ubi satis superque et scientiae et, quod maius est, edificationis ei doctrina suppeteret. Ille qui oboedientiae limitem transgredi non[f] semel iuraverat, mox incepto renuntiat, et in divina ut a principio se totum transponit. Praeterea Gregorii in Iezehielem multo usu detrivit, ut pene memoriae com-

a) repeterentur? b) *ita Mab.* rursus . nocturni *c.* c) efficio *c.* d) nocitiam *c.* e) indefetigato *c.* f) in *c.*
37) i. q. eptateuchus, i. e. pentateuchus additis libris Iosuae et Iudicum.

mendasse videretur. Ad summam eiusdem quaecumque essent beati Gregorii, unice praeter cetera amplexus est.

84. Quamquam non inter haec vitae conversationes vel dicta quorumcumque sanctorum, peculiari stilo de eis conscripta, non eum praeterierint, quippe qui ex ipsis in usum proprie conversationis normam sibi assumpserit Antonium, Paulum, Hilarionem, Macharium, Pachomium, et reliquos heremi sectatores, tum Martinum maximum et sanctissimum episcopum, Germanum ad hoc et quoscumque austerioris vitae perlegerat, si tempora paterentur, forsitan attemptare moliretur; quod utique ex ea quam arripuerat castigatione dabatur conicere. Quem tamen etsi in laboribus corporeis disparem, in virtutibus animae non fere alium magis ipsorum aemulum, nostram vidisse aetatem, certo proferre non trepidaverim. Iohannis cuiusdam Alexandrini patriarchae, quem Eleimonem cognominant, actus pene memoriae retinens, in omnibus fere sermonibus eum grata et amica dulcedine reducebat, audientesque ex eo multa attentionis suavitate retinebat.

85. Et quia de singulis persequi operosum nimis videtur, quorum non minor eum scientia vel imitatio assuefecerat, illud miraculo omnibus erat, quod cum in his tantum exercitii haberet, nichilo tamen quaecumque in rebus exterioribus agenda essent remittebat, quin circa diversa discurrens et singulis ordinandis praecepta constituens, omnem totius monasterii in tam multiplicibus artibus vel officiis rem strenue procuraret. Cumque possessionum monasterii universa in eum cura recumberet, rarus tamen illi ad eas processus, potiusque de ipso monasterio queque foris agenda essent dictabat, brevique sub tempore ministris evocatis, mensis aut amplius quod ipsi expletum referrent edicebat. Cum eminentior quaelibet causa eum extraxisset, et ad causas agendas residere eum necessitas impulisset, id quanto citius negocia rerum paciebantur acceleratum, festinus, interdum quoque[a] nec pransus, monasterium repetebat. Si quando foris manere res aut tempus exigeret, in quantum poterat cybi vel potus mensuram monasterio solitam continebat. Nam stratus numquam regulam commutavit, ut plumam sibi ullatenus praeter capiti tantum substerni permitteret. Quod ex ipso magistro suo domno Einoldo, qui ex ipsis iniciis hoc in finem usque domi forisque servavit, ut vere discipulus doctori regenerans pedibus est subsecutus.

86. Sed et in ipsis prandiis secularium causa plurimum gravabatur, non tamen ut quisquam eorum hoc vel leviter persentiret; nam ad omnem copiam eis quantum vellent non deerat, et ipse cum eis multa iucunditate et condescensione sese gaudentem et comem in omnibus exhibebat. Sed dum postmodum spiritualibus quibusque colloqueretur, dolendo ingeminabat, se numquam ita secularium conversationi vel ad breve posse interesse, quin aliquid de consueto sibi modo conversationis deperderet, insuper et rerum fratrum plura invitus expenderet. Nam ita familiariter dicebat, dum sermocinatio aliquando incideret de fratribus res foris curantibus, quod non tam crebro eos per se ea agere expediret, et verbo potius ministris laicis mandarent, ipsique claustro se cohiberent: *Nemo*, inquiens, *aliquando me magis caninus extitit, et qui plus tenatiae argueretur, et revera qui parcior*[b] *foris esset, dummodo monasterio totum, ut opus esse cernebam, conveheretur. Sed numquam*, inquid, *potui tantam adhibere diligentiam, ut quociens cum eis comedi, non fere tanta expenderem, quanta fratribus diario consueto sufficerent. Cum enim quilibet*, inquid, *viantes privatorum seu maiorum, si qui in illa vel illa possessione, quae esset monasterii, ex monachis adesset, perquirerent, ut forte me ibi compererant, specie salutandi divertentes, non congrue inrogati mensa poterant ablegari. Et sic utique non poteram observare, ut queque fratrum foris erant, vel quaeque quoquo ingenio adquirebantur, integre, ut animus erat, monasterio inferrentur*[c].

87. In ipsis iudiciis, etsi ab aliquibus notaretur, rectitudinis vel iustitiae limitem nullatenus excedebat. Ubi superbia vel contumacia quosdam supinos vel effraenes reddiderat, dum equata forte ceteris colla refringeret, etiam si potentiorum patrocinia sibi parare contenderent, nullo poterat inclinari. Ad id demum tota sibi spectabat intentio, quicquid iustitia adquireret, totum fideliter monasterio inferre; et illud optime cavit, ne sacculus monasterii qualibet umquam doli vel miserorum fraude vel calamitate contaminaretur. Aestimaverit quisque quod velit, ego certa fide libere pronuntiaverim, illum

a) qq. c. b) partior c. c) inferentur c.

et semper odisse iniquitatem et cavisse, et Domino gressus eius secundum eloquium dirigente, non eam illi quantum humana paciebantur dominatam fuisse. Qui usuris eum inservisse, et sub specie monasterii necessitatum lucra undecumque aestimant congessisse, ex suomet illum ingenio metiuntur.

88. Non quod in eo tale quit aut viderint aut certo didicerint. Commodabat equidem plurima et recipiebat, cautus ne quo dolo debitorum falleretur, et secundum illut
38 Persii[38]: *Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso*, quod iste meliori mutaverat arte, ut prudens dispensator dominicae substantiae, summa industria observabat, ne quid rerum monasterii deperiret; illud sepe de dictis beati Gregorii ad quendam diaconum res ecclesiasticas curantem commemorans: *Res*, inquit, *hae nec meae sunt nec tuae; ita age, ut de his ei cuius sunt rationem redditurus.* Si frumentum, vinum, sal, vel quaecumque ad cibum pertinentia, similiter ad vestitum commodabantur, eiusdem mensurae vel quantitatis reposcebantur, ut nihil supra exigeretur. Argentum pondere iusto commodabatur[a]; nec ipsum quod moneta iure extorquet, ullatenus petebatur, sed quantum quis accipiebat aut dabat, aequa lance refundebatur.

89. Nam ex laboribus agrorum vel vinearum, in quibus summa arte praecellebat summoque studio erat assiduus, in tantam suppellex monasterii copiam ei divina cooperante gratia exuberaverat, ut nulla eum inopiae causa ad aliquid eorum impelleret, quin potius ex ipsis laboribus cum fratribus abundanter superessent, plurima venundata quibuscumque rebus vel in praesentibus vel in futurum proventuris sufficiebant. Inde et res omnis familiaris alebatur, et ornatui multa suppeditabant. Nec alia erant ei rerum temporalium lucra, quam opus ruris strenue exercere, salinas, quae una tantum parte regio-
39 nis ipsius que Vicus[39] dicitur habentur, extruere, ut in loco eodem plures quas dicunt patellas, partim ex integro cum ipsis sedibus emptas, partim que iuris monasterii erant reparatas, multo usui imposterum profuturas paraverit; cum molendinis fluminibus causa piscium obcludendis, piscinis privatis parandis, gregibus armentorum, pecudum, avium domesticarum seu agrestium, tum quoque ferarum alendis instare, ut quibuscumque usibus fratrum aut infirmorum, extrinsecus quoque, vel praesentium vel supervenientium, ad omnem semper copiam superesset.

90. Magistris artium diversarum undecumque conductis, primum claustrum muro in modum castri undique circumsepsit, quod hodieque non modum munitioni, sed et si opus sit oppugnationi adesse perspicitur. Deinde officinis intrinsecus necessariis, quoniam antiquarum ruine patebant, dum ex novo resurgerent, institit indefessus. Tum demum decori domus Dei in diversis ornamentorum generibus studium adiecit. Pallia, diversorum generum velamina, in usus sacros varia indumenta, ut sacerdotalibus ministeriis nulla deessent, tum et vasa usibus sacrorum ex argento, omnia opere solido atque eleganti paravit. Inde et tumbam martiris aggressus, tam ipsam quam quaecumque in diversis oratoriis erant altaria, lamminis argenteis auro decenter insignitis, ad hoc et ambonem euangelio recitando operuit, et durabili robore compegit. Taceo coronas tam luminoso fulgore a laquearibus dependentes, lampades locis et ordinibus tam[b] diversas, candelabra tantorum ponderum ac specierum, simul cum his vasa pene sine nomine, omnia argento solido perfecta; ad ultimum campanarum eam quae visitur et numerositatem et enormitatem, ceteraque operum eius insignia, quibus peritissimum eius, ut erat in omnibus fere artibus, enituit ingenium.

91. Que utique et memoriam praeterlabuntur, et si que succedere possunt, persequi temptavero, nec prorsus ad explendum sufficiet pauperrimi sermonis angustia; et in tantam ea exuberant copiam, ut etsi ab aliquo forsitan possent explicari, non edificatoriam oblectationem, sed ut nostri mores scio etatis, tediosam omnino facerent lectionem. Unde ad alia censeo transeundum. Sed ne forte quis supra quam res se habeant in huius viri favorem ferri nos tacite denotet, et hec que huic asscribimus magistri pocius cuncta fuisse, id nequaquam abnuimus, immo ita esse plane efferimus. Eiusdem enim patris et magistri domni Einoldi iussionibus et ordinatione cuncta perficiebantur, nec aliquid hic aliquando temere arripiebat, nisi quod ore illius primo exisset. Verum citius

a) commodabatur 1. uel commutabatur *in marg.* b) eam c.?

38) immo Iuvenalis Sat. I, 57. 39) Vic.

his occurritur, quoniam facta discipulorum in laudes redundant magistrorum, et nec ipse domnus Iohannes ad se umquam quicquid egerat replicabat, sed: *Sic ipse*, inquiens, *iussit, ita et exequor.* Sed non ob id iste expers operum eorundem merito dicetur, cui labor totus sudavit, illo dictata tantummodo dante. Quid vero inter quosquam hinc frustra causa contrahitur, cum inter ipsos neuter neutri quid aliquando disconveniret invenerit. Pater suum esse quod filius, filius quicquid ipse congrue egerat patri reputabat. Nec coniunctiora a seculis Christo teste paria sibi convenisse fatebor. Si creditur, fidei merces certa; sin minus, nobis, quod certo cognovimus, certo et proferre nemo obstiterit.

92. Cum mens multa suggerat, et ad specialia ac singularia quedam ipsius tangenda iam impaciéns non retineat, de lege ieiuniorum quam sibi indixerat, quia supra pene praeterieram, quam breviter potero prius perstringere cupio. In ipso mox conversionis initio, totum deinceps tempus, exceptis festis diebus vel occasione alicuius inevitabilis cure corporis vel infirmitate seu hospitum condescensione, ieiunio disposuerat dedicare. Quod et aliquandiu, et robore adhuc iuventutis et pristine olim in seculo fiducia castigationis, vivaciter tenuit, et tamquam nihil omnino gravaretur, ut leve quiddam nec fere sentiens, agili corpore, corde vultuque laetiore peregit; hisque diebus nihil praeter panem sumebat et aquam, et in ipsis quoque omni parcitate adhibita, ut non fere plus medietate panis qui integer libra appenditur caperet, aquae quoque similiter ultra medium mensurae quae fratribus apponitur vini, vix quicquam adiceret. Salis, herbarum virentium, aut alicuius talium, quae abstinentibus non interdicuntur, quicquam penitus nec adtingebat. Hoc et ipse domnus Einoldus, dum ipse se ipsum experiretur, interim permisit. Post aliquod deinde tempus cum eum valde perspiceret defecisse, nec tamen a coepto cessare sed ultra vires contendere, moderate compescuit, et ut magis quod ferre posset eligeret monuit. In tantum namque iam sese confecerat, ut die quadam cum fratribus ad ortum egressus dum operi enixius incubuit, corde repente deficiens citiusque claustro se festinans recipere, in media via prolapsus sit atque inter manus deductus.

93. Itaque regulam tolerabiliorem assumpsit, ut duas tantum quadragesimas in anno perageret, unam ante nativitatem dominicam, alteram ante pascha. Priorem quidem ab Idibus Septembribus, cum nona hora fratres prandium repetunt, incipiens, sequente mox ab octavis epiphaniae[a] dominica tertia et quinta communem ceteris tenens refectionem, reliquos*[b] quatuor abstinebat dies, pane tantum et aqua lege ipsa contentus quam diximus. Sin vero festus quilibet dies incidisset aut hospites supervenissent, eosdem quoque refectione mutabat. In sanguinis quoque minutione, quam plus mense differre vix poterat, curam corporis non respuebat. Ideo autem tanto prius tempora praeveniebat, nec propinquiora ipsis[c] solempnitatibus exspectabat, ut si forte quemcumque dierum dispositorum alicuius talium casus praeciperet, superesset ei in reliquum, quo eosdem dies recompensare[d] sufficeret. Unde multotiens cum ita contigisset, ut ex praedictis occasionibus aut aliis quibusque accidentibus tota sibi ebdomada aut forte duae vel amplius voto explendo impedirentur, mox obtata redditus libertate, numerum praetermissorum dierum, continuata binis aut amplioribus ebdomadibus continentia, dominica dumtaxat vacante, cunctis qui videbant stupentibus vel dolentibus instaurabat; itaque, ne ex votivis quadraginta diebus illo vel illo tempore quisquam praeteriret, callidus nimium observator invigilabat. Plerumque cernere erat illum ipsa quoque praescire futura, cum talem continuationem ieiunii tamquam ex inproviso arripere videbatur. Nam ita sepenumero animadversum est, quod cum sic omnis remissionis ignarus ferveret, subsequenter aut nuntio aut aliqua inevitabili necessitate monasterio progredi cogebatur; nam quamdiu foris erat, humani diei[40] latrocinia[e] sollerter attendens, secreti sui, cuius Deo 40
tantum mercedem servabat, seculares arbitros esse cavebat. Quamquam igitur et aliorum temporum certa ieiunia, aut quatuor anni temporum et solempnitatum sparsim per annum ordine* suo*[f] occurrentia, strenue, si tantum secum res ei esset, peregerit — nam etsi*[g] gloriae semper fugitans, itinere vel hospite sepe resolvit, haec tamen dua-

a) *ita L.* e] . . . . , : *c.* b) *ita Mab.* reli *iam deest;* vel quos *L. male.* c) ipsi *c.* d) recompensaret *c.* e) *ita codex; an* lenocinia? f) *voces asterisco notatas ex coniectura scripsi, lacunas codicis explere aggressus.* g) *ita L. vox iam deest.*

40) i. e. humani operis; cf. Pauli Ep. 1. ad Corinth. 4, 3.

rum in anno quadragesimarum vota fere numquam praeteriit —, reliquo anni tempore, quanto scilicet fratrum bina refectio tenditur, communiter sine aliqua adiectione vel diversitate convixit.

94. Cyborum quicquid parabatur, nullam faciens differentiam, nec viliora sibi affectans, nec lautiora detrectans. Qualitati coctionis, qua caeteris ministratum est, usibus suis umquam aliquid adici vel mutari[a] permisit. Panis aequalis et similis, vinum eiusdem mensure et saporis, nullo universalitati diversum aliquando fuit. Festis diebus, quibus quam lautius et exquisitius fraterna iucunditas in honorem Domini vel sanctorum potest apparare consuevit, quaecumque apponebantur libere sumebat. *Hoc non utor, illud affer vel para,* numquam ex eo auditum. Ita in nullo aliquando cibo et potu notabilis apparebat. Quin et ipse, ut talium adprime peritus, parari hec quam lautissime his diebus faciebat, et nullo apparente typo sumebat. Corpus ei pene naturali semper insolubilitate duruerat, ut difficile cibus in eo decoqueretur. Inde pociones herbarum aut plerumque quae ad id facerent vel conducerent pigmentorum, libenter sumebat; his tantum admissis, reliqua medicorum tam diversa arte confecta recusabat. Illud[b] certe summo nisu servatum est, ut vix aut numquam in ebrietatem aut crapulam ex quamlibet praeter solitum sumpto cybo vel potu deduceretur, vel unde quicquam consueti operis rei divinae noctu vel interdiu intermittere cogeretur. Ita et foris communiter ceteris convivari videbatur, et in ipso convictu sibi statutam percipiendorum alimentorum
Phil. 4, 12. mensuram non excedebat. In illud apostoli: *Scio et esurire et satiari,* eum prae ceteris huius temporis summa arte et quadam veluti disciplina institutum et consummatum palam enituit. Nec enim esurie demissior, nec refectione*[c] umquam apparuit elatior. Ad summam, poenitentiae rigorem eundem[c] usque ad finem vitae mira perseverantia tenuit, quodque tantum superexcellit, ut a nobis quolibet sermone expleri non possit. Unde his modo imposito, ad ea quae de exterioribus eius gestis scire potuimus stilum vertamus. In quibus partim prudentia sagacis ingenii et robur animi virilis gratiae supernae adiuti, partim sola divinae virtutis operatio, ubi humana adesse non poterant auxilia, sunt demonstrata.

41 95. Cum[41] primo, ut superior textus docuit, ibidem sancti viri prompta domni Adelberonis episcopi voluntate ad locum Gorziam iam dictum convenissent, aliquandiu quidem ope eius in primis sustentati sunt, quia necdum facultas ei fuerat, ut de possessionibus monasterii, quae iam abhinc longe retro beneficio secularium cesserant, eis aliquid restitueret. Inde cum aliqui divinitus inspirati fama bonae opinionis illuc confluere cepissent, et sancte congregationis augesceret multitudo, res vixdum tenuis exiguum prae ea quae tunc non tanta, nedum ad eam quae post futura sperabatur in dies magis magisque augendam numerositatem, pollicebatur stipendium. Ad hoc et idem vir sanctus Adelbero, regno tunc diversis perturbationibus concitato circa plurimas curas distentus, minus eis solito prospicere poterat. Inde compulsi, iam aliena solatia penę quae-
934. rere destinaverant. Et quia sub idem ferme tempus Ogo praepositus tunc sancti Maximini, felicis postmodum exempli, a saeculari conversatione se restrinxerat, et ope ducis Gisleberti idem monasterium ad regularem conversationem reduxerat[42], eiusdem pio molimine praepositi illo se transferre aliquantisper assensum flagitaverant*[d].

96. Cum inter haec domnus Einoldus rem fluctuantem saniori comprimens ratione*[e], quadam die inter caetera exortationis verba omnes sic alloquitur: *Scriptura,* inquid,
Prov. 16, 7. *asserit, quia cum placuerint Domino viae hominis, inimicos quoque eius convertet ad pacem. Neglegentiam ergo nostram hinc advertere possumus, quia si eo quo oportuerat studio mens nobis in divina intenderet, facile Domino fuerat virum hunc flectere, et nobis comem*[f] *et beneficum reddere, et cor eius ad quod nobis expediret convertere.* Pluribus deinde, quae ad ea conducerent, eos exortatus, et ut novitatis suae conversionis memores, qui eis tunc fervor fuerit, retractarent, et ne quid nunc languidius frigidius ac neglegentius apud se ageretur caute perspicerent, ac si quid horum sentirent, omni vigilantia instaurare contenderent, tantos repente eis animos reddidit, ut nunc singuli,

a) non *deest.* b) Illud — excedebat *desunt apud Labbeum.* c) *ita L. vox iam deest.* d) *vox deest.* — praebuerunt. Verum inter *Mab. suppl.* e) mens ratio *e coni.*, f) comen *c.*

41) cf. Miracula S. Gorgonii c. 10. 42) cf. Mir. S. Maximini c. 12.

nunc omnes, in novam quandam conversationis pugnam acriter conspirarent. Ad consueta (c. 935.) quisque et regularia maiora[a] et productiora adicere; ipsa licita sponte sibi subtrahere; cybo, potui, somno, linguae, seu cuilibet corporis requiei, minimum quiddam indulgere; ut tunc primum quasi conversationis initia viderentur arripere.

97. Cum interim praedicti Ogonis, praepositi sancti Maximini, ducisque Gisleberti suasio de migrando eos stimularet, et iam ferme triennio episcopus loco abstinuisset, forte pro viro quodam iuris monasterii, qui rebus quibusdam episcopalibus praeerat, Iohannes Mettis advocatur. Blande primum ab episcopo convenitur, ne sibi quod peteret denegaret. *Vestra*, inquit, *peticio iussio est. — Virum illum*, inquit, *mihi cedas deposco.* Ille paulo commotior, ut cui mens longe alias intendebat: *Exemplo*[*b], inquit, *fabule David nunc utimini, ubi dives innumeris quas habebat ovibus parcens, hospiti supervenienti unicam pauperis ovem vi abstractam iussit apponi. Sic cum infinita reliquorum copia abundetis, unum hunc nobis pauperibus praeripitis.* Adducto supercilio cum se ille, vix aliqua animi commoti verbo signans indicia, avertisset, Iohannes se e conspectu proripuit. Fridericus monachus sancti Hucberti, cuius supra mentio facta est, sub ipsa ferme (c. 55.) ora ingrediens, et ex vultu deiecto animum perpendens: *Quid*, inquit, *supercilia vobis sic video dependentia?* Nam hunc, ubi commotior esset, habitum velud naturalem sibi induerat. *Ab hoc*, inquit, *insano Iohanne, ut numquam antehac a quoquam ita contemptus sum, ut nec pro homine uno apud eum intercedere valuerim.* Ille conscius quae extra conflabantur consiliorum: *Nisi*, inquit, *providebitur, proxime cunctis eis carebitis. Nam cum duce et praeposito, quia a vobis parum sibi adest auxilii, eos iam dudum conscivisse cognovi; utque in Sancto Maximino traducantur, ocius maturatur.* Concite Iohannes revocatus, et cur iniussus abisset rogatus, cum silentium tremebundus teneret: *Non te*, inquid episcopus, *tam animosum credebam, nec in re tam fere nulla ita difficilem estimabam. Peto igitur, hominem vel usque ad aliquas inducias mihi cedas.* Ille quit in causa esset intellegens — nam pactio pecuniae intererat — *Quantumcumque*, inquit, *iubetis? — Ad quadraginta*, inquit, *dies.* Et ille: *Etiam ad annum, si placet.*

98. Non diu post haec episcopo quiescenti persona quaedam terribili ac minaci vultu apparens, hec sibi cum quadam austeritate dicere videbatur: *Bonum bene cepisti, sed a coeptis nimis cito defecisti. Cave*[*] *ne*[*] *haec*[*c] *defectio maiorum tibi causa sit ruinarum. Repara*[d] *quae coepisti, ne in deteriora procumbas.* Experrectus et secum multa pertractans de opere a se coepto religionis, et tanto tempore neglectam[d*] hanc esse, commonitionem non sine acri dolore perpendit. Cubiculario mox cui Matzilino cognomen accito: *Summa*, inquit, *maturitate Gorziam proficiscere et abbatem*[e] *Einoldum huc continuo adesse iubeto.* Ipsam forte noctem abbas Mettim egerat, ac diluculo reditum parabat. Moxque matutinis dictis abcedens, cum porte civitatis accessisset, clavesque ibidem opperiretur, ecce nuntius ad se accersiendum missus adproperat, eoque[f] viso ac salutato: *Labore*, inquit, *me relevastis; nam ad vos huc evocandum mittebar, dominusque vos continuo sibi iussit adesse.*

99. Illo mox adveniente reque tam repentina episcopo stupefacto, ut ingrederetur iubetur. Salutatione invicem data et reddita: *Diu*, inquid episcopus, *est, quod rebus aliis obstantibus Gorziam non veni; sed Deo volente animus mihi esset illuc veniendi. — Cum maximo*, inquid, *vos videbimus gaudio. — Precedite*, inquit, *vos, et quo die ut eam videbitur, resignate.* Erant tunc dies ieiunii quatuor temporum mensis secundi[42] in crastinum, (42) et eis exactis ut fieret dixit. *Non opus est*, inquit abbas, *ob hanc causam differri; sed ipse hodie praecedam, et cras vos hora qua videbitis exspectabimus. — Hora*, inquit, *tertia veniam.* Crastina profectus, cum iam monasterio propinquare cepisset, loco qui dicebatur Ad crucem, equo deiectus ac discaltiatus, sic usque ad monasterium pedes incedit. Exceptus, oratione facta, conventu advocato, vestigiis eorum supplex prosternitur, neglectum sui circa eos ad id usque temporis accusat, spe de se meliori eos deinceps recreans[*], veniam[*g] summissus exorat. Ea facile impetrata, villam quondam iuris monasterii, quam etiam tunc germanus ipsius Gozilinus in benefitio retinebat, quae Waringis villa[43]

a) maiore *c.* b) *ita L. vox iam deest.* c) C. ne h. *supplevi, ita loco exeso mederi conatus.* d) Repera *c.* d*) neglecta c. e) abbatum *c.* f) eosque *c.* g) eans veniam *iam desunt.*

42) Februarii; scilicet dies Martis post dominicam Invocavit. 43) Warengéville.

dicitur, eis continuo contulit; dans mandata ministro, ut nisi omnes reditus integre abbati assignaret, si quid fraudis ibi machinaretur et doli, maledicto Dathan atque Abiron sub Christi praesentia multaretur.

100. Post horam ieiunii refectione exhibita, omni cum alacritate episcopo abscedente, mox in crastinum abbas cum senioribus quibusdam ad villam proficiscitur possidendam.
44 Cum obiter ad castrum quod Scarponna[44] dicitur pervenissent hora fere tertia, equus Iohannis claudicare coepit. *Quid*, inquit abbas, *equus ille sic claudicat?* — *Ferro*, ait, *perdito dolet.* — *Non ultra procedas*, inquit, *donec imponatur; nos hic interim opperibimur.* Cum ad forum concitus declinasset, quidam fortuitu, quo tenderet, requisivit. Ille paululum cunctabundus. *Proderit*, inquit, *si me non celabitis.* — *Unde*, ait, *tu es?* — *Ex villa Portus*[45], inquit. Erat autem haec etiam praedictae possessionis. *Illuc*, inquit, *imus*, *ex iussu episcopi eam possidere.* — *Paucis me*, ait, *audite. Census totus pecuniae adhuc ibi retinetur; nam cum proxime eum ministro episcopi is qui collegerat attulisset, quia quinque forte solidi defuerant, nisi simul totum accipere recusavit. Sed et annona anni praeteriti adhuc recondita iacet, ipseque minister partem non modicam suis usibus sequestravit.*

101. Iohannes celeriter equo ferro imposito rediens, et in aurem quae dicierat abbati locutus, ministrum episcopi hora circiter quinta conveniunt, qui tunc forte apud
47 praedium nomine Laium[46] cum comitissa Eva tunc vidua[47], cuius ipse tunc advocatus erat, morabatur; Albulfus[a] vocabatur. Is mandato episcopi accepto: *Hodie*, inquit, *hic queso manete*, *cunctaque praebebo necessaria*, *donec praemittam*, *et condigno vos ibi honore excipiam.* Quibusdam assentientibus, Iohannes profectionem sine dilatione instimulat. Senioribus quibusdam dicentibus, puerilia haec esse consilia, et pocius ea die ibi quiescendum, frustraque esse absque ullo opere laborare, abbas: *Satius*, inquit, *est*, *properemus.* Iohannes celerius praecurrens — nam non plus leugas tres aberant — refectioni habilem domum in villa ipsa praeoccupat, caeteraque ad id diligentissime praeparat. Moxque horreum ingressus, callidus omnium explorator, ut sibi erant praedicta, ordine cuncta invenit. Census collectorem continuo advocans, ne quit ex tota quam penes se adhuc retinebat summa prorsus sit diminutum usque in praesentiam abbatis et ministri episcopi, vehementer ex auctoritate interminatur episcopi. Interea abbatem cum suis advenientem lautissime excipit, ministro in crastinum exspectato; ab eo sub noctem clam nuntius missus censoremque conveniens, ut sibi peccuniam[b] quam pridem attulerat domino suo deferendam daret; ille interdictum sibi ex verbo episcopi dicens, vacuum remisit. Condicto in crastinum minister cuncta, ut iussa erant, exequitur, et iuri eorum integre possessionem, quae tota centum mansuum quantitate protenditur, incolis sacramento addictis, assignat.

102. Albulfus tacite nuntium abbati dirigit, ut quaedam[c], que ex suo contractu ibi habuerat, sibi reddi iuberet. Cumque scitum[d] esset, nihil prorsus eius ibi esset, sed cuncta usibus domini cedere, consilium forte fuit, ut solidi decem aut quindecim pro bona eius executione darentur. Nuntius nisi libras duas acciperet recusans, dominoque renuntians: *Stulte*, inquid, *egisti*, *quod offerebatur reiciens; nam forte iam nec ad assem pervenitur.* Ipse postmodum iam aperta fronte, sua sibi* dixit*[e] nisi reddantur, episcopum ob iniurias conventurum. Iohannes: *Et nos*, inquit, *non diffugimus; forsitan res eius non damnis augebitur.* Ille conscius retro commissorum: *Domini mei*, inquit, *elemosine in nullo obniti vel obstare cupio; tanta ego alias gratia ipsius mihi collata retineo*, *ut facile his*, *etiamsi plura essent*, *amoris ipsius gratia carere*, *quin et mei iuris hereditarii*, *si quit competat*, *ultra velim adicere.* Ita re cuncta sedata, partem aliquam[f] fructuum ei cesserunt, et pro bona eius postmodum in se pace ac gratia, et ut sicubi opus existeret in sui defensione eo deinceps uterentur, ex argento similiter aliqua largiti sunt.

48 103. Simili[48] modo non multo post, dum fratres pro quadam proxime sibi possessione frequentibus pulsarent precibus, difficilisque omnino pateret effectus, remque iam desperatam divino solo referrent auxilio, repente episcopus abbate accito: *Quod tanta*,

a) Albul *deest c.* b) peccunia *c.* c) quodam *c.* d) situm *c.* e) s b. *desunt; e coni. supplevi.* f) aliquem *c.*

44) Charpeigne ad Mosellam, infra confluentes Mosellae et Meurthae. 45) hodie S. Nicolas. 46) Lay. 47) Adalberonis episcopi consanguinea; v. Calmet I. Preuves p. 356. sqq. 48) ex Miraculis S. Gorgonii c. 11.

inquit, *importunitate eluctatum tandem habete quod poscitis. Nec mihi gratiam ullam, sed beato Petro, qui me nocte vehementer perterruit et ut facerem coegit, rependite.*

104. Tempora[49] dissensionibus nimis, regnum hac illac quoque sibi trahente, fluctuabant. 936. Octo, maximus post rerum augustus, post genitorem, strenuum per omnia regem Heinricum, prima regni tunc auspicia cęperat, sub quo Gislebertus ducatum regni Lotharii, Everardus Franciae Austrasiae et quorundam trans Renum tenebat locorum. Transrhenana interim quieta manebant. Nostra varie infestabantur, nec iugum facile admittebant. Inde Boso quidam, filius dudum principis Burgundionum Richardi, partem aliquam regni sibi evindicans castrisque se continens munitissimis, dominatum cuiusquam prorsus respuerat, Victoriacum Campaniae castrum obtinens, inter reliqua circumpositorum possessiones[a] quasdam monasterii Gorziensis acsi iure hereditario[b] usurparat. Ad has reposcendas, si forte apud talem virum vel pro divino timore locus precibus ullus esset, Iohannes ab abbate[c] et fratribus est destinatus.

105. Ille, cui oboedientia cuncta difficilia vel impossibilia facilia et possibilia reddiderat, per infesta latrociniis loca et quae multitudini quoque essent formidanda, uno tantum comite ex familia sibi assumpto, iter aggressus est. Dum ex inproviso advenisset, comiti nunciatur, et quidnam ferret incertum coram intromissus, ubi legationem abbatis et servorum Dei pro re qua mittebatur absolvit, illo in iram concitato: *Quis te,* inquit, *maleficus huc adduxit? Ubi custodiae illae meorum, ut eas sic pertransieris, afuerunt? — Quomodocumque,* inquit, *adductus sim, huc perveni, et mandata et preces servorum Dei ad vos afferro, ut quae de rebus ipsorum invasistis, propter amorem Dei et timorem vel reverentiam sanctorum eius restituatis.* Interrogatus quae essent, et audiens, omnimodis abnegat[d], et ut se cito summoveat, imperat. At ille: *Ego,* inquit, *summoveri possum; alii item multo nostrorum sunt plures et potentiores, qui vicibus succedere non cessabunt, nec a latratibus eorum requiem dum vivetis habebitis. — Quae mihi,* inquit, *cura latratus eorum? — Clamabunt,* inquit, *assidue. — Ad quem rogo? Num ad regem nescio quem tuum? Num ad ducem tuum illum Gislebertum? quem ego acsi servum meum reputo novissimum? Pari modo et de episcopo tuo est Adalberone, quem ipsum utique quantum mihi virtus fuerat iuvare decreveram, qui de vitrico quoque eius Richizone eius causa vindictam sumpsi; sed quia nunc contra me ad Gislebertum defecit, viderit quid ei ex hoc commodi cesserit.* Tunc Iohannes: *Clamabimus,* inquit, *ad Deum, qui aeque personam nostram accipiet et vestram.*

106. Ille commotior: *Non hinc,* ait, *caballum referes vel iumentum. Potestati vestrae,* ait, *hoc erit, et quando aliud non erit consilii, pedes redibo, non ceteros tamen ob hoc deterribitis*[e]. Ille iam magis accensior: *Membris iam ipsis quoque,* inquit*, *multaberis**[f]. At ille: *Vobis,* ait, *id facile efficere; mihi autem non minus poena est*, quod**[g] utique non satis dolebo. Si oculis privabitis, magnis me curis et laboribus levabitis, quia sedens quietus psalmis et orationibus intentior esse valebo.* Cum de virilibus ille minaretur: *Maxima me,* ait, *sollicitudine securum reddetis.* Iam fere arripi iusserat eum, cum coniux prudens sane mulier intervenit, et ne tali se infamia dehonestaret, supplex monet, ne iam nec monachis vel servis Dei parcere diceretur; et quia postulata negabat, saltem illesum abire permitteret. Ita dimissus, et a comitissa[g], quae satis compte eum[h] exceperat, quiddam[i] viatici percipiens, dato sibi ab eadem duce quodam, qui usque ad loca latronibus libera[k] eum tuto perduceret, iter festinus arripuit.

107. Circa horam fere tertiam villam quandam ingrediuntur, ubi mercatum ea forte die habebatur; et ecce multitudo per totum forum diripientium, vendentibus atque ementibus aeque spoliatis, mortem insuper, si quid oblatrarent, minitantium. Iohannes comitem quem ex monasterio sumpserat clipeum ferentem intuitus: *Hic,* inquit, *clipeus damnose nobis advectus est, quia nec tu eo ut expedibit uteris, et ipse in nos forsitan impetum concitabit. — Quia tu,* ille inquid, *ceteros mortalium solus ita confidentissimus incedis, et merito dignaque morte peribimus.* Cum repente dum hesitant quendam sibi notum dux quem comitissa dederat conspicatur; eo accito causaque dicta: *Maximo,* inquit, *huc periculo advenistis, et an vos huic quoque pacto expedire possim ignoro.* Iohannes

a) *iam deest.* b) hereditatorio *c.* c) abate *c.* d) *ita M.* abnegato *c.* e) *ita c.* f) inquit mul *desunt.* g) e. q. *e coni.* g) ab ea 1. a comitissa 2. h) *ita* 2. com: . :: 1. i) quidam 1. k) libere 1. a latr. obsessa libere 2

49) ex Miraculis S. Gorgonii c. 12.

ad haec: *Vel trans silvam usque, quae proxima conspicitur, nos perducere possis, caetera Dominus procurabit.* Ita turbam praetergressi, gradu pacifico ac temperato ad silvam usque procedunt. Fronte[a] captato, stimuli acrius subiguntur, ac praepeti cursu saltu transmisso, libero iam gramine quodam cibum sumpturi descendunt.

108. Iohannes panis[b] casei ac piscis quiddam ex subsellaria pelle producens . . . . equi[*c] post tergo sui soluto, ducem ad sumendum cibum hortatur. Inter edendum dux adiecto[*d] suspirio: *Tres aut certe quattuor*, inquit, *menses sunt, quibus nullo iuste adquisito cibo vel potu usus sum, praeter quo nunc utor.* Nosque omnes, ve nobis miseri! non nisi praeda et calamitatibus vescimur miserorum. Ad haec Iohannes salutarem ingressus doctrinam, iuvenem[e] multis adversus haec hortabatur, multoque melius inopiam, famem sitimque ferendam, quae Deus utique ut avibus et vermibus sublevaret, quam his quibus Deus offenderetur insistere. Tandem ad hoc sermo processit, ut ab ea die se ab his temperaturum promitteret. Refecti, iuvene dimisso, Iohannes dum vespertinae synaxi signum daretur, Gorziam pervenit.

109. Non multi interfuerant dies, ecce nuntius comitis Bosonis Gorziam veniens, anxio dolore dominum gravi aegritudine lecto nuntiat decidisse ac pene desperatum iacere, summaque prece monachum, qui pridem a se recesserat, sibi mitti postularet. Protinus Iohannes abbate iubente celer progreditur[f]. Comiti nuntiatur adesse. Dum[g] coram venisset: *Quando*, inquit, *proxime hinc digressus es, non tam prope mihi estimaveram finem vitae posse subripere. Habeto ecce praedia quae postulaveras, tantumque patronum me rerum earundem efficite, et quicquid exinde vobis deperierit, ego auro probato repensabo.* His dictis vel actis dum e conspectu abisset[h] et hospitio, quo satis humanę[i] curari iussi fuerant, se recepissent, comes somno, quo iam per plures dies vel noctes penitus carens nimia tabe defecerat, ita repente opprimitur, ut ab hora nona usque in subsequentis diei horam fere tertiam non evigilaverit. At tandem experrectus, coniugem nomine sepius iterato inclamitat, sibi aliquid quod sumat adportet. Cuius itidem iam pluribus actis diebus nulla ei copia fuerat assumendi. Quo satis delectabiliter sumpto, iterum usque horam fere nonam obdormiens, experrectus Iohannem advocat, eumque salutis suae recuperatorem testatus, honore multo deductum, et pro quibuscumque voluit praebendis paratum se offert.

50 110. Possessio[50] erat monasterii longo iam retro tempore beneficii nomine[*k] ad comitem quendam palatii Hamedeum devoluta, qui simul bona monasterii sub precaria vel prestaria quam dicunt obtinebat. Eo mox[*l] obeunte in eadem possessione, quia proxima erat monasterio, necdum funere elato, quod Mettis fuerat deferendum, ut in basilica beatae virginis Mariae, que dicitur ad xenodochium, humaretur, Iohanni Gorzie est nuntiatum. Casu tunc ibi episcopus advenerat. Iohannes cito abbatem causam commonet, ordine edocens, episcopum interpellet. Abbas mox introgressus et gravitate illa sua paululum cunctabundus, post aliqua: *An*, inquit, *audieritis; Hamedeum vestrum dicunt defunctum? — Et ego*, inquit, *audieram.* Abbas subiunxit: *Is quiddam iuris monasterii sub precaria detinebat; id nobis recipere liceat, petimus. — Omni*, ait, *illud libertate recipite.* Abbas re Iohanni relata: *Quid*, inquit, *postulastis? — Precariam*, inquit. — *Ego*, inquid, *ex hoc nihil commonui; nam istud gratis nobis rediret; sed beneficium ut repeteretis, suasi.* Protinus abbas episcopum repetens dicit: *Inquit frater Iohannes, me nihil utile apud vos effecisse. — Quid igitur[m] intenditur? — Res*, ait, *quasdam mensae fratrum proprias detinebat, quas ut reposcerem stimulavit.* Episcopus vultu toto demutatus: *Vos*, ait, *numquam quicquam eorum tenuistis, et omni tempore benefitio sunt deputata.* Causa vero erat quod in his difficilis videbatur, quod fratres ei plures ex matre erant, et eis usque ad id temporis parum consulere potuerat, pluribus res episcopii retinentibus, quos privare nec ius nec consilium erat — tanto robore ex superioribus episcoporum rebus fractis nitebantur — et ideo hac vel qualibet occasione ipsis germanis quo quid largiretur expectabat.

111. Huic tamen intentioni alias probati et in rebus divinis spectati sancti viri miro ordine divinitus est refragatum. Nam abbate responso eius pene ab omni ulte-

a) Monte? — Freno *Mab.* b) panes *corr.* panis *c.* c) *ita supplenda lacunae pars videtur.* d) *ita suppleo; Labbeus* producto, *sed a patet.* e) *ita M.* inuenire *L.* f) procreditur *c.* g) du *c.* h) abisse *c.* i) humanae *c.* k) *ita Labbeus lacunam explet.* l) ox *e coni.* m) ad eum *deleta post* igitur.

50) cf. Miracula S. Gorgonii c. 15.

riore conatu deterrito*, episcopus* vespertino*[a] conventu, quo pridem valde oblectari solitus* erat*, et* ante*[b] satis iucunde eis fuerat convivatus, ivit quidem, sed nonnisi pauca ore libans, protinus rediit. Moxque dicto completorio, stratu se locat. Multa secum versans, medium fere noctis insomnio fatigatur; ubi nullo somnum datur adsciscere pacto, ut moris sibi erat surgit, et orationi[c] incumbere temptat, sed ea adsolitis intentionis viribus[d] ita ei resolutior fuit, ut stratum accidiosus repeteret; ibi diu somni cupidus diverso lateris motu defatigatus[d*], nec ullo effectu eius potitus, surgit, arcam martiris petit, culpam coram stratus fatetur, voto res quibus de agebatur spondet reddendas, baculum insuper altari superponit: *Hoc*, inquiens, *martir sancte, tuum tibi restituo.* Genibus flexis, orationem intentiorem numquam praeterea se neque valentius fudisse professus est. Oratione assurgens, stratum petiit, in somnum concite solvitur, et pervigilia prius inquieta ordine post naturali compensans[e], in nonnullam aurorae partem somnus pertrahitur.

112. Iam sole rubente experrectus et ymnorum sibi solito solvendorum memoria perturbatus, satisque causam secum retractans, tandem[f] laudes surgens explevit. Mox Iohannem iubet acciri. Quo praesente: *Mala me*, ait, *nocte confecisti; i et baculum altari inpositum cape, et possessiones quas postulaveras posside.* Ille pedibus provolutus: *Non*, inquit, *domine, ita convenit. Vos paululum ut defatigatus requiescite, et interim horae primae signo dato et celebrato, conventum fratrum adite, et non uni, sed omnibus, quod omnium est dono gratuito restituite.* — *Ita fiat*, inquit.

113. Ecce solito maturius turba suorum diversis ex locis convenit. Nam ipse ibi, ut sibi morem fecerat, duobus vel tribus clericis totidemque cubiculariis contentus, mox monasterii[g] ianuam penetraverat, cunctis se comitantibus ablegatis, secularium extraneus morabatur. In his qui convenere erat germanus eius* Gozilinus*[h] . . . . Qui* ab* aecclesiae custode quodam incauto porta* monasterii* aperta* intromissi*, recti cubiculum episcopi quiescentis petebant. Iohannes*[i] ut* adventum* eorum* celerius comperit, festinus in occursum venit, et quia infra monasterium* loqui* religio fuerat, signo ut se sequerentur dato, ianuam eos longe usque* reverti* fecit*, custodi in aurem susurrans, ut statim a tergo ianuam obcludat. Ibi eos diversis allocutionibus illis parum iucundis aliquantum detentos, et episcopum, quia noctis incommodo dormire nequiverit, tunc tandem quiescere dicens, ut quippiam cybi interim — nam aestatis erat tempus — capiant monet. Illis recusantibus, nec nisi colloquium episcopi se quippiam velle dicentibus: *Satius*, inquid, *id est, dum ipse, iam solitis sibi rebus expletis, copiam se conveniendi exhibeat.* Ita eos demoratus, et concite parata gustatione implicitos, ipse intro regressus signum pulsat; prima dicta psalmisque solemnibus, in capitulum episcopus invitatur. Nonnulla pro tempore fratribus exhortatione facta, fratres rem iam partim edocti postulationem rerum faciunt praedictarum. Quibus in nullo abnuens, baculumque praetendens: *Habeat quod suum est martir beatus, vosque mei memores habetote.*

114. His peractis mox qui convenerant irrumpentibus, vehemens sibi a germano fit super rebus eisdem vexatio. Iam monachis ea reddita responso, multis ille insuper instare et monachis omnia undique abunde sufficere, suis magis eum debere consulere. Ubi nihil proficit, et episcopus cibo cum fratribus sumpto progreditur, iterato ab ipso limine[k] monasterii per totam viam usque vadum fluminis super his sermo repetitur. Iamque vadum ingressurus cum multo iam tedio afficeretur: *Frustra*, inquid, *nitimini. Vere si mediam partem episcopatus ipsis monachis concessissem, nec passum pedis eis propter quempiam vestrum auferrem.*

Plura sunt alia, quae, quotiens oportunitas tulit, Iohanne interveniente monasterio multis iam temporibus abalienata recepta sunt. Sed* quia* lectorum* animi* ad* finem*[l] festinant, tempori plurimum* parcentes* ad* reliquum* vitae* eius*[m] stilo percurrendum accedamus.

115. Legatio regis Hispaniae* Abderahamenis*, fama* gloriae*[n] insigniumque 950?
factorum in gentes diversas tunc iam magni regis*, postmodum* vero* caesaris* augusti*[o],

a) .. ..no *cod.* b) ..te *cod.* c) oratione *corr.* orationi *c.* d) iuribus *c.* d*) defetigatus *c.* e) compensan *c.* f) tande *c.* g) manasterii *c.* h) c. G. *e coni. post circiter* 20 *litterae exciderunt.* i) I. *cod.* k) limite 1. uel limine 2. l) S. q. l. a. a. f. *e coni.* m) mum p. a. r. v. eius *e coni.* n) H. A. f. g. *e coni.* o) r. p. v. c. a. *e coni.*

950. domni Ottonis perciti, forte cum muneribus pro regia munificentia missis* advenerat*[a]. Legati, quibus episcopus quidam praeerat, dignitate solemni pro tanta magestate excepti, diuque retenti; inter moras episcopus, qui legatis praeerat, mortem obit. Dum a nostris qui item eo remittantur disquiritur, post nonnulla aliquandiu tracta consilia, id demum convenit, ut quia idem rex sacrilegus et profanus, utpote Sarracenus, et a vera fide prorsus esset alienus, quique quamvis amicitiam[b] expeteret principis christiani, in litteris tamen quas miserat blasphema[b*] nonnulla in Christum evomuerat, cum scriptis imperialibus[c] quae ferrent, vocem quoque suam ipsi aperire, et si quo pacto divinitus daretur, inmutare possent perfidiam.

953. 116. Forte sub ipsos[d] dies Adalbero noster, sacrae memoriae, palatium adierat. Bruno, magno ac felici postmodum futurus usui et decori, germanus regis, sapientia et prudentia cum[e] rerum publicarum tum[e*] omnium liberalium eruditione disciplinarum ita adprime eruditus, ut sui temporis omnes superaret et antiquos pene aequiperaret, cui insuper et Grecae lectionis multa accesserat instructio, omnium tunc temporis publice ac privatim agendorum communicator ac prudentissimus erat consultor, eique imperialium data provintia litterarum. Is varię caeteris consultantibus, nostrum Adalberonem sacrae memoriae nominat episcopum, nullique aptius id negotii sic addit[f] posse iniungi, quia ipse plurimos perfectorum virorum haberet, quos humanis nequaquam cessuros terroribus satis constaret, utpote seculo iam defunctos et libero pro fide coram quibuslibet potestatibus ore loquuturos. Convenitur continuo episcopus, et ut duos suorum idoneos legationi Hispaniarum paret imperatur. Mandatis acceptis, abbatem Eginoldum advocat, regia mandata insinuat: suorum duos disquirat, qui imperata perficiant. Lecti primum duo Angilramnus et Wido, regiaeque maiestatis* iussu* ex* monasterio*[g] sumptus et copia parantur itineris; ad hoc et quo Virdunensis* quidam*, gnarus*[h] partium Hispanarum, qui eos iussus erat deducere, mora omni* postposita* veniat* iubetur*[i], cum ecce praefatus Wido, alter delectorum, die quadam pro qua nescio neglegentia* in* conventu* fratrum*[k] increpitus, in tantae asperitatem proterviae tam in abbatem quam in universum erupit collegium, ut ad ultimum, cum tumor nimiae animositatis et insaniae in eo nequaquam reprimi valuerit, nec regularem pati disciplinam aliquatenus adquie-
51 verit, demptus cucullo monasterio pelleretur. Id imperatori[51] continuo nuntiatur. Iussum, illum abradi, aliumque pro eo asscribi.

117. Cum diu his quereretur, omnesque prorsus refugerent, nec in tanta congregatione quisquam inveniri posset, qui se id aggredi ullo modo posse fateretur, Iohannes repente nihil cunctabundus se ultroneus offert. Abbate aliquantulum aegre ferente, quod, in eum tota re monasterii incumbente, grata ipse quiete potiebatur, eo numquam si esset possibile abstinere pateretur; vicit tamen perfectio caritatis, quae non quaerit que sua sunt, sed potius quae alienorum. Simul quia videbat virum cupidum esse martirii, si fors ita tulisset, Christo potius transmittere quam suis optavit necessitatibus retinere. Ita assensus imperatori ex legatione episcopi, Iohannes dirigitur. Imperator multo hoc amplius delectatus, quem aetate et prudentia ad id negotii omnimodis idoneum advertebat, mandata cum litteris seu
52 muneribus imperatoris ei committit, praedictumque Virdunensem[52], cui nomen erat Ermenhardo, socium ob locorum regionumque notitiam facit; cui munera tradi Iohannes expostulat, ipse litterarum tantum baiulus fit. Rediens Gorziam, iter ocius accelerat, posthabitisque socii procrastinationibus, ipse litteras secum habens, omnium sanctorum precibus commendatus et votis, proficiscitur. Sumptus omnis ex monasterio ei factus. Ministri monachus tantum unus, Garamannus vocabulo, ordine diaconus, bone per omnia indolis additur*. Caballi* ad* equitandum* et* sarcinas* portandas*[l] quinquę sunt delegati. Socius morabatur* in*[m] vico quodam non multum a Tullo distante, qui videlicet* Iohannem* Scarponnae*[n] insequitur; hinc Longohas[53], Belnam[54], Divionem, Lugdunum, Hispaniam*[o] versus intendunt.

a) m. a. *e coni.* b) amititiam *c.* b*) blabsema *c.* c) imperalibus *c.* d) ipso *c.* e) cu *c.* e*) tunc *c.* f) adit c. g) m. i. e. m. *e coni.* h) V. q. g. *e coni.* i) o. p. v. i. *e coni.* k) neg............fratrum; *media Labbeus explevit.* l) ditur C. a. e. e. s. p. *e coni.* m) m. in *e coni.* n) licet Iohannem Scarponna *e coni.* o) .....iam *c.* Viennam *Mabill.*

51) regi Ottoni I. 52) de Virdunensium mercatorum cum Hispania commercio cf. Liudprandi Antap. VI. 6. p. 338. 53) Langres. 54) Beaune, post Divionem demum in via Lugdunensi posita.

118. Ubi[55] sarcinis navi impositis Rhodanoque usque ad certum locum vehendis, 953
dispendium perpessi non modicum — nam navibus invasis, plura suorum amiserant — post quaedam recepta Hispaniam tendit. Barcinonam[a] venientes, quindecim diebus morantur, donec nuntius Tortose missus est. Ea prima regis Sarracenorum erat. Dux continuo eos properare resignat, exceptosque mense integro detinet, adque ad omnem copiam procurat, donec velocius regi Cordubae nuntiati, de exceptione eorum per singulas civitates vel loca digne regia mandatum est honorificentia. Tandem Cordubam regiam urbem deducti, a palatio domus quaedam duobus fere milibus distans eis est delegata; ubi regifico[a*] luxu omnibus etiam praeter usum exhibitis, per nonnullos dies coacti sunt remorari.

119. Cum iam morarum tederet, curque praesentia regis tamdiu retinerentur, ab 954.
his qui se procurabant disquirerent, dictum est, quia nuntii prius missi a rege nostro triennio erant detenti, se ter tantum, id est novem annos, condictum esse a conspectu regio abstineri. Interea quidam ex palatio illuc viros visum venientes, causamque adventus eorum percunctantes, dum callide cuncta explorant, nihilque ab eis certi acciperent, qui sibi nisi praesenti regi mandata cuiquam edicere fas nullo modo esse dicebant, illi iam cuncta se praecepisse iactabant, et quia contra leges ipsorum litteras regi afferrent, ultimumque eis sine dubio instare periculum, quia et ipse iam littere in noticiam principum devenissent. Et revera, quamquam dolo contigerit, ita erat. Nam a civitate Tullo nostrae provinciae, comitem episcopi legati defuncti, de quo dictum est, quendam secum presbiterum assumpserant, qui toto deinceps itinere eis in omnibus communicans, cum Tortosam, que prima erat regni Sarracenorum, venissent, metuens vite, si, cum comes legati defuncti fuisset*, absque* litteris* reverteretur*, litteras* eorum* ut*[b] fido sibi poscens monstrari, citius excipit*. Atque* interim* eis*[c] Augustae et reliquis civitatibus, ubi Tertosa* relicta* ierant*[d], remorantibus[e], ipse Cordubam praecedit cum litteris. Quae* quomodo* vulgo* innotuerint*[f], parum cognitu fuit; ceterum rumor optimates* populumque*[g] commovit.

120. Itaque primates, inter se consilio habito, et utrum in noticiam regis ea iam venerint disquirentes, ubi parum id compertum habent, per se regem super hoc statuunt perquirendum. Lex enim tam inprovocabilis eos constringit, ut quod semel antiquitus omni ei genti praefixum est, nullo umquam liceat modo dissolvi; parique[h] nodo rex populusque tenentur innexi, omnisque transgressio gladio feritur. Si quid ab inferioribus[i], rex, si quit rex ipse commiserit, cunctus in eum populus animadvertit. Eis in legibus primum dirumque est, ne quis in religionem eorum quid umquam audeat loqui. Civis sit, extraneus sit, nulla intercedente redemptione capite plectitur. Si rex ipse audierit et in crastinum gladium retinuerit, ipse morti addicitur, nec ulla intervenire potest clementia. Primoribus ergo illis palatium petentibus, cum regi super hoc per nuntios suggessissent — nam accessus[k] ad eum ipsum clarissimus[l], et nisi maximum quid ingruerit nullus, tantum litteris per sclavos cubicularios omnia perferuntur — ille nihil eorum ad se perlatum rescribit. Amici legatos sibi missos, eosque filium suum in domo propria percepisse, necdumque se quid afferrent rescisse. Ita tumultus illorum sedatus est. Nam pro certo iam ad eum rumor venerat, et missis clam nuntiis vera esse compererat, sed timore suorum taliter rem omnem suppresserat.

121. Rex undique meticulosus[m] ancepsque, periculum sibi posse imminere considerans, artibus omnis generis que evadat pertemptat. Et primo quidem Iudeum quendam, cui nomen Hasdeu, quo neminem* umquam* prudentiorem*[n] se vidisse aut audisse nostri testati* sunt*, ad* eos* misit*[o], qui de omnibus ab eis ipsis penitus exploraret. Is quoniam* fama* perferente*[p] dispersum fuerat, regii eum baiulum esse mandati, ut* animum* Iohannis* sibi* conciliaret*[q] primo, quo sollicitabantur metu eum erigit, nihilque mali quemquam*[r] eorum ibi passurum, sed cum honore patriae remittendos edicit. Multa de ritu gentis, et qualiter se coram eis observare deberent, commonuit.

a) Bartinonam *c.* a*) regificio *c.* b) f. que l. r. l. e. ut *e coni.* c) e. A. i. e. *e coni.* d) sa r. i. *e coni.* e) remerantibus c. f) Q. q. v. i. *e coni.* g) optima ... po ... umque *c.* h) *bis legitur.* i) inferiorebus c. k) accensus c. l) rarissimus *Labbeus correxit, bene.* m) metuculosus *c.* n) n. u. p. *e coni.* o) ti s. a. e. m. *e coni.* p) q. f. p. *e coni.* q) ut a. I. s. c. *e coni.* r) *vocem Labbeus supplevit; iam lacuna.*

55) Lugduni.

954. Ipsi iuniores a quibuscumque vanis lascivis motibus locutionibusve compescerent; nihil tam parvum fore, quod non mox regiae notitiae perferretur. Si copia sibi egrediendi pateret, ne qua scurrilitate feminis saltem nutu se applicarent, nullam sibi pestem truculentiorem futuram; legem sibi propositam nullatenus excederent, quo nullo observatius notarentur, deprehensique nihili penderentur. Iohanne ad ea prout competebat respondente, atque acceptissime monitorem ferente, suosque ex contrariae partis homine suffundente, post plura invicem conserta, pedetemptim Iudeus causam ingreditur. Quid missi ferant, sollicite disquirit. Dum paululum cunctari videt Iohannem, — nam tunc secreto inter eos agebatur — sui dat fidem silentii, immo si opus sit tuti opem consilii. Iohannes cuncta ordine digerit. Dona regi missa, epistolam praeterea auribus regis inferendam; absque ea neque dona exhibenda, neque praesentiam sibi regis fas esse conveniendam. Sententiam simul epistolae verbis aperit. *Periculosum*, inquit Iudaeus, *cum hac regem videre. Cauti certe sitis, quit nuntiis vobis missis regi respondeatis. Legis enim severitatem iam vobis innotuisse*[a] *non* dubito*, eique declinandae prudenter oportet consulere.*

122. Illo tunc discedente, post aliquot menses episcopus quidam Iohannes ad eos missus est, qui post multa mutuae confabulationis rogata et reddita, ut fit inter fideles, colloquia, mandatum regis subinfert, ut cum muneribus solummodo[b] in conspectu regis adveniant. *Quid ergo*, Iohannes ait, *de litteris imperatoriis? Nonne earum maxime causa directus sum? quia ipse blasphemas praemisit, his etiam* vana* erroris* sui* commenta**[c] *destruentibus confutetur.* Ille ad haec temperatior*: *Considerate**[d], ait, *sub qua conditione agamus. Peccatis ad haec devoluti* sumus*, ut* paganorum* subiaceamus**[e] *ditioni. Resistere potestati verbo prohibemur apostoli. Tantum hoc* unum* relictum* est**[f] *solatii, quod in tantae calamitatis malo legibus nos propriis uti non prohibent; qui* quos**[g] *diligentes christianitatis viderint observatores, colunt et amplectuntur, simul ipsorum convictu delectantur, cum Iudaeos penitus exhorreant. Pro tempore igitur hoc videmur tenere consilii, ut quia religionis nulla infertur iactura, cetera eis obsequamur, iussisque eorum in quantum fidem non impediunt obtemperemus. Unde tibi multo satius nunc de his reticere, et epistolam illam omnino supprimere, quam scandalum tibi tuisque, nulla instante necessitate, pernitiosissimum concitare.*

123. Iohannes paululum commotior: *Alium*, inquid, *quam te, qui videris episcopus, haec proferre decuerat. Cum sis enim fidei assertor, eiusque te gradus celsior posuerit etiam defensorem, timore humano a veritate praedicanda nedum alios compescere, sed nec te ipsum oportebat subducere; et melius omnino fuerat, hominem christianum famis grave ferre dispendium, quam cibis ad destructionem aliorum consociari gentilium. Ad hoc et quod omni catholicae ecclesie detestabile est et nefarium, ad ritum eorum vos audio cir-*
Galat. 5, 2. *cumcisos, cum fortis sententia apostoli reclamet: „Si circumcidamini, Christus vobis nihil*
proderit.“ Itemque de cibis, quos gratia communionis eorum abhominamini: „Omnia
Tit. 1, 15. 10. *munda mundis“, et: „Erunt doctores vaniloqui et seductores docentes illa et illa, et inter*
1. Tim. *cetera abstinere a cibis, quos Deus creavit percipere cum gratiarum actione fidelibus“, et:*
4, 3. 5. *„Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.“* At ille: *Necessitas*, inquit, *nos constringit; nam aliter eis cohabitandi nobis copia non esset; quin et a maioribus longeque antiquitus traditum observatumque ita tenemus. — Numquam*, Iohannes inquit, *id approbaverim, ut metu, amore, vel favore mortali, divina transgrediantur statuta. Illos* enim* inde**[h] *deflexos vobis nunc pro auctoritate* abuti* videtis**[i] *..... vobis res fuerit consensus, cum dolere non neque am .... qua amorem facere videmini regni caelorum; quoniam eis vos necessitate* constrictos* assentire**[k] *fatemini, mihi procul his necessitatibus Christi gratia libero, fixus* Domino**[l] *miserante stat animus, quod nullo terrore, allectione vel gratia, ab his quae imperatoriis suscepi mandatis deflectar. Nam nec sine epistola imperiali*[m]*, nullis inde demptis vel commutatis usque ad unum apicem litteris, eum conveniam, et si quid contra ea quisquam oblatraverit, quae sanae et catholicae fidei ferimus, et diversus ad haec asserta obvenerit, palam resistam, nec ipsius amore vitae ab attestatione veritatis diffugiam.*

a) innotũ isse c. n. d. *e coni.* b) solumodo c. c) e. v. e. s. c. *e coni.* d) eratior Considerate *e coni.* e) luti s. u. p. s. *e coni.* f) hoc u. r. est *e coni.* g) ui quos *iam exciderunt.* h) I. e. in *e coni.* i) tate a. v. *e coni.* k) n. c. assentir *e coni.* l) xus Domino *e coni.* m) imperia c.

124. Haec regi clam nuntiantur. Nam necdum illa publicę a rege, quibus item 951. publice responderet, mandata directa fuerant, sed episcopus ille disquirendi tantum gratia advenerat. Rex callidis, quibus omnibus mortalibus praestare dicebatur, consultationibus mentem hominis modo hac modo illac attemptare excogitat, et tamquam muro praevalido diversa arte inpulsis machinis, ita firmitatem pectoris eius, si quo pacto daretur, certat concutere. Cumque post mensem aut sex vel septem ebdomadarum spatium ei 955. regii nuntii mitterentur, atque ex ipso quid apud se praefinierit quererent, nihilque inmutatum a primis initiis renuntiarent, rex miraculo tantae constantiae in diversa agebatur; et primo quidem terrere eum plus metu christianorum, qui regno eius libere divinis suisque rebus utebantur, posse credens, die quadam qua dominica erat ei epistolam plenam minarum misit. His enim tantum diebus dominicis, aut si qui festae nostrae religionis erant maximi, natalis Domini, epiphaniorum, paschae, ascensionis, pentecostes, sancti Iohannis, apostolorum, aut nominatorum erant sanctorum, ad aecclesiam proximam, quae erat in honore sancti Martini, permittebantur accedere, custodibus hinc inde duodecim, quos sagiones vocant, se deducentibus[a]. Cum ergo ea dominica ad aecclesiam processisset, in ipso itinere epistola ei porrecta est. Et quia cartae magnitudo — nam quadra pellis vervecis erat — terrebat*, ne* a* communione*[b] sacrorum quo tendebat avocaretur, interim distulit aperire*, donec sacris* peractis*[c] ad diversorium remearent. Ut revolvit, terrentia quaedam quae* sibi* contingere*[d] possent invenit, nec umquam alias ita se ullis terroribus percitum confessus* est*.

125. Nam*[e] post multa, quae ei nisi iussis regis assentiretur comminabantur, quibus tamen nullo modo* se* motum*[f] fuisse testatus est, ad haec ultimum insertum est, quod si ipsum interimeret, nullum in tota Ispania christianum vitae relinqueret, sed omnes gladio trucidaret. Addens hoc: *Cogita*, inquit, *quot animarum propter te interfectarum apud Deum reus eris, qui nisi contentione tua, a quo pacem et salutem magis sperare debuerant, nullo alio reatu peribunt, quique pro eis quaecumque velles optinere a nobis posses*[g], *sin tanta obstinatione nobis adversus persisteres.* His in ipsa qua ab aecclesia hospitium repetebant via tacitę perlectis, dum magnis animi aestibus aliquandiu agitatur, ut vel quod contra ea consilii caperet, vel qualiter ad haec regi rescriberet, quia non[h] satis litteris respondendi usum habebat, repente sententiae illius caelitus, ut sepe nobis fatebatur, memoria menti terrorem omnem metumque proterruit: *Iacta*, inquit, *in Domino* Ps. 51, 23. *curam tuam*, et alterius: *Quis fęcit os hominis? nonne ego?* Exod. 4, 11

126. Mox hospitium ingressus: *Frater Garamanne*, inquit[i], *otius pellem, in qua quicquid eloquar adscribas, para.* Illo statim exibente quadram exsectam, ut sumeret imperavit, calamoque parato sedenti exorsus, scriptoris velocitatem tanta verborum copia vicit, ut sepenumero scriptor, dum plurima iungerentur, se non posse excipere quereretur. Erat enim idem Garamannus eius artis elegantissimus atque assuetissimus. Primo ordine ad singula respondit: Se legatum missum, praeceptis imperatoriis fidem inviolatam servare; non sibi fas esse, ut cui tanta maiestas litteras suas et eas non signatas crediderit, sine his faciem eius cui directus sit videat, aut absque ipso in regis, cui missae sunt[k], recitentur conspectu. Si sic patiatur[56], se in nullo regio honori defecturum[l], quia . . . . . . risset. Aliter universa potius se genera* tormentorum* sustentaturum*, quam*[m] quicquam extra ea quae sibi indicta essent vel quantum causa* sibi* commissa* postularet*[n] excessurum; et sicut superioribus iam se itidem terrentibus respondere* haud* distulisset*, ita*[o] si etiam particulatim cuncta sui corporis membra a minimis articulis*[p] usque ad summa vitalia cotidianis resectionibus decarperentur — nam non maiorem umquam cruciatum inferri posse, quam si hodie hoc articulo digiti, cras altero, inde per dies singulos singulis, inde brachio, armo, post femore, crure[q], pede, praecisis, postremo truncus reliquus fodiatur — non eo tamen se territum aliqua ratione cessurum. Se quoque satis compertum habere ex relatione anteriorum sibi missorum, ipsum regem iam advertisse, quod mori non nimis ipse timeret. Ideoque superfluum esse eo se velle

a) deducentebus *corr.* deducentibus *c.* b) terrebat, ne a communio *e coni.* c) erire d. s. perac *e coni.* d) quae s c. *e coni.* e) confessus e. Nam *e coni.* f) se mo *Labbeus restituit.* g) posse *c.* h) n *c.* i) inquot *c.* k) sint *corr.* sunt *c.* l) deficturum *c.* m) nera t. s. quam *e coni.* n) usa s. c. postularet *e coni.* o) dere h. d. ita *e coni.* p) culis *Labbeus supplevit.* q) cruce *c.*

56) scilicet rex Abderahaman.

955. terrere, quod ipse levissimum reputaret. Iam quod scripserat, ipso interfecto nullum in tota Ispania reliquum facere christianum, sibique reatum tantae stragis a Deo inputari, id longe aliter se habere, nec se causam esse caedis ipsorum, sed malitiam crudelitatemque irae ipsius, ipsoque poenas interfectorum luente, sibi cum ipsis interemptis Christo propitio vitam meliorem succedere. Cum tamen id quoque Deo facile esset Esth. 4, 14. commutare; et sicut Mardocheus quondam mandaverat Hester: *Si nolueris nunc intercedere, forsitan per aliquam occasionem liberabuntur Iudei, et tu et domus tua peribitis*, ita et nunc Deum facere nihilominus posse, ut postquam omnia ab ipso rege essent promulgata, iamque ipsis cervicibus gladiis novo et inopinato ordine suis Dominus subveniret. Quocirca non huiusmodi se minis vel terroribus nosset ullatenus permoveri, quia qui Mardocheum a superbia Aman constantiae tenacem miro ordiue eripuerit, ipse sibi, quia non proterviae sed oboedientiae causa interesset, quoquo pacto sibi placitum videretur, non deesset. Huiusmodi sententiae verbis plurimis aucte atque testimoniorum competentium robore hinc inde praefultae, paginae totius campum impleverunt, nec prius ori dicenda defecerunt, quam scriptor impleta membrana nihil superesse confessus est.

127. Haec regi perlata, non in iram, ut prius, mentem incendit, sed consilio* regio* perlata* sunt*[a]. Iam pridem enim a suis, quibus res nostrae iam fuerant pervulgatae, abstrudendas* eas* commonitus* erat*, ne*[b] imperatori*[c] nostro obluctari temptaret. Eum bellicosissimum multarum gentium victorem*[d], iniurias omnes, praecipue legatorum, quo numquam alias seviore animo repetiturum, ac plurimorum copiis regnorum coactis, Ispaniam totam postquam variis calamitatibus vastavisset, forte tandem iure victoris sibi subiecturum. Pluribus ita iactatis, quidam forte suggessit, ut quia vir ille tantae videbatur constantiae, ac non minoris arbitrari posset prudentiae, quem etiam tanti temporis mora in lege sua tam fixum monstrasset, ac proinde[e] fidem mortalibus non denegaret, is ipse super hoc, quid facto sibi opus esset, consuleretur. Ita nuntiis se convenientibus postquam ultima haec mandata percepit: *Tandem*, inquit, *sapientiore consilio rem tractastis. Si mox initio id esset quaesitum, non tantas vobis vel nobis tedii et anxietatis molestias tot spatia temporum protraxissent. Nunc citum id facile extat consilium. Mittatur domino nostro imperatori legatio a rege vestro, ut mihi, quid de commissis agere debeam, describat. Eius litteris iterum visis, ad universa oboediam.*

128. His regi nuntiatis, acceptoque consilio ut a prudente suggesto, quaeri iubetur, quis iter tantum vellet assumere, cum rarus aut fere nullus palam se ostendendo[f] proferret, propositumque esset, ut quisquis illuc iret, honore quovis petito et cuiuscumque generis muneribus rediens potiretur. Tandem extitit inter palatina offitia Recemundus quidam, adprimę catholicus, et litteris optime tam nostrorum quam ipsius inter quos versabatur linguae Arabicae institutus. Qui tantum in regia habebat offitii, ut diversorum pro necessitatibus ad palatium concurrentium[f*] causis extra auditis, quia litteris omnes ibi quaerimoniae vel causae signantur et resignantur, hic notata inferret, itidemque responsa scripta referret. Pluresque eidem alii erant offitio delegati. Is trepidationem caeterorum advertens, sibique tempus forte oblatum nonnulli adipiscendi haesitantibus*[g] ceteris[h], dixit: *Quae erit merces viro qui vendiderit* vobis* animam* suam*[i]?* Nam ita sollemne eis verbum, ut quotiens summo quolibet periculo*[k] in nuntium[l] quis destinatur, ita ei dicatur: *Vende mihi animam tuam.* Si sospes exierit, quam amplissime muneratur. Hoc Recemundo querenti respondetur, quidquid postulatum ab eiusmodi esset conferendum. Ille tantum venie sibi dari petens, ut cum nuntiis conclusis sibi copia esset loquendi, post utrum temptare deberet ediceret.

129. Hoc ei concesso, Iohannem conveniens, mores et instituta patriae nostrae sollicite disquirit; imperator cuius esset clementiae, quantae moderationis in suis, utrumne praeceps in iram, et an in semel prolatam inrevocabilis sententiam, multaque eius generis, tandem si sibi esset fiducia regiam ei legationem proferre, ne forte vicem tanti temporis, quo ipse Iohannes ibi detentus fuerat, ipse qui mittebatur exsolveret? Iohannes

a) lio, io, erlata sunt *ex coniectura.* b) dendas e. c. e. ne *e coni.* c) im *Labb. suppl.* d) victo *Labb. suppl.* e) p. nihil *punctis appositis deletum.* f) ostendo *c.* f*) concurentium *c.* g) haesitantibus *e coni.* h) *vox dubia.* i) derit v. a. sua *e coni.* k) periculo *e coni.* l) *vox dubia.*

omnia bene processura cito respondens, omni liberum reddit trepidatione atque formidine. 955. Gaudiis et gratulationibus obviis magis ubique excipiendum confirmat. Se epistolam abbati suo missurum, qui illum magnifice exciperet, et tempore quanto cuperet, teneret atque curaret, donec episcopo exhibitum, aut cum ipso aut cum legatione eius, ipse abbas imperatoriis eum conspectibus cum pace et gratia praesentaret. His ille allectus, palatium repetens, si sibi quae postulet dentur, itineri devovet. Ecclesia aliqua forte vacua recens erat episcopo. Hanc munus eius petit laboris. Facile optentum, atque ex laico episcopus repente processit.

130. Inde[56] sumptu regio ac litteris instructus, Gallias ocius petit, atque in decem Iun. ferme ebdomadibus Gorziam venit. Ibi gratulantibus cunctis exceptus, ac non post multos Aug. dies in urbe a sancto pontifice Adelberone invitatus, et aliquot cum ipso manens diebus, iucunde ammodum habitus est. Inde loca quaeque sua cum eo invisens, quia mense Augusto iam praecipiti venerat, autumnum et hiemem secum transegit, donec dominici natalis festo transacto, qualiter imperatori dirigeretur est ordinatum. Res tamen eius et plures suorum Gorziae*[a] interim procuranda manserunt. Inde circa festum 956. sanctae Mariae* matris* Dei*[b] imperatori ab eodem venerabili pontifice, comitante simul Febr. 2. domno* Eginoldo* abbate*[b] deductus, honorifice in palatio Franconofurde suscipitur. Cuius Mart. legatione* audita*[c], fide legati atque constantia summo laudata praeconio, litterae mitiores perferendae* decernuntur*[d]. Iohanni de prioribus supprimendis[e] rescribitur, tantum cum donis procedat, amicitiam[f] pacemque de infestatione latrunculorum Sarracenorum quoquo pacto conficiat, reditumque[g] maturet, edicitur. Novis denuo muneribus perferendis atque mandatis, Virdunensis quidam, cui Dudo vocabulum, destinatur. Ita Hispanus Gorziam rediens[h], ibique sacrae quadragesimae maiore parte exacta, circa palmarum diem cum Mart. 30. legato imperatorio proficiscens, Iunii mensis principiis Cordubam venit. Iun. Cumque mox cum novo nuntio regiam vellent irrumpere, rex: *Nequaquam*, inquit; *sed qui litem tanto tempore protraxerunt, cum prioribus primum procedant muneribus vel mandatis. Inde secundi ordine inferantur. Nec hi omnino faciem meam videbunt, nisi prius monachum illum tanti temporis pertinacem adeant, et patriae, carorum, regis sui mandatorumque ipsius oblectatione laetificent.*

131. Ita cunctis expletis, Iohannes trium*[i] iam fere annorum claustris solutus, regiis mandatur apparere conspectibus. Cum a legatis ei diceretur, ut crine detonso, corpore loto, veste lautiore se appararet, uti regiis conspectibus praesentandum, illeque renueret, rati illi, non ei vestium mutatoria subesse, regi nuntiant. Ille mox decem libras ei mittit nummorum, unde illa, quibus decenter oculis[k] regis indueretur, conquireret. Non enim fas esse gentis, ut vili habitu regiis aspectibus praesentaretur. Iohannes primo cunctatus utrum susciperet, tandem cogitans, usui pauperum id melius esse expendi, gratias munificentiae regiae reddit, quod sui tam sollicitus esse dignatus sit. Deinde responso monachi dignum subiunxit: *Regia*, inquiens, *dona non spernor, vestes vero alias praeterquam quibus monacho* uti* licet*[l], *nec pallia prorsus nec eas*[l*] *qui alicuius coloris sunt* nisi* nigro*[l] *tantum tinctas aliquatenus induam.* Hoc regi relato: *Hoc**, inquit*, *responso* eius*[m] *constantem animum recognosco. Sacco quoque indutus si veniat, libentissime* eum*[n] *videbo, et amplius mihi placebit.*

132. Post haec die praefixa qua praesentandus erat[o], apparatus omni genere exquisitus ad pompam regiam demonstrandam conseritur. Viam totam ab* hospitio*[p] ipsorum usque ad civitatem, et inde usque ad palatium regium varii hinc inde ordines constipabant; hic pedites hastis humo stantes defixis, longe inde hastilia quaedam et missilia vibrantes manuque crispantes, ictusque mutuos simulantes; post hos mulis quidam cum levi quadam armatura insidentes; deinde equites calcaribus equos in fremitu et subsultatione varia concitantes. Mauri praeterea forma insolita nostros exterrentes, ita variis proludiis, quae nostris miraculo arbitrabantur, itinere nimium pulverulento,

a) Gorziae *e coni.* b) riae m. D. *e coni.* b*) mo E. a. *e coni.* c) uius l. a. *e coni.* d) endae decer *e coni.* e) supprimens *c.* f) itiam *avulsa.* g) re *avulsa.* h) ns *abscisum.* i) trium *e coni. v. infra cap.* 134. k) eorum *erasum.* l) m. u. l. *et postea* sunt nisi *e coni.* ..g.o *c.* l*) eos *c.* m) H. i. r. e. *e coni.* n) l e. *e coni.* o) *abscisum.* p) ab ho *supplevit Labb.*

56) De tempore legationis Recemundi cf. SS. III. 265.

956. quem per se ipsa quoque temporis siccitas — nam solstitium erat aestivum[57] — sola Iun.21. concitaret, ad palatium perducuntur. Obvii proceres quique procedunt, in ipso limine exteriori pavimentum omne tapetibus pretiosissimis aut palliis stratum erat.

133. Ubi ad cubiculum, quo rex solitarius, quasi numen quoddam nullis aut raris accessibile, residebat, perventum est, undique insolitis cuncta velaminibus obtecta, aequa parietibus pavimenta reddebant. Rex ipse thoro luxu quam poterat magnifico[*a] accumbebat. Neque enim more gentium ceterarum soliis aut sellis utuntur, sed[*b] lectis sive thoris colloquentes vel edentes, cruribus uno alteri impositis, incumbunt[*c]. Ut igitur Iohannes coram advenit, manum interne osculandam protendit. Osculo enim[*d] nulli vel suorum vel extraneorum admisso, minoribus quibusque ac mediocribus numquam[*e] foris, summis et quos praestantiori excipit pompa, palmam mediam aperit osculandam.

134. Inde sella parata, manu, ut sedeat, innuit. Longa deinde utrimque silentia. Tunc rex prior: *Tuum*, inquit, *cor mihi plurimum diu cognosco fuisse infensum, quamdiu te demum aspectu meo suspendi. Sed tu ipse penitus nosti, quod aliter fieri non potuit. Tuam*[*f] *virtutem sapientiam expertus sum; aliena*, ne* viderem* te* cum* epistola*[f*], *distulerunt, sed quod non odio tui id factum sit, volo cognoscas; et non solum* te* nunc* libenter* excipio*[*g], *verum de quibuscumque postulaveris impetrabis.* Iohannes ad haec, qui, sicut nobis postea[*h] referebat, aliquid fellis tam diutino angore contracti in regem evomere cogitabat[h*], tam placidus repente effectus est, ut nihil animo ipsius umquam aequabilius esse potuisset. Inde ad singula respondit: Se quidem negare non posse, primo tot acerbitate nuntiorum fuisse permotum; inter ipsa tamen tacitum crebrius cogitasse, simulatis potius quam veris minarum intentionibus haec erga se agitari; postremo quoque cuncta dilationum obstacula ex superioribus totius triennii actis vel dictis rescisse, nec esse quicquam reliqui, quod merito odio sui factum suspicari deberet: unde si qua ea essent, se penitus animo depulisse, gratiae tantum, quam tam clementi magnificentia obtulisset, gratulari, et quod regii pectoris in hoc et robur constantiae et moderationis mediae pervidisset temperamentum satis egregium. Rege his in multam gratiam delinito pluribusque eum compellandi parante, munera imperatoria primum excipi postulavit. Quo facto, reditus indulgentiam e vestigio obsecravit. Rex ammirans: *Quomodo*, inquit, *haec tam repentina fieri possit divulsio? Tanto temporis spatio alterutrum expectati, modo vix visi, ita abrumpemur ignoti? Nunc interim mutuo semel conspectu potiti, parum quiddam cognitio mentium se utrumque aperuit, iterum visi iam amplius, tertio tota iam plenitudo notionis vel amicitiae*[i] *firmabitur. Inde domino tuo remittendus, digno eo teque deduceris honore.* His Iohanne assentiente, secundi legati iubentur intromitti, eoque praesente munera quae deferebant oblata.

135. Tunc demum utrisque ad hospitia remissis, post aliquantum tempus Iohannes a rege revocatus, familiaria multa cum eo conseruit. De nostri imperatoris potentia atque prudentia, de robore et copia militum vel exercitus, de gloria et divitiis, de bellorum[*k] industria et successibus, multaque id generis. Sua econtra iactare, quanto exercitus* robore* omnes[*l] seculi reges excelleret. Ad haec Iohannes pauca respondit[*m], ut possint qualitercumque regis* animum* mitigare*, tandemque* addit[*n]: *Illud vere fateor, regem me hoc seculo*[*o] *neminem nosse, qui nostro imperatori terra armis aut equis possit aequari.*

136. Rex autem, ira* sedata[*p] aut sopita: *Immerito*, inquit, *regem tuum celebras.* — *Verane, an falsa sint*, ille inquit, *licet experiri.* Rex autem: *Caetera utcumque approbaverim; unum est, in quo illum non satis providum esse constiterit.* — *Quid*, inquit, *illud est?* — *Quod potestatem virtutis suae non sibi soli retinet, sed passus ubere quemque suorum propria uti potestate, ita ut partes regni sui inter eos dividat, quasi eos sibi inde fideliores habeat et subiectiores. Quod longe est; exinde enim superbia et rebellio contra eum nutritur atque paratur, ut nunc in genero*[q] *ipsius actum est, qui filio eius per perfidiam sub-*

a) magni *L. supplevit.* b) *L. supplevit.* c) incu *L. suppl.* d) enim *e coni.* e) ıquam *e coni.* f) Tuam *e coni.* f*) a. ne v. t. c. episto *e coni.* g) olum te n. l. ex *e coni.* h)] . . . . *codex.* h*) tabat *e coni.* i) amititiae *c.* k) rum *abscisum.* l) e. r. o *e coni.* m) spondit *e coni.* n) r. a. m. t. a. *e coni.* o) *abscisum.* p) ira se *e coni.* q) gero *c.*

57) incidebat in sabbatum.

ducto, publicam tirannidem contra eum exercuit, ad hoc ut gentem externam Ungrorum per media quaeque regnorum suorum depopulandam transduxerit[58. *]. 58

*) *Hic afferre iuvabit, quae de Iohanne nostro in Vita B. Kaddroae, abbatis Walciodorensis tum sub Deoderico episcopo Sancti Felicis sive Clementis Mettensis, leguntur c.* 30: „Ut autem ex hac aliquid sub exemplo dicamus: Iohannes abbas Gorziensis coenobii columna in templo Dei — cuius mortem, sicut nescio quis ait, Poenos gemuisse leones, montesque, ferae silvaeque loquuntur — gravi inaequalitate corporis correptus lectulo decubabat; et quia erat vir inenarrabilis abstinentiae, aridis cibis, ut solebat sanus, imbecilles artus cogente spiritu excruciabat. Pater Kaddroe, hoc audito, caritate ducente Gorziam pervenerat, et nesciente homine, quod eum ecclesiae filiis reddere posset, carnium scilicet edulium parari iusserat, et veniente hora refectionis posita est coram eis mensula. Cumque illatos cibos Iohannes horreret attingere, sciens Kaddroe, quia caritas non quaerit quae sua sunt, qui iam olim parcitatis amore saltem ovum non contingere statuerat, carnes suscipiens, comedebat. Quod cum vir Dei Iohannes vidisset, iam non valens eius iussui contraire, infirma membra, quoad convalesceret, refocillavit. Quid ergo? Nonne caritati Christi in hoc quoque Kaddroe deservivit? Inde ad monasterium reversus, rigore abstinentiae contra spirituales nequitias scutum recepit." Virg. Eccl. V, 28.

58) a. 954.

GERHARDI

VITA SANCTI OUDALRICI EPISCOPI

EDENTE G. WAITZ PH. D.

Vitam Oudalrici[1] *episcopi Augustani, qui per quinquaginta fere annos eccle-* 1
siam rexit et rebus tam publicis quam ecclesiasticis interfuit gravissimis, clericus scripsit Augustensis, qui „faciem eius saepissime vidit et eius doctrinam benedictionemque saepissime accepit"[2]. *Ipse nomen suum nusquam indicavit; sed in duobus codicibus Gerhardus presbyter appellatur*[3]. *Hic praepositus*[4] *fuit ecclesiae cathedralis S. Mariae*[5], *ab Oudalrico ordinatus, ipsique familiaritate coniunctus. Anno 972. in synodo Ingelheimensi episcopi senio gravati*
nomine publice locutus est[6], *anno sequenti moribundo affuit et ultima officia* 6

1) Ծ, ǒ, idem quod ou, uti et in prioribus Monumentorum tomis exprimendum curavimus; et minime, ut nonnullis viris doctis placet, ubique „au", sed saepe, more superioris Germaniae incolis hodieque consueto, óŭ enuntiandum est. Idem in ů locum habet, pro úŏ usitato. *Chounradus* = Chóŭnradus, *Chůnradus* = Chúŏnradus legebatur. Ceterum ad nostra usque tempora Gallos ou = u, Batavos et Anglos ou = au pronuntiare memineris. PERTZ. 2) Mirac. epil. 3) Codex S. Emmerammi Ratisbonensis, nunc Monacensis (infra Nro. 2.) ita habet: *In nomine Domini incipit vita sancti Oudalrici episcopi et confessoris Christi a Gerhardo qui ab eo fuit presbiter ordinatus;* in codice vero Augustensi, quo Velserus usus est, c. 23. alia manu ad marginem scriptum erat: *iste Gerhardus scripsit legendam.* 4) Modo presbyter modo praepositus appellatur c. 26; cf. n. 9. 5) Mir. c. 28. 6) c. 23.

7 *praestavit*[7]. *Anno* 978. *Heinricus Oudalrici successor exilio relegatus ut episcopatui redderetur, ab imperatore impetravit*[8] *et sequenti tempore alias res in ecclesia Augustana curavit. Ideo nemo fortasse vitae scribendae melius instructus accedere, nemo facile nisi ipse Gerhardus quos cum Oudalrico habebat sermones tam pio animo et tam sincera fide memoriae tradere poterat.*
9 *Certe ut alium fingamus auctorem, ne levissima quidem causa movemur*[9].

Gerhardus quae ipse viderat aut ab aliis eius temporis hominibus acceperat[10] *in librum suum retulit, ut hoc multis responderet, qui ipsum de rebus et miraculis sancti viri interrogabant*[11]. *Quod executus est inter a.* 983.*, ad quem usque historiam deduxit, et a.* 993.*, quo libellus hic a Liutolfo episcopo Romam est allatus, ut eo perlecto et approbato Oudalricus episcopus in*
12 *sanctorum ordinem redigeretur*[12]. — *De primis Oudalrici actibus Gerhardus,*

7) c. 26. 8) c. 28. 9) Formulam diplomati c. 28. subscriptam: *Ego igitur Gerhardus* etc. nihil ad hanc rem definiendam facere, recte quidem Velserus monuit. Quae idem affert (nota marg. c. 23.), verba epilogi: *nos qui inquilini huius aecclesiae sumus,* auctorem quidem clericum ecclesiae S. Afrae ostendere videntur. Ipse vero dicit Mir. c. 28: *ad aecclesiam sanctae Mariae genitricis Dei — venientes, haec — nobis adnuntiaverunt.* Eo enim tempore canonici ecclesiae Marianae et Afranae unum corpus constituebant; v. Khamm hier. Aug. I. p. 524. 10) c. 16. 18. 28. epilog. — Opera quae ipsi Oudalrico tribuuntur, epistolam de vita Notingi ep. Constant. (Goldast SS. Alam. II. p. 196.), litteras increpatorias papae Nicolao directas (cod. Udalric. n. 10. ap. Eccardum Corp. II. p. 23.), sermonem synodalem (Mabill. Acta V. p. 419.) aut falsa sunt aut incerto rumore feruntur. 11) prolog. 12) Bullam Iohannis XV., primum quod habemus eiusmodi documentum (v. Pinium Act. SS. Iuli II. p. 79.) Velserus (Op. p. 587.) et emendatius Mabillon (Acta V. p. 471.) ediderunt: *Iohannes episcopus servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis et abbatibus in Gallia et Germania commorantibus salutem in Domino ac apostolicam benedictionem. Cum conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Iohanne sanctissimo papa cum episcopis et presbyteris, astantibus diaconibus et cuncto clero, surgens reverendissimus Liutolfus Augustae episcopus inquit: „Domine sanctissime praesul, si vobis placet et omnibus episcopis et presbyteris hic residentibus, libellus, quem prae manibus habeo, coram vobis legatur, de vita et miraculis venerabilis Udalrici sanctae Augustanae ecclesiae dudum episcopi, et quid libitum vobis fuerit, decernatur, quia Spiritus sancti testatur praesentia et congregatio sacerdotum, certum esse quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius in euangelio ista sententia est: „Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum“. Quod cum ita sit — nam nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest — quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit turba sanctorum? Sanctum namque est pro debita veneratione collegium“. Cumque perlecta esset vita praedicti sanctissimi episcopi, ventum est ad miracula, quae sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt, videlicet caecos illuminasse, daemones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, et quam plurima alia signa gessisse, quae nequaquam calamo et atramento illustrata sunt. Quae omnia lepida satis urbanitate expolita recepimus, et communi consilio decrevimus, memoriam illius, id est sancti Udalrici episcopi, affectu piissimo et devotione fidelissima venerandam, quoniam sic adoramus et colimus reliquias martyrum et confessorum, ut eum, cuius martyres et confessores sunt, adoremus, honoramus fervos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit: „Qui vos recipit, me recipit“, ac perinde nos, qui fiduciam nostrae iustitiae non habemus, illorum precibus et meritis apud clementissimum Deum iugiter adiuremur. Quia divina saluberrima praecepta, et sanctorum canonum ac venerabilium patrum instabant efficaciter documenta, omnium ecclesiarum Dei pio considerationis intuitu, immo apostolici moderaminis annisu, utilitatum commoditatem atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Udalrici iam praefati venerabilis episcopi divino cultui dicata existat, et in laudibus Dei diutissime persolvendis semper valeat proficere. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quae ab hac nostra auctoritate pie ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt, contraire tentaverit, vel haec, quae a nobis ad laudem Dei pro reverentia iam dicti episcopi statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate beati Petri principis apostolorum, cuius vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu observator extiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo domino Deo nostro multipliciter consequatur, et aeternae vitae particeps efficiatur. Scriptum est per manum Stephani notarii regionarii et scriniarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense Februario, indictione sexta, anno* 993.

Ego Iohannes, sanctae Romanae catholicae et apostolicae ecclesiae episcopus, huic decreto a nobis promulgato consensi et subscripsi.

Iohannes episcopus sanctae Anagninae ecclesiae consensi.

Benedictus episcopus sanctae Pipernensis ecclesiae consensi.

Dominicus episcopus sanctae Ferentinae ecclesiae consensi.

qui extremis demum vitae annis illum adiisse videtur, pauca habuit comperta[13],
alia praetermisit[14], *alia minus recte narravit*[15]. *Postea vero eius mores, insti-* 14
tuta, itinera, res publice et privatim gestas fuse et accurate exposuit et histo-
riam tam civilem quam ecclesiasticam magnopere illustravit. Etiam Heinrici,
qui Oudalrico successit, vitam hoc libro comprehendit, eaque ad horum anno-
rum historiam ex tenebris quibus iacet obtecta eruendam multa praebet. Hinc
inde tamen levioribus rebus nimis immoratur et sermone utitur humiliori[16],
quem etiam vocabulis Graecis[17], *barbarismis ex loquela Germanica desumtis*[18] 17
et verbis inusitatis et falso sensu adhibitis[19] *deformavit. Nihilominus haec*
vita magnam sibi auctoritatem conciliabit, et iam per medium aevum a multis
lecta est et laudata. Thietmarus Merseburgensis[20], *Hartmannus*[21] *et Ekke-*
hardus Sangallenses[22], *Hermannus Augiensis*[23], *Oudalscalcus Augustanus*[24], *ut* 22
de Gebehardo et Bernone taceam, eam ante oculos habuerunt.

Codices, quibus in hac editione adornanda usus sum, hi sunt:

1) *C. bibl. regiae Parisiensis Suppl. Lat. Nro.* 165[17]. *mbr.* 4[to], *qui saec.*
XI. inc. fortasse non una manu[25] *scriptus, iam* 15 *fasciculis,* 106 *foliis con-* 25
stat, uno quaternione, qui undecimus fuit, evulso. — Fol. 1. *imaginem continet,*
qua duo sancti, quorum alter his vocibus: + Formula Narcissi *indicatur,*
mulierem ad pedes iacentem benedicunt. Versus in margine scripti sunt:

Ad dominum sanctum qui iam con . . . . . .
Cuius sub pedibus Friderun modo (?) sternitur al(ma).

Sequitur f. 2—10′. *Vita S. Afrae. — f.* 11′. *aliam habet imaginem, qua*
ad sancti cuiusdam pedes homo iacens repraesentatur. Versus:

O Dietrice comes[26] hic Magnum letus adores, 26
Preparat eterne qui iam tibi gaudia vite

Crescentius episcopus sanctae Silvae candidae ecclesiae consensi.

Anniso episcopus sanctae Cerensis ecclesiae consensi.

Bonizo archipresbyter et cardinalis sanctae Luciae consensi.

Benedictus presbyter et cardinalis sancti Stephani consensi.

Leo presbyter et cardinalis sancti Nerei consensi.

Iohannes presbyter et cardinalis sancti Damasi consensi.

Leo presbyter et cardinalis sancti Sixti consensi.

Iohannes presbyter et cardinalis sanctorum Apostolorum consensi.

Iohannes presbyter et cardinalis sanctorum Quatuor Coronatorum consensi.

Iohannes presbyter et cardinalis sancti Clementis consensi.

Crescentius presbyter et cardinalis sancti Calixti consensi.

Benedictus archidiaconus, Iohannes diaconus et oblationarius, Benedictus diaconus, Iohannes diaconus: Hi omnes consenserunt et subscripserunt.

Data tertio Kalendas Februarii[a], *per manum Iohannis episcopi sanctae Nepesinae ecclesiae, et bibliothecarii sanctae sedis apostolicae, anno pontificatus domini nostri Iohannis sanctissimi XV. papae octavo, mense dicto, et indictione sexta.*

Quod Oudalricus iam a Gerhardo sanctus dicitur, neminem offendet, quum eo tempore haec virorum piorum laus minime a papis penderet, sed vel fama publica vel episcoporum aliorumque iudicio tribueretur; cf. Vitam Wiboradae c. 40. 13) Hoc ipse verbis obscurioribus prologi indicare videtur: *ut cum tacita experientia experiri studuissem originem eius.* 14) cf. Ekkehard. de casibus c. 3. Mon. SS. II. p. 107. 15) c. 1. de Marino papa. 16) Vide infra quae Gebehardus et Berno iudicarunt. 17) e. gr.: acedia (*ακκηδια*), doma (*δωμα*), psiathos (*ψιαθος*), tafos (*ταφος*), zoa (*ζωη*). 18) drudes, toumum (*dom*), herilis (*herrlich*), herilitas, recuperatio (*genesung*), permissum accipere (*urlaub erhalten*) etc. 19) ita, ut unum moneam, semper *nisi* pro *quin*, *ut non* scripsit. 20) I, 5. 21) c. 19. 20. (edit. 17.) Vitae Wiboradae ex hac sumta sunt. 22) l. l. 23) a. 953. 955. 971. 973. 977. 24) v. infra. 25) Quaternio 12. et 14. alio atramento scripti sunt; praeterea 14. et 15. inter se non cohaerent, duabus fere lineis omissis. 26) Quis hic comes et quae Friderun supra nominata sint nescio. Diligenter erasa est inscriptio, qua ultima pagina procul dubio monasterium erat indicatum, cuius hic codex fuit.

a) *Hic vel legendum* tertio Nonas, *vel si* tertio Kalendas *id eo modo intelligendum, ut sensus sit:* tertio die post Kalendas. *Siquidem synodus habita est prid. Kal. et bulla data in mense Februario.* MAB. *Cui tamen vix assentirem.*

f. 12—38. Vita S. Magni legitur; f. 38′—40. prologus vitae S. Oudalrici; f. 40′. Maria cum filio Iesu delineata est, hoc versu adscripto:

In gremio matris rector complectitur orbis.

Folia 41—106. ipsam S. Oudalrici vitam continent. — Codex non ubique eadem diligentia scriptus, plerumque quidem bonum praebet textum, quaedam tamen omittit (capitum indices, fin. c. 28., et plura ex libro miraculorum), in verbis scribendis non satis sibi constat[27], *hinc inde etiam gravioribus mendis maculatus est.*

2) C. bibl. regiae Monacensis inter libros S. Emmerammi F. CXVIII. mbr. s. XI. 4to, in 60 foliis scriptus, quem V. Cl. Föringer cum editis contulit. Hic liber Gerhardi integrum habet opus, sed sermonem nonnumquam leviter mutatum et correctum, ita ut primum locum ipsi tribuere non potuerim.

3) C. Vindobonensis Nro. 554. (hist. eccl. 119. olim 322.) mbr. 4to s. XI. foliis 88 constat, et quamvis non prorsus genuinum exhibeat textum, non contemnendae tamen auctoritatis esse videtur. At nonnisi graviores lectiones a viro quodam docto enotatas nobisque a V. Cl. Chmel transmissas habui.

4) C. Einsidlensis Nro. 261. mbr. s. XI. a. V. Cl. Gallo Morell monasterii bibliothecario in usus nostros conversus, librum habet praefatione destitutum, passim mutatum, breviorem redditum et postea ab aliis correctum, ita ut integram lectionis varietatem nonnisi initio afferendam duxerim, postea paucis tantum quae saepe cum 1. conveniunt, enotatis, Prima pagina ostendit S. Oudalricum, qui poculum de mensa levatum dextera benedicit; id quod manus e nube porrecta comprobare videtur.

5) Marcus Velserus duumvir Augustanus a. 1595. primus Gerhardi edidit opus[28], *tribus adiutus codicibus S. Udalrici et Afrae, quorum duo fuerunt membranacei, tertius chartaceus. Ex illis quum alterum autographum dicat*[29], *hos codices consulere valde optassem. Sed vir reverendissimus atque illustrissimus episcopus Augustanus D. Petrus Richarz, summa quamvis solertia urbis bibliothecas*[29*] *aliasque collectiones litterarias pervestigaverit, eorum vestigium nullum iuvenit, immo in schedis Braunii*[30] *annotatum reperit, iam eius tempore codices duos membranaceos in bibliotheca monasterii desideratos esse*[31]. *Quibus ab episcopo summe reverendo cum Pertzio ea qua excellit humanitate et benevolentia communicatis, docemur, libros illos aut a Velsero numquam redditos, aut quod verosimilius putarim, in bello Suecico esse deperditos. Quorum recuperandorum spe ablata, Velseri editionem nonnumquam in subsidium*

27) Ita ex more Alamannorum *b* et *p* saepe neque tamen constanter inter se mutavit e. gr.: *pannum, prespiter, puplicus, plasphemia, abpas, abpatia;* — *bublice, tembus, sobitus, rebausatio, probrietas, obpulentia, sublementum.* — Modo *ę* modo *e* scripsit, illud saepissime in vocabulis: *praecępit, accępit, ęcclęsia, cęreus, cęlebrare, ęqui, ęsca, intentę, subnixę* etc. 28) De vita S. Udalrici Augustanorum Vindelicorum episcopi quae exstant. Pleraque ante hac nunquam edita. Aug. Vind. 1595. 4to. Haec editio repetita est inter Velseri Opera Norimbergae 1682. fol., p. 505 sqq. qua usus sum. 29) not. marg. ad. c. 13. Opera p. 547. Fortasse vero vocabulo *autographum* ex illius aevi consuetudine nonnisi *codex* intelligitur. 29*) In bibliotheca publica Augustana hos libros haud inveniri, etiam V. Cl. Mezger bibliothecarius et studiorum director benevole mihi respondit. 30) Notitia historico-literaria de codd. mss. in bibl. liberi et imp. monasterii ad SS. Oudalricum et Afram extantibus. Huius operis 2 Voll. edita sunt (Aug. 1791. 4to), sed 6 exstant manuscripta. 31) Haec sunt ipsius verba: *Historiam memoratam M. Velserus cum praecedentibus prelo subiecit, duobusque codicibus membranaceis et uno papyraceo ex nostra bibliotheca usus est, quorum priores ad nos hucusque non rediere.*

vocavi, quam tamen ex codicibus valde emendare potui, ita ut multo feliciori mihi esse liceret, quam Mabillonio (Act. SS. O. S. B. V. p. 419.) et Pinio (Act. SS. Iuli II. p. 97.), qui Velserum secuti sunt. Ex eodem fonte hic liber in tertia Surii editione repetitus est.

Cum Gerhardi opus tam amplitudine quam sermone rudi multis displiceret, saeculo sequenti vitam ornatius scribendam duo aggressi sunt: primus Gebehardus, qui a. 996—1001. *episcopus Augustanam ecclesiam rexit, alter Berno abbas Augiensis. Gebehardus, qui tumida et inflata oratione usus est, vitam imperfectam reliquit, quae nihilominus Ekkehardis Sangallensi*[32] *et Urau-* 32 *giensi*[33] *innotuit. Berno, monachus Prumiensis, a.* 1008—1048. *abbas Augiensis*[34]*, doctrina et operibus, quae praesertim de theologia et musica scripsit, magnam famam sibi conciliavit*[35]*. A Frideboldo abbate monasterii S. Udalrici et Afrae, qui a.* 1020—1030. *sedisse dicitur, rogatus, vitam S. Oudalrici conscripsit, quae quamvis nihil fere antiquae illi adiiceret, narrationi tamen brevi et sermone lucido se commendavit, ideoque plerumque magnis vitarum collectionibus illatus et saepissime descriptus est*[36]*. Neque hoc neque Gebe-* 36 *hardi opus ad historiam faciunt, ita ut utrumque hoc loco sit praetermittendum, paucis tantum quos in notas retuli exceptis locis. Praefationes vero quae hic repeterentur dignae visae sunt.*

GEBEHARDI PROLOGUS.

„Amantissimi patris nostri discendae vitae desiderio diu multumque suspirans, hanc tandem reperi a quodam illustri viro non inconvenienter quidem compositam, sed ita nominum virorum ac mulierum villarum etiam confusione fuscatam, ut non solum, si in pace dicere liceret, prudentioribus taedium, sed paene videretur puerile ludibrium. Cuius insuper operis increvit adeo diffusa pluralitas, ut potius bellorum eventum, regum caesarumque historiam, quam propositum videretur ordinare negotium. Quod nequaquam improbando, vel per hoc mea, quod absit, praeferendo dixerim, sed vir sanctae simplicitatis et meriti non aliter dictis suis aestimavit accommodari fidem, nisi tot nominum sibi conscisceret velut astipulationem, nec veritatem subsistentium rerum iudicavit plus proprie quam facillime ac simpliciter exprimi posse. Opusculum ergo istud aggredientes, superfluis quibusque postpositis, obscura prolata clarius et competenter enodare, prolixius vero digesta quantum congruere videtur abbreviare contendimus, quatenus lectori compendiosius pateat, quicquid virtutum Christi confessoris scire vel imitari delectat. Schedula utraque prae manibus, quid quis velit, nemine urgente vel improbante, deliberare poterit. Sed illud merito dignitate praestabit, quod iam libitina sacravit.“

BERNONIS PRAEFATIO.

„Reverentissimo patri Frideboldo ac vere sanctae Afrae martiris alumno, Bern Dei matris mancipium cum omni contubernio Augensium fratrum summum et indeficiens bonum. Mirae caritatis virtus ex dulcifluo pectoris tui emanans fonte, id exiguitati meae iniunxit officii, ut libellum de vita ter quaterque beati patroni nostri Oudalrici, veraci quidem sed simpliciori quam oportuit sermone conditum, cultiori stilo reddam luculen-

32) l. l. 33) Quae ex vita Oudalrici in historia Heinrici I. affert, ex hoc libro sumta sunt. 34) v. Hermann. Contract. a. 1008. 1048.; cf. a. 1032. 35) cf. Sigebertus de SS. eccl. c. 156. Anonym. Mellicensis de SS. eccl. c. 81. Trithemius de SS. eccl. c. 311. de viris ill. ord. S. Ben. II, 77. Chron. Hirsaug. I. p. 160., inter recentiores vero Neugart hist. ep. Constant. p. 508. qui eius opera recenset. — „Berno abbas in historia Suevorum“, quem Trithemius se secutum esse testatur (Chron. Hirsaug. praef.) non hic Berno, sed aut Bernoldus aut alius quidam rerum scriptor esse videtur. 36) Ad manus habui codicem Stuttgardiensem mbr. s. XII. fol. Alios quos novi in Archiv Vol. VIII. afferam.

tum. Pius quidem iubentis affectus, sed non aeque facilis parentis esse poterit effectus, quippe cum et tarditas ingenii et exteriorum curae amaro, ut sic dictum sit, sapore conditae me prohibeant tam arduum opus aggredi. Accedit etiam, quod venerandae memoriae Gebehardus, qui post beatum virum quartus eiusdem videlicet Augustae ecclesiam rexit, nulli modernorum doctorum secundus, idem negotium corrigendi studio attemptavit, sed infectum morte praeventus dereliquit. Cui si ipse manum extremam imposuisset, parvitas mea omnino super hoc digitum ori imposuisset. Ipsum tamen quod composuit, licet eloquii venustate redoleat, ita tamen verborum ac sententiarum sublimitate se in altum extollit, ut vix aliquis infirmorum exinde aliquid percipere possit. Alterius vero oratio etsi rerum veritate subnixa sit, sic tamen pene humi iacere videtur, ut quisquis sapientium semel hinc potuerit quiddam gustare, pigeat se ulterius ad hanc declinare. Quocirca, venerande pater, tibi tuisque placuit, huiusmodi onus imponere mihi, ut inter utrosque medius incedens, talem moderato sermone materiam componam, ut ex utraque parte ad se venientes, media caritate constrata, et parvuli lac quod sugant et fortes valeant invenire cibum quem comedant. Quod ego omnimodis
1 Reg. 15, 22. abhorrerem, nisi scriptum scirem: *Melior est obedientia quam victimae.* Nunc vero si data intercessionis tuae manu manui meae ducatum praebere spoponderis, adiunctis tecum
Sap. 10, 21. beati viri meritis, omnipotentis verbi, quod aperuit os mutorum et linguas infantium fecit disertas, fretus auxilio, obedire temptabo, initium narrandi ab ipsius viri Dei infantia sumens ac orationis cursum ita ad finem usque perducens, ut nihil de propriis addam praeter exempla antiquorum patrum atque sententias sanctarum scripturarum, quae suo decore solent dictorum seriem venustare. Hoc solum tamen mihimet ex proprio sudore iniunxi, ut latius diffusa modesta brevitate artius coerceam, strictius digesta moderata prolixitate dilatem, minus regulariter prolata ad rectitudinis lineam corrigam; quae tamen omnia tui examen iudicii expectant, ut te benigno iudice valeant rata consistere. Opto, pater beatissime, ut in Christo valeas meique memor semper existas".

Monumenta quae historiam Augustanae ecclesiae et provinciae antiquiorem quodammodo illustrare possunt universa colligere et Vitae S. Oudalrici subiicere non ab re esse videtur. Sunt vero fere haec:

37 *Vitae S.* ***Magni*** *fabulosae, ab Ermenrico Elwangensi abbate*[37] *ut videtur scriptae*[38], *addita est translationis historia, quae praesertim in rebus ab episcopis Augustensibus saeculo VIII. et IX. gestis versatur et fidem mereri videtur*[39]. *Goldasti (SS. R. Alemann. a.* 1606. *I. p.* 314.*) et C. Suyskeni (Acta SS. Sept. II. p.* 756. *ex cod. S. Maximini Trev. aliisque adornatam) editiones ope codicis Parisiensis supra* 1. *nominati valde emendavi, adhibito etiam fragmento ex hac vita hausto, quod ex cod. S. Udalrici et Afrae Augustensi Braun (Not. hist. lit. II. p.* 182.*) publici iuris fecit.*

40 *Vitam* ***Adalberonis*** *episcopi Augustani, qui a.* 887—910[40]. *sedit, saec. XII. Oudalscalcus*[41] *abbas S. Udalrici et Afrae scribendam suscepit, sed aliis fontibus destitutus nonnisi prima vitae S. Oudalrici capita ampliavit*[42] *et tria quae nullius momenti sunt miracula adiecit. Opus hucusque ineditum ex duobus codicibus* 1) *Vindobonensi*[43] *Nro.* 573. *(Hist. eccl.* 135.*) mbr.* 4to *s. XII. fol.* 1—9. *curante V. Cl. Chmel et* 2) *Monacensi Andec. Nro.* 58. *mbr. s. XV. fol.* 146—147'. *a. V. Cl. Föringer exscriptum habui, sed solam praefationem,*
43 *quae hic ederetur, dignam putavi*[44].

37) Vixit medio s. IX. v. Hist. liter. V. p. 325. 38) cf. Mabillon Acta II. p. 505. Acta SS. Sept. II. p. 702 sqq. 39) Quae antecedunt de Wicterpo et Tozzone episcopis fabulosiora sunt quam ut hic repeti possent. 40) Regino a. 887. Ann. Alamann. a. 910. 41) De ipso v. infra praefat. in Vitam Conradi Constant. 42) Ipse dicit: *Haec quoniam in beati Udalrici vita latius ac per hoc apertius scripta inveniuntur, strictius acsi nota hic referuntur.* 43) Codex hanc habet inscriptionem: *Liber hic pertinet insigni conventui Ulmensi Constantiensis diocesis ordinis fratrum predicatorum.*

Incipit prefatio in vitam beati Adalberonis Augustensis aecclesiae episcopi edita a domno Oudalscalco venerabili abbate cenobii sancti Oudalrici et sanctae Afrae mart.

Sanctae Augustensis aecclesiae venerando episcopo Walthero, domino suo, Oudalscalchus, beatae Afrae servus, debitam orationis intentionem et obsequii subiectionem. Divina moderante providentia, talis loci suscepisti[a] regimina, qui in sanctorum habundat numerositate, ac per hoc sub eorum munitus floret et crescit largitate. Vix enim urbi Augustensi in divitiis huiusmodi aliae civitates possunt equipperari, quamvis in rebus transitoriis magnis superexcellant copiis. Siquidem innumera credentium turba martyrio eundem primo dedicavit locum, inter quos beatissima Afra fidei et confessionis, immo coronae tenet principatum, deinde ut lylium candidissimum post rosas martyrum pax aecclesiae sanctum promeruit Oudalricum episcopum, quem ab Adalberone predecessore suo nutritum et sanctis moribus cognovimus esse instructum. De quo seniore, pater dignissime, precipis[b], ut aliqua scribendo memoriae tradam, dum[c] ex qua progenie sit ortus, vel qualiter ad pontificalem apicem sit provectus, priorum stilo reticente nesciam. Quod autem sanctam et perfectam duxerit vitam, testimonium perhibent miraculorum insignia, que ad eius memoriam nostris quoque temporibus Deo revelante sunt facta. Nec mirum videatur, si parentum eius origo nesciatur, maxime cum prophetarum immo apostolorum quorundam parentela nulla commendetur littera. Sed quoniam iusticia iusti super eum erit, quedam sanctitatis eius dicenda sunt merita, ut ex paucis multa virtutum eius credantur preconia.

Explicit prefacio.

Paulus Bernriedensis, qui saeculo XII. vitam S. Herlucae scripsit, brevem ibi translationis S. Wicterpi ab Heinrico S. Oudalrici successore factae dedit notitiam, quam hic ex Gretseri editione (cum Pauli Bernried. Vita Gregorii VII. Ingolstadii 1610. 4. *p.* 255. *ex cod. S. Udalrici et Afrae adornata) in Actis SS. (April. II. p.* 552.*) repetita exscribere iuvat.*

Translationis S. Oudalrici a. 1183. *factae historiam a monacho ut videtur S. Udalrici et Afrae sub episcopo Oudalscalco, abs quo haec accepit, inter annos igitur* 1184—1202. *scriptam addidi, Velseri editione (Opera p.* 618.*) usus. Miracula vero a variis saec. XII. et sequentibus scripta et partim huic historiae addita (l. l. p.* 620.*) partim ex aliis codicibus Augustensibus a Gamansio eruta*[45] *(Acta SS. Iuli II. p.* 82—86.*) tamquam non magnae auctoritatis et nullius fere pretii omisi.*

G. WAITZ.

a) suscepti 1? b) principis 1? c) tum 1.

44) Vita incipit: *Igitur post martyrem Dyonisium, primum Augustensis aecclesiae episcopum, septimo decimo loco Adalberonem eadem ecclesia suscepit pontificem. Qui ordinis numerus meritis eius non videtur incongruus, dum legis decalogum adinplere studuit per septiformem gratie spiritum.* Infra legitur: *Transitus patris huius de hac vita qui est* 4. *Kalendas Mai*, et alio loco: *quidam de villa Sconnenberch iuxta flumen Mintela.* 45) Quae in codice de structura, praediis ab abbate monasterii S. Udalrici et Afrae emptis et redemptis legebantur, procul dubio maioris essent momenti, sed nonnisi hoc exordium Pinius l. l. p. 85. exscripsit: *Interea Manigoldus abbas, qui iam senio defectus erat, viam universae carnis ingressus est* (a. 1188?) *et prior coenobii Hainricus loco eius subrogatur. Iste, qui a pueritia religionem, commodum et honorem summopere loci dilexit, toto conamine et totis viribus operam dedit, ut ad priorem immo ad meliorem statum locus ipse reformaretur.*

INCIPIT PROLOGUS[a].

Aures[b] plurimorum cum fama miraculorum Christi, quae per servum suum sanctum Oudalricum[c] in honorem suae sanctissimae genitricis Mariae fieri concessit, frequentissime[d] pulsaret, et adhuc mentes eorum dubitatio occuparet: missis ad me legatis, rerum veritates[e] ex meis responsionibus cognoscere cupiebant, rogantes me, ut ea quae ego in veritate scire potuissem, lucida descriptione eis manifestarem. Cumque interrogantium tanta pluritas me undique interrogationibus cinxisset, ut omnibus[f] singulariter responsa scriptis dare me non posse aestimarem, cogitare tacitus coepi intra memet ipsum, ut cum tacita experientia[g] experiri studuissem originem ortus eius, ut descripto eius ortu, vitam subsequentem et obitum veraci relatu interrogantibus et legere volentibus omnibus in commune notum facere potuissem, non meis antecedentibus meritis confidens nec
cf Ps. 80, 11. sagacitati mentis meae, sed in Dei misericordiam omnipotentis sperans, qui dixit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud;* ut per merita praefati episcopi inrigatione[h] Spiritus sancti et divini ignis fervore sensum meum dirigere dignetur, ut id quod ad[i] excogitandum mihi inspiravit, ad perficiendum vires non subtrahat, nisi[k] praedestinata animo idonea taxatione edere concedat, ut diligentibus Deum exempla aedificationis anteponant, et Dei praecepta spernentibus conversionis emolumentum vel damnationis internitionem adaugeant. Ista pro certo in amore Christi legentibus auxilium Dei omnipotentis adesse confidimus, ut per servum suum sint in isto saeculo freti, et eo iuvante fiant ad aeterna gaudia perducti.

INTERPRETATIO NOMINIS SANCTI OUDALRICI[l].

Oportet[m] in primis, ne reticeamus tanti talisque viri, Spiritu sancto iuvante, nominis interpretationem. Theutica[n] itaque lingua hereditas a proavis derelicta alt-oudal dicitur, rihc[o] divitias sonat. Ideo non incongrue Oudalricus[p] „a paterna hereditate dives" interpretari potest; nam aeterni Patris hereditate ditatus floret, de quo patre cottidie[q] in oratione nostra dicimus: *Pater noster qui es in caelis* et reliqua. Ad cuius hereditatis sanctus Paulus apostolus possessionem in Dei voluntate perseverantes consolatur, dicens:
Rom. 8, 17. *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*; de qua etiam hereditate scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus*
1. Cor. 2, 9. *diligentibus se;* cuius compendio non solum sibimet fruitur, verum etiam plurimos multimodis beneficiorum consolationibus in hac peregrinatione vivens traxit, et nunc melius vivens, multimodis iuvaminibus et continuis miraculis ad hanc introducet, sicut in sequentibus repperitur.

INCIPIUNT CAPITULA[r].

a) *Prologus et capitum index desunt* 4. b) Plures 2? c) Ŏdalricum 1. 2. 3. *semper.* d) frequentissimae 2. e) ueritatis 3. *ubi in sequentibus plura, folio dimidio avulso, desunt.* f) in o. 2. g) expergentia expergiri 1. h) irrig. 1. i) *deest* 2. k) ni 1. l) *Haec rubra deest* 2? m) *Haec in* 3. *post capitum indicem leguntur.* n) Teutica 2? o) rich 1. p) ŏdalrich 3. q) *deest* 3. r) *Capitum index deest* 1. s) *pergit* 3. t) henrici 2. 3? u) adalperone 3. v) pascha 2.

8. Quomodo pro elemosina sua in pago Albegowe[a] quibusdam paupertate afflictis hominibus aecclesiam longe in[b] silva sitam consecravit.
9. De multiplici eius ammonitione, et de ratione octo vitiorum, et de timore in die iudicii, et de consolatione iustorum.
10. Cum Liutolfus et patruus eius Heinricus inter se discordiam habere coeperunt, quam firma fide cum imperatore[c] permansit, et quomodo in castello Mantahinga[d] obsessus liberatus est.
11. De vindicta quae super depraedatores Augustensis civitatis venit.
12. Qualiter sanctus Oudalricus[e] et Harpertus Ottonem regem et filium eius pacificati sunt, et de occisione Ungrorum.
13. De reversione imperatoris ad Saxoniam, et de commendatione propinquorum et ammonitione aedificationis aecclesiae sanctae Afrae.
14. De ortulano, qui sensum perdidit et ab episcopo liberatus est, et de praeparatione sepulturae eius, et de itinere eius ad Romam, et qualiter caput sancti Abundi[f] adquisivit, et postea monasterium sancti Galli visitavit, Eberhardum[g] solitarium[h] ultima vice vidit[h].
15. De itinere quod ad Burgundiam pro reliquiis sanctorum peregit.
16. De oleo ab eo in die coenae Domini sanctificato, et quam cito ipse cum eodem unctus sanatus est.
17. Qualiter super fluvium Vindicensem ab illuvione elevatum, comite suo humectato, siccis vestimentis venit, et in Danubio de immersione liberatus est.
18. Quanta commoditate Tar fluvium transivit, cui valde periculoso advenit.
19. Cum[i] congregationem sanctimonialium ad aecclesiam sancti Stephani componere coepisset, qualiter una earum infirmabatur et sanabatur.
20. De constructione aecclesiae sancti Iohannis baptistae.
21. De[k] itinere eius ultimo ad Romam.
22. De reversione episcopi ad Augustam.
23. Qualiter episcopus ad synodum Ingilunheim[l] cum Adalberone vocatus est.
24. De obitu Adalberonis.
25. De legatione ad imperatorem pro abbatia Uttenbura.
26. Quam[m] formose episcopus obitum suum in Augusta exspectaret.
27. Qualiter episcopus die nativitatis sancti Iohannis baptistae ultimam missam celebraret.
28. Qualiter Heinricus successor eius ad episcopatum venit et[n] qualiter interiit.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT VITA SANCTI OUDALRICI EPISCOPI ET CONFESSORIS CHRISTI[o].

1. Bonae[p] memoriae Oudalricus, excelsa prosapia Alamannorum ex religiosis[q] et (3.)
nobilibus parentibus ortus[1], patre scilicet Hupaldo[r] et matre Dietpirch[s] nuncupata; qui 890
solito more lactatus et summo studio nutritus, quamvis statura corpusculi eligans, tali[t] tamen macilentia confectus[u], ut nutritoribus verecundia esset, si aliquis ignotorum[v] faciem eius inspexisset. Mirantibus vero patre et matre, quare tanta tenuitate et infor-

a) albegouuę 3. b) in s. *desunt* 3. c) imperatori 3. d) mathahinga 3. e) ŏdelricus 3. f) abundaii 3. g) eperhardum 3. h) *deest* 2. i) Dum 3. k) baptistae et de i. e. u. a. R. et de reversione 3. *uno capite omnia comprehendens.* l) ingilunhem 2. m) *Haec post* 27. *leguntur* 2. n) et q. i. *desunt* 2. o) *ita* 2. 3. 2. *addit:* edita a Gerhardo qui ab eo fuit presbiter ordinatus; *deest rubra* 1. Incipit vita vel gesta sancti Ůdalrici confessoris atque pontificis 4. p) Bonae igitur 1. 3. Beatissimus igitur Uodalricus episcopus excelsa *incipit* 4. q) religiosissimis par. 4. r) hucpaldo 4. s) dietpirich 1. dietpirhc 3. t) tamen tali 1. u) c. erat 3. 4. 5. v) ignotus 4.

1) *clarissima ducum et comitum Alemanniae prosapia oriundus extitisse dignoscitur*, Gebehardus. In stemmate comitum Kyburgensium, quod edidit Velserus ex cod. S. Udalrici, Hupaldus filius Hartmanni comitis, Dietpirch filia Burchardi ducis dicitur. Oudalrici propinqui qui in ipsa vita occurrunt hi sunt:

Hupaldus — Dietpirch
- Dietpaldus
  - Riwinus, ux. Hiltigart
- Oudalricus
- Manegoldus
  - Hupaldus
- Liutgarda (nupsit Beiere comiti; Herm. Contr. a. 971.)
  - Adalbero
  - Reginbaldus
  - Manegoldus

890. mitate corporis occuparetur, et saepe inde cogitantibus, ebdomada interim duodecima
eius nativitatis quidam ignotus clericus casu adveniens supplicabat, ut ab eis aliquantos
dies in[a] hospitium[b] reciperetur. Qui benigne receptus[c], et cum eis in atrio domus suae
hora refectionis sedens, audiebat in cubiculo infantulum vagientem; sciscitabatur, quis
aut cuius esset. Prae pudore vero maciei illis nolentibus indicare, dixit: *Si salvum
illum esse*[d] *cupiatis, celeriter ablactetur.* Qui parvipendentes eius locutionem, eum lacti
non subduxerunt[e]. Altera vero die iterum audiens eum[f], dixit: *Quare non fecistis
secundum consilium meum?* Qui adhuc contempnentes eius consilium, non crediderunt ei.
Tertia autem die audiens vagitum eius infirmiorem quam antea, dicebat ad eos: *Pro
incuria vestra perditioni traditur infantulus iste. Pro certo sciatis*[g], *quia si uberibus non
subtrahitur, in ista nocte morietur; si autem subtractus salvabitur, in posterum a Domino
aliquid magnum in eo manifestabitur.* Tunc demum ei obtemperantes, aliis eum escis
sustentare coeperunt. Qui statim recreatus, de die in diem proficiens, talem formositatem corporis accepit, ut ipsi sui parentes gratanter eum intuerentur et aliis ostenderent.
Qui laudantes Deum die[h] noctuque pro sospitate[i] pueri, et pro eo quod talem ad eos
(4.) direxit hospitem, qui istius rei discretionem cognoscebat et[k] illis innotescebat, de[l] praeteritis futura credentes, tractaverunt, ubi vitam[m] religiosissimam et[n] docendi studiosissimam invenire potuissent. Acceptoque[o] consilio, commendaverunt eum ad sancti Galli
monasterium, quia ibi nobilium Dei servorum multitudo et religiositas discendi docendique studium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioso viro gram-
2 maticae artis edocto, Waniuc nuncupato[2]; a quo bene procuratus cottidianam religionis
atque lectionis doctrinam accepit, et in[p] intimis sui cordis inseruit, adeo ut paulatim
fratres in eo doctrinae fructificationem nimis proficere sentirent, et ob hoc eum in suae
3 fraternitatis consortium flagitando assumere conarentur[3]. Horum itaque peticionibus saepe
commonitus, inducias respondendi postulavit. Tunc itaque ad quandam ibi commorantem inclusam Wiberat[q] nominatam consilium quaerendo accessit; quae respondens dixit
ei[r]: *Post triduum ad me veniens*[s], *si Deo placet, meum poteris animadvertere consilium.*
Inde illo recedente, ipsa devotae orationis studio Dominum flagitabat, ut statuto die certi
veracisque consilii indicium sibi manifestare potuisset. Cumque ille responsum accep-
4 turus advenisset[4], dixit illi: *Ultra haesitatio tuam non occupet mentem, quia istius coenobii spiritalis pater a Deo decretus ad regendum nullo*[t] *modo constitueris. Sed in orientali
5 parte, ubi quidam fluvius duas dividit regiones*[5], *in futurum episcopali ministerio Deo militare debebis, et in eodem loco multa talia*[u] *perpessurus es laboriosa, qualia numquam
antecessores tui sustinuerunt a paganis et malis christianis. Quae tamen omnia Deo
(5.) iuvante in*[v] *ultimis decentissime superabis.* Haec audita secretissimis[w] fratribus intimavit,
et eorum suasionem suavi colloquio mitigavit, totamque spem pristinae destinationis in
sua mente deposuit, et ob hoc tamen discendi studium non omisit. Sed inibi cum omnibus caritative[x] versabatur, donec congruo tempore duplici sagina scientiae ac religionis
repletus, communi omnium oratione consolatus et fraternitatis[y] amore fretus, parentes
suos amative dimissus revisitavit. Qui tunc sapienti capto[z] consilio, eum praesulis
Augustensis[*] aecclesiae Adalberonis dominio subdiderunt; quem[6] multa tunc[a] temporis
sapientia repletum musicaque arte prae[b] caeteris praeditum, gubernaculaque regni pene[c]
6 omnia cum rege disponentem agnoverunt. Ipse vero propter nobilitatem parentum et

a) *deest* 3 b) hospitio 4. c) susceptus 3? 5. d) habere cupitis 4. e) subtraxerunt 4. f) *superscr.* puerum 3. g) scitote 4. h) d. n. *desunt* 4. i) sospitate *superscr.* uel reparatione 4. k) et i. i. *desunt* 4. l) Ergo de 4. m) religiosam uitam et studiosam inuenire doctrinam p. 4. n) docendi et 2. o) quesitoque 4. p) *deest* 2. q) wibrat 2. r) *deest* 4. s) uenies 4. t) c. n. m. 4. u) *deest* 4. v) in u. *desunt* 4. w) secrete 4. x) nimis c. cum o. 4. y) fraterno 4. z) tunc inito 4. *) auguste 4. a) t. t. *desunt* 4. b) p. c. *desunt* 4. c) poene 3.

2) cf. Ekkehard. de cas. SS. II. p. 113. 116. 140. Idem p. 107. Hartmannum Oudalrici dicit praeceptorem. 3) Hartmannus, qui in Vita Wiboradae haec exscripsit, ita c. 20: *In illo tempore Salomone, fratre et abbate nostro, episcopo facto, cum nos unice diligeret, post obitum illius verentes fratres et ipse, ne sicut ante eum in potestatem alienam traderentur, eius nutu Oudalricum ipsum secretius accitum suadere coeperunt, quatenus monachico habitu suscepto se Dei et sancti Galli servitio traderet, hoc pacto ut mox patris nomine assumpto abbas eis post illum constitueretur.* Quod, cum Salomon iam a. 890. episcopus sit constitutus, minus recte dictum est. 4) *Statutis itaque a sancta domina sua indutiis adveniens, stetit ante fenestram. Quam illa aperiens dixit ad eum* etc. Hartmannus. 5) Licus, qui Alamanniam et Baioariam dividit. 6) cf. Regino a. 887.

bonam eius indolem et formositatem laeto animo suscipiens, ministerium camerarii sibi
commendavit. Quo suscepto, et aliis[a] secundum suam dignitatem beneficiis, sicuti prae-
coquus erat, in omnibus prospere agens, de[b] die in diem proficiebat. Interim[c] vero (6.)
libuit eum limina visitare beatorum apostolorum Petri et Pauli. Cumque illuc perve- 910.
nisset, a venerando papa Marino[7] bene susceptus est, et ab eo interrogatus, de qua
provincia vel civitate esset nativus. Qui respondens dixit: *De provincia Alamannia*[d] *et
de civitate Augusta oriundus sum, versorque in servicio Adalberonis*[e] *eiusdem civitatis epi-
scopi.* — *Ne turberis,* inquit, *animo, o frater: ille de quo mihi dixisti senior tuus episco-
pus Adalbero*[f] *migravit a saeculo, et Deo iubente te*[g] *eiusdem matriculae*[8] *decet*[h] *esse* 8
pastorem. Eo quidem rennuente, infit: *Cur*[i] *recusas destinationem Dei? Si*[k] *nunc incon-
cussam*[l] *et indesolatam accipere et gubernare refragaris in tranquillitate, in antea vero
destructam et depraedatam*[m] *in perturbatione accipies, et cum labore gubernabis et reaedifi-
cabis.* Altera vero die sine licentia papae, propter tristiciam defuncti domini sui, et ne
ab eo plus verbis constringeretur, exivit de[n] Roma, Augustamque revisitavit, et invenit
ita sicut praefatus papa praedixit. Tunc Hiltine successor Adalberonis effectus est, qui
tamen tantae non fuit celsitudinis, ut suo se vellet applicuisse servicio. Interim vero
patre eius defuncto, rediens, suscepit procurationem matris suae, recordans praecepti
Domini dicentis: *Honora patrem tuum et matrem tuam* etc. Tanta itaque eam[o] diligen- (7.)
tia et omnia sua custodivit ac disposuit, prout ei vires a Domino concessae suppetebant.
Post quindecim vero annos defuncto Hiltine[p] episcopo, machinatione nepotis sui[9] Bur- 924.
chardi[q] ducis et aliorum propinquorum suorum, Heinrico regi praesentatus, eiusque sub-
limitati nota facta est decessio[r] episcopi, supplicatumque est, ut praefato domino Oudal-
rico episcopalis potestas ab eo concederetur. Rex vero intuens herilitatem staturae
illius, et comperiens doctrinae suae scientiam, petitioni eorum assensum praebens, regio
more in manus eum accepit munereque pontificatus honoravit. His vero ita[s] peractis,
hilari animo de rege revertentes, et ad Augustam pervenientes, secundum regis edictum
potestativa manu vestituram[t] episcopatus sibi perfecerunt. Succedente[u] vero tempore
nativitatis Domini, in die solemnitatis[v] innocentum[10], consuetudinario[w] ritu ordinatio Dec. 28.
eius peracta est. Inde prospero reditu domum veniens, conspiciensque muros aecclesiae (8.)
undique depositos omniaque[x] aedificia nimis dilapsa, sicut sub priori antistite igne sunt
consummata, nimia tunc mentis anxietate fluctuans, cogitabat, qualiter convenientissime
tam poenitus destructa reaedificare potuisset, quia maxima pars familiae a paganis
occisa fuerat et oppida exusta et depraedata; pars autem familiae quae remanserat in
magno egestatis labore erat afflicta. Adquisitis[y] tamen architectis, et multitudine con-
gregata familiae, coepit sagaciter diruta restaurare satisque sensibiliter ordinare, magno-
que animi fervore studens, ut coepta perficere non desisteret. Tum vero vir magnae
suavitatis inchoatum opus, quamvis pressa suppellectile, divino tamen fretus admini-
culo[z], ardenter implevit[*], omniaque ipsius templi interiora omnigeno quantum valuit
decoramine ornare contendit. Necnon etiam frequenter sagaci oculorum acie intus et
forinsecus positiones aecclesiae caute perlustrans, parvitatem lucidae[a. 11] criptaeque vili-
tatem sibi nimis displicere conquestus, seque professus est competentius decentiusque,

a) in his 4. b) de d. in d. p. *desunt* 4. c) Interim — papa praedixit *desunt* 4. *cuius lectiones raro tantum in sequentibus annotavi.* d) alamania 1. e) adelberonis 1. f) adalpero 2. *semper* 3. *saepius.* g) *deest* 2. h) nolo *corr.* decet 1. i) cur — inconcussam et inde *desunt* 2. k) si n. *desunt* 3. l) incussam 1. m) predatam 2. n) *deest* 3. o) *deest* 2. p) hiltinae 2. q) purchardi 2. r) discessio 1. s) *deest* 2. 4. t) inuestituram 2. 3. 5. u) Succendente 1. v) *ita plerumque* 1. *qui etiam* sollemn. solempn. sollempn. w) consetudinario 1. x) que *deest* 2. y) Acq. 1. z) adminuculo 1. *) impletum 2. a) p. non lucidae cryptae uilitatemque 5.

7) Cum Oudalricus a. 910, quo Adalbero mortuus est, Romae fuerit, Marinus I. vero a. 884. obierit, secundus non ante a. 946. sedem acceperit, Gerhardus erraverit necesse est. Mirum est, in diplomate coenobio Faucensi dato, quod affert Mabillonius, legi: *anno Domini* 919. *sub papa Marino sub rege Heinrico.* 8) ecclesiae cathedralis. 9) Si Dietpirch Burchardi (I.) filia, hic vero Burchardus eiusdem esset filius (cf. Ussermann Mon. SS. I. p. 59), Oudalrici avunculus, neque nepos erat dicendus. Tertium Burchardum Oudalrici sororem Liutgardam duxisse, minus recte stemma com. Kyburgensium asserit. 10) Anno 924. innocentum dies in feriam tertiam incidebat, non in dominicam, quae episcopis ordinandis ex canonum praescripto assignata est. MAB. 11) quid sit *lucida* (cf. c. 13.), non satis intelligo. — Fortasse fenestra maior orientalis. *P.*

si Deus vellet, positurum. Cumque opus coeptum satis crescere videretur, Ramperto cuidam fratri in extasi mentis videbatur, se, sicut solebat, psalmos cum illo cantare debuisse, et interim Adalberonem episcopum in aquilonari[a] parte criptae, missatico apparatu vestitum[b], sibi apparentem annuentemque ut ad se veniret. Sed ille ancipiti timore septus viventis atque defuncti domini, coepit oculis pavens in eum conspicari. Interrogatusque ab eo: *Quare sic oculis in me inflecteris[c]?* At ille respondens dixit: *Ecce video seniorem meum Adalberonem episcopaliter paratum ad missam meque vocantem ad se.* At ille: *Festina*, inquit, *iussionem[d] eius implere.* Cui venienti ad se, dixit ad eum: *Ramperte, dic domino tuo, mercedem a Deo acceptu-*
12 *rum pro orationibus et elemosinis[e], quas mihi fideliter[f] transmisit. Et hoc signum dicito illi, quod Fortunatus[12] et ego in proxima coena Domini, Domino concedente, cum illo crisma sanctificabimus[g], et quod operatio huius criptae est ruitura. Ob hoc tamen non debet omittere, nisi studeat[h] in posterum stabiliter perpetrare. Fratres quoque recordari moneto, quia[i] sine vi et sua sponte, sedula et assidua oratione pro me laborare[k], spoponderunt, et quia sic non fecerunt; et si hoc[l] emendaturi non fuerint, sciant se esse de hoc in conspectu Domini rationem reddituros; et tu cottidie unum pro me psalmum cantabis sine cautela, hoc et[m] te emendare[n] monebo.* Ipse vero interim regis occupatus obsequiis, cursum direxit ad curtem; ibique apud aulicos digno honore diu retentus, tandemque requisita salubri licentia domum repedavit[o], opusque, cuius effectum sese cernere speravit, totum poenitus dilapsum repperit ac subversum, secundum praedictam relationem[p] praefati Ramperti. Tum vero cautioribus fundamentis positis, stabiliter perfecit.

(9.) 2. Cum autem alia vice in oppido Waringa vocitato consuetudinario[q] more psalmodiam cum eodem Ramperto studuisset explere, idem frater coepit reflexis oculis timide moveri. Interrogatusque ab eo, respondebat dicens: *Ecce video seniorem meum Adalberonem eodem modo sicut antea eum vidi, praecipientem mihi, ut illi ministrem ad missam.* Episcopus statim surgens, retractis foribus, recessit de aecclesia, donec haec visio finiretur. Aliam vero visionem, quam de multis fratribus in veritate dicentibus accidisse didicimus, oblivioni nos[r] tradere non oportet; quia cum religiosus vir die sancto paschae ministerium sacramentorum studiose perficere decertaret, multitudine clericorum adiuvante, et quodam[s] Heilrico presbitero[t] cantore existente, apparuit dextera cum dextera episcopi sacramenta sanctificans. Expleta vero missa, praefatus[u] Heilricus, sequens eum in cubiculum[v] suum, cecidit ad pedes eius, et incautius quam debuisset in praesentia laicorum hanc visionem explanavit. Cui ille respondens dixit[w]: *Utilius tibi fuisset ista reticere quam dicere.* De hac vero responsione stupefactus, recessit ab eo, et in scena, quae ante cubiculum eius est sita[x], consedit, et statim oculi eius magna nimietate coeperunt lacrimas effundere, et in ea effusione permanserunt, usque in totum praesenti lumine privati sunt[y].

(12.) 3. Divina[z] etiam donante clementia, maioris visionis sibimet ipsi manifestatae[*] miracula sub silentio recondendum bonum esse non aestimo; quia quadam nocte cum corpus lectulo[a] collocasset, vidit sanctam Afram in magna formositate, pulchra tunica indutam atque succinctam, stantem ante ipsum dicentemque sibi: *Surge et sequere me.*
13 Et haec dicens, eduxit eum in campum, quem Lehcfeld[b. 13] vulgo dicunt. Ibi enim

a) aquilonali 1. b) uestium 3. c) flecteris 2. d) uisionem 2. 4. e) elymosinis 2 *semper.* f) *deest* 2. g) sanctificauimus 1. 3. h) postea studeat s. 2. i) quod 1? 5. k) labore sponderunt *corr.* spoponderunt. l) *deest* 2. m) *deest* 2. et hoc 3? 5. n) emedare 1. o) Episcopus autem a civitate regia revertens BERNO. p) rationem 2. 4. q) primo mane c. 5. r) oliuionibus 2. s) ouidam 2. 4. t) prȩspitero 1. u) ille p. 3. 5. v) cubilum 1. w) ait 2. x) *deest* 2. y) 4. 5. *addunt, quae etiam Berno habet:* (10.) Alio tempore in nocte antecedente diem sanctum coenae Domini, quasi in somnis audivit vocem sibi loquentem: Oudalrice episcope, scias te hodie hospites esse suscepturum. Et expergefactus a voce, qui essent illi hospites coepit tractare. Cum autem dormiret, loquentis sibi verba audivit: Orationes tuas et elemosinas (e. tuas 5.) oculi Domini conspexere, et ideo binis antecessoribus tuis, Fortunato et Adalberoni, es commendatus, ut tibi hodie et posthinc in istis sacris sollemnitatibus sacra mysteria celebranti assistant, et ea tecum benedicant. (11.) Mane autem facto, aliis sicut mos est peractis ministeriis, circumstantibus ministrorum ordinibus cum sacramenta consecraret, ipse et quidam de circumstantibus devotiores viderunt dexteram Domini cum eo sacramenta consecrare et signum crucis imponere, quibus, quia per spiritum hoc (eos 5.) sciebat, cum viaticum ab eo accepturi accederent, digitum ori superposuit, ut de visione tacerent. Quibus etiam postea ad se vocatis, quae ei in nocte dicta sunt secreto nuntiavit, et praecepit, ut eo vivente neque visa neque ab eo secrete audita alicui manifestarent, si praesentem adhuc vitam habere voluissent. z) D. e. d. c. *desunt* 4. 5. *) manifeste 2. a) ad dormiendum *add.* 4. 5. b) lebefeld 3?

12) fortasse Pictaviensis. In loco interpolato (nota y.) minus recte Oudalrici antecessor dicitur.
13) cf. Lamb. Schafn. a. 955.

sanctum Petrum principem apostolorum invenit cum multitudine magna episcoporum et
aliorum sanctorum, et eorum quos ille ante videbat et eorum quos antea non videbat;
et tamen nutu Dei bene cognoscebat synodale conloquium[a] cum eis facientem et magna
et innumerabilia disponentem, Arnolfumque ducem Bawariorum[b] adhuc viventem de
destructione multorum monasteriorum, quae in beneficia laicorum divisit, de multis
sanctis accusatum, legaliter iudicantem, et enses duos valde heriles, unum cum capulo
et alterum sine capulo, sibi ostendentem, et sic loquentem[14]: *Dic*[c] *regi Heinrico, ille* 14
ensis qui est sine capulo significat regem qui sine benedictione pontificali regnum tenebit;
capulatus autem, qui benedictione divina regni tenebit gubernacula. Finita itaque synodo,
praefata mulier monstravit illi loca castrorum, ubi postea Otto, rex adhuc manens,
regalem locutionem cum populis diversarum provinciarum habuit, ubi rex Perengarius de Langobardia[d] et filius eius Adalpertus cum multis episcopis se praesentaverunt et suo dominio subdiderunt[15]. Indicavitque ei venturam supergressionem[e]
Ungrorum et loca belli, et, quamvis laboriose[f], tamen victoriam christianis concessam esse, nunciavit. Hac visione peracta, reductum eum in lectulo collocatum dimisit. Ipse vero ad se reversus cogitabat, sive[g] in corpore sive extra corpus sibi ista
ostenderentur, in recordationem eius ducens illud illustris verbisatoris, rapti ad secreta
tertii caeli, dicentis: *Sive in corpore, sive extra corpus* et reliqua. Haec vero visio ab 2. Cor. 12, 3.
eo paucis prudentibus ac sibi familiaribus manifestata est. Postea autem curtem regis (13.)
adiens, solito more servicio eius subdebatur, usque dum rex Heinricus[h] praesentem vitam
finiret. Ottoni[i] itaque filio eius in regnum sublimato, eandem quam patri sedulitatem 936.
servicii et fidei firmitatem in cunctis inpertiri studebat. Tunc vero temporis habebat
episcopus[k] Oudalricus filium sororis suae Liutgardae, bonae indolis, Adalberonem
nomine, cuidam doctissimo magistro Benedicto[16] monacho ad erudiendum scientiam gram- 16
maticae artis et aliorum librorum commendatum. Cumque ille ab eo in omnibus profectibus bonae scientiae et disciplinae doctus atque educatus in virile robur devenisset, statim
de scola exemptus, ab avunculo suo episcopo imperatori praesentatus, et in manus eius
misericordiae[l] commendatus, regali servicio tam studiose atque decenter insistebat,
usque dum imperatori eius ministerium in aecclesiasticis et in secularibus bene placuisset. De hac pro certo sedulitate eius servitii cottidiani concessum est eius avunculo
episcopo[m] Oudalrico, ut praefatus Adalbero in[n] eius vice itinera hostilia[o] cum milicia
episcopali in voluntatem imperatoris perageret et in curte imperatoris eius vice assiduitate servitii moraretur, ea videlicet causa, ut praefato praesuli Dei servicio et custodiae
gregis commendati et utilitatibus aecclesiae et orationibus et elemosinis secundum suum
desiderium immorari licuisset. Ille vero quantum secularibus curis se absolutiorem (14.)
esse persensit[p], tantum se ipsum in Dei voluntate facere nitebatur obligatiorem. Cursus
scilicet cottidianus cum matriculariis[17] in choro eiusdem matriculae[q] ab eo caute obser- 17
vabatur, quandocumque ei domi manendum aliae occupationes consenserunt. Insuper
autem unum cursum in honore sanctae Mariae[r] genitricis Dei, et alterum de sancta
cruce, tertium de omnibus sanctis, et alios psalmos plurimos, totumque psalterium omni
die explere solitus erat, nisi si[s] eum impediret aliqua inevitabilis necessitas. Missas
autem tres vel duas[t] aut unam secundum spatium temporis cottidie cantare non desiit,
si infirmitas corporis aut aliquod studium bonum ei non subtraxit. Multis temporibus (15.)
carne abstinuit, sed tamen aliis cum eo manducantibus habundanter[u] donavit. In cotti-

a) coll. 1. b) baioariorum 3. c) Dic r. H. tantae utilitatis est rex ille qui sine benedictione pontificali regnum tenebit sicut ensis iste. Finita 4. d) longobardia 1. 2. langabardia 3. e) supergessionem 1. f) laboriosae 1. g) sive — dicentis *desunt* 1. c. reuerenter in recordationem 4. 5. h) *coaeva manu superscr.* humilis 2. i) *coaeva manu superscr.* magno 2. k) sanctus 2. l) m. traditus c. 3. m) sancto Oud. ep. 3. 4. 5. n) in — assiduitate *desunt* 4. o) hostialia 2. p) persentit 2. q) matricolae 1. r) g. d. m. 3. d. g. m. 4. s) *deest* 2. t) V^as 1. u) abundanter 1.

14) Aliter Gebehardus: „*Hic, inquit, ensis capulatus regem significat, qui benedictione divina possidebit imperium, frustratus vero capulo illum denotat, qui sine benedictione pontificali regni invasor existet*“; *Arnolfum ducem Noricorum profecto significans, qui post haec malignorum toties votorum cassus regias leviter involaverat partes.* 15) V. Mon. Legg. II. p. 27. Cont. Reg. a. 952. Widukindus III, 11. 16) An Benedictus abbas Wesseprunensis in Baioaria ante medium saeculum X? MABILL. 17) i. s. clerici ecclesiae matriculae sive cathedralis.

dianis refectionibus, quando cum suis ad mensam sedebat, prima appositio panum atque ciborum ex maxima parte per aliquem clericum, cui haec commendata sunt, pauperibus dividebatur; exceptis his mancis atque debilibus, qui in grabatulis[a] et in lecticis et in scamellis[b] ambulantes et in spherulatis[c] lectulis, cottidianum victum in eius praesentia acceperunt de optimis escis et potibus. Aliorum autem nemo, qui in sua praesentia, sive notus fuisset[d] vel ignotus, cibum sumpserunt, esuriens aut[e] siciens recedebat, nisi aliquando[f] incuria aut tenatia ministrorum contigisset contra episcopi voluntatem. Hospites autem cum ad eum devenissent, tripudio et tanta hilaritate vultus et animi suscepti
Matth. 25, 35. sunt et in omnibus procurati, veluti eis optime conveniebat, sciens in eis Christum se
(16.) suscepisse, illo dicente: *Hospes fui, et suscepistis me.* Vasalli autem imperatoris ab eo pergentes vel ad eum redeuntes summo honore suscepti et in tantum sunt opulentati, ut in nullo eos aut iumenta eorum ulla indigentia fatigaret, acceptisque secum stipendiis in iter eorum necessariis, laeti ab eo redirent. Monachos autem atque clericos et sanctimoniales eum visitantes[g] more filiorum amavit, et spiritalibus eos atque corporalibus escis habundanter[h] recreavit et cum illo manere concessit, quamdiu eorum voluntati complacuit, et congruo tempore in omnibus hilaratos ire dimisit. Clericos autem suos ex familia, vel liberos mediocres vel nobiliores, summa diligentia nutrire et docere praecepit, et quoscumque inter eos honore dignos cognovit, ministeriis et congruis beneficiis ditiores fecit. Laici autem sua[i] dominatione subiecti semper cum eo omni honore et laetitia commorabantur, nullam deceptionis fraudem ab illo fieri timentes, sed firmiter credentes atque certe scientes: quicquid eis promiserat, hoc Domino annuente compendiose[k] perfecerat. De familia autem ei commissa quicumque ante eum venerat, se exclamando iniuste esse oppressum vel exspoliatum aut aliquo modo iniuriatum, de domino proprio, cui in beneficium concessus erat, sive de conservo eius, vel de alio aliquo: ad rationem eius caute auscultavit[l]; et ubi cognovit, iniuste contra eum factum fuisse, firmiter confestim praecepit, ut iniquitas ei facta cito emendaretur; et non omisit[m] donec perficeretur. Legitimum vero ius totius familiae, quo pro antecessoribus suis utebatur, firmiter eam tenere concessit, et nullius potestatis hominem sub suo regimine degentem hoc ei tollere permisit; et non[n] nisi rectum censum de omnibus locis aliquem
(17.) suorum ministrorum ab ea exigere consensit[o]. Otio inani nullo tempore animum suum subiacere patiebatur, nisi aliquid utilitatis excogitaret aut perpetraret, sive de aecclesia, quam undique dilapsam invenit, vel de eius ornatu, vel de paraturis altarium et clericorum, et de disciplina canonicorum, et de scola, et de sustentatione et salvatione familiae, et qualiter civitatem, quam ineptis valliculis et lignis putridis circumdatam invenit, muris cingere valuisset; quia in his temporibus Ungrorum sevitia in istis provinciis more demoniorum crassabatur. Haec vero omnia cum exterius suorum[p] consultu pertractaret, aestu tamen interius[q] Dei amoris succensus, vigiliis et orationibus et ieiuniis et elemosinis Deo se sociare studiosissime festinabat, semper cuti suae laneum apponens vestimentum et regulam occulte[r] sequens monachorum. Post completorium numquam propter ullius hominis peticionem escam[s] vel potum, delectationi corporis sui[t]
18 consentiens, sumpsit; in mollitia plumatii non dormivit, sed psiathio[18] et sago aut tapetiis[u] suppositis[v] requievit. In nocte primum sonante signo surrexit, et ante[w] praedictos cursus maxima cautela complevit[19].

a) grabattulis 2. b) scamnellis 3. c) sperulatis 3. 4. d) *deest* 2. e) atque 2. f) aliquado 1. g) uisitates 1. h) abundanter 1. i) suae dominationi 3. 4. 5. k) compediose 1. l) auscultatum 2. m) ommisit 1. n) *deest* 2. 4. o) concessit *corr.* concensit 2. p) s. fidelium 3? 5. q) interioris 1. r) *deest* 3? 5. s) aescam 1. t) suae 2? 3? 5. u) tata pecus 2. v) suppositus 1. w) *deest* 3? 5.

18) ψίαθος, storea. 19) Berno addit: *Erat enim ei moderata ciborum parcitas ac quidam singularis abstinentiae modus, quo solebat religiosa arte secum convivantes circumvenire. Saepius enim sperantibus, quod cum illis manducaret, ipse, carnalium epularum ablata mensa, surgens, ad ecclesiam perrexit, ac missarum sollemnia celebravit. Unde adhuc, quasi recenti sit actum memoria, ore multorum refertur, quod quadam die ipse venerandus pater cum Counrado divae memoriae Constantiensis aecclesiae episcopo ad prandendum apud Sanctam Afram martyrem consedissel. Sed postquam consumptis cibis ab utrisque discessum est, quaedam causa extitit, qua praedictus pontifex ad virum Dei mittere debuisset. Ad quem cum legatus ipsius venisset, invenit illum sacro altari astantem ac salutarem hostiam Domino immolantem. Quo peracto, nuncium audivit atque absolu-*

4. Etenim tempus[a] quadragesimae quanta devotione celebraret, sermo mihi non (18.) sufficit ad narrandum; sed tamen ea quae vidimus non decet nobis in totum omittendum[b]. Matutinis namque laudibus expletis, aurora diei prima inlucescente[c], aliis[d] orationibus expletis, psallere psalterium coepit. Quo expleto et lętania expleta, aliis orationibus firmiter[e] insistebat, usque dum signum ad vigilias defunctorum sonaret; quo audito, statim surrexit et cum fratribus vigiliam celebravit et primam. Prima vero expleta, fratribus solito more crucem portantibus, ipse remanens in[f] aecclesia, codiculum breviatum ex psalmis cum aliis orationibus interim decantavit, usque dum[g] fratres cum cruce redirent et missam sacrificationis celebrare coepissent. Ipse primum devote Deo sacrificium offerens, manum sacerdotis humiliter osculans. Expleta vero missa, tertiam cum fratribus explevit. Fratribus vero ad capitolum pergentibus, ipse[h] solito more in aecclesia remansit, donec signum ad sextam sonaret. Sexta autem hora expleta, altaria circuibat cum venia, cantans: *Miserere mei Deus* et: *De profundis.* Tunc demum ad cubiculum rediit ad lavandam[i] faciem suam et ad missam se praeparandum. Missarum autem celebrationibus expletis et vesperis decantatis, ad hospitiolum pauperum pervenit, et 12 pauperum pedes lavit, et unicuique eorum aceolo[k. 20] precium unius 20 denarii donavit. Inde rediens ad mensam pransurus[l] consedit; ibi[m] lectio non defuit, nec praedictorum pauperum multitudo copiosa. Apposita cum gaudio sumpsit et cum eo[n] manentibus maxima hilaritate distribuit, recordans illud apostoli: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9, 7. Unicuique enim praebebat quod eum libentissime sumere aestimabat. Cibo vero consumpto, et omnibus cum eo commorantibus[o] laetificatis, congruo tempore completorium recitavit. Insuper aliis orationibus peractis, secreta cubiculi[p] sui repetivit cum silentio, et omne colloquium, nisi cum Deo et sanctis eius, usque ad alterius diei primam peractam omnino devitavit. Hoc modo dies quadragesimae explevit usque in diem indulgentiae, quem dicunt pasca palmarum. Eo die mane diluculo ad Sanctam (19.) Afram veniebat, si in praeterita nocte ibi non manebat; missam de sancta Trinitate cantabat, et ramos palmarum diversarumque frondium benedicebat, euangelioque et crucibus et fanonibus, et cum effigie sedentis Domini super asinum, cum clericis et multitudine populi ramos palmarum in manibus portantis, et cum cantationibus ad honorem eiusdem diei compositis, et cum magno decore pergebat usque ad collem qui dicitur Perleihc[q]; ibique obviam ei veniebat chorus canonicorum[r] cum magna pulchritudine, et cum civibus qui in civitate remanserant, et qui de oppidis circumiacentibus ipsis se iungere voluerunt ibi, ad imitandum humilitatem puerorum caeterorumque populorum, ramis palmarum et vestimentis suis viam Domini sternentium. His expletis, vir sanctus congruentissimam ammonitionem de passione Domini ad omnes fecit, eousque saepe, ut ille fleret fletuque suo multos flere fecisset. Ammonitione peracta, omnes

a) tembus 1. b) omittere 3? 5. c) inluscente 1. inlucente 2. d) aliis — insistebat *desunt* 4. e) *deest* 2. f) in aec. *desunt* 2. g) *deest* 2. h) i. uero 2. i) lauandum f. eius 2. k) aceleo 3. cęna 4. l) pansurus 1. m) ibique 2. n) cum eo *desunt* 2. o) manentibus 2. p) cubili 1. q) perleich 1. 3. perleih 4. r) canucorum 1.

tum redire ad dominum suum permisit. Cumque reversus interrogaretur, cur tandiu moraretur, respondit, quia virum Dei tandiu expectasset, donec ter missarum sollemnia celebraret. At ille ipsum verbum ab illius ore arripiens: „Missarum, inquit, sollemnia celebravit?“ Tunc quasi subridendo intulit: „Et vere nullus illo saturior ad mensam altaris hodie accessit“. Sed utrumnam ioco an serio hoc protulerit, tamen verum fuit quod dixit. Cibavit illum namque Dominus pane vitae etc. Aliam historiolam edidit Velserus (Op. p. 617.): *Quodam autem tempore, cum idem sanctus pontifex cum felicis recordationis antistite Constantiensi beato Conrado die Iovis apud Sanctam Afram coenaturus consederat, ambo de coelestibus rebus continuum habentes sermonem, corruptibilis immemores cibi, spiritu refecti, usque in sequentem sextam feriam divina habuere colloquia, non appositas attendentes carnes. Unde contigit Baioariae ducum baiulum quendam sanctum accedere virum. Cui, absoluto pro quo venerat negotio, abeunti carnis frustum dedit, non advertens sextae observantiam feriae. Qui nuncius dominum adiens proprium, volens malitia stimulatus sanctos diffamare episcopos, quasi sexta ab carnium esu feria non abstinuissent, in testimonium illico carnis partem a sancto viro acceptam protulit, et ecce, dictu mirabile! species carnis in piscis speciem est conversa, temerarii arguens baiuli detractionem, et sanctorum ostendens innocentiam. Qua de causa gloriosi effigiei pontificis piscis in perpetuum huius miraculi memoriam conpingi solet.*

20) obscura vox quid sibi velit nescio. Neque cum Benedictinis (du Cange Gloss. Nova ed. I. p. 92) *linceola* legendum est. An ἄκυλος, glans ilicis vel fagea intelligenda est? cf. *agia, glandolae*, apud Isidorum.

simul Deum laudantes ad aecclesiam matriculam pervenerunt, ibique missam cum eo
(20.) celebraverunt, et inde omnes in sua redierunt. Postea autem his tribus diebus conti-
guis[a] synodale colloquium habere consuevit, eo quod canones bis in anno episcoporum
21 concilia fieri praecipiunt, unum 15. Kal. Octobris[21], et aliud quarta ebdomada post[b]
pasca. Hoc in isto tempore perficiendum decrevit, ne in antea ei aliquod obstaculum
illud perficiendi impedimentum faceret, et ut in coena[c] Domini cum eadem multitudine
clericorum et populi plenius et honorificentius crisma et oleum sanctificaretur. Eo vero
die hora tertia omnes clerici solemnissimis paraturis induti venerunt in aecclesiam; et
ipse suo more gloriosissime ad Dei servicium paratus, cum eis sacrum mysterium agere
devotissime coepit. Perlectoque[d] euangelio, et ammonitione facta ad populum, et con-
fessione populi accepta, indulgentiam humillime eis fecit, et tota synodo oblationem
offerente, secundum ordinem cautissime implevit usque ad benedictionem crismatis et
olei. Hoc fecit magna reverentia sibi apportari, cum crucibus et cum pueris portanti-
bus sub palliolo occultatis, et cum cereis, cum versibus ad hoc ministerium compositis
formosissime decantatis, et cum processione duodecim presbiterorum[e], qui cum eo usque
in finem missae in suo ministerio perseverare debuerunt. Rite autem sibi allato, humil-
lime suscepit, et totam synodum rogavit, ut quando ille crucem benedicendo super illud
faceret, et ipsi cum eisdem presbiteris, qui in processione erant, et sibi assistebant[f],
benedicere non desisterent, caeterumque populum *Pater noster* cum magna humilitate
decantare rogavit. Quo benedicto, et populo sacro viatico recreato, vesperaque expleta,
(21.) ad sacrarium venit, chrisma et oleum clericis dispensandum. His dispensatis, ad hospi-
cium pauperum venit, et eis solito more ministravit. Inde autem in aecclesiam ambu-
lavit, et ante sacrarium venit, ibique a camerario allatis vestibus novis, duodecim pau-
peres vestivit, et acervulum aceoli aliis dispensavit, et eo die nullum ab eo vacuum
abire dimisit, quamvis eorum magna multitudo adesset. Postea ad cibum venit; ciba-
tisque omnibus cum eo manentibus, exemplo Domini pedes discipulorum suorum lavare
coepit. Lavationeque cum antiphonis congruentibus et versibus et lectionibus decentis-
sime peracta, pocula optima in suis cellariis recondita cum magna caritate et humili-
tate sufficienter porrexit; et completorio expleto, membra in Dei servitio fatigata quieti[g]
lectuli commendavit. Die[h] parasceue orgiis[i] secundum ordinem caute expletis, omissis
aliis cursibus, sicuti in coena Domini, nisi ad eundem diem pertinentibus, mane diluculo
psalterium explere festinavit. Et sacro Dei ministerio perpetrato, populoque sacro Christi
corpore saginato, et consuetudinario more quod remanserat sepulto, iterum inter aeccle-
sias ambulando, psalterium explevit decantando, et vespertina[k] hora sine mensa atque[l]
mensalibus in cubiculo suo pane et cervisa[m] se recreare coepit, et unicuique qui secum
(22.) erant panem et cervisam iuxta eorum voluntatem exhibere praecepit. Sanctissimi autem
sabbati die expletis nocturnis officiis, et amando psalterio perlecto, praeparatum sibi
balneum intravit, quo numquam uti solebat eo tempore, nisi in sabbato ante quadrage-
simam et in media quadragesima et eo die. Lavatione autem corporis peracta, et prae-
paratione vestimentorum induta, ad sacrum officium solemniter se praeparavit, et
totum clerum hora diei nona cum eo paratum esse destinavit, statimque perlecta trina
lętania, cereoque sanctificato, lectionibusque[n] et tractis consummatis, cum quina lętania
et cum omni honore ad baptisma[o] consecrandum ad aecclesiam sancti Iohannis baptistae[p]
perrexit; baptizatisque[q] ab eo tribus pueris cum septena lętania, regressus est in sacra-
rium ad missam se praeparandum, clero interim psallente in choro. Missarum vero
solemniis solemniter peractis cum vespera, corporeque Christi dispensato, et sacris
vestimentis depositis, eo die mensa apposita ad refectionem cum magna multitudine
consedit; et omnibus habundanter refectis, cum magno gaudio ad mansiunculas redire
(23.) permisit. Desiderantissimo atque sanctissimo paschali die adveniente, post primam
intravit aecclesiam sancti Ambrosii[22], ubi die parasceue corpus Christi superposito lapide

a) continuis 1. b) *deest* 2. c) *deest* 1. d) Electoque 1. e) prespiterorum 1. f) adstabant 2.
g) quiete 1. h) D. autem 3. 4. 5. i) horis 3. 4. 5. k) uespertinali 2. l) et 2. m) *ita* 1. *semper.*
n) que *deest* 2. o) baptismum 3? 5. p) paptistę 3. q) b. ibi 3? 5.

21) *Idibus Octobris* canones dicunt; quare 15. Kal. Oct. scriptum esse pro 15. die Octobris, Velserus monuit. 22) Huius ecclesiae memoria quod sciam alia nulla superest; videtur stetisse prope cathedralem. VELSER.

collocavit, ibique cum paucis clericis missam de sancta Trinitate explevit. Expleta autem missa, clerum interim congregatum in scena iuxta eandem aecclesiam sitam solemnibus[a] vestibus indutum antecessit, secum portato corpore Christi et euangelio et cereis et incenso, et cum congrua salutatione versuum, a pueris decantata, per atrium perrexit ad aecclesiam sancti Iohannis baptistae, ibique tertiam decantavit; indeque cum antiphonis ad honorem huius diei congruentissime compositis, ad tuomum[b. 23] formosis- 23
sima processione, binis et binis secundum ordinem simul ambulantibus, missam celebraturus pervenerat. Missa itaque devotissime gloriosissimeque[c] decantata, cunctisque[d] sacramenta Christi accipientibus et in sua revertentibus, ille ad cibum accessit; ibi mensas tres omni decore praeparatas[e] invenit, unam cui[f] ille cum quibus volebat adsedere solebat, et aliam matriculis[g], tertiam congregationi sanctae Afrae. Sanctificato itaque cibo, carnes agni et particulas[h] lardi, inter missarum solemnia benedicti, omnibus dispensavit, et tunc demum cibum cum eis omni gaudio sumpsit. Tempore enim statuto symphoniaci venerunt, quorum tam copiosa multitudo fuit, ut pene intercapedinem[i] aulae secundum ordinem stando implevissent, et tres modos symphonizando perfecerunt. His ita gaudiis multiplicatis, canonici praecipiente episcopo caritatem accipientes et rogantes, unum responsorium[k] de resurrectione Domini interim decantaverunt. Et hac caritate expleta, ad alteram mensam congregatio sanctae Afrae similiter fecit. Adpropinquante vero vespera, ille sibi et secum sedentibus laetanter pocula porrigere praecepit, et tertiam caritatem omnes caritative bibere rogavit; acceptaque ea caritate, tertium[l] responsorium omnis clerus simul cum[m] laetitia decantavit. Quo decantato, ymnum decantando canonici surrexerunt, ut apte praeparati ad vesperam devenire potuissent. Vespera autem peracta, episcopus cum hospitibus et militibus ad suam aedem omnes exhilarandos revertebatur. Mane vero, quod est die Lunis[n], clerus totus ad Sanctam (24.)
Afram congregabatur, ut episcopum venientem formosissimis paraturis indutus honorifice suscepisset; quia eius consuetudo erat, ut eo die ibi[o] sacrarum solemniis missarum Deo militaret, et post peracta sacrarum missarum solemnia multitudinem[p] populi illuc congregati sacro chrismate confirmaret. Et his ita peractis, ad civitatem rediit, et ibi totam paschalem ebdomadam devotissime celebravit.

5. Finita pascali solemnitate, cum alicuius rei necessitas poposcisset, ut[q] ad alia (25.)
loca vel ad monasteria pertinentia[r] ad episcopatum legitime pergere debuisset, quae sunt nominata Vuhtinwanc[s. 24], Staphense[25], Fauces[26], Wisentesteiga, Hewibahc[t], quae 26
numquam in beneficium laicorum concessit, nisi de exterioribus locis ad eadem monasteria pertinentibus alicui de isto pago in quo monasterium situm est concessisset, ut ibi advocatum monasterii habere potuisset, ut aecclesiasticae res ab eo defenderentur[u]; sed ad suam potestatem optima quaeque detinuit, ea videlicet causa, ut facultatem ea visitandi et ibi manendi et quae necessaria erant corrigendi in stipendiis habuisset. Sedebat itaque in solio super carpentum composito de humerulis plaustri in ferro pendente, et cum eo unus clericus de capellanis eius, qui cum eo totum diem psalmos decantasset; non[v] ideo, quando in primis tali modo pergere coepit, nisi adhuc in[w] equis caballicare potuisset, sed ut a populis sequestraretur, ne a cantatione psalmorum aliorum colloquiis ineptis[x] impediretur. Comitari vero[y] semper cum[z] illo aliquos suos presbiteros prudentissimos et de capellanis, tantum ut cottidie servicium Dei decore perficere potuisset, praecepit. Similiter et de vasallis suis semper secum aliquos sapientissimos habere voluit, si ei aliquod negocium de aecclesiasticis rebus vel de[*] secularibus ad tractandum deveniret[a], ut eorum consilio caute tractare et regere semper paratus esset. Fuerunt etiam eleçti de familia, semper qui trahentibus bubus ductores fuissent et eum ante et retro, ad dexteram et ad laevam caute observassent; quibus ille cottidie tantam[b]

a) solemnissimis 3? 5. b) tŏmam 4. c) religiosissimeque 2. 3 5. d) que *deest* 2. e) preparatis 1. f) enim 2 g) matricolis 1. h) particulatas 2. i) intercampedinem 2. k) responsum 2. l) III. 1. tria responsoria 3. tertium *deest* 4. m) *deest* 2. n) *ita* 1. 2. 3. o) *deest* 2. p) multitudine 2. q) et 2. r) ad e. p. 1. s) uuhtinuuanch 3. t) heiuuibahr 2. heuuibach 3. houuibach 4. u) defenderetur 1. v) non — sequestraretur *in* 1. 2. *infra post* paratus esset *leguntur.* w) in e. *desunt* 3? 5. x) *deest* 1. y) comitarius 1. z) c. i. *desunt* 3. *) *deest* 2. 3. 4. 5. a) deuenisset 3. 4. 5. b) tantum 1.

23) germanice *dom.* 24) Feuchtwang. 25) In lacu Staffelsee situm erat; v. Mon. Legg. I. p. 176. 26) Füssen, Weissenstein inter Neccarum et Danubium, Haebach ad radices Alpium.

annonae copiam per se ipsum et per ministros eius dari fecit in praesentia eius, ut triplici numero virorum sufficere potuisset[a]. Amantissimus quoque comitatus pauperum semper cum eo inter sua loca ibat; qui virtutem caballicandi habebant, in cautissimis ambulatoribus pergebant, alii autem his vehiculis, in quibus soliti erant pergere, cum carpentis episcopalia ministeria portantibus perrexerunt; quorum vero mansiunculas et
(26.) totas procurationes ipse per aliquem suorum fidelium cottidie caute disposuit. Numquam vero in aliquo praedictorum monasteriorum otiosus manebat, nisi in aedificiis aecclesiae vel claustrorum vel aliorum aedificiorum vel murorum antea praeparatis et collectis suppellectilibus laborasset. Vitam vero in eodem monasterio Deo militantium monachorum sive canonicorum[b] et stipendia eorum omnino regere et componere studuit, et ius familiae dissolvere non concessit[c]. Dona etiam sancti Spiritus tradere, ubi necessitas fuit, cum confirmatione chrismatis non omisit.

(27.) 6. Gratum et necessarium iter populis, cum quarto[27] anno secundum constitutionem canonum ministerium suum adimplendum, causa regendi et praedicandi atque confirmandi, diocesem sibi commissam visitare decrevisset, eodem modo, sicut superius diximus, in solio carpenti superposito sedebat, psalmosque solito more decantabat —
Act. 8, 28. sqq. eunuchum illum imitans, qui legens Esaiam prophetam super currum suum sedens per viam pergebat, cui praecipiente Spiritu sancto Philippus adiunctus est, qui ab eo praedicatus et baptizatus fidem sanctae Trinitatis accepit — aestimans pro certo, quantum se colloquiis humanis subtraxisset, ut tantum se divinis propinquiorem facere potuisset. Ad loca autem illa cum pervenisset, ubi concilia sua denuntiata fuerant, cum euangelio et aqua benedicta et sonantibus campanis et tanta honorificentia susceptus est, quantum
28 illis qui ibi congregati sunt virtus suppetebat. Statim vero missa celebrata, in concilio[28] considens, populum ante se vocari fecit, prudentioresque et veraciores sacramento interrogare praecepit, quae in illa parrochia emendatione digna fuissent, et contra iura christianitatis perpetrata peccata ut ei veraci relatu nota fierent facta. Ut autem ab eis aliqua normam[d] rectitudinis supergredientia cognita audivit, sine perceptione personarum, secundum iudicium clericorum, ad tramitem rectitudinis, quantum omnipotenti[e] Deo iuvante potuit, retrahere festinavit, et male pullulata surcula vitiorum falcastro verbi Dei studiosissime resecare, ne virgulta malorum germinum segetem Christi sibi commissam suffocare licentiam habuissent; et morbis vitiorum aptissima fomenta emenda-
2. Tim. 4, 2. tionum opposuit, sed tamen secundum verbum apostoli dicentis: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Ea vero quae difficilia et insuperabilia ministris suis esse comperit, in praesentia sui, omnium cum eo manentium adiutorio, percauta directione finiri contendit. Quae autem ab eis sine obtrectatione aliorum in statum rectitudinis converti persensit, eorum regimini perficiendum firmiter commendavit. Ille autem sequens regulam sui ministerii, Spiritus sancti donum, populo ad hoc illuc congregato, sacrae unctionis confirmationem studuit imponere. Si autem his adhuc inperfectis nox solito more subripiens[f] advenit, ne aliqua pars ovium sibi commissarum detrimento privationis caelestis doni gravaretur, incensis luminaribus in nomine Domini coepta perficere
(28.) decertavit. Interdum autem cum de refragatoribus iusticiae tanta contentio excrevisset, ut decedente die tenebrae noctis funderentur[g] in mundo, ne pro eo concilia inibi ventilanda remanerent incorrecta, luminibus incensis regulas canonicas legere praecepit, ut seris iusticiae ora refragatorum opilarentur, et iustis iudiciis omnia in Dei voluntate con-
(29.) summarentur. Cum autem completo concilio vel confirmatione ad mansiunculas rediit corpus reficiendum, non prius prandium gustavit, quam pauperibus elemosinae ab eo clerico, cui illa oboedientia erat commendata, erogabantur. Debilibus autem cum eo venientibus, in sua praesentia collocatis, habundantem refectionem apponi praecepit; quorum[h] etiam mansiunculas et universas procurationes ministris suis caute providere praecepit.

a) potuissent 2. b) canucorum 1. c) cessit 3. d) normam — omnipot. deo *desunt* 4. e) omnipotente 2. 3. 5. f) *ita* 1. 2. 3. 4. subrepens 5. g) funderetur 1. h) quorum — praecepit *desunt* 2? 5.

27) Canones dioeceses annue ab episcopis visitari volunt. VELS. 28) Concilium vel synodus agi dicebatur, cum episcopus convocatam plebem in visitatione alloquebatur, et quosdam ex eadem plebe praecipuos sacramento obstrictos de iis rebus interrogabat, quae circa statum parochianorum inquirenda erant: ita Ballerini Ratherii Opp. p. LXIV.

In quibusdam autem diebus capitula[29] cum clericis habere disposuit in his locis, ubi haec aptissime fieri archipresbiteri putaverant[a], et ubi eum ab aliis mundanis conciliis absolutiorem esse arbitrabantur. Congregatis ante se clericis, archipresbiteros et decanos et optimos quos inter eos invenire potuit caute interrogavit, qualiter cottidianum Dei servitium impleretur, et qualiter illis populus subiectus ex eis regeretur in studio praedicandi docendique, quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur et ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulturis traderentur, [qualiter[b] de decimis et oblationibus fidelium pauperes et debiles recrearentur], viduis et orphanis in universis necessitatibus subvenirent, quantoque studio in hospitibus et advenis Christo ministrarent; si subintroductas mulieres secum habuissent et inde crimen suspitionis indicerent, si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur, si tabernas causa edendi vel bibendi ingrederentur, si turpes iocos in usu haberent, si ebrietates et comessationes supra modum amarent, si rixis et contentionibus et aemulationibus deservirent, si nuptiis secularibus interessent, vel si aliqua[c] eorum ministerio indecentia in consuetudine haberent, si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta convenirent ibique solitas orationes explerent suasque aecclesias[d] ad tempus reviserent, si oboedientiam eorum magistris praebuissent et in toto suo ministerio devoti et apti manere studuissent. Responsione autem de interrogatis facta, et ratione veritatis percepta, stantibus in rectitudine dulcissimae consolationis gratia gratificavit, et ut deinceps a normula iusticiae ne deviarent, suavi colloquio ammonuit; erroneos[e] autem et[f] per devia incedentes fratres dignis terruit correptionibus, et ut postmodum consueta vicia omitterent, praecepit. (30.)

cf. Karoli M. capitularia Leg. T. I. p. 100. sqq.

7. Horum[g] autem, qui in suo episcopatu proprietates habebant, quisquis religiosorum propter amorem Christi aecclesiam componere cupiebat, et cum concessa licentia ab eodem sancto episcopo eam aedificaverat, consecrationemque habili tempore ab eo fieri flagitavit, aptissime uniuscuiusque petitioni[h] praebuit assensum, si confestim ille consecratae[i] aecclesiae legitimam dotem in terris et mancipiis in manum eius celsitudinis dare non differret, in conspectu civium suorum et testium veridicorum, ne postea gestae rei veritas obfuscaretur, ea etiam ratione, ut aliis circumiacentibus aecclesiis iura earum in nullis rebus propter illam novam minuerentur. Consecrationeque[k] peracta, doteque contradita, comprobato illic presbitero altaris procurationem commendavit et populi, et[l] aecclesiae advocationem firmiter legitimo heredi panno* imposito commendavit. Alicuius oblationem muneris non exposcebat[m], nisi presbiter eiusdem aecclesiae aliquid propter honorem suum et bonam voluntatem suam sponte eum accipere impetraret. (31.)

8. Iesu vero quodam tempore praeceptis obediendo, cum pagum Albegowe[30] nominatum ministerii sui officium implere[n] decrevisset, venerunt quidam homines de eodem pago ad eum, lamentando dicentes: *Patres nostri in sua proprietate, quam nobis reliquerunt, de lapidibus et cemento et lignis aediculam construxerunt, quam Deo et sanctis eius dedicari voluerunt, et ut ipsi ibi[o] sacrorum officiorum celebrationem audire meruissent, quia locus iste in magna vastitate heremi situs est; sed propter difficultatem viae et pauperiem substantiae eorum numquam episcopum ad consecrandam praefatam aediculam[p] introducere potuerunt.* His auditis, Dei servus hilari vultu dicebat: *Potestis nunc ad tempus quae consecrationi aecclesiae sunt necessaria adquirere?* Qui amicorum consolationibus freti, responderunt: *Possumus*[q]. Quibus ille infit: *Cautum mihi viae ductorem dimittendo antecedite*[r], *et quae sunt ordinanda ordinate. Ecce vestrae subveniendum necessitati illuc perveniam, et Deo iuvante aecclesiam consecrabo.* Die vero altera consecratione peracta, cives ipsi secundum suam facultatem munera offerentes, ante eum venie- (32.)

a) putauerunt 2? 5. b) qualiter — recrearentur *desunt* 1. 2. c) *ita* 1. 4. aliqui e. ministeria 2. 3. 5 d) ęclesias r. ad t. 1. e) errones 2. 4. 5. errores 3. f) *deest* 2. 4. 5. g) Horum — habebant *desunt* 4. h) petioni 1. i) cosecratae 1. k) Consecrationęque 1. l) et *deest* 2. p. et *desunt* 3. 5. *) *i. e.* banno. m) exposcebat 1. n) implendum uisitare 4. o) *deest* 2. p) edicula 3. q) posumus 1. r) ante cedente 1.

29) Ex hoc loco patet, capitula clericorum ea fuisse appellata, quibus post synodum totius plebis celebratam omnes eiusdem plebis clerici simul coacti coram episcopo interrogabantur; cf. Ballerinos l. l. p. LXV.
30) meridionalis pars episcopatus Augustani ad Alpium pedem.

bant. Quae videns, subridens dicebat: *Non propter amorem alicuius muneris, sed ut vestrae necessitati consulerem et servitium Dei in hoc loco multiplicaretur, huc veni. Haec oblata nobis vestrae utilitati servantes, et in Dei servitio crescentes, manete in pace.* Haec dicens, recessit, et de scrupulo viae nullam nisi quasi laetando querimoniam fecit.

(33.) 9. Karis vero[a] bonorum operum studiis insistens, omnes apud eum commanentes exhortatione benignissima spiritaliter recreavit, docens non solum in verbis, sed etiam in operationibus, ut unusquisque Dominum ex omnibus viribus perfecte diligeret et eius amori nihil praeferret et proximum tamquam se ipsum, patrem et matrem honoraret[b], insuper omnes bonae voluntatis homines, de quibus angelica canit multitudo dicens: (Luc. 2, 14.) *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* malignis autem in omnibus eorum malis actibus resistere secundum sanctum prophetam David dicentem: (Ps. 14, 4.) *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat;* quod quisque sibi noluisset, alteri non faceret; aecclesias Dei cum devotione mentis et humilitate et cum[c] oblationibus crebro visitaret, ibique cum effusione lacrimarum et pro remissione peccatorum suorum et pro omnibus suis iustis necessitatibus Deum flagitare satageret. Inimicis insuper indulgentiam postulare monebat, secundum orationem dominicam dicentem: (Matth. 6, 12.) *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,* et secundum euangelium: (18, 35.) *Sic et pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris,* et iterum: (Luc. 6, 37.) *Dimittite et dimittemini.* Decimas omnium laborum suorum Domino et sanctis eius aecclesiisque, quibus sunt terminatae, ne reatum Kain fratricidae inciderent, cum magna cautela praesentare festinarent. Dominicas etiam dies et caeteras solemnitates in anno non solum in abstinentia servilium operum sed et omnium vitiorum devotissime venerari monuit. Eucharistiam quemque assidue accipere, atque ante acceptionem purgatum se exhibere, et post acceptionem mundum se custodire certaret. Dies quadragesimae caeteraque ieiunia antiquitus constituta et noviter cum consensu inventa omni monuit devotione ab omnibus custodiri; abnegationem sui facere, et Christi vestigia sequi, corpus castigare, delicias non amare, esurientes et sitientes escis et poculis recreare, nudis vestimenta praebere, infirmos et in angustiis constitutos visitare, egenis et vagis mansiunculas concedere et quae sunt necessaria propter amorem Christi praebere, pupillos et viduas in tribulationibus visitare atque in cunctis eorum necessitatibus subvenire, malicias in corde non retinere, et verbis aliquem ad iracundiam non provocare, iram deponere vindictamque Domino concedere, nulli malum pro malo reddere, nec aliqua laesione exacerbare, maledicentes se non remaledicere sed magis benedicere, et persecutionem pro iustitia sustinere, discordantes et inimicicias inter se habentes ad unanimitatis concordiam revocare, Deo resistentibus resistere, et sibi cum fide militantibus iuvamina praebere, nullo octo vitiorum principalium, quae omne genus humanum infestant, scandalo laqueari[d]. (34.) Quaerentibus autem, quae essent octo vitia principalia, respondit non solum illis, sed et his[e] qui adhuc in haesitatione manent quae sint octo vitia, dicens: *Primum est gastrimargia*[f]*, hoc est ventris ingluvies, cum sua prole, commessatione et ebrietate. Secundum est fornicatio cum sua prole, turpiloquio, scurrilitate, ludicris, quae etiam sunt stultiloquia. Tertium est filargiria, hoc est avaritia sive amor pecuniae, cum sua prole, mendatio, fraudatione, furto*[g]*, periurio, turpis lucri appetitu, falso testimonio, violentia, inhumanitate, voracitate*[h] *ac rapacitate. Quartum ira cum sua prole, homicidio, clamore et indignatione. Quintum tristitia cum sua prole, rancore, pusillanimitate, amaritudine, desperatione. Sextum accedia*[i] *cum sua prole, otiositate, somnolentia, inoportunitate*[k]*, inquietudine, pervagatione, instabilitate mentis et corporis, verbositate et curiositate. Septimum cenodoxia, hoc est vana gloria, cum sua prole, contentione, heresi, iactantia ac praesumptione novitatum. Octavum superbia cum sua prole, contemptu, invidia, inoboedientia, blasphemia*[l]*, murmuratione, detractione, inimicicia.* Beatum vero dicebat, qui in istis vitiorum pedicis non offendebat.

(35.) Octo vero notissimas beatitudines a Deo in euangelio enumeratas auribus cordis caute

a) Beatissimus vero praesul Odelricus dum hanc secularem sortitus est uitam caris bonorum op. insistens 3. His uero 4. 5. b) honoraretur 1. c) cu 1. d) laqueare 3. e) etiam qui 2. f) castrimargia 1. castrimaria 4. g) furtu 1. h) et uor. 1. i) *i. e.* *ἀκήδεια*. acedia 4. accidia 2? 3? 5. k) import. 3? 4? 5. l) plasphemia. murratione 1.

percipere et intimis cogitationibus firmiter inserere, ut in tempore temptationis malignis spiritibus eas evellere virtus non concedatur, sed unusquisque ad spem caelestium desideriorum earum[a] consolationibus sublevetur; agno vero omnipotentis Dei Christo, tollenti crimina mundi, semper die noctuque multiplices laudes et gratias totis desideriis et omnibus viribus referre, quia dignus est, sua incarnatione et nativitate et baptismo et crucifixione et sepultura et resurrectione et ascensione solvere signacula septem libri signati, in visione sancto Iohanni[b] apostolo in Padmos insula ostensi. Intente autem et subnixe omnium in commune benivolentiam postulavit: si qui essent qui in semet ipsis segetem aliquarum virtutum excrevisse sentirent, non suis meritis, sed Dei omnipotentis misericordiae adplicarent, ne subito iactantiae[c] grandine in eis necaretur, sed tempestiva[d] maturitate, protegente Spiritu sancto, in horreis Christi collocaretur. Os[31] a malo vel 31 pravo eloquio custodire, lectiones sanctas libenter audire[e], mala sua praeterita cum gemitu et lacrimis cottidie in oratione Deo confiteri et deinceps emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam frangere, sacerdotum praeceptis obedire, etiam si ipsi aliter, quod absit, agant, eos imitantes de quibus Dominus dicit: *Dicunt* Matth. *enim et non faciunt.* 23, 3. Castitatem amare monuit, nullum odire, invidiam et zelum non habere, contentiones non colere, elationem odire, venerari seniores, diligere iuniores, timorem Domini in corde et animo sine intermissione habere, credere[f] oculos Domini omnia videre et aures eius omnia audire, dicente psalmısta: *Ecce oculi Domini super* Ps. 33, *iustos, et aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, ut per-* 16. 17. *dat de terra memoriam eorum.* Diem vero obitus sui et diem extremi iudicii — in quo dicturus est Dominus his qui eum recreare et vestire et visitare in suis pauperibus Matth. festinant[g], qui ab auditione mala non timebunt, illud: *Venite benedicti patris mei* et 25. caetera, illis autem haec neglegentibus et Deo in[h] suis menbris[i] non ministrantibus: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus*[k] *est diabolo et angelis eius* — ante oculos semper suspectam et timidam habere, et poenas maledictis praeparatas oculis mentis saepissime intueri et locum pessimum, qui semper est sine refrigerio et sine splendore et sine dulcedine et erit sine fine, ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur, ubi fletus et stridor dentium sine intermissione semper auditur, ubi urens flamma machinationibus diabolicis[l] semper innovabitur, ubi consolationis spes omnino non habetur, sed de hora in horam tristitia augetur, quia finem manendi invenire non possunt, sed cum his quibus in hoc seculo ministraverunt[m] in angustiis sine fine perseverant. „Dei[32] autem benedictis et in eius dextera collocatis quanta gaudia 32 atque tripudia maneant[n], semper, quantum humanis mentibus possibile est, cogitare oportet; de quibus scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor* 1. Cor. *hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se*[o]; 2, 9. ubi ymnidici angelorum chori inenarrabili claritate fulgebunt; ubi celsitudo patriarcharum digno honore remunerata gaudebit; ubi verax prophetarum ordo propheciis suis in toto expletis Deo gratias agere non cessat[p]; ubi iudex apostolorum chorus, accepta ante promissa mercede, perenniter exultabit; ubi martyres palma martyrii eorum coronati consolatione perfruuntur aeterna; ubi confessores, praemiis suis multiplicatis, in Dei laudibus perseverant; ubi virgines centesimi[q] fructus retributione habundant[r], et viduae sexagesimi fructus restitutione honorantur; ubi monachi ex remuneratione[s] secularium omnium, cum esurientibus et sitientibus iustitiam[t], expletis eorum desideriis, satiati, Dei laudibus insistere non cessabunt; ubi poenitentes, depositis delictorum[u] suorum honeribus, sine fine Deum laudantes congaudent; ubi pueri agnum[v] in albis sequentes, sub throno angelis concordantes, Deum laudare cantando non cessant; ubi gloriosissima virgo Dei genitrix Maria super choros angelorum[w] exaltata, inaestimabili claritate et formositate omnes hilarans conspicitur; ubi iusti sicut sol fugebunt, et omnes sancti Creatorem suum et omnium crea-

a) eorum 2? 3? 4? 5. b) iohanne 1. c) iactatiae 1. d) tempestatiua 1. e) l. s. l. audire *desunt* 1. audire *deest* 2. f) *deest* 2. g) cottidie f. 3. 4. 5. h) *deest* 1. i) *ita* 1. *semper.* k) paratus 1. l) diaboli s. renouabitur 3. 4. 5. m) ministrauere 2. 3. 4. 5. n) manent 1. o) d. qui diligunt eum 3. p) cessant 1. q) centessimi 1. r) habudant 1. s) resignatione 3. 4. 5. t) i. dei 3. 4. 5. u) delitorum 1. v) angnum 1. w) *deest* 2.

31) Pleraque ista desumta sunt ex Regulae sancti Benedicti cap. 4. MAB. 32) In directam, ut dicunt, orationem Gerhardus transit, tanquam ipsa Oudalrici traderet verba.

turarum in sua claritate facie ad faciem gaudendo videbunt, ab eis auferentem omnem metum et omnem moerorem et tristitiam et[a] omnem adversitatem. In illo regno lux solis et lunae et stellarum non est necessaria, fames et sitis nulli nocebunt, frigus vel aestus[b] nullum fatigabunt, infirmitas et dolor nulli adveniunt, venturae senectutis miseria non timetur; sed sicut in die iudicii corpora mortuorum in mensura aetatis plenitudinis Christi resurgent, in ea possibilitate et pulchritudine permanebunt; nuptiae ibi non celebrabuntur, et progenies hominum postea non multiplicabitur; sed completus numerus iustorum non minuitur, sed sine fine in gaudio servabitur; insidias diaboli non timet, indulgentia peccatorum ultra non indigebit. Sicut angeli in primae conditionis possibilitate permanebunt, sic et homines post resurrectionem aequales[c] angelis in sobrietate et in inmutabilitate[d] perseverant in civitate Dei nostri, in monte sancto eius aedificata, quae dicitur duodecim lapidibus pretiosis esse ornata atque fundata, quorum nomina et
Apoc. 21, 19. sqq. ordinem sanctus Iohannes apostolus et euangelista in apocalipsi enumerat. Ubi iaspidem[e] in primo fundamento positum dicit, quem dicunt omnia fantasmata fugare, in quo fidei viriditas designatur; saphirum in secundo, qui spem caelestis beatitudinis[f] designat; calcidonem in tertio, qui flammam internae caritatis figurat; in quarto smaracdum, qui eiusdem fidei fortem inter adversa confessionem figurat; in quinto sardonicum, sanctorum inter virtutes humilitatem significantem; in sexto sardium, in quo sanctorum martyrum cruor exprimitur; in septimo crisolitum, in quo spiritalis inter miracula praedicatio figuratur; in octavo berillum[g], in quo praedicantium perfecta operatio significatur; in nono topazionem[h], in quo eorundem ardens contemplatio monstratur; in decimo crisoprasum, qui beatorum martyrum opus pariter et praemium significat; in undecimo
33 iacinctum, qui caelestem ad alta sublevationem et propter[33] humilem ad humana[i] descensionem figurat; in duodecimo ametistum, qui caelestis semper regni in humilium animo memoriam designat. Haec positio duodecim lapidum figurat firmitatem apostolorum, qui in fundamento aecclesiae sunt positi, sicut Salvator mundi beato dixit Petro:
Matth. 16, 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo aecclesiam meam.* Haec dicendo ad Petrum, omnibus notum fecit apostolis, quod super eos esset aecclesia sua aedificanda, quorum sonus in omnem terram exivit, et in fines orbis terrae verba eorum. Si apostoli fundamentum[k] domus Dei sunt, et omnis christianitas aedificatio eiusdem templi
1 Cor. 3.17.9. manere debet, dicente Domino: *Templum Domini sanctum est, quod estis vos*, et: *Dei aedificatio estis* et reliqua: studeamus[l] omnes totis nisibus nos aedificatori et inhabitatori nostro coniungere, ut doctoribus nostris in fundamentum positis, eo donante superaedificari mereamur, ut inter electos lapides positi et praefatis ordinibus iuncti videamur, ut Creatorem et Redemptorem nostrum, iudicem[m] vivorum et mortuorum, facie ad faciem videntes, cum eis laudare mereamur per infinita secula[m*] seculorum, amen".

(36) 10. Longe lateque cum fama eius bonitatis dilataretur, et diabolus eum in hoc culmine virtutum stantem videret, omnigenis malitiae suae astutiis nitebatur in aliquam difficultatis voraginem inmergere et ab inceptis bonis impedire. His vero temporibus Liutolfus, filius Ottonis[n] gloriosi regis, dux erat Alamannorum; cui pater eius antea gentes omnes[o] regionum suae ditioni subiectarum sacramento post finem vitae suae subiugaverat. Patruus autem eiusdem Liutolfi Heinricus, frater regis, dux exstitit[p] Noricorum; qui vero inter se propter confinia regionum ex suasione malignorum hominum
953 rixas et contentiones exercere coeperunt. Cumque eos rex nullatenus ad concordiam et pacem revocare potuisset, obiecit se filio[q] in adiutorium fratris. Cum autem filius eius cum universis quos congregare potuerat ei resistere niteretur, atque extorrem regalis potentiae agere moliretur, Heinricus praefatus dux, commendata civitate Radespona totaque regione Noricorum Arnulfo palatino comiti et caeteris insuper suis fidelibus, perrexit ad regem. Moram autem illo ibi faciente, praefatus Arnolfus cum multitudine populi fraudulenter[r] Radesponam cum caeteris urbibus et cum frequentia populorum et cum

a) atque 3. 4. 5. b) aestas 3. c) aequalis 1. d) et incommutabilitate 2. 3. 4. 5. e) iaspidum 2. f) altitudinis 1. 4. g) perillum 1. h) tobazionem 1. i) humanam 1. 2. k) *deest* 2. l) s. nos 2. m) et i. 1. m*) saecula seculorum 1. *qui sibi in talibus non constat.* n) ottoni 1. 4. o) omnium 3. 4. p) erat 2. q) filiu 2. f. et in a. f. conuertitur 3? 5. r) fraudolenter 1.

33) Vocabulum abundare aut pro *praeterea* dictum videtur.

omnibus quibus potuit Liutolfo in potestatem subiunxit[a]. Quibus compertis, rex cum 953. fratre suo Heinrico Bawariam hostiliter invasit ad restituendum eum in honorem prioris Sept.–Nov. potestatis. Praefatus autem antistes Oudalricus, cuius fidelitatis firma stabilitas numquam ab adiutorio regis separata est, haec comperiens, dimissa parte in Augusta civitate vasallorum suorum, caeterisque rebus collocatis[b], cum quibus potuit, omisso vehiculo carpenti, equitando[c] in servicium regis in regionem Noricorum sagaciter venit, carmulaque[34] prolongata, possibilitatem redeundi apte non potuit habere. Arnolfus autem (37.) praedictus, interim accepta multitudine, Augustam adiit, et despoliavit omnibus rebus, quas secum abducere potuit, comprehensosque quosdam milites episcopi secum Bawariam revexit. Rex autem cum de regione Bawariorum revertisset, et episcopus in sua Dec. redire debuisset, non confidebat, se in Augusta civitate posse cum multitudine parva defendere, quia totum episcopatum pene in beneficium extraneorum dividebatur a Liutolfo et sequacibus eius, milites autem episcopi, quidam comprehensi, quidam vero sollicitatione iniqua ab eo divisi, quidam depraedationibus in pauperiem deducti, ita ut ei secundum suam voluntatem in adiutorio esse non potuissent. Hi autem qui cum illo remanserunt, suis colloquiis roborati, salubre consilium inierunt, ut relicta[d] Augusta civitate castellum quod dicitur Mantahinga[e. 35] aedificare, et ab adversariis eorum ibi se defen- 35 dere studuissent. Tum vero una tantummodo nocte in Augusta civitate manebat inclusus. Altera die statim perrexit ad praedictum castellum, quod erat in toto interius exteriusque sine aedificiis desertum. Quamvis certe hiemps dura fuisset, tamen in illo loco in tabernaculis et in tuguriis festinanter compositis exspectavere, donec congregata 954. familia castellum ligno circumcinxere et intus secundum possibilitatem eorum aedificia apta composuere. Arnolfus itaque et omnes[f] regiae potestati undique contradicentes (38.) haec comperientes, legationes[g] miserunt, si sospitatem sui suorumque habere voluisset, potestati Liutolfi se sine dubio subdere non distulisset, et ut praedictum castellum cum suis componere deseruisset; quia eo tempore in tota regione Suevorum nullus in regis adiutorio remanebat nisi Adalpertus comes cum sibi[h] subditis et Dietpaldus[i] frater religiosi episcopi; et ideo aestimabant, ut eorum decreto virtutem resistendi nullo modo adquirere potuisset; qui sapienti cum suis utens consilio, diversis promissionibus et humillimis responsionibus, et interdum obsidibus datis iterumque receptis ad[k] se, eorum iras et invasiones[l] omni modo mitigavit, donec, aedificato castello vallisque[m] renovatis, in munitione eiusdem loci ab eorum cum suis sevitia se posse defendere aestimarent. Cum vero indutiae rationibus spondendi[n] ultra prolongari non potuissent, tunc manifeste confessus[o] est, se sicut coepit in voluntate regis velle[p] perdurare. Tunc praefatus (39.) Arnolfus, filius Arnolfi ducis, congregata multitudine eorum infaustorum, qui antea Augustam civitatem depraedati sunt, et aliorum, in quorum tunc confidebat auxilium[q], voluit obsesso castello venerandum episcopum vi coactum cum suis ditioni subdere[r] Liutolfi. Hac re comperta, episcopus econtra, legatis missis[s], multa pecunia promissa, flagitabat, ut revertentibus eis illi licuisset in pace subsistere, sin autem pace contradicta redire noluissent[t], praecepit eisdem legatis, suos parrochianos panno[u] christianitatis constringere, ne loca sanctae Mariae in suo episcopatu sita ullo modo invadere praesumerent. Qui vero, pecunia contradicta, pannoque christianitatis postposito, male incepta omittere noluerunt, sed ad internitionem eorum, ea dominica, in qua mos est Febr. 5. clericorum ante quadragesimam carnes manducare et deinceps usque ad sanctum[v] tempus paschae devitare, hostiliter invaserunt praedium sanctae Mariae, et episcopum obsederunt. Qui vero die noctuque in Dei servicio studiose permanens, timore abiecto, in Deum confidens, obsessiones eorum pro nihilo ducens, in praedestinatione inita firmiter perseveraverat. Haec vero obsessio cum comperta fuisset Adalperto comiti et Dietpaldo[w] fratri episcopi, congregata phalange populi, prima die quadragesimalis temporis, quod Feb. 6. est dies Lunae, mane diluculo castra inimicorum invaserunt. Sed illi haec antea posse

a) subiuxit 1. liutolfi potestati subegit 3? 5. liutolfi potestate (?) 4. b) *deest* 2. c) aequitando 1. d) a. r. 1. e) mantachinga 1. mantichinga 4. f) o. qui cum eo erant 5. g) legagiones 3. h) suis 1. i) detpaldus 2. dietbaldus 4. k) ad se r. 1. l) obsidiones 3? 5. m) uallibusque 2. 3. 4. 5. n) respondendi 3? 5. o) confesus 1. p) uellere 1. q) adiutorium 3. 4. 5. r) l. s. 1. s) *deest* 2. t) uoluissent 1. u) *ita* 1. *semper*. v) t. s. 1. w) detpaldi 2. detpaldo 4.

34) i. e. seditione. v. SS. T. I. 35) Menchingen.

954. Feb. 6. fieri non putantes, imparati ad bellum inventi sunt, et repentino timore perculsi, relictis spoliis, fuga inimicis[a] evadere studuerunt. Illi autem eos[b] sequentes, Heremannum[c] fratrem Arnolfi[b] adprehenderunt, quosdam[d] in castris occiderunt, quosdam vero ulterius subsequentes interfecerunt. Maxima autem parte eorum interfecta, caeterisque fugatis, nullus eorum ad se defendendum fiduciam accepit, nisi unus[e], Egilolfus nomine, fugiendo brachio[f] Adalperti comitis modicum vulnus infecit; de quo etiam vulnere mortuus est. Vulnerator etiam eius statim occisus est a Liutperto[g], vasallo eiusdem Adalperti. Paucissimi autem eorum, ictibus contusi[h] ac diversis modis vulnerati, periculum tamen mortis, equis eorum eos asportantibus, eo die vix evaserunt; quidam vero eorum, gelu miserabiliter astringente, nudi in desperatione vitae proprias mansiunculas repetierunt. Corpus vero Adalperti, in Dei voluntate occisi, reverendus episcopus ad Augustam civitatem vexit, et animam[i] Deo commendans, honorifice in aecclesia sanctae Mariae sepelivit[k]. Nullus enim eorum, qui antea sibi spolia Augustae civitatis in contrarietatem sanctae Dei genitricis Mariae vendicaverunt, inpunitus evasit, nisi qui se suis[l] propriis rebus cum indulgentia reverendi episcopi redimere[m] non distulerunt.

(40.) 11. Manus proprias unus ex his lacerando, vicinis suis in veritate dicentibus, perdito sensu spiritum exalavit. Alius autem cum ablato de Augusta civitate libro cavallum[n] sibi bene placentem comparavit, et secum adduxit in domum suam, uxorique suae monstravit, et dixit: *Melius mihi placet istud[o] formosum cavallum habere, quam librum, cum quo hoc[p] comparavi, in Augusta relinquere.* Cuius verbis respondit uxor eius, dicens: *Utile tibi forte fuisset, si manus tua hunc librum iniuste non tetigisset.* Interim vero ille levicando manu in posteriora tangebat cavallum, et statim ab eo percussus mortuus est.

Novis[q] et inprovisis cladibus et aliis multis formidolosis [rebus[r]] in reis peractis a multitudine populi compertis, timor magnus invasit in[s] eos, qui se esse reos cognoverunt de praedicta praedatione Augustae civitatis[t], non solum in eos, qui illuc pervenerunt, sed et qui aliquid de iniuste adquisitis ab eis acceperunt; et ideo ad poenitentiam et lamentationem conversi[u], digna emendatione et restitutione abstractarum rerum et cum efflagitatione indulgentiae episcopi, studuerunt se cum Christo et cum sancta Maria matre eius pacificare. Non post multum vero temporis praefatus Arnolfus, qui se praesumpsit res sanctae Mariae hostiliter invadere, et incorrigibilis sine poenitentia perduravit, obsessa Radespona civitate, paratus ad praelium exivit, et statim in articulo tumultus
36 occisus est[36]. Quidam etiam homo de episcopatu qui dicitur Eihstete partem vilissimi mensalis inde ad suam proprietatem portavit; et statim a demonio occupatus, nullum abscondendi locum ab eo invenire potuit, neque in aecclesia neque extra aecclesiam neque aspersus aqua benedicta, ni iuxta eum semper videretur manere, donec ad Augustam regrediens, iniuste inde rapta reportavit[v], et episcopum cum scopis ei flagella imponere pro Christi nomine postulavit et insuper indulgentiam praefati delicti condonare; sicque liberatus a demonio salvatus recessit.

(41.) 12[w]. Ne[x] diu me ab incepta[y] taxatione subtraham, libet stilum retrahere ab enumeratione ex utraque parte obsessarum urbium et bellorum undique furentium et vicis-
37 situdine stromatum[z] diversorum[37]; sed potius, quomodo Dominus omnipotens per merita servorum suorum suum dignaretur populum liberare, libet recensere, ne diaboli[*] machinationibus ad suum perveniret exitium. Cum rex Otto in Alamannia propter eos, qui cum Liutolfo, filio eius, dicioni suae regalis potestatis contradicere voluerunt, cum exercitu conversaretur iuxta flumen quod Hilara[a] vocatur, in campo oppidi quod dicitur
38 Tussa[38], et ibi saepedictus filius eius Liutolfus cum alio exercitu obvius ad pugnandum

a) inimicos 3? 5. b) *deest* 2. c) heremanum 2. d) quodam 2. e) u. eorum 3. f) brachia 2. g) ab lutperto 1. a liuperto 2. h) contunsi 2. i) a. eius 2. a. honorifice d. c. in 3? 4? 5. k) sepelium 1. (*legit in codice quem secutus est:* sepeliū). l) *deest* 3. m) se r. 1. n) *ita* 1. *semper.* o) *ita* 1. p) *ita* 1. q) *novum caput incipiunt* 1. 2. 3. (3. c. XIII.) r) *deest* 1. 4. s) *deest* 2. 3. 4. 5. t) ciuitate 1. u) c. ab eis acceperunt 2. v) deportauit 2. w) XIV. 3. x) O ne 1. 3. y) incaepta 1. z) stramorum *superscr.* uel tumultuum 2. *) a d. 1. a) hilera 1.

36) Widukindus III. 37. 37) Widukindus III. 34—37. 38) Tussen sive Illerdissen ad Iller fluvium. Haec vero cum Widukindo non satis conveniunt, neque plane constat, sive sit pax ab illo c. 31. memorata sive cuius c. 38. mentio fit. Illa bello finem non imposuit, haec ante Ratisponam composita dicitur.

contra eum deveniret, et cum tanta vicinitate coniuncti essent, ut nulla ambiguitatis spe 954. detenti manerent in utrarumque partium multitudine, ni bellum ab eis committeretur[a]: tunc amabilis Deo Oudalricus episcopus in Deum tota fiducia confidens, assumpto Curiensis aecclesiae Hardperto religioso episcopo, legationes inter eos facere coepit, et ad pacis concordiam exhortare[b], et ne populus, qui a Deo illis commendatus est ad regendum, pro eorum reatu duceretur ad perditionem. Deo autem annuente, durae amborum mentes, patris scilicet Ottonis[c] et filii eius Liutolfi, de proficua ammonitione et doctrina venerandorum episcoporum in molliciam versae, pactum pacis inter se placitaverunt, et turbine belli mitigato, in sua cum pace redierunt. Tantis autem tunc praefatis tumul- (42.) tuum fatigationibus superatis, aestimaverunt, se aliquod spacium temporis in pace posse quiescere. Altero pro certo statim anno, quod est anno incarnationis domini nostri Iesu Christi 955, tanta multitudo Ungrorum erupit, quantam tunc temporis viventium homi- 955. Iul. num nemo se antea vidisse in ulla regione profitebatur, et Noricorum regionem a Danubio flumine usque ad Nigram silvam, quae pertinet ad montana, simul devastando occupavit, et cum Licum[d] transcenderet et Alemanniam occuparet, aecclesiam sanctae Afrae concremavit, et totam provinciam a Danubio usque ad silvam depraedavit, et maximam partem usque ad Hilaram fluvium igne combussit. Augustam autem civitatem obsedit[e], quae tunc[f] imis sine turribus circumdata muris, firma ex semet ipsa non fuit. Sanctus autem antistes magnam valde multitudinem optimorum militum secum intra septa civitatis collocatam habebat, ex quorum agilitate et audacia civitas fortiter firmata Deo iuvante consistebat. Qui ut exercitum Ungrorum ad expugnandam civitatem circumdare Aug. viderunt, eis obviam exire voluerunt. Sed hoc episcopus eis non consentiens, portam, ubi maximus aditus intrandi manebat, firmiter obcludere praecepit. Porta[39] autem orien- 39 talis plagae, unde itur ad aquam, sic a densitate Ungrorum bello occupata est, ut ipsi aestimarent, se statim posse intrare. Milites[g] episcopi ante portam viriliter pugnantes, eis resistebant, usque dum unus Ungrorum, qui caeteros pugnando antecedebat, et ex cuius ductu[h] et antecessione maximam praeliandi in illa hora confidentiam habebant, occisus occubuit. Caeteri denique, cum eum terra tenus mortuum cadere viderunt, magno timore[i] et lamentatione eum rapientes, ad castra reversi sunt. Hora vero belli episcopus super caballum suum sedens, stola indutus, non clipeo aut lorica aut galea munitus, iaculis et lapidibus undique circa eum discurrentibus, intactus et inlaesus subsistebat. Bello vero finito regrediens, circuivit civitatem, et domos belli in circuitu civitatis congruenter ponere, et in tota nocte eas aedificare, et vallos, quantum tempus suppetebat, renovare praecepit. Ille autem totum spatium noctis in oratione pernoctans, religiosas mulieres in civitate congregatas concitabat, ut una pars earum cum crucibus ad Dominum devote clamando intra[k] circumiret[l], et altera pars clementiam sanctae Dei genitricis Mariae[k] pro defensione populi et pro liberatione civitatis studiosissime pavimento prostrata flagitaret. Ipse autem minimam[m] particulam noctis ante[n] matutinam horam corpus requiei soporis indulsit, ut matutinis laudibus expletis, aurora primum inrumpente, salutaris sacrificii hostiam Deo libare licuisset. Ministerio sacro peracto, viatico sacro omnes recreavit, humilique ammonitione persuasit, ut in fide recta persistentes[o], spem suam in Dominum componere non dubitarent, indicens eis omnigenam sponsionem consolationis, et adnuntians[p] psalmigrafi David verba dicentis: *Si ambula-* Ps. 22, 4. *vero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Salubri autem (43.) ammonitione episcopi peracta, cum iubar radiantis solis primum latitudinem telluris irradiaret, exercitus Ungrorum inenarrabili pluritate[q] ex omni parte ad expugnandam civitatem circumcincxit, diversa ferens instrumenta ad depositionem murorum. Cumque undique parati essent ad bellum, et cuncta propugnacula civitatis repugnantium plena fuissent, quidam Ungrorum flagellis alios minantes ad pugnandum coegerunt; et illi tantam multitudinem in propugnaculis resistentium eis videntes, muris se coniungere, a Deo perterriti, non audebant. Interim cum interius exteriusque parati essent ad bellum,

a) commiteretur 1. b) exorare 3? 4? 5. c) *deest* 2. d) liquum 1. 2. e) *deest* 2. f) q. t. firmissime 2. g) M. enim 3. 4. 5. h) ductum 1. i) clamore 3. 4. 5. k) *deest* 2. l) circumirent 1. circuirent 4. m) *deest* 1. n) aut 2. o) persistens 1. p) adnuntiens 1. q) pluralitate 3? 4? 5.

39) Porta quam Iacobaeam dicimus. VELS.

955 Aug. Perehtoldus[a], filius Arnolfi, de castello Risinesburc[b. 40] vocitato, venit ad regem Ungrorum, adnuntians[c] ei adventum Ottonis gloriosi regis. Qui ut hoc audivit, suum classicum omni exercitui notum clangere[d] praecepit; de cuius sonitu exercitus totus pugnam civitatis omisit, et ad colloquium eorum regis se coniungere festinavit. Qui cum eis autumatione facta, Deo donante a pugna civitatis cessabat, et in occursum gloriosi regis ire coepit, ea ratione, ut illo cum suis superato, victor rediens civitatem et totum regnum libere habere potuisset. Regi Ottoni venienti Dietpaldus comes, frater episcopi, cum caeteris qui in civitate erant nocte exiens, in occursum regis venit. Rex igitur cum tantum exercitum Ungrorum perspexisset, aestimavit, non posse ab hominibus superari, ni Deus omnipotens eos occidere dignaretur; in cuius adiutorium confidens, suorumque consolationibus[e] principum roboratus, bellum viriliter cum eis agere coepit. Et cum Aug. 10. mutua caede utrobique cecidissent, et his interfectis, qui ad occisionem a Deo praedestinati erant, gloriosa victoria Ottoni regi a Deo, cui nihil impossibile est, data est, ita ut exercitus Ungrorum in fugam versus, virtutem praeliandi ultra non haberet; et quamvis incredibilis numerus illorum occisus fuisset, tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, ut hi, qui de propugnaculis Augustae civitatis eos venire conspexerunt, non pugna lacessitos eos redire aestimaverant[f], donec praetereuntes civitatem ulteriora Lici flumi- (44.) nis litora festinando repetere cognoverunt. Rex autem cum suis eos sequens, et quibus se coniungere potuit occidens, vespertina hora diei ad Augustam pervenit, ibique cum episcopo illam noctem ducens, eique magnam consolationis relevationem[g] faciens de Dietpaldo fratre eius, qui in bello occisus est, et de aliis eius propinquis ibidem interfectis, Riwinum[h] filium Dietpaldi comitatibus[i] patris honoravit, episcopique fido adiutorio, in quibuscumque eius desiderium cognovit, dignam mercedem restituit. Mane Aug. 11. autem facto, fugitivas barbarorum[k] acies sequendo, regionem Bawariorum[l] revisit, festinisque legatis missis, tota remigia et vada fluminum observare praecepit ad occisionem eorum; quod et ita factum est. Illi autem nocte illuc venientes, quidam eorum ab his qui in navibus erant fluminibus immersi sunt, quidam occisi sunt. Qui autem ad litus pervenerunt, ab his qui litora observabant interfecti sunt. Nulla eis via, et nullum devium[m] ab eis inveniri potuit, ni[n] in omni loco vindicta Domini super eos manifeste maneret, ita etiam, ut non post multos dies reges eorum[o] et principes comprehensi et ad Radesponam perducti, in ignominiam gentis eorum, cum aliis multis eorum comprovincialibus eculeo suspenderentur[p. 41].

(45.) 13[q]. Potentiam autem in Deo tenens rex Otto, Heinricum[r] fratrem suum potestativa manu in regnum confirmavit, et ipse in Saxoniam victor, sicut[s] solebat, revertebatur. Venerandus autem episcopus Oudalricus, cum rex ab[t] Augusta discederet, abiit ad loca, ubi bellum peractum est, quaerens praedictum Dietpaldum, fratrem suum, et nobilem Reginbaldum[u], filium sororis suae, et inveniens eos ad Augustam civitatem[v] perduxit, et in aecclesia sanctae Mariae ante altare sanctae Walburgae[w] virginis in sede unius tafi[x] ambos fideliter sepelivit. His ita sicut praelibatum est peractis, episcopus, quamvis multis adversis fatigatus fuisset, sicut optime omni speranti in Deo decet, bonae consolationis effectum assumens, cum suis fidelibus[y] pertractare coepit, qualiter immi- (46.) nentia dampna aptissime superare potuisset; in primis qualiter depraedatam congregationem clericorum sustentaret ad implendum cottidianum ministerium servicii Dei in aecclesia. Sciebat enim, eos cibaria non habere, et ideo cum his, quae ipse sic depraedatus habere potuit, et quae a benivolis populis ei transmissa sunt et oblata, assidue in sua praesentia eos secundum suam facultatem mandere et bibere fecit, et omnimodis adiutoriis stabilivit, eo usque dum ex semet ipsis depraedationis miseriam recuperaverunt[z], et loca eorum ex iterata laboratione sustentationis subsidium attulerunt. Sua

a) perchtolfus 4. b) Sisinisburg 2. risinespurich 4. c) ans ei adventum — c. 17. et timore perculsi *quaternione evulso desunt* 1. d) tangere 2. e) consolatione 2. f) estimauerunt 2. g) reuelacionis 2. h) *ita* 2. 3. rihuuinum 4. rihgwinum 5. i) comitatis comitantibus 3. k) b. a. s. r. *desunt* 2. l) bauuariarum 3? m) leuium 2. n) nisi 3. o) *deest* 2. p) suspenderunt 3? 4? 5. q) XV. 3. *et ita deinceps.* r) henricum 2. s) *deest* 2. t) ad 2. u) reginpaldum 3. v) *deest* 3. 4. 5. w) uualdpurge 3. x) tafi *corr.* tufi 3. y) *deest* 3? 5. z) temperauerunt 3? 5.

40) Reisenburg ad Danubium ex oriente Ulmae. 41) Ann. S. Gall. a. 955. Widukindus III. 48. Vita Brunonis c. 35.

autem loca ignibus exusta et consumptis frugibus in desolationem redacta studiosis laboribus in agris et in aedificiis renovare praecepit. Strenuitas autem familiae iussioni eius parendo sic inchoabat, et congruo tempore utilitatis usu, quantum possibilitas sufficiebat, restituit. Aecclesiam autem sanctae Afrae, quae a paganis fuerat cremata, adhuc reaedificata non erat; sed tugurium glossibus tectum altaria ab imbribus et intemperiebus defendebat. Sepulchrum Simperti[a] episcopi[42], in choro iuxta gradus 42
situm, adhuc sine tecto remanebat, de cuius operimento[b] in visione admonitus, lignis more operculi arte[c] coniunctis tegebat. Non post multum vero temporis decursum (47.)
iterum admonitus, ut domum sanctae Afrae reaedificare non tardaret; de cuius instauratione[d] cum saepissime tractaret, qualiter congruentissime fieri potuisset, et qualiter sub positione criptae orientalem plagam aecclesiae convenientissime decoraret, et nullus certitudinis effectus ei animo irrepsisset, continuis orationibus et ieiuniis cum domesticis et religiosis presbiteris devotissime misericordiam Domini[e] secreto deprecari coepit, ut ei monstraretur locus, in quo corpus sanctae Afrae collocatum fuisset, et si criptam in eo loco, ubi voluntas eius complacuit, fas componere maneret. Ut orationem eius et ieiunium ad aures Domini pervenire dubium non esset, secundum cantationem sancti David prophetae: *Ecce oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum,* quadam Ps. 33, 16.
nocte in visu ei sancta Afra apparuit, et locum collocationis corporis eius, sicut in scriptura passionis eius est[f] scriptum, ab Augusta civitate in secundo miliario[g] in aecclesia monstravit. Criptam autem in praedestinato loco fieri prohibuit propter sanctorum reliquias, quae in illo loco in requie expectare debent diem iudicii. Hac revelatione perdoctus quid sibi esset faciendum, muros ex maxima parte ab ignibus depositos cum magna festinatione reaedificare fecit, et priori altitudini mensuram unius cubiti superposuit, criptaque congruenti occidentalem partem aecclesiae decoravit, super[h] aedificia in sua praesentia caute mensurata summo studio excidere[i] et adducere praecepit; et non tardavit, donec imbricibus eam ex toto cooperuit, et interius aedem[k] aecclesiae laqueariis vestivit et lucida[l] decoravit, et ornamenta aecclesiae, quae propter barbaros in civitatem fuerunt deportata et in matrici aecclesia servata, restitui fecit.

14. Quam in[m] magna observatione Dei ille locus orientalis partis aecclesiae semper maneat, certis sit indiciis manifestatum, hic mihi congruum videtur innectere. Quidam hortulanus, nomine Adalpoldus[n], ibi deambulando inter gramina speluncam invenit; in quam intrans, formosam aediculam sub terra muratam conspexit, et veniens nunciavit episcopo, dicens: *In hoc loco possum holera mea et alia necessaria reponere.* Cui ille respondit, denuntiando dicens: *Si hoc facis, sensum et sospitatem menbrorum tuorum te perdere dubium non est.* Hortulanus autem verbis episcopi non credens, sine eius scientia praefatas res in eandem speluncam congregare coepit; hoc faciendo sensum cum auditu et visu perdidit. Hoc autem[o] cum episcopo nuntiatum fuisset, iussit adduci sibi hortulanum, et dixit ei: *Quare occupare voluisti illum sanctum locum, spernendo meum praeceptum?* Cui ille, quamvis sensu careret: *Non infitior,* ait; *scio enim, quod pro illo reatu, quod mandatis tuis non obedivi, istam tribulationem incurri.* Cuius tribulationibus benivolus episcopus condolens, indulgentiam ei cum benedictione donans, Deo concedente, sanitati restituit. Mirabile dictu, ille hortulanus postea illam speluncam nullo modo invenire potuit. Postea autem episcopus, polintoribus[43] accersitis, in australi parte exte- (49.)
rioris muri aecclesiae sepulchrum sibi fodere et exterius muro cingere, et perrupto muro aecclesiae, arcum muratum desuper curvare praecepit, et arcam aptam componere ad cooperiendum corpus in sepulchro, et insuper lignum[p] tabulatum densum longo tempore imputribile cauta coniunctione vinctum[q] superponi decrevit. His praeparationibus exequiarum suorum perpetratis, omni ebdomada dehinc ipsum locum die Veneris visitare et ibi hostias immolare consuetus erat, si alia aliqua ei occupatio vel absentia[r] impedimentum non fecit. Interea vero, Dei donante clementia, istas regiones concordia pacis illustrabat, et benivolas mentes turbo persecutionum a servicio Domini non prohibebat.

a) sinperti 3. sigiberti 4. b) operiemento 3. c) arcę 2. archam 4. d) reinstauratione 3. e) dei 3. 4. 5. f) *deest* 3. g) *autographum hic alia manu ad oram habet:* a loco ubi passa est. VELSER. h) *deest* 2. i) incidere 3. 4. 5. k) eadem 2. *ubi* aecclesiae — ornamenta *desunt.* l) l. pictura 4. 5. m) *deest* 2. n) dietpoldus 4. o) uero 2. p) *deest* 3. 5. q) iunctum 4. r) *deest* 2.

42) Sedit saeculo VIII. ex. IX. in. 43) sepulturae curatoribus.

Ideo ipse Romam pergere decrevit, et illuc feliciter pervenit, liminaque beatorum apo-
stolorum Petri et Pauli devotionis studio humiliter visitavit, ibique precibus profusis,
43 elemosinarumque largitate pauperibus dispensata, ab Albarico[43] principe Romanorum
honorifice susceptus est, frequentique ministerio et oblatione cumulatus, aliquantos dies
ibi perduravit. Cumque ibi morando reliquias sanctorum se velle comparare indicasset,
quidam clericus ad eum veniens, perduxit eum in silentio noctis, ubi caput sancti[a]
Abundi martyris in quadam aecclesia altari inclusum servabatur. Cuius passionem ei
ostendens et caput praesentans, sacramento firmitatem fecit super reliquias, quas epi-
scopus secum attulerat, eiusdem Abundi caput esse, cuius passio praesentialiter fuit per-
lecta. Cum autem sacramentum peractum audisset episcopus, placitam mercedem clerico
donavit, caputque sancti Abundi accipiens, ad Augustam secum reportavit, ibique ad
(50.) consolationem multorum gloriose inclusit. Monasterium vero sancti Galli, ubi ille scien-
tia litterarum perdoctus fuit[b], assidue visitavit, ibique Deo militantibus coenobiotis con-
vivium fecit; et inde ad cellam sancti[c] Meginradi perrexit ad videndum servum Dei
44 sanctum[d] Heberhardum[e.44] eiusque necessitatibus sibique subiectis monachis subvenien-
dum, in quibuscumque potuit eorum cognoscere voluntatem. Ultima vero vice Heber-
hardo vivente cum inde recedere debuisset, expleta multimoda amabilitatis locutione,
acceptoque cum orationibus in aecclesia permisso, ad vehiculum suae reportationis egres-
sus est. Cumque paratus esset ad pergendum, et eo die sanctum Heberhardum amplius
videre non putaret, subito post eum quasi festinando veniebat, et oscula caritatis iterans,
cum flebilibus oculis aiebat: *Ex hac hora ultra me non videbis, donec exempti corporibus
in praesentia Dei nos videre merebimur.* Cuius verbis respondens episcopus dixit: *Dul-
cissime pater, nunc scis, me certe cito de hoc seculo esse migraturum.* Cui ille respon-
dit: *Finis adhuc vitae tuae tibi non imminet; verba autem quae tibi nunc dixi vera esse
non dubites.* His verbis expletis, episcopus remeavit, et antequam iterum eandem cel-
958. lam revisitaret, Heberhardus feliciter migravit a seculo.

(51.) 15. Regionem quoque Burgundionum tempore alio adiit, et [ad[f]] Auganensium
locum[45], ubi sanctus Mauricius cum suis sequacibus propter nomen Domini martyrium
46 sumpsit, magnae humilitatis studio visitavit. Qui antea a rege Burgundionum[46] promis-
sionem accepit, ut unum de sanctis martyribus ex eius datione et adiutorio inde ad
Augustam referre mereretur. Et cum illuc die sabbati perveniret, monasterium noviter
940. a Sarracenis exustum invenit[47], et nullum de habitatoribus ibi conspexit nisi unum aedis
aedilem combustum monasterium custodientem. Cumque ille sacram noctem in Dei
laudibus ibi permaneret, et mane, cum radius solis primum latitudini terrae lucem dif-
funderet, missam de sancta Trinitate celebravit; qua expleta, alteram[g] statim venera-
tioni diei dominici congruentem celebrare coepisset, duodecim clerici cum multitudine
populi advenientes, ministerii sui celebrationem audientes, perstiterunt. Quo peracto,
sanctus episcopus eosdem fratres salutavit et muneribus honoravit, et ob quam rem
illuc deveniret notum fecit. Qui hilaritatis eius dulcedinem et sanctitatis religionem
persentientes, ne delectabili desiderio privatus abiret, aperta collocationis sanctorum
spelunca in scopulo exciso, plurima parte sanctarum reliquiarum donatum laetificaverunt.
(52.) Cum vero optabili licentia clericorum et amantissima dimissione populi inde rediret,
Constantiam civitatem causa orationis visitavit, et inde ad Augiam insulam[h] venit, et
48 ab Alewicho[i] abbate[48] caritative susceptus, et omnimodis commodis bene procuratus
est. Cumque amabili colloquio inter se sermocinarentur, omnia quae ei in itinere acci-
derant[k] nota fecit. Benivolentia autem abbatis, cum audiret eum pro amore sanctarum
reliquiarum exire, desiderio eius satisfaciens, non modicam partem de corpore sancti
Mauricii et de aliorum multorum sanctorum reliquiis ei donans, laetum abire permisit.
(53.) Augustae vero civitati cum appropinquaret, praemissis nuntiis demandavit, ut ad opti-
vum[l] donum sanctarum reliquiarum, quod secum attulerat, honorifice clerici cum

a) *deest* 2. b) f. p. 3. c) *deest* 2. d) *deest* 4. e) ebherhardum 3. f) *deest* 2. g) cum a. 4. 5.
h) monasterium insulanense quod Augia dicitur BERNO. i) aleuuico 4. k) acciderunt 3? 4? 5. l) optimum 2.

43) iam a. 954. obiit; ideo ante bella intestina et Ungrorum incursionem Oudalricus hoc iter susceperit
necesse est. 44) Obiit a. 958. 45) S. Maurice. 46) tunc temporis Conrado. 47) V. Flo-
doardi Ann. a. 940. 48) Sedit a. 934—958.

populo et cum crucibus et incenso pigmentorum aquaque[a] benedicta occurrerent, et suscipiendo gloriose, cum laudibus et melodiis congruis perducerent honorifice cum illo in aecclesiam in honore sanctae Dei genitricis Mariae consecratam. Illuc cum perductum esset, ab episcopo caute collocatum est in arcam auro et argento coopertam, ad laudem Dei omnipotentis et in auxilium populi advenientis, in nomine domini nostri Iesu Christi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum, amen. Talibus et his similibus studiis semper in Dei voluntate serviens, decertavit, qualiter episcopatum, quem ad regendum suscepit, omnigenis honoribus sublimare potuisset, et servicium Dei et sanctae Mariae Dei genitricis amplificare indefessus laborabat, et ideo ubique[b] gratia Dei praeventus, sicut in psalmis scriptum[c] invenitur: *Voluntatem timentium se faciet et* Ps. 144, 19.
deprecationem eorum exaudiet et salvus faciet eos, et secundum apostolum dicentem: Rom. 8, 28.
Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum et reliqua. Multiplicibus enim Dei magnificentiis honoratus, et firma fide confortatus, desideria voluntatis eius percipiens, multis in suis necessitatibus profuit, et possibilitatis suae potentiam, quantum potuit, humiliter celavit, quia multi, qui caduco morbo vexabantur, sanctitatis eius benedictione percepta, sospitati restituebantur, si, pro qua re benedictionem[d] expetivere, non indicaverunt; qui autem necessitatis eorum afflictionem manifeste nuntiaverunt, benedictione subtracta, causa humilitatis abire permisit, dicens: *Ego non sum dignus de hac infirmitate vos posse liberare*[e].

16. Sanctificatum vero oleum in die coenae Domini ab eo tam salubre effectum (54.)
est, ut multi in infirmitate positi ab eo uncti celeriter sanitati restituerentur, et multi caliginem oculorum habentes — et praesentis luminis se in hoc seculo munere carentes putavere — a tactu huius olei serenitate oculorum iterum uti meruerunt. Haec vero nemine[f] dicente comperiebam, sed propriis oculis in quam plurimis peracta conspiciebam. De ipsius autem episcopi recuperatione non oportet reticere, quia, cum quodam (55.)
tempore de monasterio sancti Galli redire ad Augustam civitatem decrevisset, Campidonam veniens, tam gravi infirmitate detentus est, ut ex se sine adiutorio aliorum ambulare non potuisset, et cibum ad recreationem corporis sumere vires non sufficerent; missis nuntiis celeriter ad Augustam civitatem, oleum ab eo consecratum sibi inde reportare praecepit. Cumque in vigilia pentecosten nuntiis revertentibus hora diei nona, cum adhuc congregatio monachorum solemni officio missae interfuisset, et ipse intra cubiculum sacrum mysterium auditum habuisset, oleum ei repraesentaretur: peracto sacro mysterio, monachi ad eum introducti sunt, praesentibus clericis, qui cum eo illuc devenerunt, et cantatis pro eius infirmitate septem psalmis, lętaniaque devote expleta, quendam sanctum monachum, Hiltine nominatum, ad claustrum revertentes fratres ad ungendum eum oleo sancto cum suis duobus presbiteris dimiserunt. Unctione vero peracta, secundum doctrinam Iacobi apostoli: *Infirmatur quis*[g] *in vobis, inducat* Iac. 5, 14.
presbiteros aecclesiae et reliqua, dixit episcopus praeposito: *Istis unctoribus meis cum caeteris meis comitibus in mea vice servicium congruenter exhibete cum his bonis quae nobis hodie concessit Deus.* Cum vero ad mensam prandendum consedissent, et adhuc prandium peractum non fuisset, nuntius de episcopo venit, dicens: *Laeto animo estote et recreamini cum gaudio, quia dominus noster episcopus, quamvis ebdomada praeterita vel bucellam panis ad refectionem accipere non potuisset, nunc Deo donante se reficit, et reducta sanitate est melioratus.* Qui, audito delectabili nuntio, omnes simul Deum laudantes et Deo gratias dicentes, hilares effecti sunt. Vespertina autem hora adveniente, et signo vespertinali in primis sonante, statim surrexit, et ad aecclesiam ambulavit, et ibi in Dei laudibus infatigatus permansit, donec vespertinalis laus a fratribus secundum cursum monachorum prolixe perficiebatur; et postea de die in diem confortatus, ex integro pristinae sanitati cito restitutus est. O quam magna multitudo dulcedinis Dei, qui illi hoc tanta velocitate ad remedium concessit, quod ille aliis ad medicinam, et ad indulgentiam peccatorum praeparavit, ut cum eius fide perfecta[h] caeteris plurimis fides confirmaretur[i]!

17. Tradere[k] quoque[l] me aliam rationem in hoc loco oportet, quam Herewigo (56.)

a) et aqua 2. b) undique 2. c) *deest* 2. d) *deest* 2. e) liberari 3. f) nemini 3. g) qui 2. h) percepta 3. i) confirmatur 3. k) Tramite 2. l) me q. 3.

capellano dicente comperi. Quadam die cum pro aliqua utilitatis causa super fluvium
49 Vindicem[49] nominatum caballicare debuisset, et ipse ab illuvie elevatus fuisset, et comites episcopi universi vadum rectitudinis devitarent, et alia vada aptiora quaererent, et idem ipse praenominatus Herewigus solus cum eo remaneret: ipse vadum, quod alii omiserunt, sine trepidatione transcendit, soccis de sago factis indutus propter frigus, quia hiemps erat. Praefatus vero Herewigus, flumine transgresso, ex cingulo deorsum, quamvis super altiorem caballum sederet quam episcopus, udus effectus[a]; et prospiciens in vestimenta episcopi si aqua infunderentur, sed nec in soccis unum pilum humidum conspexit, et ad episcopum dixit: *Ego uditate perfusus sum, et tuae celsitudini pilus in soccis non est madefactus.* Cui dixit episcopus: *Haec quae vidisti me vivente nemini*
(57.) *dicere praesumas.* Alio vero tempore, cum ad colloquium Ottonis imperatoris ad Ra-
961. Febr. desponam civitatem[50] navigando per Danubium venire decrevisset, quodam die, nautis incaute ante se conspicientibus, navis cuidam ligno importune coniuncta, aquis repleta immersionem omnibus minabatur. Perturbati vero omnes et timore perculsi, ad[b] litus magno studio navem perducere festinarunt. Navi vero aridae adducta[c], quae intra erant ad litora portaverunt; illius vero episcopi in posteriori rostro navis sedentis obliti sunt. Unus vero clericorum, Mesi nominatus, magno stupore attonitus, dixit: *Heu nobis miseris, quia seniori nostro in isto periculo adiutores non fuimus!* Et his dictis currens, per profunditatem aquae, quae in navi fuerat congregata, adsumptis brachiis episcopi, super humero eius evexit eum extra navem. Omnibus itaque expositis, et illo novissime egresso, navis in posteriori parte profunditati dimersa est. Quid mirum, si navis onusta eo insedente mergi non potuit, sed eo iubente super aquam stetit, qui beato Petro apostolo undas maris ad superambulandum propria voluntate firmavit? Et[e] non ex sua conditione, sed ex meritis in ea sedentis, interim[f] super aquas[g] natare cogebatur, donec cunctis stipendiis et oneribus relevaretur; postea vero inmersa nuntiabatur[h].

(58.) 18. Visitare[i] itaque Romam cum quodam tempore aestuanti animo desideraret, et ad fluvium nomine Târ cum perveniret, tam periculosum ex inundatione aquarum factum invenit, ut nullus ex utraque parte advenientium eo die vel alio se posse supervenire[k] speraret: sanctus episcopus in Deum confidens, paratura missatica se indui festinavit, et in litore fluminis cum suis comitibus missam devote celebravit; et post missam praefatum fluvium tanta commoditate transivit, ut nulli eius comitum aliquid adversitatis eveniret; sed omnes salvi et incolomes Deum laudantes gaudendo ibant per viam.

(59.) 19. Christi multimodis serviciis cum ferventissime insisteret, et undique amplificare studuisset, Deo donante excogitavit, propter cuiusdam sanctimonialis religionem[l],
51 [Emoza[m]] nominatae, ad aecclesiam sancti Stephani protomartyris[51] sanctimonialium congregationem componere, et regulae sanctitatis subdere, et sancto velamine Christo Deo desponsatas coniungere. Quod cum factum fuisset, quaedam mulier cum consensu conubia mariti despiciens, eidem congregationi ob futurae beatitudinis mercedem, oboedientiam professa, se admiscuit. Litterarum vero scientia ad perfectionem docta non manebat, ad exteriora autem necessitatis opera strenuitatem magnam habebat, et ideo aliae sanctimoniales eam cellenariam[n] facere voluerunt. Qua rennuente, episcopo nuntiatum est, et supplicatum[o], ut cum sua potestate ministerium cellarii commendaretur. Episcopus vero supplicationi assensum praebens, praefatam sanctimonialem cellenariam[o*] esse praecepit. Illa autem[p] praecepto episcopi non oboedivit, sed in pristina refragatione conata est persistere. Sequenti vero nocte in somnis audivit vocem dicentem sibi: *Quia non oboedisti praeceptis episcopi, ideo usu ambulandi privaris tam diu, donec ab eo absolveris.* Expergefacta autem dissolutam menbris ita se esse persensit, ut nullum ambulandi effectum habere potuisset. Hac infirmitate ligata, laboriose exspectabat[q]

a) e. est 2. b) *pergit* 1. c) adductę 2. e) Sic 3. 4. 5. f) nauis i. 3. 4. 5. g) aquam 1. h) nuntiabat 1. i) Visitante 2. k) uenire super eum 3. 4. 5. l) regionem 2. m) *deest* 1. 2. hicila 4. n) *ita* 1. 2. *i. e.* cellerariam. o) s. est 1. o*) cellenariam *corr.* cellerrariam 1. p) uero 2. q) exspectauit 1.

49) Wertach. 50) cf. Ann. Saxo a. 961. 51) *quae extra urbis moenia sita est,* Berno.

adventum episcopi. Interim vero adpropinquabat tempus synodalis colloquii, et episcopus ad Augustam revertebatur. Hoc cum infirma sanctimonialis audiret, rogavit, se portari in aecclesiam sanctae Mariae et obtutibus eius repraesentari. Cumque ad eius praesentiam veniret, humillimis precibus eius misericordiam deprecari coepit, ut ab affligentibus alligationibus infirmitatis ab eo absolvi mereretur. Audita eius deprecatione, episcopus de inoboedientia eam increpavit, et munere benedictionis simul et indulgentiae donatam dimisit. Cumque ab ea reverteretur episcopus, statim sanitati restituta, currendo praecessit episcopum, antequam ille perambularet aecclesiam, et ante celsitudinis eius praesentiam prostrata, Deum pro reddita sanitate laudando, promisit de inoboedientia ultra se fore emendaturam, et ad proprias mansiunculas laeta rediit.

20. Ymnizans sanctus episcopus Dominum, habili tempore postea aecclesiam in (60.) cimiterio[a] sanctae Mariae in modum crucis aedificare coepit. Et aedificatione peracta, altaribusque quinque in ea compositis, in honore sancti Iohannis baptistae dedicavit, et dolium baptizandi de petra excisum in ea constitui fecit. Et dote legitimatam[b] presbitero[c] ad procurandum in divinis officiis commendavit, et praecepit, ut matricularii in omni ebdomada die sabbati et in aliis solemnibus festivitatibus cum euangelio et crucibus et cereis cum Dei laudibus reverenter visitarent, et in pascali ebdomada, quam dicunt infra albas, quia tunc consuetudo est tres cantare psalmos ad vesperam, remanentes duos illuc deambulando cum antiphona et tono formosa modulatione perpsallere; et ipse persaepe ibi salutares[d] hostias Deo immolare consuevit.

21. Zoam[e] in ultimis temporibus suam salvare cupiendo, animo decrevit, quamvis (61.) vires corporis de die in diem decrescere sentiret, ut[f] limina apostolorum Petri et Pauli 971? devota intentione laborasset visitare. Cumque aliquantulum itineris peregisset in carpento, et ad difficiliores[g] vias perveniret, non potuit ultra iter peragere, antequam in lecto collocatus equis superpositus pergere coepit. Sicque pergendo, quamvis comitibus eius ubique periculosum videretur, Deo iuvante et sancto Petro apostolo, sine periculo pervenit ad Romam; votorumque ibi antea dispositorum et promissionibus devotissime expletis, et gratissimorum emolumentorum et indulgentiarum donis acceptis, permissoque salubri a sancto Petro et vicario eius pontifice caeterisque Deo ibi et sancto Petro militantibus honorabiliter accepto, felicem reditum iniit, et Ravennam visitare disposuit. Illucque cum adpropinquaret, imperatorem gloriosum Ottonem cum imperatrice Adalheida ibi manere comperit[52], et ante[h] misso nuntio, adventum eius illi indicavit; et ille sta- 52 tim nuntium sequendo, ad hostium cubiculi imperatoris pervenit. Imperator vero cum eum in tanta vicinitate manere agnovisset, uno pede calciato et alio adhuc incalciato, causa humilitatis et flagrantia divini amoris, eum ad suscipiendum amabiliter festinavit. Cumque in cubiculo, accersita imperatrice, suavi colloquio fruerentur, et alternis locutionibus diversarum rerum proventus terminarent, vir sanctus imperatorem cum auxilio imperatricis flagitare coepit, ut filio sororis suae Adalberoni procurationem sui episcopatus regimenque super familiam et omnia negocia secularia ad eum pertinentia fideliter firmiterque commendaret, et ut a celsitudine eius imperialis potentiae promissum consolationis accipere mereretur, ut post eius discessum cathedram episcopalis potestatis ei donaret, ut sibi maioris ocii ad studium orationis et aecclesiastici regiminis et christianitatis stabilitatem facultas concederetur. Cuius petitioni gloriosus et benivolus imperator assensum praebens, secularium negociorum commertia Adalberoni commendavit, et episcopalis honorem cathedrae post vitam episcopi, si Deus vellet, ei donare promisit, et insuper multis libris auri episcopum donatum amabiliter abire permisit, et eius mansiones cum alio necessario servicio cum suis fidelibus usque ad finem illius provintiae caute disposuit.

22. Episcopus autem et praefatus Adalbero cum laetabundi ad Augustam rever- (62.) terentur civitatem, honorifice, sicut decuit, suscepti sunt, et omnes qui ibi inventi sunt, comperta eorum prospera reversione et honorificatione ab imperatore eis facta, valde laetificati sunt. Tunc vero praefatus Adalbero, congregatis militibus episcopi, deside-

a) cymiterio 2. b) legitimam 2. c) prespitero 1. d) salutaris 1. e) Zonam 1. f) et 2. – g) dificilliores 1. h) ante se 3. 4. 5.

52) Annum 971. integrum fere Otto Ravennae deguit; etiam vere a. 972.

972. ravit, ut ei sacramenta fidelitatis[a] iurarent; quod et fecerunt in praesentia episcopi; similiter etiam[b] et familia per totum episcopatum fecit. Episcopus autem indumento more monachorum formato induebatur, quorum antea regulam multimodis virtutibus sequi consueverat. Cumque haec ita agerentur, propter quorundam clericorum aemulationem, qui se aestimabant post obitum sancti episcopi, imperiali celsitudine concedente, episcopatum posse adquirere, ferulam episcopalem publice portare praesumsit, ut eis tota spes adquirendi episcopatus adimeretur.

(63.) 23. Postea vero revertentibus de Italia imperatoribus, patre scilicet et eius proli[c],
Aug. ad Franciam, facta est synodus in loco qui dicitur Ingelunheim[d], ad quam archiepiscopi
Sept. cum caeteris suis suffraganeis[53] sanctum Oudalricum cum suis legatis honorifice invitaverunt, Adalberonemque[e] eius nepotem cum eo venire decreverunt. Illuc vero cum pervenirent, et antistites ibidem congregati Adalberonem baculum episcopalem publice portare cognovissent, irati sunt contra eum, et dicebant, ut contra canonicae rectitudinis regulam in heresim lapsus fuisset, et quod pontificalis honorem sublimitatis vivente episcopo sibi plus iusto vendicaret, et ideo ultra eum episcopum ordinari non deceret. Quibus ille auditis, prima die synodale colloquium intrare devitavit, et in alia domo cum caeteris clericis episcopi remanebat; antistes[f] autem cum paucis suis capellanis synodum intravit. Cumque inter se pontifices colloquia habere coepissent, uniuscuiusque rationem per latinitatis locutionem voluerunt terminari. Cumque causa sancti Oudalrici fuisset ventilanda, et ille[g] pro infirmitate tam sonora voce, ut tota synodus audire potuisset, rationem proferre non posset, advocabatur unus suus clericus, nomine[h] Gerhardus[i], qui extra synodum cum Adalberone remanebat, ut pro eo desiderii sui rationem per latinitatis locutionem manifestaret. Cumque vix pro densitate multitudinis in praesentia imperatorum et episcoporum praesens stetisset, interrogabatur, quid desideraret dominus suus. Quibus interrogationibus multiplicatis, dixit: *Non debeo interrogationibus vestris respondere pro domino meo, nisi illo*[k] *praecipiente.* Cui dixit episcopus: *Frater, bene tibi notum est desiderium meum; enarra hoc, et obsecra, ut eorum consiliis et permissionibus Deo iuvante expletum fiat.* Tunc praefatus clericus Gerhardus in praesentia omnium dixit: *Excellentissimi imperatores et religiosissimi antistites, desiderium domini mei est relinquere seculum, et secundum regulam sancti Benedicti sanctam inire vitam, et in contemplativa vita diem exspectare obitus sui. In indumento pro certo habitus exterioris potestis voluntatem cognoscere animi interioris.* Istis et aliis rationibus in voluntate domini sui in finem deductis[l], terra tenus cecidit ante pedes imperatorum et antistitum, obsecrans, ut petitionem domini sui secundum Dei voluntatem implere non dedignarentur. Qui simul respondendi indutias usque in crastinum diem postulaverunt.
(64.) Et postea inter se aestimaverunt, qualiter causa Adalberonis terminaretur. Quidam vero episcoporum Adalberonis adiutores fuerunt, ne prorsus a spe episcopalis ordinationis[m] post vitam avunculi sui excluderetur. Haec cum inter se prolixe sermocinarentur, ultima in unum ratione coadunati, omnes simul firmaverunt, nisi Adalbero se sacramento excusaret, quod non sciret, heresim manere quod episcopalem potentiam cum baculo arripuit, nullo modo ulterius legaliter episcopus fieri potuisset. Altera vero die cum episcopo etiam Adalbero synodali interfuit colloquio; et cum ei praedictum crimen imputaretur, multis obiectionibus diversorum colloquiorum cum suis adiutoribus a praedicto crimine se defendere studuit. Hoc cum[n] ei adunatio omnium episcoporum non consentiret, secundum praedictam destinationem[o] episcoporum sacramentum perfecit per nomen Patris et Filii et Spiritus sancti super quatuor euangelia. Tunc iterum episcopus Oudalricus petitionis suae responsa, quae pridie procrastinata fuerunt[p], per praedictum suum clericum expetivit, quia desideravit, ut praedictus suus nepos episcopus ordinaretur, et ille secundum regulam sancti Benedicti in monasterio cum eorum consensu Deo servire mereretur. Episcopi autem, quamvis eis ex toto non placeret, aperte

a) felicitatis 2. b) *deest* 3. 4. 5. c) *ita* 1. 2. d) ingelinheim 3. 4. iniggilheim 2. e) que *deest* 2. f) Antistites 1. g) ipse 2. h) n. 1. i) *codex Velseri alia manu in marg.:* iste Gerhardus scripsit legendam. k) *deest* 1. l) reductis 2. m) ordinatione 3. n) cu 1. o) destintionem 1. p) fuerant 1.

53) cf. diploma ap. Möserum hist. Osnabrug. II. p. 8. die 17. Sept. datum, ubi episcopi praesentes enumerantur.

ei in synodo contradicere noluerunt petitionem suam, sed sapientissimi ex ipsis cum consilio aliorum extra synodum eum ambulare cum illis postulaverunt, ibique cum eo et cum suis clericis sapientissimis secretam locutionem habuerunt, dicentes: *Reverende pater, cui nota est omnium aecclesiasticorum librorum normula, qui semper callem rectitudinis ambulasti non deviando, non decet, ut nunc viam*[a], *quam semper tenuisti, omittens, seminarium ex te sumat talis error, ut alius in loco tuo te vivente ordinetur, quia si ex te talis consuetudo incipit perpetrari, in posterum multis reverendis et bonis episcopis ab eorum nepotibus et clericis talia desiderantibus multa concrescunt adversa. Melius tibi est, ut in eo ministerio*[b], *in quo coepisti*[c] *Deo servire, permaneas, quam tuam voluntatem sequens aliis plurimis scandalum facias; quia ex te canonici et monachi et sanctimoniales et caeteri christiani ad rectitudinis statum debent constringi, qui ex semet ipsis per climata cadere festinant; qui autem incaute ambulando ceciderunt, ex te*[d] *erigi posse sperandi sunt. De nepote autem tuo Adalberone tuae voluntati satisfaciendo firmamus*[e], *ut nullus alius a nobis post tuum discessum ad illum locum, in quo tu*[f] *pastor existis, eo*[g] *vivente ordinetur nisi ipse.* His consiliis consentiens sanctus episcopus Oudalricus, cum eis in synodum regrediebatur, et tunc cum consensu aliorum antistitum fecit[h] ab imperatore Adalberoni commendari in eorum praesentia, procurationem sui habere, et sub ipso totius episcopatus cautam dispositionem in omnibus adimplere. Taliter vero istis terminatis, finita sinodo, episcopus et Adalbero cum suis ad Augustam revertebantur[i].

972. Sept.

24. Praedicta vero sinodus in autumnali tempore peracta est, et in antea paschali tempore adveniente, et sancta ebdomada finita, episcopus et Adalbero, amabiliter vocante Riwino[k] comite, Dietpaldi fratris episcopi filio, ad castellum Dilinga[54] nominatum venerunt, ut ibi aliquantos dies caritative cum eo et cum femina eius Hiltegart nominata manerent. Paucis itaque diebus transactis, Adalbero ibi cum fleotomo sibi sanguinem minui fecit, et postea cum episcopo ad coenam consedit, et de coena surgens in lectum se ad requiescendum deposuit. Cumque unusquisque ad suas divertisset mansiones, eadem nocte subitanea morte Adalbero defunctus est. Herewicus[l] eius presbiter[m] cum ad nuntiandum hoc episcopo cubiculum eius intraret, episcopus eius sermonem praeveniens, dixit illi: *Ecce Adalbero defunctus est.* Cui ille respondit: *Ideo ego huc intravi, ut tibi hoc nuntiarem. Nullus alius me praeibat ad te, et quomodo hoc scire potuisti?* Cui ille respondit: *Vade et suscita Riwinum et omnes qui nobiscum sunt, ut cito praeparent vehiculum, ut corpus eius ad Augustam ducamus civitatem.* Episcopus autem, missis ad Augustam legatis, praecepit, ut in aecclesia sanctae Afrae sepulchrum eius iuxta ipsius sepulchrum praepararetur[n]; quod et sic factum est. Ille autem cum his qui cum ipso erant imposuit corpus carpento, et antepositis equis, vexit ad Augustam cum frequentia populi. Matricularii autem cum crucibus et aqua benedicta et cereis et incenso et cum magna multitudine familiae caeterique populi adpropinquanti occurrerunt, et honorifice[o] suscipientes, cum[p] congruis orationibus et modulationibus perduxerunt ad locum sepulchri; et ibi expletis vigiliis, et salutaribus pro eius anima Deo[q] oblatis hostiis, episcopo animam omnipotenti Deo commendante, corpus devotissime sepelierunt. Commendatione autem corporis peracta, et episcopo cum tristitia redeunte, universi fletu et lamentatione et magna moestitia in suas reversi sunt mansiones, pro eo quod ex nobili genere[r] ortum et formosum et grammaticae artis bene doctum et in Dei servicio studiosum et in bonis operibus strenuum et in eloquentia dulcisona[s] cautum, in donando largum, in adversis aliorum[w] tristem, multarum virtutum opulentia[t] cumulatum, in adiutorio miserorum festinum, multimoda benivolentia ornatum virum, tam cito depositum, omiserunt[u].

(65.) 973. Apr.

25. Religiosus[v] autem antistes, misso legato, nuntiavit imperatori obitum praedicti nepotis sui, et abpatiam[w] Utenbura[x, 55] nominatam, quae ipsi[y] a sua imperiali potentia concessa erat, postulavit sibi donari, non causa avariciae, sed ea intentione, ut coeno- (66.)

a) istam uiam 3? 4? 5. b) mynisterio 1. c) cępisti. deo seruire p. 1. d) te Deo iuvante 4? 5. e) in commune f. 3. 4. 5. f) tu nunc 2. g) aduiuente 2. h) f. tunc 1. i) reuertebatur 1. *Miraculum quoddam in altero exemplo hic sequebatur, quod quoniam infra iterum repetitur (Mir. c. 16.) visum omittere.* VELS. k) rihuuino 4. l) hereuuigus 2. 3? m) prespiter 1. *saepius.* n) praeparetur 1. o) horifice 1. p) *deest* 2. q) *deest* 2. r) *deest* 2. s) dulcissona 1. t) obpulentia 1. u) *ita* 1. 2. 3. v) Meliones antistes 2. w) *ita* 1. 2. *hic et in sequentibus;* abbatiam *reliqui.* x) utenpura 2. otenburc 3. y) sibi 2.

54) Dillingen. 55) Ottenbeuern.

973. biotis ibidem Deo servientibus deliberationem, quam ille eis antea conscriptam et sigillatam ab eodem imperatore donari impetravit, cum[a] Dei adiutorio restituere potuisset. Imperator autem per eundem nuntium abpatiam concessit, et consolationem magnam[b] et multimodam salutem remandavit. Nuntius autem cum reverteretur[c], invenit episcopum
(67.) in loco qui dicitur Staphense, et haec praedicta narravit. Paucis vero diebus postea revolutis, adhuc ipsi in eodem loco manenti per nuntium quendam, orationis suffragia
Mai. pro anima imperatoris poscentem, obitus eius illi adnuntiabatur[d]. Inde vero cum[e] ad Augustam rediret, venerunt nepotes sui, Riwinus comes, filius fratris sui Dietpaldi, et Hupaldus comes, filius fratris sui Manegoldi, et rogaverunt illum, ut pergeret ad oppi-
56 dum quod nominatur Witegislinga[56], et illis monstraret[f], qualiter aecclesiam ibi sitam[g] — ubi corpora suorum parentum terrae commendata fuerant, de qua ipse saepe eos antea praemonuit, ut eam meliorarent, et eadem corpora in illam includerent[h], ne ultra a pluviis domatum infunderentur — ordinare et[i] quantae magnitudinis eam facere debuissent. Sanctus vero episcopus, quamvis certissime sciret, in proximo manere sequestrationem corporis et animae suae, tamen pro divino amore et pro eorum amabilitate illuc perrexit, et provida ordinatione eandem aecclesiam super praefata corpora amplificari perdocuit, ibique cum nepotibus suis aliquantis diebus moratus est, et inde ad castellum Sunnemotinga[57] nominatum propter petitionem Manegoldi, fratris praedicti
(68.) Adalberonis, pervenit. Cumque in itinere, antequam illuc pervenirent, in campo propter herbam iuxta villam quae dicitur Gerilehova castra metati fuissent, cum sol occasui radios suae lucis inserere coepisset, venit quidam homo, qui[k] dixit, Chounradum[l] episcopum certissime defunctum fuisse, et nominavit diem obitus sui et diem collocationis corporis[m] eius in sepulchrum. Hac fama audita, clerici et alii comites eius stupefacti effecti sunt; et statim aestimaverunt, nuntium ad Augustam mittere, ut pro eius anima solitae orationes explerentur. Quibus sanctus episcopus blando sermone infit, certissime[n] rei veritatem sciens: *Desistite[o] adhuc nuntium mittere, mane diluculo comperietis, qualiter circa episcopum maneat.* Crastina vero die diluculo quidam homo de Constantia venit, et de obitu episcopi veraciter contradixit, et eius possibilitatem secundum suam[p] consuetudinem esse nuntiavit. Sanctus autem episcopus Oudalricus coeptum iter peregit, et ibi quasi ad convivium vocatus, post expletionem salutaris hostiae, quam cottidie per se, quamvis viribus corporis valde esset destitutus, Deo persolvere satagebat, cum convivantibus cottidie ad mensam sedebat, et nullum corpori cibum exhibuit, nisi micas panis aquae infusas in os misit, quas etiam saepissime aquis exspoliatas de ore reiecit.
(69.) Haustibus vero aquae interdum corpus, cum adhuc ad mensam sederet, reficiebat. Consummatisque ibi rebus, pro quibus illuc vocatus est, abire coepit et altera die ad locum qui dicitur Oumintinga[q] pervenit, et ibi ad se convocatis monachis de monasterio Utenbura nominato, autumare cum eis et cum suis fidelibus provide coepit, quomodo deliberationem, quam eis antea, sicut praedixi, ab imperatore impetraverat, restituere potuisset, et dixit eis: *Eligite ex vobis unum ad abpatem[r], qui in Dei servitio utilis et vestris necessitatibus possit cautus inveniri. Si illum eligitis qui mihi ad hoc placet, commendabo[s] illi abpatiam usque in praesentiam domini mei imperatoris; sin autem alium nisi mihi placentem eligitis, non illi commendabo.* Qui respondentes dixerunt: *Nominet nobis sanctitas tua hunc qui tuae dominationi placitus sit ad electionem nostrae unitatis.* Tunc dixit eis: *Roudungum fratrem vestrum ad hoc nominabo ministerium.* Quibus auditis, fratres inducias postulaverunt, donec omnes simul loquerentur, si haec electio cum omnium fratrum consensu fieri potuisset. Cumque in loco destinato collecti fratres colloquia inter se habere coepissent de praefata electione, quibusdam fratribus placuit, quibusdam displicuit; sed tamen cum consilio amicorum roborati, episcopi voluntati[t] parentes, in unum coadunati Roudungum ad abpatem elegerunt. Et cum eo ad episcopum regredientes, unitatis eorum electionem ei nuntiaverunt. His auditis episcopus, assumpto baculo, com-

a) c. d. a. *desunt* 3? 5. b) *deest* 1. 4. c) uerteretur 2. d) adnuntiebatur 1. e) *deest* 2. f) monstraretur 1. g) edificaret 2. h) recluderent 2. concluderent 3? 4? 5. i) *deest* 2. k) et nunciauit 2. l) Cŏnradum 2 m) *deest* 2. n) per secretum nuncium sibi adesse solitum sciens. BERNO. o) desistente 1. p) *deest* 1. q) ŏttinga 4.? r) *ita* 1. s) comendabo 1. t) uoluntate 1.

56) Witteslingen e septentrione Danubii. 57) Sulmedingen haud longe a Biberach situm.

mendavit abpatiam praefato Roudungo usque in praesentiam imperatoris, qui tunc in 973. imperio patri suo aequivoco successerat, et illum commendavit suis nepotibus et aliis Iuni. suis fidelibus, ut eum celsitudini imperatoris praesentarent, et illis cum fide ei iuvantibus ab eo haec confirmarentur. His ita expletis, propriam sui episcopatus revisitavit sedem.

26. Moenia autem Augustae civitatis[a] introgressus, magna tristitia septus est pro (70.) morte Adalberonis sui nepotis, et pro obitu imperatoris, cui semper fidem servavit in omnibus, cuius etiam amor pectori eius firmiter conglutinatus est. Pro requie vero animarum amborum multas elemosinas largitus est pauperibus, et multas orationes et preces ad Dominum cottidie effudit, ut eis misereri dignaretur. Missarum vero officia cottidie celebrare non desistebat, quoadusque vires corporis sic subtrahebantur, ut nullo modo ultra per se stare potuisset. Ad mensam vero sedebat, et sedentibus cum eo convivium faciebat; et ille quasi ieiunus absistebat, et postea in aecclesia vel in cubiculo suo dulci cantatione psalmorum vel auditione lectionum sacrarum recreatus est. Vires vero corporis cum ei ita defecissent, ut per se missam cantare non potuisset, cottidie in aecclesiam introductus devotissime eam audire et interim orationibus intentis insistere non desistebat. Pro certo post missam expletam cum cubiculum intraret, repausationi[c] lectuli se non commendavit ante horam vespertinam[d]; sed super sedile suum calciatus consedit, et interdum se super pulvillum in dexteram partem reclinavit, interdum ad sinistram, et[e] interdum sedens ad dorsum super posteriora sedilis in quo sedebat reclinavit. Et post expletionem cursus et totius psalterii, legente Gerhardo praeposito, sacrorum lectiones librorum audivit, et interdum cum eo inde dulci eloquio fruebatur. Cuidam vero eloquio inter ipsos[f] finito, praefatus clericus interrogavit eum dicens: *Habes spem pro ista infirmitate, domine, obitum tuum tibi imminere?* Cui ille, quasi eum increpando, respondit: *Quare sic dixisti? Non spero, sed certissime cognosco, diem obitus mei non post multos dies mihi evenire.* De qua re presbiter contristatus, indulgentiam postulavit, et dixit illi: *Domine, quem episcoporum praecipis vocare ad commendationem corporis tui?* Cui ille respondit: *Eo tempore quando anima mea derelictura est hoc corpus, non potestis ullum eorum huc advocare, quia comprovincialis meus Kounradus episcopus tanta infirmitate detentus est, ut huc venire non possit. Episcopi vero Bawariorum[g] ad regale colloquium ad Franciam[58] sunt congregati.* At ille inquit: *Domine, quid tunc facere debemus?* 58 Cui sanctus episcopus dixit: *Nostis corpus hominis terrae commendare?* At ille ait: *Si talis persona esset, super quam commendatio nostra fieri debuisset, timorem inde non haberemus.* Cui episcopus dixit: *Facite de hac re, cum tempus advenerit, sicut optime potestis. Dominus commendatorem corporis mei providebit.* Et his dictis, praefatus presbiter iterum lectionis usum adsumpsit, et in ea, sicut solitus erat, usque dum[h] sonante signo vespertinalis laudis hora adnuntiabatur[i]. Lectiones vero fuerunt vitas[59] patrum[k] sanctorum et liber sancti Gregorii, quem dialogorum vocant[l], 59 cuius ultimus liber disputat multum de his, qui de corpore rapti in spiritu multa viderunt et iterum ad corpus redierunt. Taliter vero conversando formosissime exspectabat (71.) diem obitus sui, et interdum in spiritu plurima videbat, de quibus pauca his qui cum eo erant narravit. Interea vero Werinhario[60] abpati de monasterio Vulta nominato, 60 causa visitationis ad eum venienti, inter alia dixit: *Tu post me hic deberes[n] episcopus fieri. Omnes te elegerunt nisi duo. Hi vero duo si aliis concordarent, electio tua sine dubio perfecta fuisset.* Et his dictis, manus Attelini[o] tunc vicedomni et manus Hiltini camerarii comprehendens, suae fidelitati commendavit, et cum caritate eum permisit[p. 61]. Altera vero vice quadam die quasi de gravi somno expergefactus, ei assidentibus et haec audientibus ait[q]: *Heu! heu! quod illum nepotem meum Adalberonem[r] umquam[s] vidi, quia pro eo, quod ei consentiebam secundum desiderium suum, nolunt me inpunitum*

a) *deest* 2. c) rebausationi 1. d) uespertinalem 2. e) *deest* 1. f) ipsis 1. g) bauuvariorum 1. h) *deest* 1. i) adnuntiebatur 1. k) s. p. 2? 5 l) uocan 1. n) debes 1. 4. o) atelini 1. p) abire p. 3? 5. q) infit 4. r) *deest* 2. s) non 2.

58) Wormatiae, ubi imperator d. 17—28. Iunii moratus est. 59) *Vitas* efferre solebant sine flexione. MAB. 60) quem sancti Oudalrici materterae filium dicit Brower ap. Schannat hist. Fuld. Cod. Probb. p. 21. 61) verte: *beurlaubte*, ut supra permissum accipere: *Urlaub erhalten.*

973. *in suum recipere consortium.* Et his dictis, statim tacuit. Virtus vero corporis de die in diem decrescens, in tantum deficiebat, ut aecclesiam intrare nisi a duobus susten- (72.) tatus non potuisset. Cum vero in die natali sanctorum Marci et Marcelliani[a], quod est Iun. 18. 14. Kal. Iulii, aecclesiam introduceretur, ut missam audiret, peracta missa, ad sanctam[b] crucem tapetium sibi deponi praecepit, et se super illud prosternebat. Ibi vero cum quasi dimidiam horam iacuisset, surrexit, et camerarium Liutpoldum presbiterum ad se venire fecit, et cunctas suas res, quas ille in ministerio habebat, in praesentiam sui portare praecepit et ponere ante altare, nisi unam paraturam domus et mensarum et unum coopertorium mardrinum ad servicium sui successoris dimisit. Cum vero ante eum posita[c] fuissent, et ille ea conspexisset, dixit: *Quid mihi haec omnia nunc debuerunt?* Quamvis vero illi plurima viderentur, numerus eorum maior non fuit nisi pauca camisalia et septem vel octo mensalia et duo sarcilia et decem solidi[d] argenti, quos in manum Gerhardi praepositi commendavit statim ad erogandum pauperibus. Caetera vero omnia disposuit dividi inter clericos eiusdem loci. De vestimentis suis misit Atoni[e] venerando viro, quem ille antea ad Utenburam[f] in Dei nomine inclusit. Cuidam etiam Rouzoni, mobilitate menbrorum carenti nisi de brachiis sursum, cui domicilium in cymiterio[g] Kampidonensis monasterii more lectuli a terra sublevatum aedificatum erat, ut ea quae digesta ab eo fuerant terra tenus cadendo[i] a domicilio separarentur, indumenta 62 transmisit; quia antea, cum episcopus in eodem monasterio moraretur[62], praedictum pauperem per se ipsum visitavit[k], et eius locutionis dulcedinem libenter audiebat, quia idem ipse praedictus pauper clauso ostiolo semper in Dei laudibus et orationibus die ac nocte morabatur. O, quae lingua virum tantae benignitatis enarrare potest? qui in ultimis positus, tanto spacio adhuc interposito, Christum vestire non omisit, pro eo certe, quia ei semper aderat, qui ab eo sua menbra vestiri volebat. His vero praedictis dispensatis, praecepit vicedomno caeterisque quibus voluit suis fidelibus ac ministris, ut in[l] cunctis locis ad suum servicium pertinentibus cuncta quae in eis inventa fuissent in tres partes dividerentur, et tertia pars presbiteris pauperibusque provida dispensatione statim eo vivente donaretur[m]; quod et factum est. Pro certo quamvis

a) marcellini 2. b) aecclesiam 2. c) ante p. eum 1. d) solidos 1. e) Ottoni 2. hattóni 4. antonio 5. f) uttinburam 2. g) cymitherio 1. i) cadenda 1. k) saepe v. 5. l) *deest* 2. m) donarentur 2? 3? 5.

62) Oudalricus hoc monasterium a rege Ottone commendatum habebat; cf. diploma ap. Neugart cod. dipl. Alam. I. p. 605. et Notitiam de libertate abbatis eligendi restituta, quam ex Mabillonio (Act. V. p. 476.) repetere iuvat: *Omnibus spem vitae gerentibus et adhuc in posterum nascentibus notum sit, quod primo Ottone principatum regni procurante, sanctissimae memoriae Uodalricus Augustensis civitatis episcopus Campidonensis monasterii ovile de manu praedicti principis suscepit, et ad ipsum, non avaritiae vel austeritatis causa, sed pro augendo sanctae Mariae servitio, paterna provisione procuravit. Per id tempus duobus electis fratribus in eodem monasterio militantibus vir venerabilis sui laboris pondus commendans, Moysen legiferum vatem imitatus est, qui frequentia populi fatigatus, Aaron et Hur adiutorio sublevatus. In eadem vice sanctus Uodalricus unum nomen habentem Liuterich infra claustrum fratribus Deo servientibus decanum et magistrum fieri destinabat, alterum Irminhart vocatum in praepositura saecularis negotii desudare praecipiebat. Huic Irminhardo in exterioribus rebus prudenter conversanti, et dignis meritis suis bonam famam in contiguis partibus et in regis foribus promerenti, placuit, ut aliquod remedium suae animae praepararet, et ut in honore Dei basilicam fundo tenus construeret. Quam ut mente disposuit, Dei adiutorio et optimi episcopi consilio, operis expletione perpetravit, et hanc ipsam ecclesiam in pomerio fratrum honorifice constructam Deo dignus Uodalricus episcopus in honore sanctae crucis et sancti Herasmi et sancti Nicolai confessoris 7. Idus Maii dedicavit, et coram multitudine cleri et populi episcopali sententia decrevit, ut unus ex fratribus, qui in regulari vita morum excellentia dignus fuisset, eandem ecclesiam quotidiano obsequio provideret, et quotidie sui, videlicet episcopi, annonam de cellario fratrum pleniter acciperet. Dedicatoque altari, vir sanctus, omni pietate circumseptus, in legitimam dotem unum mansum in Ironingewe, et dimidium in Lietenbere, et tertiam partem in Heimirtingen donans, et adhuc ex tali paupertate ecclesiam non posse procurari existimans, unum mancipium, quod vocabatur Madelbreht[a], cum novali, quod primus ex viridi silva in monte Chnieboz coepit, adiuncta manu Salechonis advocati, in hoc altare contradidit. Dehinc sacerdotali veste indutus, coram populo publice dixit: „Si qua persona huic ecclesiae vel altari aliquid horum quae dedimus abstrahat, huic aeternae vitae ianuam intrare non liceat, et ab hac luce sequestretur, quam in conspectu Dei omnis iustus feliciter contuetur“.*

a) madelbreth *Mab.*

corpus gravi infirmitate detentum fuisset, sensus et animus et voluntas occupari non 973. potuerunt, nisi piis insisterent intentionibus.

27. Die itaque sancto nativitatis sancti Iohannis baptistae, hora diei[a] prima, quasi (73.) repente de somno suscitatus, dixit camerariis suis: *Induite me vestimenta mea et calcia-* Iun.24. *menta.* Qui haesitantes propter magnam eius infirmitatem, si haec in extasi mentis vel in capacitate sensus eis praeciperet, implendo tamen praeceptum eius, induerunt eum vestimenta eius et calcios. Statim autem paratura[b] se missatica indui praecepit. Cumque paratus fuisset, perambulavit matricem aecclesiam, et ad aecclesiam sancti Iohannis baptistae, quam ipse antea aedificaverat et in honore eius consecraverat, pervenit; ibique[c] missam, quam anniversariis solemnitatibus mane diluculo cantare consueverat, potenter et caute explevit; illaque finita, statim publicam[d] missam iniit, et devotissime Deo iuvante in finem stando gloriose peregit. Ambas vero missas cum stando sine adiutorio aliorum cum benedictionibus decenter ad finem perduceret, consedebat, et astantibus sibi clericis dicebat: *Haec ministeria, quae nunc Deo donante peregi, ex possibilitate corporis mei non assumpsi, sed ex praecepto; hodie enim cum in lecto quasi sopitus*[e] *somno iacerem, steterunt coram lectulo meo duo viri iuvenes, formosissimi aspectu, e quibus mihi unus dicebat: „Quare non surgis? Debes enim hodie ad Sanctum Iohannem*[f] *missam celebrare". Cui alter respondit*[g]*: „Quomodo potest hoc fieri? quia pro inpossibilitate corporis primam adhuc non explevit." At ille, qui antea locutus est ad me, dixit: „Surge et secundum meum sermonem Dei ministerium in praefata aecclesia implere festina, quia hodie praeter te nullus alius ibi missam cantabit."* His vero dictis, ad cubiculum regressus est. Cumque diem obitus sui devota mente et laeto animo et secundum (74.) verba psalmigrafi David dicentis: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita* Ps. 41. *desiderat anima mea ad te Deus*, exspectaret, quamvis verbis non dixisset, factis tamen 2. manifestavit, quod de hoc seculo se migraturum esse in vigilia apostolorum Petri et Iun.28. Pauli putavit. Eadem die antequam vespertinalis laus inciperet, et cum a custodibus omnes simul campanae[h] ad sonandum moverentur, balneatus et paratura, quam ad obitum suum conservatam habuit, indutus, se quasi defuncturum deposuit. Finita autem vespertinali laude, aliis iuvantibus se, a terra levavit, et quasi secreto dixit: *O sancte Petre, nunc non fecisti sicut ego aestimavi.* Et quasi animo aliquantum[i] de hac re mente consternatus manebat. Praefatus autem presbiter Gerhardus dixit ad eum: *Domine, noli contristari, sed recordare, quia aliis sanctis episcopis similiter contigit. Uni enim*[k] *dictum est: „Circa natale apostolorum de hoc seculo ad requiem es perducturus*[l]*." Is cum speraret, se in natale*[m] *apostolorum obisse, induciae ei prolongabantur usque in octavum diem, et tunc defunctus est. Cassio*[63] *Narniensi episcopo per quendam presbiterum* 63 *ab angelo flagellatum dictum est: „Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, age quod agis, operare quod operaris, natali apostolorum venies ad me." Episcopus autem aestimans, in solemnitate apostolorum, quae tunc proxima erat, sibi obitum suum imminere, in quibuscumque potuit ad depositionem corporis sui praeparare se*[n] *studuit. Solemnitate itaque adveniente, sanus permanebat et incolomis*[o]*, et sic mansit, donec curricula septem annorum praeterirent; et tunc in eodem die, sicut ei dictum est, multis bonis praemissis, et sacro ministerio expleto, feliciter migravit a seculo.* His auditis, sanctus episcopus vera esse recordatus est, et respondit ei dicens: *Bene dixisti, frater.* Et relevatus mente, bono animo manebat, et cum eo manentibus dulcem et commodum se exhibebat, nullum obiurgans, nullum increpans, nulli iratus, nulli molestus, nulli adversus, nullum verbum alicuius lamentationis ab eo audiebatur; sed bona omnia, quae tunc potuit, praesentibus et absentibus fecit. Nemini indulgentiam negavit, gratia suae benedictionis omnes consignavit. Praedictus vero Riwinus comes, nepos eius, adhuc de regali locutione non (75.) revertebatur. De quo interdum dicebat: *O Riwine, utinam me vivente venires, ut te viderem.* Eo anno solemnitas apostolorum Petri et Pauli dominica die eveniebat[p], de qua Iun.29. optimis moribus, sicut praedixi, exspectabat, donec dies quintae feriae pertranssisset. Iul. 3.

a) b. die p. 2. b) paturatura 1. c) et ibi 2. d) puplicam 1. e) sobitus 1. f) i. baptistam 3? 5. g) respondebat 1. h) campanas 1. i) aliquantulum 2. k) *deest* 2. l) perducendus *e corr.* 2. m) se inatale 1. n) *deest* 1. o) incolomes 1. p) euenibat 1

63) V. Gregorii Magni homil. 37. in Evang.

973. Iul. 4. In illa nocte, anteaquam aurora sextae feriae bene cognosci potuisset, asperso cinere in modum crucis, et aqua benedicta aspersa, se deponi fecit, et sic iacebat, usque dum aurora cunctam latitudinem orbis inluminaret. Tunc Riwinus de palatio rediens intravit, et legationem imperatoris eo audiente recitavit. Eo scilicet viso legationeque audita, oculos levans, secundum suam possibilitatem gratias agebat Deo omnipotenti, qui secundum Ps 144, 19. dum dicta David prophetae: *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet.* Riwino autem exeunte, statim eadem hora, clericis lętaniam devote canentibus, animam Deo commendans, anno incarnationis domini nostri Iesu[a] Christi 973. aetatis suae[b] 83. ordinationis autem 50. quarto die Iulii, 4. Non. eiusdem mensis, die Veneris, felici obitu, quasi suavi somno soporatus, ergastulo corporis exemptus migravit ad requiem. Pro certo sanctum corpus cum ad lavandum more solito denudatum fuisset, suavi odoris fragrantia[c] nares omnium ibi manentium replevit, et tamdiu permansit, quoadusque corpus lavatum[d] praedestinatisque vestibus indutum et (76.) feretro impositum, in aecclesiam portaretur. Clerus nempe cum audiret, quod episcopi Bawariorum[e] de praedicto colloquio redirent ad suam provinciam, misso legato, voluerunt archiepiscopum[64] Fridericum ad commendationem sacri corporis vocare. Cumque ad illum nuncius perveniret, invenit eum tanta infirmitate febrium detentum, ut nullo modo advenire potuisset. Misso autem cum tristitia inde revertente, audivit, quod vene-65 randus episcopus Wolfgangus ad locum qui dicitur Nordilinga[f. 65] venire voluisset; in occursum eius festinavit. Ad eum certe cum perveniret[g], salutatus ab eo audivit, quod Augustam civitatem pergere voluisset, visitare sanctum Dei[h] servum Oudalricum in infirmitate detentum. Cui ille respondit: *Dominus sanctitati tuae praecepit visitare eum, et ego ad hoc veni, ut nuntiarem tibi, quia defunctus est, et de omni congregatione ibi Deo militante te*[i] *flagitare, ut festine venires et sanctum corpus terrae commendares.* Quo audito, sanctus episcopus magna moestitia septus est; et[k] in eadem nocte diluculo surrexit, et ad Augustam pergere coepit. In itinere vero[l] cum cognovisset, quod ad[m] congruum tempus illuc pervenire non valeret, praemisso eodem legato, nuntiavit adventum eius. Interim vero corpus in aecclesia sanctae Mariae a congregatione die noctuque cum orationibus et missarum celebrationibus caute et devote custodiebatur usque in Iul. 6. diem dominicam. Die vero dominica post primam missa[n] pro eius anima celebrata, congregato clero, et sanctimonialium congregatione adveniente et magna de provinciis multitudine populi, presbiteri levaverunt corpus, et ad Sanctam Afram, ubi antea sepulchrum eius praeparatum fuerat, portare coeperunt. Cumque venirent ad collem qui dicitur Perleihc[o], praefatus nuntius venit, et adventum Wolfgangi episcopi[p] nuntiavit. Illi autem perducentes corpus in aecclesiam sanctae Afrae, et item missam sacrificalem cum omni devotione pro requie eius animae celebraverunt. Episcopus vero cum adhuc non veniret, et hora diei non tardaret, nisi tempus celebrationis publici[q] Dei ministerii immineret, et hoc cum omni devotione a congregatione clericorum perficeretur, venit praefatus episcopus. Qui cum honorifice susceptus fuisset et orationi finem imposuisset, salutatis a se fratribus, dixit: *Quid vobis videtur: an hodie sacrum corpus commendamus, vel ad alterum diem procrastinemus*[r]*?* Cui fratres respondentes dixerunt: *Si tuae sanctitati placet, nobis bonum videtur, si omnibus*[s] *qui nunc hic in praesentia sunt adnuntiatur, ut mane congrua hora huc ad commendationem sacri corporis conveniant, et a*[t] *te salutaris hostiae munus nobis sacrificantibus pro requie eius animae Deo offeratur; quia congrua hora praeterita est, et tu es magna lassitudine septus.* Quibus auditis, episcopus (77.) consilio eorum libentissime assensum praebens, alterum diem exspectavit. Ea vero nocte Hiltegart, uxor praefati Riwini comitis, quamvis nupta, tamen satis religiosa, venit, camisaleque cera perfusum attulit, et sublimissimos clericos petiit, ut sacro corpore caute secreto circumdaretur, ne sacerdotalis paratura, qua indutus erat, cito a terra consumeretur[u]; quia ipse adhuc vivens praecepit, ne tabulatum lignum corpori eius subposuis-

a) ihu 1. b) *deest* 2. 4. 5. c) flagrantia 1. d) leuatum 1. 4. e) bauuvariorum 1. f) *ita* 2. 3. 4. nordiligga 1. g) peruenisset 2. h) s. ŏd. d. s. 2. i) *deest* 1. k) *deest* 3. 4. 5. l) *deest* 2. m) *deest* 1. n) missam — celebratam 2. 3 4. 5. o) pereleihc 2. pereleih 4. p) *deest* 2. q) puplici 1. r) procrastineamus 1. s) ut in omnium *e corr.* 2. t) ad 1. u) consummaretur 2? 3? 5.

64) Salzburgensem. 65) Nördlingen.

sent, sed purae[a] terrae imponerent et ligneo operculo[b] cooperirent. Qui secundum eius 973.
petitionem camisale sacro corpori circumdederunt. Mane autem facto, magna multitudine Iul. 7.
populi adveniente, et clericis sanctimonialibusque ibidem Deo militantibus congregatis, et de provinciis multis sacris officiis utentibus adiunctis, antistes, cunctis pro eius anima sacrificantibus, magna[c] contritione cordis et humiliatione salutarem obtulit hostiam Deo. Insuper etiam, publica[d] missa expleta, omnes in commune sobrio et cauto sermone [admonuit[e]], ut pro illa sancta anima intima intentione cordis devote exorarent[f], ut ab omni vinculo delictorum absoluta, Deo donante, perenni gaudio in aevum cum sanctis et electis Dei perfrui mereretur. Oratione autem secundum verbum eius ab omnibus peracta, episcopus corpus sepelivit, et animam omnipotenti Deo devotissime cum lacrimis commendavit. Ministri autem, sicuti praedictum est, operculo ligneo corpus cooperuerunt, et super hoc gradibus murati sepulchri densum lignum tabulatum superposuerunt, in superficie autem terrae cum lapidibus coniunctis firmiter clauserunt. His ita peractis, episcopus ad Augustam causa orationis perrexit. Orationibus multipliciter consummatis, a fratribus per caritatem rogatus, paraturam missaticam, quae fuit sancti Oudalrici, quarum opulentia ille vivens abundabat, propter eius sanctitatem suscepit; et honorifice, sicut optime dignus erat, dimissus[g], Deo comite ad propria reversus est.

28. Post obitum sancti Oudalrici episcopi Heinricus[h], filius Purchardi comitis[66], suc- (78.)
cessor eius effectus est, non provide in ovile ovium intrando, sed aliunde ascendendo;
quia Purchardo duce Alamannorum, qui filiam materterae[i] eius habuit uxorem[67], et 67
aliis plurimis, sed et quibusdam militibus, qui ab eo beneficia sua augeri astuta arte cupiebant, consiliantibus, subtili coepit consilio aestimare, qualiter praedictum locum sibi potuisset[k] usurpare; quamvis in eius scientiam deveniret, quod Werinharius[l] abbas in quadam invisibili carnalibus oculis congregatione, ubi sanctus Oudalricus in extasi mentis adiunctus[m] audivit, si duo aliis concordarent, ab omni illa congregatione ad hoc ministerium fuisset destinatus, ut eius successor efficeretur; sicuti antea praedixi[68]. Quidam clerici, advocato[n] et aliis quibusdam militibus de eodem episcopatu secum comitantibus, ad curtem imperatoris baculum episcopalem ferendo iter agere coeperunt. Cumque ad Wormacensem civitatem ad monasterium sancti Cyriaci venirent, invenerunt ibi Purchardum ducem cum uxore sua in infirmitate occupatum. Cumque ei indicarent studium itineris sui, quibusdam machinationibus[o] callida ratione ab eo inclusi[p] sunt, quia dixit eis, imperatorem his diebus prope in ultimis finibus regni eius morari, et in ea via, quam pergere debuerunt, omnia supra modum cara et herbam undique in defensione manere, et ideo semet ipsos et eorum cavallos[q] nulla commoditate posse sustentari. *Non post multos dies imperator noster vult regale colloquium habere ad locum qui dicitur Erinstein*[69]*; illuc facile potestis venire*[r]. *Ideo revertimini nunc, et quando meus certus nuntius vobis praedictae locutionis diem*[s] *nuntiaturus advenerit, illuc venire ne*[t] *dubitetis. Ibi enim me invenietis firmum vobis fore adiutorem, et in electione episcopali sine ambiguitate me sciatis vobis concordari.* His auditis verbis, vera esse aestimantes, et consiliis eius consentientes, reversi sunt. Non post multum vero temporis nuntius ducis venit, et regale colloquium in praedicto loco manere indicavit, eosque illuc venire ammonuit. Qui statim, aliis fratribus secum sumptis, ad praefatum locum pergere festinaverunt. Cumque adpropinquassent ad locum qui ad Balneos[u, 70] nominatur, quidam 70
nuntius eis obvius[v] dixit: *Heinricus, filius Purchardi, quem imperator cum suis fidelibus et dux Purchardus ad Augustam antistitem esse decreverunt, nunc cito occurret vobis.* Hac ratione audita, contristati fratres, eo quod de praedicta electione episcopi privari debue-

a) nudę 2. b) opericulo 1. c) *deest* 2. d) puplica 1. e) *deest* 1. 2. f) exorent 2. 3. 5. g) deo c. d. et ad p. r. est 3. h) henricus f. purhardi 2. i) materrae 1. k) *deest* 1. l) uuerinhardus 2. m) adductus *e corr.* 2. a. fuerat 3. n) aduocati *e corr.* 2. o) machinantibus 1. p) illusi 5. q) *ita* 1. r) ire 3? 4? 5. s) dies 1. t) non 1. u) palneos 1. v) o. factus est qui eis d. 2.

66) fortasse idem qui marchio fuit orientalis; cf. Mon. B. XXVIII. p. 193. 195. 67)

Arnulfus dux
Heinricus dux ‿ Iudith | N ‿ Burchardus
Burchardus dux ‿ Hedwigis | Heinricus episcopus

68) c. 26. 69) Erstein in Alsatia. 70) Baden.

973. runt, ultra non progredierunt; sed revertentes, in loco oportuno exspectaverunt, usque
(79.) dum praefatum Heinricum inde comitarentur. Eo statim die, cum ad castra venirent
milites, qui de duce Purchardo· cum Heinrico venerunt, adiunctos sibi clericos rogare
coeperunt, ut Heinricum in commune episcopum esse comprobarent in eodem loco. Qui
inducias petierunt, usque in communi capitulo domi cuncti fratres in unum se coaduna-
rent. Cumque milites refutarent, et longa inter se locutione contenderent, reversi ad
Heinricum cum quibusdam clericis, elegerunt eum super se esse episcopum; quidam
vero eum non eligentes[a], ad Augustam pervenerunt ad caeteros fratres. Cumque ad
Augustam pervenirent sic sequestrati in electione eius, venit quidam comes, Wolveradus[b]
nomine, cum aliis quibusdam hominibus, quasi legationem ab imperatore ferendo ad
congregationem, dicens: *Imperator demandavit vobis gratiam et misericordiam et omnia
bona, et postulavit, ut istum domnum Heinricum, quem ille cum suis fidelibus decrevit in
isto loco esse pastorem, ut*[c] *et vos ob amorem sui antistitem vobis eligere*[d] *unanimiter
non rennuatis.* Legatio autem haec fraudulenti consilio composita erat. Cui responden-
tes dixerunt: *Veniat ille cum vobis ad capitulum nostrum ad audiendum responsa nostra.*
Cumque vix obtinuissent, ut in capitulum intrarent, legebant[e] canonicas lectiones de
electione antistitum. Praefatus Heinricus cum audisset de lectionibus in praesentia reci-
tatis, quod in potestate esset canonicorum eum eligere vel refutare, cum venia humili-
ter postulavit, ut eum episcopum eligere non dedignarentur, promittens eis, si eius
postulationi consentirent, in posterum omnigenae commoditatis inpensionem. Qui
eius promissionibus credentes, quidam vero sponte, quidam vero dissensiones devitando,
omnes tamen in commune decreverunt, eum esse episcopum. Haec electio cum in
aecclesia militibus et familiae nota facta fuisset, sonantibus campanis, ab omnibus con-
firmabatur. Tunc demum praefatus Heinricus, assumptis quibusdam canonicis, perrexit
Sept. 18. ad imperatorem, et in praesentia[f], aliorum testimonio roboratus, de electione[g] eius nun-
tiavit, humiliter flagitans, ut a celsitudine eius imperialis potestatis pontificium praeno-
minatum ei concederetur. Imperator autem eius petitioni non contradixit, neque con-
Sept. 22. tinuo adimplevit; sed promisit, ut post quinque dies in solemnitate sancti Mauricii eius
petitioni assensum praeberet; sicut et fecit. Postea vero statuto tempore ad Magontiam[h]
venit, et a Roudperto archiepiscopo et suis suffraganeis benedictionem episcopalem
(80.) suscepit[i]. — His vero temporibus Otto, filius Liutolfi filii Ottonis[k] imperatoris, dux fuit
Alamannorum[71], et Heinricus, filius Heinrici fratris eiusdem imperatoris, dux Bawariorum[l]
erat, qui quamvis ex vicina propinquitate caritate[m] coniuncti fore debuissent, ex machi-
974. natione male suadentis satanae invidias et dissensiones inter se exercere coeperunt.
Heinricus itaque episcopus aequivoco suo duci aptior mansit in omnibus, et ipsius con-
72 siliis plus consentiens quam Ottoni duci, quamvis Augusta civitas in suo[72] ducatu sita
maneret. Pro hac vero re Otto dux contra eum iratus coepit cum suis fidelibus con-
siliari, ut ei in quibuscumque potuisset adversaretur; quod et fecit. Insuper episcopus
quibusdam de militibus, nepotibus sancti episcopi[n] Oudalrici, Manegoldo et Hupaldo,
voluit beneficia abstrahere, propter quorundam[o] consilia, sine illorum reatu. Ipsi autem
quia episcopo sancto Oudalrico adhuc vivente ab eo missi saepe in auxilio imperatoris
cum herili multitudine militum venerunt, et in eius servitio, voluntatem[p] eius strenue in
omnibus adimplentes, tamdiu permanserunt, usque cum illius gratia muneribus honorati
73 redire dimissi sunt. Regina etiam profitebatur, se eorum esse propinquam[q. 73]; ideo
beneficia accepta episcopo contradixerunt, et in eorum potestate eo nolente tenuerunt.
Episcopus itaque his et aliis multis adversis fatigatus, tristis effectus est. Quodam tem-
pore cum imperator Otto gentem Sclavorum cum exercitu invadere voluisset, et Otto,
976. qui tunc dux erat Alamannorum et Bawariorum[r], Heinrico deposito, in adiutorium eius
977. venire cum Alamannis et Noricis ad Bawariam[s] paratus esset, Heinricusque[t] episcopus
ire se cum illo promitteret: exspectavit cum suis militibus, donec recederet exercitus, et,

a) elegentes 1. b) Vuolrat 2. c) *deest* 2 d) elegere 1. e) legebantur 1. f) p. eius 4. 5. g) r. electionem 2. h) 4. *in margine:* megenz. i) accepit 2. 3. 4. 5. k) *deest* 1. l) bauvuariorum 1. m) et c. coniuncti 1. n) *deest* 2. o) quorudam 1. p) uoluntate 1. q) propinqua 1, r) bauvuariorum 1. s) bauuvariam 1. t) que *deest* 2.

71) Burchardus d. 12. Nov. 973. obiit. 72) Ottonis. 73) Quod quomodo esse posset non video.

sicut antea consiliati sunt, occupavit cum militibus suis civitates quas potuit, et ipse in 977.
Nuvunburc[a][74] intravit. Heinricus autem, qui antea dux fuit, Pazowam[b] civitatem introivit, ea ratione ut, Ottone cum exercitu recedente, provinciam sibi cum adiutorio nepotis sui episcopi subiugaret. Hoc itaque consilium cum Ottoni duci notum factum fuisset, (81.)
reversus est cum exercitu ambarum provinciarum, et obsedit eum in praefata civitate Pazowa[c]. Imperator autem Otto, cum Dei clementia liberatus a Sclavis, venit post eum ad eandem civitatem in obsidionem eius. Cumque, obsidione finita et[d] carmula Sept.
mitigata, imperator ad Saxoniam reverteretur, postea statuto tempore Heinricus filius Oct.
Heinrici, et aequivocus eius filius Pertolfi[75], ad colloquium imperatoris vocati sunt; cum 978. Mart.
quibus etiam Heinricus episcopus ad imperatorem se ad excusandum de praedicto reatu venit, ut restitutus gratiae eius ad propria redire mereretur. Peracto pro certo[e] colloquio, Heinricus et aequivocus eius in exilium missi sunt, Heinricus autem episcopus ad Wirdinam[76], ubi sanctus requiescit Liutgerus, abbati ad custodiendum commendatus est. 76
Cumque ibi de pascha usque post nativitatem sancti Iohannis baptistae cum magna Mart. 31.
cautela custodiretur, factum est imperiale colloquium in oppido[f] quod dicitur Trutmanna[77]. Iul.
Illuc venerunt duo presbiteri Gerhardus et Anamotus de Augusta, et cum interventu Ottonis ducis et episcoporum ibi inventorum, supplicaverunt non solum de semet ipsis, sed de omnibus clericis[g] in eodem episcopatu habitantibus, ne diu episcopali custodia privarentur. Imperator autem petitioni Ottonis ducis et aliorum suorum fidelium praefatorumque clericorum satisfaciens, episcopum de exilio reduci praecepit, et in praesentia sua iterato fidelitatis suae sacramento, cum gratia sua ad episcopatum suum redire concessit. Restitutus autem in suum locum episcopus, tractare in animo suo coepit, pro (82.)
quibus reatibus ei tam diversa[h] adversa sic frequenter accidissent, quia[i] a duce multipliciter plus quam antecessores sui iniuriabatur. Et quia principes militum beneficia sua contra voluntatem eius habere praesumebant, et electissimi de paterna sua familia ministratores diverso modo repente interierunt, secreto a familiaribus clericis interrogavit, si sanctus Oudalricus de Werenhario[k] abbate diceret, ut eius successor fieri deberet, sicuti ei antea dictum est. Cumque in veritate verum esse cognovisset, quod antea credere noluit, expavit se vehementer, sed publice non manifestavit; pro eo plus expavit, quia tunc frequenter signa magna et mirabilia ad sepulchrum sancti Oudalrici episcopi Deo concedente fiebant. Tunc demum in meliora multipliciter mutatus, cum Deo se pacificare conatus est, et matricem aecclesiam novo tecto cooperire praecepit, et super Licum fluvium ad Sanctam Afram pontem composuit, et ut nullus ex familia de ponte teloneum aut ullam redibitionem acciperet praecepit, sed in elemosinam eius, quicumque voluissent, sine contradictione et occupacione pergerent. Postea autem Ro- (83) 980.
mam et limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli pro remissione delictorum suorum visitavit. Et anteaquam illuc pergere coepisset, proprietatem[l], quam pater suus Purchardus[m] in Gisinhusa[78] habere visus est[n] eo die[o], quam Etichoni fideli suo sub testi- 78
monio contradidit, ea videlicet racione, ut eam illuc firmiter transfunderet, sicubi eum filius eius Heinricus episcopus rogaret, tunc pro certo Etich[p], postulante episcopo, tradidit cum manu eius pro[q] remedio animae suae, patris matrisque[r] suae et materterae suae caeterorumque propinquorum et parentum suorum praefatam proprietatem legitime secundum legem Noricorum sanctae Mariae super altare eius in Augusta civitate situm, et super capsam deauratam lapidibusque inclusis decoratam, cum aecclesia et totis aedificiis, cum agris, pratis, pascuis[s], molendinis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, civitatibus, silvis tonsis et intonsis, quaesitis et adhuc inquirendis, et cum[t] familia et cum omnibus ad eandem proprietatem iure pertinentibus, nisi 20 hobas extra tradicionem dimisit, et eas servituti sancti Magni ad Fauces decrevit, canonicisque[u] placitavit, ut potestatem haberent, si vellent, easdem hobas 20 cum 10 in ista provincia

a) niuunburg 2. nuunburch 4. b) pazuuam 2. c) patauiae 2. d) *deest* 2. e) certe 1. P. itaque 2. 5. f) opido 1. g) et laicis *add.* 3? 4? 5. h) *deest* 2. i) qui 2? 5. k) uuerinhario 2. l) probrietatem 1. m) purghardus 1. n) habebat 2. o) est et 5. p) hettich 2. q) pro — p. suorum *desunt hoc loco* 3. 4. 5. r) et patris et matris 2. s) pacuis 1. t) *deest* 1. u) canunicisque 1.

74) Neuburg ad Danubium. 75) qui dux Carinthiae constitutus erat. 76) Werden. 77) Otto ibi d. 14. Iulii diploma dedit; cf. Höfer Zeitschrift I. p. 514. 78) Geisenhausen.

980. in bono loco sitis hobis concambiare, in manum Werenharii advocati et in manum Gerhardi praepositi[a], in eam placitationem, ut iure et potestate canonicorum[b] perpetualiter in oblacione[c] permaneat, salvo in omnibus eorum cottidiano stipendio; et ut ipsi pro requie eius animae annis singulis ante anniversarium diem ad horam vespertinam vigiliam plenam devote celebrent, et in anniversario die iterum vigiliam expleant, et celebrata missa altaris, hostiae oblacionem omnes in commune Deo offerant, et insuper centum pauperes sufficienti stipendio edendi et bibendi procurent, et ex eis duodecim vestiant in uno anno lineis vestimentis, et in altero anno laneis induant, et caligas cal-
79 ciamentaque praebeant. *Si*[79] *autem aliquis successor meus antistes hanc placitacionem irrumpere temptaverit, et praedictam proprietatem canonicis auferendo in suam utilitatem aliquo modo redigere conaverit et sic fecerit, et ista racione ei comperta statim eis non restituerit, heredes mei legitimi liberam*[d] *habeant potestatem, quinque*[e] *ponere super altare denarios, et eandem proprietatem inde redimere, et in ius proprium possidere omnibus in futurum generationibus. Actum*[f] *in Augusta, in aecclesia sanctae Dei genitricis Mariae ante altare, episcopo Heinrico perpetrante, in praesentia canonicorum, coram frequentia populi et coram testibus subnotatis. S. Etich*[g]*, qui hanc traditionem fecit. S. Adalpero. S. Iagob. S. Marahwart. S. Willehalm. S. Hunvrid*[h]*. S. Engilmar. S. Wezzi. S. Piligrim. S. Gundachar. S. Cadolt; isti de provincia Noricorum. Isti autem de provincia Alamannorum: S. Werenheri advocatus, qui hanc traditionem cum manu Gerhardi*[i] *praepositi accepit. S. Hiltipolt*[k]*. S. Gotepolt*[l]*. S. Reginhart. S. Suidger*[m]*. S. Aribo*[n]*. S. Urolf. Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi nongentesimo octuagesimo, indictione octava, 4. Nonas Octobr. luna*[o] *20. die Iovis. Ego igitur Gerhardus indignus presbiter*
(84.) *notavi diem et annum.* His ita sicut praedixi expletis, ad Romam perrexit, et votis suis peractis, sanus ad propria venit. Adhuc autem intus[p] magna[q] angustia mentis angebatur, pro eo quod a duce Ottone, quamvis exterius pacificati essent, plus cogebatur quam antecessores sui, ei servitium facere de rebus sanctae Mariae, et pro eo quod quidam milites beneficia aecclesiastica ad illius[r] potestatem iure pertinentia contra eius voluntatem possidebant. Quia ille ex nobilibus parentibus ortus est, et grammaticae artis aliorumque librorum magnam scientiam habebat, suavique colloquio et benesonante loquela valde congrue exsuperabat[s], in sanctis solemnitatibus in Dei servicio et in praedicatione studiosus fuit. Herili servicio ad mensam suam utebatur, et cum eo manentibus copiam manducandi atque bibendi hilari vultu et placida mente porrexit. Familiae autem plus iusto saevior extitit, eorum ius tollendo et in quibusdam locis novum censum creando. Tunc demum cognoscebat, quod praelibata adversa, nisi Deo adiuvante et imperialis celsitudinis gratia machinante, superare[t] non potuit[u], et toto nisu servicio imperatoris se innectere studuit, ut adquisitione eius gratiae omnes contrarietates ei ab aliis undique imminentes, cum eius clementia et cum eius praeceptis, mitigarentur. Ideo igitur saepius cum imperialibus muneribus eum visitavit, et drudes[v] suos donis congruis sibi complacare satagebat, et insuper hostilia itinera cum eo pergebat, taliter sicuti ei[w] optime aestimabat placere. Anno itaque incarnationis domini nostri Iesu
982. Christi 983. imperator cum exercitu Calabriam provinciam adiit; illuc etiam episcopus
Iul. 13. Heinricus cum eo pervenit. Cumque ibi pugna cum Sarracenis ageretur, plurimis ibi ex utraque parte occisis, heu pro dolor! sive captus, sive occisus, etiam ibi remansit. Supra modum est lamentandum perditio eius; quia locus eius a clericis suis et propinquis et cognatis et amicis inveniri et visitari non potest. Periculosum est valde, decretum Dei per suos sanctos revelatum supergredi et prophetias spernere, dicente scriptura:
1 Thes. 5, 19. *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere.* Werenharius autem postea ab imperatore interrogatus, si episcopatum accipere vellet, sicut sanctus Oudalricus antea decrevit; qui cum adhuc esset sanus et incolumis, respondit, se ultra hunc episcopatum

a) 3. 4. 5. *addunt quae supra:* pro remedio animae suae et patris matrisque suae et materterae suae caeterorumque propinquorum et parentum suorum. b) canunicorum 1. c) oblacionem 1. d) libram 1. e) tres 5. f) *Reliqua huius capitis desunt* 1. g) *tres lineae erasae* 2. h) hunrud 3. hunfrid 4. i) Kerhardi 5. k) hiltipold 2? 4? 5. hiltpolt 3. l) *deest* 2. gotpolt 3. gotebold 4. 5. m) suidker 3. n) arpo 3. o) *ita* 2. p) inter 2. q) magnam angustiam 2. r) eius 3. s) exuberabat 5. t) *deest* 2. u) posset nisi toto — studeret *e corr.* 2. v) fideles *e corr* 2. *In uno exempl. supra scriptum erat* gratos, *in alio* consiliarios. VELS. w) eum 2

79) In sequentibus Gerhardus ipsa chartae verba retinuit.

non velle accipere. Post contradictionem autem episcopatus, ut a ministris eius comperi, paucis horis interpositis, infirmari coepit, et ad Luggam vitam finivit, et corpus eius portatum est usque ad Sanctum Domninum, et ibi honorifice est sepultum. Otto autem dux etiam ad Luggam defunctus est; et a suis super montana portatus, et usque ad Aschafaburg[a] perductus, cum magno honore et nimia lamentatione ibi terrae commendatus est. 982. Oct. 30. Nov. 1.

EXPLICIT[b] LIBER PRIMUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBELLI DE SIGNIS OUDALRICI EPISCOPI[c].

1. De cereo qui cecidit supra tapetium[d].
2. De eo qui de febre ibi liberatus est in primis.
3. De multitudine a febribus liberatorum.
4. De eo qui unum de baculis abstulit.
5. De Adalgero presbitero.
6. De his qui de baculis fulciebantur.
7. De multitudine baculorum.
8. De cuiusdam mulieris filia sanata.
9. De eo cui aures et lingua solutae sunt.
10. De similario episcopi Heinrici.
11. De eodem, qualiter de vulnere ereptus est.
12. De Adalhardo[e], qui caritatem sancti Oudalrici bibere recusavit.
13. De Walkero, qui etiam caritatem contempsit et mortuus est.
14. De Herevunso, qualiter sanitati restitutus est.
15. De Hiltipaldo, qui lumen oculorum recepit.
16. De Roudperto, qui primum in itinere, postea ad sepulchrum sanatus est.
17. De Liuterico, qui visum recepit.
18. De clerico, qui loquelam amissam recepit.
19. De caeco, qui lumen in via recepit, et ductorem suum ad sepulchrum portavit.
20. De matrona a demone liberata.
21. De filio Volizlawi[f] ducis.
22. De Misicone duce, quomodo liberatus est.
23. De muliere, quae a demonio liberata est.
24. De elemosinaria Habrahami[g] episcopi liberata.
25. De caeco, quem ductor spoliatum dimisit.
26. De puerulo, qui de ponte cecidit in amnem.
27. De eo cui foenum in favillas mutatum est.
28. De muliere, cui manus contractae sunt.
29. De claudo, cui caballus in pedibus vitiatus est.
30. De infirmo, qui contra voluntatem portantium de lecto exsilivit.

1. Post commendacionem preciosi[h] thesauri sacri corporis Oudalrici, tapecium[i] sepulchro superponebatur, et assiduum lumen adpositum sine intermissione ardebat. Quidam autem[k] custodum ardentem cereum incaute posuit iuxta sepulchrum; quo recedente, cereus cecidit in transversum super tapecium sepulchri, et ardens permansit, donec illa pars cerei quod[l] super tapecium iacebat ab igne consumebatur[m]; et cum anteriori parte tapecii, quae sepulchro eminebat, coniunctus arderet, et flammam sursum per tapecium emitteret, custos advenit, et hoc videns, tremefactus obstupuit, et quod adhuc remanebat de cereo timens abstulit, tapeciumque sollicite inspexit, si ab igne aliquid laederetur; vestigium[n] ignis de minimis micis cerei invenit, unum vero pilum in superficie et in latere sepulchri in tapecio exustum invenire non potuit. Hoc miraculum cum magistro suo et fratribus nunciaret[o], et tamen tapecium inlaesum ostenderet, ammiratione et gaudio repleti, Deum omnes glorificaverunt et sanctum Oudalricum.

2. Quamvis adhuc nullum inibi[p] fieri[q] miraculum comperiretur[r], utriusque[s] sexus familiae multitudo iugiter pavimento prostrata, positioni sancti[t] corporis adiuncta, necessitatis suae suffragia precabatur; deprehendensque multa ei omnigenae commoditatis auxilia inde evenire, frequentius eundem coepit visitare locum. Itaque cum ab[u] assiduitate visitantium, Domino concedente, plurimis ille commendaretur locus, venit quidam homo de provincia Noricorum, nomine Reginwalch, qui integro anno febre fatigatus ad nimiam infirmitatem deductus est[v], ad Wicfredum[w] praepositum eiusdem loci, interrogans eum, si aliquod liberationis suae medicamentum ei indicare potuisset[x]. Qui respondens dixit: *Vade et adquire tibi baculum, et porta eum ad sepulchrum domini mei*[y] *Oudalrici pro sospitate tua.* Qui ambulans inde, concidit sibi baculum de ligno pedullaneo[80], et portavit eum ad praefatum praepositum. Qui ambulans cum eo, duxit eum ad sanctum[z] sepulchrum, et monstravit ei baculum ponere super illud. Oratione etiam clericorum fretus, et doctrina eorum in fide confortatus, eadem hora a febre liberatus sanitati manifeste redditus est. 973. 80

3. Eodem vero tempore in istis regionibus incredibilis multitudo populorum febribus fatigabantur. Qui cum audirent, praefatum hominem ad sanctum sepulchrum, sicut praedixi, fore liberatum, quidam cum baculis, quidam etiam[*] additis aliis

a) aschafaburig 2. aschaffaburg 3. ascafa(n)burhe 4. b) *ita* 3. c) *ita* 2. Incipit capitulum in liber secundum (?) 3. *desunt rubra et capitum index* 1. 4. d) miraculum primum *add.* 2? 5. e) adelhardo 2. f) wolizluuu (?) 3. g) habrami 2. h) preciosissimi 3. i) tapeccium 2. *semper.* k) uero 3. l) quae 2? 5. m) consumaretur 3. n) uestium 1. o) et vestigium cerei monstraret *add.* 5. p) i. aperte 1? 5. q) *deest* 3. r) comperiret 1. s) neutriusque 2. t) *deest* 3. u) *deest* 2. v) *deest* 2. 3. 5. w) vuicfridum 2. x) posuisset 1. y) s. sancti ŏ. 2. sep. d. m. sancti Udal. 5. z) *deest* 2. *) e. a. *desunt* 2.

80) a betula, *birke*.

oblationibus, festinaverunt pro sanitate sua sanctum visitare sepulchrum. Qui omnes[a], undecumque venirent, celeriter sanitati restituebantur.

4. Quidam de familia sanctae Mariae, Hisenhart[b] nomine, unum de baculis[c], qui ad sepulchrum de infirmis portabantur, tulit, et eum in manu portando inde ambulare coepit. Cumque ad
81 collem qui dicitur Perileihc[d] veniret, a febre[e] acriter fatigari coepit. Tunc persentiens, pro quo reatu infirmitati concederetur, regressus ad sepulchrum, baculum restituit in[f] locum ubi eum tulit; votumque fecit, ut ultra nullum inde auferre praesumeret; votoque peracto, a febre dimissus est.

5. De congregatione sanctae Afrae presbiter unus, Adalger[g] nominatus[h], tulit de sepulchro duos bacellos speciosos ad videndum et aptos in[i]
82 manibus ad portandum; et sui obliviscens portavit eos[k] in domum suam. Ibique cum sedisset, invasit eum oscitacio crebra et obripilatio cutis maxima, et omnia menbra taedio occupata sunt, ita ut virtutem sedendi, neque ambulandi, nec saltim iacendi, apte non potuisset habere. Intra[l] semet ipsum aestimare coepit, pro qua re tam subita solucione menbrorum gravaretur; et surgens, venit ad Wicfredum praepositum, et nuntiavit ei eventum rei. Cui ille dixit: *Tune[m] istos bacellos de sancto sepulchro tulisti?* Qui dixit: *Ita feci.* — *Festina,* inquid ille, *reponere eos in locum suum.* Hoc cum factum fuisset, omni incommoditate corporis fugata, presbiter confestim sanitati pristinae restitutus est.

6. Quicumque etiam de multitudine vulgi de adportatis baculis in manus suas acceperunt, ut inter sacra mysteria se super eos inclinarent, ut facilius finem mysterii expectarent, repentina in-
83 vasione febris quassati sunt. Compertaque causa eventus, reiectis baculis, eadem hora liberati sunt.

7. His casibus divulgatis et in noticiam undique omnium deductis, nullus praesumebat vel minimum bacellulum sine licentia inde auferre; et ideo tanta multitudo baculorum excrevit, ut facile dinumerari non potuisset, nec sine inpedimento in angulis aecclesiae collocari. Unde factum est, ut super trabes eiusdem exedrae, ubi sepulchrum situm est, ponerentur. Mansionarii[n] itaque, praecipiente eorum[o] magistro, frequenter eos ad focum portant; et eis ardentibus ceram[p] in molliciem redigent[q] candelas multiplicandas ad servicium Dei; super trabes tamen plurimi semper remanebunt, et hi qui eos ibi[r] conspiciunt non putant,
84 numerum eorum in aliquo minorari[s]. Sustentacula eorum, qui gratia Dei concedente per merita sancti Oudalrici a diversis infirmitatibus ibi sunt liberati, plurima pendent, et aliorum analogiae secundum menbra diversa infirmantium figuratae etiam plurimae ibi videri possunt; vehicula etiam eorum, qui carris superpositi multimoda debilitate menbrorum manci illuc veniebant, et in omnibus menbris perfecta sanitate donabantur, relictis ibi carris cum tuguriis, pedestri itinere laeti redierunt, ante fores aecclesiae conspici possunt.

8. Cuiusdam vero mulieris filia in brachio in totum debilis facta in pago Geltenstein[t][81], cui quadam nocte in somnis dictum est: *Quare filiam tuam cum lucerna non perducis[u] ad sepulchrum sancti Oudalrici pro sanitate sua?* Quae expergefacta somnium nuntiavit filiae suae, et ut celerius potuit eam illuc cum candela perduxit, et perfecta sanitate recepta, eam inde laetam ad propriam possessionem revexit.

9. De eodem vero pago, de[v] oppido Touningewe[w][82] vocato, quidam homo, cui aures clausae sunt, ut nihil audire potuisset, et lingua ligata, ita ut numquam ullum verbum proferre potuisset, ad sepulchrum sancti Oudalrici a fratribus suis deductus est, et ibi prostratus diu iacuit[x] lacrimas fundendo; elevatus autem a fratribus, per altaria deductus est. Cumque ambulare[y] coepisset, et pervenisset[z] ante altare sancti Donati, quod est situm ad occidentalem partem aecclesiae, audivit sonitum canentium in choro clericorum, et infirma adhuc voce dixit fratribus suis: *Ecce audio et loqui possum.* Qui cum peracto ministerio Dei haec clericis adnunciarent[*], et ipsi veraciter haec ita esse cognoscerent, campanas sonare fecerunt, et ipsi in[a] commune Deum laudare coeperunt, laudationeque finita, cum perfecta loquela et integro auditu donatus praefatus infirmus abire promeruit.

10. Ex[b] familia episcopi[c] Heinrici similiarius[83] quidam, nomine Liutnot, reatu proprio gratiam domini sui perdidit, pro eo quia farra per loca episcopi sibi commendata magna incautela dissipavit. Qui cum a ministris episcopi vehementer territus maximum timorem incideret, ad sepulchrum sancti Oudalrici pro liberacione imminentis angustiae nudis pedibus accessit[d], et ibi diu cum lacrimis adiutorium eius postulavit. Inde[e] autem cum reverteretur, paucis diebus interpositis, facilius quam credere potuisset gratiam domini sui recepit. Deinde in auxilium eius firmiter ubique confidens, in recreatione sua[f] pro amore eius[g] alios bibere postulare consuevit.

11[h]. Idem Liutnotus quadam die ad domum Razonis, qui tunc potens episcopi minister fuit, in oppido Pobinga[84] venit, et ibi cum eo prandium sumpsit. Qui cum saturatus fuisset et[i] abire voluisset, praefatus Razo cogebat eum plus ad bi-

a) Qui cum omnes undique u. 2. b) hisanhart 2 isinhart 3. c) u. baculum abstulit qui ad s. portabatur 2. d) perileic 1. pereleic 3. e) a. f. *desunt* 2. f) in — tulit *desunt* 2. g) adelger 1. h) nomine 2. i) i 1. k) eos in manibus 3. l) qui intra 2. 5. m) Nonne 2. n) mansionari 3. o) *deest* 3. p) *deest* 2. q) *ita* 1. 2. r) *deest* 2. 3. 5. s) minori 1. t) geltstein 3. u) perduces 1. v) de o. *desunt* 2. w) tõnibgouue 2. tuoninguue 3. x) tacuit 2. y) ambure *corr.* ambire 1. z) perueniret 2. 3. 5. *) adnunciauerunt 1. a) *deest* 1. b) Et 1. c) *deest* 1. d) accessit — diebus *desunt* 1. e) Deinde 3. f) *deest* 3. g) frequenter bibebat et *add.* 5. h) *Nulla distinctio in* 1. i) f. et *desunt* 2. 3. 5.

81) Ut ex cap. sequenti apparet ad Danubium ex occidente Sigmaringen situs erat, ubi pagus Barensis ponitur. 82) Thüningen haud procul oppido Duttlingen. 83) pistor panis primarii ex simile farinae. MAB. 84) Bopfingen.

bendum. Cuius peticioni ille contradicere non audebat, sed vas quod illi porrigebatur[a] accepit, dicendo: *Istam siceram bibere pro caritate sancti Oudalrici, per cuius adiutorium de maximis angustiis liberatus sum, volo*[b]. Cumque poculum hausisset, et vas cum manu deorsum verteret, dixit: *Cum ista caritate signatus, certus sum, quia nullius adversitatis pravitas mihi hodie poterit nocere, sed neque gladius*[c] *corpus meum vulnerare.* Cui Razo dixit: *Da mihi digitum tuum, ut videam, si culter meus tuum possit vulnerare menbrum.* Qui statim magna fide digitum suum porrigebat[d]. Ipse autem, adprehenso eius digito, alia manu cultrum de vagina extrahere conabatur ad vulnerandum digitum praenominati pistoris, propriaeque[e] suae[f] manui cum eodem cultro grande vulnus infecit, digitumque adprehensum simul et cultrum festine dereliquid, et suam manum vulneratam lamentari coepit. Pistor autem in fide confortatus, sanus recessit.

12. Alius autem ex familia, nomine Adalhardus, cum de Augusta civitate ad suam mansionem, quae sita est in oppido Etigga[g] [85] nominato, pergere voluisset, ante portam civitatis quidam homo eum cum aliis bibere rogavit. Cumque[h] coepissent bibere, quidam ibi manentium pro caritate sancti Oudalrici postulavit eos potum accipere. Praefatus autem Adalhart sordidum verbum ex ore suo[i] emisit, et poculum caritatis[k] accipere rennuit. Cumque paululum[k*] inde recederet, in planicie viae equo suo cadente, crus eius fractum est, et ita ad suam domum cum labore[l] deductus longo tempore debilis permansit. Postea vero votum ad sepulchrum perduxit[m], et inde caritatem quam antea sprevit alios frequenter bibere postulavit.

13[n]. In praefata villa Etinga[o] quadam die cum multi ex familia simul ad bibendum in unum congregati fuissent, fuit inter eos unus nomine Waltger[p], discipulus Wicfridi praepositi de Sancta Afra. Qui cum audiret ibi postulare sancti Oudalrici episcopi caritatem, profano[q] ore quasi insaniendo stultissime locutus est: *Quid mihi prodest caritas illius episcopi, quia ille signa*[r] *facere non potest plus quam unus canis?* Illo verbo emisso, diabolo concessus, loquelam hominis amisit, et more canis furendo sonare coepit, et ganniendo atque latrando, parvo tempore evoluto, heu! miserabiliter vitam finivit.

14. In civitate Augusta quidam faber, Herevunt[s] vocatus, longo tempore magna infirmitate totius corporis detentus, ita ut ambulare[t] non posset nisi aliis adiuvantibus, et interdum cum duobus sustentaculis sustentatus, prope terra[u] tenus inclinato capite, ad necessaria corporis vix pervenit. Qui cum audisset[v], multos infirmos ad sepulchrum sanctum saepe sanari, coepit illuc ultra vires repere[w], et mane diluculo de mansione sua exire, et illuc ante horam[x] diei terciam vix pervenire[y]. Cumque hoc frequenter fecisset, quodam tempore in quadragesima[z], die Veneris, cum ad portam, cui capella sancti Michahelis est[*] superposita, veniret, ultra modum lassus[a] et universis viribus destitutus, subsistit, dicens: *Domine Deus, pater omnipotens, cognoscere*[b] *dignare, quanta difficultate nunc istum locum adii, et per merita sancti confessoris tui Oudalrici miserere mei*[c]. Et aliquantulum pausatus, repsit usque ad sepulchrum. Finita ibi oratione, dum acceptis sustentaculis adiuvante comite suo surgere voluisset, unum sustentaculum[d] in pavimento lapsum est, et ipse ad terram iterum deiectus est, et in deiectione[e] genua eius retro in contractione nervorum more fractorum[f] malleorum sonitum fecerunt, et crura per pavimentum extensa sunt. Comes autem illius cum solito more eum levare voluisset, dixit illi: *Expecta paulisper; ut mihi videtur, ex me ipso surgere et ambulare possum.* His dictis, dimissis in pavimento sustentaculis, surrexit et ambulavit. Qui statim ibi acceptag[g] cruce, clericis civibusque[h] caeteris cum eo comitantibus[i], sine baculo potenter ad Sanctam Mariam in Augustam civitatem perambulavit, ibique Dei laudibus in commune peractis, eadem hora ad Sanctam Afram crucem portando regressus est. 85

15. Nativus quidam pauper de oppido quod dicitur Messinga[86], Hiltipaldus nomine, caecitate[k] perculsus est, et in illa caecitate duos annos perduravit. Tercio autem[l] anno quidam homines de eodem pago pergere decreverunt ad Augustam civitatem causa orationis. Qui invenerunt[m] eum eodem in itinere cum duce suo victum per oppida quaerentem, et dixerunt ei: *Perge nobiscum ad Augustam civitatem causa orationis et ad sepulchrum sancti Oudalrici; forsitan ibi*[n] *misericordiam consequi poteris.* Quibus ille respondit: *Stipendia*[o] *mihi et ductori meo et oblationes*[p] *ad illa sancta loca deferendum non habeo.* Qui respondentes dixerunt: *Si nobiscum ieris, quantum possumus auxiliatores tui sumus.* Quorum consentiens suasionibus, cum eis perrexit ad Augustam, et eadem nocte iuxta sepulchrum foris aecclesiam diem expectavit futurum. Mane autem facto infra aecclesiam ad sepulchrum deductus, devote oravit, et antea[q] amissum lumen oculorum Dei gratia donante[r] recepit; levataque cruce, comitante[s] cum eo magna multitudine populi, ad Sanctam 86

a) porriebatur 1. b) *deest* 1. c) nec cladius 1. d) porigebat 1. ei p. 2. 3. 5. e) que *deest* 1. f) sui 2? g) eitiga 3. h) Cuque 1. i) eius 1. k) *bis scriptum* 1. rogatae c. 3? 5. k*) paulolum 1. l) magno 1. 3. m) s. sancti Oudalrici uouit et Deo donante sanitati est redditus 3. 5. n) *Nulla distinctio* 1. o) ettinga 2. p) uualger 2. 3. q) prefano 1. r) gratia signa 1. s) ernust 3. t) ambulantibus non posse ire nisi sustentaculis sust. 1. u) terram i. 1. v) audiret 2. w) repsisse 1. x) *deest* 1. y) perueniret 1. z) quadagesima 1. *) *deest* 1. a) lapsus 1. b) ignosce 1. c) mihi 1. d) sustentacuus in p. lapsus 1. e) diectione 1. f) factorum 1. g) accepto 1. h) et ciuibus 1. i) commitantibus 1. k) c. p. e. et in illa *desunt* 1. l) *deest* 1. m) uenerunt 1. n) *deest* 3. o) Supendia 1. p) oblationibus 1. q) *deest* 1. r) r. d. 1. s) commitante 1.

85) prope Augustam situm esse videtur. 86) fortasse Hohenmessingen vel Waldmessingen prope Rotweil.

Mariam pervenit, et qualiter sit inluminatus, civibus [a] suis ei testimonium dantibus, recitavit.

972. [16 [b]. Quodam tempore cum sanctus episcopus ad synodum Ottonis imperatoris in Ingelunheim [c] congregatam [87] pergeret, quidam pauper de
88 oppido Affelterah [d, 88], Roudpret [e] vocatus, iuxta viam ei iunctus est, ilia sua de ventre prolapsa in loco umbilici portans in sinu suo. Cumque ea aperto sinu episcopo ostenderet, praecepit ei denarium dari, et dixit illi: *In pace Dei perge.* Qui non multo post tempore meliorari de die in diem coepit, et sanato ventre de praedicta infirmitate liberatus est. Postea autem idem ipse claudus factus est, ita ut nisi scamellis sustentatus ambulare potuisset, utilitate etiam dextrae manus in lineamentis totus privatus est. Hac infirmitate cum quatuor annis detentus mansisset, desideravit venire ad sepulchrum sancti Oudalrici, et comparavit ceram, quam secum ad sepulchrum deferret. Comparata autem cera, virtus ei in sustentaculis baculorum, dimissis scamellis, ambulandi concessa est. Illuc autem taliter cum perveniret, manus eius et genua sanitati restituta munia sua receperunt, ita ut idem homo sine sustentaculis erectus gradiens tripudiando rediret.

17. De regno etiam Lotharii [f] quidam Lutericus, qui multo tempore luce oculorum caruit, ad sanctum sepulchrum venit, et orationibus peractis, clarum visum recepit.

90 18. Clericus quidam, qui in Augusta civitate studio discendi saepe inter scolares morabatur, cum ad propinquos suos reverteretur, mutus effectus est. Cumque ab eis ad sepulchrum sanctum deductus fuisset, emissis de ore suo duobus denariis super sepulchrum, loquelam quam amisit recepit.]

19. Caecus quidam cum valde parvulo [g] ductore ad sanctum locum hiemali tempore studuit pergere. Qui cum Smutturam [h, 89] fluvium transgrederetur, et ad longum [i] rivulum de fonticulis
91 congregatum [k] super viam decurrentem [l] veniret [m], ductore cadente, magna cura et tristicia [n] per decursum rivuli cum baculo undique palpando ambulavit, et magna [o] voce clamando ad sanctam Mariam et sanctam Afram et ad [p] sanctum [q] Oudalricum, adiutorium et misericordiam postulavit [r].
93 Cumque sic palpando et clamando pene usque ad finem rivuli perveniret, Dei donante clementia, subito apertis oculis lumen aspexit, et regrediens ductorem suum levavit, et usque ad sepulchrum omnipotentem Deum et sanctos eius laudando portavit [s]; et ibi manifeste clericis et omnibus praesentibus quae ei in via acciderant intimavit [t].

[20 [u]. Fuit quaedam matrona in Francorum provincia praedives et nobilis, quae arrepta a diabolo nimie laborabat. Ad cuius ereptionem quinque episcopi cum aliis plurimis convenerunt. Qui cum diabolum [v] orationibus et coniurationibus artarent, ut obsessum corpus dimitteret, clamans et heiulans [w] dixit: *Nisi aliquid de rebus sancti* [x] *Oudalrici huc venerit, propter vestra* [y] *praecepta possessum vas non dimitto.* Cumque iterum atque iterum eadem responsa iteraret, aestimare coeperunt, ut legatos ad Augustam mitterent, ut aliquid adquirerent de rebus episcopi. Interim vero cum haec inter se arbitrarentur, clamavit diabolus per os matronae: *Vae mihi, vae mihi, hic in vicinitate* [z] *est presbiter unus, qui habet humerale quod fuit praefati episcopi.* Quamvis non sponte, sed Deo iubente, nominavit presbiterum, et locum ubi habitavit. Cumque accersitus presbiter cum humerali veniret, antequam domum intraret, demon dixit: *Vae, vae, nunc venit humerale episcopi.* His dictis, clamando et dolendo corpus matronae valde fatigatum reliquit. Interrogatus autem presbiter, unde ei humerale veniret, respondens dixit: *Episcopus aliquando ad regale colloquium pergendo, ad nostram aecclesiam venit, et nos sibi missam cantare rogavit. Cumque alba nos indui sine humerale* [90] *velle videret, dixit: „Ubi est vestrum humerale?“ Cui ego respondi: „Non habeo humerale.“ Tunc ille istud humerale iussit mihi donari.* Matrona autem a demonio liberata et sensui sanitatique restituta, tota vestimenta sua, quibus eo die induebatur, cum caligis et calciamentis ad sepulchrum sancti Oudalrici per nuntios misit. Quibus etiam praecepit, ut ibi nuntiarent, qualiter Domino concedente per eius merita est liberata. Wicfridus [*] eiusdem loci praepositus, qui etiam et custos aecclesiae eo tempore mansit, de froco [91] eiusdem matronae dalmaticam fieri fecit, et alia eius vestimenta, sicut congruum fuit, ad Dei servitium composuit, ut hoc signum misericordiae Dei frequentius posteris in recordatione maneret.]

21. In regione Sclavorum filius Volizlawi [a, 92] ducis valitudinem incidit, et in tantam infirmitatem deductus est, ut pater eius et mater [93] caeterique praesentes amici praesentem vitam eum ulterius habere posse desperarent. Cumque pater in his angustiis versaretur, ammonitus est de matre

a) suis c. et t. 1. b) c. 16—18. *desunt* 1. c) ingelheim 2. d) affeltrah 2. e) rudpertus 3. f) lutharii 2. g) paluulo 1. h) *deest* 1. i) logum 1. *qui his capitibus erroribus scatet.* k) congregatam 1. l) currentem 1. m) 3. 5. *addunt:* ductor eius ei auxilium praebere non potuit, sed de frigore et lassitudine defectis viribus cecidit. Caecus autem. n) stristicia 1. o) cum m. 1. p) *deest* 1. q) seruum dei 3. sanctum seruum dei 5. r) sibi dari intenta mente flagitavit 3. 5. s) porta ::: 1. t) narrauit 2. recitauit 3. 5. u) c. 20. *deest* 1. v) *deest* 3. w) hieulans 3. x) episcopi 3? 5. y) uestrum praeceptum 3? 5. z) ciuitate 2. *) uuifridus 1. a) Volizlauuai 1. wolizlaii 3.

87) V. lib. I. c. 23. — Oudalricus etiam synodo Ingelheimensi a. 948. affuit, Mon. Legg. II. p. 24. 88) fortasse Affeltrach prope Weinsberg. 89) Schmutter. 90) Hinc patet humerale vocari, quod nos modo amictum vocamus. MAB. 91) Frocus genus panni subtilioris, unde cucullis ex eo factis inductum frocci nomen. MAB. 92) Bolizlavi II. ducis Boemiae. 93) Emma. Velserus hac occasione monet, Augustae in ecclesia cathedrali fuisse donarium, ab Hemma Ludowici Germanici uxore traditum, cui hi versus inscripti sunt:

Hanc zonam regina nitens pulcherrima Hemma
Witgario tribuit sacro spiramine plenum.

pueri et de aliis quibus notum fuit, quam multipliciter multi per merita sancti Oudalrici de[a] diversis angustiis liberati essent. Continuo votum[b] vovit, si filius eius ad vitam rediret, ut missis legatis sepulchrum sancti Oudalrici cum oblationibus visitaret. Eodem vero die filius ducis conversus ad vitam, consolationem patri non minimam obtulit. Qui cognoscens misericordiam Dei in filio, nuntios[c] statim mittere et votum eius implere studuit. Qui venientes ad sepulchrum, obtulerunt 5 libras argenti et aureos[d] quam plurimos et de cera[e] quantum unus fortis soumarius portare potuit; mater etiam pueri seorsum denariorum aureorum bonam partem pro filio misit. Legati etiam altare sanctae Mariae cum auro et aliis oblationibus, sicut eis[f] praeceptum est, devote visitaverunt, similiter et altare sanctae Afrae; et narraverunt pro qua re missi sunt[g], dicentes[h], antequam ipsi exirent de[i] sua provincia, ut[k] filium domini sui ambulantem et sanum dimitterent.

22. Alio quoque tempore quidam dux Wandalorum[94], Misico[l] nomine, cum sagitta toxicata in brachium[m] vulneratus est. Qui cum sentiret, sese veneno nocivo esse percussum, et sibi inminere mortis interitum eadem hora putaret, cum magna[n] fide et constantia votum vovit, ut brachium argenteum cum manu quam cicius potuisset ad sanctum Oudalricum mittere non differret. Qui statim post votum relevatus a periculo, ad domum suam rediit, et brachium secundum suum votum componere praecepit. Cumque fabri brachium fabricare coepissent, et manum[o] in eo fingerent, dux continuo de inminenti periculo liberatus surrexit, Deum laudans, qui eum per merita sui[p] sancti episcopi de mortis periculo liberavit[q].

23. Quaedam mulier de Curiensi Retia, relicto proprio marito, cuidam viro de pago Albegewe Durinc vocato in matrimonium[r] iuncta est. Cumque cum illo aliquantulum temporis maneret, a demonio obsessa est, et ab eo nimie vexabatur. Quae cum in multis locis sanctis liberationis suae adiutorium quaereret et non inveniret, consilium accepit, ut ad sepulchrum sancti episcopi Oudalrici[s] veniret; quod[t] et fecit. Cumque ad sepulchrum veniret[u], clamans et fremens cecidit in terram, et facta est quasi mortua. Praefatus autem Durinc cum comitantibus sibi studuit levare eam; elevata autem, reddito sensu, a demonio est liberata.

24. Elemosinaria quaedam Habrahami, Frisingensis[v] episcopi civitatis, de villa quae dicitur Camera, cui maxilla pectori fuit inserta, et loquela in totum negata, cui etiam[w] manus brachiis replicatae et ita conglutinatae erant, ut figurae digitorum vix cognosci potuissent, cum veniret[x] ad sanctum[y] sepulchrum, et inde revertendo super pontem Lici fluminis ambularet, quidam homo obvius ei venit, et interrogavit eam unde pergeret. Cui illa respondere non potuit, sed vertebat se inclinando ad aecclesiam sanctae Afrae, ut ei monstraret unde pergeret. Cum autem se ad illum verteret, maxilla de pectore solvebatur, et loquela ei ad respondendum concessa est.

25. Quidam caecus cum veniret cum ductore suo ad fluvium qui dicitur Vindex, interrogavit eum, si adhuc videre potuisset civitatem et monasterium. Cumque audiret[z], in proximo fuisse[*] sanctum locum, abstrahere sibi fecit caligas[a] et calciamenta, ut nudis illuc perveniret pedibus. Ductor autem eius, raptis calciamentis et aliis eius rebus, furtive recessit ab eo. Qui aestimans, ut pro aliqua necessitatis causa oppidum iuxta situm intraret, et statim sibi in adiutorium rediret; cumque diu exspectaret, vociferando eum nominare coepit ut veniret. Interim etiam[b] quaesivit zabernas* et calciamenta, et non invenit. Tunc persensit[c], a ductore suo se esse spoliatum, flendo et orando clamare coepit ad sanctam Mariam et ad[d] sanctam Afram et ad[d] sanctum Oudalricum, ut sibi aliquid consolationis supplementum[e] eveniret. In hac cum prolixae afflictionis[f] tribulatione laboraret, subito ignotum conspexit oculis lumen, et statim crucicula de viminibus facta eundem denotavit locum, et tunc laetus destinata[g] visitavit loca, gratias omnipotenti Deo et sanctis eius agens pro perceptione luminis. Cives autem de Onarchusa[h, 95] in eodem loco, ubi cruciculam monstratam invenerunt, maiorem crucem pro signo posuerunt.

26. Quodam tempore cum populus undique concurreret ad Augustam[i] in vigilia[k] nativitatis sanctae Mariae, ut sanctum diem ibi[l] solemniter celebraret[m], quaedam mulier inter alios cum puerulo suo parvulo studuit illuc venire, ut illum[n] ad sepulchrum sancti Oudalrici[o] cum oblationibus ibi praeponderaret[96] pro sua sospitate. Cumque super pontem Vindicis carpento superpositum[p] puerulum cum aliis rebus ducere voluisset, pro inaequalitate pontis carpento inclinato, puerulus cecidit in amnem. Qui pro nimia illuvie vehementer elevatus, universis super eum[q] meantibus exitium minitavit. Cuius mater cum[r] tristicia in perniciem sui in amnem post puerum cadere voluisset[s], sed vix[t] a circumstantibus comprehensa teneretur[u], populi in utraque parte fluminis in ripa festinaverunt in

a) *deest* 1. *ubi* d. a. *in loco raso.* b) *deest* 1. c) nuntians 1. d) auri quam plurimum 2. e) et cetera 1. f) p. eis 1. g) fuerant 1. h) d. quum (?) 2. i) *deest* 1. k) *deest* 2. l) mysyco 3. m) prachium *corr.* brachium 1. n) m. uoce et fide 1. o) cum m 1. p) *deest* 1. q) 3. 5. *add.:* votum suum perficiens, mittendo brachium cum manu ad viri sancti sepulchrum. r) matrimonio 1. s) s. e. O. *desunt* 1. t) q. e. f. C. ad s. u. *desunt* 1. u) Cumque appropinquaret Augustae civitatı, et ecclesiam sanctae Afrae bene aspicere potuisset 3. 5. v) ad Frisigun ciuitate 1. frigisiensis 3. w) *deest* 1. x uenirent 1. y) sancti ŏdalrici 1. z) audisset 1. *) *deest* 3. a) caliga 1. b) uero 1. c) sensit ab 1. d) *deest* 1. e) sublementum 1. f) *deest* 1. g) destinauit loca 1. festinauit ad locum 2. *e corr.* h) onaraehusa 2. houarchusa 3? 5. i) a. ciuitatem 2. k) die 3. l) *deest* 1. m) celebrarent 2. 3. 5. n) *deest* 1. o) uiri 1. p) superposito 1. q) eam 1. r) prae 2. s) uoluit 2. t) u. illa *e corr.* 1. u) tenebatur 2.

94) Polonorum, ut videtur. 95) fortasse Orsenhausen. Velserus quod legit Houarchusa explicavit Oberhausen. 96) *i. e.* ceram offerret eiusdem cum puero ponderis. VELSER. *) i. e. capsas.

adiutorium infantis. Qui cum a nemine[a] eorum adiuvari potuisset, flumine submersus ab oculis omnium occultabatur. Mater autem ab amne vi abducta, et quantum possibile fuit consolatione recepta, flendo et lamentando adiutorium sanctae Mariae in primis quaesivit, et postea ad sepulchrum sancti Oudalrici cum oblationibus, quas[b] antea pro sospitate filii sui illuc referre decrevit, et eas pro requie animae pueruli cum bona fide donavit[c]. Sequenti vero nocte cum triste corpus mulieris sopor occuparet, quidam valde venerabilis senex in vestitu episcopali apparuit ei, dicens: *Poenitetne*[d] *te, mulier, valde*[e] *infantulus tuus?* Quae respondit: *Etiam, domine.* Cui ille inquid: *Mane diluculo vade ad fluvium, et ubi ultima vice in amne videretur, quaere eum in ripa fluminis inter frutices*[f]. Quae expergefacta, venturum cras vix expectans, cum adiuvantibus sibi ripam fluminis adiit, et secundum verbum sancti viri infantem suum sanum et incolomen invenit. Tunc laeta Deum laudans rediit, et rem gestam in civitate et ubique publice[g] recitavit.

27. Quidam vero[h] homo iuxta Danubium, cum cunctus populus sua sponte natalicium sancti Oudalrici solemniter celebraret, foenum cum rastellis congregavit in cumulos, diem sanctum spernendo. Qui cum altera die cum plaustris veniret, ut hoc in foenarium suum duceret, exterius formosum invenit; cum autem bidenti ligno interius tangeret, totum in favillas inmutatum invenit. Et diem sanctum, quem antea celebrare non voluit, postea prae timore contempnere non audebat.

28. Eodem vero tempore ancilla cuiusdam matronae Gerbirig nuncupatae texit[i] telum suum. Cumque in texendo laboraret, subitus dolor coepit contrahere manus eius. Quod cum lamentando aliis diceret, responderunt ei: *Depone texile ferrum, quia pro reatu hodierni operis hic labor tibi accidit.* Quae vix manibus de ferro absolutis lectum intravit. Cumque ibi requiem non haberet prae contractione manuum, conservae eius nuntiaverunt dominae suae; illa vero praecepit, ut mane diluculo duceretur pro liberatione sua ad sepulchrum sancti Oudalrici. Cumque in itinere lassae[k] circa horam nonam in planicie Lehfeldici campi ad reficienda corpora consedissent, dolor coepit minui in manibus laborantis, ita ut, antequam de ipso loco surgerent, usui prioris rectitudinis redderentur. Quae tunc laetae pervenerunt ad praedestinatum locum; et inde in civitatem ad aecclesiam sanctae Mariae genitricis Dei post vesperam venientes, haec sicuti gesta sunt nobis adnuntiaverunt, et laetae ad propria redierunt.

29[l]. Nobilis quaedam matrona de Burgundionum[m] provincia dum decrevisset pergere ad Augustam civitatem causa orationis, quendam claudum elemosinarium suum praecepit comitari secum; cuius cavallum[n] duobus ministris suis commendavit, ut pedes eius, sicuti mos est pergentibus, ferro munirent. Qui fraudulenter[o] pedes cavalli cum clavibus vulneraverunt, ne delator in itinere actuum suorum pro fidelitate dominae suae, sicut solitus erat, maneret. Dixeruntque claudo: *Cavallus tuus claudicat; et ideo hic te necesse est remanere.* Quibus claudus respondens dixit: *Quamvis cavallus claudicet, tamen*[p] *non consentio hic me remanere. Qui omnia potest, Deus omnipotens etiam me valet, sicut sibi placet, ad loca perducere destinata.* Cumque cum aliis pergere coepisset, sano et apto cavallo ad Augustam pervenit. Cumque ibi ad sepulchrum sancti Oudalrici devotam orationem prolongaret, et firma fide pro sospitate sua clementiam Dei imploraret, in praesentia multorum sanitati redditus est. Hoc videntes praefati homines, qui impedire iter eius in cavallo voluerunt, ceciderunt terra tenus, confitentes clericis caeterisque qui in praesentia[q] aderant delicta sua, veniam postulantes, quod[r] eum claudum impedire voluerunt, ne perveniret ad locum, ubi Dominus per merita sancti Oudalrici eum sanare dignatus est. Et accepta poenitentia, secuti sunt claudum sanatum crucem portantem, uterque saxum tantae magnitudinis portans quantum levare potuit, usque in aecclesiam sanctae Dei genitricis Mariae, quae est sita in civitate; ibique peccata sua lamentabantur, multum cum lacrimis veniam postulantes. Cumque hoc signum in praesentia omnium recitatum fuisset, clerici *Te Deum laudamus*, et populi *Kyrieleyson* cantantes, gratias et laudes Deo referebant.

30. Quidam homo iuvenis, cuiusdam filius comitis, tanta infirmitate est detentus, ut nec in lecto, nisi ab aliis adminiculatus, in aliud se vertere potuisset latus, nec cibum multo tempore valeret accipere, nisi paucis oblatis refocilaretur. Cum vero inmani labore fatigaretur, a fidelibus suis in lecto ad sepulchrum sancti Oudalrici deductus est. Oblationibus oblatis, lacrimabiliter ibi misericordiam deprecatus est. Cumque inde[s] eum in lecto ad Sanctam Mariam portare coepissent, in medietate viae coepit rogare portantes, ut deponeretur ad ambulandum. Qui non credentes eum posse ambulare, noluerunt deponere. Ad portam vero civitatis iterum rogavit ut deponeretur, dicens se posse ambulare[t]. Qui iterum ei non consenserunt. Ad gradus[u] vero atrii aecclesiae cum perveniret, in nomine Dei omnipotentis omnes in commune flagitavit, ut deposito lecto eum ambulare dimitterent. Ipse vero in fide haesitantes, petitioni eius assensum non dederunt. Ille autem ut[v] cognovit infirmitatem ab eo esse separatam et virtutem nutu Dei concessam, exilivit de lectulo, et inde strenuo gressu[w] ad aecclesiam pervenit, et sospes ad propria rediit.

Haec pauca praelibata miracula sufficiant studiosis ad bona exempla lectoribus, ita ut etiam tardis et segnibus nimii nausii[x] fastidium non in-

a) nemini 1. b) quos 1. c) donauit — amne uideretur *desunt* 1. *ubi nova pagina vocabulis* quere eum *incipit.* d) ne *deest* 2. e) *deest* 2. f) futices 1. fructifices 3. g) bublice 1. h) *deest* 2. 3. i) quae texiuit 2. k) lassa 1. l) c. 29. 30. *desunt* 4. *cuius lectiones in hoc Miraculorum libro non exscriptae sunt, et in duobus codd. Velseri* m) purgund. 1. n) *ita* 1. *semper.* o) fraudolenter 1. p) tam 1. q) praesenti 2. r) quia eundum (eundem?) 2. s) *deest* 2. 3. 5. t) amblare 1. u) grades 1. v) *deest* 1. w) *deest* 1. x) nausu 1.

culcent; quoniam si coepero cuncta beneficia adeuntibus ad sepulchrum sancti Oudalrici et inde revertentibus vel iuxta sepulchrum infirmis atque debilibus a Deo concessa singillatim enumerare, nullius adiutorio nisi solius Dei, qui omnia potest, possum perficere. In tantum namque multiplicia sunt, ut sensibilitas[a] humanae agilitatis dinumerare ea[b] non possit; quia quibusdam post vota devote peracta illuc cum oblationibus veniendi statim in laribus[c] suis donata sunt, quibusdam in itinere adhuc longe positis, quibusdam illuc adpropinquantibus, quibusdam illuc pervenientibus, quibusdam inde redeuntibus compendiose adimpleta sunt. Quorum auditus bono rumore non solum propinquas, verum etiam longe sitas regiones advolavit; quod frequens frequentia adventantium undique populorum saepissime manifestat, indicans in istis locis, in suis regionibus multa magnalia Dei per merita sancti Oudalrici facta, quorum vera cognitio nos propter nostras necessitates ad ista loca veniendum incitavit. His auditis, eia nos qui inquilini huius aecclesiae sumus, et tanti patroni faciem saepissime vidimus, et eius doctrinam benedictionemque[d] saepissime accepimus, et in eo optima exempla conspeximus, et nunc in retributionem eius bonorum operum assidua miracula et diversa signa in liberatione multorum videmus et audimus[e], cur non expergiscimur et taedium nostri desidii[f] non deponimus? Et eum de quo loquimur, quantum Deo donante possumus, imitantes, et eius adiutorio iter rectitutidinis ineamus, per quod pervenire mereamur[g] ad eum, qui in[h] tribus personis in divinitatis aequalitate unus, incommutabilis, omnipotens permanet sine fine in secula seculorum, amen.

TRANSLATIO S. MAGNI[i].

1. (14.) Igitur Karolo rege consolidato et confirmato in provincia Galliae, restaurans et reedificans ecclesias, quae a malis invasoribus desolatae erant, totam Germaniam Dominus suo subiugavit imperio, interfectis principibus Germaniam possidentibus. Cumque audisset de beato Otmaro iniuste acta et[i*] ad finem obitus usque perducta, necnon de coenobio Campidonense, immo de civitate Augustense, quippe de monasterio sanctae Afrae, et cellam sancti Magni pene destructam et desolatam, compunctus corde, iterum reedificare coepit ipsas ecclesias et sublimare. Constituit autem episcopum Sindpertum[k] nomine in ipsa civitate, et dedit secundum morem regium per firmitatis praeceptum ad praefata loca omnia quae ab antecessore suo Pippino[l] illuc tradita fuerant, insuper et[m] addidit plurima. Susceptumque[n] episcopatum, Sindpertus profectus est ad Augustam Vindelicum[o], et per annos triginta fere rexit ipsam ecclesiam[p], construens basilicam sanctae Afrae et restaurans coenobium sancti Magni. Parrochiam vero ambarum partium[q] Lici[q*] fluminis per auctoritatem domni[r] Leonis tunc temporis papae et confirmationem domni Karoli iam facti imperatoris in utroque regno simul Domino favente coadunavit. Qualiter ergo corpus beati Magni repertum sit, et inter ceteras virtutes, quae ante sepulchrum eius Dominus per merita sua revelare dignatus est, quam maximam virtutem tunc repperiente[s] corpore suo manifestavit, non est silendum.

2. (15.) Defuncto autem Sindperto[t] episcopo, successor eius Hanto[u] in episcopatu pastorali inici- c. 810. um[v] sumpsit, sed cum non amplius quam septem annos in pontificatus honore ipsam ecclesiam regere visus est, minime quivit ex his rebus aliquid sublimare, nisi tantum in Bauwaria propter suam progeniem, quam ibi praesentem habebat, ea quae potuit ad ipsam ecclesiam acquisivit. Finitos autem post septem annos, temporibus suis c. 817. successores eius, qui in ipsa sancta ecclesia constituti sunt, primus Nitcarius[w] cepit a fundamentis ecclesiam[x] construere; ceterique vero praesules eum subsequentes[98] prout potuerunt similiter construxerunt. Tamen non fuit aula basilicae ad perfectionem operis perducta, donec Domino annuente a gloriosissimo rege Ludowico, filio Ludowici clarissimi imperatoris, Lanto ipsam sedem sanctam eo tribuente adeptus est. Consecratus ergo praefatus c. 840. vir in pontificatus dignitate, quinto anno episcopatus sui ecclesia perfecta est et omni pulchritudine decorata, sanctumque corpus infra mediam ecclesiam requiescere sinens, sicuti prius positum fuerat, cum omni diligentia et honore, donec cum archiepiscopo suo et ceteris confratribus suis invenit, si eum ausus esset ab illo loco ad alium transferre. Consilio autem facto cum archiepiscopo suo sanctae Magontiensis ecclesiae nomine Otgario[y, 99] ceterisque episcopis suis suffraganeis, invenerunt dignum fore, et sanctum corpus ab illo in meliorem locum et sublimiorem transponere si Deus vellet. Sicque reversus est cum licentia regis[z] Ludowici ad propria, ad coenobium beati

a) sensilitas 1. b) *deest* 1. c) laboribus 2. d) et b. 2. e) audiuimus 2. f) desiderii 2. g) *deest* 2. h) *deest* 1. i) *Goldasti edit. 2. Act. SS. 3. notavi; sed lectiones valde discrepantes raro tantum attuli.* i*) eumque per contumelias impiorum ad f. u. perductum n. coenobium C. et ciuitatem Augustensem quippe et monasterium s. Magni et cellam s. Afrae pene d. 2. k) Sintpertum 2. 3. l) pipino 1. m) *deest* 1. n) Susceptoque episcopatu 2. o) vindelicam 2. 3. p) ipsa monasteria 2. q) parũũ 1. q*) lemanni *cod. Stuttg. ubi f.* 27—36. *Vita S. Magni ex hac antiquiore hausta legitur.* r) d. l. t. t. p. et c. *desunt* 3. *Braun.* s) reperto 2. 3. t) sinperto 1. u) *ita recte* 1. c. *Stuttg. et codex unus in Act. SS.* lanto 2. hatto 3. hauto *Br.* v) indicium 1. w) nitkarius 2. nidgarius *Br.* x) e. beati Magni 2. 3. e. sancti Magni *cod. Stuttg. Br.* y) otkario 2. z) piissimi r. 2. 3.

98) Udalmannus et Wiggerus inter Nitcarium et Lantonem sederunt; cf. cat. epp. Aug. ap. Mabillon Act. V. p. 477. 99) Sedit a. 825—847.

c. 845. Galli[a] accelerans, gratissimum omnibus qui aderant repertum consilium. Erat autem quidam in eodem monasterio frater ex pago Duria[1] ortus, et quamvis pauperculus, tamen ex bonis[b] parentibus natus. Cumque ibi studio discendi moraretur, et assidue quasi cottidianum victum suis laboribus quaesitaret, quodam dolore percussus in latera, per spatia temporum longa infirmitate contabuit, ita ut ab humero videlicet usque ad extremam corporis partem in uno latere ulcera saniem emittentia parerent quam plurima. Qua infirmitate adeo aggravatus est, ut vix sine aliorum adminiculo gressum quoquam movere potuisset. Lanto vero episcopus, convocatis ex parrochia sua multis presbiteris, indixit triduanum ieiunium, Domini misericordiam implorans, ut propera festinatione transactis tribus diebus sanctum corpus revelare dignaretur cuiusque meriti esset ostendere. Sequenti itaque tertia nocte dum corporale medicamentum illi aegro adhibitum nihil prodesset, et a semet ipso atque a cunctis eum conspicientibus iam iamque in desperationem lapsus adesset, vidit in somnio sibimet adsistere gravitatis senem placidoque vultu blandisque sermonibus causas infirmitatis inquirentem. Cumque aeger sibi[c] interroganti totius ex ordine infirmitatis suae replicaret eventum, dixit ad eum senex: *Postula autem, fili, episcopo praesenti, ut quando hodie corpus meum invenerit eumque a cripta in qua iacet abstulerit, ipsam criptam te osculari permittat, et dum osculata fuerit, sume cineris de ipso loco et misce cum aqua atque ex oleo sancto simul, et ante altare novum quod constructum est prout poteris prosterne te, necnon ulcera tua omnia perungere roga; et hoc si feceris, Dominus te continuo pristinae sanitati restituet.* Evigilans ergo aeger, facto mane venit ad ecclesiam, et quod in somnio audierat custodi ecclesiae retulit, et cum ipso basilicam ingressus, pariterque cum custode ad pedes episcopi prostratus, sicut edoctus fuerat episcopo narravit. Pontifex ergo diutius cum presbiteris orans inter angustias ac gemitus, assumpto fossorio coepit fodere, et invenit sarcofagum lapideum splendentem, in quo sanctum corpus iacebat more carbunculi optimi. Aperto itaque eo, inventum est corpus eius inlesum, et vita eius ad caput posita[2], sed membrana tamen tantum fuerunt tabida, ut vix a quoquam legi potuisset. Pars vero corporis in vestimento corruptum apparebat; corpus autem tantum quasi colore mutato iacebat candidum; et congruo satis miraculo indicia sanctitatis eius primo claruerunt. Nam episcopus, elevato corpore de sepulchro, permisit custodi ecclesiae, ut aegrum afferret, quatinus ipse secundum visionem sibi ostensam perficeret. Custos vero ecclesiae allatum corpus pueri, permisit eum osculari locum in quo sanctum corpus iacuit, sumensque cinerem de ipso sarcofago, miscuit cum aqua et oleo sancto, et perunxit puerum aegrum ea parte quam dolor possederat. Die vero altera sciscitatus est episcopus a custode ecclesiae, quid de aegro puerulo actum esset. Custos itaque arrepto cursu ad mansiunculam eius cucurrit, ut videret, quid de eo Dominus per promissionem beati Magni ostensum haberet. Mirum opus divinae operationis actum rem cognitam fecit, quia sicut praeterita die ulcera patebant quam plurima, ita alia die tantum sunt absque aliqua laesione sana reperta, acsi vix saltim caracter[d] invenire potuisset. Tunc demum episcopus eum suscipiens, ante sepulchrum beati Magni novum in eius corpus reconditum incolomem adduxit, sicsic gratiarum actiones Domino de tanto miraculo peragentes, ob memoriam redditae sanitatis ipse puer Domino semet ipsum et sancto Magno obtulit, quatinus reliquum vitae tempus deinceps in eiusdem sancti loci excubiis diebus vitae fideli devotione transigeret[d*].

3. (16.) Igitur his ita transactis omnibus de corpore sancti et beati Magni, assumpsit secum praefatus episcopus Lanto pitatium pene putridum; sed tamen, Deo gratias! infra paginae divina sanctione ad legendum sunt conservatae, et accersivit quendam monachum prudentem et industrem ex monasterio Elewanga, nomine Ermenricum, et tradidit ei ipsos quaterniones ad legendum et corrigendum ac emendandum. Ille autem asserens, se minime ita doctum esse, ut talia innovaret atque prout dignum erat inserere valeret, necessitate tamen obedientiae constrictus, suscepit illud pitacium, et secundum virium considerationem, iussionem pontificis contempnere nolens, adimplevit, quae ibi invenit scripta renovans omnia et corrigens, atque Domino annuente seriem confusam capitulorum luminibus emendavit[3]. Quanta[e] et quam plurima signa vero ante sepulchrum beati Magni post ornationem eius corpusque reconditum Dominus ibi revelare dignatus est, si omnia scribi possent, fastidium potius facerent legenti nausiantis mentem, quam studiosis propter copiam possint comprehendi memoriam. Nunc ergo ad laudem domini nostri Iesu Christi, qui semper sanctos suos glorificat, hîc pauca inserta sunt, quatinus lectoris animus devotus existat potius ad legendum vel auditoris promptus ad audiendum, quam taedium aliquod monstrans aut nausium rugatam frontem[f] minime possit laeta mente percurri. Itaque sufficiant ista de tanto patrono conscripta. Sed obsecremus eum, ut sicut sanitatem corporum animarumque adorantium eum multis suis meritis a Domino

a) Magni 2. 3. b) liberiori genere ortus 2. c) se 2. 3. d) cicatrix 2. 3. d*) transegeret 1. e) *Fragmentum apud Braun ita finit:* Corpus uero eius ob dissidionem ac bella inter Ludouicum pium fratresque suos Pipinum et Karolomannum commissa, per papam Sergium confederatos, aliaque aliorum principum honestiori ac solenniori sepulture, nisi post certorumque annorum curricula completa; tradi non potuit. Ubi et per eius merita quottidie maxima patrantur circa periclitantes in partu mulieres miracula. Circumferunturque sue exuvie cum crucicula et baculo quottannis adhuc per diuersa loca, cum his petencium circuiendo deuote segetes, ne frumenta periclitentur, sed et ortos caulium, de quibus mirabiliter uermes expellit; quod et experientia quottidie adhuc edocet atque declarat. Benedictus Deus. f) mentem m. p. I. fronte 1.

1) Thurgau. 2) quae c. 12. a Theodoro cum corpore recondita dicitur. 3) Haec vita est fabulis ut diximus referta.

eis contulisse credimus, ita nostris mentibus divinae miserationis medelam implorare dignetur, ut peccatorum nostrorum remissionem consequi mereamur et vitam aeternam adipisci, praestante domino nostro Iesu Cristo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat et gloriatur Deus per inmortalia secula seculorum, Amen[b].

EX PAULI BERNRIEDENSIS VITA S. HERLUCAE.

47. *De ordinatione sancti Magni per beatum Wicterpum.* Nunc stylus noster singulariter vertendus est ad beatum Wicterpum, si forte compensare possim aliquam negligentiam maiorum. Nam a diebus sancti Magni confessoris[4], quem idem praesul apud Eptaticum[5] primitus vidit caelesti lumine coronatum, et paulo post ibidem gratulabundus ordinavit presbyterum, nullatenus eius mentiónem vel audiendo vel legendo suscepimus usque ad tempora sanctae Herlucae, excepta dumtaxat translatione, quam senes qui viderant ipsi Herlucae sic referre solebant.

48. *De inquisitione corporis beati Wicterpi.* Heinricus Augustensis episcopus, indicens triduanum ieiunium, congregavit maximam multitudinem clericorum, monachorum et laicorum; et veniens Eptaticum cum crucibus reliquiisque sanctorum, aperuit beati pontificis sepulchrum; sed non invento corpore, contristatus est valde. Tandem percunctatione habita, repertus est qui diceret, se suspicari, furtive sublatum fuisse a quodam presbytero malae conscientiae, propter offensam tantae sanctitatis contremiscente, retroque altare sancti Laurentii collocatum esse; eo quod ipse puerulus patrem suum villicum et eundem presbyterum nocte quadam secutus fuisset ac tale quid molitos audisset.

49. *De inventione corporis eiusdem et miraculo gravitatis.* Verum cum per hanc indaginem praenominatus antistes antiquum praedecessorem suum laetissimus invenisset et versus Augustam ducere coepisset, tanto pondere fixus est repente, ut penitus moveri nequiverit a tanta quae aderat multitudine. Nolebat enim antiquam familiam suam corporalis praesentiae solatio destituere, quamvis eam, dum vixit, de suo transfuderit in dominium 973.
sanctae Dei genitricis Mariae[6]. | 982.

50. *De illatione corporis in oratorium et positione subtus altare.* Quod etiam translator animadvertens, reduxit eum in Eptaticum, miraculo inlevitatis[7] converso in miraculum, illatumque oratorio, quod praenotatus miserabilis presbyter nefanda pollutione profanaverat, et ideo sanctum corpus extulerat, et imposuerat vasi lapideo, cuius usus accommodatus fuerat baptismo; super quo illud altare constructum dedicans, totam domum debita purificatione sanctificavit.

51. *Quare sanctorum numero sociatus nondum sit digne glorificatus.* Itaque sanctorum numero sociatus beatus praesul Wicterpus, utpote sub altari, secundum apocalypsin beati Iohannis euangelistae, martyrum Christi collocatus, propter exilitatem tamen loci et imperitiam sacerdotii nondum digne est glorificatus. Quidam enim nec depositionis eius diem hactenus agnoverunt, cum aperte legatur in vita sancti Magni[8], quod obierit in 14. die Kalend. Maii.

52. *De sacrilegio, caecitate et illuminatione Hartmanni presbyteri.* c.1130. Ex hac imperitia vel incuria processisse puto, quod Hartmannus, presbyter Eptatici idemque praepositus apud Augustam canonicorum sancti Mauritii, sacrilegium non timuit in libris beati Wicterpi committere; unde eum et lumen oculorum contigit omittere. Verum de hoc magna Dei miseratio magnumque meritum sancti pontificis enituit, quod quamvis alienata volumina nec restituere nec recompensare valuisset, cum ex corde poenitenti et oculis lacrimosis Deo suoque confessori supplicando satisfecisset, praesente Herluca visum recepit et gratias egit.

TRANSLATIO S. UDALRICI.

1. Anno dominicae incarnationis 1183. indictione prima, 16. Kal. Iulii circa horam nonam, cum nimius esset aestus, fabrica quaedam in valle posita vicinas domos, et inde omnes officinas, tandem claustrum et ecclesiam sancti Udalrici et sanctae Afrae mira celeritate in favillas redegit, ita ut proxima coena nec panis ad victum superesset, nec tugurium, in quo proxima nocte fratres quiescerent. Dispersi ergo per civitatem fratres, prae nimia afflictione spiritus taedebat eos vivere, donec resumptis viribus domicilia coeperunt aedificare, 1183. in quibus ad divinum servitium et ad cultum religionis peragendum se pro posse receperunt. Sepulchrum etiam beati Udalrici trabibus desuper cadentibus confractum, et a sanctissimo ipsius corpore vacuum inventum est, nisi quod quatuor tabulae, sicut solent fieri in loculis mortuorum, aromaticum habentes odorem ibidem repertae sunt. Unde opinamur, quod in illis reconditum fuisset sacratissimum corpus eius, quando

a) Celebratur autem solempnitas sancti Magni confessoris Cristi octavo Idus Septembri ad laudem et gloriam nominis Domini. Finit vita S. Magni feliciter *add.* 1.

4) Haec ex vita fabulosa S. Magni c. 7 sqq. Wicterpus medio s. VIII. sedit, neque plures eius nominis episcopi statuendi sunt. 5) Eppach. 6) ecclesiae cathedralis August. 7) i. e. gravitatis. 8) c. 13.

1183. a saeculo decessit. Pro eo igitur, quod non est inventum corpus eius in sepulchro, dubietas magna coepit oriri, et moeror maximus tenuit animos omnium. Ex praecepto autem et consilio Hartvigi episcopi, quaesitum est corpus beati Udalrici pene per duas septimanas, et inventa est specus murata quadris lapidibus, et sub illa alia specus murata, minor tamen superiore, et utraque tamen erat vacua, quae res auxit dubietatem et moerorem, adeo ut plerique dicerent, corpus beati Udalrici in illo loco non haberi. Tandem, quando placuit sancto confessori, in anniversaria nocte sancti patris sui Hupaldi voluit revelari, in tertia videlicet specu murata, quae et minima et sub duabus superioribus erat. Cessatum est igitur usque ad diem sancti Laurentii, in quo ad praeceptum memorati episcopi, vocato praeposito sancti Georii et aliis religiosis, et clausis ecclesiae ianuis, inducti sunt biblii et caementarii confessione et flagellis curati; per totum igitur diem laboraverunt, ut locum mundarent, et lapides quadros admodum magnos de illa magna profunditate eicerent, et vix imminente nocte opus compleverunt.

2. Quid ibi miraculi Dominus per merita sui confessoris ostenderit, operae pretium scribere est. Cum lapidem quadrum mirae magnitudinis caementarii ad superiora funibus traxissent, funibus ruptis lapis ipse ruit super quendam bonae indolis adolescentem, nomine Cunradum, in inferioribus stantem, et eum ita prostravit, ut iam non solum mortuum, sed etiam per membra et per articulos totum dissipatum et confractum crederes. Heinricus, qui tunc prior coenobii erat, et alii religiosi ad pedes sancti Udalrici in fovea stantes et psalmis operam dantes, mente consternati sunt, et omne consilium penitus ab eis recessit. Porro viri, qui in superioribus stabant, praecipites saltus in foveam dederunt, ut iam non vivo corpori, ut sperabant, sed exanimi et colliso per membra subvenirent. Mira dicturus sum, avulso lapide adolescens quasi in extasi vivus invenitur, ac de terra sublatus sanus et incolumis, cum pausare aliquantulum iuberetur, ipse indefessus ad opus rediit, et moerorem gaudio commutavit. Benedictus Deus, qui est in saecula.

3. Ipsa die episcopus solo pane et aqua contentus rei expectabat eventum. Imminente autem nocte, purgatis omnibus et aditu patefacto ad sepulchrum, vocatus venit cum paucis in ecclesiam. Episcopus sacris vestibus indutus, cum magna reverentia nudis pedibus dimissus est in foveam, et ibi stans super sanctum sepulchrum, oratu prioris coenobii sub anathemate interdixit, ne quis furtim de tantis quippiam subtraheret reliquiis. Inventum est igitur corpus sanctissimi confessoris super aurum et topazion pretiosum, cum quibusdam particulis pontificalium induviarum necdum vetustate consumptarum, et in dextro latere ad caput pixis argentea admodum nitens in saccello holoserico, et in pixide, ut quidam dicebant, sanguis Domini et alia sancta continebantur. Inventa est etiam cistella serata admodum magna, quae omnia plena erant et referta reliquiis sanctorum. Corpus igitur beati Udalrici cum universis reliquiis ostro involutum, in gestatorio ligneo reclusum est, donec aliud gestatorium cupreum ex toto firmum factum est, in quo sanctissimum corpus diligenter est reconditum, pixide argentea ad caput posita cum caeteris reliquiis. In ipso sepulchro episcopus os quoddam de costa sancti confessoris temere surripuit, et in frusta comminutum indecenter pro reliquiis marsupio imposuit.

4. Per omnia etiam animo immutatus, valde infestus loco extitit, et quod reliquiarum sancti Udalrici pro sua voluntate compos existere non potuit, congregatione sanctae Afrae vehementer renitente, persecutionem magnam adversus locum movit; unde et Dominus eum eodem anno vita privavit, sicut in consequentibus patebit. Quidam Udalscalci famulus praepositi maioris ecclesiae, qui postmodum episcopus factus est, a quo et hoc ipsum quod narramus audivimus, vidit beatum Udalricum in visu quasi turbatum et ira commotum. Cui inquit: *O sancte Udalrice, quid causae extitit, quod sic in moerore et non in vultus tui hilaritate videris?* Ad haec beatus Udalricus: *Super episcopo illo, qui os de costa mea arroganter comminuit et cum aliis reliquiis corporis mei temere et indigne egit, moveor et movebor, et tamdiu divinitati conqueror, donec ipse poenas exsolvet.* Non multo post, cum sanus et incolumis esset, subito arreptus febribus infra paucos dies defunctus est; et post mortem viris religiosis saepius apparuit, exponens, quali iudicio subderetur et quibus tormentis afficeretur, pro eo quod in sanctum Udalricum peccavit, et locum ipsius ac fratres saepius infestavit, frequenter monens et rogans, ut ab ipsis indulgentiam consequi posset. Qui fratres, intuitu misericordiae, sicut pro inimicis iubemur orare, saepius veniam optant et pro ipso preces fundunt.

5. Libet etiam inserere, quod praeposito sancti Georii in ipsa inventione corporis sanctissimi, ut ipse nobis testatus est, accidit. Dum sibi innotum foret, in adiutorio et testimonio esse praedictae inventioni sancti confessoris, omni desiderio aestuabat, ut maiorem digitum pedis pio quodam subtraheret furto, et fratres sui, eodem desiderio laborantes, sacculum holosericum, in quo reconderet easdem reliquias, sibi praestabant. Igitur dimissus in foveam et ruinam passus, suum articulum in pollice pedis, secundum quod ipse sancto Udalrico voluit furto subtrahere, magnum passus dolorem confregit; unde ipse hodie, sicut asserit, debilitatus est. Marsupium etiam quod habuit clam collo dependens, palam amisit, unde adeo verecundatus est, quod pene doloris oblitus est. Non sunt tamen fraudati a desiderio suo idem praepositus et venerabiles sui fratres, quia de sacrosanctis cineribus et dentem unum fratres coenobii sancti Udalrici pro reliquiis contulerunt. Interim longe lateque fama percrebuit, corpus sancti Udalrici inventum, et coeperunt exstruere et dedicare ecclesias et altaria in honore ipsius, quibus etiam de sacrosanctis reliquiis, quantum ausi sunt, praedicti fratres coenobii intuitu caritatis dispertiti sunt. Concursus etiam tam de longinquis quam de vicinis locis tantus factus est, ut dictu sit incredibile.

VITA CHOUNRADI
CONSTANTIENSIS EPISCOPI.

Oudalricus I., Constantiensis episcopus, quum Chounradum antecessorem suum a Calixto II. papa inter Sanctos referri postulans, hoc nisi vita illius in generali concilio coram papa recitata et comprobata fieri non posse responsum accepisset, vitae conscribendae Oudalscalchum, Augustensem SS. Udalrici et Afrae monachum, adhibuit[1]. *Qui Eginonem abbatem, ab Hermanno episcopo, Heinrici V. imperatoris partibus favente, Augusta pulsum fideliter comitatus, quum tunc temporis apud Oudalricum hospitio exceptus exularetur*[2], *officium sibi iniunctum explevit, et antiquis schedulis vetustisque relationibus sibi ab Oudalrico oblatis innixus, librum concinnavit*[3], *quo per ipsum et Heinricum vicedominum papae oblato, Calixtus II. ex decreto concilii rescripsit, ut si vera esse agnoscerentur miracula, quae per eum a Deo facta dicerentur, scripturis et lectionibus memoriter deinceps teneretur. Responso benevolo recepto legati regressi, in itinere capti et aliquanto tempore carceri inclusi sunt, ubi Oudalscalchus rogatu concaptivorum historiam Chounradi „suaviter modulatus est", quam non multo post dimissus Oudalrico episcopo una cum litteris Calixti detulit; quibus allatis, corpus Chounradi d.* 6. *Kal. Decembris a.* 1123. *elevatum est*[4].

Liber ab Oudalscalcho centum quinquaginta fere annis post obitum Chounradi compositus et satis ieiunus, iam prodit ope

1) *Codicis monasterii Sanctae Crucis in Austria, quem a.* 1821. *evolvi et D. Franciscus Goldhann Vindobonensis in usum nostrum nuper exscripsit. Est membranaceus in folio maximo saeculi XII. Idem fere textus*

2) *Chronico episcopatus Constantiensis, auctore Iacobo Manlio, insertus legitur*[5], *unde nonnullos locos emendare et capitulum unum supplere licuit.*

3) *De codice, Oudalscalchi nomen praeferente, quem Leibnitius inter libros Vindobonenses laudat*[6], *nihil comperi; certe quem ipse catalogos bibliothecae secutus in Annalibus nostris annotavi*[7], *eum vitam istam minime exhibere, Chmelius noster rogatus ad me retulit*[8].

1) v. infra Hist. translationis S. Chounradi. 2) cf. Oudascalchi librum de controversiis inter Hermannum episcopum et Eginonem abbatem in Canisii Thesauro edit. 2. T. III. P. II. p. 1 sqq. et Sigismundi Chronicon Augustanum ecclesiasticum l. II. c. 2. in Pistorii SS. T. III. p. 675. 3) v. praefationem. 4) v. Hist. translationis. 5) Pistorii SS. III. 711—717. 6) SS. Brunsv. II. Praef. p. 2. 7) II. p. 498. (in Catalogo Hist. eccl. N. 111.) 8) Codicis qui olim in monasterio Bodecensi extabat apographum inter schedas sociorum Bollandi Bruxellis in codice regio N. 8953. Bethmannus vidit.

Oudalscalchi librum, translatione peracta, immo Oudalrico I. episcopo[9] 10 *fortasse et Oudalscalcho defuncto*[10], *clericus quidam aut monachus dioceseos Constantiensis*[11] *in ordinem meliorem redegit, nomina quaedam ab illo omissa et res quae postea contigerant, praecipue translationis historiam, adiecit; eoque, ut liber paulo meliori cum fructu legeretur, effecit. Cuius editioni adhibuimus*

1) *C. olim Weingartensem, iam in bibliotheca publica Fuldensi adservatum, et auctoritate summi Ministerii Electoralis a bibliothecario D. Wehner professore mihi transmissum, membranaceum in folio saec. XII., qui libros historiam Welficae gentis explicantes, necrologium Weingartense, anonymum Weingartensem, vitam Chounradi, chronicon imperatorum et pontificum Roma-* 12 *norum continet*[12]. *Librarius capita nonnulla et historiam translationis praetermisit. Inde*

1*) *C. olim Augiensis, iam bibliothecae aulicae Carlsruhanae chartaceus saeculo XIV. transscriptus est, quem serenissimo Domino Leopoldo Magno Duce Badensi iubente vir de re nostra optime meritus D. Molter, consiliarius intimus et bibliothecae Carlsruhanae praefectus, mecum communicavit.*

Codex Augustanus SS. Udalrici et Afrae, unde Leibnitii editio fluxit, quum hodie lateat, usi sumus

2a) *editione Leibnitiana in SS. Brunsv. T. II. p.* 4 *sqq., adhibita*

2b) *lectione codicis Augustani aut a Gamansio, aut a Sigismundo Lang descripti, hodie inter schedas reverend. sociorum Bollandi Bruxellis in bibliotheca regia N.* 8955. *adservata; quam Bethmanno debemus.*

Codices vitae S. Chounradi Basileae et Eremi exstantes aliique inter schedas doctorum Bollandianorum descripti ad rem nostram minime faciunt, de Romano, qui in bibliotheca Palatina adservari dicitur, nobis non constat.

VITA PRIOR AUCTORE OUDALSCALCHO.

PROLOGUS IN VITAM SANCTI CHUNRADI CONSTANCIENSIS EPISCOPI.

Domino[a] *Calisto papae sanctissimo, Oudalrikus Constantiensis ecclesiae famulus, cum universo dominici gregis sibi commisso ovili, debita obedientiae et*[b] *servitutis vota cum orationis*[c] *instantia. Divini*[d] *clementiam respectus, sub vestrae paternitatis gubernaculo dies nostros multis consolantem*[e] *bonis, propensiori gratiarum actione magnificamus*[f], *cum de tranquillo rerum statu et nova sanctorum claritate, qua diversae illustrantur ecclesiae, gaudeamus. Sicut enim splendor veri solis plures*[g] *mundi partes*[h] *electorum suorum meritis quasi totidem radiis penetravit, ita ad nostrum quoque vergens occidentem, per felicis memoriae Chunradi Constantiensis episcopi miraculorum insignia non impari luce totam nostris temporibus Alamanniam perfudit. Pro cuius gloria, ut moris est ecclesiarum, canonizanda cum sedis apostolicae praesentiam crebris iam dudum interpellassem litteris, hoc inmutabilis sententiae responsum accepi, vitam eius in concilio recitandam et conprobandam fore generali, et*[i] *testes insuper ydoneos signorum, quae per eum fiunt seu facta sunt,*

a) D. et venerabili 2. b) et s. *desunt* 2. c) orationum 2. d) Divina clementia 2. e) consolandum 2. f) magnificemus 2. g) alias 2. h) plagas 2. i) *deest* 2

9) Auctor enim Oudalricum secundum, primi successorem, noverat. 10) „qui postea monasterio b. Afrae penes Vindelicam strenue praefuit“, Hist. transl. 11) an ecclesiae Constantiensis, ubi Chounradus sepultus erat? 12) v. Archiv VII. 596.

ibidem adhybendos, ut tantis coelestium donorum beneficiis reverentia fidelium assurgat universalis, et[a] per hoc invidia, quae nec mortuis parcit, obstruatur[b] particularis, cum digito Dei malefici[c] superentur Pharaonis. Quapropter operam dedi, ex patrum scedulis, huius viri dignissimam Dei[d] conversationem potius quam miracula, quae nonnumquam reprobis cum sanctis communia sunt, continentibus, sequens opusculum colligere, vestraeque sublimitati examinandum dirigere, malens, stilum simpliciorem verecundiae patere, quam civitatem supra montem ponendam in valle torporis et oblivionis diutius latere. Adieci tandem ex innumeris, quibus plurimae ad memoriam eius laetificantur nationes sub probabili testimonio, pauca dumtaxat signa, ne sicut videntibus gaudium, ita audientibus nimietate sua[e] generent fastidium.

VITA EIUSDEM.

1. Igitur beatus Chunradus, nobili Alamannorum stirpe exortus, in paradyso[f] ut germen erumpens uberius florem, illustrem natalium[g] exornat propaginem. Quem enim clarum altior carnis edidit nativitas, hunc clariorem atque excellentiorem spiritus reddidit generositas, ita ut[h] in hanc ab ipsis tenerioribus[i] annis totus transfertur. Gratia quippe superna virtutum iniciis primordia eius comitabatur, et quantus esset futurus, iam pro aetatis[k] modulo non mediocriter in eo informabatur[l]. Denique traditur a parentibus Constantiensis ecclesiae fratribus litterarum scientia imbuendus; in quorum contubernium illius sorte, cuius est assumptio nostra, receptus, ad excubias tabernaculi quod fixit Deus ministerium[m] initiatur leviticus. Nec defuit unctio spiritus alumni sui praecordiis, quae frustrari non sinebat laborem hominis extrinsecus docentis, dum quaelibet liberalis disciplina[n] docibilis Dei ardentius reconderet semina, multiplici quandoque fructu proferenda.

2. His studiis lubrico aetatis illius gradu transcurso, solidioris intellectus et habitus roborat animum progressu, in tantum ut corruptibilis aestum naturae divino temperaret timore, et[o] per hoc in eius pectore sedes fundaretur sapientiae. Nam[p] tamquam in editiori gravitatis morum solio residens, mirabatur, si retro respiceret praecipicium adolescentiae inmuni se passu evasisse; nec tamen de[q] hucusque servata praesumens innocencia, vitam artioris parsimoniae moderatur[r] observantia.

3. Per idem tempus ecclesiae Constantiensi pontifex reverendus praesidebat Nothingus, qui ubi viri huius conversationem probabilem et honestam comperit, in opus mini- 920.
sterii sui eum assumpsit, ut instar Iosuae populo Dei praeferendus instrueretur, qualiter 934.
ipsi praesuli tanquam Moysi successurus ducatu spirituali quandoque potiretur. Publicis igitur et privatis ecclesiasticae curae negotiis instans, ut maior consilio, ut expeditior verbo, illius gratia de cuius plenitudine omnes accepimus, non sine[s] ammiratione vigilantius auditur ab omnibus, cum in singulis causis et personis idem sibi, diversus[t] pro rationis qualitate videretur aliis[t]. Super egenum et pauperem, ut intelligens[u] inopiam esse quam diviciae alienam a se fecerant, compassione experiri desiderat, [se[v] miseriorem], se inferiorem reputans, si cuique pro viribus non subveniat. Cunctis oppressis, pro sui relevatione[v*] tunc temporis episcopum adeuntibus, hic facilis accessus, hic non emptus causidicus, hic postremo adiutor[w] extitit inportunitatibus. Verum quia tantae virtutis homo digniori probandus erat exercitio, in praepositum a fratribus eligitur, ac per hoc communi rerum utilitati prospicitur. Nam iuxta adeptum[x] culminis honorem, quod hactenus voluntate[y], deinceps operatur bonum ad omnes facultatis liberalitate[y], praesertim cum ambitionis, quam nimirum generat avaritia, ignoret caecitatem[z]; sed quanto magnus sit, eo[*] magis sectetur humilitatem, eo largius caritatis amplectatur benignitatem. Non minus et ipse honorabilis atque amabilis, tum[a] pro reverentia dignitatis, tum[a] pro affectu paternitatis habetur universis; qui felix revera illud aevum arbitrantur, quo tanti vir exempli divinitus orbi donatur.

a) ac 2. b) observetur 2. c) molestia superetur 2. d) deo 2. e) sui generarent 2. f) paradysi 2. g) nobilium 2. h) *deest* 2. i) tenioribus 1? k) pietatis 1. l) formabatur 2. m) minister 2. n) disciplinę 1. *vocabulo* doctrina *deleto.* o) ac 2. p) Iam 2. q) *deest* 1. r) moderatus 1? s) sui 1? t) diuersis 1. *ubi* aliis *deest.* u) p. int. eorum inop. 2. v) *desunt* 1. v*) relevationi 1? w) a. in oportunitatibus 2. x) adepti 2. y) uoluntatem — liberalitatem 1. z) caecitates 2. *) tanto 2. a) dum — dum 2.

4. Interea praefatus antistes Notingus humanae debitum persolvens naturae defun-
934 gitur; cuius corpus a sancto et venerabili Oudalrico Augustensi praesule[a] sepelitur. Hic admirabilis vitae pater, cum erga[b] viduatam ecclesiam in eligendo episcopo pro coelesti duceretur oraculo, triduanum ieiunium toto clero indixit et populo, dignum asserens, praecipua[c] quaeque divinarum rerum consilia maiori devotione a spiritu consilii fore petenda. Cumque[d] die statuta frequens utriusque sexus et aetatum esset[e] concursus, grandis omnium fit expectatio, quem Deo plenus pater Oudalricus ydoneum gregi dominico pastorem exprimat primus. Ille spiritu instructus, Chunradum non modo irreprehensibilem, sed omni qua apostolus episcopum describit forma perfectum, in hoc opus bonum hortatur assumendum. Nec[f] mora, haec vox in ore universorum: *Iuxta generale votum dedit nobis Deus episcopum!* Renitentem itaque[g] et indignum se vociferantem cathedra pontificali Constantia suum exaltat Chunradum, ad coelum usque laudibus suum attollit electum[h]. Gaudet clerus, se talem promeruisse pontificem[i], qui sibi prudentia[k] praeesse valeat et providentia, cum alterum eorum hunc principaliter[l] ordinem respiciat, altero eorum[m] specialius indigeat. Quamvis enim filii seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint, ab illa tamen sapientia quae desursum est oculus eorum quam plurimum caligat, cuius radii Deo dicatos tamquam proprios[n] clarius illustrant. Quorum etiam purior obtutus solerti[o] praesidentis servandus est cura, ne aliqua tenebrosi seculi turbetur nebula. Inpaciens enim pluviarum est purpura, qua[p] altare aureum tabernaculi foederis involvitur; sagis vero cilicinis turbinis et imbrium tempestas impune excipitur.

5. Sed ut stilus ad novum[q] recurrat antistitem, laetatur populus de tam eximio pastore, cuius voce indesinenter ad uberrima supernae beatitudinis[r] invitatur pascua, cuius vita[s] nullatenus a sana discrepat doctrina. Cum enim sic se imperitum hominum genus habeat, ut si secus doctrinam[t] quam docet praedicator non[t] agat, nec verum[u] quidem suspicetur quod[u] dicat, hic veritatis doctor[v], hic operator[w] iusticiae operum commendatione vulgari laude ferebatur, ac per hoc non paucas Deo animas lucratur[x]. Pauperes in eo se vere patrem invenisse[y] fatentur, quorum miseriae caminus suis refrigescit diebus, quorum nuditas vel inedia hospitalis viri largitate solatur continua. Quibus et domum in ipsa civitate aedificavit, in qua[z] sacrato principum ecclesiae numero duodecim pauperes praeter[*] alios omni hora supervenientes iugiter disposuit pascendos. Postremo ipsi nobiles ac potentes mundi exemplo eius sub potenti manu Deo[a] addiscunt humiliari, nec est ulla iam utriusque sexus mortalium conditio, quae suo non instruatur exemplo vel[b] documento, vel[c] reficiatur beneficio.

6. Principalem praeterea genitricis Dei aecclesiam duplici cumulavit thesauro, copiosis scilicet[d] undecumque[e] collectis sanctorum reliquiis et metallorum ex auro et gemmis fulgoribus preciosis. Tres insuper basilicas, unam foris murum civitatis, duas infra construxit, quas[f] et abundante dote dedicavit. Ex quibus in ea[g] quae ad honorem beati Mauricii fundatur sepulchrum Domini in similitudine[h] illius Ierusolimitani factum mirabili aurificis opere per[i] gyrum decoravit; ubi etiam[i] et 12 clericos datis stipendiis ordinavit. Auget quoque numerum maioris ecclesiae fratrum, spaciosum[k] ac memorabile ex propriis tradens eis allodium, ne, si militantes Deo gravius paterentur victus aut vestitus dispendium, illud tamquam in deserto murmurantibus virus irreperet serpentium[l], quod nonnisi per dominicae passionis fugatur intuitum. Quamquam enim nosset, timentibus Deum nichil deesse, cum aut rebus aut sola qua penuriam superent patientia exhuberent, modis tamen omnibus praecavere conatur, ne scandalo vel extremo[m] pusilli Ihesu offendantur. Plenus enim[m] ante et retro oculis, praesentibus prospicit atque[n] futuris, nec est studium aecclesiasticae traditionis[o] aut religionis, unde fervente[p] in Deo animum[q] enormitas exterreat laboris.

a) pontifice 2. b) gratia 1? c) maiora 2. d) Tum 2. e) *deest* 2. f) Hec 1? g) ergo 2. h) clericum 1? i) praesulem 2. k) et sapientia 2. l) praecipue 2. m) *deest* 2. n) p. filios e. 2. o) vigilanti 2. p) quam 1. q) novi antistitis obsequium veluti parvulus ad maternum recurrat sinum, laetatur 2. r) u. vitae inv. 2. s) opera a salubri n. discrepant d. 2. t) *deest* 2. u) vera ... quae 2. v) d. verax 2. w) orator 2. x) lucrabatur 2. y) accepisse 2. z) quo s. principium 1. *) extra superv. 2.
a) dei 2. b) e. uel *desunt* 2. c) seu 2. d) videlicet 2. e) undique 2. f) easque d. habundanti 2. g) illa 2. h) similitudinem 2. i) *deest* 2. k) speciosum ex p. ac memoriale t. 2. l) serpentiuum 2. m) *deest* 2. n) aut 1. o) te adicimus 1? p) feruentem? q) illius a. 2.

7. Pericula maris tercio temptat, ut totiens Hierusalem etsi terrestrem videat; non pro nichilo ducens, si terram repromissionis[a] aspectu intuetur carnis, ubi patriarcharum figuris et prophetarum trascensis oraculis, ipsum Deum hominem[b], quem praecinebant septem humanitatis assumptae[c] reserantem signacula, fidei contempletur oculis.

8. Supramemorati patris Oudalrici, ut Davit Samuelis, perfruitur amicitia, exercitatur visitacionis mutuae frequentia. Nec incongrue[d]; in ipso enim[e] spiritu antistes[f] hic per episcopum eligitur, in quo illic rex[g] per prophetam ungitur. Est autem in territorio Constantiensi castrum ex situs[h] proprietate Loyfen[i] denominatum[1]; in quo dum simul commorantes, die quadam maximum Reni velut in abyssum inibi[k] proruentis indeque visu terribili[l] ebullientis mirarentur impetum, duas vident volucres circa rupes e medio fluminis[m] incessanti volatu gyrantes. Quae[n] et crebrius, ingruente rotatus defectu, unda torrenti iam iamque praecipitari incipiebant, rursumque emergentes, miserabile spectaculum intuentibus praebebant. Nec diu re insoluta[o] obtutus sanctorum frustrantur, qui, in avium specie animas nondum[p] plene purgatas illo tormenti genere cruciari, per spiritum docentur. Festinatur ergo ad celeberrima mensae coelestis praesidia; et prior ut hospes accedere cogitur Oudalricus[q], hostiam vitae immolaturus. Qua divinitus suscepta[r], nonnisi una comparet avicula; altera per dominum domus[s] salutis offertur[t] victima, et altera simili translationis modo liberatur anima.

9. Praeterea spiritum prophetiae[u] beatissimo Chunrado non defuisse, ex his quae sequuntur possumus colligere. Causa extitit, pro qua terminanda domum, in qua[v] morabatur, cum paucis consilium habiturus egreditur. Super cuius sedile in medio relictum 26
dum optimae indolis Gebehardus, tercius post eum episcopus, non serii gratia consedisset[w], reppertus in eo, talia a superveniente patre non sine rubore verba audivit: *Praemature*, inquit, *Gebeharde, sedem meam arripuisti; ante tempus locum pontificis invasisti. Michi succedet, qui prior te in hac kathedra sedebit.* Quod quam verum fuerit, exitus rerum probavit. Viro namque Dei de[x] praesentibus beato[y] Chunrado sublato, Gamenoldus[z] quidam vacante excipitur solio. Hoc item ante lustri expletionem defuncto, 980
dictum Gebehardum Constantia promeruit pastorem, sanctitatis revera et morum praedecessoris sui Chunradi in omnibus heredem.

10. De* cuius virtutibus retexere aliqua, epistolaris minime permittit angustia, maxime cum tantae credantur, quam ad laudem ipsius materia brevitatis impatiens esse videatur. Tandem ad transitum patris Conradi calamo festinanti, de multis, quae ad honorem Dei in sui pontificis dici poterant factis, unum ponatur, quod tam imitatione quam admiratione relatu non indignum censeatur. Paschalis siquidem laetitiae[a] dies advenit, in qua vir iste agnum, cuius sanguine tum intentionis nostrae superliminare, tum postes corporis purgantur et animae, inter missarum artiorem[b] Deo patri obtulit. Accepto ergo corporis dominici sacramento, venitur ad sanguinis eiusdem participationem. Calix ex more disco operitur; aranea vitae liquori illapsa cernitur. Animal mortis exitium homini exteriori minatur, sed interim poculo immortali animatur. Quod fecit minister coelestis convivii? Summa accinctus fide, nihil in hac re mortale, nihil ducit exitiale; avidius consumit et quod sacramenti et quod exterminii fuit, non immemor, antiqui serpentis venenum antidoto passionis dominicae evacuatum. Cerneres ministerii huius cooperatores pallescere, imminens antistiti, ut suspicantur, necis periculum circumstantibus innuere. Ab omnibus in commune tristatur ac timetur, dies gaudii in moerorem vertitur. Tamen peracta communionis distributione, ultra omnium spem ad mensam, artus ieiuniis attenuatos refecturus, accedit, sed non gustando cibum aliquamdiu sedit. Percontatur secretius, quid esset acturus. *Expecto*, inquit, *hospitem in proximo venientem.* Et reclinato super mensam capite, exitum araneae aperto praebet ore, quae nec mori in homine Dei,

a) promissionis et oculis intueretur 2 b) et h. 2. c) suae 2. d) immerito 2. e) quippe 2. f) antestes 1? episcopus hic per antistitem el. quo 2. g) *deest* 2. h) exitus 1. i) Lauffen 2. k) *deest* 2. l) horribili 2. m) f. prominentes incessantique 2. n) Quae ing. interdum r d. aquarum voragine praecipitari 2. o) insolita sancti f. 2. p) n. pene plene 1. necdum ad plenum p. 2. q) senior Udalricus 2. r) accepta 2. s) Conradum *add.* 2. t) aff. 2. u) propetie 1. v) q. tunc m. forte 2. w) sedisset 2. x) a 2. y) b. ch. *desunt* 2. z) gemenoldus 1. *) *caput* 10. *deest* 1. a) laetitia 2. b) celebrationem?

1) Laufen infra Schafhausen.

nec mortem potuit inferre. Tum quanta convivarum exultatio, quanta de viri constantia suboritur admiratio, lector potius animo concipiat, quam exprimendum verbis exigat.

11. Ceterum plenus dierum beatus[a] Chunradus cursum consummavit, fidem servavit, 976. in[b] reliquo repositam sibi coronam iusticiae a Domino accepturus, iusto iudice. Transiit autem de huius exilii tenebris 6. Kal. Decembris, anno dominicae incarnacionis nongentesimo septuagesimo sexto, episcopatus vero[c] sui quadragesimo secundo, mundi videlicet[d] heremo vastissima virtutum progressibus tamquam sub hoc castrorum numero feliciter transcursa[e]. Spiritu[f] itaque ad coelestem patriam assumpto, sanctum corpus eius cum omni reverentia sepultum est ante ecclesiam sancti Mauricii martiris, quam ipse construxit et in qua sepulchrum Domini, sicut iam ante diximus, miro opere decoravit.

12. Beati[g] pontificis Chunradi miraculorum insignia, quae in hac quoque vita fuisse credimus innumera, ex scriptorum incuria temporibus nostris pauca sunt cognita; ac per hoc, quae minus probabili didicimus attestatione[h], posteris stilo omisimus[i] commendare; praesertim cum antiquis merita eius[k] non indigeant testimoniis, quae nova semper ad sepulchrum illius[l] gratia tocius declarantur sanitatis.

13. Ut enim quaedam ex his dicamus, duos a nativitate caecos ibidem diversis temporibus illuminatos vidimus; et veritatis promissa sunt impleta: *Qui*, inquit, *in me cre-*
Ioh. 14, 12. *dit, opera quae ego facio et ipse faciet.* Christus enim caeco a nativitate visum reddidit; quod Pharisei calumpniantes, sub Moyse facere nequeunt, Chunradus vero[m] per Ihesum[n] potest et poterit.

14. Fertur, quendam utriusque pedis officio quatuor annis privatum, sex mensibus circa viri huius memoriam baculorum sustentaculis gyrasse, crebrisque precibus pro adipiscenda sanitate noctes diesque continuasse. Ibi[o] cum die quadam ligneis innitens[p] gressibus solitae orationi instaret attentius, subita caligine hebet visus, obrigescunt manus, vires amittuntur, baculis elapsis homo labitur. Circumstantes accurrunt[q], erigere lapsum gestiunt, et[r] absque voce et motu durantem mortuum credunt. Exequias tamen facturi, cadaver levant; et ecce oculos sensim aperire seminecem aspiciunt, extendere crura usque huc curva laetiores cernunt. Totus ergo in momento restitutus homo et Deo laudem et mortalibus adauxit fidem.

15. Quamquam autem[s] signa non fidelibus sed infidelibus tribuantur, nonnumquam[t] credentes, ut in fide crescant, ut in spe aeternitatis et[u] fervore caritatis proficiant, gratia quoque sanitatum provocantur. Puer quidam longa corporis molestia debilis effectus, extra hominis incessum manibus reptabat et pedibus. Hic fama beneficiorum beati viri attactus[v], patri suo, quatinus Constantiam deferretur, supplicavit[w] innixius. Qui filii congaudens fidei, annuit peticioni. Navicula ergo ad optatum devectus locum, vasculi cavea excipitur, et tamquam immobile quid ante praesulis tumbam deponitur. Inde[x] oblatione facta excutitur, ut miserae conditioni astantes compatiantur. Videres quadrupedis more hominem reptare; et quia liminis vel graduum crepidine sanctuarium ingressus offendebatur, distendere genua retorta cogebatur. Tali scandens conamine, ad genitricis Dei pervenit altare; in quo munusculum oblaturus, primo haerere, deinde altiora petere manibus coepit, quousque vota peregit. Hoc igitur modo animal pronum remansit erectum, et ex informi homine integrum pater recepit filium. Crederes matrem Domini hoc contulisse, si fides simplicior sanati[y] concordaret[z]. Sed per eam et cum ea Chunradum id potuisse, nulli dubium; at[*] pro hoc non incongrue utrique ascribitur, quod hinc spe, hinc re egens consequitur.

16. Vidimus mulierem[a] plantis sulcantibus nates contractam circa saepe dicendi patris volutasse mausoleum, eiusque omni annisu diebus aliquot flagitasse suffragium. Quae, pristino gressuum statu reintegrato, multis inibi annis curationis adeptae fuit testimonio.

17. Altera quoque decennali aegritudine confecta, usque ad ulcerum saniem tam ex sinistro latere quam ex collo periculosius erumpentem devenit. Tandem aliquantu-

a) b. C. *desunt* 2. b) s. sibique rep. iust. cor. a Deo i. i. recepit. Transiit 2. c) *deest* 2. d) scilicet 2. e) excursa 2. f) Spiritu — decorauit *desunt* 2. g) Cuius signa vel miracula, quibus eum numerosius in hac credimus fulsisse vita, ex 2. h) relatione 2. i) noluimus 2. k) *deest* 2. l) eius 2. m) *deest* 2. n) Christum 2. o) ubi 2. p) l. solito innixus g. o. 2. q) occ. 2. r) sed 2. s) enim 2. t) n. tamen 2. u) ac 2. v) attractus 2. w) supplicat enixius 2. x) unde 2. y) sanitati 1. z) commodaret 1. *) ac per 2. a) m. quandam 2.

lum fluor ille exsiccatur[a] execrabilis, sed tabefactum manet[b] brachium cum manu eiusdem lateris. Denique saepius in somnis vidit, se memoriae beati viri assistere, indeque curatam recedere. Evigilans, de imaginaria quidem salute tristabatur, sed occultiori quadam spe consolabatur. In qua et cum aliis quos illius temporis festivitas attraxerat civitatem ingressa, sociis[c] ad ecclesiam properantibus, nuditatis verecundia hospitio retinetur sola. O mira, o stupenda Conditoris iudicia! Multi enim[d] nesciunt, et sanissimi divitiis affluunt, nudi sunt iusticia, et incedunt ornati gemmis et purpura; haec autem paupercula durissimis[e] afflicta cruciatibus, cum nudo Adam latitat verecundius, nisi quod[f] ille pro paradysi eiectione, ista pro ecclesiae moerebat sequestracione, uterque tamen obnoxius morti ac per hoc pudoris confusioni. Hanc igitur mulierculam paupertate a publicis arcente, gemino[f*] misera, tum frustratae spei, tum mendicitatis torquebatur dolore, rivisque lacrimarum uberrimis nonnullos qui eam noverant ad pietatem flectit compassionis. Vestibus ergo populari vehementia[g] collatis induitur; ad eum, cui hactenus in visu praesentabatur, frequenti turba deducitur. Super cuius sarcophagum aridam dextera[h] fulciente offerens manum[h], miseriae suae plena fide fecit sacrificium. Nec diu supplicans tardatur, dum manus cum brachio redivivo donata motu retrahitur.

18. Item puella confluentem in hunc locum innumeram multitudinem comitabatur; quae digitis in volam[i] contortis, ex utero matris excruciabatur. Haec dum protinus curaretur, lascivior aut simplicior, rem celans egreditur. Incommodo statim priori occupatur; manca, nimio haesitans stupore, periclitatur. Ocior tamen redit, confitetur quod celavit, mirantibus cunctis sanitatem quam amisit denuo recepit.

19. Gallus quidam Pictaviensis, duodecim annis claudus, ad[k] urbem Constantiam longaevus viator venit. Hic, ut solitum est, vice pedis alterius base lignea nequaquam sustentatur; sed[l] baculis ascellas rodentibus, tripes ferebatur. Tibia quippe cum pede arefacta et fere in fistulae subtilitatem redacta, totus in poblite humor nocivus concrevit, ac per hoc genu in maximum tumorem excrevit. Sex ergo mensibus in urbe moratur, et visis tantis curationum beneficiis, ad spem recuperandae sanitatis[m] animatur. Ecclesiam frequentat; ut sui, iam tempus multum in dolore habenti[n], ut ex longinquo venienti[n], pater sanctus misereatur, supplex postulat. Interea nox sanctissima pentecostes supervenit, in qua excubias circa sepulchrum eius devotus egit. Ventum est ergo[o] ad matutinorum vigilias, et novo cruciatu dicta membra iam dudum emortua incipiunt torqueri, ita ut iam de repentino dolore magis quam de gressus afficeretur privatione. Sensus in brevi amittitur[p], ipsa quoque vox adimitur. Hora dicendi cantici „Te Deum laudamus“ instabat, et homo vires cum incessu naturali recuperabat. Supplici ergo laude Deo[o] iubilatur, dum Spiritus paraclitus et propria festivitate et hominis liberatione universos consolatur.

20. Puerum quendam in clero constitutum, sed inmatura paralisi debilitatum, parentes ad hunc transferunt patronum. Et quia non de infimis natalibus erant procreati, plures condolentes tam suae quam genitorum[q] conveniunt oppressioni. Non minima ergo plebe stipati, debilem suum ante viri Dei memoriam exponunt, seque in terram pro eo supplicatim mittunt. Quid amplius[r]? Fides eorum ex alto respicitur, aeger Chunradi meritis attollitur, pontifex summus in ministro tabernaculi perfectioris honoratur, mirabilis Deus in sanctis suis praedicatur.

21. In coenobio quodam sanctimonialium duae[s] virgines diversis laborabant aegritudinum molestiis; una siquidem ex vomitus instantia non retinens mensibus octo alimenta desperabatur[t], altera paralysi gravissima resoluta periclitabatur[t]. Compertis huius patris virtutum praeconiis, ab ipsis claustri seris pia spe trahuntur, sed tam morbi quam infirmae aetatis pudore a publico repelluntur. Nox igitur huic fluctuationi satisfactura praestolatur, in qua navi inpositae, prima vigilia — non enim longe distabant — ad urbem perveniunt. Intromissae praesulis velut coram[u] vestigiis positae, fide plenissima prosternuntur; pro salute diu sperata preces cum lacrimis a pernoctantibus funduntur. Est autem loco in eodem memorati viri poculum ligneum non indebita veneratione hactenus servatum; unde cum summa aviditate modicum aquae gustassent, vis quaedam coelestis undam prosequitur, quae perfectam in eis medicinam operatur. Ad coelum

a) exsicatur 1, siccatur 2. b) remanet 2. *cuius lectiones non omnes attuli.* c) sociisque 2. d) eum 2. e) dir. 2. f) quidem 1? f*) gemina 1. g) *ita* 1. 2. h) dexteram f. o. manu 1. i) uoluam 1? k) cl. constantia 2. l) sed — ferebatur *desunt* 2. m) salutis 2. n) m. habentis — venientis 2. o) *deest* 2. p) amittit 1? q) geniti 2. r) a. morer 2. s) duo 1. t) desperatur — periclitatur 2. u) coram positi v. f. 2.

hinc inde laudum voces tolluntur; ipsa enim qua a clero civitatis et populo laeticia prosequuntur, virgines a sororibus incolumes excipiuntur.

22. Vidimus etiam ab infantia aliam paraliticam ibique iam in adulta aetate sanatâm. Haec potitae[a] inmemor gratiae, petulantior vagatur; amissaque virginitate, per quendam clericum profitentem gravida efficitur. Concepit ergo dolorem et peperit iniquitatem, quia pristinae statim debilitatis induit confusionem. Cogitur misera ad poenitentiam, revisit patris Chunradi clementiam, optinet denuo per eum[b] curata veniam. Ex integro tamen postea minime convalescit, ut artus imbecilliores violatae mentis deplorent[c] integritatem.

23. Iam vir egregius, fama trahente, non modo ubi requiescit a male habentibus frequentatur, sed etiam ubivis terrarum auxilium eius in cunctis angustiis imploratur et inprecatur[d]. Siquidem adolescens quidam dum Thuriae fluvium vespertino tempore per incultum vadum aliquando vellet transire, repente fundo limoso et arborum radicibus unda[e] congestis haeret irretitus. Validiori impellitur torrenti, et quia obsistendi seu quoquam divertendi locus non occurrit haerenti, utroque[f] pede ad natandum divaricatur. Manibus flumen sulcatur, sed pedibus inmotis, aquae impetu ac frutice caput obruitur. A servantibus in ripa quas[g] nudus deposuerat vestes, nimio attoniti clamore iuvenis advocantur parentes. Res flebilis a sororibus duabus — hae[h] enim fratrem submersum comitabantur — confusa voce singultibus refertur, locus periculi monstratur, discurritur, quaeritur, nec invenitur. Tota vociferantium eiulatu perculsa accurrit villa, et quia quaesitus non comparet, retibus pro saltim tumulando cadavere laboratur. Noctis iam tenebrae instabant, quae finem quaerendi dabant, spem inveniendi negabant. Communi ergo omnium voto specialibus beati Chunradi patrociniis sive in corpore sive extra corpus homo commendatur, et sic ad tristes lares reditur. Tertia parte primae noctis vigiliae transacta, et[i] ecce gravior unda, quasi de obice indignata, in quandam se voraginem circa oppositum[k] animal[l] collegit, et hoc impetu sinuoso prorumpente, ad litus eum[i] e regione aquarum transvexit. Ex terra factus, aridam[m] ut a se alienam miratur; nullatenus contrariam naturae aquam, utputa quae eum extinguere non potuit, suspicatur, dum Creatori, sive ad vitam, sive ad mortem, ab utroque[n] indifferenter serviatur. Insuper de rerum permutacione et unde has paciatur tenebras, qui clara die subierit undas, secum haesitans, longam[o], ordine transposito, pernitionis moram aestimat brevissimam, dum e converso breve omne deliciosum et longum ducatur omne periculosum. In se tandem aliquando reversus, domum regreditur, nuditatis suae necdum memor. Ut genitus tamen recognitus, genitorum suscipitur[p] amplexibus. Crastina illuxit dies, et velut emersus ab inferis, irruenti turba vallatur ut alterius seculi nuntius; quid secum ageretur, qualiter evaserit, percunctatur. Alter igitur salvationis modus, non minima inquisitione facta, ignoratur, nisi qui fide omnium concordanti[q] verissimus probatur, quod nimirum illius meritis sit liberatus, cuius fuerit, mortalium destitutus auxiliis, singulariter commendatus.

VITA ALTERA AUCTORE ANONYMO.

INCIPIT PRAEFACIO IN VITAM BEATI COUNRADI EPISCOPI.

*Cum in amore Creatoris aliquid in creatura eius
dignis laudibus praedicatur aut colitur, ad eius pro-
cul dubio laudem refertur, qui auctor ipsius operis
Psalm. 67, 36. inventur. Quia vero scriptura dicit: „Mirabilis
Deus in sanctis suis“, iure ad artificis laudem col-
ligitur, quicquid in artificio laudabile vel mirabile
magnis laudibus celebratur. Unde scriptum est:
150. 1. „Laudate Dominum in sanctis eius.“ Ergo si ad
ipsum, immo quia ad ipsum, Redemptorem nostrum refertur, quicquid sanctis illius a fidelibus pro reverentia exhibetur, conatu quo valemus memoriam abundantiae suavitatis eius eructare[r] debemus, virtutes scilicet eius, quas per servos suos operare[s] dignatus est, extollendo et laudibus quam maxime claras efficiendo. Si enim apud Deum in memoria in coelis habentur aeterna, quare meritum eorum*

a) petite 1. b) precum 1? c) implorent 1. d) impretatur 2. e) unde 1. f) u. p. *desunt* 2. g) quis 1 h) heę 1. i) *deest* 2. k) app. 2. l) a. se c. 1. m) *deest* 1. n) u. elemento 2. o) longo 1. p) g. stupentibus excip. 2. q) exundanti 2. r) e. d. v. s. e. *desunt* 2. s) *ita* 1. 1*. operari 2.

taceatur in terra? Plurimae quippe utilitates fidelibus subtrahuntur, si sanctorum gesta oblivione delebuntur; per exemplum enim plerumque discitur, quod per simplex praeceptum minime retinetur. Quapropter de vita et actibus praecelsi confessoris Christi Kounradi aliqua quam paucis stilo cupimus exarare; dicta vel scripta praecedentium non vituperando, set magis pro modulo nostro sequendo atque laudando, quaedam etiam necessario his simpliciter adiciendo. Ceterum fides dictorum penes auctores erit; ad nos enim pertinet quaeque competenter ordinare, ad illos vero veritatem dictis observare.

INCIPIT VITA SANCTI COUNRADI EPISCOPI.

1. Illustris itaque Kounradus, praeclarissimis ortus natalibus, velud eximium sydus Alamannorum rutilat in partibus. Cuius parentes [1] in loco qui Vetusta-villa [2] cognominatur summa dignitate floruerunt; et quod est laudabilius, circa divinum cultum non mediocres extiterunt. Nam mater eius in loco Vinea [3] dicto, qui adhuc quoque nobile monachorum continet monasterium, primo sanctimoniales feminas divino mancipandas servitio congregavit; ubi nunc quoque ipsa cum [a] filiis suis Roudolfo atque Welfone [b] corpore sepulta requiescit.

2. Igitur quasi ex amoeno prato exorto hoc flore fragrantissimo [c], iubar illud sancti Spiritus in sacro fonte babtismatis consecutum, et quandoque universo mundo, ut est hodie, magnis virtutibus rutilum, iam iamque domesticis aetate tenerrima, habitudine corporis apparebat praematura; tum pia vultus moestitia, tum quoque morum consuetudine modestissima. Senectus enim venerabilis inerat ei, non diuturna neque numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita inmaculata.

3. Talibus itaque parentes eius auspiciis incitati, divino servitio decreverunt eum quantócius mancipari, quatenus [d] hoc indesinenter instrueretur meditari, quod iam aetatis simplicitate videbatur vultu praetendi. Liberalibus demum studiis consecratus, tantum acumen ingenii per supernam inspirationem paulatim est consecutus, ut in morem studiosissimae formicae tanquam ex fertili segete diversorum librorum sapientiae opima verba veluti frumentorum grana colligeret, quae in horreo cordis sibi multisque aliis postea famem verbi Dei sedatura comportaret, atque ut apis prudentissima ex multigenis sentenciarum floribus mella conficeret, quibus [e] quandoque multorum fauces praedicando demulcêret, secundum quod scriptum est [4]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo, ut annuntiem omnes praedicationes tuas in portis filiae Syon.* Congregabat sibi quippe in iuventute, quibus refectus non deficeret in senectute.

4. Videntes itaque parentes illustris pueri, quod sapientia sibi in corde illius septenis columnis Spiritus sancti domum aedifficaret, gratulabundi gratias retulerunt bonorum omnium largitori, atque perfectius imbuendum clero sanctae Constantiensis aecclesiae curaverunt eum attentius commendare. Inter quos positus quia accensam lampadem iugiter studuit habere, per cottidiana virtutum incrementa lucêre coepit [f] quasi maximum luminare. Non enim, ut ceteri consodales eius, lasciviam secutus est mundi, set die ac nocte meditabatur in lege Domini [g], semper intentus in id, quod vocatus fuerat, sanctum ministerium desiderio spiritali. Iam tunc de profectu tanti filii risum fecerat Deus matri aecclesiae, sicut olim legitur fecisse sanctissimae Sarae; Gen. 21, 6. quippe quae illum se gaudebat peperisse, per quem omnes gentes benedicendas iam dudum audierat ex repromissione.

5. Eo tempore cathedram Constanciensis aecclesiae regebat venerandus pontifex, Notingus nomine, qui iam saepe dictum atque dicendum spectabilem puerum Kounradum a genitoribus susceperat educandum; ut sicut Moyses Iosue, ita ille hunc sibi enutriret successorem. Cernens autem praesul, morum dignitatem cum generis nobilitate in illo convenire, quemadmodum patriarcha Iacob filium suum Ioseph, ita hunc iste prae omnibus coaequaevis coepit adamare excolere atque instruere; útpote quem vas electionis Domino futurum praenoscebat, quemque cuncta quae didicerat moribus exercere praevidebat.

6. Optimae vero índolis adolescens, virilis aetatis metas attingens, iam iamque se titillantia carnis desideria iugi castigatione corporis refrenabat, atque caelibem vitam sectando, capud serpentis sibi insidiantis fide non ficta, spe non deficienti atque caritate flagranti conculcabat. Simplicitatem namque columbinam per prudentiam exornabat serpentinam, nequaquam animum inerti ocio commodando, set piis studiis intentus, semper in melius proficiendo.

7. Quibus virtutum pennis sublevatus, per aecclesiasticos conscenderat non inmerito gradus; donec perfectionis culmen assecutus, prespiterii est honore dignissime functus. Non ergo tunc quemodmodum Nadab et Abiu ignem alienum sacrificiis offerens, iracundiam Altissimi provocavit, set spiritu fervens, Domino cum timore serviens, acceptabilem victimam contrito corde et humiliato spiritu in ara crucis inmolabat, dignisque muneribus Christum placare non cessabat.

8. Praedictus vero pontifex, eius inexhausta

a) c. duobus f. 2. b) *ita* 1*. 2; *et* 1. *olim; iam vero in hoc correctum legitur manu sec. XV.* filio suo Rovdolfo. *Hess etiam p.* 78. *observat, se antiquam lectionem in lectionario Weingartensi s. XIII. exarato, quod ex hoc ipso codice descriptum sit, repperisse. Observatque, locum ideo correctum videri, quod corrector apud Anonymum de Guelfis Etichonem, Kounradi fratrem, Constantiae sepultum esse legisset.* c) *ita* 2. flagr. 1. 1*. d) q. h. i. i. m. *desunt* 2. e) q. q. m. f. p. d. *desunt* 2. f) lucêre . cępit quasi 1. g) Quod 1.

1) Anonymus de Guelfis eos Heinricum et Beatam vocat. 2) Alt-dorf. 3) Weingarten; nomen a Welfone II. demum impositum scribit Anonymus de Guelfis c. 7. 4) Psal. 118, 103. 72, 28.

prudentia provocatus, familiarius sibi illum adoptavit; consiliis eius domi forisque in omnibus uti coepit, universa episcopii negotia ad eius nutum cedere constituit. Videbat enim, quia in consilio impiorum non abiit, et in via peccatorum non stetit, et in kathedra pestilentiae non sedit; set in lege Domini voluntas eius simpliciter gradiens vias Domini rectas sine querela; et ideo iustum erat, ut lucerna ardens et lucens modio non tegeretur, set super candelabrum ad lucendum omnibus qui in domo sunt poneretur.

9[a]. Sed et clerus sanctae Constanciensis ecclesiae industria eius incitatus, communi decreto atque uno omnes animo praepositum sibi elegerunt, cunctisque ecclesiasticis rebus ad se scilicet pertinentibus praefecerunt. Quique omnibus praepositus, creditam domum ut Ioseph prudentissime gubernabat, atque ut servus fidelissimus conservis in tempore tritici mensuram prudenter ministrabat. Iam tunc demum accepta oportunitate, quasi lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet, et omnia quaecumque faciet prosperabantur; sic iste Deo et hominibus dilectus, omnia iuste ac provide disponendo, pauperes consolando[b], diversis calamitatibus oppressis succurrendo, in iudiciis normam iustitiae cum moderamine discretionis retinendo, semet per omnia inreprehensibilem exhibendo, ita carus et acceptus factus est omni populo, ut se non mediocriter gratularentur[c] talem ac tantum promeruisse provisorem, per quem cuncta aecclesiae negotia in melius reformaverant suum vigorem. Dominus enim erat cum eo, et omnia in manus eius dirigebat, et multiplicavit tam in aedibus quam in agris cunctam aecclesiae substan-
Luc. 16, 10. tiam. Et quia scriptum est: *Qui fidelis est in minimo, et in maiore fidelis est,* quoniam fidelis in minimis extitit, ad maiora illum protinus divina providentia sublimavit[d].

934. 10[e]. Denique cum reverendae memoriae Notingus pontifex vivendi metam attingens, morti debitum exsolvisset, ovile Dei orbatum quia sine pastore esse non poterat, summópere quaerebatur, quisnam tanto nomini dignus inveniretur. Áderat tunc forte sanctissimus ac Deo dignus Augustensis aecclesiae antistes Oudalricus ad tumulandum defuncti praesulis corpus, vel potius, ut reor, ad consulendum viduatae aecclesiae divinitus destinatus. Verum cum hic, quasi Dei oraculum, summa ut decuit cum reverentia pro eligendo pontifice consuleretur, útpote qui et sanctimonia vitae, aetatis[f] ac sapientiae maturitate apud Deum et homines clarus habebatur, ille spiritu instructus consilii, triduano ieiunio rem quaerendam decrevit a gratia Christi, ut summus pastor relictis ovibus[g] talem sibi vicarium dignaretur asciscere, qui vicem suam digne velit vel possit adimplere. Omnes itaque, quasi coelesti commonerentur[h] edicto, faciunt imperata cum spiritali gaudio, animo promptissimo atque devotissimo.

11. Igitur postquam expectata tercia dies illuxit, universa concio in unum convenit, virique Dei Oudalrici quasi divinum praesagium a cunctis tanta unanimitate praestolatur, ut quem ille denominaret voce, procul dubio ab omnibus pastor eligeretur absque ulla cunctacione. Ipse vero inspiratus ab eo qui dixit[5]: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud,* Kounradum, pridem praepositum, omnibus offert eligendum; quia ex meritis praecedentibus inventus est dignus, subire tanti regiminis pondus. Clerus ergo, senatus, ac populus, hoc praeoptato viri Dei audito praeconio, inmâni gaudio repleti, vocem in altum extulerunt cum ingenti iubilo, supremi pastoris laudantes clementiam, qui servis suis talem monstrare dignatus est providentiam. Sane cum clerici praedicarent multitudini, quia: *Kounradum sibi Dominus pontificem elegit hodie,* nullum in tanta multitudine murmur resonabat reprehendentium, set sanctitatis eius praeconia ab omnibus ad coelum ferebantur piis vocibus exultantium. Secundum apostolum[6] enim bonum testimonium etiam ab his qui foris erant habebat, quia, ut supra dictum est, ab ineunte aetate usque in praesens angelicam vitam inter homines inreprehensibiliter agebat.

12. Itaque felix mater Constantia Kounradum, licet multum renitentem[i] seque tanto oneri imparem vociferantem, patronum promeruit; per quem, quasi post tenebras Aegypti, splendore columnae ignis a Domino usque hodie meruit illustrari.

13. Anno igitur dominicae incarnationis nongentesimo tricesimo quarto illustris Kounradus canonice electus, condecorari meruit infulis pontificalibus, atque civitas, summi Regis aecclesia, tantó speculatore feliciter est praemunita. Ille autem super speculam Domini positus, dormitantem pigritia servum non est imitatus, set secundum nomen suum[7] strennuo consilio pro domo Israel factus est murus aereus[k], custodias gregis sui observans[l] sollicite, annuntians pacem his qui prope et pacem his qui longe, iuxta illud Esaiae[8]: *Quam speciosi pedes euangelizantium bona, praedicantium pacem!* Non enim subterfugit, quo mînus consilium Dei subiectis annuntiaret; unumquemque eorum monens a pravo declinare, bona vero facere, et in his laborantes non deficere; quatenus tempore messis gaudentes mererentur in benedictione metere[m], quae nunc in lacrimis de benedictione satagerent seminare.

14. Haec itaque agens et semet ipsum a sanguine omnium emúndans, per cottidiana virtutum incrementa semper ad alta proficiebat; cum corpus suum ieiuniis, vigiliis et orationibus castigando et in servitutem redigendo, per artam et angustam portam intrare nitebatur; et quamvis adhuc in terris carne videretur, iam tamen in coelestibus tota mente versabatur. Iam Christo cruci confixus erat, iam illi vivere Christus et mori lucrum erat, iam dissolvi et cum Christo esse cupiebat; permanere autem in carne propter electos adhuc magis ne-

a) VIII. 1. b) solando 1. c) gratulantur 1. d) *hic in margine legitur* F. *rubro colore* FINIT. e) *hic et in seqq. numeri desiderantur in* 1. f) uite ętatis . ac 1. g) omnibus (?) *manu sec. XV. correctum* ouibus 1. h) *ita* 2. commonentur 1. i) retinentem 1. 1*. k) aeneus 2. l) obseruandas 1. obseruandas *corr.* obseruans 1*. obseruans 2. m) ḿetere 1. 5) Psal. 80, 11. 6) 1. Tim. 3, 7. 7) Kuon-rat. 8) Rom. 10, 15 (ex Isa. 52, 7).

cesse erat. Nempe cuncta quae aliis praedicabat, opere ipse prius exercebat; reputans, ne forte, cum aliis praedicaret, ipse reprobus efficeretur.

15. Iusticia indutus est quasi vestimento, et quasi diademate iuditio suo; quia iuxta beatum Iob [9] oculus fuit caeco et pes claudo, et cor viduae consolatus est, tribulatis adiutor oportunus, moerentium consolator benignissimus. Pater erat pauperum, quibus etiam ex propriis sumptibus Constantiae instituit hospicium, ubi decrevit ut cottidie duodecim alerentur, exceptis dumtaxat passim supervenientibus peregrinis, quibus affatim misericordia impenderetur.

16. Suspirabat iugiter ad supernam patriam, atque desiderii calore ad videndum Deum deorum in Syon succensus, peregre factus tercio venit Hierosolimam; hac, ut reor, intentione, quatenus ex huius visione mens sibi magis flagraret in illius amore. Dolebat namque quodámmodo se támdiu a Domino peregrinari, ita ut videretur cum apostolo Paulo [10] cónqueri: *Quamdiu sumus*, inquid, *in hoc mundo, peregrinamur a Domino.* Ibi quoque, hoc est in terra repromissionis, carne resolvi et in terra viventium cupiebat spiritu collocari, ut, si possibile esset, corpus in hac, spiritus vero in illa terra repromissionis diem supremum expectaret.

17. Sed suavis Dominus universis, cuius miseratio super omnia opera eius, Kounradum nobis reservabat, per quem nebulosam [a] patriam nostram illuminari disponebat.

18. Itaque divina instigante providentia ad aecclesiae suae [b] destituta reversus ovilia, sobrie et iuste et pie vivendo beatam spem et adventum gloriae magni dei et salvatoris nostri Iesu Christi expectavit, indefective ad omnes bonum operando, maxime autem ad domesticos fidei, usque in finem perduravit. Nullum namque tempus ociose praeterire passus est, set orationi aut lectioni intentus, sive verbum Dei praedicans, spiritalia lucra sectabatur, praecavens quoque subiectis arguendo, obsecrando, increpando, cum omni tamen pacientia [c] et doctrina, ne in aliquo detrimentum gregis sui patiatur. Aedifficiis quoque aut veteribus renovandis aut novis construendis insudavit; in quibus tres aecclesias a fundamentis construxit, et ex suis praediis dote liberali ditavit. Quarum unam quidem in honore sancti Mauricii, in cuius medio figuram dominici mausolei auro et argento decoratam [d] constituit; alteram in honore sanctorum Iohannis babtistae et Iohannis euvangelistae; tertiam vero extra muros civitatis in honore sancti Pauli apostoli dedicavit.

19. Super haec omnia congregationem quoque cleri apud Sanctam Mariam nobiliter augmentavit, ipsam aecclesiam multis possessionibus ditavit ac preciosis metallis decoravit, profecto cunctis liquido declarans, quia dilexit mandata Dei super aurum et topazion. Nam cum bonis omnibus in hoc mundo abundaret, quibus temporaliter uti atque florere potuisset, paupertatem sibi pocius elegit, nec spem suam in incerto divitiarum posuit, set in Deo vivo, qui praestat omnibus abundanter ad fruendum. Ergo omnibus in Dei servitio erogatis, liber ac expeditus miles Domini adversario congreditur, nec superatur; quia veluti animal pennatum oculis undique plenum circumquaque se suosque providebat animo circumspecto, ne aliquis aditus pateret inimico.

20. Non ferens talia humanae salutis inimicus, aliquam molestiam quieti, quam in Christo possidebat, inferre machinatus, omnimodis ei insidiatus est, set nulla ad eum arte pertingere permissus est; set sicuti vulgo dicitur: *Ubi per se venire non potest diabolus, illuc dirigitur eius nuntius,* per membrum illius temptatus [e] est servus Dei Kounradus. Nam tempore aliquanto post exactos sacros dies quadragesimae cum, quasi post labores Aegypti, paschalis agnus debuisset immolari, verus Israhelita Kounradus ipso die dominicae resurrectionis sacrosancta misteria celebrare exorsus est. Cumque initia sacrae celebrationis [f] devote peragerentur et iàm carnes agni incontaminati et inmaculati Iesu Christi ederentur, divinorum mysteriorum tractator libamen sanguinis Christi pariter degustandum ori propinavit. Et ecce subito, ut reor, inmissu tortuosi colubris, aranea in calice Christi invenitur, mirumque in modum vita morsque in [g] uno vasi includuntur. Hoc viso, vir Dei parumper quid ageret trepidus, set mox in se reversus atque in eo confisus qui dixit: *Si mortiferum quid biberint, non eos nocebit,* vitam et mortem Marc. 16, 18.
fiducialiter simul exhausit; nec morte laedi potuit, quem vita perennis servavit. Videntes autem haec qui aderant, paschalia illis gaudia inmânis de periculo sacerdotis adimebat tristicia. Ille autem in virtute Dei confortatus, populum sacra communione refectum atque benedictione pontificali praemunitum dimisit, ipseque quasi pransurus cum suis ad mensam accessit. Tum itaque pater Kounradus aliis epulantibus ipse abstinuit, nec ori [h] quicquam applicavit. Pro qua re a quibusdam interrogatus, dum se hospitem in proximo adventurum sustinère responderet, capud protinus super mensam posuit, apertoque ore egressum beluae patefecit. Et ecce illa venenosa bestia subito per aditum oris erupit, virumque Dei incolomem reliquid, intercisaque paschalis festi gaudia omnibus laetiora reportavit [i]. Quem enim sibi locum ibi vendicaret diabolus, ubi iam mansionem sibi fecerat Spiritus almus? Quae enim conventio [k] Christi ad Belial? aut qui consensus templo Dei [l] cum idolis?

21 [m]. Sed ne haec incassum sine aliquo documento videamur protulisse, unum liceat enarrare, quo illum sole iustitiae illustratum ac prophetiae spiritum habuisse valeamus demonstrare. Siquidem cum quadam die consedisset et res eum domum [n] egredi poposcisset, ad horam egressus in partem secessit, mox rediturus. Quo egresso, mox vir nobilissimus ac multis merito praeferendus Gebehardus [o], clericus tunc eius, postea vero non tantum dignitatis verum etiam virtutis ac meriti heres insignis, quique fundator extitit monasterii iuxta

a) n. terram p. n. illustrari 2. b) s. diu d. 2. c) potentia 2. d) decoratum 1. e) turbatus 2. f) exaltationis 2. g) *vox iam erasa* 1. *deest* 1*. uni vasi 2. h) o. suo q. 2. i) portauit 1. k) conuenientia 2. l) *vox addita manu posteriori* 1. *adest* 1*. 2. m) *capp.* 21. 22. 23. *desunt* 1. 1*. n) demum 2b. o) gebhardos 2. *bis.* 9) Iob 29, 15. 13. 16. 10) 2. Cor. 5, 6.

Constantiam trans Rhenum in ripa constituti, hic itaque, cum, sicut iam dictum est, pontifex egrederetur, ascendit, ornamentum sedis sustulit, ipseque in locum episcopi, plumacium manu tenens, consedit. Ecce autem inopinato episcopus intravit, Gebehardum in loco suo, invitum tamen, deprehendit, eumque mox, ut fertur, affatus dixit: *Necdum*, inquiens, *Gebeharde, locus ille tibi debetur, quia alteri prius destinatur. Sed quandoque erit, cum hoc te Deus dignum iudicaverit.* Huius verba prophetiae qua fulciantur veritate, nimirum omnibus patet, quos rerum gestarum cognitio minime latet. Sancto quippe Counrado[a] ad superos translato, sedem sui episcopatus reliquit cuidam Gamenoldo, hocque intra quinquennium defuncto, ordinator seculorum in salutem credentium sacerdotii infulam fideli suo concessit Gebehardo. Huius ergo viri praeconium praesentis operis non capit compendium, quia meritorum illius magnitudo proprio vix exprimitur libro; quapropter hinc loqui plura omittamus, et ad coeptum[*] opus exequendum stilum reflectamus.

22. Nempe quia scriptum est: *Similis similem quaerit,* et: *Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma,* (Prov. 18, 19.) exinde ab initio promotionis suae usque in finem venerabilis Counradus foedera illibatae caritatis ad religiosos quosque, sed praecipue ad sanctissimum Oudalricum[b] in vinculo pacis conservavit, frequenter sacrae aedificationis colloquia requisivit, secularium fabulas quasi pestem quandam refutavit, quia Dominum in euangelio dicentem recognovit: *Ex verbis tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* (Matth. 12, 37.) Igitur dum praefata duo mundi luminaria hac de causa frequentius convenirent, seque multis exhortationibus ad meliora instigarent, una vice in castello Loffen dicto convenerunt, ac simul laeta momenta sacris aedificationum colloquiis deduxerunt. Est autem in eodem loco ingens praecipitium, ubi tota simul unda Rheni fluminis quasi in immane barathrum ruit, ibique ex tanta aquarum mole in profunda decidentium terra omnis tremit per circuitum, atque in ipso gurgite inter spumantes et evolantes velut sparsi cineris aquas, per noctem aspicientes[10], quasi scintillae emunguntur, apparet, ex unda. Sane in ipsa ripa munitio prominet supra dicta; in qua dum ambo consisterent almi praefati pontifices, decurrentes aquas intuentes, conspiciuntur eminus in ipso vehementi periculo binae aviculae volitantes, et nunc quidem quasi undis cadentibus in profundum depressae, nunc vero altera parte quasi erutae[c] emersisse. Haec diutius intuentes praeclari praesules, coeperunt admirari, quale hoc genus sit miraculi, quod haec pennata volatilia minime conentur effugere tanta discrimina; nec minus mirantur, quod mortiferis ictibus nequaquam conquassentur. Quid multa? Demum per spiritum decernunt,[d] quod haec corporea animalia esse nequeant; sed potius spiritus oportere credi, qui his poenis a culparum maculis debeant expurgari. Itaque sanctis pectoribus usitata pietas confestim adfuit, quae miseris animabus extemplo condoluit. Confestim namque consilium initur, ut his quantocius succurratur. Ecce autem pium certamen inter eos exoritur, quis eorum prior altaribus praeparetur. Tandem senior Oudalricus salutarem hostiam prior coactus obtulit. Counradus vero interim in loco stationis eventum rei praestolatur. Missa igitur consummata, una disparuit avicula, aperto dato indicio, quod haec liberata sit de periculo. Ad metatum[e, 11] dehinc Oudalricus accessit, et Counradus agnum illibatum immolaturus perrexit. Altera quippe avicula sola cernebatur, quia socia illius iam erepta, requie fruebatur. Igitur mox et[f] Counradus libamen sanctum peregit, et iam haec una, quae remanserat, avis[g] sicut et prior evanuit[12]. Hic liquido experitur, quod veritatis ore fidelibus promittitur[13]: *Si quid,* inquit, *petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sane una harum species avicularum anima fertur fuisse cuiusdam servi Dei, cui nomen Notingus, qui apud Augiense coenobium diutius Christo militabat inclusus. Ergo hoc loco diligentius attendat auditor, quid in futuro patiatur profanus peccator, si talia pertulit, qui se mundo crucifixit; et animo recondat, quia profecto horrendum est incidere in manus Dei viventis, apud cuius tremendum iudicii examen, si iustus vix salvabitur, peccator et impius ubi parebunt?

23. Sane plura his gestorum beati Counradi in carne degentis investigare minime potui; sed tamen ex his paucis quae retulimus metiri poterit lector, quantae sanctitatis virtute praemineat eximius iste confessor, iam vero egregius cultor terrae viventium. Counradus a primo mane usque ad ultimam diei particulam in vinea summi patrisfamilias fideliter desudaverat, iam Aegyptum huius mundi cum suo principe potenter attriverat, et tabernaculum Deo Iacob summo decore circumdatum erexerat, atque viam mundani deserti ab initio pontificatus sui usque in praesens quadraginta duorum annorum, quasi totidem mansionibus, multigenis temptationum afflictionibus probatus superaverat; et ecce quasi quidam verus Hebraeus per petram, quae est Christus, ab omni carnali vitio circumcisus, in hereditatem supernae repromissionis, acsi nimium fessus, pervenit. Carnis quippe ergastulo in senectute bona absolutus, et ut vere credendum est, civitatem coelestis Ierusalem cum hymnidicis angelorum concentibus introductus, pro apportato lucro beatum *Euge hodie* promeruit audire, et stolam beatae immortalitatis induere, atque inter agmina praecipuorum sacerdotum liliis coronatus triumphare. Pretiosus vero sacratissimi corporis thesaurus, sicuti ipse adhuc vivens disposuerat, apud ecclesiam sancti Mauritii, quam ipse construxerat, extrinsecus iuxta parietem summa cum reverentia reconditus est. Sedit autem in episcopatu annis quadraginta duobus; anno vero dominicae incarnationis nongentesimo septuagesimo sexto, regnante Ottone imperatore secundo, sexto

a) conrado 2. *constanter.* *) exceptum 2. b) udalricum 2. *constanter.* c) erutas 2b. d) decreverunt 2b. e) meditandum 2b. f) ut 2b g) auicula 2b.

10) i. e. aspicientibus. 11) i. e. ad hospitium, in castro scilicet Laufen. 12) Descriptio vivida. Quod ad aviculas, equidem a. 1823. Tibure, dum barathrum quo Anio praecipitatur intuebar, columbas duas albas unam post alteram ex abysso emergere, in saxo considere, et paulo post in tenebras rursum, haud dubie ad nidum suum, devolare vidi. 13) Ioh. 15, 16.

Kalend.[a] Decembris feliciter migravit ad Dominum, cum ipso immortali vita fruiturus in perpetuum.

24. Cum igitur Deus famulum[b] suum Kounradum, hoc mari magno et spacioso transmeato, in coelesti palatio[c] collocasset, quoniam quidem mors per successiones hominum et temporum cuncta oblivione, nisi saepius replicentur, solet abolêre, Redemptor humani generis meritorum eius magnitudinem signis et prodigiis voluit clarificare, ut[d] iustitiae eius oblivionem in seculum nequaquam possint accipere. 976. Tantam denique gratiam suae largitatis apud ossa eius cunctis diversis calamitatum miseriis laborantibus dignatus est omnipotens Deus ostendere, quantam nullarum etiam disertissimarum exprimere valeat facundia linguarum. Paucis tamen attingamus, ut vel vestigia sanctitatis eius quaerentibus aliquo[e] modo ostendamus.

DE SIGNIS SANCTI COUNRADI EPISCOPI.

1. Igitur cum per multa temporum curricula diversis temporibus plurima apud sepulcrum beatissimi praesulis Kounradi miraculorum clarescerent insignia, celebre nomen eius ubique ferebatur. Factum est autem temporibus venerandi antistitis Gebehardi, eiusdem nominis tercii[14], placuit eidem episcopo, et consilio habito cum beatae recordationis Heinrico praeposito ac vicedomno eiusdem loci, ac tocius cleri ac populi contionis voto in unum concordante, transtulerunt corpus eius de priori sepulcro in aecclesiam sanctae Dei genitricis Mariae, ibique cum omni honore et reverentia posuerunt illud retro altare sanctae Crucis, sub pulpito eiusdem aecclesiae, ne videlicet clarissima lucerna sub modio lateret absconsa, set omnibus qui in domo sunt eius claritas fieret manifesta. Praefatus vero Heinricus[f] prioris locum monumenti altius exstructum celebri memoria decoravit, capellam etiam antiquitus inibi constructam, set tunc desolatam, destruxit, aliamque in sublimi aedifficavit, quam in honore sancti Nicolai dedicari fecit. Novum etiam tumulum variis ornamentis decoravit, idemque totum eiusdem loci claustrum renovavit novisque structuris exornavit.

2. Nunc ergo quia priorem beati viri translationem perpaucis expedivimus, aliqua etiam de miraculis eius breviter explicemus. In quibus tamen lector a nobis ordinem, quo quid tempore factum sit, non requirat, set ex innumeris pauca admodum recognoscens, ex his ad amorem coelestium aliquatenus quasi confricatus[g] incalescat.

3. Duo igitur caeci a nativitate, ad tumbam sancti pontificis Kounradi perducti, perque eius merita protinus sunt illuminati; et quod per nativitatem[h] minus habuerant, per gratiam pii intercessoris a Deo promeruerant. Ex hoc nempe liquet facto, quid intus per hunc sanctum geratur in occulto; quia videlicet qui visum reddidit carnaliter orbis, multó libentius fideliter postulantibus aeterna lumina pandet peccatis obtenebratis.

4. Praeterea quidam privatus incessu, beati Kounradi intercessu die noctuque flagitabat sanitatem promereri, quo sarcinam corporis firmis valeret gressibus sustentari. Hoc dum ferme sex mensibus infatigabiliter gereret, et quadam die orationi attentius incumberet, subito sustentaculis quibus nitebatur elapsis, in terram corruit, ac quasi mortuus totus obriguit. Astantes autem ut viderunt, protinus accurrerunt, mortuumque putantes levaverunt. Nec multó post oculos aperuit, crura extendit, gaudensque et exultans cum favore omnium sanus abscessit.

5. Item puer quidam ex infortunio[i] ita debilis est effectus, ut in modum quadrúpedis manibus et genibus reptaret curvus. Hic magno aestuans desiderio, supplicavit patri suo, quatenus Constantiam deferretur, si forte salvaretur sancti Kounradi intercessionibus. Quo dum navi advectus pervenisset, ante memoriam beati[k] viri depositus, ab omnibus miserabiliter[l] est admiratus. Oblationem tamen suam postquam optulerunt, puer ad sanctae Dei genitricis altare ut potuit reptando pervenit, seseque manibus in altari sustentando sensim erexit, et munusculum quod attulerat arae imposuit. Quem protinus piissima Dei genitrix miserata sanavit, et ut credendum est, unâ cum beato Kounrado pietatis suae misericordia respectum, sanum atque gaudentem patri restituit, cunctorumque ora laudibus et exultatione complevit.

6. Muliercula quaedam plantis ad posteriora retortis circa tumbam beati praesulis Kounradi aliquod diebus volutabatur, eiusque auxilium tota intentione precabatur. Quae dono gressuum donata, plurimis annis in eadem civitate in testimonium adeptae curationis est demorata.

7. Non solum autem ex vicinis set etiam[m] ex longinquis regionibus advenientes, quocumque incommodo detinentur, eius meritis optatam sanitatem plerumque promerentur. Unde Gallus quidam, Arnoldus nomine, Pictavensis, qui iam duodecim annis offitio caruit unius pedis, set ascellis suppositis sustentabatur duobus baculis, cum longinquus viator advenisset, et multa mirabilia sancti huius de quo loquimur certó certius comperisset, continua prece eius suffragia quaerebat, quae iam audisse tam multos et invenisse audiebat. In genu quippe eius tumor nocivus excreverat, et tibia cum pede subtilis ut fistula arida remanserat. Contigit ergo, ut in sacratissima nocte pentecostes apud sepulcrum sanctissimi pervigil in oratione pernoctaret et matutinorum vigiliis indefessus interesset, cum repente arida membra novo dolore incipiunt torqueri, ita ut humo[n] prostratus sensu et voce cogeretur privari. Dum ergo tempus

a) calend. 2. 2b. b) servulum 2. c) patria 2. d) c. ita ut 2. e) :::quomodo 1. quoquomodo *in loco raso manu saec. XV*. f) henricus 1. g) confortatus 2. h) naturalitatem 2. i) infortunio 1. k) sancti 2. l) *ita* 2. mirabiliter 1. 1*. m) *deest* 1. 1*. n) homo 1. 1*.

14) sedit a. 1085—1110.

ymnum „Te Deum laudamus" dicendi instaret, ut prius paraliticus[a] omnium ora ex sui consolatione ad laudes in integro excitaret, homo vires cum incessu per beatum Kounradum recuperavit, et cum ceteris immo prae ceteris iubilum laudis datori sanitatis laeto corde resultavit. Fit praesens festivitas tantó in omnium mentibus laetior, quantó Spiritus paraclitus apparuit in donis suis abundantior[b].

8. Fit vero plerumque, ut praestitum donum gratiae ingratis ad tempus aliquando subtrahatur, ut potentia medici postmodum magnificentius ex reddito laudibus extollatur. Denique puella quaedam venit Constantiam, quae, digitis in vôlam contractis, onus inutile portavit ex utero matris[c]. Haec ante memoriam beati Kounradi curata, prae simplicitate sive stultitia animi accepti doni ingrata, aecclesiam rem celans est egressa. Quae statim pristina debilitate occupatur, nimioque dolore atque stupore perculsa, continuo regreditur: at ubi rem gestam innotuit, sanitatem quam amiserat recepit, cunctisque mirantibus cum gratiarum actione recessit.

9. Quidam autem inter suos non ignobiles, unicum filium habentes, Deo illum obtulerunt, liberalibusque studiis imbuendum tradiderunt. Qui ex infortunio paralisis[d] dolore percussus, aeger iacebat atque claudus. Parentes itaque eius, nimio confecti moerore, ad urbem Constantiam illum cum multis aliis detulêre, si forte clementia huius patris unicus[e] eis redderetur, ut quandoque in ministerio tabernaculi veri ministris Christi iungerent. Ad sepulcrum itaque servi Dei postquam pervenerunt, orationem devote peregerunt, ac deinde hospitium suum intrantes, nocte manserunt. In crastinum autem mater pueri quandam cognatam suam in civitate voluit visitare, ad quam pergens per aecclesiam sanctae Mariae necesse habuit transire. Ad orationem itaque apud sepulcrum constiterunt[f], puerumque iuxta tumulum viri Dei reposuerunt. Post orationem vero homines suos cum puero remanere iusserunt; et vir quidem ad spectaculum nundiuarum processit, mulier vero quo coeperat ire perrexit. Necdum limen aecclesiae longe excesserant, et ecce puer magnis vocibus matrem inclamitat. Quae statim ad vocem filii concite recurrit, eiusque in occursum puer sanus exilivit, eamque laetis complexibus per medium brachiis constrinxit. Quanta illic exorta sint gaudia lacrimarum plena, nec lingua effari nec stilo facile poterit exarari.

10. Praeterea duae virgines de monasterio quod a Constantia non minus uno distat miliario, diversis infirmitatibus laborantes atque de carnali medicina desperantes, ad huius sancti viri Kounradi tumulum pervenire desiderabant. Una denique ex his quicquid alimenti pro sustentatione percipiebat, per continuos menses octo protinus evomebat; altera vero paralisi percussa, nimia aegritudine laborabat. Hae itaque ambae[g] prima cuiusdam hora noctis Constantiam navigio delatae, et ante saepe dicti atque dicendi confessoris Christi memoriam expositae, precesque ab ipsis atque pro ipsis a praesentibus devotissime sunt effusae. Tum deinde ex poculo ipsius patris, quod in eadem aecclesia debita cum reverentia hactenus servatur[14], modicum aquae cum degustassent, seque attentius Domino commendassent, virtute coelesti per meritum pii patris ambae protinus sunt sanatae, atque cum inmensis gratiarum actionibus proprio sunt loco restitutae.

11. Inter innumeros quoque pro necessitatibus[h] diversis ad suffragia beati pontificis convenientibus, muliercula quaedam advenit, quae decennali iam aegritudine ita erat confecta, ut tam ex sinistro latere quam ex collo patentibus ulceribus sanies proflueret quam plurima. Haec itaque cum ex iam dicta infirmitate multis diebus, ut dictum est, laboraret, humore tandem paululum siccato, manus tabida remansit cum brachio eiusdem lateris sinistro. Eadem quippe iam antea non omnimodis frustra per visum consolabatur; quia sibi quam saepe, quod ante memoriam beati viri sanaretur, in somnis videbatur. Igitur ad locum cum aliis qui festivitatis gratia convenerant perveniens, quia pené nuda erat ad publicum procedere erubescens, cunctis ad ecclesiam festinantibus domi moerens remansit, largoque imbre lacrimarum dolori satisfecit. Tum quidam, miseratione permoti, vestium aliquantulum contulerunt, quibus misera induta, quasi iam dives facta, ad aecclesiam cum aliis processit laetabunda. Plurima igitur astante turba, coram tumba sancti confessoris constitit oratura; aridam deinde manum sinistram cum adiutorio dexterae sarcófago sancti suppliciter imponens, nec multó post sanatam atque restitutam cum brachio retrahens, Deum, qui in sanctis suis mirabilis praedicatur, benedixit, inmensoque repleta tripudio repedavit.

12. Quaedam vero debilitates corporum inmittuntur a Deo pro reatibus peccatorum, dumque is, qui sive pro suis sive etiam pro parentum

a) pius paraclitus 1. 1*. et prius paralyticus 2. (paralempticus 2b.) b) abundanti *manu saec. XV. addito* us 1. habundantius 1*. c) m. suae 2. d) paralisi 1. 1*. e) u. filius e. 2. f) s. iterum instituerunt 2. g) i. prime 1. 1*. h) necessitatis 1. necessitatis *corr.* necessitatibus 1*.

14) Utrum hoc poculum etiamnum Constantiae servetur? me latet. Habemus autem in Vineis calicem argenteum inauratum, quem ex traditione continua sancti Conradi fuisse nostri affirmant. Conoidem habet figuram eius cupula, quae autem circiter 1/6 mensurae Ravensburgensis capit. Pes stellae similitudinem refert, radiis in angulos acutos desinentibus. Patenae circulus interior, cui panis consecrandus imponitur, vetustate iam pertusus est. Pariter servatur penes nos casula et alba cum aliis quibusdam vestibus sacris, quas itidem a sancto Conrado reliquas ferunt. Alba, quae singularis est longitudinis, ex lino tenuissimo contexta est. Feminae earum peritiores edixerunt, materiem albae propius ad eam lini speciem accedere, quam vulgo „nesselgarn" vocitant. Ad pectus albicantiori tela sed rudi opere acu picta vel potius assuta cernuntur animalia, ornatus caussa reor. Unum cervi figuram exprimere ex cornibus auguror, ceteris non ausim certum tribuere nomen. HESS.

culpis debilitatur, a nexibus criminis in anima absolvitur, vinculum corporis etiam plerumque relaxatur; ut videlicet per corpus in aperto declaretur, quid circa animam etiam in occulto geratur. Plerumque contingit, sicut Dominus in euvangelio dicit[a], ut neque pro suis neque pro alienis peccatis[b] constringatur, set ut gloria Dei in illo[c] manifestetur. Quarum omnium rerum evidens inditium in sequenti miraculo patebit; si quis tamen vigilanter discernere valuerit.

13. Mulier quaedam a primaeva aetate paralitica, ad sancti viri delata est iam matura aetate memoriam. Quae patrociniis eius curata, mox in lascivae[d] aetatis prorupit petulantiam. Itaque per quendam clericum gravidata, iniqua sobole prolata, dolore pristino continuo est praeoccupata. Quae piissimi medici iterum revisit sepulturam, ibique iterum ex parte recipere subtractam promeruit gratiam. Denique omni vitae suae postea tempore membrorum omnium rigiditate, informi statu corporis, poenas luit amissi pudoris.

14. Non solum autem in praesentiam reliquiarum eius advenientibus, verum etiam quacumque parte terrarum eius nomen invocantibus in cunctis necessitatibus benignus adest patronus beatus confessor Christi Kounradus. Nec mirum; quia utique illi incircumscripto spiritui unitus cohaeret, qui universam creaturam maiestate sua circumplectitur regit et implet. Unde quendam adolescentem flumen Tura dictum transire cupientem, mirabiliter, ut creditur, de periculo mortis liberavit, eumque contra spem parentibus incolomem restituit. Is itaque cum die quadam vespertino tempore iam dictum fluvium incaute transiret, in limoso vado arborumque radicibus pleno irretitus, infixus est in limo profundi, et non erat ei substantia transeundi. Cumque obsistere contra impetum fluminis non valeret, nec gressum quoquam movere posset, planum se super undam proiecit, si forte vel natando evadere posset. In vanum ergo laboravit, quia pedibus insolubiliter profundo adhaesit. Quid plura? Unda vehementi penitus absorbetur. Vestes eius in litore observantes hoc viso vociferantur[e], parentes quoque citius advocantur. Cives omnes cum parentibus advenerunt, undique discurrentes sollicite quaerunt nec inveniunt; ad ultimum etiam retia undique per gurgites trahunt, et nichil profitiunt. Duae[f] quoque sorores submersum fratrem flebili querimonia subsequuntur, et quamvis locus periculi monstraretur, omnis inquisitio eorum spe non inveniendi frustratur. Labore igitur fessi et nocturnis tenebris obvoluti, domum quique tristes se[g] receperunt, miserum quoque beati Kounradi precibus patrociniis obnixe commendaverunt. Aliquanta iam parte noctis transacta, puer unda vehementi incolomis proicitur ad littora. Qui in se aliquantulum reversus, qualiter circa se actum sit, non mediocriter est admiratus. Luce enim adhuc diei flumen se ingressum recolebat, et nocturnis tenebris egredi se nichil de re gesta cognoscens cernebat. De his ergo haesitans, domum nudus redibat, ostiumque ut aperiretur pulsabat. Quanto tandem exceptus sit gaudio, nullius enarrare poterit sermo. Dies ut illuxit crastina, plebs ad eum convenit universa, quasi de mortuis resuscitato aliquid novi auditura de futuro seculo. Ille autem nichil de his referebat, quia nec se in aliquo periculo fuisse recognoscebat. Omnibus ergo visum est, precibus beati Kounradi illius hunc esse salvatum adiutorio, cuius gratia Israel submerso Pharaone viam meruit in mari rubro. Ipse quippe sanctus vir solus, dum vixit, in lacrimis seminavit; set non solus gaudens usque nunc manipulos collegit. Solus inquam tunc in laboribus insudavit; set non solus in perceptione praemii exultavit. Centesimum quippe fructum attulit, ex quo multos usque in hodiernum saginavit.

15. Nec[h] nostro quippe nec cuiusquam stilo omnes singillatim poterunt annotari, qui beneficiis illius hactenus meruerunt adiuvari. Ad illius enim sacratissima ossa, ut breviter et semel[i] dicamus, caeci illuminantur, daemonia eiciuntur, paralitici sanantur, debiles et claudi curantur, hostilibus vinculis irretiti ad eius sancti nominis invocationem a nexibus solvuntur, atque diversis incommodis laborantes consolantur; et quod his maius est omnibus, diversis peccatorum faecibus aggravati exonerantur. Tanta enim monstra cera formata circa monumentum eius dependentia conspitiuntur, ut tocius numeri rationem excedere videantur[k]. Quisquis denique ex aliquo dolore eius liberatus est adiutorio, maximum se putabat passum detrimentum, si non suae curationis huiusmodi palam ostenderet signum.

16. Et quamquam haec mirabilia a priscis temporibus per illum semper virtus operaretur divina, a temporibus tamen Oudalrici episcopi[15] multiplicia[l] sumpserunt incrementa. Die quodam namque Bruno Treverensis archiepiscopus supervenit[16], quem totius cleri ac populi caterva cum ymnis ac laudibus honorifice suscepit; et inter easdem laudes in conspectu omnium claudus quidam eiusdem loci indigena curatur, ac deinceps cottidie tanta inibi coruscabant mirabilia, ut nullo modo potuisset dubitari, quin nostrum genus per viscera misericordiae suae visitasset gratia divina. Unde et a cunctis finibus terrarum suavissimo odore sanctitatis eius attracti, cottidie innumerabiles confluebant; in quibus nullus viae longioris laborem se

a) *deest* 1. 1*. b) p. homo c. 2. c) in illo *desunt* 1. d) lasciui 1. e) focif. *corr.* vocif. 1. f) Suae 2. g) *deest* 1. 1*. h) Hec 1. i) *ita* 2. si :: *corr. manu saec. XV.* simul 1. simul 1*. k) v. sui magnificentia 2. l) multiplicius 1. 1*.

15) Constantiensis. Fuit is, ut recepta habet opinio, eiusdem cum sancto Udalrico Augustano prosapiae. Hoc certum est, ipsum in memoriam eiusdem sancti Udalrici et Afrae fundasse collegium Creuzlinganum canonicorum regularium proxime Constantiam, littori Helvetico lacus Podamici adiacens c. a. 1120. HESS. Sedit a. 1110—1127. 16) Fortasse a. 1110, Roma rediens (Ann. Hildesh.) Constantiam venit.

perdidisse queritabat; set omnibus illuc pervenisse, maximum lucrum fuit adquisisse. Sacerdotes etiam cum plebibus suis dominicum praeferentes vexillum, catervatim confluebant, atque cum ymnis et laudibus dominum nostrum Iesum magnificabant, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

INCIPIT TRANSLATIO SANCTI COUNRADI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

1. Redemtor humani generis dominus noster Iesus Christus per merita egregii confessoris sui atque pontificis Counradi mortalibus multis beneficiorum signis mirabiliter consulens, nomen eius ut oleum effusum mellifluo rumore longe lateque dilatavit, ostendens nimirum in terris, qua gloria animam eius sublimaverat in coelestibus choris. Quamvis autem nulli dubitare licuisset, quin illum Dominus iam inter agmina sanctorum gloriosae collocasset ecclesiae, tamen sanctam universaliter eius memoriam inter sanctos minime frequentabat, sed adhuc quasi inter mortuos deputabat; quia ex apostolicae sedis auctoritate, ut eius solemnia venerari deberentur, adhuc decretum non processerat. Quapropter reverendae memoriae Oudalricus, eius nominis primus Constantiensis aecclesiae episcopus[17], vir utique efficax atque strenuus, cum pro hoc Romanum antistitem crebris litteris interpellasset, hoc immutabilis sententiae responsum accepit: vitam ipsius sancti in generali synodo coram apostolico recitandam et comprobandam fore; testes insuper idoneos signorum, quae per eum fiunt seu facta sunt, adhibendos.

1123. 2. Antistes igitur hoc ut cognovit, monachum quendam virumque eruditissimum ex Augusta civitate apud se exulantem convocavit, eumque vitam saepedicti patris, tam ex antiquis schedulis quam ex vetustis relationibus investigatam, conscribere postulavit. At ille praeceptum quidem obedienter suscepit; efficaciter autem, ut iussum erat, adimplevit. Praesul itaque post haec eundem monachum, qui postea monasterio beatae Afrae penes Vindelicam strenue praefuit, atque vicedominum suum Heinricum, qui et ipse quoque cellae sancti Oudalrici secus Constantiam sitae praepositus extitit, viros, inquam, tantae legationi valde idoneos, cum litteris pontificalibus ad sedem apostolicam direxit; cui tunc praeerat Kalixtus secundus, vir tanto nomini meritis et sapientia aptus atque dignissimus. Cui cum praefati pontificis legati causam, pro qua missi fuerant, intimassent, ille[a], cognitis beati Counradi episcopi gestorum praeconiis, ex decreto generalis concilii rescripsit, ut si vera esse agnoscerentur miracula, quae per eum a Deo facta dicuntur, scripturis et lectionibus memoriter deinceps tenerentur; recordatio enim ipsius inter sanctos futuris temporibus ex apostolicae sedis auctoritate haberetur. Litteris itaque haec continentibus legati quinto Kalendas Aprilis Lateranis a Kalixto papa ditati et apostolica benedictione muniti, patriam redire decreverunt. In itinere autem a quodam in captivitatem sunt redacti, atque ab eo aliquanto tempore quaestus gratia custodiae mancipati. Impositi ergo ergastulo, inerti non indulserunt otio; sed iam dictus monachus rogatu concaptivorum suorum historiam saepedicti confessoris Christi Counradi suaviter modulatus est, quam non multo post dimissus pontifici cum apostolicis litteris detulit; cui de adventu suo maximum gaudium contulit.

3. Perlectis vero epistolis coram clero et populo, pontifex venerandus Oudalricus, inito consilio, celebri edicto longe lateque iussit promulgari, ut die sexta Kalendas Decembris, hoc est die depositionis beati Counradi, omnis dignitas omnisque sexus Constantiae conveniant, quatenus ipse sanctus a numero mortalium eo die in ecclesia inter sanctos deferretur, quo olim iubente a mortalibus anima eius inter ipsos translata cognoscitur. Hoc igitur dulci rumore fideles undique incitati, die denominata prompto animo conveniunt innumeri, non solum ex vicinis, verum etiam ex longinquis regionibus et civitatibus. Aderant autem tunc in praesentia patres monasteriorum viginti quatuor, cum religiosorum caterva discipulorum, presbyterorum etiam atque diaconorum aliorumque clericorum infinita multitudo. Saecularium vero dignitatum proceres religiosa cum devotione pariter convenerunt, tres videlicet duces cum praefectis atque consulibus plurimis, militum quoque turmae cum innumera vulgi multitudine sexus utriusque et aetatis. In quibus omnibus solum erat admirabile simulque delectabile, quod cum non solum ecclesiae atque domus, verum etiam plateae atque campi ita constipati essent hominibus, ut vix quoquam se quisquam vertere posset, inter quos plerique inimicitiarum discordiis ita erant seiuncti, ut sanguinem alterutrum magno opere sitirent, nullarum tamen seditionum vel rixarum tumultus in his prorsus audiebatur, sed fraternus amor omnium ibi corda possidebat. Ibi iuxta prophetam[18] lupus cum agno pascebatur, quia nocens et innocens divino officio fervide fruebatur. Ibi leo et bos paleis simul pascebantur, quia cum sacerdotibus Christi tyranni crudeles unanimiter vacabant eloquiis divinis atque sacrificiis. Aer quoque ipse huic negotio, ut creditur, militabat, quia ultra solitum hibernis temporibus tranquillus atque serenus commeantibus arridebat. Videres corpora universorum aestuare, atque eximia vi comprimentium sudore madescere, cum quisque alium nitebatur praevenire, ut sacri corporis sepulchrum tangere mereretur vel saltem videre. In cuius conspectu nullus tunc vacuus apparuit, dum quisque cum oblatione materiali fide cor plenum offerebant. Pecuniae quoque plurimum collatum est, ex qua iussu praesulum sarcophagum ipsius sancti ex parte decentissime decoratum est. Multi tamen dum locum adeundi sepulchrum non inveniunt, dona sua per alios transmittunt; ipsi vero discedunt quasi frustrati, nimia moestitia animo perturbati.

4. Non passus Deus tantam suorum fidelium

a) illi 2[b]. 17) obiit a. 1127. et successorem nactus est Oudalricum II. 18) Isa. 11, 6.

devotionem evacuari, huiusmodi signo dignatus est eos incitari. Denique cum tantae celebritatis hora vespertinae laudis instaret, et turbarum multitudo undique ad instar apum convolaret, mulier quaedam, cuius dexteram longa paralysis molestia contraxerat eiusdemque lateris oculum obcaecaverat, impetu concurrentium advecta, ad memoriam beati viri paululum constitit oratura. Et quia diu ibi morari non licuit, pius quoque medicus eam diutius non distulit, sed utroque incommodo ad primam vocem orationis liberam tradidit. Clamore igitur tumultum populi vincente, non valens manus in coelum laudans et exultans protendere, acceptum Domini astantibus intimavit, omnesque de sua tam subita salute in iubilum laudis excitavit. Noti autem eius cum presbytero, cuius curae subiacebat, advenientes, rei veritatem episcopo attestantur, quamvis digitorum unguibus manus sulcata aptius rem gestam testaretur.

5. Nox subsecuta vigiliis laudibusque divinis ducitur plena. Certant cuncti sacras reliquias adire, etiam dum nullum locum illuc perveniendi sibi cernunt patere. Iam matutinorum laudes transierant, et ecce iterum nova gaudia surrexerunt. Homo quidam iam annis viginti claudus, fide integra, spe recuperandae salutis arrectus, bovem suam, quam solus possederat, sexaginta argenteis vendiderat, quos plena devotione sancto detulit offerendos Counrado. Quid tamen faceret? Undique turba obstiterat infinita, quae sibi aditum clauserat constituta[a]. Desiderio miser aestuabat, quia quo cupierat pervenire minime poterat. Sacerdos vero, in cuius domo iam diu manserat, casu adveniens, aestuantem hunc reperit; statimque, quid haberet moeroris, inquisivit. Causam protinus ut agnovit, fidem eius approbans, eum ad sepulchrum nimio cum labore protraxit. Tandem ad locum desideratum ut pervenit, totum quod possederat[b] pecuniae sancto hilariter obtulit, iamque ab eo salutem corporis quasi debitam violenter exegit. At vero pius debitor fide non diu protraxit exactorem, reddens ei, qua carebat, maturius incessus sospitatem. Laus in omni ore resultat, quia virtus Christi in salutem credentium per beatum Counradum redundat.

6. Igitur postquam dies exaltationis illuxit, pontifex Oudalricus ecclesiam, rem expectatam ad effectum perducturus, intravit, gradum ascendit, adeundi sepulchrum spatium sibi aliisque sacerdotibus dari poposcit; sanctum, quem desiderabant, in medium se eis prolaturum promisit. Multa ergo suadens, sed nihil proficiens, pontificalibus induitur ornamentis, solis dumtaxat nudatur plantis. Alternis sacerdotes confessionibus purificantur, ac demum contritis cordibus auxilio principum parvissima semita ad sepulchrum obtinetur. Lapide tandem monumenti sublato, etiam ligneo, quo sacrum depositum servatur, confracto, pretiosissimus reperitur thesaurus, serico pallio decenter involutus. Episcopus autem repertas complectens ossium margaritas, una cum astantibus fudit lacrimas gaudio plenas. Sacratissimis ergo reliquiis, ossibus videlicet atque cineribus beati Counradi, diligentissime collectis, atque in sarcophago ad hoc noviter praeparato digna cum veneratione reconditis, 1123.
ex collata pecunia idem sarcophagum postmodum ex parte deauravit atque pretiosis lapidibus decoravit. Brachium tamen eius dextrum forinsecus retentum, segregatim minori receptaculo conditum, decrevit in promtu habendum, populum scilicet Dei ad consignandum. Tum vero ligna loculi putredine iam labefacta diripiuntur, seque felicem deputabat, si quis particulam saltem parvissimam ex illo sibimet rapere poterat. Deinde onus desiderabile praeferentes, ad ecclesiam beati protomartyris Stephani cum maximo labore processerunt. Sed populo circumquaque immanissima opportunitate irruente atque vota sua offerre seque attactu sacri feretri sanctificare cupiente, vix unde processerant revertuntur. Pompa vel potestas seculi ibi nulla, conditio ibi omnium erat aequa.

7. Post haec principes exercituum dona hilariter sancto offerunt familiarum suarum atque praediorum, sub hac tamen conditione, ut hospitii, quod ipse sanctus quondam instituerat sed iam collapsum fuerat, serviant instaurationi, et inge solatium inveniant ibi pauperes et peregrini. Episcopus autem id ipsum quidem facere primo et ipse cupiens, domum aedificavit; sed postea saniori usus consilio, religiosos quosque clericos regulariter vivere cupientes foris muros civitatis Constantiae apud ecclesiam sancti Oudalrici congregavit, quibus etiam ex iam dictis aliisque ecclesiae suae possessionibus aliqua in subsidiis concessit. Horum autem conversatio in eo loco per illum quidem exordium sumsit, incrementum vero in hodiernum diem laudabiliter gratia Christi ministrare non desinit.

8. Populorum igitur decrescente frequentia, ab episcopo omnibus, qui illuc ad festum pia devotione convenerant vel de rebus suis aliquid obtulerant, plenam a Christi gratia praeoptavit indulgentiam, et hoc ideo huc usque distulit, quia nulla vox strepitum populi tumultuantis prius superare potuit. Hoc itaque donum et ipse quidem praesentibus contulit, absentibus vero per alios deportari iussit. Tum deinde pontificali benedictione muniti et beati Counradi patrociniis comitati, laeti quisque in sua remearunt, atque Deum in omnibus quae viderant et audiverant glorificaverunt. Merito ergo dixerim, eos auxilio beati patris comitari, qui nullis in via potuerunt periculis conquassari. Ut autem quod dicimus rebus approbemus, quid quibusdam inde remeantibus contigerit, interim dicemus. Navim denique praegrandem[c] plures ex eis, Podamicum lacum transnavigare volentes, intraverunt, littusque deserentes, profundi terga sulcaverunt. Ecce autem in medio laci navis per media discinditur, atque in momento aquis repleta mergitur. Quis ergo explicare poterit, quis terror ex praesentia mortis omnes invaserit? Sub undis tamen navis hominibus onusta, meritis, ut creditur, beati Counradi manu Creatoris retenta graditur; nec mergi potuit, quamdiu hospites beati viri portavit. Om-

a) *forte* constipata. LEIBN. b) possederet' 2b. c) praestantem 2b.

1123. nes itaque incolumes etsi humectatos exposuit, quia, ut superius diximus, viatores sancti patris imminens periculum tangere non potuit. Cuius sunt haec nisi tua, Christe, opera, qui vetera novis semper innovas mirabilia? Ut enim olim Ionam ventre ceti undis maris subtraxisti, sic et istos, sola tua protegente gratia, a periculo subduxisti.

9. Recedente igitur Christi advenarum turba, cives Constantienses, facultate progrediendi reperta, una cum pontifice suo dilectas patroni sui Counradi reliquias tulerunt, atque civitatem suam his praemuniendam lustraverunt, ut videlicet eo melius eius patrociniis tuerentur, quo frequentius eius exuviarum praesentia visitarentur. Ad basilicam quoque sanctissimi praesulis Oudalrici, quondam amici sui, illum attulere; ut sicut viventes quondam in carne, ita etiam post mortem se invicem viderentur visitare. Inde itaque laeti revertentes, novum, in quo reconditus fuerat, sarcophagum in monumento, quo et prius requieverat, posuerunt, ipso tamen sepulchro prius in melius reformato, ne videlicet fideles eius accessu fraudarentur, cuius commanentiae[a] omnes etiam coeligenae congratulantur. Ibi namque usque hodie plurima eius exuberant beneficia, dum quisque fidelium per eius patrocinia ad laudem Christi percipiunt quaeque postulata. Talia sunt quippe tua, Christe, praemia, qui propter tua mandata spernentibus mundana non solum in terris centuplum, sed etiam in coelis gaudia cum vita promittis sempiterna. Ecce enim iste, quia[b] te secutus est mente promtissima atque in tempore suo fidelis fuit super pauca, nunc in superna civitate constitutus est super multa; in memoria quoque erit aeterna, atque in extremo die iudicii non timebit ab auditione mala. Nunc ergo quia tibi, Domine, laureatus existit in coelesti curia, siste eum, quaesumus, ad te perferre supplicum vota, ut per eius quandoque interventum ad consortium mereamur pervenire supernorum civium.

10. Facta est autem haec translatio egregii Christi confessoris Counradi anno dominicae incarnationis millesimo centesimo vigesimo tertio, indictione secunda, Romanam ecclesiam regente Calixto papa secundo, ordinationis quoque Oudalrici Constantiensis episcopi, eiusdem nominis primi, anno quinto imperante Heinrico imperatore augusto, die sexto Kalendarum Decembrium, dominante super omnia in coelo et in terra Iesu Christo domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in omnia secula seculorum, Amen.

a) commanente 2. b) qui 2.

EX TRANSLATIONE SANGUINIS DOMINI,
MIRACULIS S. MARCI, VITA S. WIBORADAE ET MIRACULIS S. VERENAE,
EDENTE G. WAITZ. PH. D.

Constantiensis episcopi Conradi vitae supra editae quaedam monumenta placet subiicere, quae res in diocesi illa saeculo X. gestas illustrare possunt, eas maxime, quae in Annalibus et historiarum libris ne verbo quidem tanguntur, nihilominus vero, quamvis magis ad provinciae quam ad universalem Germaniae historiam spectent, non fastidienda sunt sed ad saeculi genium diiudicandum valde faciunt.

Narrationem, quomodo crux sanguine Domini repleta Augiam a. 925. sit perlata, medio, ut videtur, saec. X. scripsit monachus Augiensis, qui initio quidem multa fabulosa, postea vero de Hunfridi comitis familia et de monasteriis s. IX. in Alamannia fundatis plura tradit notatu digna, sermone, cui etiam multos interserit versus, usus cultiori.

In eodem Augiensi monasterio scripta est historia de translatione et miraculis S. Marci, quae an de hoc sancto vera retulerit, penes alios sit iudicium. Habet vero libellus quaedam de episcopis Veronensibus et Constantiensibus et de coenobii situ, quae saeculo X. incipiente scripta[1]*, non contemnendae sunt auctoritatis, et quum hucusque laterent inedita, inter haec parva locum sibi vindicant monumenta.*

Hermannus Contractus, qui priorem librum diserte affert[2] *et alterum quoque exscripsisse videtur*[3]*, fortasse eodem usus est codice quem manu terimus,*

1) c. 4: *Novissimis temporibus regnante Heinrico rege* etc. Auctor quae narrat „patrum relatione" percepit, c. 1. 2) a. 923. 3) a. 830. In cod. Augiensi iam Carlsruhano haec eadem qua caetera manu scripta sunt, quod contra Ussermannum moneo.

olim Augiensi, iam Carlsruhano, a V. Cl. Molter bibliothecae praefecto benevole communicato. Inter varias sanctorum vitas aliaque eius generis monumenta Translatio Sanguinis Domini ibi fol. 124′—135′. legitur, manu saeculi*

*) *Inter alia f.* 87—92. *exstat vita S. Symeonis inedita sed valde fabulosa, ex qua pauca tantum res Augienses quodammodo illustrantia hic subiicere placet:* INCIPIT PREFATIO VITAE SYMEONIS ACHIVI. Cum igitur ab adolescentia usque in presens, venerabilis abba et domine, firma atque immobilis huius Augiensis catervae columna sis in laribus apprime innutritus philosophiae, semperque ad exemplum aliis ullus humanus error minime te valeat impedire, quin potius diligas studia disciplinae, regione autem cum et ego litterulis intentus licet reprehensione omnium non inmeritus, tamen pro aptissimo mei preceptoris iussu, precipue ob gratiam tui aliquod ad scribendum adiacet voluntati, quod per inopiam scriptorum fuerat omissum, ut ab aliquibus enucleetur scribendo plurimum tamen dignum. Huiuscemodi rationis seriem veluti gravissimum onus debilibus humeris impositum pro ingenioli mediocritate sursum conor librare, quia tu semper affectas erigere non solum veterum discissione collapsa sed etiam quaeque nova a te utiliter inventa . . . . . . Eius etiam iuventutis conversationem, inscitia vetante, pretermisi, et ad ea recitanda quae quorundam relatu ex illo didici caraxamina retorsi.

1. Igitur Symeon, qui et Bardo ante vocatus, de Achaia provintia Greciae fuit oriundus, secundum saeculi dignitatem non infimus, insignis, opibus pollens, et cunctos illius regionis . . . . Postquam autem, ut emeritus fuit, tanti honoris officium suscepit, per universam rem publicam Grecorum fama exiit, quo Karolus imperator, collecto undique exercitu, contra Sarracenos, qui tunc temporis christianitatis impugnatores extiterant, bellum inire in loco qui dicitur Phrasind [1] destinaret; ei scilicet auxilium Grecorum legatione quaerenti, idem dignae memorationis vir iussu senioris, plena expeditione instructus, pervenit ad sublevamen prefati caesaris, hortabaturque suos, ne inde prius discederent quam profana contio superata fuisset. Ut autem tempus pugnae supervenerat, veloci saltu in inimicos se precipitavit, more cuiusdam austeri Achillis multos vulneravit pluresque neci dedit. Factum est autem, cum acerrime pugnaret, ut sinistima fama ei obviam se protulisset, inquiens, suum fratrem acie in eâdem adversariorum gladio oppetiisse. Tunc magis magisque excitatus in iram, animo deliberavit, ut prelio se minime subtraheret, priusquam mortem fratris vindicaret. Non multa parte diei transacta, prostratis hostibus voti compos effectus est. Pugna videlicet prospere peracta iuxta desiderium augusti, tantae gloriationis vir mirifice condignis muneribus a primate honorificatus, mox ad propria remeans, non solum victoriam sed etiam imperialem gratiam simul et donationem adeptam esse Deo concedente secum tripudiabat.

2. Ipso scilicet domum redeunte suique senioris palatium introgrediente, regis salutatio prior huiuscemodi patuit ei prolata: „Bene te venisse gratulamur.“ Ille ad haec: „Caelestis, inquit, gratia dignitati domini mei administretur.“ Tunc ilico regalis progrediebatur quaestio, quali modo tantae commissionis eventus se haberet percontando. Ille despotali parendo sciscitationi, omnem prosperitatem pugnae seriatim propalavit, adiecitque: „Quid autem is honoris mercedisque mihi protulisset, cui tu me auxiliaminis causa misisti, funditus in presentiam proferam tui.“ Cumque ille rei consona rationis veritate finem imposuisset, eisdemque muneribus in aerarium publicum receptis, alacri animo et vultu placidissimo rex scilicet et regina ampliori dilectione priori posthabita in familiaritatis locum eum asciverunt.

Aliis rebus naviter gestis, saeculum reliquit et monachum Hierosolimae professus est, ibique (c. 4.): unam de hydriis, in qua Christus se primum coram discipulis suis manifestavit aquae pallorem in vini convertendo ruborem, committebat, quam nunc, ó Augia, in tuo sinu habes collocatam; — *postea:* accidit ut quidam ipsum monasterium furtivo invaserunt introitu predictumque vas furati sunt . . . .

6. Commodum autem duco, ut ad id redeam, unde digressus sum, de predicto vase sermonem habere, veluti cuiusdam relatu comperi, hoc est qualiter preciosissimi precii margarita ad insulam devenerit Augiensem. Ea namque tempestate quidam rex Theodericus, ab antiquissimo potentissimoque parente vocabulum trahens, Galliciae provintiae monarchiam tenuit, atque ob augmentum statumque regni allatione thesauri superius memorati saluberrime est donatus. Et ut idem referebat, a raptoribus, qui ab Ierosolymitana urbe secum abduxere, quidam negociatores emere sibique detulere. Cui etiam insidebat animo, ut ita dicam, fas rumpere, a rege scilicet Franchorum sese alienare; iam ei legitime debuit subesse; coadunavit cum suis, ut se defenderet a regibus sibi conterminis. Huius procacis verba regis Franchorum auribus advolaverunt. Qui dure accipiens cogitabat intra se, quomodo sicut prius suo dominio illum subiugaret. Quid plura? Contracto undique procinctu decrevit magno impetu in eum irruere; nollet vellet ipsum totumque regnum eius vi suae potestati subicere. Cumque facultatem cum eo aequipperandi non haberet, suum fertur consilium ita moderari, quod prelibatum vas cuidam Hattoni, sanctae Mogontiacensis sedis archipresuli Augiensisque coenobii procuratori [2], eo tenore dedisset, quatinus omni ambiguitate postposita predictum Franchorum primatem sedaret, suaeque gratiae ipsum insereret. His ita iuxta utriusque mentis affectum, Hattonis videlicet et Theoderici, consummatis, Hatto gratulabundus ad Insulanensem cespitem hoc venerabile donum detulit, ac cum omni honore illic collocavit, sicut adhuc comparet.

7. Deinde summa cum devotione idem prefatus vir, ut devoverat, pene omnia circuivit loca. Cum iam ad nostrum, hoc est Augiense monasterium deveniret, itaque mane prima orationis causa ante aecclesiae ianuas procidit, ac obnixis omnipotentis Dei clementiam precibus implorabat, ut cito potuisset invenire, pro quo tamdiu coepit laborasse. Cumque orandi oportunitatem perageret, quidam ex nostris patribus, Werimbertus et Liuthardus scilicet, claustrum egressi, eum stantem videntes, his verbis compellare coeperunt: „Ave pater, hospes salutaris. Quibus ab oris nostras adisti sedes, cuiusve negotii gratia?“ Ad haec ille: „Domini, inquit, quam libenter mei molestiam itineris per totum vobis denudarem, si Christo dispensante aliquod consolationis mihi potuissetis inferre“. Illi vero tale sibi exhibuerunt responsum: „Si quid tibi incommoditatis sit, dicito; fortassis etiam aliquod in exponendo erit profuturum tuo negotio“.

1) An de Karolo Magno loqui velit aut de bellis s. X. contra Saracenos Fraxinetum inhabitantes gestis, non perspicio. 2) notissimus ille Hatto quem Theodericum coaevum habuerit, sane nescio. Fabula est satis inepta.

XI. in foliis maioribus duabus columnis scripta; quam primus Mabillon (Ann. III. p. 699.), sed nimis negligenter descriptam, edidit. — Folia 138—144, quae miracula S. Marci continent, prius, fortasse s. X. vergente, scripta et volumini illi postea assuta esse videntur; iam vero usu ita sunt detrita et humore una cum maxima voluminis parte ita depravata, ut scriptura iam pene evanescente quaedam nonnisi coniectura probabili restituere potuerim.

4 *S. Wiboradae virginis, quae prope Sanctum Gallum inclusa a. 926. obiit*[4],
acta primus Ekkehardus decanus memoriae tradenda suscepit[5], *sed morte*
praeventus imperfecta reliquit[6]. *Postea Hartmannum luculento sermone illius*
vitam conscripsisse, Conradus de Fabaria testatur[7]*; ipsique Henschenius opus*
tribuit quod primus publici fecit iuris. Quo tempore Hartmannus vixerit,
nemo dicit; vita illa vero ultimis saeculi X. aut primis saec. XI. annis scripta
sit oportet[8]. *Nam auctor episcopum Udalricum Augustanum mortuum dolet,*
9 *quin eius vitam post a. 983. scriptam ante oculos habet*[9]*; attamen multos qui*
fratrem Wiboradae superstitem viderant[10] *et Eggibertum, qui huic successit,*
vivum novit[11], *et alibi se a sanctae virginis temporibus non nimis remotum*
indicat[12]. *Certe a. 1047., ut Wiborada inter sanctos reciperetur, haec vita*
coram papa Clemente lecta est[13], *quam medio saeculo XI. Ekkehardus iunior*
ante oculos habuit[14], *et Hepidannus, cum a. 1072. alteram vitam scribendam*
aggrederetur[15], *fundamento posuit, quibusdam tantum ex aliis fontibus haustis*
16 *narrationibus*[16].

Compellatus tam amica allocutione, rem per ordinem eis enucleavit. Quid plus dicendum? Introduxerunt eum basilicam sanctae ac intemeratae Dei genitricis Mariae. Ut venit ad altare sancti Ianuarii Beneventanae civitatis episcopi, statim visa re iocundissimus effectus, sonora voce fertur proclamasse: „Ecce hydria, hydria domini nostri Iesu Christi, quae aqua referta eius benedictione vinum propinavit.“ Et aliis citius precucurrit, eamque amplexatus est, ac tantae visionis gaudia extrahebant lacrimas, eumque sanctae congregationis fraternitati inserebant; sicque actum est, ut a cunctis loci illius patribus quasi filius in Domino carissimus, a minoris autem aetatis fratribus haberetur velut pater optatissimus. In his igitur atque caeteris innumerabilibus bonis felicem agebat vitam; iamque omnipotens Deus illum ad destinatum bravium volens vocare, ultimo urgente die in presentia eiusdem monasterii abbatis caeterorumque fratrum spiritum emisit 5. Id. Aug. et ad Christum perrexit.

4) cf. c. 30. n. 20. 5) Hartmanni vita c. 45. 6) Hepidanni vita, praef. infra in not. ad c. 45. 7) de casibus c. 3. Mon. SS. II. p. 166. Mirum est, virum doctum I. ab Arx hanc vitam iam bis editam latuisse, ita ut eam deperditam doleret. 8) Ideo in hoc tempore Hartmannum collocat Neugart episc. Constant. I. p. 319. 9) cf. supra. p. 379. n. 21. 10) c. 10. (edit. 9.): *quam patienter sancteque vixerit, multi nostrorum qui adhuc superesse videntur meminerunt;* c. 20. (edit. 17.) visione, qua illa Udalricum episcopum videbat narrata, ita pergit: *Itaque omnia quae prediximus sancto spiritu venerandae virgini revelante impleta conspeximus.* 11) c. 43. 12) c. 33. 13) cf. contin. 2. casuum S. Galli c. 6. Mon. SS. II. p. 156. et Ekkeh. de cas. ib. p. 107. 14) l. l. p. 104. (ubi verba: *Quae quia alibi plenius sunt scripta* non ad Liudprandum sed ad hanc sunt referenda vitam), p. 105, 107: *De sancta Wiborada autem quia liber per se est amplius non loquemur.* 15) Edita est a Goldasto (SS. R. Alamann. ed. a. 1606. I, 2. p. 323.) et Henschenio (Act. SS. Mai I, p. 323.), ex qua paucos tantum locos in notas retuli. — In praefatione ita loquitur: *Ad quod regimen, tu venerabilis pater Udalrice, anno millesimo septuagesimo secundo incarnationis Domini eius mira dispensatione vocatus, cum bonae memoriae abbatis tui Nortperti, tunc triginta et octo annis super ovile sancti Galli vigilantis, non solum amabili praeceptione verum etiam communi fratrum electione successor effectus, prout complacuit tuae paternitati, onus iniunxisti, quod prius exhorrui imponere meae parvitati, nempe ut vitam memoratae virginis, interdum propter diversorum simplicitatem scriptorum superfluitate verborum quasi quibusdam foliis exuberantem, falce strictioris eloquii praecidere studerem. At ego quamquam in hac obedientia me scirem onus importabile debilibus aptare humeris, tamen non exacui linguam verbis contradictionis, eligens mihi satius esse, sub praeceptorum tuorum fasce deficere, quam eis repugnando titulum inobedientiae incurrere. Exemplum etiam cum grammatico proponere placuit, ne pigeat alios etiam a me vel ignorantia forte praetermissa vel vitiose dicta. Nihil enim ex omni parte perfectum in humanis credo esse inventionibus, posse sua quoque industria vel addere vel mutare. Sed antequam mihi alligatum onus adaptandum moveam, operae precium esse duco breviter in medium proferre, per quos praeclara gesta huius virginis posteris primitus innotuerunt, ut, cum aperietur, me non huius relationis esse novum auctorem, sed potius auctorum sequacem, nullus vicium falsitatis adnotet meae paginae.* Quae sequuntur infra c. 45. exhibentur. 16) c. 10—15. c. 16. fin. 17. 20. 26—29. (33.) 38. 39. et quaedam libri secundi miracula.

Vitam et miracula S. Verenae, quae sub Diocletiano in Alamanniam venisse et apud Zurziacum[17] *mortua esse dicitur, frater ecclesiae ibidem ex-* 17 *structae collegiatae*[18] *confecit, hac praemissa praefatione:*

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM SANCTAE VERENAE VIRGINIS.

Vitam gloriosae virginis Verenae secundum quod relatu quorundam didicimus scripturi, Dei omnipotentis gratiam imploramus, ut fratribus et sororibus nostris aliquid gratum et utile in hoc opere explere valeamus. Nihil enim valet vitam virtutum legere, nisi studeamus vitam virtutum habere. Ad hoc enim memoriam sanctorum pius animus recolit, ut exemplis eorum ferventior fiat et erumnam suae peregrinationis, iter eorum sequendo, facilius superet. In singulis enim factis sanctorum, unde magis Deo placuerint, oculo cordis intentissime considerat, et quid ipse sedulus agere debeat, flammanter investigat. Haec, fratres karissimi et sorores, subinde legentes, ut de merito professionis et castitatis vestrae pariter cum beatissima Verena coronam aeternae remunerationis reportare possitis, studiosissime peragite, vitamque ipsius non modo in verbis, sed etiam in moribus vigilanter, ut sic vivatis, pertractate. Habebitis enim illam tunc pro vobis oratricem, si vestigia illius subsequentes, habueritis semper pre oculis imitabilem, ut quanto illustriores estis genere, tanto preclariores sitis sanctitate.

EXPLICIT PROLOGUS.

Auctor scripsit Conrado rege Burgundionum vivo[19], *sed Herimanno tertio Ala-* 19 *manniae duce constituto*[20], *inter annos igitur* 1005. *et* 1032., *fortasse bis in hoc libro occupatus, quippe qui librum primo c.* 15. *finisse, postea reliqua addidisse videatur. Alia scribenda posteriori tempori seposuit*[21]*; quod consilium an executus sit nescimus. Quae miracula narrat pleraque aut a testibus fidelibus accepit*[22], *aut ipse vidit*[23], *iisque de ducibus Alamanniae quaedam, quae* 23 *hic repetantur digna, retulit.*

Utraque S. Wiboradae et S. Verenae vita exstat in

1) *C. regio Stuttgardiensi mbr. fol. mai. s. XII. olim Zwifaltensi. Hic liber optimae notae in Annalibus nostris*[24] *a b. m. Lebret bibliothecae praefecto laudatus, iamque a V. Cl. Moser, rei scholasticae in regno Wirtembergico praefecto Hannoveram benevole transmissus, eleganter et accurate scriptus magnam continet Vitarum collectionem*[25], *inter quas Vita S. Verenae f.* 18'—24., *S. Wiboradae f.* 130—138'. *legitur.*

2) *In Actis SS. Vita S. Wiboradae ex codd. Dillingano et Wiblingensi*[26] *(Mai I. p.* 284*; inde Mabillon Acta SS. ord. S. Ben. V. p.* 44.*), Vita S. Verenae ab Elmenhorstio transmissa, collato codice S. Maximini Trevirensi*[27], *(Sept. I. p.* 164.*) prodiit.*

G. WAITZ.

EX TRANSLATIONE SANGUINIS DOMINI.

Qui crucis in patulo suspensus corpore ligno,
Christe, relaxasti totius crimina mundi,
Te precor, obstrusum caelesti lumine sensum
Illustra, mutae solvens retinacula linguae.
Tu....um[a] inspira, comitetur et actio, praesta;
Quodque dabis coeptum, tu fac fore rite peractum.
Denique te proprio reboans in sanguine, laudo
Quem nivea agnellus fudisti carne tenellus.
Tu mihi de Bosra venisti veste retracta, Isa. 63, 1 sqq.
Tu sine subsidio calcasti torcular ullo
Solus, et immites solum te linquere gentes.
Tu pie sicut ovis passus cruciamine mitis,
Tu de morte potens forti virtute resurgens,
Iesu salvator, mihi tu succurre, Redemptor,
Cuius anastasis confringens vincula mortis
Contulit optatae longissima gaudia vitae!

a) *iam amplius legi nequit.*

17) Zurzach ad Rhenum, hodie in provincia Aargau situm. 18) cf. c. 10. 11. 13. 15. — Eiusmodi ecclesia etiam monasterium appellatur; cf. c. 8. 19) c. 4. 20) De ipso enim, qui puer patri a. 1005. successit, a. 1012. obiit, plurima se dicturum esse profitetur c. 20. 21) c. 19. 20. 22) c. 1. 23) c. 3. 8. 10. 16. cf. 18. 24) Archiv IV. p. 570. 25) cf. quae Archiv Vol. VIII. dicturi sumus. 26) Variae lectiones cod. Augustani s. XV. Mai VII. p. 552. afferuntur. 27) Alia manuscripta Coloniae et in abbatia Bodecensi haberi, ibidem I. Stiltingus p. 159. monet.

Scripturus de pretioso sanguine domini nostri Iesu Christi, quo genus humanum ab antiqui hostis potestate redemptum est, tuis me, pater nonnose[a, 1], precatibus commendo; ut qui tuo caeterorumque rogatu fratrum onus inportabile pro ingenioli mediocritate suscepi, vestris opitulationibus sublevare curetis; neque enim quicquam denegare fas erat piorum iussis, iuxta illud: *Melior est oboedientia,*
1. Reg. 15, 22. *quam victima.* Neque vos quoque lapsanti opem levaminis subtrahere debetis. Itaque licet sensu impar, tamen Salvatori debitor, iniunctum opus exordiar. Quid enim dignius sive salubrius esse potest, quam in ipsius laudibus immorari, eiusque praeconia mente linguaque frequenter inculcare, qui sua nos passione redemit, cruore suo vulnera nostra sanavit. Quod iam olim illo typico prefiguratum est agno . . . . [2]

c. 800. 1. Tempore Karoli gloriosissimi imperatoris Azân quidam nomine, praefectus urbis Hierusalem, audiens de virtutibus multisque miraculis et incomparabilibus eiusdem Karoli proeliis, ingenti coepit desiderio coartari, qua occasione fieri possit, ut tanti viri faciem presto cernere eiusque delectabili affatu perfrui, et cum eo foedus amicitiae componere valeat. Missis itaque Romam legatis, Leoni viro apostolico suum patefacit desiderium, simulque postulat, quatenus per ipsius effectum optata principis visione sese laetificari contingat, promittens imperatori, si volente Deo ambos convenire detur et ipse dulcissimos illius vultus contemplari mereatur, thesaurum incomparabilem sese illi oblaturum et ita preciosum, ut nec ipse nec antecessores eius tale quid unquam adquirere potuissent, et de transmarinis partibus nihil simile in Francorum aliquando fines devenisset. Praefatus ergo pontifex suis nuntiis ad Aquas Grani palacii festinato directis, ubi eo tempore augustus commoratus est, praedicti Azan praefecti urbis missaticum retulit, et ut ipse postulationem illius explere dignaretur, instantissime deprecatus est. Augustus vero huiusmodi legationem parvi pendens, pro nihilo habuit, et obviam Azan proficisci neglexit. Antistes autem comperiens spretam ab augusto petitionem eiusdem Azan, indoluit, et aliis iterum missis ad ipsum destinatis, talia fertur ei demandasse: *Si tu,* inquiens, *ipse esses, quem te esse totus arbitratur mundus, et universum per orbem celeberrimus diffamaris, vitam tuam, si ita res exigeret, periculo dare et pedum tuorum incessu post ipsum pro adeptione tam magnifici thesauri ambulare debueras.* His tandem sermonibus sceptriger caelitus animo commotus, cornipedem celeriter conscendens, Romam profectus est.

2. Praelibatus quoque Azan urbis praefectus de civitate Davitica ad occursandum augusto iter arripiens, secumque thesaurum preciosissimum supra commemoratum deportans, usque ad insulam, quae Corsica nominatur, devenit; ubi gravissimo languore detentus, coeptum desiderabile iter prosequi non valebat. Itaque Romam mittens, exposita infirmitatis suae causa, rogat imperatorem, ut ad se in praedictam insulam venire non dedignetur; spondens, se illum decentissimis muneribus et omnes thesauros praeponderantibus honoraturum. Augustus vero maris periculum praemetuens, ut semper solebat in aquis esse formidolosus, consiliarios fidelesque suos convocat, et quaerit, quem de omnibus illô dirigere debeat. Nullumque reperiens ceterorum ad illud iter esse paratum, Einhardum clericum, in omnibus quae illi iniunxisset ministeriis sibi semper aptissimum, decernit illuc esse destinandum. Ille quoque nihilominus emensum pelagus, sicut frequenter consueverat, perhorrescens, talia iubenti obiicere perhibetur: *Mitte me per terram ad quoscumque velis totius orbis fines, etiamsi exteras volueris ad gentes; et ego iussum tuum fiducialiter adimplebo. Periculosos quippe et incertas aquarum vias attemptare formido.* Rege igitur aestuante, ut legatum aliquem possit invenire, ceteris vero perneciosum iter excusantibus, triduum ita peractum est.

3. Duo sane de primoribus regis erant, Waldo scilicet et Hunfridus; e quibus Hunfridus eo tempore totam Hystriam tenebat [3]. At Waldo Augiensis monasterii abba fuerat [4]. Cui etiam pontificatum Papiae urbis necnon et praesulatum Basiliensis civitatis, prioribus defunctis pontificibus, rex interim ad procurandum commisit, donec negotia quae instant ad marginem perducerentur. Erat enim virtutibus clarus, regique valde familiaris, adeo ut illum suum fieri confessorem eligeret. Cuius etiam paulo latius mentionem inferius post pauca facturi sumus; modo quae coepimus prosequenda sunt.

4. Tertio demum die clauso, cum iam orbita solis in occasum cursu volubili flecteretur, et hespero rutilante noctis tempus instaret, idem nonnosus Waldo Hunfridum inter ceteras confabulationes multis coepit suasionibus adhortari, ut legationem imperatoris suscipiens, ad praefatum Azan urbis praefectum in praedictam insulam perferret: *Cernisne,* inquiens, *dominum nostrum animo consternatum, eo quod voluntatem suam explere nequeat, et quia idem Azân suam ad nostrates legationem gloriose perficere potuisset, senior autem noster facultatem non habeat, qua suam econtra relationem ad ipsum transmittere valeat.* Cuius verba Hunfridus dure accipiens: *Quod me,* inquit, *facere cohortaris, tu nullatenus agere velles.* Cui ille: *Si tu,* ait, *ire disponis, ego tecum indubitanter proficiscar.* Waldone igitur obnixius persuadente, tandem assensum praebuit Hunfridus, et viam se aggressurum spopondit.

5. Laetus ergo factus Waldo de consensu et promissione Hunfridi, post matutinales ymnos regem in conclavi pausantem adit, et pulsato ostio ingredi concessus, consolatoriis sermonibus animi illius leniens moerorem: *Habes,* inquit, *domine mi, paratum virum, quem mittere debeas.* Et sic dicens, sponsionem Hunfridi regias perfert ad aures. Ille Deo gratias referens: *Revertere,* ait, *ad hospicium tuum, et illucescente die ad me ambo venite.* Interea dum Waldo cum rege versatur, Hunfridus post ipsum mittens, abnegat iter, quod invicem condixerant. Qui ait ad nuntium: *Quomodo potest fieri, ut nunc demum ire se deneget, cuius iam pollicitationem seniori meo regi insinuatam habeo?* Quo audito Hunfridus, tandem velit nolit iturum se consentit. Mane igitur diluculo,

Dum iam clara rubet stellis aurora fugatis [5],

ambo, ut iussi sunt, ad palatium veniunt. Augustus vero, facto suis cum prioribus consilio, cum inmensis ac preciosis muneribus et pecunia copiosa totum per orbem ob id ipsum congregata, ad praefatum urbis praefectum illos transmisit. Qui classem numeroso thesauro accumulatam conscendentes, prospera navigatione ad supradictam insulam devenere; ipsumque Azan ma-

a) nonnoso *corr.* nonnose *c. ubi* Waldo *rec. man. add. ex c.* 3. *male intellecto.*

1) Nonnosus i. e. senior monachus. MAB. 2) Reliquam praefationem omisi. 3) In Ann. Einhardi a. 823. „comes Curiensis“, a Thegano c. 30. „dux super Redicam“ (Rhaetiam) appellatur. 4) Praefuit a. 786—806. 5) cf. Virg. Aen. III. 521.

xima reperientes aegritudine laborantem, praesentant dona ingentia, quae transmiserat imperator.

Me, precor, indignum, clemens Salvator, obaudi
Per vexilla crucis per sacra fluenta cruoris,
Ingeniumque mihi praesta linguamque loquacem,
Quo bene thesaurum, nobis quem Corsica misit,
Commemorare queam dignaque exponere laude!

6. Igitur Azan tantorum opulentiam donorum, quae ab augusto oblata sunt, honorabiliter, ut decebat, accipiens, sed pro eo, quod ipse imperator, quem inaestimabili amore expectabat, ad se minime venisset, valde gemibundus existens, inter cetera colloquia, quae de illo sermocinatus est, ita ad legatos fertur dixisse: *Licet, languoris molestia deprimente, mihi indigno non concessum est a*[a] *Deo, ut ego praesentialiter veniens diu optatum virum conspicari eiusque desiderabili visione et alloquio laetificari meruissem, nec ipsum quoque propter maris terrorem, quem semper abhorrere dicitur, ad me venire contigisset: tamen quod promisi donare non differam, et thesauro preciosissimo illum honorificabo.*

7. Haec sunt ergo illa dona honorabilia cunctoque orbi optatissima, et haec est illa gaza sacrosancta supraque omnes preciositates dignissima, quae de Corsica insula gloriosissimo imperatori Karolo delata est: Ampulla una ex lapide onichino, de Salvatoris sanguine plena. Crucicula una ex auro et gemmulis fabrefacta, continens cruorem Christi per quatuor partes inclusum, et in medio portiunculam ligni Domini. Hanc eandem cruciculam, ó bone Iesu, tuis modo Augiensibus ad tutelam et solatium nostri mittere dignatus es. Sit tibi, Christe, gloria lausque! Spinea corona, quae caput amabile Redemptoris nostri complexa est. Unus de clavis, qui delectabiles Christi articulos configebant. De ligno quoque Domini, in quo preciosa Christi membra pendebant. De sepulchro Domini, quod salutifero Christi corpusculo consecratum est. Praeter diversa etiam unguenta sive pigmenta, cum ceteris quoque muneribus variis, quibus augustus festive donatus est.

8. Acceptis enimvero donis legati mirificis, trigerim[b] gratulabundi conscendentes, et magnifici thesauri quem secum habebant suffragio, ut credimus, defensati, prosperrimo navigantes remigio, in loco qui ad monasterium beatae Anastasiae vocitatur, quem ferunt esse in Sicilia, tutissima navi applicuere. Ubi Hunfridus Waldonem ad observandam summo cum honore tanti thesauri sanctimoniam relinquens, ipse ad imperatorem, qui eo tempore apud Ravennam urbem legatos suos praestolando mansitabat, perrexit, commissae sibi legationis rationem exponens et successum itineris omnemque gestae rei eventum ordinatim enucleans, et ubi Waldonem cum sacratissimo thesauro reliquisset insinuans. Nec mora, ipse augustus ineffabili gavisus tripudio, unâ suis cum primoribus et universa populi phalange discalciati iter arripiunt, et illa quinquaginta miliaria de urbe Ravenna ad praedictum locum in Sicilia nudatis plantis perambulantes, reperiunt saepe inculcatum thesaurum eodem in loco venerabiliter collocatum. Quem maxima cum devotione imperator assumens, de ipso secum loco asportavit. Sed quid de ipsa postmodum sanctitate fecerit, hoc est quantam ex eodem thesauro portionem in sua cappella semper habendam eximius Dei cultor reposuerit, seu quantulam partem distribuens ad cetera sanctorum loca transmiserit, modo taediosum est explicare, ne ob morosum opusculum ultra modum protelatum fastidiens lector nausiare compellatur. Quippe cum ad illud praecipue commemorandum iam dudum ab exordio sermonis stilum vertere decreverim, propter quod coeptum operis laborem aggredi proposui, hoc est qualiter saluberrimus Christi sanguis, de quo nunc sermo est, cruciculae supradictae inclusus, moderno tempore ad insulam devenerit Augiensem.

Gloria summa tibi sit laus et gratia, Christe,
Imperiosa poli retines qui sceptra supremi!
Tu de longinquis miseratus partibus orbis
Finibus in nostris solatia tanta dedisti.

9. His sane negociis feliciter determinatis, et augustali legatione a supradictis Waldone et Hunfrido prosperis successibus peracta, tandem imperator, habito suis cum primatibus placito, tractat, qua suos fideles[c] missos mercede tanto pro labore remunerare debeat. Cunctisque ore faventibus, huiusmodi dictis eos compellare memoratur: *Quia vos, inquiens, soli tanto me honore sublimastis, ut legationem nostram ita strenue perficeretis, dum nemo alius in regno meo sese ad tam periculosum iter aggrediendum exhibere voluisset, idcirco quicquid nostris de rebus vobis placuerit, fiduciali animo postulate, et ego quam prompte tribuam, cunctis clarescere faxo.*

10. Tunc saepedictus abba Waldo, gratissima optione collata, cunctis petitionibus suis id solum anteponens, ut apud augustum pro privilegio fratrum Augiensium sibi commissorum elaborare conaretur, optatissimo effectu, quatenus idem coenobium non solum privilegio sed etiam territoriis et pecunia copiosa contradita gubernaret, impetrare promeruit.

11. Nihilominus quoque et de supradictorum dispositione locorum, id est de praesulatu Papiae urbis et episcopatu Basiliensis civitatis, suae voluntatis effectum ab imperatore consecutus est, impetrans ab eo, quatenus suum utrique loco pontificem constituisset, et insuper plurima gubernationis suae adminicula quasi verus deicola[d] praebuisset.

12. Deinde famosissima virtutum illius probitas illud quoque de eo nullatenus silere permittit, quod post aliquantum temporis rector monasterii sancti martyris Christi Dyonisii ab imperatore praelectus 806.
est, eo quod pro sua religiositate summum apud eum familiaritatis locum, ut etiam paulo superius dictum est, obtinere meruisset. Ubi monasticae vitae regulam admodum distortam, fratresque secularis potius quam spiritalis vitae sequaces inveniens, nimio divini fervoris zelo succensus, ad rectitudinis normam multum rebelles convertere conatus est, adeo ut, conductis secum militibus armatis, capitulum illorum, ceu fertur, ingressus, insolentiam tumultuantium quasi repugnando perdomuisset. Quorum tamen salvationi, superna fretus gratia, ad postremum ita consuluit, ut non solum assiduae cohortationis documento, verum etiam praevio placitae conversationis exemplo, ad regularis eos vitae quam deseruerant disciplinam revocaret, sicque ex discolis fratribus modestos oboedientiae sectatores commutaret. O virum beatissimum! cuius memoriale eodem in loco numquam obsolebit, cuius nomen, quousque volubilis instat mundus, celeberrimum haberi non cessabit. Tanto namque amoris affectu eum dilexisse tamque magnum carissimo patri honorem exhibuisse memorantur, ut, eo carnis ergastulum deserente, lu-

a) *post add. c.* b) *ita c. i. e.* trierim. c) fidelis *c.* d) *post corr.* dei incola *c.*

minare ad sepulchrum eius, quod in quadam absidula situm esse narratur, assidue interdiu noctuque coruscare fecissent. Quod ipsum etiam hodieque a iunioribus moderni temporis ob eius amorem indesinenter observari perhibetur.

13. Hunfridus vero annosa iam aetate gravatus, et de saeculari bravio percipiendo minus cupidus, taliter suam fertur postulationem moderari: *O mi senior*, inquiens, *quia ego iam senui, de futura mihi vita cogitandum est et de temporali honore minime curandum. Ideoque nihil aliud mercedis desidero; illam tantummodo cruciculam, qua Christi sanguis inclusus habetur, humiliter rogitanti pro praemio donare non gravaris.* At ille huiusmodi petitionem primitus moleste accipiens, ob implendam tamen, ut decebat, regis promissionem, quod poscit tribuere non dedignatur.

14. Ille etenim voti sui tandem compos effectus, et desiderantissima tanti thesauri adquisitione praeditus, constructo monasterio in loco cui vocabulum est Skennines[6] — nam eo tempore Reciam Curiensem tenebat — in laudem videlicet Dei et honorem crucis et sanguinis Christi, simulque ob remedium saepedicti imperatoris Karoli, pariterque ob mercedem suae ipsius animae consequendam, sacratissimam cruciculam in templo Dei honorabiliter, ut dignum erat, collocavit. Collectaque inibi sanctimonialium catervula, preciosissimas reliquias assiduis laudibus, quoad viveret,
c. 825. celebrari fecit. Ipso vero temporali vita decedente, Adalbertus filius eius eandem cruciculam cum ceteris quoque rebus patris haereditare coepit.

15. Libet modo ob venerationem dominici sanguinis et crucis memorabile quoddam miraculum eo tempore declaratum huic opusculo interserere. Denique Adalberto paternas res haereditario iure, ut dictum est, possidente, contigit ut Ruodpertus[7] quidam nomine, Ludowici imperatoris vassallus, dolosa circumventione apud seniorem suum impetraret, ut Reciam Curiensem in proprietatem sibi contraderet, pulsoque Adalberto, possessionem illius sibi usurparet. Ille vero cunctis rebus a patre relictis spoliatus, quasi nudus evadens, sola tantum crucicula arrepta, ad fratrem[a], qui tunc temporis Hystriam tenebat, confugiens, ipsius tandem auxilio collecta virorum multitudine, Ruodpertum invadit, illis forte diebus aqud villam Cizuris[8] commorantem. Qui fugam iniens, eo quod facultatem cum eo congrediendi non haberet, dum foras villam devenisset, a quodam cavallo, qui ante se capistro ducebatur, qui et nigri coloris esse ferebatur, genu percussus, confestim equo cui insidebat depositus, moxque in ipso campo supra clypeum reclinatus, funeris officio festinanter expleto, praesenti vita miserabiliter decessit; divino scilicet sanguine lignoque sanctae crucis, quod minime dubitandum est, Adalberto, qui ipsam cruciculam secum more solito deportabat, victoriam de hoste conferentibus. Cuius corpus Adalbertus, miseratione flexus, ipse cum suis feretrum prosecutus, in quodam monasterio, quod Lintowa nominatur, sepulturae tradidit. Reversusque tandem, hereditatem suam, sicut prius, manu potestativa usque ad obitus sui diem[9] detinebat.

16. Post hunc quoque filius eius Odalricus paternarum rerum adeptione potitus, eundem thesaurum digna sub reverentia usque ad vitae suae clausulam conservabat.

17. Huic etiam filia successit vocabulo Hemma; quae patrimonii sui coheres effecta, relictum a patre lignum preciosum diligentius custodiebat. Quae hoc ipsum postmodum filio suo Odalrico adhuc vivens contradidit.

18. Eo tempore Walthario cuidam nomine cum coniuge sua Suanahilda miro desiderio pro adquisitione inaestimabilis thesauri aestuantibus, eo quod ambo religiosi laudisque Dei et sanctorum fervidi cultores fuissent, contigit, ut idem Odalricus eorum filiam, quam in coniugium expetebat, accipiendo, eandem cruciculam ipsis data occasione poscentibus delegasset. Quam tandem perceptam, in cappella, quam in suo castello[10] construxerant, digno sub honore collocarunt.

19. Dignum itaque quoddam mox inibi divinitus ostensum minime reticendum arbitramur. Praedicta namque Dei amatrix ipsam cruciculam omnino cupiens occultari, ne forte decus preciosum ab aliqua sublimiori tunc temporis persona visum concupisceretur, post tergum alterius crucis in eadem cappella positae suspendi fecit. Quae postmodum intrans, invenit eam in anteriori eiusdem crucis parte, mirabile dictu, mutato loco pendêre. Existimansque aliquem de suis de posteriore in anteriorem locum hanc fecisse mutationem, et ob hoc durius illos increpitans, iterum iuberet eam in posteriore loco suspendi. Itemque post ingrediens, repperit eam sicut prius in anteriore loco pependisse. Illa demum miraculi sacramentum cognoscens, quievit, credula, ni fallor, Salvatorem sui sanguinis pro salute humana profusi necnon et ligni saluberrimi virtutem nullatenus celari velle, sed ad laudem sui potius manifestari.

20. Aliud quoque subsequens miraculum nequaquam silentio supprimendum censuimus. Purchardus etenim dux Alemannorum inimicitias adversus praefatum Waltharium exercens, numerosa virorum multitudine contracta, supradictum obsedit castellum. Cumque iam prope esset, ut expugnari pene debuisset, castellanis formidine captis, praelibata Dei cultrix obviam progrediens, sanctam cruciculam hostibus praetendit, magnaque exclamatione vociferans, rogat per omnipotentis Dei amorem et sacratissimae honorificentiam diei — nam eo die coenae Domini celebritas habebatur — quatenus ab hac nefandissima impugnatione desistentes, pacis tranquillitate cum ceteris totum per

a) *rec. manus add.* Burchardum.

6) Schonis, inter lacum Turicinum et quem dicunt Vierwaldstädtersee. 7) comes Argengoviae; cf. Neugart episc. Constant. I. p. 66. 181. 8) Zitgers. 9) Adalbertus a. 846. Emma a. 915. mortui dicuntur; cf. Eichhorn episc. Curiensis p. 333. 10) quod Mabillon Ann. III. p. 372. et Neugart p. 193. minus recte Zurziacum habent; Eichhorn vero l. l. Kyburg dicit.

orbem christianis ipsum diem solemniter recolentibus perfrui sese concederent. Illis vero econtra, postposito Dei timore, acriter pugnae instantibus, et nullo modo se cessare velle, donec eos debellarent, minitantibus, dum unus ex illis audentior ceteris, conscenso per[a] saxa vertice, urbem iam irrumpere se posse confideret, clericus quidam e castellanis iacto grandi lapide inimicum perculit, sicque cum clypeo quasi semivivum retrorsum cadere fecit. Demens, qui tantae virtuti in crucicula fulgenti miser resistere auderet. Quo viso, ceteri cesserunt, terrorque praeliandi quievit. Quis etenim Christum ambigat per suum sanguinem lignumque preciosum suis supplicatoribus adiutorium contra inimicos exhibuisse? qui antiquum iam hostem eodem signo triumphavit, totumque genus humanum sacri cruoris unda redemit.

21. His ita divinam ad laudem patratis, lignum dominicum longo post tempore secum retinuere, nulli omnino illud sese cuncto vitae suae circulo donaturos, fixo animo deliberantes; finito vero dierum suorum curriculo, ad monasterium Insulanense beatissimae virgini Mariae contradituros voventes. O quantum ignari supernae dispensationis fuere, quid agendum super hac re dispositum habuisset!

Nunc margarita dicturus de preciosa,
Qualiter almificam tandem venisset in Auvam,
Fili, quaeso, Dei, sensum da munere miti!

22. Contigit interea praedictam matronam monasterium Augiense orationis causa visitare; indeque ad reverentissimum locum, qui Zurzacha vocitatur, venire delectari. Cumque iam in villa Muneheresdorf[11] nuncupata proximam monasterio mansionem habuisset, clericus eius eandem cruciculam ignorante domina sua secum deportans, interrogat, ubi collocare debeat. Illa . . . . . . *

* *Quum Augiam venisset* (c. 23.), *monachos reliquias illas celare studuit*, „ut nec suo fratri Odalrico nomine, tunc eiusdem monasterii portario, qui sibi familiarior[b] esse debuerat, pandere voluisset"; *tandem* „obnixis devicta precibus absconditum manifestat secretum", *et vasallo eius Tougolfo maxime agente, reliquias in ecclesia S. Mariae servandas permittit*; *nullo modo vero, ut eas monasterio concederet, permoveri potest. Quibus factis discessit* (c. 25. 26.). „Cumque ad mansionem in villa Erichinga (*Langdorf apud Frauenfeld in Thurgau*) sibi paratam, ad locum Zurzacha superius dictum itura, venisset, ... coepit . . . graviter aestuare". *Et statim cruciculam ad monasterium misit, quam fratres summa laetitia exceperunt et in beati Chiliani capella posuerunt* (c. 28—30.). „Deinde statuerunt, ut illum deinceps diem, quo signum admirabile in Augiam devenisset, non solum ipsi, verum etiam illorum posteri dignis laudibus ritu perpetuo solemnem quotannis celebrare deberent. Quin etiam quo tempore preciosissimum decus in insulam advenisset, hoc est anno incarnationis Domini nongentesimo vicesimo quinto[12] 7. Idus Novembris notare curaverunt. Et hanc quoque supputationem, ne unquam oblivioni tradatur, sed in perpetuum memorialiter habeatur, in libro regulae suae, ubi etiam ceterae sanctorum solemnitates annotatae continentur, conscribi fecerunt." *Suanahilda Zurzacham profecta et inde Augiam reversa, donationem firmat, domumque regressa, Waltharium maritum animo commotum, re gesta enarrata, facile placat* (c. 31. 32.). „Ipse quoque ad monasterium postmodum veniens, supradictam eiusdem cruciculae donationem sua denuo astipulatione confirmavit, et fratrum orationibus, sicut rogaverat, commendatus, ac non modica ab eis consolatione relevatus, laetissimus abscessit. His modo ad calcem perductis, ea quae paulo superius de prefato fratre coepimus prosequamur."[c]

EX MIRACULIS S. MARCI.

De miraculis et virtutibus beati Marci euangelistae aliquid scribere cupientes, pre multitudine signorum, quae per illum fecit Deus, quorumque pene totus plenus est mundus, nequaquam valemus illud capere principium. Quorum multa, quae in Alexandriae partibus, ubi primum euangelium Dei predicavit, iam declarata sunt, ut in passione illius legitur; multa vero propter scriptorum inopiam, quasi iam non sint facta, nobis valde sunt incognita. Quanta enim in Alemanniae partibus nuperrime fulsissent, Dei gratia largiente, quae audivimus et vidimus, occultare non audemus. Sed de his interim taceamus, usque dum dicamus, pro qua rê in eadem provincia facere debuisset miracula, et quomodo fieret corporis illius ad nos translatio facta, ut postea liberius pertractare possimus clara quae fecerat signa.

1. Est locus in eadem regione situs, qui Augia recto nuncupatur vocabulo, quia Rhenus ab[d] Ausoniis Alpibus decurrens immani eum circumfluit amne, et ideo cunctarum coniunctione confinium carens, quasi Deo tribuente in hereditatem sanctae Mariae donatus, ab omni saeculari servitio est segregatus; in quo in honore eiusdem genitricis Dei Mariae monasterium est constructum, Deo dicatum, ab omni saeculari vita penitus remotum, sapientia pollens, doctrina fulgens, cunctis disciplinam quaerentibus solatium prestans, in laudem omnipotentis Dei assidue perseverans. In illius monasterii basilica corpus predicti martyris Christi collocatum esse non dubitamus. Multi enim qui de hoc dubitaverunt quando ad sepulchrum eius pervenerunt, aut nimio timore perterriti aut aperta visione correpti, statim ut inde discesserunt, omni

a) *deest c.* b) familior *c.* c) *Ita codex desinit.* d) ab au *e coni.*

11) Mindersdorf inter Moeskirch et Stockach. 12) Hermannus Contr. a. habet 923.

ambiguitate deposita, ultra se ei cum omni devotione servitium impendere decreverunt. Qualiter vero corpus illius ad nos usque deveniret, sicut patrum nostrorum relatione didicimus, paucis explicare conamur.

2. Tempore igitur magni Karoli imperatoris augusti erat quidam magnae reverentiae episcopus, Egino nomine, de Alamannorum gente procreatus, qui tunc Veronensis civitatis ecclesiae monarchiam tenuit. Hic dum propriam coepisset revisere patriam, placuit ei, ut abbatem nostri monasterii interpellaret, quatenus isti in eadem insula habitandi licentiam concederet. Qui dum . . . .[a] tiae bonitate illi nihil[b] denegaret, accepta ab eo optata responsione, coepit in ultima eiusdem cespitis parte fabricare cellulam, quam in honore sancti Petri principis apostolorum construxit, voca-
799. bulumque sui nominis eidem cellulae aptavit[1]. Quam dum innumerabilibus decoraret ornatibus, auro et argento lapidibusque preciosis vestibusque variis ad opus Dei aptis, libris quoque ac omnibus ornamentis ad Dei servitium pertinentibus, cunctisque secundum suae voluntatis arbitrium rite peractis, cum laude et honore Dei ex hac luce sub-
802 tractus migravit ad Christum. Cuius meritis successit Ratoldus, qui ante fuit suus clericus, per omnia fidus ac potens, vir magnae bonitatis. Hic eiusdem episcopatus ecclesiam post eum rexit, regnante tunc Ludowico, eiusdem Karoli imperatoris filio. Hic vero cum iam illius episcopii regimen diu teneret, solito more propriam coepit visitare patriam. Cum iam ad nostrum deveniret monasterium, coepit rogare eiusdem monasterii patrem[c], quatenus ei eandem quam suus construxit antecessor concederet cellulam. Illo etiam econtra reluctante suisque precibus minus satisfaciente, dum nullo modo suae petitionis effectum impetrare potuisset, omni devotione rogare coepit, ut saltim in aliquo[d] loco iuxta lacum, qui circumcingit idem monasterium, habitandi concederetur facultas. Cum vero illi per omnia denegare noluisset, cum consensu fratrum, sicut petivit, libenti animo concessit. Est locus valde speciosus, a nostro monasterio segregatus, ultra lacum iacens, inter aquilonarem et occidentalem plagam spacio duorum milium, in quo erant piscatorum domus, nullique alii aptus cultui. Hunc coepit excolere, domos aedificare, necnon aecclesiam ad honorem Dei in eodem loco construere, nominisque sui vocabulum eidem cellulae imponere, vocans eam Ratoltescella; quae nunc usque comparet. Quam cum multimodis decoraret ornamentis, omnibusque iuxta suae mentis affectum rite patratis, ad episcopalem sedem unde venerat reversus est. Contigit ut quadam die idem episcopus cum viro quodam de Venetia veniente foedus pepigisset. Cumque magnae dilectionis amore constricti indissolubile vinculum caritatis inter se confirmarent, coeperunt familiari allocutione mutua serere verba, utrimque foederantes, ut in quacumque rê alter alterius indigeret, omni commoditate postposita, illorum promissa esse[e] firmissima. Cum haec diutissime inter se iactarent, dataque pecunia predictam amicitiam confirmarent, interrogare coeperunt, qualiter uterque eorum potuisset alterius voluntati maxime satisfacere. Tunc episcopus Ratoldus, divina inflatus[f] admonitione, primitus[g] ait: *Si mentis meae desiderium*[h] *re implere volueris, omne quod habeo libenter tibi tribuo.* Ille vero econtra tali usus est responsione, si ei facultatis inpossibilitas non obstitisset, quicquid ad suae voluntatis affectum facere potuisset, nullo modo pretermisisset. Tunc episcopus gratias ei coepit agere pro tali responsione, atque subiungens ait: *Habeo igitur novellum in Alemanniae parte locellum, in quo est ecclesia ad honorem Dei constructa, meo labore fabricata atque sub nomine principis apostolorum dedicata*[i]*. Rogo ideo te, amice carissime, ut, si tibi contingat, aliquas reliquias preciosorum corporum mihi adquiras, quibus ipsa aecclesia muniatur*[k] *totaque provincia inde salvetur.* Ille vero ita se agere promittens, inquit: *Si ita placet tuo animo*[l]*, nunc omni studio tibi*[m] *satisfacere volo. Observa tantum per*[n] *omnia meae locutionis verbula*[o]*, ac percurrente anni circulo conveniamus in condicto loco, ibique tibi praesentabo sanctorum martyrum preciosissimum thesaurum; tu tamen vide, ut impleas meae voluntatis affectum.* Tunc illi recedentes ab invicem, observaverunt et diem et locum. Peractoque anni circulo, pariter ut praedixerant convenerunt, atque ut inter se promiserant impleverunt. Tunc satus a Venetia, accepta magna pecunia, presentavit ei preciosissimum corpus beati Marci euangelistae. Sed non ante accepit illud episcopus quam tribus confirmavit testimoniis, hoc est sub testatione iuramenti et iudicio ferventis aquae et calidi ferri. Et alter, antequam corpus sancti Marci reliquisset, sub testificatione iurandi constrinxit eundem episcopum, ut quandiu viveret nomen sancti martyris nulli manifestaret. Tunc episcopus Ratoldus, accepto corpore sancti Marci, nimio repletus gaudio, domum reversus est. Postea venerabiliter accepto eodem corpore necnon reliquiis sanctorum Senesii et Theoponti, quos in Tharvisio adquirebat, laetus nostram transvexit ad patriam[2]. Corpus vero beati Marci collocavit in Augiensi insula, sanctum Senesium et Theopontum in cella sua, anno incarnationis Domini octingentesimo tricesimo, regnante Ludowico imperatore anno septimo decimo[3]. Quomodo corpus eius ab Alexandria translatum fuisset, ignoramus. Sed haec ut diximus ita se habere, non dubitamus. Tunc episcopus, ut rogatus fuerat, mutato nomine appellavit eum Valentem. Nec inmerito; quia valens atque potens est obtinere nobis indul-

a) *Haec iam legi nequeunt.* b) nihil den *e coni.* c) *manus s. XV. add* Heitonem. d) *vocabulum quoddam erasum.* e) *ita cod. Lege:* essent. f) flatus *e coni.* g) tus *e coni.* h) derium *e coni.; fortasse etiam aliud vocabulum exstat.* i) dicata Rogo ideo *e coni. ubi tamen* deo *perspici posse videtur.* k) muni *e coni.* l) tuo ani *non plane constant.* m) tib *e coni.* n) *ita legi videtur.* o) uerbula ac per *non prorsus patent.*

1) V. Hermann. Contract. a. 799. et Neugart episc. Const. I. p. 82., ubi Eginonis epitaphium exstat. 2) V. Ann. Augg. a. 890. 3) cf. Ann. Alamann. SS. I. p. 49. A. Augg. ib. p. 67. Hermann. Contr. h. a.

gentiam apud omnipotentis Dei clementiam. Abbas quoque eiusdem monasterii omnisque fratrum conventus gratulantes eum susceperunt, et in basilica sanctae Mariae in una absida cum omni honore collocaverunt. Festa etiam natalis eius celebrabant in die eiusdem nominis episcopi, qui cum tribus pueris pro Christi nomine martyrio coronatus est[3]; quod est 12. Kal. Iun. Quamvis enim festa illius alio celebrarentur tempore, tamen in die natalis eius clara non defuere miracula. Dum haec de corporis illius translatione sint dicta, redeamus ad exponenda ipsius signa.

3. Contigit quadam die, dum in nataliciis eius missae nondum pleniter agerentur in choro, adhuc ignota nominis illius notitia, vir quidam de nobili ortus prosapia, qui matris ex utero omni membrorum destitutus erat officio, qui comitante nobilium[a] multitudine virorum per diversa sanctorum deductus est loca, ut venit in basilicam sancti Marci, sanitatem, quam ante non habuit, accepit. Multa igitur propter incuriam sunt a nobis derelicta, quia ignotum erat, sub cuius nomine fuissent peracta. Cum[b] inde per multa tempora non manifestaretur ipse i . . . . omnipotens Deus [amplius[c] nolens] suum occultare militem, quia[d] non potest civitas supra montem posita abscondi neque lucerna debet sub modio poni, fecit eum paulatim quibus voluit aperte revelari. Dum iam multum temporis fluxisset, cuidam pontifici[e] Gebehardo, qui eodem tempore Constantiensis aecclesiae regimen tenuit[4], beatus Marcus in ea qua eum legimus fuisse forma in visione apparuit tali modo. Putabat enim se esse in eodem monasterio. Et cum voluisset, ut ante consueverat, per secretam claustri viam ambulare ad aecclesiam, occurrit ei quidam episcopus preciosissima veste indutus. Ille ut eum vidit venientem, nimio timore perterritus, accepti itineris gressu retraxit pedem, usque dum ille preteriret. Quo[f] denique praetereunte atque . . . . . . in claustro consistente . . . . . . temptabat eius[g] sequi vestigia[h]. Cumque ad eum propius[i] adveniret, vidit eum sursum aspicientem; ille similiter oculos in caelum erigens, vidit cum illo angelos circa turrim aecclesiae volantes. Tunc ille ad pedes eius prostratus, conabatur eum interrogare, quis esset et qui illi essent qui circa turrim aecclesiae volarent. Tunc respondens sanctus Marcus dixit ei: *Hi qui circa turrim volitant, illi sunt qui semper istum locum servant. Et usquedum illi hunc locum circumvolant, nullae eum insidiae daemonum dissipant. Quod mei nominis quaeris notitiam, hoc tibi nullo modo indicare denegam. Ego sum Marcus euangelista, qui corporaliter in hoc loco requiesco. Cum anima mea laetetur ante Dominum, corpus meum non est hic bene procuratum. Dic abbati istius monasterii, ut corpus meum studeat cum omni diligentia observare, quia iam a terraneo humore membra mea incipiunt sordere.* Qui hanc visionem parvi pendens, indicare neglexit. Altera vero nocte apparuit ei, monens eum eisdem sermonibus. Qui sicut prius ita neglexit. In tertiae[k] vero noctis silentio asstans ei sanctus Marcus durius illum increpavit pro suae iussionis neglegentia, ita dicens: *Quare neglexisti mandata mea servare?* Atque subiungens ait: *Scito, quod non multis diebus transactis in te ipso senties*[l], *quam periculosum tibi sit iussionem meam nolle implere.* Tunc venerabilis antistes pavore perterritus, ilico surrexit visionisque suae rationem per ordinem abbati nuntiavit. Statimque corporis molestia correptus, infra paucos dies migravit ad Christum. c. 875. Abbas vero audiens admirabatur pro tantae visionis legatione; coepit itaque cogitare, quid de huiusmodi visione debuisset facere. Tunc assumptis spiritalibus patribus, quorum tunc ibi copiosa fuit multitudo, facta oratione apertoque sepulchro, ita invenit sicut ei episcopus intimavit. Qui tollens reliquias sancti martyris, diligenter involvit eas in palliolo, et omnibus portis monasterii obseratis, posuit eas diluculo contra ortum solis, atque in ipso calore caute refovendo collocavit in novo scrinio, statuitque in eiusdem altaris eminentiori loco, tamen adhuc celata nominis eius notitia. Novissimis temporibus, regnante Heinrico rege ac Notingo episcopo Constantiensis aecclesiae c. 930 sedem regente[5], coeperunt fratres, quorum Deus mentem tetigit, inter se conquirere, quam ob causam nomen sancti martyris tam diu occultaretur; factaque coadunatione rogabant patrem[m] monasterii, ut suaderet episcopo, quatenus manifestato nomine dataque licentia festa sancti martyris in die natalis eius faceret celebrari. Ille vero hoc digne suscipiens, ita satagere [ut[n] rogatus] fuerat professus est. Accedens[n] igitur ad episcopum, omnia quae a fratribus audierat enarravit. Tunc episcopus hoc audiens, in omnibus[o] rebus suae voluntati satagere spopondit. Postea vero in sua synodo iussit publice predicare, quod sanctus Marcus euangelista in Augiensi monasterio corporaliter requiescit[p]. Et non solum in illo loco, verum etiam per totam parroechiam suam, sicut caeterorum apostolorum fecit sua festa venerabiliter celebrari. His auditis, undique convenit multitudo populi ad sanctum locum, cum magna devotione sancti martyris implorans clementiam. Et omnes quotquot venerunt vel adhuc veniunt, non minima consolatione accepta, laeti redeunt ad propria. Ibi enim infirmi curantur, energumini liberantur, debiles sanitati restituuntur, et alii a variis laboribus de . . . . .[q] non solum corporis sed etiam[r] mentis accipiunt consolationem. Qui[s] vero negantes, corporis[t] eius praesentiam ibi manere, temere accedunt, sive ultra mare[6] venientes seu infra manentes, sicut quidam fecerunt, aut aliqua visione, ut diximus, aut dura

a) *de hoc vocabulo non plane constat.* b) um inde *non satis patent.* c) a. n. *e coni.* d) *e coni.* e) *vocabulum quoddam erasum.* f) Quo deni *e coni.* g) eis *c.* h) *non prorsus patet.* i) us adveni *e coni.* k) tertiae *post corr.* tertio *c.* l) sentis *post corr.* senties *c.* m) *manus s. XV. superscripsit:* Heribrachum. n) *e coni.* o) omni *c.* p) *post corr.* requiescat. q) *haec legi nequeunt.* r) etiam ment *e coni.* s) Qui vero *e coni.* t) ris eiu *e coni.*

3) cf. Acta SS. Mai V. p. 7. 4) a. 873—875. sedisse dicitur. 5) Obiit a. 934. 6) lacum Potamicum.

increpatione correpti, suae ambiguitatis errore ita corriguntur, ut nequaquam ultra de ipsius meritis diffidere fateantur. De his omnibus quantum possumus Dei gratia tribuente aliqua enarrare conamur: Nunc primo dicamus, qualiter quibusdam apparuit beatissimus Marcus.

4. Contigit ut duo fratres de Ierosolima pergentes, quondam ad nostrum devenere monasterium, qui dicunt[a] pene omnia circuire maritima loca. Unus erat de Grecia, alter de Venetia, prior fuit Symeon[6] nuncupatus, posterior Philippus. Hi vero dum nostrum visitarent monasterium, cupiebant se nostro adiungere consortio. Quod sicut petierunt ita impleverunt. Dum adhuc novo uterentur hospitio, dubitabant vere beatum Marcum ibi manere. Quadam igitur nocte dum essent in mansione, vidit senior in somnis quod postea narravit nobis. Putabat se ire in aecclesiam circa horam matutinam, ut funderet preces coram Domino pro populo christiano. Cumque intraret basilicam sancti Marci, nihil conspexit ibi soliti, sed erant omnia ablata, nisi sola pavimenta. Dum miraretur apud se de tali visione, vidit stare episcopum colobio indutum, qui per totam partem pectoris perfusus erat lacrimis. Quem conabatur interpellare, ut sui nominis appellationem dignaretur ei indicare et ob quam causam talem pateretur mestitiam. Ille ex intimo cordis longa coepit trahere suspiria. *Ego sum*, inquit, *Marcus theologus, de longinquo huc advectus. Cum meum sit meritum semper ante Dominum, corpus meum debuit hic quiescere; sed propter peccata populi non valeo quietem habere. Et non solum deploro meam incommoditatem, sed magis populi devastitatem; quia intra paucos dies et plurima loca incenduntur et aecclesiae destruuntur, maximaque pars populi cadet in ore gladii*[7]. Haec omnia postea celeriter peracta vidimus, sicut praedixit beatissimus Marcus.

5. Non multo iam tempore preterito venit de Grecia quidam episcopus nomine Constantinus, praedicti Symeonis cognatus. Hic dum familiariter nostro uteretur hospitio, coepit quendam de nostris fratribus rogare, ut ipsi permitteret aecclesiam intrare et perduceret eum ad singula altaria indicaretque ei beatorum martyrum nomina[8] . . . .

Haec modo paucis perstringere curavimus, non quod eius miracula apud nos sunt rara, sed ut quisque credat firmiter, hic eum requiescere corporaliter; hoc praestante Deo, qui condidit omnia verbo, cuius imperium constat sine fine per aevum.

EX HARTMANNI VITA S. WIBORADAE.

INCIPIT VITA SANCTAE WIBERADAE VIRGINIS ET MARTYRIS.

1. Beatissima igitur virgo Dei Wiborada ex Alamannorum, qui et Suevi, stirpe oriunda, parentibus bene natis vitaeque laudabilis nobilitate pollentibus, christianae quoque militiae exercitio inter primas dominici agminis alas vexilla salutis strenue subsequentibus, veluti bona arbor bonae radicis ex germine pullulavit. Quae etiam per divinae scientiae providentiam, omnia in mensura pondere numeroque ineffabiliter disponentem, quasi quodam presagio dignum sortita est nomen. Nam Wiborat Teutonica lingua prolatum, si Latini sermonis translatione mutetur, consilium mulierum sonat. Et revera huic apte tale congruit nomen; . . .

2. Haec ergo ab ipsis cunabulis factori suo omnipotenti Deo devota, immo ab ipso, qui eam et antequam formaretur in utero noverat, misericorditer assumpta, universas lascivientis pętulantiae illecebras, cunctas infantilis aetatulae levitates modesta gravitate restrinxit ac severa quadam maturitate edomuit. Inepta etiam parvulorum ludicra devitans, nugaces ioculatorum scurrilitates despiciens, aniles veteranarum fabulas detestans, ad incesta quaeque carmina pudicas aures obduravit . . . . .

6. Hoc modo illa in tenerrimis et vix habilibus magno intellectui annis mundi voluptatibus renuntians, et matrimonii contractionem mente[b] contempnens, procos quoslibet adventantes solius sponsi Christi amore despiciens, fratri suo Hittoni clerico, apud coenobium sancti Galli confessoris Christi tunc temporis in scolis agenti, servire disposuit; cui diebus certis vestimenta et pleraque alia necessaria per fideles internuncios destinavit. In quo etiam monasterio reverentissimis quibusdam patribus ad obvolvenda sacrorum[c] librorum volumina propriis manibus decora solebat contexere linteamina. Memorato itaque fratre eius ad prespiteratus ordinem promoto[9], sincerae et laudandae caritatis glutine coherens, eo dictante psalmos, quibus invencula nullam operam dedit, partim ac sparsim ediscere coepit . . . . .

14. Interea ne lucerna in angulo domus abdita modioque supposita clari luminis radios occuleret, sed ut in medium prolata candelabro

a) *ita cod., fortasse* dicuntur. b) mirifice 2. c) sanctorum 2.

6) Fortasse idem, cuius vita fabulosa in eodem codice legitur. 7) De Ungariorum invasionibus dicere videtur. 8) Plura omisi miracula. 9) Hepidannus c. 8. de ipso addit: *fratribus id in commune consiliantibus, ecclesiae beati Magni a patre monasterii praeficitur. Qua etiam usque post sororis martyrium probabiliter gubernata, divina vocatione migravit in regionem vivorum.*

superponeretur, quatenus cunctis in domo Dei commorantibus iocundissime rutilans iubar preberet, pervenit ad aures venerandi Constantiensis aecclesiae episcopi Salomonis[10] fama virtutum beatae virginis.

15. Nec multum post ad monasterium sancti Galli idem episcopus iter suum dirigens, misit ad eam, interrogans, si secum proficisci vellet. Magnoque statim gaudio repleta, cum suis illis quas prediximus[11] domesticis festinanter ad navem properat, et prospero cursu ad litus optatum perveniunt. Deinde in cella quadam in montibus sita iuxta aecclesiam sancti Georgii parva constructa mansiuncula, pene annis quatuor fideliter conversata est, tanta abstinentia . . . . .

17. Beata igitur Wiborada, sicut predictum est, pene annos quatuor in cella sancti Georgii, probatis moribus et virtutibus adornata, in Dei servitio permanebat. Venerabilis itaque pontifex iterum ad monasterium veniens, clausula quam tota vita sitiebat iam parata, missis quibusdam monachis, iussit eam duci ad se. Quam episcopus cum paucis prosecutus et benedicens, clausulam obseravit[12] . . . . .

22. Quidam venerabilis monachus et presbiter fuit in congregatione sancti Galli, literis eruditus et egregius predicator nomine Waldrammus[13] . . .

25[14]. Quadam nocte paululum quid beata Wiborada in lectulo quiescente, per visionem apparuit ei dominus noster sanctus Gallus, scissis vestibus et veluti sordidis, et inter scapulas quasi signo crucis insignitus. Quem cernens sancta, nimis obstupefacta: *Quis*, inquit, *domine mi, tantum scelus in te perpetravit, vel tam sordidis et ruptis vestibus induit?* At ille: *Tyrannus*, ait, *Burchardus, non dux sed predator et desolator istius provinciae, tanta in me commisit scelera. Loca et predia circumquaque a fidelibus mihi collata predavit, et sibi cooperantibus in beneficium tradidit; crucem auream venerandis sanctorum reliquiis plenam abstulit, familiolam desolavit, monachos in loco hoc sub sancta professione Deo et sanctis eius servituros fame et inedia cruciavit. Vere dico tibi, quia melius ei esset, si natus non fuisset.* Mox sancta virgo somno recedente evigilans, secum de visione tractavit; nulli tamen hanc illis diebus innotuit. c. 920.

26. Non post multum autem comperto ad monasterium eiusdem ducis adventu, cum[a] abbas tyranno loco cederet, ilico ut advenit, eum ad se accersiri precepit. Quem advenientem dure suscipiens, asperis verbis de singulis sibi per visionem ostensis valde increpavit, et hoc addidit: *Cur*, inquit, *hunc adis, quem tu tantis iniuriis affixisti? Crucem eius auream cum sanctorum reliquiis refertam contumaciter de isto loco tecum asportare ausus es.* At ille cum hanc non sponte, sed monachis offerentibus et sibi dantibus, se suscepisse testaretur: *Non propter amorem tuum*, ait, *hoc fecerunt, sed propter timorem; et nisi reddideris, ut loco sancto, unde ablata est, restituatur, scias, vitam tuam in periculo et in extremis constitutam.* Cunque[b] de omnibus, pro quibus erat admonitus, emendationem dignam promitteret, et crucem sanctam aliaque quam plurima iniuste ablata se reddere paratum fore, inquit inter alia: *Domina karissima, scio quia mulier sancta es; ora pro me et suscipe me in orationem tuam.* At illa: *Si iuxta promissa tua*, inquit, *coram Deo et sanctis eius mihi satisfeceris, faciam voluntatem tuam.* Quo audito, vertens se ad altare, iurisiurandi affirmatione omnia secundum condictum se facturum et deinceps emendaturum spopondit. Quem his verbis suscipiens, data licentia, cum se parumper a sanctis eius obtutibus avertisset, iterum eum ad se vocans, inquit: *Provisores monasterii relicti fratres circa tuum adventum solliciti, mane consiliantur, quo thesauro honorare te possint. En ego tuae incolomitati consulens, praedico, quia calicem aureum cum patena tibi dono offerunt[c]; cave ne suscipias. Quod si susceperis et ista quae promisisti non impleveris, scias tibi longi temporis vivendi spacium esse denegatum.* At ille promissis promissa superadiciens[15], benedictione percepta, ad domicilium sanctae Rachildae processit. Quae a spiritali matre premonita, illis verbis similia promittentem humiliter suscepit ac dimisit. Mane facto, sicut sancta virgo predixerat, inito consilio, monachi

a) *post add.* 1. b) *ita semper* 1. *i. e.* Cumque. c) offerent 2.

10) tertii, qui sedit a. 890—919. 11) c. 11: *quarum una Kebini, altera Pertherada vocabatur.* 12) *Qui* (Salomon) *studens omnibus modis ei morigerare, iussit ei desideratum domicilium prope basilicam sancti Magni construi, atque in sacrosancto die pentecostes, copiosa multitudine cum divinis laudibus prosequente, devotis precibus Deo commendatam sanctisque benedictionibus consignatam includens, abscessit.* Hepidannus c. 19. 13) cf. Neugart. ep. Constant. I. p. 317. 14) Hepidannus c. 27. narrat, Rachildam virginem ad Wiboradam venisse (cf. infra c. 31.), et tunc ita pergit c. 28: *Hisdem diebus Burckhardo duce Alamannorum bella gerente, populis etiam inter se dissidentibus propter Saxonicum Heinricum regem factum, cum militaris populatio gravem penuriam terris inferret, parentes beatae Rachildae, metuentes eam ibi fame cruciari, voluerunt eam repatriare* etc. 15) Hepidannus c. 30. addit: *In hac igitur sententia ab illa digressus, venit ad monasterium. Susceptus est vero a fratribus, ut scriptum est: „Terror divitum exigit sibi honorem.“ Ipse abbas nomine Engilbertus eius tyrannidem contremiscens se credidit fugae. Cum autem in crastinum discessurus esset, fratres praemissa benedictione obtulerunt ei praedictum a beata virgine munus;* post ipsum loquentem infert: *„Si scires, frater, inexuperabiles principum huius seculi necessitates, nimirum huiusmodi suasionibus parceres. Me enim sub potestate constitutum oportet tali munere in regis domini mei prodire obtutum; creberrimi etiam militares apparatus nolunt pauca adesse eorum sumptibus atque danda largiter stipendia militibus; praeterea sunt excedentia numerum, quae persaepe cogunt amicos huius seculi transgredi iustitiam Dei;* cf. etiam Ekkehardum de casibus SS. II. p. 104. qui ex Hartmanni libro hausit.

sacrata[a] vasa, id est calicem aureum cum patena, quia aliud non habuerunt, duci pro munere obtulerunt. Quae dona suscipiens, oblitus sui[b] et sponsionis, quam virgini Deo dignae promiserat, ad propria remeavit.

926. 27. Non post multum temporis idem dux iter suum dirigens ad Italiam[16], Reginlindae[c,17] matronae, sibimet in coniugium[d] sociatae, omnia quae sancta Wiborada et periculosa et ad salutem animae pertinentia premonuit, ex ordine narravit; hoc ei precipue iniungens, ut si ad propria vita comite non redisset, calicem cum patena monasterio restituere non distulisset. Sed heu hominem dolendum! non solum istum, sed unumquemque, qui ipse sibi dum potest consulere desinit, et non cogitat, quia vilitati foeni, quod in campis virescit et florescit, mane[e] incisum arescit, assimilatus est. Dux itaque, sicut mente conceperat, magno comitatu Italiam ingressus, dum totam sibi terram subicere et multos decipere cogitat, ipse dolositate illius gentis preventus, dum studet evadere, subito lapsu infrenis equi in foveam, veluti casui illius preparatam, cecidit, hocque in- Apr. 29. sperato obitu miserabiliter vitam finivit[18].

28. Igitur Reginlinda[f] matrona, domini sui ducis obitu comperto, non sicut antea ab ipso commonita fuerat, de sacratis vasis fecit, sed patenam precioso opere decoratam secum retinuit, aliamque multo minorem minorisque precii fabricatam, sicut in presenti cernimus, cum predicto calice monasterio restituere precepit.

925. Iuni 24.–29. 29. Quadam die post celebratam solemnitatem beati Iohannis baptistae, ante festivitatem sanctorum apostolorum Petri et Pauli, inter meridianum tempus et nonam, solito sedili in psalmodia beata residente, iacens ante eam patens psalterium subito se ultro complicuit; in quod paulisper caput reclinans obdormivit[g]. Hoc tenui somno per visum ei revelatum est, sevam gentem Ungariorum anno futuro in Kalendis Mai[h], aliis terris pervagatis et devastatis, ad monasterium sancti Galli perventuram; et in eadem revelatione ostensum est illi, quod per martyrii gloriam, ipsis paganis eam vulnerantibus, sui laboris et certaminis premia in caelestis regni beatitudine percipere deberet. Mox evigilans, et de visione sollicita intentione pertractans, inter spem metumque posita, spe suae vocationis, metu populi contritionis, aliquantis diebus conticuit. Deinde cogitans se deliquisse, si revelata a Deo aliis non manifestaret, virum venerabilem Waldrammum, cuius antea fecimus mentionem[19], sibi affabilem, secretius ad se vocatum, paganorum adventum tempusque signatum pronunciat; ipsi autem, nec unquam ulli, quae ei de sua passione revelata fuerant, pandens. Insuper admonuit, ut palam in aecclesia cunctis advenientibus, sed et undique circumquaque manentibus, imminens periculum patefacere curaret; se etiam in hoc laborare promittens, quatenus dilatione tanti temporis concessa, orationum frequentatione, ieiuniorum celebratione, sacrata[k] elemosinarum largitione, sine intermissione misericordiam Domini iugiter implorantes, iram superni iudicis propter multimoda cunctorum populorum delicta sevientis, aliquatenus bonis actibus insistendo mitigarent.

30. Cunque[1*] illius anni circulus vergeretur[20], et tempus praedictum Maii mensis sanctae virgini per visionem ostensum appropinquaret, subito fama terras pervolante nunciatur, paganos tota provincia Baioariorum esse diffusos. Sed corda hominum, peccatis exigentibus quo[l] imminens exitium evadere possent, cum heu! dura semper essent ad credendum, iterum atque iterum fama percrebrescente de adventu paganorum, antea credere noluerunt, quam seviens interitus, gladio imminente, hanc etiam provinciam usque ad lacum Potamicum et[m] gens barbarica circumsepsit, plures et innumeros occidit, cuncta villarum aedificia circumquaque ignis incendio devastavit[21]. Plurimi etiam apud nostrates imminens periculum tarde vel nullatenus credentes, Domini tamen misericordiam sine intermissione implorare studuerunt; aliqui etiam ex illis nullo modo crediderunt. Quidam etiam de familia iuga montis excelsi supra monasterium positi scandentes, flammarum et fumi usque ad aethera tendentis indicio vix aliquando credere potuerunt. Abbas itaque monasterii, Engilbertus nomine, vir providus, cum iam castellum quoddam monasterio proximum valde firmasset, undecim fratres de precipuis monachis misit ad beatam Wiboradam, quatenus cum illa tractarent, quomodo ipsa salvari possit, et se ob paganorum sevitiam devitandam de clausula educere pateretur, et hoc illi dicerent, quia Domino protegente securam esse sciret, eam quidem de se ipsa esse securam nec periculum mortis pavere, sed ob statum loci et in eo commorantium vel Deo servientium, pro quibus semper devote oravit et adhuc orare deberet, Domino confortante vitam sibi illius per longa tempora fore necessariam. At illi iuxta preceptum properantes, consilium et voluntatem abbatis sanctae virgini indicarunt. Quae ut audivit sermones istos, gratanter suscepit, et certa de visione preterito sibi anno ostensa sed et de spe retributionis aeternae, inducias usque mane postulans, dum sibi apud abbatem ipsum colloqui liceret, illis abeundi licentiam tribuit.

31. Mane facto[22], nuncii iterato advenientes, barbaros adventasse, proclamant. Ilico abbas veluti anhelus ad eam veniens, pridie demandata per monachos repetivit, dicens cum lacrimis ad

a) sancta 2. b) s. iuramenti 2. c) rolingindae 2. d) matrimonium 2. e) et m. 2. f) relinginda 2. g) obddormiuit 1. h) maii *corr.* mai 1. k) sancta 2. 1*) *i. e.* Cumque. l) *pro* quominus. m) *deest* 2.

16) cf. Liudpr. III, 13. 17) Regilinda in diplomate ap. Neugart. cod. dipl. Alam. I. p. 580. 18) cf. Liudpr. III, 15. 19) c. 22. 20) Non a. 925. sed 926. Ungaros venisse, etiamnum contra auctoritatem Epitaphii sanctae Wiboradae, quod fortasse posterioris aevi est, statuo; cf. Iahrbücher I. 1. p. 68. 21) cf. Ann. Alamann. a. 926. Ekkehardus de casibus Mon. SS. II. p. 104 sqq. 22) Apr. 29.

sanctam Dei: *Quare, domina, sicut fama est, paganos supervenientes non devitas? Cur in periculis constituti privamur tuis orationibus et sancto conspectu? Quare non patieris, te tuto loco aliquantum temporis ad consolationem nostram, Dei gratia comitante et adiuvante, servari?* At illa his fletibus mota: *Cur*, inquit, *venerande pater, tantam mihi tristiciam ingeris? Cur mihi, quia tua in me potestas est, tantillum spatium exacti laboris perdere precipis? Si Dominus mihi, sicut spero et credo, adiutor est, quod semel animo fixum est mutari non potest. Istam mansiunculam, Dei clementia mihi concessam, vivens in corpore vacuam non relinquam.* Igitur abbas tantam constantiam virginalis animi in Deo fixam conspiciens, veniam sibi dare poscit, quod eam in tantum suis verbis fatigavit; et pro certo cognoscens, quamvis ipsa non diceret, aliquam suae vocationis revelationem sibimet factam, interrogat, quod nunc sibimet rebus agendis consilium daret. At illa inquit: *Sancte pater, nullam moram interponas, quin temet ipsum et animas tibi a Deo commendatas salvare studeas. Thesaurum sancti Galli, sicut iam coepisti, et quicquid ad usus monachorum vel familiae adhuc reliquum est, hodie et hac nocte portando et vehendo ad castellum transmittere non tardes. Crastina enim die sine omni dubietate vallis ista undique circumsepta seva multitudine barbarorum replebitur.* Tandem abbas venerandus, omni dubietate summota, et cunctis illius verbis credulus, fecit ut monuit; et omnem qui relictus est thesaurum sancti Galli in libris, in auro, in argento, in vestibus diversi generis, et quicquid in sumptibus vel usibus monachorum esse poterat, cum omni cautela et festinatione ad castellum transmisit. Venerunt etiam et parentes dominae Rachildae, tractantes cum beata Wiborada, quatenus filiam suam de clausula sumptam ad tutiora loca secum servandam deducerent. Quibus ipsa: *Nolite*, ait, *solliciti esse de filia mea. Omnipotentis enim Dei et sanctorum eius munimine vobis ad consolationem multisque aliis per multa tempora servabitur. Ite ad hospitium vestrum, et maturius surgentes venite ad nos, ut benedictione Dei sanctique Magni de manibus nostris percepta, gaudentes redeatis ad propria.* Illucescente itaque altera die propinqui beatae Rachildae, sicut erant religiosi, verbis et consolationibus venerandae virginis fidem adhibentes, omni sollicitudine postposita pro filia sua, 926.
venerunt, et gratias ei reddentes pro omnibus bo- Mai 1.
nis semper sibimet tanta benignitate ostensis, licentiam abeundi postulaverunt. Quibus illa: *Accipite*, ait, *benedictionem Domini de manibus meis, et paululum gustantes, ite cum pace.* Cunque hoc factum fuisset, illius sanctis orationibus muniti et Dei gratiae sanctorumque eius commendati, salutata filia sua, redierunt ad propria[22].

32. Deinde quidam ex familia equi velocitate lapsus, paganis insequentibus, venit fugiens; et multis adhuc in valle sive in tabernis seu in diversis locis consistentibus, clamore magno: *Fugite*, inquit, *o miseri, fugite! Assunt quos advenire credere noluistis.* Senior etiam et monachus Hitto, adhuc in aecclesia sancti Magni consistens, quia ipsius aecclesiae custos erat, secum deliberans ut nusquam fugeret, hortatu et preceptis sanctae Wiboradae tandem compulsus, in proximum lucum monti adiacenti inherentem cum duobus sibi famulantibus vix aufugit.

33. Interea[23] vesanus quidam et Deo odibilis, ascitis sibi similibus sociis, ad sancti Magni basilicam una properant, ignique supposito, cum mansiunculam sanctae virginis exurere vellent, divina virtute flammae restinctae sunt. Cunque effectum perversae voluntatis se non posse perficere cernerent, circueuntes aediculam, aditum, quo intrare potuissent, quaerunt. Et non invenientes, duo ex illis ascenderunt super tectum, et disiectis tegulis incidunt obstacula quaeque; factoque foramine, se immittentes, sanctam virginem ante altariolum stantem, et devotis precibus Deo omnipotenti et sanctorum omnium suffragiis suppliciter se commendantem, spoliaverunt vestibus; sicque omni tegmine preter cilicium ablato, libratis asciolis tria capiti vulnera sanctae martyri[a] infligunt, et seminecem relinquentes, discesserunt[24]. At sanguis undatim profluens cilicium pene totum perfudit; sed et murus eiusdem claustri sancti sanguinis aspersione perfusus, per multa tempora martyrium sanctae virginis advenientibus patefecit. Qui nullis abolitionibus, quamvis mera calce sepius obductus, quin se panderet obtegi potuit. Nos etiam hoc verum esse proximis temporibus oculis nostris inspeximus.

34. Et ut plenius veritas pandatur fidelibus, verbi gratia interseram ordini lectionis meritis

a) virgini et m. 2.

22) Hepidannus c. 32. addit: *Quomodo ista retentio beatae Rachildae placuisset, haeremus, quia fertur postea extimuisse martyrium, atque spiritualis matris, ne pateretur, implorasse auxilium, illamque quoddam membranum dominica suspensione depictum ei dedisse, ut illud ibi expanderet ubi infirmanti aditus fuerat introeunti ad illam ancillae, atque hoc munimine ab hostibus esset protecta.*

23) Hepidannus c. 34. pergit: *Cum haec agerentur, iam tum non fama volabat per cellam de adventu Ungrorum, sed illorum rabies undique eam circumsepserat. Mox ad praedandum cuneus dispergitur omnis, ingemitque avaritia contra eius patentes sinus vacua patere aeraria. Extruuntur in basilicis pyrae, prorumpentesque in altum flammae divina virtute vix permittuntur obfuscare laquearia, incenduntur altaria, sanctorumque reliquiae ignium dominaturae ignibus traduntur, humiliantur usque ad terram in altum extructae domus, humiles vero aut deicebantur, aut ignis dominabatur earum. Tali vastatione basilicam sancti Magni adeuntes* etc.

24) Hepidannus c. 36. addit: *Beata igitur virgo et martyr Christi non eadem hora emisit spiritum, sed vivens usque in sequens mane in sinum Abrahae expiravit;* cf. infra epitaphium. Unde d. 2. Maii passionis dies dicitur; cf. Ann. Alamann.

926. ipsius et hac ope factum miraculum. Quidam Turicini pagi mercator, oculorum dolore graviter laborabat . . . .

Mai 8. 35. Transactis igitur octo diebus, inclusi castello, multorum qui advenerunt attestatione, discessum paganorum audientes, abbas cum monachis et familia ad monasterium rediit. Sed et alii multi ex diversis locis in id ipsum castellum congregati ad propria remearunt. Predictus etiam monachus et presbiter tercio die passionis eius rediens clam ad basilicam sancti Magni sibi commendatam, assumptisque quibusdam de fratribus et laicis, una cum illis et fideli eius ministra intrantes clausulam, ubi sancta membra iacebant, solitam orationem super illam fecerunt....

38. . . . . . Quibus etiam ante fenestram aediculae interfuit venerabilis magister et monachus Notkerus medicus . . . .

39. Quidam iuvenis monachus in venerandi patris nostri Galli congregatione, Oudalricus nomine, sub scolari disciplina degebat . . . . . .

40. His et tantis signorum virtutibus iugiter ad sepulchrum beatae virginis ostensis, venerabilis abbas Engilbertus, anniversario depositionis illius tempore adveniente, anteriori die vocavit ad se Hittonem monachum, fratrem ipsius venerandae martyris, et aliis plurimis patribus de congregatione presentibus, rationem cum illo de ipsis virtutibus habuit. Quique cum plurima, quae vel nota omnibus vel adhuc ignota fuerant, veritatis assertione in medium proferret, omni dubitatione summota, abbas certissimus, quanti meriti quantique honoris glorificatione ante Deum digna haberetur, quae tantis signis et virtutibus inter homines claresceret, cum consilio fratrum eidem monacho et presbitero mandat, ut superventurae noctis vigilias cum psalmodia et dulci ymnorum modulatione, sicut antiquorum patrum ordinatione de virginibus conscriptum habemus, cum Dei licentia et adiutorio ad tumulum eius devotissime adimpleret, deinde etiam supervenientem diem sinaxi et missarum adimpletione solemnem duceret. At ille magna gratulatione cum matutinas laudes iuxta preceptum sibi ad sepulchrum sanctae virginis devotus exsolveret, illucescente iam die gratia quiescendi paululum ad domicilium rediit . . . . .

42. In pago Frichgowe nuncupato, quem Araris fluvius uno latere preterfluit et ex altera parte nobilissimus fluviorum Alamanniam penetrans Renus inundat, fuit quaedam materfamilias, laudabilem vitam seculariter ducens, nomine Blitdruda[a], beatae Rachildae reclusae germana . . . . . .

43. Post obitum Hittonis presbiter quidam Eggibertus nomine, seculo renuncians, ad monasterium venit, ibique ab abbate benigne susceptus est. Hic in monasterio probabilem ducens vitam,
28 cum omnibus conversatio eius placuisset, successor domni Hittonis effectus, ab abbate sancti Magni aecclesiam suscepit regendam. Contigit autem post paucos annos infirmitate superveniente tantis illum doloribus oculorum cruciari . . . . . . Sicque post omnibus diebus vitae suae sana et clara oculorum acie perdurans, largitori omnium bonorum et benivolae largitrici quod promiserat devote et fideliter implere non cessat.

44. Mulier quaedam Reginsinda nomine . . . .

45. Sed ut aliquantum ab ordine temporis digrediamur, dum Craloh abba venerandus coenobio praeesset[25], sanctus Oudalricus episcopus, qui[b] nunc felici obitu cum Christo gaudet et fideli devotione poscentibus opem in diversis necessitatibus mirabiliter misericorditerque accommodat, venit ad monasterium. Cunque pro sua consuetudine loca sancta circuiret, ad tumulum nutricis quondam suae Wiboradae[26] oraturus accessit. Qui, expleta oratione, inter reliquos circumstantes respiciens virum venerabilem, eiusdem monasterii monachum et bene doctum, nomine Eggehardum[27], interrogabat eum, dicens: *Estne aliquid, karissime, ab aliquo fratrum, quos doctissimos scimus, de praeclara sanctae virginis vita et passione per literas memoriae traditum?* Cui ille: *Nemo*, ait, *adhuc eorum manum ad huiusmodi opus inchoandum extendit. De quo tarditatem meam reprehendo, debitorem me sciens eius laudis proferendae, si vires scientiae cum quantitate materiae concordarent.* Quod episcopus audiens, avidusque preconiorum eius audiendorum, requisivit, quid illud esset, in quo se debitorem asseveraret. Et ille: *Egritudinis*, inquit, *incommoditatem, gutta infestante et totum corpus meum contrahente, tantopere incurri, ut inter intolerabiliter saevientes dolores spem recuperandae sospitatis amitterem, medicis revera pro levamine languoris assistentibus omnemque suae artis industriam cassatam fatentibus. Quapropter quantum humanum desperabam auxilium, tantum coepi intentius implorare divinum. Interea dum sanctorum patrocinia diversorum votis precibusque flagitarem, meritis sanctae virginis ad memoriam reductis, rogavi, ut cilicium, quo sanctos artus pro mortificatione carnis attriverat, mihi quamvis indigno apportaretur. Quo impetrato, vovi, ut, si mihi vitae incolomitas per merita sanctae virginis concederetur, quod scirem aut discere possem de laudandis eius actibus scripto me memoriae commendaturum. Cunque post illam sponsionem sanctum illud sanctae virginis indumentum mihi aliquotiens superextenderetur, ilico coepi levius habere, ac deinde non multis diebus exactis plena sospitate convalui. Sed adhuc diversis obstaculorum occasionibus impeditus, votum solvere cessavi.* Sanctus antistes hoc audiens, modestis eum increpationibus hortabatur, ne se infidelem sponsorem exhiberet, sed id quod aliquandiu neglexerat, citius aggrederetur perficere. Cuius salubria monita ille humiliter audiens et in nullo dubitans[28], eorum quae a diversis personis audivit, ut proposuerat, scribere inchoavit, et pleraque scribendo comprehendit.

46. Notum sit omnibus Christum amantibus, quia

a) Hiltruda 2. b) *deest* 1.

25) Praeerat a. 942—958. 26) cf. Vitam S. Oudalrici c. 1. 27) quem dicunt primum, qui obiit eodem quo Udalricus anno 973. 28) Hepidannus, qui praefatione sua haec retulit,

ea quae dictavimus, in veritate comperta, fidelium antecessorum relatione conscripsimus. Testantur etiam hoc plurimi, et nostris adhuc temporibus variis infirmitatibus pressi, id est frigoretici, capitis egritudine, dentium dolore, aurium, oculorum, manuum, pedum, omniumque membrorum, qui ad sepulchrum beatae virginis medelam recuperationis experiuntur, prestante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum, amen.

EXPLICIT VITA SANCTAE WIBERADAE VIRGINIS ET MARTYRIS.

Epitaphium sanctae Wiberadae.

Filius Altithroni postquam resplenduit orbi
  Christus[a], in hoc mundo virgine natus homo,
Annis nongentis viginti quinque volutis,
  Post quatuor menses bis quattuorque dies,
Wiborada Deo meritis dignissima virgo,
  Palma martyrii scandit ad astra poli.
Illa hic sponte sua moribundo corpore clausa,
  Visibus humanis abdita et alloquiis,
Celebs, caelesti sponso sed cognita soli,
  Affatu angelico pascitur atque cibo.
Hac parsimonia duravit tempora multa,
  Semper ut instantem mortis itura diem.
Demum a paganis Maii tunc passa Kalendis,
  Mane sequente obiit, mane perenne petit.
Cuius amore sacro curamus membra sepulchro,
  Debita solventes fundimus atque preces.
Eius at exultans victrici et dote coruscans
  Spiritus in caelo vivit ovatque Deo.

EX MIRACULIS SANCTAE VERENAE.

1. Tempore quo Burchardus vir illustrissimus totius Alamanniae ducatum obtinuit, hausteritatem eius multi aversantes, exosum eum habuerunt, et ipsius voluntati per omnia contradixerunt. Quos ut debellaret, copiosam multitudinem militum sibi sociavit, quibus non solum suas verum etiam aecclesiasticas possessiones, non considerate id pertractans, in beneficia donavit. Inter quae etiam locum Zurziaca nuncupatum, thesauro corporis sacratissimae virginis Verenae amplifice ditatum, cuidam satelliti suo Thietpoldo[b] nomine tradidit possidendum. Sed quia summa libertas creditur, quod Deo specialiter servitur, non post multos dies caelitus claruit, non esse sani consilii, locum divinis servitiis aptum humanis servilibusque obsequiis mancipari. Nam sicut a fidelibus qui tunc temporis intererant probatissima relatione compertum est, quadam perpulchra visione divinitus ostensa, patenter innotuit, quod Domini virtus ad compro- c. 917.
banda beatae Verenae virginis merita non defuit. Cum igitur prenominatus dux quadam die quendam sibi adversantem persequi et capere voluisset, contigit ut cum multo comitatu alveum Reni ubi ipsum oppidum Zurziaca preterfluit transvadaret[c], omnesque superato flumine in unum conglobati simul ire incipientes, viderunt super capita sua per densitatem aeris duos splendidissimos viros duas cruces, duosque[d] albatos candelas in manibus portantes, et quatuor dehinc cum sarcophago humeris imposito, quasi in deducendis reliquiis sanctorum subsequentes; quos[e] cum magna lucis claritate et dulcisona[f] ymnorum suavitate copiosus et veluti passu pedum incedens comitabatur exercitus. Qui etiam, ut ipsi postea referebant, visus est eis se levare a platea, quae usque hodie dicitur Wihegaza, quod est sanctitatis via; in qua

a) XPICTVS 1. b) dietpoldo 2. c) transuaderet *corr.* transuadaret 1. d) duasque albatas c. 2. e) quas 2. f) dulcissima 2.

ita pergit: *Tunc memor sponsionis suae convenit Kebeni*[a], *quae beatae virgini ab ipsis cunabulis usque ad mortis articulum obsecundavit, indicans ei, quali voto se obligavit, quodque sequenti die ad eam venturus foret, ut de hoc themate plenius ab ea informaretur. Quae vehementer in verbis eius admirans, non minus etiam coepit anxiari, quia ea de quibus interroganda erat iam dudum letheus obsorbuerat morbus. Ad ultimum suasu cuiusdam sacerdotis ad tumbam dominae suae oratura prosternitur, ut qui incensam a Chaldaeis legem per Esdram voluit reparare, ipse etiam martyris suae merita, quantum ad hominum memoriam abolita, per eam dignaretur declarare. Postquam huiuscemodi exaggeravit preces, surrexit atque basilicam non minori anxietate egreditur quam etiam ingressa est. Erat enim ignara, quam in proximo esset eius consolatio. Nocte vero insequenti cum se sopori dedisset, visum est ei locum orationis repetere atque beatam virginem pictatium aureis conscriptum litteris sibi ostendere, hac voce subiuncta: „Utere cupitis“. Mox expergefacta, omni fragilitate oblivionis propulsa, ita perfecte coepit memoriae viribus uti, ut luce reversa non solum nihil sollicita esset, quid supradicto fratri responderet, verum etiam ultronea fieret invitatrix, eique desideratum thema a primordio usque ad acceptum cum palma martyrii bravium promulgaret. Quod ille imis reponens sensibus cum ferventi opera, recte proclamavit cum psalmista* (Ps. 55, 12): *„In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam laudationes tibi, quoniam eripuisti me de morte.“ Sed cum haec vota ex parte redderet, heu dira morte praeventus multos sui propositi habuit heredes, qui quoniam diversi diversa sapiunt interdum minus necessaria necessariis miscuerunt.*

a) Kebem *ed*

ipsa virgo Christi Verena, quoadusque in corpore vixit, pauperibus sepissime ministravit; et inde per altum euntes, subita dimissione per orientalem fenestram aecclesiae in honore beatae virginis dicatae se pariter intromittentes, nusquam amplius comparuerunt. Quo viso, dux et omnes qui cum ipso[a] erant nimium attoniti, discalciatis pedibus oratorium sunt ingressi, devotione humillima veniam rogaturi. Deinde ab oratione surgentes, propiusque ad altare accedentes, eam, per quam prius tantae multitudinis videbatur introitus, diligenter circumquaque contemplabantur fenestram. Quae sic inventa est solida atque perfecta, ut in his vitreis marginibus nullius fracturae viderentur vestigia. Tunc ipse dux una cum satellitibus suis poenitentia ductus, omnium consensu voto se obligavit, ut quamdiu ipse viveret numquam eundem locum a saecularibus personis possideri consentiret; sicque usque in hodiernum diem ibidem Deo servientes ob merita sanctae Verenae nequaquam saecularis personae sibi dominantis molestiam pertulere.

2. Nuper[b] ad recordationem mentis nostrae pervenit, qualiter predictus heros Thietpoldus, cum adhuc ipsum locum Zurziaca a prenominato[c]
29 duce haberet in beneficium, iuxta Ararim[29] fluvium munitionem cepit aedificare et turrim in ea mirae celsitudinis[d] construere, totamque familiam venerandae virginis operibus innumeris, fame et siti, flagellisque multis oppressit, in tantum ut natando saepe Ararim fluvium manum[e] illius effugeret, et ut ita dicam nudo corpore limina sanctae[f] virginis adiret, et eius auxilium postularet, ut eam liberaret et ad serviendum sibi concederet. Quod et ita factum est. Quadam die illius progenie cum suis intus manente, turris contremere ruereque[g] cepit atque vitam presentem miserabiliter finivit. Iam tunc predicta familia est liberata et ad serviendum sanctae virgini promtissima. Unde contigit ut cives loci illius eam Verinam[h] vocitarent, quia omnia quae ab ea fideliter postulantur sine dubio impetrantur. Sic fit, nisi assit gratia Spiritus sancti, Deo et suis sanctis adversantibus periculum ad pernicionem interitus imminere.

3. Cuiusdam hominis domum quidam . . . . . Permanet etiam adhuc vivens et serviens in ministerio sanctae Zurziacensis aecclesiae, testis caelestium beneficiorum, quae Dominus per beatissimam Verenam clementer operatus est in illum.

937 | 993. 4. Cuonradus Burgundionum rex inclitus, cum ex legitima uxore[30] liberos non haberet, estuanti animo cogitans, quem regni sui relinqueret heredem, dixit ad coniugem: *Est locus in Alemannia Deo et sanctae Verenae[i] virgini consecratus; eamus, et eius clementiam exoremus, ut filios habere possimus.* Venerunt, devotissime adoraverunt, munera obtulerunt, vota voverunt, quae et postea[k] impleverunt; largisque elemosinis rite peractis, domum reversi sunt. Eadem nocte regina intravit ad regem; concepit et peperit filium. Quo adulto vivente patre[l], suscepit regni gubernacula, et adhuc ordinato regimine principatur[31].

5. Herimannus Alamannorum dux Reginlindam nobilissimam matronam[32] accepit in[m] uxorem. Cumque filios non haberent, simili modo venerunt adorare sanctam virginem Verenam, et in ipso loco pernoctaverunt. Predicta autem matrona vidit per somnium[n] quasi descendere in sinum suum et in eo latitantem, narravitque viro suo. Ipse autem sciebat, quia vir sapiens erat, quod filiam procrearent. Quae concepit, et peperit filiam. Ipsa autem eorum filia[33] innumeris honoribus crescebat in saeculo, sed maioribus apud Deum, ut credimus, pollebat in caelo.

6. His[o] etiam addatur tercium, quod dignum est ut memoriae tradatur. Nobilis quaedam matrona habitabat in regione Alsatia, quae tempore longo coniuncta viro suo, infoecunda erat tamen in utero[34] . . . . Multorum nomina scimus[p] nominare; sed opus non est ea singula describere, quia adhuc sunt multi eandem gratiam petituri. O virgo Verena omni laude dignissima, ora pro nostri omnium salute, ne pereamus in hac peregrinatione!

7. Igitur quodam tempore magna pars templi venerandae virginis ex fragilitate aquosae terrae a summo usque ad fundamentum cecidit populoque ingressum negavit. Tunc iussum est ab abbate[35], ut tales fundamenti lapides acquirerent, ut ultra opus restaurandi non haberent. Statim se congregaverunt cives, ubi sciebant esse cumulum lapidum summersorum, in locum qui dicitur Confluentia[36], ubi Araris fluvius Reno consociatus decurrit, et bonum consilium inierunt, ut quamvis evellere non possent, tamen incipere studerent; kirieeleyson cantantes, more fidelium militum properantium ad bellum, saliendo ingressi sunt Renum. Deus enim, qui est totius boni auctor, per merita sanctae virginis firmam voluntatem illis dedit, frigus abstulit — hiemis enim tempore fuit —, audaciam prestitit, vigorem[q] talem intulit, ut quos viginti homines in terra non possent portare, a quinque vel sex in aqua usque ad terram perducti sint. Quos intuentes, figuras litterarum et imagines hominum viderunt in eis sculptas[37], et ideo cognoverunt eos dudum naufragio submersos. Manus enim scribentis in aquarum substantia inutilis est. Tunc magna prosperitate fundamento impositi et bene sunt super aedificati.

a) eo 2. b) Insuper 2. c) praedicto 2. d) altitudinis 2. e) manus 2. f) ipsius 2. g) retereque corr. ruereque 1. h) uuerinam 2. corr. uerinam 1. i) deest 2. k) q. postquam 2. l) *ita* 1. *distinguit.* — Quo audito, v. p. 2. m) *deest* 2. n) somnum 2. o) Iis 2. p) scirem 2. q) rigorem 1.

29) Aar. 30) Mahthilde, filia Ludowici Galliae regis et Gerbergae. 31) a. 993—1032. 32) Burchardi viduam; cf. Vita Wiboradae c. 27. 33) Ida, uxor Liudolfi, filii Ottonis I. 34) A sancta Odilia tres recepit filias, a sancta Verena quae *„habet gratiam donandi parentibus filios et filias"*, geminos filios. 35) *i. e.* canonicorum praeposito. 36) hodie Coblenz. 37) Ruinae procul dubio urbis antiquae erant; cf. c. 20.

Laudemus venerandam virginem Verenam, quae nobis Christum faciat esse placatum[a]!

8. Estivo igitur anni prioris tempore, sub cuiusdam nescimus qua noctis quiete, accidit grande miraculum, quod nobis est bene cognitum. Quia oculis nostris vidimus, ideo testes veritatis sumus. Reno etenim ex abundantia aquarum egresso, supra modum et immaniter amplificato, totum pene segetis tegebat fructum, spem vivendi abstulit atque cives desperantes fecit. Hoc intellegentes, ante lucem surgentes, ad monasterium venerunt, lacrimabiliter veniam virginis deprecantes, ne se desereret, et ab importunis aequoribus eos liberaret. Et surgentes ab oratione, tollentes cruces sanctitatemque[b, 38] portantes, venerunt usque ad campum; sed tamen propter metum aequoris non ausi sunt intrare planiciem segetis. Tunc subito in articulo unius momenti felici recursu Renus proprium alveum ingressus est, nulla lesione comitante, et segetes, quae erant proclives in mane, statim erigebant se in meridie. Tunc omnes effecti sunt laeti, cantantes atque laudantes sanctam Verenam et dicentes: *Laudemus virginem venerandam, quae flore castitatis laudem promeruit in excelsis!*

9. Nec hoc pretereundum putamus, quod quaedam mulier incauta nimis diem dedicationis aecclesiae noluit feriare[c] eiusdem virginis gloriosae, sed . . . .

10. Hucusque audistis blandimentum[d] pietatis; nunc audite huius sanctae[e] virginis terribilem[e] sententiam potestatis. In regione igitur Francorum fuit quidam comes, multum per omnia dives. Hic totum tempus vitae suae vixerat sine filiis cum coniuge sua. Cumque a nobis foret saepe ammonefactus, ut Zurziacum locum causa orationis adiret, veniam virginis imploraret et aliquam portiunculam suae hereditatis quamvis parvulam illi donaret, ut filios habere potuisset, nostrae autem ammonitioni non consentiens, sed in ridiculum prorumpens: *Hi tales*, dicebat, *in virtutibus sunt fragiles, in rebus bellicis semper inutiles.* Postmodum autem ipsa eius uxor, quia nolebat credere, spem suam in virginem sanctam habere, ex ictu fulminis est percussa atque miserabiliter vitam presentem finivit; ipse autem sine filiis permansit.

11. Cumque[f] dies festus adesset venerandae virginis Verenae, dies annuae expectationis nostrae, de regionibus multis populis plurimis[g] in unum congregatis, fures etiam[39] . . . .

12. Rusticus quidam cum in die dedicationis eiusdem aecclesiae . . . . .

13. Vir quidam pro redemptione animae partem hereditatis suae dedit fratribus Deo et sanctae Verenae servientibus, addiditque molendinum congregationi valde necessarium. Cui potentior aliqua persona resistens, quod iste bene contradidit, ille male detrahere voluit, commutans cursum iustum rivuli, ducens in alium locum iniustum iuris[h] proprii. Quodam autem tempore rivulus ille inaudita abundantia magnificatus erumpens, totamque structuram clausurae frangens, sine pluviarum guttis nulloque iuvamine hominis sed sola potentia Dei maiestatis, pervenit ad locum cursus prioris. Ille autem homo multum perterritus, advenit, veniam virginis deprecaturus, et quod incaute abstulit, diligenter reddidit atque emendavit.

14. Senioratus[i, 40] quidam cum comitatu magnae multitudinis per oppidum Zurziacum iter agendo, tempus unius noctis mansitavit in aedificiis sanctae virginis. Unus autem ex illis, qui in ministerio ceteris prefuit, nobis contrarius et nostrarum rerum malignus dispensator in[k] distribuendo extitit; quod postea rerum eventus probavit. Nam ab aedituo aecclesiae ceram ministerialem cum magna asperitate[l] quesivit; ipse autem prout habuit dedit; econtra[m] ille magis ac magis accipere voluit; ipse vero quia non habuit, minime dedit. Tunc ille furore repletus, candelas circa sanctum altare ad se traxit, protinusque recessit. Mane autem facto ire coeperunt, sed subito iste magister cecidit de caballo . . . . . .

15. Frater quidam erat in congregatione, nobilis quidem genere sed nobilior dignitate . . .

Haec ideo, fratres, descripsimus et pauca de multis expressimus, veluti quosdam flores de pratis, ut in die solempnitatis sanctae Verenae virginis[41] habeat dilectio vestra super nocturnos in 41 nocte ad legendum et in die super mensam refectionis fratribus sufficienter ad intellegendum, et in omni tempore[n] semper resonet laus Dei in auribus nostris, qui in Trinitate vivit et regnat Deus unus in secula seculorum, Amen.

16. Igitur in die purificationis sanctae Mariae cum oblatione cives universi ad aecclesiam sunt congregati, missarum solemnia processionemque sanctae crucis expectantes. Cumque divinae laudis tempus adveniret, officio candelarum rite peracto, accensisque omnibus, ad aecclesiae ianuam venimus, singuli singulas candelas in manibus portantes; sed tamen nulla ardens pre validitudine venti egrediebatur[o, 42]. Et dum quasi centum pas- 42 sus ab aecclesia digressi sumus, subito cum magna impetus tempestate irruit ventus vehemens ab aquilone, multa aedificia in villulis fregit, magnasque in silvis arbores radicitus erutas in terram proiecit . . . . . .

17. Villanus quidam diem solemnem sanctae Verenae dignis feriis noluit observare . . . . .

18. Tributarius quidam copulavit sibi in coniugium[p] similem sui[q] tributariam. Etenim illius

a) complacatum 2. b) sanctitatem et *corr.* sanctitatemque 1. c) servare 2. d) blandimenta 2. e) *deest* 2. f) Cum 2. g) p. in u. *desunt* 2. h) viri 2. i) Memoratus 2; *sed ambigue scriptum esse dicitur.* k) *ita* 2. indispensator d. 1. l) austeritate 2. m) Contra 2. n) loco 2. o) ingrediebatur 2. p) coniugem 2. r) sibi 2.

38) *i. e.* reliquias aut thecam reliquiarum, germanice *heiligthum.* 39) In fine capitis legitur: *Alter autem sine sensu venit nesciens cum caballo ad* ***scenomam*** (scenoniam 2.) *proprii senioris.* Quid sit *scenoma* nescio. 40) i. q. senior? ut nos germanice dicimus *herrschaft.* 41) Novemb. 1. 42) germanice: *ausgehen.*

substantiae per partes plurimas ditatus, non post multum tempus[a] factus est vir inclitus. Cumque filios et filias haberet, erubescens se sanctae virgini tributum solvere, quod ex hereditate debuit reddere, abduxit se suamque progeniem cum virginis maledictione; quod postmodum rerum eventus ostendit in actione. Nam ipse et eius coniugata defuncti sunt ambo morte insperata. Procreatio autem eius quae nunc superest patitur paralysin, cunctorumque[c] carens officio menbrorum, nisi tantum habens visum oculorum. Sic fiat detrahentibus beatae Verenae sanctis virtutibus!

19. Igitur quodam tempore familia sanctae virginis Verenae iussa est ex illa ripa qua monasterium est constitutum[d] in alteram convenire ad metendum . . . .

43 20. Vas itaque lapideum in urbe antiqua iuxta Renum a pastoribus gregum fuerat repertum, de quo post paululum dicemus, cum ad illius loca congrua scribendo perveniemus. Nam quaedam fidelis[e] vidua lacrimando maritum perdidit visum oculorum, ac iugiter veniam virginis implorabat cum lacrimis. Nocte igitur veniens sancta virgo
45 suscitavit eam, dicens: *Est vas lapideum, in quo infundens aquam calidam cum cinere mixtam, lavi capita leprosorum aliorumque vestimenta infirmorum. Si ex illo lavaveris[f], procul dubio visum habebis.* Surrexit concita, ducatum petiit a vicina muliere, vas invenit, lavit oculos, et vidit. Post haec autem almitati eius et sanctorum Thebeorum martyrum pulchra[g] aecclesia in eodem loco est fabricata, in qua Christi miracula visa sunt et audita. Nam cum ex aliqua neglegentia nocturnale lumen deesset, totus locus predictae urbis magno redundans splendore luminis, sicut visum est cuidam beato presbitero in adiacenti citra Renum habitanti oppido, manensque in totius noctis spacio. Simili autem modo privata aecclesia officio clericorum, audita est vox psallentium angelorum, et tam dulcis in auribus audientium velud mel est in dentibus manducantium. Custodes autem volentes accedere, non potuerunt pedem ante pedem levare.

20. Secundus igitur Herimannus Alamannorum dux, dum esset precipuus omnibusque virtutibus vir preclarus, Chuonradi predicti regis filiam[43] duxit uxorem. Cumque ex ea filias[44] satis procrearet, filios autem non haberet, ambo venerunt, gratiam virginis pro filio postulaverunt; quod statim postea impetraverunt. Quo nato, xenia non parva optulerunt cum puero, et cum benedictione virginis et gratia recedentes, laeti venerunt ad propria. De quo[45] plurima in alio loco scripturi sumus, si Deus permittit, qui omnia ex nihilo creavit; cui honor et gloria per omnia secula seculorum, Amen.

a) temporis 2. c) que *deest* 2. d) constructum 2. e) f. femina v. 2. f) laveris 2. g) pulcrha 1.

43) Gerbirgam. 44) tres memorat Hermannus Contr. a. 998, quinque vero Neugart ep. Const. I. p. 325. recenset. 45) a. 1012. mortuo.

VITA
DEODERICI EPISCOPI METTENSIS
AUCTORE SIGEBERTO GEMBLACENSI.

Sigebertus clarus historiarum scriptor, cuius alia opera historica in sequentibus tomis edituri sumus, quum circa annos 1027—1030.[1] *natus monasterium* 1 *Gemblacense sub abbate Olberto, doctrina et meritis insigni*[2], *intrasset*[3], *sub Macelino successore eius paucos annos versatus, a Folcuino abbatis fratre, tunc monasterio sancti Vincentii Mettensis praeposito, pueris instruendis Mettas arcessitus est; et in civitate amoenissima primam aetatem exegit. Ubi positus multa opuscula scripsit*[4], *et humanitate sapientia et doctrina inclaruit. Erat, ut Anselmus tradit*[5], 4 *„sapientiae fons patens, non solum monachis sed et clericis ad se undique confluentibus, nec solum christianis sed et Iudaeis in eadem urbe commanentibus erat carissimus, pro eo quod hebraicam veritatem a ceteris editionibus secernere erat peritus, et in his quae secundum hebraicam veritatem dicebant, Iudaeorum erat consentiens assertionibus.“ Vere iam primus, quem se edidisse profitetur, liber*[6], *vita Deoderici episcopi, iuvenem ostendit benevolum, pium, veri pulchrique amantem, et varia doctrinae specie insignem, diligentem sacrarum scripturarum, auctorum classicorum*[7], *patrum*[8], *et sui etiam temporis scriptorum*[9] 9 *lectorem, sedulum antiquitatis patriae scrutatorem, scriptorem vividum elegantem et paulo floridiorem. Delectatur enim versibus et vocibus poetarum decerptis et sententiis rhythmo et sono sibi respondentibus, ita ut vel hexametri pentametrique membra in easdem syllabas plerumque convertat. Vitam Deoderici scribendam suscepit precibus Ulrici et Ruodolfi fratrum et pietate ductus in conditorem monasterii, in quo ipse degebat*[10], *Sancti Vincentii; cui operae quaecumque* 10 *conferre possent monimenta antiqua*[11], *chartas et privilegia imperatorum et pontificum*[12], *historiam translationis reliquiarum a Deoderico in Italia collectarum a clerico eius qui rebus interfuerat conscriptam*[13], *congesta in laudem episcopi et civitatis Mettensis concinnavit. At quum in Deoderico aliqua non levi vituperio digna haberentur, ea tamen Sigebertus, episcopum iusto acrius in violatores bonorum S. Vincentii invectum dicere contentus, ne acu quidem tetigit. Quod utrum ignorantiae an dissimulandi animo tribuendum sit, non liquet, quum Sigebertus nec a Thietmaro*[14] *in opprobrium Deoderici prolata* 14

1) annos circiter 85 exegisse videtur. 2) cf. de eo Sigebertum de SS. ecclesiasticis cap. 142. 3) Sigebertus exequias eius a. 1048. vidit; Gesta abb. Gemblac. Dachery edit. 2. II. 767. 4) Sigebertus de SS. ecclesiasticis c. 171. 5) Gesta abb. Gemblac. contin. p. 768. 6) de SS. ecclesiasticis c. 171: *scripsi vitam Theoderici episcopi, conditoris ipsius ecclesiae et abbatiae; in qua etiam per digressionem laudem ipsius urbis heroico metro declamavi.* 7) Horatii praecipue, cuius plures locos scriptis inseruit. 8) e. g. Augustini; v. cap. 5. n. f. 9) e. g. Ruotgeri et Widukindi c. 1. 10) cap. 14. 11) cap. 13. 16. 17. 18. 21. 12) c. 14. 20. 13) c. 16. 14) III. 9

legerit, nec eum iam tum, quum vitam Deoderici ederet, ab Alperto[15] *circa exitum Deoderici tradita novisse constet.*

Scripsit tempore Folcuini abbatis, quum consecratio ecclesiae S. Vincentii a. 1030. *celebrata eorum qui interfuerunt quasi recenti in memoria haereret*[16], *igitur intra annos* 1050—1060.

Liber ipsius manu ut videtur correctus extat in codice saeculi XI. exeuntis, duabus columnis, littera minima exarato, de quo supra pag. 253. *sermo fuit, fol.* 1—5. *Inde exscriptum Leibnitius Tomo I. SS. Brunsvicensium p.* 293—313. *primus edidit, nosque correctiorem proponimus, indicata littera c.) lectione codicis, numero* 1) *manu scriptoris ipsius,* 2) *correctoris, et adiecta* 3) *varietate codicis regii Parisiensis N.* 5294. *signati, mbr. sec. XI., qui historiam translationis reliquiarum a Deoderico collectarum exhibet, a Dacherio in Spicil. V. p.* 139. *editam, in altera eius operis editione T. II. p.* 133. *a Baluzio emendatam, Waitzii vero opera cum editis iam denuo collatam.*

Nonnulla ex Vita Deoderici decerpta Sigebertus ipse Chronico suo a. 964. *et* 969. *inseruit; laudatque eam auctor Chronici episcoporum Mettensium apud Dacherium Spicil. II.* 228. *Epitaphium capiti* 21. *insertum, etiam in codice sec. XII. olim collegii Claromontani, postea Meermanni, iam Viri Clarissimi Sir Thomas Phillipps Middlehilli in Anglia, N.* 1711. *signato, habetur, unde olim ab Andrea Duchesne descriptum, Baluzius in Miscell. IV.* 554 *edidit, et Lappenbergius noster a.* 1836. *iterum exscripsit.*

Subiicimus rhythmos in honorem Deoderici a Sigeberto compositos, quos ex autographo eius in monasterio S. Vincentii Mettensis servato Meurisse in historia episcoporum Mettensium p. 329, 330. *edidit.*

Vita Deodrici meritis et tempore primi[1]
Hoc descripta libro, memori recitabitur aevo.
Hanc vix compegi vilique caractere scripsi
Christi pupillus Sigibertus, mente pusillus.
Hic tua, Vincenti levita, trophea relegi,
Hic, Lucia, tui reliquorum suntque triumphi,
Quorum sunt tituli seriatim praetitulati[2].
Quicquid peccavi, vobis debet reputari,
O Ulrice, tuoque simul fratri Ruodulfo,
Quos divinus amor, quos vestri[a] praesulis ardor
Perpulit invitum me cogere satque renisum,
Hoc onus invalidis ut vellem tollere membris,
Ut vobis laudem, mihi det mea culpa ruborem.
Quisnam ad mercedem vobis neget addere laudem,
Qui talem librum divinis usibus aptum
Sanctis donastis propriis propriumque dicastis?
Res minor affectu, maior devotio censu[b].
Semine plura metes, in spe qui semina mittes.
Nil recipit gratis, qui dat, Deus, omnia gratis.
Laus danti, pax servanti, crux diripienti.

a) *ita c.* b) sensu 1. c) de vita *addidi.*
15) cuius libro in Chronico usus est. 16) c. 22. 1) secundus Theodericus sedit annis 1005—1047. 2) v. caput 16.

EPISTOLA DE VITA[c] DOMNI DEODERICI PRIORIS METTENSIS EPISCOPI.

Domno reverendo, patri venerando, domno abbati et abbatum speculo, F.... servorum Dei utinam ultimus servulus S.... quae promisit Deus se diligentibus. De gestis domini et patroni nostri Deoderici quae veraci relatione agnoscere potui, fideliter, pro captu meo, annotare studui, ausu quidem temerario, affectu tamen voluntario. Non enim reor displicere animo fidelis echonomi, quicquid accedit laudibus sui domini. Monebat me animus hoc vestro nomini asscribere, set non fuit consilium, culpa mei tardi ingenii laudem vestram deterere, quem dignitate litteralis scientiae constat cunctis praecellere. Vos ergo, qui lectionis divinae assidua dulcedine consuestis delectari, patiamini quaeso, gustu inculti sermonis os vestrum amaricari, ut magis vobis repetitus placeat dulcor, quem ad horam insuetus torserit amator; dum delitiosus plerumque stomacus rapula atque ascalias[a] mavult imulas, necdum omnis abacta est pauperies epulis regum; nam vilibus ovis nigrisque est holeis[b] hodie locus. Non attendatis, quis vel quali scripserim stilo, set quid et de quo: et adhibita paternae censurae ferula, si placet, acuto veru confodite superflua; si displicet, mortiferum praefigite theta. Loquatur muta pagina rerum seriem, nec perfundat rubore scriptoris faciem. Bene valete.

EXPLICIT EPISTOLA.

ITEM PRAEFATIO SEQUENTIS OPERIS.

„Laudemus, inquit Iesus filius Sirac, viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua, qui[c] in generationibus suis gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur [Eccli. 44, 1. 8–10.] cum laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum, et sunt quorum non est memoria; perierunt quasi non fuerint, et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum illis. Set hi sunt viri misericordiae, quorum iusticiae oblivionem non acceperunt.“ Ecce amator sapientiae piam patrum suorum amplexatus gloriam, merito illorum detestatur socordiam, qui oblivione vel incuria patiuntur oblitterari maiorum suorum memoriam. Cum enim in memoria aeterna sit iustus, et memoria iusti semper sit cum laudibus, profecto sicut bonis operibus paratur animae iusti beata immortalitas, ita etiam per bonorum operum memoriam paranda est nomini eius gloriae longaevitas. Si ergo his[d], qui dederit calicem aquae frigidae tantum in nomine iusti, mercedem suam non perdet: et ille, credo, mercedem iusti accipiet, qui laudes iusti vetustate senescere vel oblivione sepeliri prohibet; quia procul dubio ad laudem Dei spectat, et mercedem iusti accumulat quod integritas vitae eorum alios suo exemplo ad bonum invitat. Quocirca solent multum multi conqueri; alii, quod vitam praedecessorum suorum, alii, specialium patronorum suorum ita penitus aboleverit oblivio, ut praeter[e] nomen, et praeterquam quod eos in diebus suis constat placuisse Deo, nulla rerum gestarum fiat mentio, ut per eos nomen Dei benedicatur, qui omnia in omnibus operatur. Haec eadem conquestio nos super[f] domino et patrono nostro Deoderico magis magisque sollicitabat in dies; quia opera eius multa et magna sic pene consumpserat oblivionis caries, ut lignum vermes, vel sicut tinea vestes. Quam sollicitudinem a maioribus relictam nobis, transmittere posteris nostris non debemus; set ea curiosis oculis inquirentes, praestante illo, qui linguas infantium facit disertas, stilo certitudinis enucleare temptabimus. Probemus ergo devotionem erga patronum nostrum; offeramus oblationem nostram ei, qui vere erat Dei templum; et si non habemus puritatis aurum, [Exod. 35, 6.] eloquii argentum, munditiae byssum, geminae[g] dilectionis coccum bis tinctum, saltem de pilis caprarum texamus sagum cilicinum, vel ad operiendum corporis eius tabernaculum[h], vel saltem ad tumuli eius pulverem extergendum.

INVOCATIO.

Ingressuri ergo viam, ut veniamus ad narrandam veraciter iusti viri vitam, eius, qui via veritas et vita est, invocemus gratiam, ut qui lacte pascit edentulos, nos doctrinae suae pascat edulio, et sapientiae suae erudiat alloquio.

a) *ita corrigo*; ascidas c. *Imas ascalias tenerrimas esse, quisque novit. Leibn. correxit* acidas iurulas. b) *i. e.* oleribus. c) q. et in 1. d) *i. e.* is. e) praeterquam 1. praeter 2. f) semper 1. g) genuinae? *ita* gemina *apud Thietmarum saepius occurrit; cf.* SS. III. 859. — gemmae *L.* h) t. vel s. ad t. eius *manu* 2.

domine Christe deus omnipotens princeps sine principio
Kyrie[a], Christe, theos, pantocraton, archos, anarchos,
Sis mihi principium, dux, via, praesidium,
Ut valeam per te, condigne scribere de te.
Pendet mens a te; quis quid erit sine te?
Laudatis sanctis, laudatus sanctificaris;
Et iusti quid honor? iustificantis amor.
Praedico sanctorum sanctum, cum praedico sanctum;
Pulcri laus operis, laus erit artificis.
Ecce repono tuum tibi iustum Deodericum;
Adsis una Trias, animae trina monas.
Vix muttire queo, mutum precor os aperito;
Ipse doces asinam, quae doceat Balaam.
Naturae tibi lex non obstat legifer exlex;
Nempe sequens nutum, nescit habere statum.
Tu linguans mutos, elinguans atque disertos,
Cordis tange petram, petra refundet aquam.

INCIPIT VITA DOMNI DEODERICI EPISCOPI MAIORIS.

Capitulum 1. *De nobilitate generis ipsius.* Igitur virum[c] vitae memorabilis et memoriae
3 venerabilis Deodericum, ex pago Saxoniae Hamalant[3] oriundum, comite Everardo patre et Amalrada[d] matre accepimus progenitum, orbis ad ornatum quem vere credimus ortum[4]. Alius fretus ingenio ab ipsis ordiretur cunabulis narrationis telam; laudaret docilem puericiam, magnificaret mactae indolis adolescentiam; ubi ventum esset ad Pytagoricae litterae bivium, mundum cum blandiciis suis abigeret sinistrorsum; animum vero iusti, tendentem ad propositum immortalitatis bravium, ageret angusto calle dextrorsum. Quid plura? per singulos gradus aetatum disponeret in corde ipsius ascensiones virtutum. Nos quoniam viribus diffidimus, quoniam ad propria dicenda vix sufficimus, communia praetermittimus, et quoniam brevitati studemus, solam morum honestatem et natalium nobilitatem in eo praedicare contenti sumus. Et illam quidem nobilem morositatem multiplicabat[e] in dies divinae cooperationis praesentia; religiosam vero generositatem attollebat cognatorum et affinium eius, primatum scilicet Galliae et Germaniae, eminentia, et insuper imperialis consanguinitatis cumulabat magnificentia. Matrem nempe eius scimus Mathildis reginae fuisse sororem, quae ex Heinrico rege genuit Ottonem maiorem et Heinricum ducem, eorumque fratrem multa laude dignum Brunonem, qui
Horat. Od. I. 12. ita inter omnes temporis illius emicabat mortales, velud inter ignes luna minores. Hae vero erant[5] filiae Thiadrici ducis, quarum fratres erant Windukin, Immed et Reinbern. Reinbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos liberans patriam ab illorum incursionibus; et hi erant stirpis magni ducis Windukindi, qui bellum potens gessit contra magnum Karolum triginta ferme annos. Porro Brunonem, quem supra nominavimus, tanta meritorum praerogativa divinitatis commendabat pietas, ut, quem Coloniensis archiepiscopatus illustrabat dignitas, etiam dominatus tocius Lotharingiae insigniret sublimitas[6].

2[g]. *Qualiter sub disciplina domni Brunonis profecerit.* Huius ergo consobrinus, cui hoc opus cuditur, Deodericus[h] in sanctae Halberstedensis ecclesiae gremio a primis annis maternae pietatis ubere ablactatus, et sublimiter ut competebat educatus, naturae et morum dulces et uberes repromittebat fructus. Verum ubi gemma episcoporum
953. Bruno pontificale ascendit solium, hic assumpta forma discipuli se eius individuum agebat socium. Et quia erat quondam in castris coelestis militiae civiliter militaturus, sub eo in sanctae Coloniensis ecclesiae gimnasio[i] per diutina diludia liberali tyrocinio est exercitatus, et per diuturna proludia laudabiliter probatus. Discebat ibi humiliter subesse,

a) Kyrrie *c.* c) uerum 1. d) *ita Leibn. bene correxit; cf. cap.* 21. AMALRABA *c.* e) multiplicata 1. g) *in codice vox* Capitulum *constanter repetita est.* h) DEODERIHCUS *c.* i) gignasio *corr.* giznasio *c.*

3) in utraque ripa Isalae. 4) Versus hexameter. 5) Haec usque *triginta ferme annos* ex Widukindo I. 31. 6) cf. vitam Brunonis c. 22.

qui debebat multis aliquando utiliter praeesse, et subiectis humili et discreta praelatione utillime prodesse. Erat in utroque, quod uterque in alterutro amplecteretur; et sicut ferrum ferro acuitur, sic alter alterius bona aemulatione aedificabatur. Primo quidem inter eos propinquitatis naturalis necessitudo pepererat amicitiam; deinde familiaritatis consuetudo aluerat benivolentiam; quae etsi ex propinquitate tolli potest, ex amicitia tamen non potest, quia propinquitas sine benivolentia inane nomen retinet, amicitia benivolentiae indiscissa cohaeret. Sic in consobrinis istis propinquitati respondebat amicitia; amicitiam mutua solidabat benivolentia. Nec in vanum cedere poterat, quod vir, qui in Christo et in aecclesia talis tantusque futurus erat, quem mater aecclesia ad ornamentum et firmamentum sui nutrierat, quem natura, immo ipsius auctor naturae, nativo ingenii bono ditabat, talis tantique magistri studio et doctrina institui et expoliri meruerat. Ut enim ait quidam: Horat.

Doctrina vim promovet insitam, Od. 4, 4.
Rectique cultus pectora roborant,
Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.

3. *De promotione eius ad episcopatum.* Ne ergo viro ad utilitatem multorum nato deesset materia virtutum, ne deesset tali opifici officina exercendorum operum bonorum, providit etiam super hoc superna dispensatio non solum ei, set et profectui plurimorum, ut cultor iusticiae plantatus in domo Domini, in atriis Dei nostri ut palma altitudine meritorum floreret, ut cedrus Lybani multiplicatus incorruptibili exemplorum odore redoleret, sicut oliva pinguedinem laeticiae et benedictionis fructificaret. Anno siquidem nongentesimo sexagesimo secundo a dominici hominis incarnatione, viam universae carnis ingresso reparatore sanctae religionis primo Adelberone, vacabat cathedra sanctae 962. Mettensis aecclesiae proprio viduatae pastore. Non defuit sibi sacrarium Spiritus sancti Bruno; non defuit, inquam, sibi vel tocius regni commodo; set sicut in caeteris facere consueverat, sic et in hac re non quae sua erant, set quae Iesu Christi, quaerebat. Nam caeteris quibus pollebat artibus etiam hoc addiderat, quod principibus cuiusque ordinis, in quibus columbae innocentiam, serpentis astuciam, et praecipuę tutae fidei simplicitatem vigere videbat, his adprimę amicitiam suam accommodabat, his gratiam regis cumulatius conciliabat. Si quos talium privata adhuc vita oscurabat, hos oportune in loco defunctorum illustrium virorum sua opera suffectos, ad bene agendum accendebat[a]. Omnia quippe omnibus factus erat, quia omnes lucrifacere volebat. Is denique videns oportunum locum et tempus occurrisse[b] sibi, ut ad firmamentum spiritualis fabricae columnam solidam et sua manu politam stabiliret in aecclesia Dei, utile duxit, consobrinum suum Deodericum, spectabilem genere et religione, illic incardinari. Aequa namque trutina consilii, locum, tempus, personam moderabatur, dignum scilicet iudicans eum, qui urbi nobilissimae principaretur, nec indignum fore urbi tantae potentiae, quod viro tantae nobilitatis ancillaretur, praesertim cum tempus illud egeret, ut prudentis fortisque rectoris auxilio defensaretur. Nimis enim superioribus annis in eam incubuerant rei publicae incommoda, cum ab incentore omnium malorum Conone invasa[6], pene 954. direpta est et exterminata. Concordante itaque cleri tociusque plebis unanimi consensu, annitente etiam cuncto palatinorum senatu, intronizari eum fecit in augusta Mettensium sede, laeto omnium concentu, non sine magno coelestium virtutum applausu. Pontificali itaque petalo decoratus, et officiante magni meriti Heinrico[7] Trevirorum metropolita, 965. benedictionis oleo 3. Nonas Martii consecratus, satagebat nomen suscepti officii bonis implere operibus; malens scilicet haberi quam videri episcopus. Et primo a praedecessoris sui vestigiis non exorbitabat, set quem sibi nobilitatis excellentia aequiperabat, etiam morum probitate et religionis fervore imitari in voto habebat. Accendebatur enim ad bonum bono animi sui proposito, informabatur, ut diximus, praedecessoris sui recenti exemplo, nec exciderat animo sana boni institutoris eruditio, et quod omni praeminet magisterio, coelesti insuper animatus est oraculo.

4. *De primis litteris nominum per angelum datis.* Dicamus ergo rem relatu et

a) *ita Leibn.* accedebat *c.* b) occurisse *c.*

6) cf. Ruotgeri Vit. Brunonis c. 24. 7) lege Theodorico; Heinricus a. 964. in Italia obierat; cf. Cont. Reg. a. 965.

scripto maiorum compertam, pro sui novitate merito in thesauro memoriae recondendam. Sanctus Clemens, principis apostolorum Petri auditor, Mediomatricorum autem primus apostolus et praedicator, inter caetera quae ei ad roboranda nascentis aecclesiae rudimenta contulit pius salutis nostrae amator, hoc speciale coelitus emeruit donum, ut nomina futurorum in aecclesia Mettensi pontificum acciperet, missa sibi per angelum, annotatis tantum primis litteris nominis. Adeptus vir beatus de quo agimus aecclesiae suggestum, cum quadam die delectaretur iocunda et seria affabilitate familiarium ac sapientium — nam etiam in hoc fideli suo Dei consuluerat dispositio, ut ei sapientium et bonorum consiliariorum non deesset collatio —, illa angelicae scripturae monimenta iussit deferri in conspectu suo. Quas cum diligenter inspexisset, et alias quidem aurei, alias argentei, alias alius cuiuslibet coloris varietate formatas stuperet, et altiori intellectu per colorum varietatem variam meritorum cuiusque qualitatem signari perpenderet: inter alias sui nominis litteram argenteo colore albentem videt. Qui conversus ad semet ipsum, et hinc profundum et inmutabile divinae praescientiae[a] demirans consilium, inde bonae voluntatis suae considerans propositum: *Si*, inquit, *cooperator omnium bonorum Deus bono affectui meo optatum ministraverit effectum, tanta bona in episcopatu me confido facturum, ut argentea ista littera quandoque transformetur in aurum.* Haec quidem vir bonus de bono thesauro proferens, bonum ex habundantia cordis locutus est, nec segnior fuit in exequendis bonis operibus quam pollicitus est. Quae licet nobis ex parte inviderit maiorum nostrorum incuria, et somno socordiae suae consopiti eum secum putaverint consepeliendum, adhuc tamen eius multa et mirifica opera extant, quae eum[b] quodammodo nobis[c] viventem repraesentant; ut liquido testificari possimus, quod
Luc. 19, 40. in euangelio dicit Dominus: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Quis enim nesciat, vivacitate ingenii eius et sagacitate consilii vel prudentiae singularitate, qua apud regni primores magni pendebatur, melioratum rei publicae statum, et in melius augmentatum sanctae Mettensis aecclesiae, cui auctore Deo praesidebat, pontificatum?

5. *De veteris aecclesiae deiectione et novae aedificatione.* Ut interim de monasterio gloriosi martyris Christi Vincentii sileamus, in quo construendo totos animi sui expendit affectus, primo ex subcisivis[d] eius operibus industriam eius comprobemus. Inprimis maior aecclesia pretiosi prothomartyris Stephani magnificentiae eius testis occurrit, quam vetustate sui ruinam periculosam minitantem[e] decenter a fundamento reparavit. Stabat illo adhuc tempore illud antiquae reverentiae oratorium, servans thesaurum quod gemmas vincit et aurum, scilicet sanguinis prothomartyris pignus pretiosum. Quia non omnia nota sunt omnibus, de hoc oratorio paucis docebimus. Olim clamore Galliarum ante Deum multiplicato, et peccato malitiae earum nimis aggravato, purpuratae meretricis civitatibus propinavit calicem irae et indignationis iusti iudicis commotio, ad ultimum earum exterminium Hunis laxatis, velut rabidis canibus ad devorationem ferarum et bestiarum agri instigatis. Pastores quique pro ereptione ovium suarum iusta sollicitudine omnimodis ambiebant; set adeo peccata populi invalescebant, ut quamvis sacerdotes digni auribus Domini iudicarentur, illi tamen, pro quibus orabant, indigni essent, ut exaudirentur. De hoc[7] porro oratorio aliquibus insinuatum est ex divina revelatione, et maxime sancto Servatio Tungrensi episcopo, Auctoris tunc temporis Mettensium praesulis familiarissimo, promissum est ex apostolica consolatione, hoc solum oratorium in Gallia Belgica interventu prothomartyris immune futurum a barbarica depopulatione. Iam urbem populosam et opulentam in favillas redactam doleres, cum tamen undique lambentibus flammis ab oratorio faces longius removeri gauderes, et barbaros percussos ea coecitate, quae graece dicitur acrasia[f], ab aditu aditi arceri stuperes, ut patesceret, quid posset fructuosa martyris fides. Stabat adhuc, ut dixi, quamvis longaeva vetustate convulsum, simile iam cadenti, immo pene iam lapsurum. Set quamvis ruina videbatur intentare periculum, tamen praesentia sui antiquum credebatur repraesentare praesidium.

a) praesentiae 1. b) cum *c.* c) *deest* 1. d) *ita L.* subciuis *c.* e) minitatem *c.* f) *manus* 2. *addit:* Si quis quid sit aorasia querit, ex uerbis sancti Augustini discere poterit, qui in libro questionum in genesi sic ait: Viros uero qui erant ad ostium domus percusserunt cecitate. Greci habent aorasia, quod magis significat si dici potest auidenciam, que faciat non uideri, non omnia set quod opus est. Hac aorasia et illi percussi sunt qui querebant Helyseum. Hanc et illi habuerunt qui Dominum post resurreccionem cum illo ambulantes in uia non cognouerunt.

7) cf. Vitam S. Servatii Tungr.

Caeterum praesul, qui ad restaurationem templi et ad omnia quae usus vel decus aecclesiae exigebat induxerat animum, credens quod non solum in manufactis habitaculis constet divinae venerationis cultus, quodque locus nullum commendat, set magis nos illum commendamus, bene vivere si satagamus, non timuit illud evertere funditus, quamvis animos et oculos offenderit plurium, quasi qui tulisset de medio evidens divinae propitiationis inditium, et praesens meritorum prothomartyris testimonium. Exaedificatam igitur aecclesiam liberaliter aecclesiasticis ornamentis honoravit, donariis insuper pretiosis locupletavit, partim a se ipso collatis, partim sui amoris gratia ab optimatibus regni aecclesiae Dei oblatis, et praecipue a munificentia gloriosi caesaris Ottonis eiusque coniugis Adheleidis, cuius vita nichil aliud fuit nisi exemplar pietatis et castitatis. Set et gloria posteritatis eorum, Otto iunior, in hac largitate non fuit inferior. Quia enim fidelis paterfamilias thesaurizabat non sibi, set dominicae familiae commodo, ut daret illis tritici mensuram in tempore oportuno, collaborabat bonae eius intentioni multa fidelium Christi devotio.

6. *De constructione Waltiodorensis coenobii*[7]. Ut de multis unum inseramus, fuit ea 7 tempestate comes quidam nobilitatis gloria clarissimus, sanctitatis reverentia nominatissimus, eidem patri nostro genere propinquus; nomen erat ei Elbertus. Is tactus instinctu coelestis desiderii, posthabere coepit omnia quae ei habundanter arridebant pellacis gaudia mundi, indignum ducens, pro eius lucro animae suae detrimentum pati. Qui legationem salutis suae mittens ad regem cum duplo exercitu contra simplum nostrum venientem, idoneam inter se et Deum elegit mediatricem piissimam videlicet Mariam, eius virginem genitricem; et cupiens non tantum sua set et ipsam vitam pro amore vitae aeternae pacisci, felici commertio sua omnia Deo dedidit eiusque genitrici, et in honore eius monasterium construxit in villa Walciodoro, quam Mosa alluit in diocesi Leodicensi, ibique sub monasticae religionis habitu adunavit divino idoneos famulatui, qui sibi seminarent spiritualia, et illi sua meterent carnalia. Qui quia praedicti antistitis nostri[a] gloriabatur consanguinitate, praesertim quia eum apud animum regis non parum valere videbat intima familiaritate, regisque regum gratiam promeruisse eum intellexerat ex[b] mundi cordis sinceritate, nullum post Deum eiusque matrem quam eum sibi heredem subrogare maluit, idemque monasterium pro eius amore iuri sanctae Mettensis aecclesiae testamento delegavit, et imperiali decreto in perpetuum confirmavit[8]. Ille vero, utpote vir non mediocris prudentiae, quia non ingratus erat, tanto gra- 8 tis aecclesiae suae praestito beneficio, ne ei praeter aeternam remunerationem etiam in terrenis deesset digna vicissitudo, villam suae ditionis eidem contiguam loco, Hasteriam vocabulo, cum apenditiis suis eidem coniunxit coenobio.

7. *Qui viri ea tempestate claruerunt.* Iure felicia dixerim Ottonis tempora, cum claris praesulibus et sapientibus viris res publica sit reformata, pax aecclesiarum restaurata, honestas religionis redintegrata. Erat videre et re ipsa probare, verum esse illud philosophi: fortunatam esse rem publicam, si vel reges saperent, vel regnarent sapientes. Praeerant enim populo regni non mercennarii, set pastores clarissimi. Inter quos merito sui lucidis comparandos syderibus, nominatus et saepe nominandus ille magnatum maximus, Bruno archidux[c] et archiepiscopus, velut lucifer matutinus micabat rutilus. Post eum Deodericus noster, aecclesiae regimen, regni columen, virtutis specimen, passim nominis sui spargebat lumen. Treviris aurigabat currum Dei Heinricus[d], post eum Egbertus; qui cuius sanctitatis fuerint si quis ignorat, facile inveniet a quibus discat. Leucis praeerat Gerardus, Virduni antistabat Wicfridus; qui quales fuerint, vel hinc potest sciri, quia collegae fuerunt huius nostri Deoderici, ex disciplina scilicet Brunonis incliti, cuius etiam iudicio ad gradum pontificatus meruerunt provehi. Porro Wicfridus usus est in omnibus prompta opera praesulis Deoderici, et maxime in construendo coenobio sancti Pauli confessoris in suburbio Virdunensi, a quo etiam pretiosiora auro et topatio ossa sancti martyris Gregorii Spoletini impetravit, quae decenter, ut hodie est cernere, in aecclesia eadem reposuit. Possem recensere plures cuiusque ordinis ea tem-

a) nostris c. b) et 1. c) archidus c. d) henricus c.

7) Wassor, dioc. Namurcensis. 8) a. 946. Sept. 19. Remis Eilberti donatio ab Ottone confirmata est, Miraei Opp. I. 259; cf. Chron. Walciodor. Dachery ed. 2. II. p. 709. et Vitam Forannani Mabill. Act. V. p. 587.

pestate insignes, set nolo extaedientur aliorum mentes vel aures. Isti, praeter eos quos fama obscura recondit, huius patris nostri contemporales, aliqui etiam contubernales, aliqui contribules; hi inquam eius in bonum cooperatores, hi in castris domini Sabaoth huius egregii antesignani fuere commilitones, hi omnes succenturiati, in otio et in negotio causis regis aderant, eiusque nepotem Deodericum alii patris honore, alii fratris amore mirifice excolebant.

965. 8. *De morte domni Brunonis.* Postquam[9] igitur venerabilis archiepiscopus Bruno totam composuerat Lothtaringiam, Compendium perrexit compositurus etiam Franciam, habens secum consobrinum suum Deodericum, in cunctis operibus bonis fidelissimum adiutorem. Eum quippe ab exordio incardinationis eius in omnibus negotiis exibebat sibi cooperatorem, praesagiens eum operum suorum fore imitatorem, et gratiae virtutisque sibi caelitus concessae non longe post heredem. Vir ergo pacificus volens vocari Dei filius, dum operum suorum bonae consummationi esset intentus, decidit in lectum corporis gravedine detentus; et Remis usque regressus, ibidem invalescente aegritudine est retentus. Sentiens itaque finem suum a Deo sibi notificari, numerumque dierum suorum consummari, sciensque quid deesset sibi, deliberavit secum elemosinis peccata sua redimere et thesauros suos in gazophilatio coeli recondere, scilicet in usus pauperum et aecclesiarum Christi expendere; et vocans ad se refrigerium doloris sui et
) his 1. vitae mortisque solatium Deodericum, et Virdunensem — nam et is praesto erat — Wicfridum, coram eis dictavit et signavit testamentum suum, eosque sanctionis suae testes et testamenti sui statuit dissignatores. Iamque inpendente tremebunda dissolutionis suae hora, nisu quo poterat ad nepotem suum Deodericum se convertens, eique
Oct. 11. ex praecordiali affectu ultimum vale dicens: *Domine*, inquit, *ora.* Mox devote et confuse cantu et planctu personante omnium, anno Domini nongentesimo sexagesimo quinto, 5. Iduum Octobris, solvit naturae debitum, coelo mittens gaudium, mundo relinquens iusticium. Deodericus cum coepiscopo corpus amici Coloniam reportavit, testamentum clero et civibus resignavit, fidem devotionemque, quam vivo monstravit, etiam defuncto non negavit. Dolens imperator se unico solatio viduatum, affectum quem habebat in fratrem transfudit in consobrinum. Dolens antistes se superstitem esse animae suae dimidio, ne impar aut indignus esset regis animo, fratrem ei repraesentabat fidelitate et
4. Reg. 2, 15. obsequio, et sicut scriptum est: *Requievit spiritus Helyae super Helyseum ad facienda signa et prodigia*, sic omne spiritualis gratiae donum, quo Brunonem Dei insigniverat gratia, mirareris in Deodericum transfusum ad disponenda regni negotia.

9. *De unanimi fraternitate cleri Mettensis et Halberstedensis.* Erat huic imperialis nobilitatis et episcopalis dignitatis viro iugis vigilantia super excubias sibi commissi gregis, erat propensior cura pro honore et profectu clericalis ordinis; ideo quicquid eorum saluti conducere videbat, diligenter procurabat. Unde inter caetera clerum Mettensem et Halberstedensem, qui utrique uno innituntur patrono, victorioso scilicet protomartyre Stephano, ita mutuae caritatis univit glutino, ut cor unum et animam unam eis infunderet in Domino, id est ut in corporalibus perpetua eis esset dilectionis communio, et in spiritualibus indivisa esset caritatis conexio. Quod sua initiatum diligentia, successoris et nepotis sui bonae memoriae Adelberonis supplevit industria. Quia enim Halberstedensis
10 antistes in celebratione missarum sollempnibus diebus utebatur logio, id est rationali[10], quod est indicium doctrinae et veritatis, praerogatum aecclesiae suae ex decreto papae Agapiti, suggessit per epistolam praedictus Adelbero Hilduardo episcopo Halberstedensi, ut quia erant in omnibus unum, communicaret etiam sibi illud unum, quod erat sibi solum. Respondit illi ille[11]: Unum individuum esse, set quia unitatis caritas nihil patiebatur negare, misso simili illud se ei communicare, ea proposita conditione, ut neutri liceret ulterius iam ulli aecclesiae illud transfundere, set hae duae solae sorores uno patre, una matre, una germanitate, uno gaudentes protectore, oculis sponsi se aptarent pudicę et honorifice, et si qua alteri inesset macula aut ruga, alterius tergeretur vel corrigeretur dextera. Expostulabat tamen pro hoc vicem laudandae remunerationis, dari scilicet aecclesiae suae partem vel minimam sanguinis prothomartyris, qui sanguis vera

9) Ex Ruotgeri vita Brunonis c. 43—46. 10) vestis vel ornamentum, ad instar rationalis sive stolae summi sacerdotis Iudaeorum. 11) V. Hildiwardi epistolam ap. Labbeum I. p. 682.

fide creditur pululare in aecclesia urbis Mettensis, et reliquias gloriosae Christi virginis Glodesindis. Unde, sicut per Salomonem dicitur: *Funiculus triplex difficile rumpitur*, [Eccle. 4, 12.] haec ipsa fraternitatis unanimitas usque in praesens inconvulsa utrimque firmissime servatur.

10. *De privato honore Mettensium pontificum.* Felicem matrem aecclesiam tam dulci affectu filiorum! felicem, inquam, Mettensem urbem tam iugi provectu episcoporum! Vix enim huic se praeferre audebunt aliquae Galliarum civitates, quod potiores a Deo acceperint sacerdotes, vel nobilitate clariores, vel sanctitate illustriores; unde et quidam Mettensium pontificum, honorati ultra privatum praesulum modum, plerumque a sede apostolica tale consecuti sunt privilegium, sive ob sanctitatis gratiam, sive ob nobilitatis gloriam, ut salva metropolitani subiectione, archiepiscopi fungerentur officio et honore. Ex quibus primus fuit antiquus ille Urbicius, et multo post tempore Pippini regis ex sorore nepos Crodegandus, et post eum Angelramnus, et alter ab illo Drogo Karoli Magni imperatoris filius; Walo etiam vir magnae in Christo reverentiae pallii usum meruit decreto Iohannis papae; set et Rotbertus post eum archiepiscopi accepit insigne. Set omnes hi singulari suae dignitati, non in commune matris suae aecclesiae consulentes honori, in diebus tantum vitae suae singuli hoc privilegio potuerunt decorari. Hi vero nostri, id est Deodericus et Adelbero, hanc honoris praerogativam thesaurizaverunt non sibi dumtaxat in praesentiarum, set posteris et filiis matris suae in perpetuum; scilicet non temporaliter vel fastuosae eminentiae illius ambitum accipientes, set per hoc se suosque successores ammoneri volentes, ut quanto caeteris apparerent eminentiores, tanto ardentius instantes doctrinae et veritati, attenderent sibi et gregi. Nullus interpretetur sinistrę, quod confirmatum est ab Adelberone, hoc nos nostro Deoderico ascribere; set adtendat in isto exordium causae, in illo effectum causae. His ex parte per prolemsim[a] dictis, coepto accingamur operi.

11. *De immunitate aecclesiasticarum familiarum.* Pastor noster nuncupative bonus, imitatus vestigia illius pastoris qui essentialiter est bonus, non incubabat ovili ut mercennarius, qui fugiens dat locum invadendi oves insidiatoribus, set utrobique assistens suis propugnator indefessus, ab hostium visibilium et invisibilium eos tutabatur incursibus; ut cum princeps pastorum appareret, inmarcessibilem gloriae coronam acciperet. Timebat enim non surdus auditor vocem summi pastoris, iram iudiciumque per Hiezechielem [Ezech. 34, 4 – 6.] pastoribus intentantis his, qui semet ipsos, non Domini gregem, pascunt, qui cum austeritate et potentia eis dominantur, qui fortunae pinguium abutuntur, imbecillitatem exilium aspernantur, qui gregem in dispersionem vel devorationem bestiarum agri neglegentia sua abire patiuntur. Quocirca incessabilis eum cura remordebat, etiam pro laicalibus familiis matris suae sanctae aecclesiae et contra superborum insolentiam vel pravorum iniusticiam iuste et potenter satagebat eas iugiter defensare, ne notaretur prophetica voce: *Canes muti, non valentes latrare.* [Isa. 56, 10.] Nec sufficiebat bonae voluntati eius suffragari eis tantum in praesentiarum, nisi etiam ipsis et posteris eorum consuleret in posterum. Siquidem ne deesset eis contra iniquitatem iudicum auctorale aecclesiasticae libertatis suffragium, leges constitutas illis a prioribus regibus vel pontificibus diligenter exquisivit, exquisitas in praesentia imperatoris recitavit, recitatas edicto imperiali confirmari, scripto insuper et sigilli regalis impressione fecit corroborari.

12. *De Spinal*[11] *castelli vel monasterii constructione.* Hic dominicus agricola non 11 otiose sollicitus pro vinea, quam paterfamilias sibi locaverat, sedulo eam putabat, ligone excolebat, laetamine verbi impinguebat, postremo quicquid usus culturae exigebat, in tempore exibebat; expectans denarium, ex quo cum Domino convenerat. Et quia secundum apostolum, laborantem agricolam de fructibus primum percipere oportebat, [2 Tim. 2, 6.] et quia suppetunt multa sedulitatis eius indicia, non videtur nobis numerandum esse inter postrema, quod in pago Calvomontense, diocesi Tullensi, in villa quae ex accidenti rusticorum lingua Spinal vocatur, castellum exstruxit[b], quod aedificiis et rebus necessariis opime honestavit, propugnaculis satis munivit, armis et armatis sufficienter replevit. Quia enim eadem regio infestabatur inprovisis et continuis incursionibus praedonum et intolerabilibus insidiis latronum, et praecipue calamitosa erat eis vicinitas Burgundionum,

a) *i. e.* prolepsin. b) estruxit *c.*

11) Epinal.

hoc eis opposuit quasi firmissimum repagulum et patriae inexpugnabile firmamentum. Set curam animarum non in secundis habuit. Nam videns locum usibus divini satellitii aptum, ad honorem summi Dei construxit etiam monasterium, delegatis ad sufficientiam praediis et quae expetebat necessitas inibi Deo famulantium. Inspirante etiam magni consilii angelo, corpus sanctissimi Goerici, confessoris Christi et Mettensis episcopi, levatum de aecclesia sancti Symphoriani, quae sita est in suburbio Mettensi, transtulit illuc cum maximo psallentio, cum digno cleri plebisque tripudio, ut advenae et indigenae fidelem protectorem haberent, cuius interventu vota precesque suas auribus Omnipotentis suggererent; et ut locus celebrior haberetur, et ut oppidanis vel indigenis commeatus undecumque suppeditarentur, percussuram monetae ibi fieri et mercatum publicum constituit caelebrari. Etiam hoc decreto et sigillo imperiali sancire non praetermisit. Sic locum illum, ut hodie est cernere, insignivit sollemniter. Unde usque in praesens patriotae illi, praesentia sancti confessoris suffragia experti in oportunitatibus, nomen Dei per eum benedicunt venerantius, et piam provisoris sui Deoderici industriam laudibus attollunt instantius.

13. *De iactis fundamentis basilicae sancti Vincentii.* Succedentibus ergo bonis et
966. gratia Dei cumulante gaudia gaudiis, Otto imperator Italicam secundo repetens regionem, filium suum sibi cognominem, bona indole adolescentiae patriis virtutibus respon-
967. Dec. 25. dentem, iam dudum Aquisgrani unctum in regem, fecit sibi concreari imperatorem, ut delegatis ei secundis imperii partibus, ipse indulgens senectuti, quod supererat aevi ageret tranquillius. Quod gestum anno Domini 968. conicimus, quo etiam anno iacta fundamenta aecclesiae sancti Vincentii, ex maiorum scripto comperimus. Et ne quis verbis meis deroget, ipsa maiorum quamvis paucissima verba hic inserere libet: *Anno*
968. *incarnationis dominicae* 968. *domno Deoderico pontifice sanctam hanc sedem, qua augustalis amplitudine sanguinis, qua animi virtute atque industria singulari in omni genere studiorum egregięque factorum divinę atque humanę, publicę ac privatim, summa ope ac magnificentia feliciter exornante, eo interim Italico delectui sanctissimorum individuo comitatu augustorum, Ottonis eiusque gloriosissimi aequivoci, patriis digne virtutibus respondentis, ad hoc pulcherrimo decore imperii domnae Adeleidae augustae, fere per triennium militante, sumptibus se dignis et copiis tocius huius sanctae fabricae ex novo iacta sunt fundamenta.*

972. 14. *De immunitate loci ab apostolico impetrata.* Providens etiam augustus propa-
April 14. gandae sanguinis sui successioni, desponsavit filio suo Theophanu filiam imperatoris Constantinopolitani, eique Romae nuptias celebravit magnificentia imperiali. Huic delectui et his disponendis rerum gerendarum negotiis venerabilis praesul Deodericus, ut praescripsimus, inter primos praecipuus intererat, qui sicut genere dignitate et gratia nulli cedebat, perinde quia consiliis non futilis auctor erat, ita apud imperatores et domnum apostolicum nulli inferiorem gradum tenebat. Qui quamvis negotiis imperialibus et aecclesiasticis pro omnibus occupatus erat, tamen nocte dieque ad singulare suum desiderium, id est ad constructionem aecclesiae sancti Vincentii, animo recurrebat. Cuius
12 construendae curam commiserat abbati Gorziensi Odilberto[12], viro sibi amicissimo et divina atque humana scientia in omnibus nominatissimo. Ipse interim ut apis[a] prudentissima, pio exercitus labore undeunde congerebat, unde alvearia sua repleret, unde liquentia mella stiparet, unde cellas liquido nectare distenderet, in quibus spem sanctae gentis adultos foetus educaret; et ut ignavum pecus a praesepibus arceret, primo im-
970. munitatem ipsius loci a sedis apostolicae praesule Iohanne impetravit, et locum illum et omnia quae ei contulerat sub apostolicae tuicionis sera commendavit, et clavi insolubilis anathematis ita signavit, ut si cuius callosum pectus obtutaret[b] obstinationis immanitas, ut eum a violentia vel iniusticia sanctae aecclesiae nec ista apostolica refrenaret immunitas, omnis ei in reliquum negaretur impunitas. Ita vir Deo amabilis dum vult esse de suis securior, dum vult videri propositi sui victor, aliquantulum, quod pace eius dixerim, visus est esse severior. Ponamus ergo prae oculis illud apostolicae auctoritatis privilegium, quod sicut est rerum nostrarum munimentum, ita sit etiam verborum nostrorum probamentum.

a) apes *corr.* apis *c.* b) *ita c.* obturaret *L.* 12) Odilbertus nonnisi a. 974. Iohanni abbas successit.

Privilegium. *Iohannes episcopus servus servorum Dei, dilectissimo Deoderico filio nostro sanctae Mettensis aecclesiae praesuli. Cum in exarandis Dei laudibus debita pastoralis compulit sollicitudinis cura, quaeque ad stabilitatem piorum dinoscuntur pertinere locorum ubertim promulgare, et apostolicae institutionis in privilegiis atque decretis censura confirmare: convenit nempe nos apostolico moderamine sancta venerabilia loca, quae dudum fuerant in ruinis magnaque inopia ac paupertate degentia, oportune ordinare, seu ad meliorem sine dubio statum perducere, praesertim ubi illa petuntur, quae non ad commodum temporale, set ad perpetuam providentiam pertinent Deum servientium animarum, scilicet ut venerabilis locus, qui a Deoderico dilectissimo filio nostro in uno conglobatus atque anexus est, cum propriis congregationibus, quae regulariter in psalmis ymnis et orationibus Deo salvatori nostro Iesu Christo pervigiles excubias exibent, ab insolentiis exterioribus circummunitae, iugiter valeant pii famulatus officia in monasterio sancti Vincentii exibere; et quoniam constat tuam religiositatem huius privilegii apostolicam confirmationem postulare a nobis, propter immutationes temporalium rerum variosque hominum casus, munitionem sancti Vincentii Christi martyris cum omnibus ad idem monasterium pertinentibus, atque corroborationem tui tuaeque congregationis et successorum tuorum in perpetuum*[a] *fieri censuimus; quatinus, nunc sicut a te disponuntur, ita in posterum usque in finem conserventur, et ut illa congregatio inconcussa in unum perseverans, sedulas laudes Deo persolvere valeat, et sicuti a Deo eorum studia imbuta sunt, iugiter perseverare liceat, atque sub uno abbate iam praedictus locus constitutus, in honore sancti Vincentii indivisus sit et indivisa congregatio. Nec cuiquam licentia praebeatur, ut refugiens rigorem studiosae sibi regulae, huc illucque vagetur, vel aliis se conferre*[b] *conetur monasteriis; quod a nobis contra regulam sub anathematis vinculo prohibetur. Quapropter statuentes atque promulgantes coram Deo et terribili eius futuro examine per huius nostri privilegii apostolici atque constituti paginam sancimus, et beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus, atque obtestamur tam apostolicae sedis futuros pontifices quamque qui episcopalem amministraverint actionem, vel etiam magna parvaque persona aut quispiam cuiuscumque sit dignitatis praeditus potestate, ea quae a praedicto Deoderico dilecto filio nostro pie venerabili loco tradita atque concessa fuerint, quoquo modo a quoquam licentiam habeant, saepius nominatum locum sancti Vincentii in unum adunatum atque spiritaliter apostolicae exarationis stilo coniuncta disiungere vel aliquid exinde alienare. Et illud monasterium sancti Vincentii respiciens sit ad sedem episcopalem prothomartyris Christi Stephani iubemus, atque abbas in potestate episcopi*[c] *ipsius loci eligendus sit. Si vero episcopus defuerit, liceat abbati in festivis diebus ad sedem episcopalem accedere, ibique cum dalmatica et sandaliis, quas illi mittimus, missas celebrare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quae ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire temptaverit, vel haec, quae a praedicto Theoderico dilecto filio nostro, Mettensium praesule, ad laudem Dei pro stabilitate iam dicti monasterii videlicet sancti Vincentii statuta sunt, refragare, auferre vel alienare praesumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis anathematis vinculo innodatum atque cum Iuda, traditore domini nostri Iesu Christi, aeterni incendii supplicio concremandum. Sic deputatus, nec umquam a praefati anathematis nexibus sit absolutus. At vero qui pio intuitu observator in omnibus extiterit, gratiam benedictionis a misericordissimo domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitae aeternae particeps efficiatur, et haec cathena beati Petri aperiat ei ianuam paradysi. Si vero aliquis episcopus inde aliquid minuere voluerit, haec ut diximus cathena claudat ei polorum regna. Scriptum per manum Stephani notarii et regionarii sanctae Romanae aecclesiae in mense Septembri, et indictione quarta decima. Bene valete.* 970.

Data 3. die Kalend. Octobris, per manum Widonis episcopi et bibliothecarii[d] *sanctae sedis apostolicae, anno pontificatus domni Iohannis summi pontificis et universalis tercii decimi, praesidentis*[e] *in sacratissima sede beati Petri apostoli, quinto, imperii domni Ottonis maioris nono, minoris vero tercio, anno denique ab incarnatione domini nostri Iesu Christi* 970[13]. 13

a) p. f. *manu* 2. *adiecta.* b) *ita corrigo;* aliis reconferre *c.* c) *manu* 2. d) bibliotecharii *c.* e) $\overline{PR}$ *c.*
13) notae temporis omnes congruunt.

Epistola eiusdem antistitis Deoderici de dandis decimis ad aecclesiam eiusdem sancti martyris. *Servorum Christi famulus Deodericus episcopus officio ac nomine, quamvis indignus, cum universa familia sancti Vincentii, christicolis aecclesiarum nostrarum gaudia vitae praesentis et mansura praemia aeternitatis. Pauperibus ac ditioribus vel mediocribus, qui constitutas Deo rerum suarum decimas sine aliqua retractatione reddere secundum suum cuiusque posse satagunt, scilicet de primitiis ovium, de lino et lana, de vino atque annona, sive de quibuscumque rebus hic non praetextis, his innotescimus esse gaudendum, atque illud se divinae gratiae muneris adepturos, quod Paulus apostolus spontaneos* 2. Cor. 9, 7. *bonorum suorum dispensatores diligendos praedicat, dicens: „Hilarem enim datorem diligit Deus." Noverintque se in praesenti vita pro hoc ipso benedictionem copiamque bonorum temporalium adepturos, si tamen in hac benigna perstiterint voluntate, pacisque bono replebuntur, quam angeli, natum Dominum gregum pastoribus nuntiantes, solis bonae voluntatis hominibus assignarunt. Illi autem, qui decimas debitas Deo exsolvere retardantes, maligna obstinationis perfidia defraudare moliuntur, pertimescant iudicium horrendae dampnationis, quod idem apostolus terribiliter his eorumque sequacibus comminatur, neque fures neque rapaces regnum Dei possessuros affirmans.*

15. *De nonis et decimis aecclesiae sancti Vincentii levitae et martyris.* Inspecta hac rerum consequentia et scriptorum convenientia, intueatur quilibet diligentius et attendat, Hor. 2. Ser. 7, 86. qualiter vir iste in se totus teres atque rotundus, quaquaversum sedulitatis suae reliquerit monimenta laudanda in omnibus, et ex veteri et ex novella lege Deo Deique ministris deberi decimas rerum, easque synodali sanctione nuncupari Dei censum, nec simplicibus vel idiotis extat incognitum. Hic ergo, cui erat in votis, ut funes interminabilis hereditatis caderent sibi in praeclaris, in nullo volebat defraudari partes dominicae hereditatis. Quocirca decimas aecclesiarum suae dioceseos, a praedecessoribus suis stipendii vel beneficii loco deputatas personis laicalibus, synodali auctoritate et episcopali censura subtraxit illis, quamvis invitis et reclamantibus, et secundum quod scriptum est: *Qui altario serviunt, de altario vivant* aecclesiarum res aecclesiarum delegavit officialibus, quae Dei Deo, et quae caesaris erant caesari reddere catus. Hinc hodie sanctae Dei gaudent aecclesiae, illae maxime quibus instaurandis animum induxerat, scilicet sancti Vincentii martyris sanctique Goerici confessoris. Et quia hoc illi videbatur commune cum caeteris, cupiebat etiam aliquid supererogare, ut cum verus ille Samaritanus veniret, super duos geminae dilectionis denarios inmarcessibilem gloriae coronam perciperet. Nonas omnium redituum episcopii, quae ad proprietatem dominici iuris pertinebant, et in singulis cortibus mansum unum usibus suis subtraxit, atque aecclesiae pii patroni sui Vincentii superaddidit; et callens a successoribus plerumque alienum fundamentum aut subrui aut neglegi, ne quis successorum suorum hoc liberalitatis suae decretum irritum faceret, interdixit insolubili anathemate, addita imperiali sanctione et apostolicae insuper excommunicationis maledictione.

16. *De aviditate eius in perquirendis reliquiis Sanctorum.* Iste scriba doctus in regno coelorum, in sancta videlicet aecclesia, similis homini patrifamilias proferenti de thesauro suo nova et vetera, perpendens Deum non multum delectari manu factis habitaculis, set potius his quae spiritualiter geruntur in illis; sicut ait egregius praedicator 1. Cor. 3, 16—18. veritatis: *Scitis, fratres, quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis; si quis autem violaverit templum hoc, disperdet illum Dominus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quid enim decor parietum, fulgor metallorum, splendor gemmarum, nitor pretiosarum significat vestium nisi diversarum allegorica ornamenta virtutum. Intellegens, inquam, vir Dei, magis expetendam interioris hominis puritatem, quam perfunctoriam exterioris pulchritudinis venustatem, etiam in hoc sategit opus suum perducere ad unguem. Quod facile quivis vel in hoc solo animadvertere poterit, si consideret, quantum ei de coadunandis sanctorum pignoribus in isto loco studium fuerit, quorum inibi habitantes et ad bene agendum accenderentur exemplis, et[a] si quibus attererentur malis vel periculis, eorum praesentibus defensarentur patrociniis. In hac etiam re vix quisquam digne possit demirari eius praedicabilem vitam; quia cum tantam coelitus meruerit gratiae praerogativam, ut si qui aliquo modo offenderant maie-

a) *vocem supplevi.*

statem imperatoriam, eum solum expeterent interventorem, eum solum quaererent mediatorem ad placandam regiae censurae indignacionem[a], ipse tamen nullam ab eis pro hoc temporalis emolumenti expectaret vicissitudinem[14]. Eas solas undeunde avidissime 14
expetebat divitias, undecumque posset sanctorum contraheret corpora vel reliquias; ea sola non vituperabilis animum eius exedebat cupiditas. Iamiam ergo pagina illa proferatur in medium, ab his qui interfuerunt plenissimę digesta de translatione sanctorum[b]:

Anno dominicae incarnationis 970. *magno et gloriosissimo caesare augusto Ottone cum aequivoco suo admirabilis indolis adolescente filio aeque augusto, simulque magnarum virtutum coniuge Adeleide*[c], *qua nihil umquam iustius, mansuetius, prudentius, nec magis pie quicquam potuit esse, Italiae sceptra pio iustoque moderamine pacifice ac solide usque in fines Calabriae gubernantibus, domnus et venerabilis sanctae Mettensis*[d] *episcopus Deodericus ipsi magnifico imperatori sanguine ac mira dilectione atque consanguinitate*[e] *coniunctus, cuiusque consultu pro mira sapientiae praerogativa cuncta palatina agebantur negotia, in eadem Italica expeditione constitutus, in qua triennium fere militavit, dum divino praecipue cultui*[f] *deditus quaeque ad honorem decorem*[g] *seu munimentum suae sanctae sedis certatim exquireret, atque*[h] *efficaciter votis eius cuncta suppeterent, corporum sanctorum maximam copiam ex diversis Italiae locis divina se gratia adiuvante collectam, digno se cultu atque honore alibi praestantius veneranda, eidem suae sedi sanctae*[i] *Mettensi invehere studuit.*

De[k] sancto Elpidio. *Horum primum, sanctum et venerabilem Christi confessorem Elpidium ex Marsorum provintia sumpsit, concedente Albrico ipsius Marsiae episcopo, ex quadam aecclesia sedi episcopali proxima; quae sedes super lacum Fucinum*[l] *sita quid olim fuerit, ruinae urbis et plurimarum circa aecclesiarum ac monasteriorum frequentia attestatur. Hunc nobis ipse episcopus caeterique incolae retulerunt fuisse ex coetu*[m] *quorundam servorum Dei, qui tempore antiquiore ex partibus Graeciae, numero septuaginta, in eandem Marsorum provintiam adventantes, ac diversis circumquaque locis vel civitatibus*[n] *venerabilium signorum lumine refulgentes*[o], *ubicumque in sancta conversatione finis vitae advenerat, venerabili sepultura reconditi, multa vicinorum longe lateque reverentia pro assidua miraculorum iocunditate coluntur. Horum tres, quorum hic tercius fuit, in eodem cimiterio quiescebant, Calistratus, Euticius et hic Elpidius. Porro Euticium imperator Otto*[p] *sustulerat. Et ne qua in accipiendo posset adhiberi fallatia, sepulchro intacto satisque munito, nec a die repositionis ulla violationis signa monstrante, priusquam ab aliquo incolentium praesciretur, episcopo tantum Albrico et paucis eius clericis assistentibus, presbyter noster Teudo*[q] *cum presbytero imperatoris Heriwardo archam sancti, quod nisi altari desuper effracto nequiverant, aperiunt, ipsique per se*[r] *sacra ossa miri candoris nec minus fragrantis*[s] *odoris, omnia numero ac quantitate integra, excipiunt scrinioque recondunt. Huius diem* 16. *Kal. Octobris celebrem habemus.*

De sanctis Eutice, Victorino et Marone. *Venientes proxime abhinc in territorium Amiterninae*[15] *urbis, quae et ipsa ruinas tantum ostendit, ab eodem Albrico episcopo de* 15
monasterio suae ditionis Reate subiecto pretiosum[t] *martyrem Euticen accepit. Cuius beati socii Victorini iam anno superiore reliquias emeruerat, simul*[u] *et partem sancti Maronis pariter passi. Quorum et loca passionis aspeximus, et*[v] *aquas Cotilas foedo odore spirantes, in quibus verso capite suspensus fuerat martyr. Passionem denique eorum scripta retinent sanctorum Nerei et Achillei. Hunc ipse domnus venerabilis*[w] *Deodericus ibidem assistens, ex ipsa archa marmore fortiter munita, mira cum exultatione ac veneratione excepit, octavo Kal. Octobr. Hos duos Adelardus*[x] *filius Gerardi in patriam asportavit.*

De sancto Feliciano episcopo et martyre. *Fulinias castrum*[16] *non procul a Spoleto* 16
Felicianus, magno undecumque concursu hominum affluente, corpore sacro tuebatur; eum[y] *Benedictus eiusdem Fuliginiensis*[z] *episcopus multo cum fletu largitus*[*], *per Bertraum diaconum et Heriwardum presbyterum* 4. *Nonarum Octobris ex ipso intimo antro sustollitur. Passio eius descripta est.*

a) ad p. r. c. i. *manu* 2. b) *In* 3. *ubi haec historia f.* 36—41. *exstat, hanc inscriptionem praefert:* Inuentio sanctorum a domno Deoderico pontifice repertorum. *Incipit:* Anno inc. dom. c) adelheide 3. d) mettis 3. e) familiaritate 3. f. cultu 3. g) decoremque 3. h) et 3. i) sancte sedi metensi 3. k) *Hae inscriptiones semper desunt* 3. l) *ita* 3.; sticinum *c.* m) collegio 3. n) c. universis mirabilium s. 3. o) fulgentes 3. p) *deest* 3. q) leudo *c. v. infra.* r) *deest* 3. s) flagrantis *c.* 3. t) preciosissimum 3. u) simulque et 3. v) et ipsas a. 3. w) v. d. 3. x) adhelardus 3. y) cum *c.* z) fuliniensis 3. *) *scilicet* l. est et per.

14) Vide contra Thietmarum III. 9. 15) Amiterno. 16) Foligno.

De sancto Asclepiotate martyre. *In saltu*[a] *qui Collis dicitur, qui Perusio adiacet civitati, ubi tunc imperator autumnali exercebatur venatu, monasterium erat antiquissimum super fluvium Tyberim, qui ibi mediocri vado praeterfluens, sui exinde usque ad urbem Romam pelagi profunditate augetur. Hoc pulcro quondam opere marmoreoque ornatu, ut videri dabatur, extructum, set tunc vetustate collapsum, martyris egregii Asclepiotati membra venerabiliter humata tenebat. Cuius tumbam, forti nimis saxorum ac terrae congerie obclusam, dum cum magna tandem difficultate Teudo*[b]*, Bertraus et*[c] *Rotardus et Heriwardus*[d] *penetratam, marmore sancto corpori*[d*] *proximiore nudassent, inveniunt monumentum imo usque profundum*[e] *dimisssum, et per medium a capite usque ad pedes quodam limite ex ipso naturaliter saxo quasi divisum. Quod tamen diligentius inspectum, unum continuumque constabat. Beati vero corporis medium hinc, medium illinc, membris altrinsecus unum contra alterum oppositis, excepto capite solo, quod in unam integrum*[e*] *partem iacebat diligentissime collocatum. Hoc aedituus et reliqui dixerunt, inditio voluisse antiquitatem*[f] *signare, quod et ipsi vere asseverabant, eundem martyrem crudeli genere passionis medio corpore vivum exsectum, eique attestandae*[f*] *ita in monumento dividuo positum. Hunc pariter digno, ut par fuerat, honore sublatum, 7. Iduum*[g] *Octobris venerabilis pontifex suscepit. Diem natalis eius*[h] *ab incolis 9. Kal. Novembris didicimus. Nam gesta eius minime ab episcopo de Sisa*[17]*, ad quem locus pertinebat, quivimus extorquere.*

De sancta Serena et Gregorio Spoletino. *Sanctissima virgo Serena apud Spoletum in monasterio sancti Savini martyris foris muros urbis, ubi et pluribus miraculis choruscabat, quieverat; ad quam pene cottidie magnus populorum veniebat concursus, ita ut noctes quoque pervigiles turbae cum lucernis caeterisque donariis ibi peragerent. Hanc quoque cum integris toto corpore ossibus, misso illuc Rothardo diacono cum aliis sibi fidelibus viris, venerabilis pontifex est adeptus. Reliquias quoque beati martyris Gregorii Spoletini ibidem obtinuit. Cuius passio scripta est. Beatae Serenae, praeter quod in passione sancti Savini repperimus eam ipsum beatum martyrem tumulasse, nihil plus gestorum perquirere potuimus. Quae tamen tam assiduis se virtutum commendat insignibus, ut viva harum lectione oculis obiecta, gestorum attestatione, quid fuerit in vita, non egeat. Dies eius 10. Kal. Decembris, eodem quo et sancti Savini martyris, celebratur.*

De catena sancti Petri apostoli. *Inter haec Romam misso praedicto diacono Rothardo, dono domni papae Iohannis, qui tercius decimus in eo nomine erat, partem non modicam catenae beati Petri, in basilica quae dicitur ad Vincula*[18]*, eandem*[i] *portionem execante, promeruit. Cum ea quoque privilegium monasterii sancti Vincentii cum dalmatica et sandaliis*[k] *abbati eiusdem loci apostolica praerogativa concessis idem domnus papa direxit. Haec omnia Adelbertus clericus cum Conone comite transtulit.*

Qualiter autem occasio tam memorabilis donationis contigit, inserere lectioni non piguit. Quadam namque die dum Otto imperator Romae esset, accidit, ut quendam comitem eius valde familiarem diabolus invaderet, et ante cunctorum oculos se ipsum miserabiliter, qui tenebatur, decerperet. Quod rex ut audivit, admodum moestus huic solo remedio incubuit, quatinus domno Iohanni papae eo tempore apostolatu insignito duceretur; nam tunc forte imperator civili cura paulisper remotior tenebatur. Factum est autem, ut praesens adfuit demoniacus, Romani clerici, sicut semper mos illis est simplices quosque deludere de requisitione catenae, quandam ferri catenae partem offerunt furenti circumligandam. Non minus prohibente apostolico, ne luderetur domnus imperator, praebent aliam; donec tercia illusione domnus papa motus animo, veram sancti Petri iussit deferri cathenam. Ad hoc autem spectaculum a rege missi, inter caeteros venerabiles viros Mettensis praesul Deodericus et praedictus Rothardus erant praesentes, exitum rei praestolantes. Quae ubi contigit collum demoniaci, mox invasor spumans et multum clamans abcessit. Quod ut vidit domnus Deodericus Mettensis, arripuit cathenam, manuque involvit, dicens, nullo modo nisi manu abscisa dimittendam. Huic litigio accurrit domnus imperator, et quis tantus tumultus esset inhianter investigare coepit. Cui cum indicatum esset, et prioribus verbis episcopus responderet,

a) sancto 1. b) theudo 3. c) *deest* 3. d) et H. *desunt* 3. d*) corpore *c.* e) profundum *corr.* profundo 3. e*) integram 3. f) antiquitate *c.* f*) attestante *c.* g) Kalend. 3. h) *manu* 2. i) eadem *c.* k) scandaliis 3.

17) Assisi? 18) S. Pietro in vincoli.

conversus rex etiam ipse coepit petitor existere, et ut id fieret vehementer exposcere. Quod et papa libentissime annuit, licet plurimus ordo aecclesiae Romanae graviter reluctaverit, et serra deportata custos abscidit. Quam partem, interveniente causa alius[a] negotii, papae, quoniam carissimus amor erat inter utrosque, recommendavit. Set postea misso Rothardo diacono, eam ab aecclesia quae dicitur ad Vincula, ubi hoc factum fuerat, domno papa concedente, asportavit. Praeterea infirmantibus salubris provenit, si quis cum fide apud Sanctum Vincentium, ubi reposita veneratur a populis, eam tangere meruerit.

De sancto Vincentio levita. *Beatum martyrem[b] et levitam Vincentium in civitate quadam antiquissima, quae ad solum usque iam longo tempore diruta fuerat, Corduno nomine[19],* 19 *quae ab Arethio[c] duodecim milibus distat, ex monasterio proximo satis pulchro ornatu, quod multa itidem frequentia venerabatur, Bertraus diaconus, comitante secum quodam clerico episcopi Arietini, cui[d] nomen Crisulfus, indice loci, cum magna licet difficultate, vitae quoque non minimo periculo, transtulit[e]. Hunc ex Hispania in Italiam[f] deportatum firmiter asseruerunt. Cuius modum translationis postea, domno praesule Beneventum veniente, dum nurui imperatoriae a Graecia venienti obviam missus esset, plenius cognovimus. Iuxta Capuam siquidem monasterium iam pene dirutum nomine sancti Vincentii[20] reperimus, quod* 20 *grandi et miro opere quondam a fratribus tribus nobilibus constructum, veterani[g] qui ibi tunc pauci visebantur monachi dixerunt, et corpus sancti Vincentii postea a duobus monachis ex Hispania ibi clam deportatum, atque deinceps multis temporibus maxima veneratione habitum, donec a paganis eodem monasterio vastato, corpus sanctum inde sublatum et ad praedictam Cordunensem civitatem esse translatum. Tunc etiam episcopus Ariethinus[h] non modicam portionem sanguinis beatissimi prothomartyris Stephani in vase cristallino optime auro gemmisque composito, et de sanguine Innocentum in alia pixide, et de capillis sancti Petri, breviculis per singula appositis, quamvis invitus et summo in discrimine apud imperatorem sui suarumque rerum positus, dedit; et quia redemptionis suae facultas eum angustabat, precatorem suum[i] nostrum venerabilem praesulem per hoc et per corpus sancti Vincentii paravit, atque sic in gratiam imperatoris, eo interveniente, vix rediit. De hoc ipso beato martyre plures Italorum episcopi iam ante saepe temptaverant ut id adquirere possent; in quibus Ambrosius Bergamensis, pro eo quod sedes episcopatus sui in honore sancti Vincentii esset, et ante breve tempus, cum quibus potuerat, diem quo eum excepturus esset statuerat. Set Domino ordinante, ut in crastinum ille condixerat, nocte praecedenti a nostris praeoccupatum est. Hoc clerici de monte Romarici[21] tulerunt.* 21

De sanctis Proto et Iacinto. *In Sabinis regione non procul ab urbe Roma miliario fere quadragesimo[k] sancti martyres Protus et Iacintus erant reconditi aliquanto neglegentiori custodia. Hos abbas quidam de monasterio sanctae Mariae quod dicitur Farfara[22], venerabili pontifici nostro, dum de causa sua eum apud imperatorem sibi fieri intercessorem rogaret, quia nullo tantum munere eum cognoverat delectari, partem primo obtulit; set postea mira instantia domni praesulis, quicquid inde reperire potuit, adiecit; ipse cum suis monachis dans super sancta euangelia sacramentum, vere ea ossa sanctorum Proti et Iacinti existere. Hoc post natale Domini, dum Roma reverteremur, in vicinio Hortae civitatis[23] est actum.*

De sanctis Digna et Emerita[l]. *Set Romae nobis tunc constitutis, munere domni papae Iohannis pignera sanctarum Dignae et Emeritae, quarum corpora in porticu aecclesiae beati Marcelli martyris sunt recondita, quae est ante sanctos apostolos, simul et alias sigillatim[m] repositas, cum propriis annotationibus, diversorum sanctorum reliquias accepit; in quibus et sandalium[n] sancti Stephani. Haec omnia per Willardum monachum Mauri monasterii[24] missa sunt.* 24

De sancto Vincentio episcopo. *Alterum sanctum Vincentium episcopum ex monasterio quodam in comitatu Urbini a Ravenna miliario fere quinquagesimo, iuxta Petram pertusam[25], ab abbate rebus necessariis nimis attrito, quia aliud quod daret pro relevatione[o] loci*

a) *ita L.* aliis *c.* b) m. magnum et l. 3. c) aretio 3. d) ei 3. e) sustulit 3. f) italia *c.* g) veteratini 3. h) aretinus 3. *et supra.* i) sui 3. k) XLmo *c.* 3. l) Emerentia? m) singillatim 3. n) scandalium 3. o) *ita scribo;* reuelatione *c.* 3.

19) Cortona. 20) ad Vulturnum. 21) Remiremont. 22) Farfa. 23) Orta. 24) Maurmünster in Alsatia. 25) ad Metaurum flumen, a meridie Urbini.

non habuerat, partem primo offerente, set Bertrao illuc misso, multaque arte[a] *strenue agente percepit. Huius passionem descripsimus. Hic per Immonem comitem missus est.*

De sanctis Leontio et Carpoforo. *Civitas Vincentia est non*[b] *longe a Venetia, ad quam olim Langobardi, dum Italiam invaderent, primam urbium venisse dicuntur. In ea martyr Leontius monasterio celebri venerabatur. Huius episcopus loci reliquias nostro reverentissimo praesuli, si pro causa sua imperatoriam interpellasset maiestatem, repromisit. Mox misso illuc Rothardo diacono, cum episcopus nimium se fecisset difficilem in dando, praeter quod dumtaxat promiserat, tandem continua*[c] *exigentis victus instantia, praeter pauca sibi pignera retenta, reliquum corporis totum largitus est. Hunc et*[d] *beatum Carpoforum Romae passos, ab eadem civitate non longa ante tempora translatos, incolae asseverabant; ubi et nobile quondam monasterium sancti Felicis visebatur, ubi et primo reconditi ferebantur. Set eo ab Ungris, qui pene locorum ipsorum vicini sunt, exusto, atque assidua incursione eorum reparationem prohibente, ad sedem episcopalem infra urbem sub altare depositi sunt*[e]. *Unde et praefatus Rothardus diaconus sanctum quidem Leontium totum, sancti vero Carpofori reliquias non modicas ab ipso quo claudebantur sumpsit, altari effracto, sepulchro. Passionem eorum incendio deperisse dixerunt. Natalis eorum 13. Kal. Augusti celebratur. Teudo detulit eos.*

De sancta Lucia virgine et martyre. *Magna et universalis aecclesiae celebritate memorabilis virgo et martyr Lucia Siracusana, quo ordine ad nostri religiosissimi*[f] *praesulis avidissimam devotionem pervenerit, Wigericus presbyter noster, tunc cantoris nunc custodis beati Stephani officium gerens, qui ea sacra ossa manibus ab ipsa, qua non levi munimine artabatur, extulit urna, quem satis tutae fidei constat, quibit exponere. Ea in Corfinio*[g], *quae vetus olim civitas fuerat, nunc tota diruta, quiescebat. Ad quem locum eam de Sicilia fuisse translatam a Faroaldo quodam, duce Spoletino, vere nobis assertum est. Hanc ipsam Syracusanam esse, de qua responsoria et antiphonae generaliter cum missa ubique canuntur, ipse*[h] *episcopus loci manu sua sancto euangelio apposita confirmavit.*

De craticula sancti Laurentii. *Cum iam Roma, regiis nubciis*[i] *ibi ingenti gloria peractis, reditum in patriam disponeremus, ultimo beneficio eoque pluribus copiosiore venerabilem praesulem domnus papa de quatuor portionibus craticulae sancti Laurentii locupletissime cumulavit. Eas Wigericus cum Iohanne monacho ab ipsa sacra crate extuderunt. Haec vero fuerunt capita virgarum, quae per transversum iacuerant costis exterioribus infixa. Nam virgae omnes, quae sex in ea fuerant, iam inde a diversis apostolicis a vetusto tempore quibusque regibus erant dono collatae, e*[k] *quibus una, quae adhuc ante paucos annos supererat, magno imperatori Ottoni ab Octaviano concessa est. Hae dum extunderentur*[l], *costas propius, intrinsecus capita, quae infra fortiter tenebantur, remanserant. Quae tamen, ferro apposito manu percusso, licet laborioso conamine, sunt discussa.*

Hanc quidem de translatione sanctorum a maioribus accepimus relationem. Cur vero sancti Fortunati Tudertinae urbis episcopi, de quo Gregorius in dialogo suo memorabilem indidit narrationem, nec.ion et Miniatis martyris, nullam fecerunt mentionem, non parvam animis nostris ingerunt commotionem. Et horum quippe corpora ab Italia ad nos ab eo translata, fide vera credimus. Miniatem vero cum Proto et Iacinto et Vincentio episcopo ad nos delatum, 6. Nonas Iulii legimus. Fidentii etiam et Terentii reliquias cum Vincentio martyre et levita, Feliciano, Euticę, Elpidio, Asclepiotate et cathena sancti Petri, 18. Kal. Maii nobis ab eo missas, ipsa rei indicat veritas. Horum et passiones descripsit et diem passionis vel depositionis annotavit; Fortunati scilicet 3. Kal. Iulii, Miniatis 8. Kal. Novembris, illorum vero 5. Kalendas Octobris. Pignera quoque Quintiani presbyteri et martyris de Altro[25] Campaniae civitate, et Florentii martyris de Tile castro[26] sedulus sanctorum amator transtulit, gesta tamen passionis non attulit, diem tantum passionis retulit; Quintiani 3. Nonas Iulii, alterius 6. Kal. Novembris.

17. *De laude urbis*[m] *Mettensis.* Gratias tibi sancta et individua Trinitas, quae inaestimabiles pietatis tuae ubique terrarum diffundens divitias, incomparabiles huic urbi copiosissime praeparasti delitias. Singulae civitates gaudent singulariter de collatis sibi

a) *ita* 3. arce *c.* b) ne *c.* c) contigua *c.* d) *ita* 3. *deest c.* e) *deest* 3. f) reliogiossimi *c.* g) confinio 3. h) ipseque 3. i) *manu* 2. k) *ita* 3. est *c.* l) extuderentur 3. m) VBIS *c.*

25) Alatri. 26) Thiel ad Mosam.

divinitus salutis suae provisoribus, et quorum gloriosis se meminerunt illustratos confessionibus, eorum piis se credunt adiuvandos intercessionibus. Aliquas etiam martyrum gloriosa victoria exornat, set vox sanguinis eorum ibi pro testimonio veritatis effusi adhuc de terra ad Deum clamat, vindictam expostulat, et divini responsi promissione suspensi, fratrum suorum impleri numerum expectat. Excepit et haec civitas missos ad se prophetas, sapientes et scribas, et cito cognoscens tempus suae visitationis, et avide amplexa lumen novi splendoris, depulit a se tenebras inveterati erroris; et cum nullus iustus sanguis super eam venturus sit, quippe quae nullius sanguini aliquando se vel filios suos devoverit: gloriosos tamen martyres praesentes habet, quibus se vel filios suos commendet. Cum nullius, inquam, sanguis a generatione ista requiratur, sanctorum martyrum corpora vel reliquias se reverenter servare gloriatur. Idcirco sanctam Mettensem aecclesiam dixerim vere felicem, quae sortita a Deo fidei arrabonem, gaudet sibi per fideles dispensatores centuplicari spiritualis dotis suae quantitatem. Proinde laetare fausta Mediomatricorum civitas! Etiam atque etiam meditare, quid tali viro, Deodericum dico, debeas, cuius pio studio tot sanctorum, praeter indigenarum patrocinia, suscepisti reliquias, et praeter nativae ubertatis, qua singulariter affluis, copias, ab eo augmentata, caput extulisti inter urbes alias. Ipsa quoque nominis tui, id est Mediomatricis, ethimologia non dissidet a tuae felicitatis gratia. Sicut enim matrix puerum amplectitur et fovet in matris utero, sic tu sita in meditullio, circumpositas regiones sustentans, mercimonio nativo vel advecto[a], eas quodammodo foves sinu materno. Porro quod Mettis vocaris, vulgo fertur te dominatam a Romanorum duce Metio Suffecto. Unde quidam[26] ait:

Alter at in sceptris austrum Sigibertus agebat,
Suffectus dederat nomen cui Metius urbe.

Tradunt alii hoc disticon repertum in effossis terra lapidibus sic insculptum:

Tempore quo Caesar sua Gallis intulit arma,
Tunc Mediomatricam superavit Metius urbem.

Nec sine quodam praesagio tibi accidisse credas, quod praeter haec usitata vocabula te Dividunum tradit vocitatam antiquitas. Gallica enim lingua montem vocari dunum, studiosis non est incognitum. Quidam de neutericis interpretatus, cur Hedua urbs vocetur Augustidunum, inter caetera sic ait:

Celtica Roma dehinc voluit cepitque vocari,
Augustidunum demum concepta vocari,
Augusti montem quod transfert Celtica lingua.

Sicut ergo Augustidunum Augusti-mons, sicut Viridunum Virorum-dunum nominatum est, ita Dividunum quasi Divorum-dunum vocabulum aucupata es; non solum propter emeritam incolarum gratiam, quos hoc nomine dignabatur gentilium supersticio, set etiam quia, ut diximus, tot sanctorum hospes futura quodam praesagiebaris oraculo. Nec abhorret a rectitudine fidei, divorum nomine sanctos signari, cum multa scriptura et imprimis Deus deorum in euangelio protestetur, eos ad quos sermo Dei factus est Deos vocari.

Nos controversiam de nomine aliis relinquamus; verum quia saepe medium urbis iter terimus, ingrati esse poterimus, si eam insalutatam relinquimus, ideoque parumper in eius libeat immorari laudibus.

Praecluis urbs salve, tellus praenobilis ave,
Urbs populosa nimis, tellus praefertilis agris.
Mel et lac manans, cum vino panis habundans,
Mercibus exundans, auro gemmisque redundans.
Cędit Pactolus fulvus, praedulcis Hymetus,
Et Latialis humus, Triquetra, vel Affrica[27] tellus. 27
Si circumspiciam, nil non laudabile cernam.
Laudo minas muri quadris exaedificati,
Non facilis solvi, non expugnabilis hosti.
Nam clivus murum, tutantur flumina clivum.

a) advectio c. 26) fortasse ipse Sigebertus (an in vita metrica Sigeberti III.?) 27) Italia, Sicilia, Africa.

Tutum sic extra, munit vis aggeris intra;
Qua natura labat, vires manus arsque ministrat.
Mensurans latum, stupeas succrescere longum.
Suspiciens turres, Babylonis suspicor arces.
28 Has aries, testudo, falarica[28], vinea, falces
Numquam vel frustra quatient, nec edet mala flamma.
Cumque domos cerno, Romana palatia credo.
Cumque peto teatrum, puto Dedaleum laberinthum.
Sique situs formam spectes, quid pulchrius usquam?
Iuxta naturam metata suam posituram,
Pulcra placet visu, naturae pulchrior usu.
Colle sedens modico, gemino munita fluento;
Flumina dant murmur, dant propugnacula robur.
Quatuor, ecce, plagas per quatuor aspice portas;
Scilicet anatolen, disin, mesenbrian, arcton.
Qui videt aecclesias, coelestes aestimat aulas.
Cum peto primatem Stephani prothomartyris aedem,
Et video clerum, videor mihi scandere coelum,
Coelestesque choros modulari dulciter ymnos.
Et tibi, Salvator, nova moenia surgere grator,
Quae patriae columen, vitae spectabile culmen,
Struxit Adelbero pius, omne suo decus aevo.
Virginis agnus, ovis, et sponsus virginitatis,
Virgineos thalamos in trino nomine trinos
Collocat in mediis huius sibi moenibus urbis.
Mater virgo Dei fit sedula pronuba nati,
Claviger aethereus fit et ipse Dei paranimphus,
Virgineo sponsi thalamo dignata superni
Virgo Glodesindis canit epithalamia regis,
29 Agna minans[29] agnas ad ovile salutis agendas.
Urbis praeterea magnae pomoeria longa
Tutatur Felix, actis et nomine felix,
Cum Clemente pio, Mettensi praesule primo.
Cum quibus alme vices partiris Symphoriane.
Iohannes alis sublatus virginitatis,
Arnulfum gremio sanctum complexus amico,
Inter eos medius stat clarus ab urbe videri,
Atque volans alto post se trahit agmen ab imo.
Insula, Vincenti, tibi cessit munere Christi;
Eminet alta tibi domus hic studio Deoderici.
Set nec Martini custodia defuit urbi
Longius astantis, set de prope cuncta tuentis.
Dedecet hic breviter te dicere, Gorzia mater.
Miror aquae ductus sex milibus isse[a] per arcus;
Invisit matrem cum filia Gorzia Mettim;
Non alti montes, non imae denique valles,
Intercurrentis non impetus ipse Mosellae
Praepediere viam; quid vidi operosius umquam?
Ars mittebat aquas, quas tu natura negabas,
Donec sola vias rupit longaeva vetustas.
Laudem structurae retinent hodieque ruinae.
Plurima praetereo; quae sunt longinqua, relinquo.
Quis describat aquas? quis fontes, quisve salinas?
Num sileam Saliam? Moneor memorare Mosellam;

a) esse 1. 28) arcus grandis. 29) minare est ducere, gallice *mener*.

Fontibus a variis regionibus atque remotis
Longos per tractus tibi currunt edere fructus,
Amplexaeque tuos alterno littore muros,
Et tandem iunctis miscentes oscula labris,
Dant decus et fructum, praestant munimen et usum.
Usus alit ventrem, species mentem, sonus aurem.
Quaenam tam suavem modulentur hydraulia vocem?
Circumfer visum, quantum concedit orizon;
Nil non iocundum, nil aspicies nisi gratum.
Quis quit mirari montem, qui pluribus urbi
Imminet? Est oculis gratissimus, ubere pinguis;
Hunc natura suo lactavit ab ubere pleno.
Montibus est raris naturae gratia talis.
Assurgunt omnes acclivi vertice montes.
Vite vides colles redimitos, mergite valles.
Prata virent, silvae frondescunt, fluctuat ager[30]. 30
Pascua si quaeres, campos spatiare per omnes.
Quam varie recinunt volucres, examina ludunt;
Coeli temperiem rarus sentit meliorem.
Quem non tantarum delectet gratia rerum?
Ipsos ruricolas pascit tam grata voluptas,
Dumque fides ruris votis respondet avaris,
Exosi requiem solantur amore laborem.
Vites iste putat, alter fodit, ille maritat,
Umbrat et hic fontes, hic conserit arbore montes,
Deviat hic rivos, hic ditat semine campos;
Hamis piscor ego, tu vimine, retibus ille.
Quisnam tantarum replicet spectacula rerum?
Esset ad haec mutus et Homerus, et alter Homerus[31].
Multae sunt urbes fortunae munere dites,
Te pleno cornu naturae copia ditat.
Praeter fortunae merces, quas praestat abunde,
Urbes vicinae tibi cedunt matris honore,
Vangiones, Leuci, Virdunum, Leggia[32], Remi, 32
Treveris et mater assurgere gaudet amanter;
Te salvet semper regnans super omnia semper.

18. *De dedicatione duarum ararum.* Fervente igitur studio coeptae fabricae et a 972. longo postliminio sanctae memoriae praesule, Christo propitio, reduce, arae duae in eadem aecclesia sibi contiguae dedicatae sunt, praesentibus et cooperantibus reverentissimis Wigfrido Virdunensi, Gerhardo Tullensi pontificibus, anno 972; haec quidem in magnae et toti[a] orbi vulgatae martyris sanctae Luciae Syracusanae, illa autem in sanctorum aeque mundo pervagatorum Proti et Iacinti martyrum praesentia et honore. Quorum corpora sacrosancta vera, utut fides Christi est, et non alia, ope ipsorum augustorum et domni tunc temporis papae Iohannis auctoritate in ipsis partibus Italiae adeptus, cum aliis pluribus sanctorum martyrum corporibus huc felici omine Domino transtulit auspicante. Et sunt ipsae[33] dedicationis kalendae 8. Iduum Augusti, anno ponti- 33 ficatus eius nono.

19. *De morte Everardi fratruelis sui.* Set quia varia rerum mutatio non patitur 978. esse diutinam laeticiam umbratilis prosperitatis, ei tam dedolenti non multo post renovatum est vulnus acerbi doloris. Erat nempe ei fratruelis, dulcedo sui animi et imago pietatis; Everardus erat nomen illi; quem ipso paterno affectu educandum ab ipsis susceperat cunabulis, ad propagandam spem suae posteritatis, ad dilatandam gloriam suae nobilitatis. Heu incerta spes futurorum! Heu male fida sors rerum humanarum! Vix de infantia in pueritiam repserat, vix avitam bonae indolis gratiam ostentare inci-

a) toto *c.* 30) spicis vento agitatis. LEIB. 31) Virgilius. 32) Lüttich. 33) id est solennes dies. L.

978. piebat, vix quantum instar in illo futurum esse apparebat, et ecce ceu primo vere tenellus flosculus subito venti turbine dilapsus, sic iste, ó dolor! immatura morte mundo praereptus, non mediocrem luctum infudit omnibus. Cui patruus, ad miseri solatia luctus, exequias non tam funebres quam celebres edidit, et corpus cum honore decenti ad monasterium sancti Vincentii deferri fecit, et ante altare Christi virginis Luciae tumulavit. Utque pro innocentis vitae puritate perciperet aurea praemia perhennitatis, contulit eidem loco pro salute animae eius calicem aureum maximi ponderis et mirifici operis, suam ipsiusque memoriam in eodem opere his intexens litterulis: *Deodericus huius divae aedis constructor ac curator*[a], *Everardi, vita iuxta cari, pro anima.* Et cuius nomen in albo vitae credebat aureis insertum[b] literis, huius tumulo epitaphium superaddidit, aureis in hunc modum exaratum titulis:

Anno dominicae incarnationis 978. *Deodericus humilis praesul*[b*], *ab ipsis parietinis huius loci constructor, pio studio Everardum fratruelem sibi, quoad vivere datum est unicum amorem, orthodoxis regiique sanguinis parentibus clarum, ipsosque egregia indole puerilis gratiae repromittentem, ac semet genti patriaeque suae in spem maximam ab ipsis cunis dulci affectu educatum, inmatura falce mortis vixdum decennem abscisum, luctu plebis patrumque inmodico carum pignus silici sub humana sorte*[c] 4. *Non. Septembris mandavit.*

Item epitaphium.

Non est dampnosa mors iusti, set preciosa,
Ante Dei faciem semper habendo diem.
Ipse dies plenus, lucenti sole serenus,
Est sine nocte dies et sine fine quies.
Hac requie laetus, lucisque levamine fretus,
Evrardus maneat, cernere quo valeat
Regem regnantem, regnantum regna regentem,
Christum, quem coluit, vivere dum potuit.
Is puer insignis viventem flore decennis
Ornans mundicia quaeque sui studia,
Transiit e mundo Septembris sole secundo.
Lector dic tandem: Pace quiescat! amen.

Item epitaphium eiusdem comitis Everardi.

Clauditur hac tumba pridem sine felle columba,
Infans Evrardus, nobilis atque pius,
Sanguine magnifici generosus Deoderici
Praesulis, ex cuius fratre fuit genitus.
Crastina Septembris lux his fuit ultima membris.
Christe[d] *tuam requiem da sibi teque diem!*

20. *De iterata immunitate aecclesiae sancti Vincentii.* Otto imperator sedatis cunctis
980. motibus per Galliam, Italiam versus arripuit viam. Nec aberat a latere ipsius conscius omnium consiliorum et particeps omnium negotiorum, episcoporum honor, Deodericus episcopus, quem utriusque dignitatis reverentia maiorem aut aequalem reddebat omnibus. Set nulla terrarum longinquitas eum tam longe disparabat, nulla viarum prolixitas adeo gravabat, nulla occupationum multiplicitas eum in tantum angebat, quin iugiter bene et honeste consummando coenobio sancti Vincentii animum suum praesentaret, et ut nulla alia cura acrior hac ipsum sollicitaret. Quapropter ei ad bonum semper intento non sufficiebat, quod locum illum et omnia illi delegata auctoritate et benedictione Iohannis papae olim firmiter et legaliter munierat, set adhuc obviam ire iniusticiae pra-
981. vorum, bona aliorum perperam usurpantium, omnimodis insistebat. Unde modo adductus loci et temporis oportunitate, illud ipsum privilegium olim scriptum et signatum a papa Iohanne operae pretium duxit iterandum, Benedicti eo tempore apostolicas vices agen-

a) *codex non hic sed post* constructor *distinguit.* b) i. l. h. t. e. s. a. *manu* 2. *addita.* b*) p. pio ab *c.*
c) *ita L.* sorto *c.* d) Criste *c.*

tis auctoritate scriptum per manum Bonigonis notarii atque regionarii sanctae Romanae aecclesiae, in mense Aprili, indictione octava[34]. 34

21. *De roborata immunitate actorum eius.* Ita Domini servus fidelis et prudens ante et retro oculatus, ne aliquo tempore fascinatio nugacitatis obscuraret bona illius, praesago futurorum spiritu ducebatur, ut quamdiu vita et oportunitas patiebatur, apostolico et imperiali suffragio domesticos fidei tutaretur, ad quos maxime bonum pro remedio animae suae operabatur. Nec solam quaesivit immunitatem huius loci, set et alia acta sua volens in perpetuum rata fieri, non distulit ea legali scripto confirmare, 983. edicto imperiali corroborare et anuli eius impressione consignare. Non pigeat igitur ipsam hinc inserere cartam, operum pontificis nostri et verborum nostrorum testem idoneam.

Decretum Ottonis secundi[a]. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis Otto divina favente clementia imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet atque futurorum, pateat industriae, quomodo fidelis noster Deodericus Mettensis aecclesiae venerabilis episcopus a nostra celsitudine suppliciter petiit, ut monasterium sancti Vincentii foras muros civitatis suae, Metis vocatae*[b]*, constructum, quod ipse cum licentia et consensu beatae memoriae genitoris nostri, Ottonis videlicet augustissimi imperatoris, primum aedificare coepit, et mercatum, quem nostro licitu in loco qui Spinal dicitur primus elevavit, imperiali nostrae praeceptionis donatione et potentia confirmaremus, et ut familiis aecclesiae sancti Stephani prothomartyris Christi, cui ipse praesidet, legem a praedecessoribus nostris, regibus scilicet et imperatoribus, illis concessam, auctoritate nostrae donationis noviter eis concederemus atque confortaremus. Cuius peticionem pro divino amore benigne suscipientes, praefatum monasterium in honore sancti Vincentii martyris consecratum sub nostrae tuitionis emunitatem suscepimus, et omnia illuc ab eo vel ab illis tradita, et adhuc ab aliquibus tradenda, regia et imperiali munificentia ac magnificentia confirmamus; et mercatus in praedicto loco elevatus ut deinceps absque hominum omnium controversia firmiter stet atque maneat, imperiali potestate praecipimus; familiarumque praefatae aecclesiae legem, quam praescriptus Deodericus episcopus eis concedendam a nobis petivit, imperiali dono et munimine illis dehinc tenendam concedimus atque confortamus*[c]*. Et ut haec nostrae donationis concessio per futura temporum curricula a cunctis fidelibus firmior*[d] *habeatur, hoc nostrae celsitudinis praeceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque propria corroboravimus.*

Signum domni Ottonis invictissimi imperatoris augusti. (L. M.). *Hildiboldus episcopus cancellarius vice Willigisi archicapellani recognovi. Data 12. Kalend. Iulii, anno dominicae incarnationis* 983. *indictione* 11, *anno regni invictissimi Ottonis* 25[e]. *imperii autem* 15. *Actum Mantuae feliciter amen.*

22. *De bona consummatione operum domni Deoderici, et obitu eius.* Vir itaque Domini Deodericus, bonorum operum studiis adprime intentus et de talento sibi credito pervigili cura sollicitus, coram Domino suo multiplicata pietatis opera reportare studebat, et familiae sibi commissae cybum salutarem, ut fidelis servus, suppeditare procurabat.

Praesul enim factus conplevit praesulis actus,
Profuit ac ovibus, praefuit ipse quibus.

Diligebat namque eos, quos in aecclesiasticis actionibus ferventes esse cernebat, et ut studium perseverandi non postponerent, fructificanti doctrina ammonebat. Neglegentiores autem, qui minus quam debebant euangelicae actioni inhaerebant, iuxta praeceptum doctoris 2 Tim. 4, 2. gentium arguebat, obsecrabat, increpabat, ac ne morsibus invisibilium luporum laederentur, muro spiritalis defensionis munire non desistebat. In hoc vero perfectio actuum eius laudabilis extitit, quia, quod sagacitate et affluentia doctrinae edocuit, exemplis et honestate morum demonstravit. Egentibus et orphanis misericordiae viscera aperuit, tribulatis consolationis dulcedinem exibuit, hospitibus piae humanitatis beneficia non denegavit. Numquam eum ab iure ad iniusticiam quisquam detraxit; set provincialium substantias aliquando privatis rapinis, aliquando publicis vectigalibus pessundari, non aliter,

a) SECRETI 1. b) uocata c. c) *hic et supra* confirmamus *et* confirmaremus *intelligendum est.* d) firmio c. e) *intelligendum* XXIIII. imperii XVI. *sed reliqua huius temporis diplomata eodem vitio laborant.*

34) anno 981. indictio nona currebat, at a. 981. fuisse, imperatoris tunc statio Romae indicat.

quam qui patiebantur, indoluit. Principibus veritatis verba non tacuit, pupillo et viduae
iusticiae censuram non abscondit. In corde illius humilitas, in ore perfecta sagacitas,
in vultu morigerata hylaritas, in opere praecipua erat caritas. Portus et ara suis, totus
incumbebat aecclesiasticis incrementis. Denique ut memoria eius aeterna esset, et studium
vitae eius in domo Domini ut palma florescens, sicut cedrus de Lybano, multiplicaretur,
aecclesiarum sedulus constructor extitit, et ut superioris stili narrat hystoria, temporalibus
bonis et sanctorum reliquiis, sicut hodie est cernere, perornator earum indefessus
enituit. O virum merito memorabilem, qui humanum favorem velut umbram praetereuntem
floccipendens, postposuit amicitias filiorum hominum, et sibi vendicavit gratiam
supernorum civium! Revera cum inter aulicos et imperii consiliarios primus haberetur,
et negotia regni sapientiae ac dispositioni eius crederentur, nolebat tamen secularibus
se inplicare negotiis sicut fecerat eatenus, ut posset Deo militare liberius; set solus
35 habitans secum exercebatur et scobebat[35] spiritum suum. Evomens ergo ab animo
omnem curialis anxietatis nauseam, in qua multiplex molestia omnem aliquando excludit
modestiam, in qua quisque potest illam volubilem fortunae inspicere rotam, totum se
984. ab activa ad vitam transtulit contemplativam. Et monitus divina inspiratione, imminere
sibi diem sui obitus, agebat pro omnibus vitae excessibus dignos poenitentiae fructus,
festinans ascribi coelestis curiae dignitatibus. Ponebat siquidem ante oculos mentis id
quod in exordio inthronizationis eius descripsimus, litteram videlicet sui nominis inter
nomina Mettensium pontificum argenteo colore coelitus praetitulatam, pro qua promiserat
se tanta bona in episcopatu facturum, quod ipsa argentea littera, Deo favente, transformaretur
in aurum. Nec fefellit eum animus. Nam bonae voluntati bonorum operum
addens incrementum, memorabili iustoque fine bonae vitae confirmavit initium.

Sic bonus athleta Domini super atria laeta
Florens perfecte, dum curat vivere recte,
Cursum complevit, post haec in pace quievit.

Sept. 7. Qui subtractus ab hac instabili vita, et ut credimus susceptus in coelesti curia, quam
carus fuerit civitati, inaestimabili moerore funeris potuit aestimari. Delatus ergo ad
sancti Vincentii coenobium, scilicet ad praeclarum devotionis suae testimonium, sepultus
est ibi cum honore, qualis decebat tanti nominis pontificem. Opus autem ipsum
imperfectum reliquit, sumptus tamen et impensas ad eius consummationem sufficienter
36 delegare non praetermisit. Transiit autem anno Domini 983.[36] indictione 11. epacta 15,
concurrente 7, 7. Idus Septembris, 6. feria, anno 1. regni Ottonis tercii. Quo etiam
mensis die recolebatur anniversarius depositionis matris ipsius Amalradae[a]. Pater vero
ipsius Everardus Kalendis Maii a seculo excessit.

Epitaphium[b].

Hic Deodericus, generoso sanguine natus
Regum progenie, nomen habens celebre,
Caesaris Ottonis tetigit quem linea carnis,
Cuius consiliis iura dedit populis.
Luxit enim mundo, ceu sydus lumine pleno,
Actibus eximiis, moribus egregiis.
Unde Mettensem meruit conscendere sedem,
Quam rexit digno praesulis officio.
Aulam hanc coelesti struxit pro munere regi,
Rebus quam miris compsit et innumeris.
Idibus ebdenis Septembris iam revolutis
Decessus sorte, clauditur hac silice.

23. *De dedicatione aecclesiae sancti Vincentii.* Iam vero quia de vita excellentissimi praesulis relationem explevimus, operam dare curamus, ut diem dedicationis aecclesiae sancti Vincentii ante posterûm oculos relinquamus. Post decessum denique ipsius pontificis, per successiones plurimorum abbatum eidem loco praesidentium, opus, quod

a) *ita codex.* b) EPITAPHUM c.

35) *i. e.* scopo mundabat. 36) Deodericum a. 984. obiisse constat.

remanserat imperfectum, tandem tempore domni Heriberti venerabilis vitae abbatis est 1030.
consummatum. Qui inter caetera quae studiose et religiose effecit, aecclesiam ipsam a domno Deoderico iuniore dedicari constituit. Quam liberali omnium rerum apparatu, quam pio devotionis affectu, quam frequenti omnium concursu, quanto studio celebrata sit huius dedicationis laeticia, adhuc quasi recenti eorum qui interfuerunt haeret in memoria. Consecratum est igitur primum et principale altare in honore sancti Vincentii martyris et levitae; secundum in honore sancti Benedicti abbatis, Fortunati et Elpidii episcoporum et confessorum, Gregorii papae et confessoris; tercium in honore gloriosissimae et victoriosissimae crucis domini nostri Iesu Christi, et Iohannis baptistae, Quintiani presbyteri et martyris, Remigii episcopi et confessoris. Celebrata est haec dedicatio 2. Idus Maii, anno millesimo trigesimo dominicae incarnationis, indictione 13. epacta 14. anno 7. imperii Conradi, pontificatus vero domni Deoderici iunioris 25. Porro altare sancti Petri, ut traditum est nobis a maioribus, dedicatum est ab Egberto archiepiscopo Treverensi in honore eiusdem sancti Petri apostoli, et Feliciani episcopi et martyris 3. Non. Februarii. Haec de dedicatione ista dixisse sufficiant; verum fidelis lector finem lectionis hac prece concludat, ut dominus Deus istum locum visitet et benedicat, fratres in eo commorantes ab omni malo defendat, ac preces omnium fidelium semper exaudiat, qui per secula cuncta vivit et regnat, Amen.

RHYTHMI IN HONOREM DEODERICI EPISCOPI.

Deodericus sanguine, moribus
Claris profecto clarior omnibus,
A rege clarebat secundus,
Vix alicui sub eo secundus.
Hic consobrinus caesaris inclity
Haerebat illi militiae et domi,
Regni ferens partes secundas,
Caesaris alleviansque curas.
Regni per illum cuncta negotia,
Et iura stabant ecclesiastica.
Miles, senatus, regis aula
Suspiciebat ad eius ora.
Rex Ottho clavo dum moderaminis
Res fluctuantes Italiae nimis
Per iura tranquillare pacis
Temptat ubique, malis remotis,
Et hic erat, hic multus et intimus,
Ad os, ad aures, cor quoque caesaris;
Per hunc placebat qui placebat;
Hoc sine vix aliquis valebat.
Hac praeminentem magnificentia
Omnes honorant munificentia,
Facti per illum gratiosi,
Ut sua vota queant mereri.
Qui non avare sed cupidus pie
Hoc exigebat quod foret utile,
Notaque culpae quod careret,
Quod sibi spem veniae pararet.
Nam vestra sancti corpora martyres
Quaerebat huius sancta viri fides,
Translata qualicumque cura,
Ut reverenter haberet illa.
Gaudebat hoc urbs Metis episcopo,
Fidens in eius praesidio duplo,
Pollens per eius sanctitatem,
Tutaque per generositatem.

EX VITA KADDROAE ABBATIS.

(32.) Adelbero opinatissimae sanctitatis praesul cum post triginta quinque annorum curricula, cursu suae administrationis expleto, caelicas recessisset ad sedes, Theodoricus, vir imperatorii generis, ingenii singularis, ad episcopatus cathedram, ut erat iam a Deo ex nomine vocatus, communi omnium acclamatione accessit; qui ut nobilitatem sanguinis morum honestate vinceret, licet occupatus seculi negotiis — neque enim aliter poterat tantae consulere urbi — intentionem sui animi circa sanctorum memorias locosque construendos et restaurandos verterat. Quare undecumque poterat sanctorum corpora et reliquias in suam diocesim transferebat. Servorum Dei amabat colloquia, consortia diligebat. Unde amore Dei domnique Kaddroe, qui eum unice dilexerat, locum beati Felicis, his, quibus hodie usque in eo Christo militantes utuntur, beneficiis auxit et praediis, ipsum-

que beatum virum acsi patrem venerabatur, atque ad se crebro vocatum, quia spiritum consilii virum sciebat habere, audiebat, et eius caritatis orationibus se attentius committebat, quas Deo placere, tantarum virtutum testimonio comprobarat.

(34.) His itaque et talibus refulgens virtutibus, et quotidie dissolvi et cum Christo esse cupiens, non longe sui obitus diem fore a Domino audivit. Interea Adeleidis augusta, invicti Ottonis augusti genitrix, sancto accensa desiderio, ut omnes quos religioni amicos noverat, hunc quoque beatum virum sincero amore diligebat. Italiam igitur petens, ad locum in ripa Rheni fluminis situm et Neheristeim[1] appellatum advenerat. Unde legatos Mettim dirigens, virum Dei Kaddroe ad se venire caritatis gratia exorabat. Conventus saepius a legatis atque a domno Deoderico praesule coactus, licet finem dierum suorum non ignoraret, ob caritatem, quae scilicet omnia suffert, proficisci non recusavit; bonum vitae suae finem se consequi aestimans, si caritati inveniretur deservire. In via vero positus fratres quosdam secum comitantes advocat, et sui resolutionem imminere denuntiat; quos cum gravis moeror invaderet, quia omne consilium perderent, consolans, ait: „Magni consilii angelus vos, fratres, non deseret, nisi eum forte vos relinquatis. Mandata Dei omni aviditate suscipite, opere explete, et ille vos diriget in viam salutis aeternae. Ceterum corpusculum meum, si quis apud vos est locus mearum precum, ad monasterium referte, ibique sepulturae mandate; si autem augusta me aliquantisper retinere tentaverit, vos, quaeso, ne fiat adversate. Nam si contigerit illa praesente me de vinculis carnis exire, iam sciat caritas vestra, corpusculum meum monasterii sepultura privari. De cetero post excessum meum si quid cum consultu agere vultis, sunt apud vos viri boni consilii, quos semper consulite; et matrem Helvidem ne obliviscamini, quia, iuxta sensus mei parvitatem, in sexu illo numquam ei similem reperi. Domnum pontificem et ceteros amicos ex me salutare pro caritate Christi, ut apud Deum pauperi animae meae succurrant exorate".

(35.) Venit interea ad augustam; quae cum virum advenire audisset, cum ingenti laetitia accurrit, et susceptum officiose salutavit. Vir autem Dei cum augustam inquireret, dicens: *Nosti, domina, quare huc venerim?* illaque responderet: *Pater, caritatis amore advenisti:* homo Dei, ut erat iucundi vultus, subintulit: *Caritas quidem cum me huc compelleret, ipsa quoque necessitas, ut licentiam veniens peterem, imperavit.* Quae videlicet licentia, quid vellet, ille quidem noverat, sed augusta minime advertit. Cum vero quatriduum vel amplius cum imperatrice fecisset, et femina sanctae devotionis eum dimittere nollet, sed ut secum aliquamdiu maneret suis et episcoporum precibus praesentium exigeret, conversus ad fratres: *Eia*, inquit, *fratres, agite, et quia corpusculi mei resolutio prope est, exire satagite. Nolite acquiescere precibus, si meum ad monasterium vultis referre corpus.* Iam quatriduum fluxerat, et augusta, ut secum adhuc biduo maneret, insistebat. Consentit igitur, invitus licet, utque petitus fuerat, biduum explet. Fit ingens gaudium, quod ad hoc usque Dei compulissent virum. Prandii venerat hora, et regni proceres cum imperatrice ad epulas discumbebant. Cum inter prandendum ibi ignis accenditur plurimus, ne quid forte discriminis fieret incendio, multi tectum et laquearia subierant domus. (36.) Ecce autem unus incaute tabulato innixus, lapso pede ad terram ruit, ubi tanta erat fabricae altitudo, ut non modo crura frangere, sed toto corpore dissipari potuisset. Exortum itaque tumultum augusta compescuit, utque homo in domum, in qua Kaddroe hospitabatur, portaretur imperavit. Illatus itaque, et a viro Dei signatus, ut potum ab eo meruit, integerrimae est redditus sanitati. Percrebuit apud palatinos sermo, et viri Dei nomen per ora tollitur omnium. Quod homo Dei comperiens, molesteque ferens, ne inde quisquam amplius loqueretur, vix obtinere potuit. Et expleto biduo, cum ad monasterium regredi vellet, iamque augustae licentia longe aliquantulum discessisset, repente febre corripitur, et mox viribus corporis destituitur. Convocatisque fratribus, iter accelerare imperat, ut, si fieri possit, monasterium vivens repetat. Sed Deo iubente, qui constituit terminum hominis, qui nullo modo praeteriri poterit, iam senex emeritus, post septuagesimum vitae et tricesimum annum peregrinationis suae, caeleste capitolium, hominem exuens, a remuneratore laborum suorum perpetuo coronandus intravit.

1) Heristein, *Erstein* in Alsatia.

WIDRICI

VITA S. GERARDI EPISCOPI TULLENSIS

EDENTE G. WAITZ PH. D.

Episcoporum Virdunensium historia supra edita, et Mettensium quoque praesulum saeculo X. celeberrimorum vitis partim iam cum lectoribus communicatis, partim vero infra suo ordine edendis, etiam res in episcopatu Tullensi gestas fontibus genuinis hoc loco expressis illustremus oportet. Quem in finem, quum Gestorum auctor non ante s. XII. scripserit, primo loco vitam Gerardi episcopi, a. 994. *mortui, a Widrico conscriptam exhibemus.*

Widricus sub Bertoldo episcopo, qui a. 996—1018. *sedebat, in monasterio S. Apri*[1] *Tullensi, a Wilhelmo abbate Divionensi reformato*[2], *monachus, et postea praepositus*[3], *a Brunone episcopo, qui a.* 1026. *episcopatum suscepit, abbas S. Mansueti et Mediani monasterii*[4], *et paulo post S. Apri constitutus est*[5], *et praeterea etiam Senoniense coenobium rexisse dicitur*[6]. *Haec omnia, praesertim vero S. Apri ecclesiam*[7], *summa cum laude administravit, et magnum nomen inter praecipuos huius saeculi abbates sibi conciliavit, quippe qui monasteriorum reformationem a Wilhelmo inchoatam strenue et solerter continuaverit*[8]. *In pluribus Brunonis chartis nominatur*[9], *quem papam ordinatum a.* 1050. *Tulli praesentem vidit, neque diu ipsi superstes fuisse videtur*[10]. *Diem supremum obiit* 6. *Idus Mart., in capitulo monasterii sepultus ibique hoc epitaphio honoratus*[11]*:*

1) S. Evre. 2) cf. diploma Brunonis ap. Benoit hist. Tull. p. LXX, Calmet Hist. Loth. I. Probb. p. 406. 3) cf. Vita Willelmi c. 22. 4) Wiberti vita Brunonis c. 11; cf. Iohannes a Bayono (ap. Belhomme Hist. Mediani monasterii p. 237.), qui hoc in a. 1028. collocavit. 5) Wibertus c. 13. 6) Mabillon Ann. IV. p. 344. 7) Caetera monasteria non diu tenuisse videtur; nam abbas S. Mansueti Hunaldus iam a. 1034. nominatur. Mabill. Ann. IV. p. 394. 8) Chron. S. Benigni Div. ap. Dacher. Spicil. II. (ed. 2.) p. 338: *Qui* (Widricus) *egregii magistri docilis discipulus ita eum studuit imitari in omnibus, ut in suis omnibus vel verbis vel actibus repraesentari quodammodo videretur pater Willelmus. Multos denique erudiens in sancta conversatione, aliquantos aliorum monasteriorum patres monachorum ex sua protulit congregatione.* 9) Mab. Ann. IV. p. 413. Calmet l. l. p. 414. 420. Etiam in charta Odilonis Cluniacensis abb. occurrit, Mabil. Act. VI, 1. p. 671. 10) Abbates S. Apri disponere difficile est. Iam Widrici tempore a. 1037. in charta Brunonis, quam falsam putarim, Herbertus abbas loci S. Apri nominatur (Gall. christ. XIII. Inst. p. 464.). Idem postea a. 1054. in Udonis charta (ib. p. 469.) occurrit. A. 1057. vero Fulchradus invenitur (Benoit p. LXXIII.), post quem denuo Widricus a. 1061. (Gall. christ. XIII. p. 1077.), a. 1065. (Benoit p. LXXVII. Calmet p. 457.) nominatur, quem a priore diversum puto. A. 1069 sqq. Wido abbas fuit, postea alter Widricus; cf. Benoit p. 239. Gall. christ. I. l. p. 1077. 11) Mabil. Ann. IV. p. 616.

Hac tegitur tumba monachorum lucida gemma
Exemplum vitae, maxima lux patriae,
Abbas officio Widricus, germine claro,
Eximius mundo, egregius Domino.
Dum revehit cursus per senas Martius Idus,
Tale decus terris livida mors rapuit.
Nos petimus, vidui misera sub morte relicti,
Sit dignus tecto vivere, Christe, tuo.

Widricus a Brunone episcopo rogatus, inter annos igitur 1027. *et* 1049.
12 *vitam Gerardi episcopi scripsit; quaecumque a fratribus, qui illum viderant*[12], *accipere potuit, memoriae tradidit; quae vero iam antea in historia miraculorum SS. Mansueti et Apri narrata erant, repetere noluit*[13], *et „multa ipsius gesta magnifica per oblivionis nebulam esse abolita" doluit*[14]. *Quo factum est, ut magis sancti viri conversationem et quae pie et religiose egisse dice-*
15 *batur quam publica, quibus ille se subduxit*[15], *narret negotia, quin magis miracula*[16], *quae traditione quadam monasterii ferebantur, quam certa facta et res memoria dignas exponat. Quum praeterea sermone quamvis non inculto nimis tamen copioso et prolixo utatur, hoc certe scripto alia quae habuit merita non adaequavit. Nihilominus cum historiam Tullensem, aliis fontibus pene destitutam, aliquatenus illustrare videatur, hic liber non prorsus est spernendus. — Qui cum miracula post Gerardi mortem acta pauca tantum*
17 *exhiberet*[17], *ille vero a.* 1050. *a Brunone iam papa ordinato in sanctorum ordinem esset redactus, Widricus ab Udone primicerio, post episcopo Tullensi, admonitus, alterum librum adiecit, quo miracula post obitum facta, canonizationem et reliquiarum translationem fusius descripsit. His cum ipse interfuerit et iam ante a.* 1052., *quo Udo episcopus est constitutus, librum conscripserit, in iis saltem fidem meretur, nimis tamen in levioribus rebus immoratus est.*

Quae quum ita sint, vitam quidem, quamvis invitus fere, integram exhibeo, ne quis me erga sanctum virum iniustum arguat; ex miraculis vero post mortem actis nonnisi excerpta, quae rebus Lotharingicis aliquid lucis afferre videntur, recipienda erant. Omnia vero emendavi ope codicis

1) *S. Mansueti Tullensis, mbr. s. XII.* 4[to], *qui Gesta episcoporum Tullensium continet iisque vitas SS. Mansueti, Apri et Gerardi inseruit, quarum haec fol.* 76—118. *satis accurate scripta legitur. Hunc librum in bibliotheca V. Cl. Noël notarii publici Nanceiensis a Boehmero nostro repertum, et anno praeterito ab illo patriae historiae fautore mecum benevole communicatum, accuratissime cum editis contuli.*

19 2) *Ex alio Tullensi, fortasse ecclesiae cathedralis*[18], *codice manco*[19] *et valde depravato primus*[20] *Henschen (Acta SS. April. III. p.* 206.*) hanc vitam edidit; quam postea ex codice* 1. *Martene (Thes. III. p.* 1048.*), emendatiorem*

12) Praef., cf. c. 26.: *virtutum testes adhuc supersunt.* 13) c. 5. 14) Praef., cf. Mirac. c. 5. 15) Miracula S. Apri c. 30. 16) c. 6. 8—13. 15. 18. 19. Haec tamen non leviter invenisse sed ita accepisse putandus est. Nam: *Quae*, inquit (c. 1.), *de ipsius gestis certissime cognovimus, ad proficuum posterorum exemplum stilo mandare satagimus;* cf. c. 15. 17) c. 24—26. 18) cf. Benoit hist. Tull. p. 311. 19) Desunt praefatio, versus, capp. 1. 7. 12. 13. 14. 16. 21. 23 fin. 24. 26. et secundus liber. 20) Prior tamen vitae pars in novem lectiones distributa in breviario Tullensi a. 1535. excuso extat, ut monet Henschen p. 206. Benoit a. 1700. translationem Gallicam edidit, cf. Calmet I. p. LVI.

vero Calmet (Hist. Loth. I. Probb. p. 132—164.) *una cum secundo Miraculorum libro luci dederunt.*

Gerardi vitae excerpta ex miraculis SS. Mansueti et Apri pontificum Tullensium subiicimus. Utrumque opus, etiam Widrico notum, vel Gerardi tempore vel paucis post mortem ipsius annis confectum, praesertim eius praedecessorisque Gauzlini historiam illustrat.

S. Mansueti vitam et miracula Adso conscripsit, abbas Dervensis, qui inter praecipuos saeculi X. scriptores est referendus. Eius historiam a monacho Dervensi in Miraculis S. Bercharii s. XI. medio conscriptam, quamvis paulo longiorem, quia multa notatu digna continet, hic adiiciendam duxi[21]*:* 21

„(9.)... Tantae postmodum rei *(quod regula S. Benedicti ab Odone Cluniacensi in monasterio Floriacensi restituta erat)* celeberrima fama excitus domnus Gauslinus Leucorum urbis pontifex nobilissimus, praedictum locum adiit, inspecturus rumore ad se perlatum ordinem religionis; indeque remeans, sollicitus gregis a Deo sibi commissi, descriptionem omnis monasticae conversationis, quam inibi religiosissimam inspexit, supradictam quoque regulam beati patris secum deferens, primus urbi Tullensi innovationem monastici ostendit praepositi. Fretus igitur pontifex sapientissimus multimodis divinae institutionis documentis, viris prudentibus undecumque collectis, coenobium sancti Apri situm in suburbio Tullensi regularibus disciplinis strenue imbutum, multorum commoditati profuturum, decentissime reddidit illustratum. Hinc itaque exardescentibus etiam tyrannicis principibus inordinatos actus habitatorum Dervensis coenobii, pari consensu totius regionis domnus Benzo supradictus abbas abinde proturbatus, coactus petere — cui loco abbatis praeerat — Cellam Bobini Germanicae insulae in suburbio Trecorum Augustae[22]. Discessurus tamen, clientium pravorum hortatu cuncta privilegia ornamentorumque aliquanta exosae sibi ecclesiae secum tulit. Monachis vero suis, metu invisae regulae in diversa fugientibus, successerunt fratres adducti a monasterio sancti Apri; qui memoriam suae prudentiae nostrae hactenus aetati ostentant etiam ecclesiasticorum voluminum sagaci ordinatione. Sed quibus auctoribus intromissi, priores fuerint expulsi, supersedi scribere, ne ineptae controversiae aliquando videar fomentum praebuisse. Qui autem qualesve exstiterint, quorum optimo studio idem locus post asperitatem tantae hiemis quasi revirescendo floruerit, decrevi promere scriptis, ut noscant posteri, quantae fuerint bonitatis, quos miseratio venerandi Bercharii praeordinaverit pastores posthac, et per hos suo felici ovili.

(10.) Primus igitur eorum domnus claruit Albericus, nobilissimis natalibus ortus, indigena Remensis monachusque sancti Apri Tullensis, qui post supradictum Benzonem competens suae bonitati cum regimine pastorali suscepit nomen abbatis, adoptato sibi ad supplementum omnis auxilii domno Adsone iam dicto ac frequentius memorando, doctrina philosophica ac vitae probitate spectabili. Hic ditissimis nobilibusque parentibus Iurensi tellure satus, Luxovio diversis studiis litteratoriae artis plenissime imbutus, quem in primaevo flore iuventutis affluentem verbo sanctae eruditionis cum puritate vitae innocentis perspicue agnoscens pontifex clerusque Tullensis, multis supplicationibus eductum a Vosago, substituerunt urbi Tullensi ad magisterium sacri ordinis ut lumen lucernae super statuam candelabri. Ibi per aliquanta temporum volumina variis insudans divinae praeceptionis exercitiis, post maximam multorum instructionem, iterum claritas divini splendoris, videlicet Adso, opponitur effugandis Dervensibus nebulis, ad inserenda plantaria superni obsequii.

(11.) Ibi postmodum excedente vita domno Alberico abbas effectus, basilicam sanctorum a beato Berchario quondam exstructam parvissimam reputans, maximi quod nunc frequentamus templi fundamenta iecit amplissima. Villas duas Dreiam[23], et eam quae vocatur Puellare-monasterium[24], priorum incuria amissas, rusticis earumdem agresti rabie,

21) Mabillon Acta II. p. 848. cf. praeterea de Adsone Rivet Hist. liter. VI. p. 471—492., qui hunc locum optime illustravit. 22) Monstier-la-Celle; v. Mab. Act. II. p. 626. 23) Droyes. 24) Peullet-Monstier.

ut sunt adhuc pessimae institutionis, familiae sancti sibi vicinae multas inferentibus iniurias, cooperante Heriberto Trecassino comite, expenso pretio quantitatis non modicae, propriae restituit ecclesiae, deponens ab ipsis et a pluribus aliis exactiones importunissimas tyrannica vi superpositas. Ipso etiam comite adminiculante, privilegia eiusdem loci, quae supra retulimus, a domno Benzone insidiose deportata ad locum insulae Germanicae, cuncta recuperaverit munificentia domni Odonis illius loci abbatis; cuius precibus hic famosissimus Adso vitam confessoris Christi Frodoberti, primi ipsius monasterii instauratoris et abbatis, sermone veracissimo, simplici exaravit stilo. Hic etiam precibus ac iussione sancti Gerardi Tullensis urbis episcopi vitam beati Mansueti, primi dirigente Petro apostolo ipsius urbis pontificis, disertissime composuit. Gesta quoque sancti confessoris Basoli, praefationibus facundis antepositis, cum subsequentia miraculorum lepide edita digessit ad liquidum, hocque non praesumptive, sed interpellatus a sapiente Gerberto, tunc Remensis urbis archiepiscopo, atque a sibi cognomine praeclarissimo viro, scilicet Adsone abbate monasterii praedicti confessoris; cuius defuncti haud post multum temporis tumulum gratia specialis dilectionis versibus honoraverit propriis, inquiens inter alia:

O felix Adso, titulum tibi condidit Adso.

Opuscula praeterea plura versifice composuit, hymnorum etiam aliquanta cantica, Ambrosianos hymnos elucidans glossulis. Sed et secundum librum dialogorum sancti papae Gregorii, videlicet gesta sancti monachorum patris Benedicti, carmine nobilitavit heroico, priscorum poetarum carminibus excellentiori omnimodo, devictus supplicatione sibi familiarissimi Abbonis abbatis suprascripti monasterii Floriacensis, qui vir maximae prudentiae ferro insons noscitur occubuisse. Gesta vero huius sancti ac piissimi protectoris nostri Bercharii[a] ad extremum quoad potuit comens lepore facundiae spectabilis, sparsit totius Galliae oris, quae eatenus inculte exarata habebantur et abdita. Nec vero tantummodo proderat monachalibus coenobiis, verum plurimis clericalibus ecclesiis inter alia commoda tradidit modos et horas orationum ac multiplicis psalmodiae, tam aestatis quam hiemis quadragesimaeve tempore, ut hactenus palam testatur verbis et affectu clerus Trecassinae ecclesiae. Huius tunc temporis Manasses praesul hunc abbatem miro colebat affectu, se propriaeque parrochiae actus eius committens industriae. Istius pontificis frater, Hilduinus nomine, eo tempore comes Arceiacensis Campaniae, militari audacia multa crudelia commiserat facinora. Hunc Adso piissimus adeo est insecutus, quorum erat affluentissimus, verbis sanctae praedicationis, ut eum in se reversum cogeret cuncta relinquere, et profiteri laborem Hierosolymitani itineris, sese ei dans comitem subeundi tanti laboris gratia piissimae consolationis, referens actus beati Bercharii, qui adiens Hierosolymam fertur duxisse secum Waimerum tormentorum sancti Leodegarii reum. Itaque huiusmodi opinionis promulgatione multis viris illustribus excitis, determinatione istius patris dies decernitur, loca cunctis congrua ordinantur subsequendi aut opperiendi Adsonem doctissimum, operis paucis attemptati famosum signiferum. Igitur anno verbi incarnati 992. pius pater valedicens carissimis filiis ac fratribus ob hoc inibi plurimis congregatis, largiter flendo deosculatis omnibus, ipse prosecutus cunctorum ingenti ululatu et gemitu, ingreditur iter viae Hierusalem mundanae, iam sibi pactis valvis matris nostrae Sion caelestis. Secuti sunt autem eum a coenobio frater quidam et famuli usque ad ingressum maris, inde deportaturi ceteris consolatoria verba patris. Ipse vero non tantum verba, verum manu propria conscriptas inde direxit litteras, intimans se die datarum litterarum intrasse mare ducens ad portum urbis Babylonicae. Sed festinantem ad maiora certamina dignatio Omnipotentis evocat ad bravium caelestis remunerationis. Nam in ipso mari correptus languore ultimi exitus, coepit urgeri extremi angoris singultibus, lingua tamen inrecuperabilis, minime vacans a laudibus piissimi Redemptoris, cuius flentes socios commendans custodiae, beatam animam à puppi exsultationis transmisit ad gaudia patriae caelestis. Huius corpus defuncti comites illustres viri, ipsius sanctitatis conscii, nequaquam passi, ut mos est, pelagi fluctibus dari, sed maximo cum honore secum quatriduo devehentes, quinto die prospero cursu ad portum insulae quae fertur Astilia appulsi, decentissimo, ut par erat, condiderunt inibi mausoleo. Inde plurimis eiusdem comitatus perpetuum voluntarie subeuntibus exsilium,

a) B. nostri *ed.*

aliquanti optati itineris labore peracto remeantes, diem obitus locumque sepulturae ac extrema mandata diu exspectati patris moestissimis detulere discipulis. Praecedentibus succincte transcursis, libuit paullisper immorari laudibus istius beati viri, quia hic omni felicitate felix multorum sanctorum gesta scriptis depinxit propriis, atque ab eius in hunc locum cum domno Alberico ingressu, omni infelicitate supradicta haec caruit ecclesia, nec dicam caruit solummodo, verum, quod fausto utinam proferam omine, testor augmentatam omnis decoris honore usque ad exitum domni Brunonis, septimi a venerando Alberico abbatis, septem annorum lustris hanc honorifice gubernantis."

Adso igitur a Gauzlino episcopo in S. Apri monasterio scholae praefectus, c. a. 960. *abbas Dervensis constitutus, etiam S. Benigni monasterio per duos annos praepositus*[22], *et cum hominibus sui temporis gravissimis familiaritate coniunctus*[23], *rerum ecclesiasticarum cura, morum gravitate, eruditione et scriptis, quibus praesertim sanctorum vitas et miracula exposuit, in Lotharingia et Francia claruit. Ideo etiam ut S. Mansueti gesta scriberet a Gerardo rogatus est*[24]*; apertis vero, ut hagiographi I. Limpeni verbis utar*[25], *contradictionibus et crassis quae palpari queant figmentis ea deformavit. Verum quae in Miraculorum libro narrat, ipse vidit aut a testibus fide dignis accepit*[26], *iisque de Gauzlini et Gerardi actis plura memoriae tradidit. Cum rem a.* 974. *gestam ultimo capite*[27] *tangere videatur, post hunc annum scripsisse putandus est.*

Magis etiam miraculorum S. Apri liber, post sancti translationem a Gerardo a. 978. *susceptam a monacho S. Apri*[28] *confectus, ad huius temporis historiam illustrandam potest conferre. Libri auctorem, qui rebus quas narrat fere aequalis*[29], *se „quiddam de visis et certissime compertis" narraturum esse profitetur*[30], *eundem Adsonem habendum esse, Martene*[31] *et Rivet putarunt*[32]. *Attamen quum post Gerardi mortem ille scripsisse videatur*[33], *certe nusquam hunc episcopum vivum indicet, quum praeterea monachus Dervensis inter Adsonis opera hunc librum non recenseat, et ipse, cuius ne dicendi quidem genus hic reprehendere mihi videor, a.* 978. *iam ex multis annis S. Apri monasterium reliquisset, opinioni illi assentire nequeo*[34]. *Liber autem ab homine fide digno accurate conscriptus multa notatu digna continet et inter praecipuos*

22) Chron. S. Benigni ap. Dacher. II. (ed. 2.) p. 381: *Erat is Aquitanicus genere, ornatus bonis moribus et religiosa conversione.* 23) Praeter episcopos Tullenses et Trecenses, Abbonem Floriacensem aliosque qui supra nominantur, Adso etiam Adalberoni Remensi et Gerberto familiaris erat; cf. Richer. III. 57. et Gerberti ep. 82. — Ad Gerbergam reginam epistolam scripsit de Antichristo, v. Duchesne SS. II. p. 844. 24) Praefationem ipsi directam subiicio: INCIPIT PROLOGUS. *Domno*[a] *sancto ac vere beatissimo antistiti Gerardo Adzo*[b] *indignus servorum Dei servus, abbatum ultimus, peccatorum primus, aeternae redemptionis munus. Sacro est subnixum eloquio, quia sicut praefulget in sanctis praelatis imperandi potestas, ita quoque resplendere*[c] *debet in bonis*[d] *subiectis exequendi devota voluntas. Nam ut illos ex iustis imperiis in conspectu divinae maiestatis oportet absolvi, ita et istos sequente obedientiae fructu aeterna expedit remuneratione salvari. Huius sententiae ego non expers, vestra iussione promotus, opus assumpsi, legenti, ut credo, non omnimodis ingratum, auctori vero omnimodis formidandum; quia sicut decursis spatiis temporum obscura est notitia praeteritorum, ita quoque est libera certitudo praesentium rerum. Quod ergo iussistis humiliter suscepi, quod praemonuistis quamvis inepte explevi. Sumite ergo libellum vestro iussu compositum*[e]*, meo labore confectum. Quem*[f] *quidem in spetie columbae super Dominum descendentis ac colentis, etiam beatissimi Mansueti meritis, quem colitis, quem diligitis, columbinum vocandum instituo, ut columbinus vocetur, qui tanti patris gestis insignitur.* EXPLICIT PROLOGUS. 25) Acta SS. Sept. I. p. 619. 26) c. 1; cf. c. 6. 12. 14. 15. 17. 27) c. 17. 28) c. 10. 23. 29. 30. 29) *adhuc sunt testes,* c. 33. 30) praef.; cf. c. 26. 31) Thes. III. p. 990. 32) Hist. liter. VI. p. 485. 33) Quae c. 31. narrantur, Adso vix Gerardo vivo scripsisset. Adso vero duobus ante hunc annis mortuus est. 34) C. Suyskenus iam (Acta SS. Sept. V. p. 56.) dubitavit.

a) Domno 3. b) Azzo 3. c) ita respondere 3. d) bonis quoque 3. e) impositum 3. f) Cui 2*. 3.

Gestorum Tullensium fontes est referendus, quorum auctor etiam Adsonis librum ante oculos habuit.

Utrumque opus in codice S. Mansueti supra 1. nominato fol. 3—34'. et fol. 36—66. Gestis episcoporum Tullensium insertum et ex hoc a Martenio (Thes. III. p. 1013. 1027.), qui tamen S. Mansueti vitam iam antea luci datam et plura S. Apri miracula omisit, integrum vero et emendatius a Calmetio (I. Probb. p. 86—106. 107—126.) editum est. Post quos fragmenta hoc loco recipienda denuo cum eodem libro ms. accurate contuli. Adsonis opus vero, cuius praefatio (supra n. 24.) in 1. desideratur, etiam in aliis codicibus reperi. Hi sunt:

35 *2) regius Parisiensis Nro. 5294. mbr. s. XII*[35].

2) Guelferbytanus August. 76. 14. mbr. s. XI., ubi f. 15—18'. hic liber exstat*[36].

3) regius Parisiensis Nro. 5308. mbr. s. XII. fol. max., qui fol. 13—20'. Adsonis librum, f. 42'—44'. S. Apri vitam neque tamen miracula continet.

Inter quos 2. et 2., qui inter se semper fere conveniunt et ex eodem fonte procul dubio manarunt, praecipuum habent locum. In editione novissima* 37 *Act. SS. (Sept. I. p. 639.)*[37] *praeterea lectiones codicum 4) Ochsenhusani et 5) Dillingani afferuntur. S. Apri vero vita et miracula, ibidem (Sept. V. p. 70.) ex Calmetio quibusdam omissis sunt repetita.*

G. WAITZ.

INCIPIT PREFATIO IN VITA SANCTI GERARDI.

Domino patri Brunoni a Deo praeordinato sanctae Tullensis sedis pontifici, frater Widricus sancti Apri servus inmortalitatis stola indui cum electis pastoribus.

Sicut dum aliquis rem difficilem nulla cogente ratione aggreditur, vanae gloriae et praesumptionis cauterio denotatur, ita si quis pii iussum pastoris sagaci explere effectu non satagit, pervicacis inobedientiae noxam damnabiliter incurrit. Huius culpae nota vitans apud vestram dignationem infamari, dulcissimis vestrae paternitatis praeceptis pro posse insistere studui, et vitam admirabilem beatissimi patroni nostri Gerardi pontificis, licet insipida stili elucubratione, digessi. Verum hinc michi meror non minimus exoritur, quia eius laus praedicabilis magnam apud homines iacturam perpetitur, dum multa ipsius gesta magnifica per oblivionis nebulam esse abolita cognovimus, ex hac sublatis luce sibi intimis familiaribus. Quicquid tamen a boni testimonii fratribus potui ediscere, qui aliquando eius exoptabilis praesentiae potiti sunt dulcedine, et postea apud nos in monachili vixerunt ordine, salva fide veritatis, huic certavi operi inserere. Nemini autem veniat in scrupulum, quasi hic aliquid inscribatur impostura figmenti commentatum, quia Omnipotentis fideles in supernae laudationis gloria indefesse intenti, non egent adulatoria hominum laude praedicari, et in re tali melius censeo probabiliter reticere, quam quicquam mendacii fuco coloratum proferre. Id vero opus tanto assumpsi libentius, quanto inibi nostrae remunerationis prospexi non modicum decus; quia rem scriptorum incuria longo obscuram tempore vestris propalari contigit diebus divina provisione. Quod quia vestro est ornatu, immo imperio, coeptum, vestrae dirigo auctoritati, si est laudabile, roborandum, sin secus, sub silentii sera perpetuo condempnandum; illud in calce scedulae summissis exorans precibus, ut apud beatum praesulem vestris commender interventibus, quo per eum supernis merear semper colletari civibus. In Iesu Christo, praesul venerande, valeto.

35) cf. Archiv VII. p. 420. 36) cf. supra p. 253. 37) Ibidem p. 656. ex altero S. Mansueti codice, qui etiam Adsonem continet (cf. p. 618.), alia miracula edita sunt, quae nihil memoria dignum continent.

VERSUS SEQUENTIS OPERIS.

Ad senium mundo per longa volumina ducto,
Interitumque sui crebris minitante periclis,
In nostris tenebris oritur spes maxima lucis,
Pontificem sanctum Christo tribuente Gerardum,
Stemate praeclarum, praesago nomine dignum,
Cuius vita fuit miris memorabilis actis.
Urbis Agrippinae natus sub menibus altae,
A pueroque sacer Domino servire minister,
Quem vas electum studiis adprime probatum,
Imbuerat plene gemino sapientia fonte.
Hinc Leuchae sedi laudatur praesul haberi,
Triticeae messis tribuat qui pabula servis.
Hos trahit exemplo, verbi quoque famine claro,
Ut duplicata ferat, Domino veniente, talenta.
Prodigiis firmat, dictis quae dogmata mandat:
Immutans laticem, dat vini ferre saporem.
De modico farris saciantur milia plebis,
Restauratque cibos; furtim dum pascit egenos,
Pauperis in specie Christum sibi cernit adesse.
Eripit et populum miseranda clade subactum.
Coenobium sancti conservat ab igne voraci.
Praenoscens pacem, dat bellis mox fore finem.
Scit meritum iusti praedecessoris amici.
Desperans eger miro datur ordine sospes.
Dante Notho pluvias, tribuit splendere lucernas.
Iusticiae merito subicit pia menbra periclo.
Pluribus his aliis sanctę vivendo peractis,
Eripitur terris, sociandus in ethera iustis.
Spiritus alma petit, claret virtutibus orbi:
Ad tumulum cuius recipit vir languidus artus;
Contractam reparat, quam ter sua noxa ligarat.
Sed quis cuncta queat gestorum volvere mira,
Est quibus in caelis semper memorandus et arvis?
Cum meritis fulget claro[a], tum nomine pollet.
Ardua namque gerens Gerardi, credo, vocamen,
Moribus et verbis factis simul ardua gessit.
Ergo, pater, proprios refove miseratus alumnos;
Evacua viciis, imple virtutibus almis;
Pelle nociva pius, tribuens bona cuncta benignus;
Ab scelerum nexu clementi solve precatu!
Ultima cum vitae provenerit hora supremae,
Propitius famulis tunc fias, pastor herilis!
Sit per te nobis aeterni gloria regni;
Ablegans hedis, ovibus coniunge supernis!

a) cloro 1.

INCIPIT VITA SANCTI GERARDI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

1. Quicumque sanctorum patrum gloriosos actus fugaci lectionis percurrit industria, non tam inibi rimari superflua verborum debet faleramenta, quam ea quae ad suorum correctionem morum imitabilia possit perpendere exempla. Siquidem tunc utiliter beatorum nobis merita virtutesque recitantur, si ipsorum praevia imitatione sanctae conversationis in nobis provectus innovatur. In eorum enim venerabilibus gestis palam luce est invenire, quibus gressibus ad meliorem vitam inerrato valeamus tendere, et unde

Omnipotentem in suis sanctis admirabilem praedicabili voce debeamus glorificare. Sed quamquam hanc religiosam venerationem sanctis nos impendere cunctis competat, prout a Deo efficax praestatur possibilitas, tamen illis specialiter debitores efficimur, quorum corporali praesentiae nobis sepius assistere conceditur, quorum patrociniis opitulari, indefesse a cunctorum Creatoris gratia deprecamur. Quocirca vitam actusque egregii pontificis Christi Gerardi non decet oblivioso nos silentio abolere, quia procul dubio multa et miranda in praesenti egit corpore, per quae sibi in terris venerationis accrescat gloria, quam in supernis promeruit per bonorum operum incrementa. Unde ea quae de ipsius gestis ammirabilibus certissime cognovimus, ad proficuum posterorum exemplum stilo mandare satagimus, ut inde[a] utilis adquiratur edificatio legentibus, salus perpetua opere illum digno imitantibus.

2. Venerandus igitur Gerardus, Agrippinensi oriundus regione, temporibus magni Ottonis Romanorum augusti noscitur extitisse, nobili parentum prosapia, prout secularis confert excellentia, procreatus, patre Ingranno, matre Emma editus; a quibus est morum generositate, quod constat laudabilius, honeste educatus. Ipsi denique eius parentes, licet essent multiplici divitiarum opulentia referti, superbi sanguinis linea ab avitis natalibus deducti — quae res solet plurimos duris laqueis innodare seculi —, tamen prae caeteris sanctae religionis et piae devotionis praediti dignitate, helemosinarum atque orationum studiis iugi insistebant intentione. Cum his bonis virtutibus etiam gloriosae prolis fecunditate donati sunt, dum talem tantumque virum ex sui propagine germinis adipisci meruerunt, et ut bonae arbores bonum ex se fructum Deo omnipotenti votivo munere obtulerunt. Quem etiam liberalibus imbuendum disciplinis in basilica beati Petri apostolorum principis, quae intra praelibatae urbis moenia est constituta, tradiderunt, eumque Christo inibi sub clericali serviturum ordine delegaverunt. Qui iam tum ab ipsis infantiae rudimentis superni factus flaminis habitaculum, omne humanae scientiae capaci pectusculo ebiberat studium; divinis quoque ad unguem informatus legibus, nulli in utroque doctus excercitio videbatur secundus. Cuius mentem bonus Iesus numquam lascivis relaxari lusibus permittebat, quippe quem sibi vas electionis ab aeterno consecraverat; et ipse velut alter Iacob sanctae simplicitatis strenuus custos, gloriosae etiam virginitatis perpetuo compos, a fabulis anilibus verborumque obscenitatibus sensus abstrahebat[b] proprios. Cum vero coepisset iuvenilis aetatis vernare floribus, ita suam indolem bonis studuit ornare moribus, ut a cunctis sibi coevorum viciis sagaci persisteret labore integerrimus. Parentibus igitur suis humana praereptis sorte, et occulto Dei iudicio, non tamen iniusto, caelesti igne fulminata eius genitrice, divina eum miseratio pia non deseruit[b*] consolatione. Nam ut patenti omnibus indicio claresceret, quod talem suae parenti exitum non ob[c] eius aliquem reatum detestabilem contingere sivisset[d], immo propter huius amplificandum meritum accidisset: ita iam factus[e] Dei famulus causa tam terribilis exitii, diversis afflictionibus, vigiliis et orationibus se indefesse maceravit, quasi, sua id urguente culpa, superna illam dispositio tali periculo destinaverit. Casti itaque timoris in secula permanentis spiritu impletus, interdiu ac noctu summum
Psal. 118, 120. Creatorem psalmigraphi pulsabat quaestubus: *Confige timore tuo carnes meas, a iuditiis enim tuis timui.* Tali iniciamento supernus magister novum tyronem informabat, atque sanctis virtutibus animum eius inhyantem paulatim instruebat; qui etiam illud Isaianum
Isa. 26, 18. libera confessionis voce dicere poterat: *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus, spiritum salutis fecimus in terra.* In his laudabilibus studiis diutinam conservans perseverantiam, piae profectum consuetudinis imitabilem convertit in naturam. Cumque velut sertum floreis variatum coloribus, ita diversis foret comptus virtutibus, simplicitas tamen atque castitas primam sibi sedem in eius adquisiere moribus. Qui etiam cum columbina mansuetudine serpentis callebat astutia, in divinae studio religionis summa satagens vigilantia, sanctae humilitatis pennis ad caeli convexa sublimatus, piae karitatis semper visceribus refertus, gloriosae obedientiae dote prae ceteris muneratus[f]. Ab ipsis ergo pueritiae exordiis in iam dicto commoratus clericorum coenobio, per singulos sacri offitii gradus more ascendit ecclesiastico, atque ibidem laborioso cellarii devincitur

a) unde 1. b) abstrabat *corr.* abstraebat 1. b*) desit 1. c) *deest* 1. d) scivisset 1. e) fatus 1? f) numeratus 1.

ministerio. Quod cum quanto humilitatis ac patientiae studio compleverit, finis, in quo omnis laus secure canitur, certissime ostendit.

3. Interea domno Gauzlino [a] Tullensis sedis pontifice rebus humanis exempto, qui 963. morum illustris sanctimonio, angelorum, ut credimus, in caelis est asscitus consortio, plebs Leucha graviter merebat tanti orbata pastoris solatio. Erat tunc temporis venerandus Bruno Aggrippinae ecclesiae summus pontifex, qui in tota Germania sibique finitimis partibus imperiales agebat vices, utpote magni Ottonis augusti germanus frater. Ipse autem praenominatus princeps tum forte aberat, quia fines Italicos causa urgente adierat. Mestus ergo Leuchorum populus, consilio viduatus pastoris, ad memoratum archipraesulem Brunonem legatos dirigit, desolationem sui humili suggestione intimat, utque sibi succurratur suppliciter expostulat, ne velut grex errabundus, pastore perdito, dispereat. Is vero clementis compassione animi eorum lamentationi condolens, ipsamque urbem, Franciae regno confinem, Romano nuperrime adiunctam imperio perpendens, summa mentis angebatur sollicitudine; cogitans, quem eidem ecclesiae idoneum iuxta canonum scita potuisset pontificem eligere, secundum divinae cultum religionis cum bonitate morum sapientiae sale conditum et in scientiae secularis studio excercitatum. Sed Deus, qui in bonis semper dispositionibus piorum assistit affectibus, eius non permisit animum diutinis agitari curarum fluctibus, suoque inspiravit consilio, venerabilem Gerardum huic praeficiendum offitio asciscere, quem constabat utilem superni dono Conditoris in cunctis existere. Ea tempestate idem Dei famulus cellarii, ut praediximus, obedientia impeditus, pro quodam non maximo excessu, in levioris culpae nexu infra claustralia [b] erat septa constitutus, ibique lacrimarum ac orationum holochausto sese immolabat attentius. Quique non mortiferis animum murmurationibus discernebat, nec venenosis detractionum aculeis linguam sibi acuebat, neque ociosarum neniis fabularum aures suas patiebatur pollui, sed per sacrae studium lectionis inhianter supernae intendebat contemplationi. Quem ideo caelestis dispensatio hac parva temptari permisit afflictione, ut cunctis palam innotesceret, hic vir eximius cuius foret meriti ante oculos divinae contemplationis [c]. Religiosus ergo pontifex Bruno ad sese primos cleri convocat, eis coepiscopi sui domni Gauzlini transitum flebilem notificat, quemque [d] illi successorem dignum subroget, familiariter consultat. Mox decanus, divinae amator religionis, sani prudens consilii, eius consultibus haec reddidit: *Si, domine praesul, meo dignaris tantillo credere dicto, fratrem Gerardum huic gradui prae ceteris idoneum veridico assero testimonio, quem vera humilitate subiectum, prompta obedientia clarum, longanimi patientia certissime attestor probatum.* Insuper eius diutinam in poenitentia perseverantiam intimat, Deique nutu ad sibi credendum mentem praesulis non tarde inclinat. Tunc decanus praelibatus beatum Gerardum a claustrali poenitentia rapit, ad domum propriam insperato adducit, balneatum vestibus nitidis ex suo induit, mirantique, quid novi portenderet, eum fore episcopum, praedicit. Sed vir Domini in humilitatis fundamento firmiter stabilitus, huic ordinationi cunctis obnitebatur viribus, magisque eligit pristinum poenitentiae ocium repetere, quam huius laboriosae praelationis praegravari pondere. Tamen plurimum reclamans, plurimum repugnans, coram iam dicto archipraesule deducitur, et sub iussione obedientiae pontificalem apicem suscipere compellitur[1]. Dum 1 ergo annus incarnationis nongentesimus sexagesimus tercius curreret, Leucham urbem adducitur, obviisque populorum turmis, cum ymnisonis laudibus excipitur, ac sicut mos exigebat, praesulari sedi intronizatur[2]. Itaque fit mira exultatio in commixto populo, 2 omnes tripudiant pro pastore adepto, cunctorum terguntur lacrimae huius ingressu novo. Omnes enim sibi divino nutu datum asseverant, atque in eius electionis assensu plausibiliter insonant.

4. *De insignibus virtutum post apicem pontificatus susceptum.* Pontificii vero exaltatus culmine, summi vestigia pastoris pia sequebatur imitatione, habitu et moribus cunctis se praebens exemplum in sancta humilitate. Nulla sibi oblectatio, familiaritas

a) gaulino 1. *et ita infra.* b) claustrabilia *corr.* claustralia 1. c) *ita Gesta Tull.* maiestatis *recenti manu add.* 1. d) quemquem 1.

1) Calmet I. p. 1014. eum consecratum dicit Treveri die 29. Mart., quod quo fundamento nitatur nescio. 2) cf. Adsonis miracula S. Mansueti c. 10.

963. et conversatio nisi in clericorum ac monachorum consortio; quorum omnia quae agenda erant consilio explebat; ideoque eum in nullis suis factis penitebat. Mediocris et discretus ei habitus, ita ut nec nimio decore aut nitore crederetur superfluus, nec indecenti vilitate abiectus videretur et sordidus. Mensae autem sumptus ita discretiva ordinabat dispositione, ut superfluitatem fugiens, continentiam satageret reservare; et subsidia ministrans corpori, agilior ad Christo serviendum redderetur, virium reparato robore. In persolvendo communem horarum cursum vix et raro dimittebat, quin fratrum cetui iunctus adesset, nisi inevitabilis necessitas aut molesta corporis debilitas obstitisset. Et hoc quanta animi contritione perageret, nulli est facile exponere; quod soli occultorum cognitori Christo manifestum cognoscitur esse. Sepe etiam causa piae devotionis intra ipsam regularem sinaxim puerile decantabat responsorium, nec sine habundanti fonte lacrimarum, quae ei affluebant per sanctae compunctionis donum. Orationis instantia ita continue superni Conditoris adherebat suspectibus, ut exceptis secretarum precum votis, quae sibi et Christo in cordis archanis decantabat attentius, tredecim horarum cursus nocturna et diurna continuatione cum integro psalterio laborator persolveret indefessus, clericis familiaribus in id explendo sibi solaciantibus. Sacrarum scripturarum tam ardenter insistebat studio, ut ne etiam nocturno tempore sibi ante lectum umquam interrumperetur lectio. In hac sancta contemplatione vigilando plurimum noctis transigens spacium, defessus meditando, commodum corpori carpebat somnum. At lectores, qui sibi vicissim succedebant, si quando victi tedio reticerent, statim cognoscebant beatum expergisci pontificem, qui eos pia commonitione ad solitum animabat laborem. Quique pro ornamentis preciosissimis sanctorum vitas modicis inscribi libellis fecerat; quos omni ex parte sui stratus ita apte locaverat, ut, nocturno in sopore sese vertente, ipsi cum eo libri verterentur, credens, quod sanctorum iuvamine, quorum ibi actus habebantur, ab omni prava inimici infestatione tutaretur. Illud etiam in vita habebat assuetissimum, quia antequam nocturno tempore iret cubitum, inter reliquas preces nominatim mentionem agebat cunctorum a se excommunicatorum, eosque misericordi absolvebat pietate, ne quem subito excessu posset mors obligatum subripere. Id tamen secretius, ne quorundam inolesceret insolentia, explebat coram familiaribus, petens Omnipotentem, ut desiderium exposcendae reconciliationis eorum infunderet cordibus. Castitatem vero in eo non est necesse laudari, cum a puero ita perfectus sanctae virginitatis custos extiterit, ut nulla umquam fetidissimi sorde vicii corpus sibi macularit; quippe quia cor a temptationum spiculis tutum Christi auxilio conservavit, ideo menbra ab inquinamenti labe munda custodivit. Hanc virtutem non modo ut ipse possideret, omni annisu insistebat, immo etiam omnibus maximeque clericis hanc amplexandam, hanc colendam, hanc tenendam praedicabat. Quis autem digne memorare poterit, quam in clericorum institutione inhianter insudaverit, cum nemo pontificum in tota Belgica tot tamque perfectos sanctae praedicationis ministros habuerit. Non sibi sufficeret, quod ipse facundo eloquentiae torrente verbum doctrinae populis ministrabat; verum etiam diebus sollempnibus per vicinas ecclesias proprios familiares ad idem peragendum opus dirigebat. Ita fiebat, ut non solum populi crebra exortatione ad bene vivendum incitarentur, sed et ipsi clerici continua excercitatione ad doctrinae studium informarentur.

5. *De studio reparandarum atque construendarum Dei aecclesiarum.* Summum ei fuit studium in sanctarum reparatione ecclesiarum, quatinus exinde maius sibi meritum et fidelium devotio accresceret populorum; basilicam beati prothomartyris Stephani, in cuius veneratione est sedes episcopatus Tullensis, a fundamentis restruxit, quam picturis variisque ornamentis non minimum decoravit. Iuxta introitum quoque eiusdem urbis versus meridiem in sancti honore Gengulfi novam construxit ecclesiam, quam ad Omnipotentis laudandam gloriam sanctimonialium constituit abbatiam. Sed quia inibi ultra modum sancta castitas patiebatur dispendium, coactus est suae institutionis pati repu-
3 dium[3]. Necnon[a] pleraque alia praecipua in construendo peregit opera, quae hic inserere ob desidum refugimus fastidia. Sanctorum quoque reliquias sagaci indagabat sollicitudine, fisus apud superni gratiam Conditoris sibi suppeditari eorum opitulatione. Cuius

a) Necno 1. 3) Nam postea ibi erat canonicorum collegium.

vigilem curam Deus non passus est frustrari, eique repperire glebam concessit beatissimi pontificis Apri; in cuius gloriosa translatione miracula magnifica propalavit dignatio divina, quae in eiusdem beati praesulis gestis retinentur annotata[4]. Corpus etiam 4 beatae virginis Aproniae, sororis ipsius beatissimi Apri, a Trecorum civibus meruit suscipere, quod ad plebis tutamen infra suae urbis moenia studuit collocare. Reliquias insuper venerandi martyris Elifii religiosa devotione transtulit; quarum partem non minimam, maiora scilicet ossa, praenominato Brunoni archipraesuli contulit, quae Coloniam cum summa devotione devexit; ibique devota populorum coluntur veneratione. Cuius etiam devotissimam erga gloriosum praesulem Mansuetum intentionem hic compendio penderemus, nisi inter veneranda eius miracula praenotata nosceremus[5]. 5

6. *Quod beato viro Romam pergente limpha sit in vinum conversa.* Quantum autem visceribus affluxerit misericordiae, est narratu memorabile; in quo ipse Deus, qui est vere caritas, certis miraculorum indiciis comprobatur habitasse. Quadam vice pia illi suggessit devotio, apostolorum principis limina adire, dira famis afflictione nonnullas orbis partes devastante. Relinquens ergo non minimam substantiam ad sustentationem pauperum, instruit iter non ad superfluum iactantiae fastum, sed ad Omnipotentis lau- 983. dandam magnificentiam honestum et pietatis ac misericordiae muneribus amplissime fartum. Duodecim sibi ex clericali ac monachili ordine deligit comites, qui cum eo psalmodiae laudes indefesse iubilantes, totum Romanum iter unam quasi ecclesiam videbantur effecisse, crucis vexillo semper eos precedente. Qua vero elemosinarum largitate per omnem viam affluxerit, quis depromere digno relatu poterit? Nemo ei umquam iungebatur egenus, qui recederet ipsius bonitatis dono defraudatus[a]. Omnibus quasi sibi affectu pietatis compatiens, Christum, quem vere praesentem credebat, sese in eis reficere gaudens. Huic glorioso instans operi, Papiam ingreditur, ubi viros magnificos, sanctum videlicet abbatem Maiolum[6], necnon beatum Adhelbertum[7] post martyrem, 7 se repperisse ineffabiliter colletatur. O quanta fuit inter eos spiritualis exultatio, quae superni regni exoptabilis collocutio, quam diutina divini verbi sermocinatio! Pendebant singuli invicem ab alterno ore; Christum, qui certissime in eis manebat, unusquisque credebat se in alio audire. In hac mutua confabulatione longum diei transigentes spacium, simul tres sancti convivae resident ad prandendum. In quo prandio quid virtutis Omnipotens sit dignatus ostendere, non decet obliviosa silentii sera occludere. Venerandus siquidem pontifex diem ieiunii, qui forte contigerat, non dissolvere statuerat, et lympham sibi ad potandum deferri, ministro in aurem secreto preceperat. Quam pincerna obediens beato viro obtulit; sed ille summis praegustans labiis, vini saporem repperit. Mox commotus verbis increpativis eum dure impetit, causatur, cur sibi inobediens vinum pro aqua praesumptuose obtulerit. At ipse cum verbo sacramenti iurans, limpham puram se ei praesentasse testabatur; et cur id sibi immerito sanctus Dei imputaret, stupide mirabatur. Haec autem alterna disceptatio lingua agebatur barbarica[8], glorioso credente praesule, sanctos praesentes convivas huius sermonis ignaros peritiae. Tunc beatus Maiolus cordis repletus exultatione: *Desine*, inquit, *sancte pontifex, in hoc facto alii succensere, sed percipe cum gratiarum actione, quod tibi rerum Creator sua contulit benedictione.* At his dictis, vir Domini erubuit, et quod per se factum credere non valuit, sanctorum virtuti ad Christi laudem imputare coepit. Sed si forsan hoc manet cuiusque malesanae menti incredibile, audiat illum, qui aquam in vini mutavit saporem in Chana Galileae, veridico protestantem ore: *Qui credit in me, opera quae ego* Ioh. 14, 12. *facio et ipse faciet, et maiora horum faciet.* Verum ut ad posthabita stili cursum reducamus, praesul Domini, a sanctis patribus accepto et dato benedictionis comeatu, coeptum iter Romanum aggreditur; sed a rumore praevio iam per omnes urbis plateas velociter prevenitur. Undique occurritur a populo, aeterni Conditoris laudatur gratia cunctorum ore consono, quae etiam corporaliter in eius vultu rutilabat splendido. Inde ducitur ad gradus, sub quibus erat Ottonis augusti tumba[9], ibique diutius immoratur, 9

a) defraudatis *corr.* defraudatus 1.

4) V. infra Miracula S. Apri c. 32 sqq. 5) V. infra Miracula S. Mansueti c. 10 sqq. 6) Cluniacensem. 7) Pragensem. 8) i. e. Germanica. 9) qui paulo ante obierat.

983. pro eius absolutione offitiorum explendo sollempnia. Nunciis succedunt nuncii, intimantes eum a praefecto urbis cum cleri multitudine praestolari. Sed ventosam Dei famulus gloriam floccipendens, coeptum opus solita honestate ad extremum provexit finem. Hinc a praefecto atque clero honorifice excipitur; quod raro cuiquam extraneorum pontificum contigisse memoratur, ut obviam parata processione a Romanis deducatur.

7. *Quod ab aecclesia beati Petri convivantes expulit, et quod ad eiusdem altare missam non permissus celebrare, postmodum exultavit.* Quos vero inibi lacrimarum fontes inundaverit, quantaque pietatis largitate affluxerit, non est ad credendum facile, nedum sit cuique ad dicendum possibile. Ubi patenti eluxit exemplo, quanti fervoris inarserit zelo pro divinae religionis studio, quod quamvis quibusdam minimis minus gravibus videatur ridiculum, tamen quia extat memori relatu dignissimum, brevi eius perstringam indiculum. Post devotam namque orationem, omnipotenti Christo ante aram summi apostolorum principis profusam, iubet sibi ad sanctam virginem Petronillam parari divini officii missam. Ergo dum lympha exhibita pedes abluit, ecce importuna custodum manus cum diverso ciborum apparatu affuit. Utque indecens est mos Romanorum, in eadem basilica coquinae expleto ministerio ad prandendum resederunt, praesule praesente beatissimo. Mox dominici non immemor exempli, qui facto de resticulis funiculo, vendentes de templo et ementes eiecit, pastoralem ferulam quam gerebat arripuit, cunctos eiusmodi quos reppererat a sui praesentia eliminando perturbavit, verbo usus carminis Davitici:
Psalm. 68, 10. *Zelus domus tuae comedit me.* Ceterum nonnullis ibi commoratus diebus, sanctorum visendi locorum gratia subiit eum voluntas, simplicitate suggerente devotissima, ad venerandam etherei clavigeri aram divini celebrare misterii offitia. Credebat nempe se propriorum veniam offensorum ab Omnipotente promereri, atque a[a] summo celorum principe suarum vota precum clementius exaudiri, si dignus haberetur potiri ad ipsius altare sancti immolatione sacrificii. Quod obnixis conatus adipisci precibus, nequivit ullo modo impetrare a Romanis custodibus, contradictorię hac ab eis accepta ratione, nemini nisi summo apostolico eiusque cardinalibus antiquo licitum more, sacra ad illam aram misteria peragere. Ergo considerans, quod frustra in precando operam insumpserit, munere forsan aliquo se compotem fore suae devotionis credidit, moxque trecentarum summa librarum archam beati apostoli, si voto potiretur, sese muneraturum[b] spopondit. Nemo autem beatum praesulem gratia cuiusquam inanis gloriae id optasse opinetur, a quo omnis laus humana ut stercus despicabile reputabatur. Sed eius sancta admirabilisque simplicitas eo conexius ac firmius summo ecclesiae pastori se credebat uniri posse, quo devotius et simplicius meruisset ad ipsius aram per conpunctionis holochaustum suo se Conditori immolare. Cumque sui affectum animi nequivisset ad exoptatum provehere effectum, tantum meroris angorisque dicitur incurrisse tedium, ut prae corporis egritudine vitae duceretur ad extremum. Clamabat namque se cunctorum reum[c] facinorum ab aeterno Creatore derelictum, quod tanti laborem itineris non sibi concesserit consummare ad votivum sui cordis desiderium. Verum Omnipotens, mestorum leticia, non diu suum permisit famulum inconsolabili gravari tristicia, sed eius intimis divino inspiravit instinctu, noxam recognoscere, quin[c*] quovis voluerit precio sancti oblationem[d] sacrificii redimere. In se ergo per supernam remeans inspirationem, non modo cunctam corporis, in quam prae moerore deciderat, amisit egritudinem, immo etiam in cordis iubilatione summas Christo grates persolvit, quod pravum sui animi votum ad nequiorem pervenire effectum non permisit. Meritoque hanc sui inefficaciam desiderii sibi provenisse astruebat, quod indiscreta ardens devotione, eam non sine crimine implere disposuerat.

8. *De inedia panis vitata, cellariis beati viri ad erogandum apertis.* Reflexo autem tramite ad propria dum remeat, Langobardorum fines mox penetrat, ubi quam plures creditae sibi plebis repperit, quos victus inędia[e] a nativo solo expulit. Hos misericordiae sinu confovens, suae comites viae ascivit, et multitudinem trecentorum ferme hominum suo alendam sumptu congregavit, cum qua propriam urbem mediante quadragesima
984. introiit[f]. A proprio clero merita suscipiendus veneratione, re patenti claruit, quam tripudiali gestierunt exultatione, cum in eius processionis iubilatione nil dignius et hone-

a) *deest* 1. b) numeraturum 1. c) rerum *corr.* reum 1. c*) quia 1. d) oblatione 1. e) inaedia 1. f) *corr.* introivit 1.

stius excogitare valuerunt, quam leticiae hortamentum, scilicet missae ipsius diei introitum. 984. In suscipiendo namque illum corde et voce concinentes: *Letare Hierusalem*, officialiter peregerunt, iam dudum sacerdote praeparato, sollempnis[a] missae cęlebrationem. Clementi itaque animo populo periclitanti condolens, ac de superni Creatoris benigna pietate non diffidens, dat permissum, quemcumque necessitas coartaret tempus quadragesimale solvere; ipse studet cuncta sua horrea cum cellariis ad erogandum aperire. Quique ut omnium pater piissimus misericordi semper benivolentia pro cunctis erat sollicitus; et quicumque ad eum indiscrete accessisset indigus, farinae mox mensuram cum parte carnis accipiebat recreandus. Hoc indefessum continuae pietatis studium servavit usque sancti baptistae Iohannis sollempnium. Interea omni suo horreo iam exhausto, largiter cunctis illo dispensante, etiam ipsa incepit farina in vasculis deficere, nec quicquam ultra duas mensuras videbatur resedisse. Accedit tristis minister ad sanctum pontificem, insperatam indicat farinae defectionem. *Vade*, ait vir beatus, in Christi adiutorio confisus, *eroga tantillum residui more solito pauperibus.* Erat autem pene integer mensis usque festum sancti baptistae Domini. Mirum in modum cotidię minister egentibus affatim ministrabat, et modica farinae mensura nullo modo deficiebat. In vasculo nichil videbatur accrevisse, et dispensatori non deerat, quod ad erogandum sufficienter posset invenire. Haec divina abundantia numquam beato praesuli defecit, donec estivum metendi tempus advenit. Cuius sunt haec prodigiosa miracula, nisi qui de paucis panibus multa hominum satiavit milia? Vere in hoc facto perpendi potest magnifica virtus 3. Reg. Heliae, qui prophetali spiritu olim praedixit viduae, hidriam farinae non deficere, donec 17, 14. transmitteret Dominus pluviam super faciem terrae.

9. *De tribus panibus distributis eiusdemque numeri dum pranderet super mensam repertis.* Alio itidem tempore vir egregius e conspectu familiarium se removerat, ac solus in secreto conclavi residebat, cum subito per fenestram contiguam querulam vocem trium audivit pauperum, helemosinae subsidium a beato sibi dari clamantium. Iam autem hora advenerat prandii, et mensae erant paratae epulis superpositis. Tunc beatus praesul patriarchae Abrahae non immemor, immo eius vere fieri cupiens imitator, qui in figura summae Trinitatis tres angelos hospitio suscepit, a loco sessionis quam celerrime surgit, domum prandii clam nemine invento introit, tresque similagines cum totidem ciborum partibus accipit, ac secreto pauperibus per fenestram proicit. Qui mox, dum residet ad prandendum, eiusdem quantitatis, qualitatis ac numeri cibum sibi invenit appositum. Tunc ammiratus factum inopinabile, utrum quisquam apposuisset dapiferorum, satagit clanculo requirere, et Omnipotenti grates rependit in cordis penetralibus. Rumor per vulgi spargitur hora[b], beatum Gerardum virtute glorificatum divina, cuius gratuitam helemosinam acceptam sibi Dominus ostenderit per huius miraculi indicia. Sed vir sanctus, custos verae humilitatis, famam de se probatam omni annisu celare contendit, nec quicquam suo gestum merito obnixe asserit.

10. *Quod exibens bonum opus helemosinae, meruit Christum in specie germani fratris suscipere.* Assuetus etiam mos viro fuerat magnificus, ut sub Christi exemplo cotidie certum pauperum numerum congregaret, eisque pedes manusque oscula figens ac capillis tęrgens ablueret, atque ipsorum factus minister sufficiens edulium illis devote ministraret; et si quando forte quis pauperum huic numero deerat, id ipsum servitium vice egeni alicui suorum familiarium humiliter impendebat. Erat autem huic glorioso germanus frater[10], qui vir summae dovotionis ei assistebat incessanter, ac persepe tali se offitio ingerebat, si forsan esset absens pauper, credens, ut est vera fides, criminum [maculas[c]] abluere, uti multociens sanctum audiebat praesulem certissime praedicare. Quadam ergo vice dum sanctus Domini solitum opus bonum pauperibus impendere voluit, ecce quidam in sui personam germani loco absentis pauperis affuit, devotum praesulis officium in abluendo pedes manusque suscepit; sed mox in sumendo esu repente disparuit. Spacio igitur manente vacuo, certo pauperum numero diminuto, frater requiritur pontificis, cur locum reliquerit statuti ordinis, atque suscipere cogitur solitae donum

a) ad *ante* soll. *rec. manu add.* 1. b) *i. e.* ora. c) *deest* 1. sordes *Calm.*

10) *Azelinus comes Tullensis, frater domni pontificis* a. 982. subscripsit chartae Gerardi ap. Calmet I. Probb. p. 389.

984. benedictionis. Iurat ille sub sacramenti testificatione, quod egenis minime fuerit ipsa consociatus vice; alter in sui forma pauper exquiritur; omnes domus et platearum anguli praesule inscio perscrutantur, nec quisquam eius fratris consimilis repperitur. Cunctis audientibus nascitur ammiratio, et ad ultimum est creditum, apparuisse Christum pon-
Matth. 25, 40. tifici sanctissimo, qui olim est dicturus fidelibus in huius seculi termino: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

11. *De pignoribus sanctorum flumini immersis manuque beati receptis.* Illud est etiam memoratu dignissimum, in quo non solum patribus priscae legis eum novimus comparandum, immo non minimis sanctis novae cultoribus gratiae venerandum. Siquidem quoniam sanctitatis in illo decus rutilabat, et spiritu consilii prae cunctis sui temporis praepollebat, ideo in summis rei publicae causis ad colloquium anhelanter exposcebatur, et quicquid Spiritu sancto dictante proferebat, acsi divinitus prolatum ab omnibus audiebatur. Itaque quadam ingruente necessitate, ad regis fuerat curiam convocatus, et per Moium flumen navigio sibi transitus. Clerico autem eius extra navim ad manus abluendas inclinato, qui pendentem a collo sacri ligni portionem in quodam ferebat philacterio, casu contigit, ipsa sancta pignora in aquam decidere, navique cursu concitata, nequivit ea clericus manu reprendere. Omnes ergo subiit non minimus[a] meror pro sanctarum reliquiarum neglegentia, et maximus pavor, dum earum carent tutela, quarum se putabant munere ab omni adversitatum securos violentia. Dei vero gratia apud curiam rebus prospere gestis, redeunt, ac per eundem fluvium remigrare statuunt. Dum autem ad illum pervenerunt locum, ubi praedictum sacrum munus corruit, sanctus praesul in Christi confisus virtute, manum flumini immersit, ac sine mora cunctis cernentibus quod illapsum fuerat retraxit; quod factum praesentes a merore in ammirationem convertit, Christi magnificantes gratiam, quae ita in beato pontifice resplenduit, sanctissimoque illum comparantes Benedicto summo monachorum patri, qui sicut propheta Heliseus rurale ferramentum flumini illapsum divina virtute recepit.

12. *Quod digiti ductu excussit silicem ut mallei ictu.* Sicut autem et superius retulimus, summum ei erat studium in sanctorum aggregandis pignoribus, quorum se credebat meritis a cunctorum inimicorum tutandum incursibus. Itaque postquam a fundamento basilicam huius sedis ampliore spacio et splendidiori ornatu restruxit, tempore dedicationis adventante, Metim[b] vadit et coepiscopum suum Theodericum, ut sibi in tam sancto offitio cooperator[c] existeret invitavit. Qui dum se ab hoc excusat itinere, quandam nactus occasionem, iterum hic sanctus praesul alteram repetit supplicationem, scilicet ut sibi vellet aliquam portionem reliquiarum sancti prothomartyris Stephani concedere, quibus credebatur affatim habundare. Ab hac quoque prece abnegativis repulsus verbis, demum alia resumit verba exorationis, ut saltem ei concederentur sanctae intueri reliquiae, quatenus hoc accepto letanter posset domum repedare. Allato ergo silice torrentis integro, quo beatus fuerat martyr obrutus, qui etiam nunc manet eius glorioso sanguine cruentatus, noster venerandus pastor eum deosculatur, in circuitu luminum orbes volvit, ac in summo cacumine quasi semitam digito ducit, praesentique coepiscopo talia suppliciter infit: *Si tua fraterna caritas hoc tantillum nobis tribueret, mihi cum summa gratiarum actione sufficeret.* Mox itaque silex citius dicto ea parte qua pius pastor digitum duxerat scinditur, veluti maximo ictu mallei excuteretur. Hoc viso ibidem astans episcopus, de tam evidenti divina virtute ammiratus, nostro inquit patrono celitus inspiratus: *Quoniam superna gratia tibi, pater sanctissime, optata tribuit, per me non fraudaberis tanti leticia muneris.* Itaque gloriosus pontifex perpendens Christum in suis cooperatorem[d] actibus existere, summo tripudians gaudio, domum redit citissime, ceptamque implet basilicae consecrationem, celesti roboratus solamine.

13. *Quod eodem cęlebrante missam quaedam teca[e] desuper altare componitur infra aliam.* Rursum quoque praelibatus Mediomatricorum praesul egregii confessoris Goerici
11 corpus transtulerat, ac in cenobio sanctimonialium Spinalensium[11], ubi honorifice veneraretur, locare decreverat, atque ad hoc peragendum consortem sibi nostrum sanctum pontificem humiliter invitaverat. Ergo binis praeparatis thecis, ubi beatae servarentur

a) minus *corr.* minimus 1. b) mettim *ut videtur corr.* metim 1. c) et operator 1. d) torem *e corr.* 1. e) cęca 1.

11) Epinal; cf. Vitam Deoderici c. 12.

reliquiae, una exteriore argenteorum fulgida nomismatum decoramine, altera interiore ferri nexa ligamine, sacra deferuntur pignora ad locum destinatum, praeeunte ac subsequente magna letantium frequentia populorum. Sed insperato repentina suboritur mesticia, quae praesentium turbavit pectora, paulo ante exultatione redundantia[a]; quia cum minor theca debuit maiori iuxta morem inseri, reperta est interior quantitate enormi, dum inprovidus opifex mensuram utrarumque incaute direxit, nec argenteum coperculum ad mensuram pedis claudi valuit. Cunctis ergo hinc non modicę mestificatis, beatus noster pastor agendis praeparatur missis, atque pro praesentium tristicia Dominum supplicibus exorat votis. Dum autem ab eo clausula sanctae consecrationis alta voce proferretur, antequam ad dominicae verba orationis perveniatur, subito illud male prominens scrinium suo loco stabilitur, hians cooperculum nullis imminentibus cum magno collisum fragore sua sponte clauditur, praesentium mesticia convertitur in gaudium, fit cunctis indubium ibidem Christum adesse propicium. Quod licet beati Goerici possit reputari meritis, tamen non extat incredibile, illic affuisse virtutem nostri sancti praesulis, cuius piae preces vultum adierunt omnipotentis[b] Altissimi.

14. *De clade mortalitatis remota a plebe urbis.* Culpis populi urgentibus, dolenda clades sparsim increbuerat[c], misera strages Tullensis urbis plateas humanis cadaveribus iam pene repleverat, nullaque domo vacua vel languido vel mortuo, iam cunctos occupaverat mestuosa[d] huius labilis vitae desperatio[12]. Tunc beatus praesul pro plebe 12
sibi commissa non minimum sollicitus, diversis curarum artabatur anguoribus, cogitans, quo posset remedio gregi periclitanti subvenire quantocius. Divino ergo animatus consilio, triduanum indicit ieiunium, dehinc in unum convocat barrochiarum vicinarum populum, et cum supplici devocione elevat gloriosorum pontificum Mansueti atque Apri veneranda corpora, fisus eorum sublevari patrocinio ab imminenti angustia. Quibus praeviis cunctas circuit plateas urbis, prolata in excelsum voce plebis lacrimabiliter supplicantis. Sed occulto Dei iudicio tanta increvit ipso die pestilentia morientium, ut antequam beati Mansueti basilicam sanctorum accederent reliquiae, multitudini iungerentur procedenti sedecim defunctorum libitinae. Venerandus autem pontifex populum, ne a prece desisteret, cohortatus[e], repetito itinere, coenobium sancti Apri adiit cum populis frequentibus, ibique lugubre septiformem letaniarum cursum explet, ante sanctorum corpora cum clero humi stratus. Hinc surgens terra inundante eius lacrimis, cum antiphonam inchoasset in voce deprecationis, eadem hora tres ex populo corruentes defecerunt in medio multitudinis. Sed omnipotens miserator flebiles sui famuli preces non diu surda praeterivit aure, atque ibi statuit finem sevientis plagae, nec quisquam amplius eodem anno est conquestus, se artari solitae pestis gravedine. Verum quamquam hoc virtutis insigne magnifico sanctorum iustę deputetur merito, non tamen hic beatus expers esse credi debet ullo modo, quem Deus plurimis mirificum virtutibus suo propalavit populo.

15. *Quod experrectus a somno misit extingui candelam apud Sanctum Mansuetum ardentem pallium.* Instinctu piae devotionis locum sancti Mansueti vir Domini summo amore excolebat, cuius etiam cenobium labili veterno deciduum renovare satagebat; et tum suo incessanti monitu, tum piissimi patroni admodum exorabili obtentu, frequens populorum turba coepto operi helemosinarum largitate non modicum suppeditabat. Una ergo noctium quaedam Deo supplex mulier votivam candelam altari imposuit, expletaque oratione, lumen inibi ardens reliquit, ac custos ecclesiae oblitus rerum se cubitum collocavit. At candela dum improvisa consumitur, quaeque vicina ardendo lambit, pallium super altare ac pallam suppositam arripit, et ad proximos parietes, arentibus contextos frondibus, flammas vibrantes traicit. Ea hora Christi praesul fessos artus placido sopori in urbe commorans crediderat, et usu solito officialis clericus ante eum studio lectionis insistebat. Tunc sanctus inopinato experrectus, assidenti inclamat his vocibus: *Surge*, ait, *quantocius, locum sancti Mansueti expete festinus, candelam, quam illa Deo devota altari ardentem imposuit, extingue sollicitus, quia lambens flamma pallium cum vicinis frondibus adedit, et ni praeclara sancti praesulis ibi iacentis virtus adiuverit, noster*

a) reduntia 1. b) omip. 1. c) increbruerat 1. d) mestuasa 1. e) cohartatus corr. cohortatus 1.
12) cf. Miracula S. Mansueti c. 16.

coeptus labor in construendo cum magno dispendio deperibit. Credo, aliquid divini iudicii per soporem senserat, qui rem longe actam tam praesaga mente in somnis cognoverat. Mox in tempesta noctis clericus celer locum adit, rem sicut audierat repperit, ignem extinguens, monachum de negligenti incuria increpat, et quid a pontifice didicerit, studiose intimat. Adest huius facti testimonium pallium resarcitum et a sancto Domini decoro limbo adornatum.

16. *Quod spiritu prophetiae indicavit astantibus, quod regno restitutus foret Otto tercius.* Quoniam autem prophetiae emicuerit dono, sancti Spiritus impletus afflamine,
983. veridicorum testimonio probat dictum memorabile. Secundo Ottone augusto rebus humanis exempto, dux Baioariorum Heinricus Ottonem eius filium adhuc infantem in cunis rapuit, imperiumque sibi gestiens usurpare, eum in captionem posuit. Nostri ergo patriotae principem degenerem non patientes suscipere, fideli eligunt consilio dominum proprium aut vi aut ratione reposcere. In hoc peragendo venerandus Gerardus ad solatium evocatur; sed debili fractus senio, excusatus redditur. Verum quos corporeo nequivit comitari vestigio, spiritualium solaciatur orationum iuvamine magis proficuo. Itaque
984. utrimque congregatur agmen bellatorum non modicae multitudinis, dies ac locus statuitur mutuae collocutionis[13], ac Dei gratia pax roboratur, fidelibus praecurrentibus internuntiis. Beatus vero pontifex pro perturbatione christiani populi nimium anxius, quid rerum ab adunato gereretur excercitu, erat suspenso corde dubius. Quadam itaque die, flammivomo sole caeli axem mediante, vir Domini sub divo penes suum palatium stabat pro quantulo corporis levamine, de praedictarum eventu rerum conquerens cum familiaribus pia animi sollicitudine, et subinde caelum respectans, subinde ab imo[a] pectore prolatis suspiriis illacrimans, insperato facies eius leticiae claritate perfunditur, et nescio quid divini in caelum intuitus, iocundo verbo haec praefatur astantibus: *Gaudete, dilectissimi, quia hodie hac hora pax nostro est restituta imperio, nostro futuro principe libertati reddito.* Mirati qui aderant pro almifica beati virtute, diem atque horam certo designant notamine, et aeque repperiunt, ut praesago sancti constiterat praedictum ore.

17. *Quod praedecessorem suum beatae memoriae Gauzlinum cognovit in caelis sancto Apollinari adsociatum.* Occulta etiam suorum consilia iudiciorum ei Omnipotens sepe declarabat, ac velut consecretali intimo archana suae dispensationis certissimę revelabat. Suo namque praedecessori domno Gauzlino pontifici maliloquorum derogabat susurratio, ut plurimi nostri temporis ad detrahendum potius quam laudandum ore patent promptulo, dicentes eum a religionis tramite plurimum exorbitasse, ac per erroneos secularis vitae cursus non minimum deviasse[b]. Quae sententia odibilis in tantum processit, ut aures huius sancti pulsaret praesulis; sed ille ne audiret nequam verba detractionis, sepiebat sibi aures spinis divinae lectionis. Tamen huiusmodi dictis nec nimium credulus, nec usquequaque dubius, statuit pro eo piam Creatoris clementiam exorare attentius, ut sibi Dominus dignaretur intimare, utrumnam iam fatus episcopus in celestis requiei letaretur beatitudine. Secreto ergo triduanum solus explet ieiunium indefessum, cum singultu ac gemitu fontem emanat lacrimarum, vigiliis ac precibus diuturna transigit spacia, lassescentem stomachum iugi macerat inedia. Tridui demum temporis excursa abstinentia, celitus visitatur revelatione gratifica, et cuius sit meriti vir pro quo petierit, superna ediscit gratia. Intimat namque, sibi a Christo non dubię praemonstratum, pontificem praenominatum celestis consortii perpetua felicitate coronatum ac venerandi martyris Apollinaris gloria et meritis coequatum. Nec vero id cuiquam videbitur ullo modo incredibile, qui perpendit eum in construendo Buxeriensi[14] coenobio laboriose nec inutiliter desudasse, cuius meritum et corona haud hesitanter creditur, quicquid inibi caste ac religiose a Christo famulantibus peragitur. Quae ratio divini eloquii testimonio innititur, cum tuba caeli Paulus sic hortando inquit Philippensibus:
Phil. 4, 1. *Gaudium meum et corona mea, sic state[c] in Domino, karissimi.*

18. *De gloriosa sanctorum Mansueti atque Apri apparitione et sibi ab eis reddita sanitate.* Temptatus est quoque aliquando desperabili corporis egritudine, per quam Deus omnipotens glorificanter declaratus est in suae virtutis maiestate. Quodam siqui-

a) immo *corr.* imo 1. b) devitasse 1. c) stante *corr.* state 1.

13) De conventu Wormatiae habito agit; cf. Vita Adalberonis c. 3. 14) Bouxières.

dem tempore nimio languore praegravatus, ipso iam frigescente corpore, ad extrema est deductus, nec quisquam ei spem rediturae sospitatis spondere praesumebat, nemo nisi de solo eius funebri obsequio satagebat. Tunc eum subiit caelitus inspirata cogitatio, ut sanctissimorum pontificum Mansueti atque Apri se clementi commendaret praesidio, atque eorum venerandas reliquias iussit deferri in sancti baptistae Iohannis oratorium, quatinus ipsorum praesidiante suffragio, aut[a] desperati caperet languoris praesens remedium, aut in supremo exitu ante severum iudicem propitiabile solatium. Sacratis ergo pignoribus infra urbem delatis, cum honore condignae a fidelibus noctu celebrantur vigiliae; nec desunt pontifici in conclavi contiguo recubanti funereae excubiae. In tempesta autem noctis strepitu vulgi frequentis subsidente, ecce illi qui languerat cepit praeter spem salutifer sopor obrepere, moxque a sanctis pontificibus visitatur per somni quietem exoptabili visione. Videbatur namque sibi languenti ante lectulum astitisse eosdem viros magnificos, praesulari decenter habitu infulatos, qui quasi requirebant ab ipso misericordi conpassione, quomodo sese haberet, et cuiusmodi languore tam graviter egrotaret. Cumque modus ac genus egritudinis a languido panderetur, visum est sibi, quasi iuberent ei, ut se sequeretur, et reflexum iter verterent versus oratorium, quo sacra eorum pignora servabantur. At ille, qui dies non paucos languerat, sospes surrexit concitus, ac gloriosae visionis stupore attonitus, credebat beatos praesules corporea sibi astitisse praesentia, iterque arripuit, quasi eorum prosecuturus vestigia. Ad valvas autem perveniens ecclesiae, propria potitus mente, sanctorum recognovit virtutem, quam sibi dignati sunt ostendere, moxque antiphonam: *Exiliit claudus et ambulabat*, praecinuit in iubilationis laude. Hinc ante venerabiles sternitur reliquias, pro beneficio grates sanctis rependit magnificas, Deumque in suis famulis praedicabilem intacibili ore glorificat.

19. *Quod nimia vis ventorum ante beatum nequivit extinguere vel imminuere lumen cereorum.* Coetum quoque Grecorum ac Scottorum agglomerans non modicum, propriis alebat stipendiis commixtum diversae linguae populum. Quibus etiam cotidie congregari statuerat divisis altariis in oratorio, ubi Deo supplices laudes persolverent more patrio. Quendam itaque talium boni testimonii[b] virum contigit ab hac seculi erumna eripi, cuius exitus nocte terras inumbrante est relatus beato pontifici. Qui mox a nocturno surgens stratu, quo iam sese locaverat, devotus festine pergit ad funebres obsequias longe in media platea civitatis, ubi servabatur corpus iam obeuntis fratris. Tunc nubilus aer in immensas sese pluvias densaverat, et tempestuosa vis ventorum caelo inundante nimio flatu perurgebat. Servus autem Omnipotentis, exequiali peracto officio, defunctum ad ecclesiam prosequitur, praevio cereorum obsequio. Sed quamquam, ut diximus, pluviosa tempestas influeret, licet magna austri violentia ipsas etiam arborum radices evelleret, tamen ante beatum praesulem lumen praecedens extingui non valuit, nec suae splendorem claritatis ulla aeris turbela imminuit; nimirum quia verum lumen, Christum scilicet, in sese gerebat, et ipse radians plebis lux tenebras eorum ignorantiae doctrina et exemplis illustrabat, ideo caliginosa noctis umbra[c] merito obtenebrari nequibat.

20. *De iniuriis sancto viro inlatis, et de absolutione anathematizatorum.* Quia autem granum erat dominicum supernis recondendum horreis, necesse erat eum in hac convalle lacrimarum area triturari paternae afflictionis, ut inde panis mundus super nivem dealbatus componeretur, ac divinae conspectui maiestatis velut holochaustum acceptabile offerretur. Quem enim diligit Dominus corripit, et castigat omnem filium quem recipit. Hebr. 12, 6.
Invidus itaque humanae stirpis inimicus, vitam illius cernens miris effulgere virtutibus, sicut cera a facie ignis liquescens tabescebat, quia eum praecelso humilitatis gradu caeli ardua penetrare conspiciebat, unde se per superbiae noxam deiectum noverat. Hinc eius famosam gloriam teterrimis suae invidiae tenebris cupiens offuscare, quosdam ex potentioribus laicis Leuchi territorii Odelricum[d] et Richardum coepit contra eum nequitiae stimulis agitare, qui potius debuissent ei fideli animo obedire. Nam in plebem sancto pontifici a Deo creditam perpetrare multa ceperunt gravia ac pessima, et quae pii pastoris mirae patientiae forent importabilia, rapinas scilicet iniusticiasque in pauperes crudeliter excercendo, et quaeque cupido avariciae oculo de rebus ecclesiasticis

a) ut 1. b) testimonium 1. c) u. illi obsequendo m. 2. d) o. dico 2.

contra ius atque fas usurpando. Hos mitissimus Christi praesul multimodę paterna redarguens invectione, non solum eos ad viam equitatis nequivit ullo modo reflectere; immo potius sancta eius deteriorati commonitione[a], columbinam coepere in eo simplicitatem irrisorię subsannare. Tunc vir Domini, non proprias ultum iri cupiens iniurias, sed plebis sibi commissae summa mentis pietate miseratus molestias, quos diutissimę patienti sustinuerat animo, tandem more legali terribilis anathematis cohartat vinculo. Sed illi nequissimi quia divini praesentiam respectus posthabebant tremendique horrorem iudicii iam animo floccifecerant[b], christiani ablegationem consortii ut nichilum parvipendunt, dementisque more frenetici in Dei praesulem insaniunt, et salutare antidotum eis datum ad animae medicinam recalcitrando vertunt in furoris insaniam. Hinc contra eum insurgentes, minas terroris absenti congeminant, ipsum etiam mortis exitium[c], si oportunitas obtulisset, atrociter intentant. Intimatur Christi servo a familiaribus, quo se cautum redderet, ne perversissimis patrandi locum facinoris ullo modo concederet. Sed
Prov. 28, 1. ut ait exemplum Salomonici proverbii: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit*, fortissimus Domini bellator garrulas eorum minas quasi canum latratus despiciens importunos, suae parrochiae statuit fines deambulare contiguos. Itaque apud Mannoniscor-
15 tem[15] sancti Apri villam tempore quodam devenit, ibique iuxta ecclesiam pernoctare disposuit. At unus ex iam fatis miserrimis, Odelricus videlicet, hoc cognito, ratus se tempus repperisse oportunum, assumptis complicibus, praesulem insequitur beatissimum; et sicut athletam Christi Lambertum Treiectorum[d] pontificem Dodo peremit infelicissimus, ita hunc sanctum Domini nequam Odelricus neci tradere aggreditur. Tunc domum, in qua ipsum noctu morari cognoverat, cum manu obsidet praevalida, et quasi lupus ovili inhians, querit aditum quo introeat; sed multitudo sancti praesulis fidelium armorum vasis intus asstans praeparata, aliquantulum eius iniquo nisui viriliter obstat. Vir autem patientissimus Omnipotentis nixus auxilio, ad necis se parat periculum absque ullo timoris indicio[e], ecclesiae pavimento pronus incubans, lacrimarumque fontibus humum
Ps. 26, 1. 3. ubertim irrigans, atque corde et ore celum his vocibus pulsans: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* et rursum: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* At Odelricus atrocissimus cernens armis sibi non patere aditum, vi prohibente obstantium, tecto et parieti ignem apponit flammivomum, domum cum basilica contigua crudeliter adurit, plurimos sancti pontificis familiarium nequiter interimit; Christi vero dilectissimus iam martyr desiderio ac amore effectus, ante altare humi stratus reperitur, capitur, trahitur, iniuriatur, et nisi anathematizatos absolvat, mors ei vicina, gladio cervici impendente, minatur. Verum ille non veritus, ab huius seculi erumnis exui cuiuscumque generis morte, quippe qui iam cupiebat dissolvi et cum Christo esse, sed eorum compatiens insaniae velut pater dulcissimus, ne suo temporali interitu ipsi aeternae mortis cruciatu damnarentur, illorum satisfecit voluntati importunae, eo tenore ut quicquid deliquerant digna corrigerent penitudine. At quia incorrigibiles in pristina perdurarunt nequitia, ideo ipsis merito conduplicata est inrevocabilis sceleris ultrix vindicta. Nam modo[f] a beato praesule demum excommunicantur, immo a cunctis Gallicanis pontificibus, ab ipso quoque domno apostolico de sorte ecclesiae eliminantur. Ut autem Omnipotens cunctorum inspector se panderet sui famuli iniurias non placato respexisse oculo, sevissimos dirae crudelitatis ministros cum sequenti[g] progenie iusto dampnavit iudicio. Nam post egregii pontificis exitum ita coeperunt omnes cum propria stirpe adnullari, ut nemo in pristinum decus seculi ad honorem queat se redisse gloriari. Vere supernus arbiter iure in omnibus viis suis iustus praedicatur, qui peccata patrum in filiis scęleratis usque in terciam et quartam generationem reddere cognoscitur.

21. *De quibusdam institutis et sanctae Dei aecclesiae rebus adquisitis.* Hic adeptus est praeceptum ab Ottone augusto, ut fideles huius sedis optineant facultatem liberam eligendi pontificem quemcumque sibi proficuum viderint. Xenia autem, quae ab antecessoribus eius pro dandis praebendis exhigebantur, potestati canonicorum pro augmento
16 religionis tradidit. Ecclesiam in Tranculfi villa[16] canonicis[h] ob anniversarii sui diem

a) communitione *corr.* commonitione 1 b) flocciferant 1. c) exititium 1. d) treiectorem 1. e) iudicio 1. f) non modo 2. g) consequenti 1. h) *add. sed del.* tradidit 1.

15) Manoncourt. 16) Tranqueville.

celebrandum concessit. Constituit quoque, ut mansiones clericorum, quae infra moenia civitatis consistunt, quae sunt constitutae in loco qui dicitur Exterius-claustrum, nullus extraneorum causa hospitalitatis inquietare praesumat, nec cuiquam laicorum liceat inter eos mansionem habere aut manere. Hospitalitatem[a] apud suam sedem supervenientium necnon egentium dominici memor ęloquii ordinavit, et decimas omnium episcopalium redituum ibidem delegavit. Ipse imperiali praecepto Ottonis Magni[18] possedit abbatiam 18 Mediani-monasterii[19] et de Offonis-villa[20], necnon Pauliniacensem[21] et Derversem[22]. Eo tamen vivente, Heribertus iuvenis, pater Stephani comitis de Vitreio[23], totam abbatiam Derversem abstulit et possedit. Cuius vestigium sequens eius filius Stephanus, similiter usurpavit et tenuit. Adquisivit etiam idem praesul a praefato imperatore[24] abbatiam sancti Deodati[25] et forestem et bannum quam dicunt Episcopi-montem et villam Banniolum, et ab Odelrico comite adquisivit 7 mansos apud Bodonis-curtem[26] cum dimidia ecclesia, et a Warnero comite castrum de Wirowalt[b]; precariam quoque faciens de Barro-monte, accepit a duce Beatrice 59 mansos, videlicet villam Vemplonam[27], Brilloni-villam, Longam-villam[28], Reson, Tannum[29], Nant cum molendino, Cor- 29 cellas, item Corcellas, Basini-curtem, Malberch. Ipse concessit duci Beatrici, tempore vitae suae et post se uni filio suo tenere abbatias Medii-monasterii et sancti Deodati, retinens in vestitura indominicata monasteria, et decem mansos de utroque coenobio, et altare sancti Deodati, et decimas minae argenti, censusque hominum ad altare pertinentium cum omni districto. Quique movit rationem contra praefatum Archardum Linguonensium praesulem, asserens modicam eum rependisse pro Varennis[30] restaurationem. Cui Archardus spopondit, se daturum augmentum secundum commune consilium utriusque partis fidelium; sed vicino praereptus obitu, sponsionem non duxit ad effectum. Res ergo in dubio perstitit, dum suus successor Widricus parvo post tempore supervixit. Subsequens autem Bruno et Varennas vi tenuit, et pro tribus villis, quas Archardus in concanbium dedit, Pauliniacensem abbatiam usurpavit.

22. *De glorioso transitu beati viri ad gaudia perhennis regni.* Ceterum quia eius ammirabilia gesta nequit humana mens in numerum colligere, nedum omnia valeat linguae plectro personare, sanctissimum eius transitum succincto satagamus compendio perstringere. Itaque iam senectutis gravedine sarcinatus, praenoscens diem sui imminere transitus, sollertius se divino servimini praeparat, quo facilius supernae ianua pietatis sibi introituro pateat. Quia autem mortem furi comparari improviso divini didicerat verbi attestatione, velut vigil sollicitus supremam satagebat horam summo cum timore expectare, ne eum repentinus interitus insperato supriperet ac imparatum superno iudici praesentaret. Quae pia sollicitudo iam eum de Christi benignitate certum reddiderat, quia continua mortis meditatio cautum et paratum sancta consuetudine effecerat. Peractis igitur gloriosę in pontificatu quadraginta[31] et uno annis, ebdomadibus tribus, diebus quoque tribus adiectis, plenus dierum, hoc ordine hominem exiit die 9. Kalendarum Maiarum. 994. Apr. 23. Quidam boni testimonii ex Scottis, quos alebat, primo surgit diluculo, urbis plateas circumit, eiulando clamans ac protestans, patrem suum et dominum, sanctum videlicet episcopum, eximendum a seculo, idque certe signo visionis praemonstratum sibi a Domino. Corda percellit omnium hoc flebile indicium, sed tristis rerum exitus dat Scotto testimonium. Mane siquidem ipsius diei, sole terras illustrante, vir Dei solitos matutinorum cursus expleverat, ac ante beati martyris[c] Blasii altare quiddam psalmorum assueto more decantabat, cum subito sensit super cervicem velut dirum ictum ferientis lanceae, moxque hoc dolore omnium elanguit virium valitudine. Hinc brachiis baiulantium est delatus ad lectulum, et convocans devotum suae sedis clerum ac populum, indicat eis suum praesentialiter imminere transitum. Quos etiam sua sancta commonitione confirmans in divinae legis observatione, et reconciliatus sacri olei

a) Hospitale *in cod. Gestorum Tull. Baluziano.* b) Mirowalt *cod. Bal.* c) *add. sed del.* tui 1.

18) Ottonis II. ap. Benoit p. XIX. 19) v. supra p. 91. 20) fortasse Odonville. Calmet I. p. 1025. de situ dubitavit. 21) Poulangy in diocesi Lingonensi. 22) Monstier-en-der in diocesi Catalaunensi. 23) Vitry. 24) V. diploma ap. Benoit p. XXIII. 25) S. Dié. 26) Boncourt. 27) Monplonne? 28) Longeville. 29) Tannoy, Nais, Courcelles, Basincourt, Marbech. 30) S. Gengou de Varenne prope Lingonam. 31) *triginta* scribendum erat.

994. Apr. 23. perunctione, necnon cunctos praesentes et absentes absolvens episcopali benedictione, divini sumpsit sacramenti viaticum, summaque cordis ac vultus cum leticia felicem efflavit ad astra spiritum. Quis siccis potest luminibus planctus referre et lacrimas affluentium promiscui sexus et aetatis turbarum, inopum maxime et peregrinorum, quibus velut filiis dulcissimis semper caritatis pandebat sinum! Communi omnes lamentabantur voce, orphanorum tutamen, mestorum consolamen, pauperum levamen se tam insperato amisisse. Quid multis morer? Cuiusmodi fuerit eius vita in seculo, evidentibus propalavit indiciis divina dignatio.

23. *Quod per excessum quidam monacus in coenobio sancti Arnulfi cognovit decessum beati viri.* Mettis etiam fuerat quidam devotae mentis clericus, Fulcuinus nomine, qui secundum divinae praeceptionis hortatum perfectioris vitae requirens statum, posthabito seculari honere, iugum Christi expetiit suave, apud Sanctum moratus Arnulfum in monachili ordine. Hic in extremis agens hora qua felix noster pastor obiit, diuque in agone sudans, in extasi raptus, sine vitali flatu aliquantisper iacuit, ita ut a praesentibus crederetur iam transisse viam huius seculi. Mesta fratrum cohors ibi frequens aderat, quae eius exitum psalmodiae et precum votis insistendo apud piam Omnipotentis gratiam adiuvabat, cum subito ille, qui prae manibus velut mortuus tenebatur, flatu resumpto rediit, cunctisque perterritis ac rei novitatem mirantibus infit: *Meum noveritis exitum adhuc divina praedestinatione differendum, sed de persona cuiusdam magni viri est ingens in caelis gaudium, qui cum spe divinae clementiae ad superni throni deducitur iudicium. Nam vidi sanctorum agmina angelorum letantia exeunti animae occurrere, et cum verbis piae consolationis eam vultui aeterni iudicis praesentare.* Omnibus adstantibus crescit horum verborum ammiratio, et quae sit tanti persona meriti, subit stupida hesitatio, famaque huius dicti vulgatur in publico. Cunctis autem attonitis, veridicus advenit relator, nuncians, quod beatum pontificem ab huius mundi erumnis pius evocaverit Redemptor. Inquisita vero eius hora transitus, inventa est eadem quam praelibatus dixit monachus, cognitumque extitit, ipsum fuisse, quem viderat angelicis Christo praesentari manibus. Debitis ergo offitiis a lamentante populo prosecutus, finitimis in eius obsequio aggregatis pontificibus et regni optimatibus, in medio choro ecclesiae suae sedis, quam ipse a fundamentis extruxerat, est honorifice tumulatus. Ubi mirificis virtutum prodigiis multipliciter effloruit, quarum sunt etiam nunc in praesenti vita testes idonei; adhuc quoque digniter florescit, nisi modica fides petentium[a] desperando lubricaverit. Verum pauca e multis hic inserere dignum duximus, ut superni gratiam Conditoris quam praedicabilis in sancto suo extiterit, palam luce declaremus.

24. *De quodam paralitico die anniversarii eius apud sepulchrum curato.* In suburbio eiusdem civitatis erat quidam artifex lignarius, ecclesiae sancti Aniani capitali censu servulus, qui[b] . . . .

25. *Quod beatus Maiolus indicat fratribus, sanctum Gerardum humanis exemptum rebus.* Eadem quoque tempestate beatus Maiolus plurimorum Christi servorum pater eximius Cluniaco aderat, et in hora qua noster venerandus pastor seculo eximebatur, a fratribus divino impleto offitio, tempus refectionis advenerat, ipseque praefatus pater Maiolus ad ęsum convocando fratres monastico more cymbalum insonabat. Tunc itaque — sicut illi erat continuus usus, etiam in agendo aliquo terreno opere supernae contemplationi[c] intendere, et interioribus mentis oculis Christum orando in sede maiestatis conspicere — repente in claram leticiam eius mutatur facies, et prae habundanti gaudio lacrimis distillat affluenter, ac fratribus convocatis talia profert: *Frater noster domnus Gerardus Leuchorum pontifex seculi huius angoribus abstractus divino praesentatur iudicio, et iccirco illi curemus impendere solatium caritativo animo. Nobis enim erat iunctus familiaritatis societate, atque notus omnium bonorum morum qualitate. Sed quamvis eius vita fuerit in orbe laudabilis et dignus meritorum splendore a Christo misericordiam consequi, tamen quia nemo in praesentis seculi squalore est mundus e sorde, studeamus ei pro posse suppeditare precum suffragationem.* Devoti itaque fratres suppliciter agunt commendationem, notantesque illius exitus horam et diem, certis referentibus nuntiis, reperiunt, veram contigisse sui patris revelationem.

a) potentium 1? b) *in hoc et c. 26. plura inutilia resecui.* c) contemplationis *corr.* contemplationi 1.

26. *De quadam muliere ter destituta terque membrorum offitio restituta.* Quaedam etiam mulier de Troceio villa super Mosam fluvium........ Harum aliarumque virtutum testes adhuc supersunt idonei, qui asserunt sub veritatis testimonio, se vidisse luminaria strata humi ante sanctum sepulcrum sua sponte erigi, nulloque fomentante, divino igne accendi. Sed quia eius mirabilium ingens numerus humanum excidit animum, quae illuminatione cecorum, erectione contractorum, aliorumque peregit expulsione morborum, huic longo operi finem satagimus ponere exoptatum. Haec igitur nos ex multis eius meritis descripsimus pauca, et ex magnis digessimus parva, non ut illi honor aliquis praestaretur nostra infacunda laudatione, quem certum est nostris nullis praeconiis indigere; sed quo eius emulatores pro viribus efficiamur, per quem omnipotens Deus una et inseparabilis Trinitas glorificetur iugiter et laudetur; quia ipsi debetur omnis laus et gloria in secula seculorum, Amen.

EX MIRACULIS SANCTI GERARDI AUCTORE WIDRICO.

INCIPIUNT MIRACULA BEATI GERARDI.

Quoniam divinitatis suppeditante gratia, cotidie per beatum Gerardum accrescunt clara miraculorum insignia, idcirco vobis visum est, domine venerabilis Udo primiceri, patresque amantissimi, qui sub beati prothomartyris Stephani patrocinio eidem sanctissimo pontifici fideliter deservitis, quatinus meae pusillitati onus importabile imponeretis, iubendo ut virtutes eius magnificas in priori libello longitudine fastidiante omissas repeterem, et quae plurimorum nostrorum patuerunt usibus, stilo elucubrante[a], posterorum memoriae commendarem. Labor certe meae insipidae inbecillitati difficillimus, nisi vestro apud Omnipotentem interventu me iuverit sancti huius patroni memorabilis virtus. Aggrediar ergo pro posse, Christi manu gubernante, primo digerere, quae per hunc gloriosum temporibus venerandi Bertold iatque Herimanni, sibi successorum pontificum, divina pietas dignata est efficere, demum ordine pertingam ad eius gloriosam translationem, quam Omnipotentis praedestinatio fieri voluit per almificum papam domnum Leonem, quartum eiusdem successorem.

1. *De quadam muliere, cuius manus contracta in eiusdemque est sollempnitate erecta.* Nam quoniam ab ipso eiusdem magnifici praesulis transitu mira ceperunt ad illius tumbam prodigia clarescere, devotioni placuit fidelium eius annualem diem sollempniter excolere; hincque pontificali statuitur edicto, circumiacentium populorum affluentiam devote cum votorum frequentia ad sancti clementiam recurrere, cuncto aggresti ac domestico intermisso opere. Quondam igitur anni vertente circulo, beati festum populo letante remeaverat, et sollempni signo insonante ob sancti reverentiam omni manuali labori plebs fidelis renuntiaverat. Sed sicut stolida rusticorum fatuitas[b] solet facile divina[c] postponere instituta, ancilla cuiusdam Willelmi suburbani, offitio textrinali intenta, non vicino obedientiae pede sollempnia implere curabat; immo post datum prohibitionis signum, cepto operi inobediens insistebat. Cumque huic . . . .

2. *De Bernefrido contracto, stipe ipsius dum vixit educato, et ad tumbam post mortem sanitati reddito.* In hac quoque civitate fuerat quidam nomine Bernefridus, a materno contractus utero, cuius omnis progenies constat sancto Stephano censuali subdita debito. Qui, sancto pontifice in hac lacrimarum convalle demorante, eius stipendiis cum aliis quam plurimis alebatur, postque eius excessum ut fidelis servulus beneficiorum memor, beatum tumulum devote, prout sibi erat possibile, venerabatur; et . . . .

3. *De quodam cui plantae inheserant posterioribus, qui virtute sancti effectus est sanus.* Item quidam alius de Trondolis ibidem advenit . . .

4. *De muliere a caecitate liberata.* Alia rursum illic deducitur misera flebilis . . . .

5. *Quod, cessante populi devotione, destitit sanctus solitae pietatis aliquandiu beneficium praebere.* Haec de pluribus sancti virtutibus, prout divinitas contulit posse, decerpsimus pauca, quia multa eius magnifica gesta reprehensibili veterum incuria elapsa sunt a memoria. Culpis quoque plebis urgentibus, cepit vir beatissimus solita consolationum munera aliquandiu omittere, dum videt miseri devotionem[d] populi erga Deum frigescere, nec ad correctioris vitae emendationem ullo modo anhelare. Immo etiam gravissimis pestium afflictionibus tota regio diutissime contabuit, adeo ut se aeternae desolationi ob enormitatem scelerum ab omnipotente iudice destinatam crediderit. Nam durissima aeris intemperie desuper tempestatibus et procellis incumbente, dolenda famis subsequente miseria, mortalitatis etiam flebili pestilentia cunctos fines perurgente, diutina quoque comitis Oddo- c.1030.
nis persecutione omnia circumquaque praedis ac incendiis devastante, tota pene patria funditus ad nichilum devenisset, nisi larga Dei miseratio per

a) elugrubante *corr.* elucrubante 1. b) festiuitas 1. c) diuna 1. d) deuotione 1.

huius beati merita consumptam plebem respexisset. Sed o vere ineffabilis et multiplex Omnipotentis pietas, cuius opus misericordia et veritas, qui filios delinquentes ita flagellat[a], ut patienter emendet, ita contristat, ut misericorditer letificet; quique hanc urbem diutius mestifica afflictione prostratam, insperato provexit ad ampliorem consolationis gratiam, dum ex ea venerabilem ac memorandum
1049. domnum Brunonem praesulem ad summi praesulatus culmen exaltavit, ipsamque per hunc gloriosum Gerardum prodigiosis miraculorum signis decoravit.

6. *De quodam puero mox caecato, sed ad tumbam beati nec mora illuminato.* Siquidem anno
1050. incorporati Christi millesimo quinquagesimo, ipsiusque domni Brunonis, qui et Leonis noni papae, anno apostolatus secundo, redierat sollempnis dies anniversaria huius beati pontificis, quae more consuetudinario statuta est celebrari cunctis Leuchorum populis. Verum o lugenda mortalium miseria, semper tendens ad declivia, quae gaudet de viciis usque ad tartara decidere, quam de virtute in virtutem celi convexa conscendere! Nam eius dignissimam celebritatem plebs rusticana et urbica pene postposuerat, et ad quaeque ruralia ac domestica opera vetitum laborem adhibebat, nec memorabile sancti mauseolum solitis orationum et munerum votis excolebat: cum ecce ipsius festi mane septennis puerulus, cuiusdam suburbani Willerici nomine filius, scolare studium more assueto repetit, traditae lectiunculae psalterii semotus incumbit; sed aliqua interspatiante hora, ex abrupto clamat se luminum usu carere, palpebrarum rimas quodam veluti visco agglutinatas fore . . . . Completa vero oratione dominica a puero et clerico, retrahitur inde sanus lumine claro, nec postea laboravit huius cecitatis incommodo. Mox denuo omnis plebs evocatur, omnipotenti Deo grates pro beati praesenti virtute referuntur, inque eius celebritate sollempnis dies reciprocatur. Cuius admirabilis facti testis non est quilibet vulgarium, sed tota urbs Leuchorum, in eius permanens praeconium, huic perhibet miraculo testimonium. Nec illud etiam claudendum oblivionis tenebris, quod, ut pace sanctorum dici liceat, hic beatus quandam virtutum praerogativam sibi promeruit, ut si quis quamlibet gravissimo febrium artetur incommodo, plenus fide ipsius sanctissimi tumuli pulvere epotato, absque ullius dilationis interstitio sospes datur continuo. Non autem ita ut alias solet fieri, aliquo dierum aut temporum spacio exoptatum donum salutis differtur; sed mox ut languidus ardens ac tremens ad sancti caput soporatur, omnis anxietudo cuiuscumque laboris profugatur, et expercrectus qui ibi obdormierat, se egrotasse obliviscitur. Quod virtutis meritum non fuit antehac huic nostrae etati de hoc beato viro expertum, quippe quoniam fuerat diu neglegenti incuria abolitum, sed a praedicto anniversarii die est omnibus circumquaque promulgatum, ex quo super ceco puero illud contigit nobile miraculum. Nec vero extat possibile omnium languentium personas nominatim revolvere, cum eorum multitudo inter clericos et laicos maximeque puerulos centenarium videatur numerum excedere, et diatim quicumque devotus eius solamen expetierit, facile id valeat exprobare.

7. His ergo pluribusque aliis insignibus vir beatus efflorebat, ac diu multumque erga eum refrigerata populi devotio recalebat. Ipse etiam celestis fervor, qui hic corda fidelium accenderat, animum domni apostolici Leonis nimia eius devotione imbuerat, qui in summo erat desiderio, aliqua illius virtutum audire insignia, quibus patescerent praesentialiter cunctis fidelibus eius gloriae in caelis[b] ab omnibus crederetur, et devotis populis munere miraculorum in terris patrocinaretur, tamen non digne ab omnibus venerabatur, nec in sanctorum numero ecclesiasticis offitiis excolebatur. Unde Christo devotus domnus apostolicus, quamlibet non modici calleret amoris fervore erga sanctum Domini, tamen quoniam, sicut se noverat ad exemplum omni christianae praelatum plebi, ita etiam cunctorum patere conspectui: iccirco nichil praeceps de eodem volebat auctorizare, nisi id aliquo modo sibi divina panderetur revelatione. Dum itaque hoc ab Omnipotente in dies desiderantissime praestolaretur, et dum plurimorum maximeque domni Udonis primicerii confabulatione atque ammonitione eius animus magis magisque in hoc sancto desiderio accenderetur, aeternus Creator, qui voluntatem timentium se facit, et deprecationem eorum exaudit[1], ipsius devotam intentionem respexit, et quid inde vultui suae maiestatis conplaceret, certa visione propalavit. Cuius rei pandendo exitum non videtur necessarium nos longo sudore lascessere, cum Deo fidelis domnus apostolicus id suis scriptis dignatus sit roborare, quae huius sedis clero et populo voluit dirigere. Ne autem praesentes et futuros lateat illius a Deo praemonstratae visionis inditium, eadem domini nostri papae verba huic inserere operi duximus oportunum, quorum textus tale sortitur exordium:

Leo episcopus servus servorum Dei, cunctis catholicae[c] ecclesiae filiis in Christo salutem et apostolicam benedictionem.

Virtus divinae operationis in omnibus mirabilis, maxime tamen in sanctis suis, quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, quos etiam vocavit et iustificavit, antequam secula fierent, antequam ipsi existerent; et quia ipse Dominus in euvangelio dicit[2]: „Pater meus usque modo operatur et ego operor", verum procul dubio esse cotidie ostenditur quod dicit, scilicet eos sanctificando quos vocavit, eos vocando quos praedestinavit sola gratuitae[d] miserationis bonitate, non humani generis merito, quia naturaliter omnes sumus filii irae et filii gehennae. Cum autem haec dicere coeperimus, continuo patefaciemus, quia sicut nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum statuit, ut luceat omnibus qui in domo sunt: sic et Dominus noster Iesus Christus [agit[e]] illos clarificando miraculis in mundo, quos secum vivere et gloriari facit in caelo, ut qui per adoptionem facti sunt filii Dei, praeveniente gratia pateat illos heredes esse regni quod

a) flagellauit 1. b) *quaedam deesse patet. Fortasse:* Qui quamvis beatus ab. c) chatolicae 1. d) gratuitate 1. e) *ita rec. manu* 1.

1) Psalm. 144, 19. 2) Ioh. 5, 17.

promisit Deus diligentibus se. Paulo igitur ante nos in episcopatu Tullensi, unde nutu Omnipotentis et omnia suo arbitrio disponentis, non ullis meritorum nostrorum profectibus, ad apostolicam sedem translati sumus, fuit episcopus nomine Gerardus, qui duo talenta intellectum et operationem a celesti patrefamilias accipiens, divinam legem, quam medullitus intellexit, sic opere adimplere studuit, ut fieret dignus accipere illam desiderabilem a Deo salutationem[3]*: „Euge, bone serve et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui". Sic*[a] *enim Domini sui talenta erogavit, sic animas lucratus est, verba salutis praedicando et opere quod praedicabat excercendo, ut geminatam Domino suo pecuniam praesentaret, et sibi aeterna beneficia cumularet. Lumbos sibi praecinxit castitatem servando, lucernas in manibus portavit exempla bonae operationis aliis praebendo. Expectavit Dominum suum a nuptiis sanctae ecclesiae non dormiendo, sed vigilando prima, secunda, tercia vigilia, anxius [ad eius*[b]*] aspectum, secundum illud quod cotidie psallebat*[4]*: „Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea [ad te*[b]*], Deus. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea". At quia sic semper animo suspirabat ad Deum, eius virtute comitatus angelicam ducens vitam, cotidie Christum in pauperibus ad mensam suam suscipiens, cotidie piis actibus insistens, nec docendo, nec agendo, nisi quod sanctum et Deo gratum esset, multis effulsit miraculorum prodigiis sanctitati eius testimonium perhibentibus; unde adhuc plures testes existunt; quod et idem post mortem carnis cum Christo domino nostro spiritu vivens et glorians, sepe operatus est, et sepe adhuc curans diversos languores diversasque infirmitates. Quamvis autem venerabile corpus eius multis, ut diximus, hactenus choruscaret miraculis, et ipse in numero sanctorum divino sit deputatus iudicio, nondum tamen in catalogo sanctorum sortitus est humana corroboratione numerum. Quod Dei miseratrix clementia nobis servis suis reliquit agendum, ubi ad culmen conscendimus apostolicum. Residentibus ergo nobis Romae in synodo in ecclesia Salvatoris cum multis coepiscopis nostris circa sexto Nonas Maias, relatum est auribus nostris ab Udone Tullensi praeposito, eadem nocte ipsum Gerardum in visione apparuisse cuidam venerabili monacho, nomine Albizoni, qui synodo intererat, quem ipse Udo nimiis*[c] *precibus constrinxerat exorare Dominum, ostendere sibi, cuius meriti esset apud Deum ipse domnus Gerardus, qui tot miraculorum radiis emicabat. Videbatur ergo illi ipsum adsistere sibi, quem numquam corporaliter viderat, etiam nomen eius audierat, et dicere, se ipsum Gerardum esse, pro quo Deum decreverat exorare. Ad quod ille gavisus, sedulo sciscitari coepit, an esset apud Deum in numero sanctorum. Cui leto vultu respondit, procul dubio se esse cum Deo, dignumque ac iustum fore eos honorari in terris ab hominibus, qui honorantur in caelis ante Deum ab angelorum agminibus. Quam visionem ipsi ore proprio divulgavimus in synodo, exponentes ipsius domni Gerardi vitam venerabilem, conversationem mirabilem, miraculorum multitudinem, efficatiam divinae virtutis ad corpus eius exuberantem; et sequenter sanctam synodum interrogavimus, si deberet ut sanctus venerari et sanctus deinceps nominari. Ad quod cuncti tam archiepiscopi quam episcopi, tam abbates quam clerici ac laici, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quasi uno ore clamaverunt, ipsum domnum Gerardum virum esse sanctum, adeo inter sanctos merito numerandum, nominandum et venerandum, pro eo quod vivens in carne testantibus miraculis vir sanctus extitit, et carne exutus, qualis in mundo fuerit, in celesti beatitudine positus mundo cotidie eisdem miraculis innotescit. Decrevimus igitur, sic annuente et laudante synodo, ut ex hoc sanctus habeatur et sanctus colatur 9. Kalendas Maias tam Leuchae sicut sanctus Mansuetus et sanctus Aper, quam ubique terrarum sicut ceteri sancti. Cuius sancti venerabile corpus per nos ipsos cupimus transferre, et digno loco in altari proprio collocare ad laudem et gloriam domini nostri Iesu Christi, qui ideo factus est pro nobis homo, ut non solum salvaret eos a peccatis, sed etiam conferat eis praemium beatitudinis et mansionem in caelis, ubi ipse cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per secula seculorum, Amen.*

1050.

3

Nomina sanctorum putrum qui praescriptae synodo interfuerunt:

Dominicus patriarcha Gradensis.
Alinardus archiepiscopus Lugdunensis.
Leodegarius Viennensis archiepiscopus.
Hugo Bisuntiensis archiepiscopus.
Huncbertus Siciliensis archiepiscopus.
Hildebrandus Capuensis archiepiscopus.
Petrus[d] *Consanus archiepiscopus.*
Iohannes[d] *Senensis episcopus.*
Iohannes Portuensis archiepiscopus.
Wido Volaterrensis episcopus.
Crescentius[e] *Silvae candidae episcopus.*
Iohannes Velletrensis episcopus.
Iohannes Hostiensis episcopus.
Iohannes Savinensis episcopus.
Iohannes Tiburtinus episcopus.
Benedictus Faleritanus[d] *episcopus.*
Leo Gagetanus episcopus.
Atto Camerinensis episcopus.
Iohannes Sicinensis[f] *episcopus.*
Adalbero Mettensis episcopus.
Obizo Pisensis episcopus.
Heinricus Populonii episcopus.
Atenulfus Fesulanus[g] *episcopus.*
Crescentius Cerensis episcopus.
Azo Centumcellensis episcopus.
Gerardus Reatinensis episcopus.
Bonizo Tuscanellensis episcopus.
Iohannes Suanensis episcopus.
Gerardus Rosellanus episcopus.
Teodericus Orbiensis episcopus.
Harduinus Fanensis episcopus.

a) Si *rec. manu corr.* Sic 1. b) *rec. manu add.* 1. c) miniis *post corr.* nimiis 1. d) *ita legi videtur* 1. e) cresentius 1. f) Ticinensis? g) Fuselanus 1.

3) Matth. 25, 23. 4) Ps. 41, 2. 62, 2.

Herimannus Castellanus episcopus.
Herimannus Corbinensis episcopus.
Aldredus Wigradensis episcopus.
Leo Murensis episcopus.
Masio Montis-viridis episcopus.
Bonus Petroinensis episcopus.
Bernardus Pataviensis episcopus.
Walterus Veronensis episcopus.
Heinricus Spoletanus episcopus.
Isembardus Theanensis episcopus.
Petrus Buturnensis episcopus.
Atto Marsitanus episcopus.
Leo Soranus[a] *episcopus.*
Benedictus Berulensis episcopus.
Azo Folinensis episcopus.
Altigrimus Immolensis episcopus.
Gerardus Florentinus episcopus.
Fridericus Genuensis episcopus.
Gozfredus Constantiensis episcopus.
Mainus Redonensis episcopus.
Hugo Nivernensis episcopus.
Isembaldus Pictavensis episcopus.
Arnolfus Sanctonensis episcopus.
Arduinus Tudertinus episcopus.
Hugo archidiaconus ecclesiae Romanae.
Petrus eiusdem ecclesiae diaconus et etiam cancellarius et bibliotecarius.
Sico primicerius ipsius ecclesiae.
Richardus abbas sancti Benedicti.
Hugo abbas Cluniacensis.
Airardus abbas sancti Pauli.
Iohannes abbas sanctae Sabae.
Reinerius abbas sancti Cosmae[b].
Petrus abbas sancti Bonefacii.
Iohannes abbas sancti Vitalis.
Iohannes abbas sancti Laurentii.
Bonactus abbas sancti Iohannis.
Richerus abbas sancti Iuliani.
Liudfridus abbas sancti Vincentii.
Gozfredus abbas de Vergeliaco.
Walerandus abbas sancti Vittoni.
Gerewinus abbas sancti Richeri.
Viventius abbas sancti Ianuarii.
Leo abbas sancti Cornelii.
Martinus abbas sancti Blasii.
Felix abbas sancti Andreae.
Richardus abbas sancti Ragneberti.
Dudo abbas sanctae Mariae.
Perenesius abbas sancti Salvatoris.
Agino abbas sancti Silvestri.
Adam abbas sancti Isaac.
Teuzo abbas sancti Petri.
Viventius abbas sancti Ianuarii.
Willelmus abbas sancti Apollinaris.
Wido abbas sancti Severi.
Liuzo abbas sanctae Mariae.
Albricus abbas sancti Zenonis.
Iohannes abbas sancti Salvatoris.
Bonactus abbas sancti Salvatoris.
Letus abbas sancti Angeli.
Stephanus abbas sancti Thomae.
Roldulfus abbas sancti Petri.

INCIPIT TRANSLATIO BEATI GERARDI.

8. Cum igitur sancta mater ecclesia unius atque inviolabilis fidei constet unitate, nichilque intra eius amplissimum caritatis concludatur sinum ab huius fidei seiunctum unanimitate, et cum nil sit aliud sincera fides, quam de Omnipotentis maiestate id credere quod condecet, id venerari et colere quod de eius excellentissima dignitate credi oportet, quicumque Christi fidelium merita perfecta mentis sinceritate sollicite veneratur et[c] excolit, ipsi Deo, cuius sunt menbra, culturam piae venerationis impendit. Nam ipse Christus, caput summum omnium bonorum, inquit[5] discipulis, et in eis cunctis aliis perfectionem meritorum suo munere adeptis: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Duplici ergo ex causa nos convenit, huius nostri gloriosi praesulis merita fideli veneratione excolere, vel quoniam Deum in suis mirabilem sanctis debemus praedicare, vel etiam quod sanctae obedientiae a summo pastore, vice Christi universalem ecclesiam regente, id cogimur adimplere. Qui enim infidelis de ipsius sanctis meritis corde obstinato dubitare praesumpserit, iure nefandorum incredulitati Iudeorum comparari poterit, qui cotidie veneranda Salvatoris cernentes mirabilia, mente sinistra obcecati Beelzebub esse astruebant opera. Cui etiam constat summopere praecavendum, ne quorum incredulitati in terris suae inreligionis merito comparatur, eorum quoque consortio iusto Dei iuditio societur. Qua vero mente quis praesumat de eius meritorum sanctitate diffidere, cum diatim prospiciat ipsius gloriosum tumulum venerandis miraculorum prodigiis effulgere, et tot tantorumque patrum auctoritas, qui cum universali pastore illius memorabilem sanxerunt venerationem, cunctorum debeat animis infidelem[d] demere hesitationem. Nam cum veritatis invincibile depromat testimonium, duobus aut tribus in suo nomine congregatis se fore medium eorumque omnibus implere desiderium, nulli dubium, quin tam numerosae multitudini fidelium, qui huius nostri patroni celebrem sanxerunt memoriam, se praesentem affore voluerit, per quos et in quibus residens suae praedestinationis scita disponere statuit. Qui ergo sancta eorum decreta, superbiae vel incredulitatis aut etiam invidiae commaculatus nevo[e], servare postposuerit, viderit, quibus gradibus superni gloriam regni scandere possit, ad quam nemo, nisi humilitate, fide ac karitate innixus, pervenire valebit, illiusque caelestis tonitrui terrentis[f] meminerit[6]: *Quicumque offenderit in uno, factus est omnium reus.*

9. His vero per excursum praelibatis, succinctę perstringamus ordinem huius sanctae translationis, ne forte quemquam tediosum fastidiat series longae narrationis. Siquidem Deo devotissimus ac religiosus papa Leo suae sanctae sponsionis non immemor, qua promisit per semet velle istius venerandi patroni pignora levare e tumulo, in loco reponenda eius sanctitatis meritis dignissimo, longum iter ab Romana urbe ad nos usque arripuit, ac sola huius sanctae devotionis causa

a) seranus 1. b) *ita a rec. manu corr.* 1, *ubi antea* R. a. s. Bonefacii *legebatur, omissis* Petrus a. s. B. c) *rec. manu add.* 1. d) infidele *post corr.* infidelem 1. e) cummuculatus nemo 1. f) terentis 1. 5) Luc. 10, 16. 6) Iac. 2, 10.

praecurrente Belgicam Galliam, cunctis inopinabiliter laetantibus, advenit. Fama vero istius desiderabilis facti omnium comminus et eminus aures quam celeriter pervolitante, concurritur ibidem a diversa promiscui sexus multitudine, cunctae urbis plateae supervenientium occursu vestiuntur, nec moenia exire cupienti egrediendi spacium ferebatur, dum intrantum affluentia patentes aditus comprimebantur. Devotus quoque coetus sanctorum pontificum aderat, quos pia devotio a remotis climatibus ibidem adduxerat. Nam cum venerando Lugdunensium archiepiscopo domno Halinardo, quem decorabat sacra monachilis religio, accurrerat inibi domnus Hugo Crisopoleos urbis archiepiscopus, quem regalis nobilitas et iocunda facundia amabilem reddiderat omnibus. Quin etiam Georgius Colocinensis archiepiscopus de Ungaria advenerat, quem civium legatio et apostolicae benedictionis cupido a longinquis ibi partibus advexerat. Frotmundus quoque Trecassinus episcopus cum Herberto Autisiodorensi praesule necnon Lupo Anglorum pontifice huic tam divino studio se adiungunt socios devotissime. His itaque sanctae religionis subnixa columnis, gloriosa domni apostolici praesentia diem statuit, quo huius sancti nostri protectoris fieret translatio cunctis desiderantissima. Circumfluebat in dies copiosius numerosa plebium multitudo, letatura totis animi medullis de incomparabili sacri corporis thesauro. Et quoniam non poterat ferri undique supervenientium affluentia, veritus domnus papa, ne in transferendo sacra pignora a turbis ingereretur importuna molestia, sano decrevit consilio, id nocturno implere tempore, solis clericorum monachorumque catervis testibus in hoc religioso opere. Superveniente ergo vespertinalium tenebrarum crepusculo, quo 12. Kalendas Novembris dies illucescebat [a] dominicus christiano populo, sacrae instituuntur vigiliae, continuato spacio longissimae noctis, a monachis et clericis vicissim persolvuntur Christo laudes iubilationis. Dehinc adest domnus papa cum cetu pontificum, praecedente fulgore et fraglantia cereorum et aromatum, lapis quo sanctum tegebatur sepulcrum revolvitur, intus omni thesauro preciosius venerandum corpus aspicitur. Tunc vero videres eius decorum vultum nulla tapedine [a*] marcidum, quasi oculis clausis somnum trahentem, florentem caniciem, reflexa cesarie cervicem utrimque decorantem, vestimenta pontificalia ne ullo quidem humore mucida [b], nedum essent aliqua vetustate putrida. Itaque honesto iacens habitu, quandam resurrectionis [c] speciem praemonstrare videbatur, ut non mortuus, sed quasi dormiens vocem excitaturi angeli praestolari crederetur. Ipsius beata menbra omni nectare suavius odora pene integra sunt reperta, nervis iuncturarum adhuc internexa, paululum quiddam carnei pulveris superficie tenus ostentantia. Haec infinito preciosissima venerabiliter colliguntur digne, prout fuit possibilitas, linteis et palleis condita includuntur, ac illo toto die populis undecumque circumfluentibus adoranda praesentantur. Sequenti vero die 11. Kalendas Novenbris plenaria eiusdem sancti pontificis decernitur sollempnitas, atque a dextris altaris beati prothomartyris Stephani ara sacratur benedictione apostolica, ubi ipsius deinceps sancta veneraretur memoria.

1050. Oct. 20. — Oct. 21.

10. *De quadam parvula paralisi contracta, sed per beati virtutem solide erecta.* Ex hinc ceperunt mira virtutum insignia per eum frequentius clarescere, et gloriosam illius famam nominis in quascumque orbis partes disseminando promulgare. Quidam igitur huius urbis civis, nomine Rainfridus, censu servili beato Stephano ab antiqua stirpe subiectus, quandam in crepundiis habebat parvulam, in qua . . . .

11. *De quodam dextri cruris debilitatem incurrente, cui virtus subvenit divina, sancto patrocinante.* Instante ergo festivo ipsius venerabilis transitus die, plus solito accurritur affluenter ab omni plebium multitudine, quippe quam nuper apostolico edicto eius auctorizata sollempnitas a longinquis undecumque partibus devotae religionis instinctu accierat. In divinae modulationis laudibus pene tota nox ab huius sanctae congregationis fratribus instanter expenditur, nec minus a fideli populo in beati excubias devotissimę pernoctatur. Inter reliquos autem excubantes quispiam duplici afflictione, paupertate scilicet ac debilitate miser aderat, quem quidam ꞗonae devotionis archidiaconus Lantbertus vocabulo suis alendum stipendiis susceperat. Qui [d] . . . . .

EX MIRACULIS S. MANSUETI AUCTORE ADSONE.

INCIPIT OPUSCULUM LIBELLI SEQUENTIS DE HIS QUAE PER EUM POST OBITUM GESTA SUNT [e].

Quoniam in [f] anterioris executione [g] operis, prout divina sublimitas ad memoriam praesentium temporum renovandam [h] exiguitati nostrae contulerat, pauca ex pluribus breviter explicuimus [i], ea scilicet, quae, dum maneret in corpore, Dei est virtute operatus, omissis his quae vel incuria vel prolixae vetustatis desidia tacita sunt vel neglecta, ad ea quoque quae nostra aetate gesta sunt suscepti negotii studium [k] convertamus. Quae videlicet tanto securius [l] proferimus, quanto haec quo-

a) illuscebat 1. a*) *i. q.* tabedine. b) muscida *corr.* mucida 1. c) resurrexionis *corr.* resurrecionis 1. d) *Sequuntur alia duo miracula* 12. De frenetico adducto sanaeque menti reddito *et* 13. Quod quidam toto incurvus corpore, ante pignora sancti meruit sanitatem recipere, *quae cum nihil historiae contineant omisi.* e) Explicit liber primus. Incipit secundus 2. 2*. f) *deest* 3. g) exequutione 1. 3. h) reuocandam 2. 2*. 3. i) explicamus 2. 2*. 3. k) suscepta negotia c. 3. l) *Hic et infra in* 1. *plures litterae legi nequeunt.*

que vicinius fuisse facta[a] in dubio non[b] tenemus; in primis siquidem adnotantes, quod sive, ut diximus, barbararum irrumpente feritate gentium, seu etiam celeberrimis[c] inter se consectationibus populorum, per succedentia tempora isdem locus rebus privatus, munitionibus dissipatus, pene ad nichilum fuerat redactus, frequenter etiam virorum secularium dominationi subiectus. Interea longa evoluta quoque temporum serie, post Drogonem
922. inclitum Leuchorum[d] urbis episcopum[e] domnus Gozlinus[f], nobilissimis Francorum natalibus[g] ortus, pietate et religione conspicuus, litterarum studiis adprime eruditus, per Dei providentiam electus, in hac sede est pontifex ordinatus. Qui diligenter clerum instituens, viros prudentes undecumque colligens, urbem rebus auxit[h], sapientia decoravit, provida[i] dispensatione munivit. Hic itaque praefatum locum diversis, ut diximus, casibus lapsantem considerans, ascito sibi ex loco sancti Apri confessoris Christi egregii[k] domno Erchembaldo[l] patri venerabili, quem ipse quoque illic abbatem ante[k] constituerat, locum hunc[m] in religionis ordinem[n] committit reparandum[1]. Qui videlicet vir venerabilis[o], ut erat religiosissimus, sub praepositorum manu monachorum aliquos delegavit; et quia illic stipendia eo tempore deerant, propriis monasterii sui sumptibus alendos instituerat.

1. *De*[p] *quadam caeca quae ante ianuam beati Mansueti illuminata est.* Praefati igitur felicissimi antistitis domni Gozlini[q] tempore, dum isdem locus sub praepositorum, ut diximus, custodia ageret, quae ante e vicino vel post visu vel auditu contigerint, satis sit vel pauca de multis expedire. Widonem istius urbis multi noverunt comitem[2]. Hic viculum quendam habuerat ab urbe non longe positum. Quem quia ipse construxerat, usque in praesens tempus nomen Widonis[r] habet. In hoc quaedam ancilla[s] eius fuerat, quae iam per annos septem ceca[t] permanebat. Haec . . . . . .

2[u]. *De muliere sanata, quae a demonibus vexata sensum perdiderat.* Stephanus quidam miles inter suos non infimus, non longe ab urbe rure proprio commanebat. Hic ex coniuge filiam acceperat, quam . . . . .

3. *De leproso curato.* Alio quoque tempore elefantiae quidam[v] morbo percussus . . . . .

5. Eodem fere[w] tempore Drogo quoque[x] miles notissimus, qui pago Dulmensi[3] fuerat oriundus, huius gratiam sancti pontificis est[y] pleniter expertus. Qui videlicet cum esset in[z] rebus militaribus strenuus et promptus, non minus tamen[*] erat fide et bonitate conspicuus. Hic irruente febrium peste, paene ad extrema perducitur[a], atque amissis totius[b] viribus corporis, nichil sibi[c] superesse nisi mortem vicinam conspicatur. Quid potissimum faciendum esset, mente confusa versabatur. Vitalia exosus alimenta et quietis impatiens, de sola morte cogitabat. Cum ecce inter letiferos febrium anhelitus, et ignis ardentis stridentia acumina, menti incidit sancti huius expetere refugium[d]. Adducitur igitur vectus subsidio servulorum; ingressusque templum venerabile, imposito cervici vinculo, sancto se ex libero[e] in servum dedicat, et votum censuale die certo devovet[f]. Sicque nocte illa ante aram provolutus excubat, atque in crastinum inter sacra missarum sollempnia livido iam furore erutus, domum, qua vectus fuerat, liber revertitur et sanus; non oblitus post haec ereptoris sui beneficii, quo tam evidenter ab illis stridoribus meruerat absolvi.

6. Praeterea innumerabiles nos vidisse meminimus huiusmodi vexationibus detritos[g], qui flammis stridentibus, totis effusi corporum viribus, solum exitum meditantes, huius meritis et potentia sancti redierunt[h] ad propria sani et incolumes facti. Quae omnia si velimus plene persequi[i], ante defitient nobis tempora, quam universa magnalia eius valeant litteris[k] comprehendi[l].

7. Tamen si cupimus huius [nostri[m]] protectoris meritis provehi, beneficiis adiuvari, nos ab eius laudibus et obsequiis non[n] convenit exortes deputari[o]. Quod in uno solo facile est deprehendi, quod congruum duximus adiungi.

Quodam tempore, ut moris est rusticorum, quidam Barrinsium[p] partium non parvo numero rustici, grege facto, sumptis vehiculis et redarum[q] copiis, Vicos expetierant[r] salinarum[4]. Datisque in coemptionem rerum venalium convectationibus, ad sua redire cupientes, salis commertia referebant, et iam ex maxima parte expleto itinere, Gundulfi villam[5] transgressi, ad alveum Mosellae cum illa sua reda squalentes[s] labore rustici pervenerunt. Ubi obiectu transmeandi fluminis aliquantulum[t] intricati, a loci illius incolis duriter sunt invecti, cur eo die rotalibus actibus insudantes, in tanti patris, quae ea die annua colebatur, sollempnitate, tanquam agrestibus[u] animis communis laetitiae se paterentur non esse consortes. Rustici haec econtra ludibriis prosequuntur[v], dicentes, haec sacra ad illos non pertinere, nec quicquam cum hac celebritate habere commune, quam solis Leuchorum populis nossent debitam et votis civilibus excolendam. His ita contumaciter persistentibus, ultio divina prosequitur. Mira dictu-

a) facta fuisse 2. 2*. 3. 4. 5. b) non dubitandum 1? c) celeberrimus 1. creberrimis 2. 3. 4. 5. d) leucorum 2*. e) episcopatum *corr.* episcopum 1. f) gauzlinus nobilissimus 3. g) nobilibus 3. h) ausit 2. 2*. i) prouidentia 1. k) *deest* 2*. 3. l) herchemboldo 1. m) supradictum 3. n) ordine 3. o) *add. sed delevit* uir 1. p) *Haec rubra nonnisi in* 1. *legitur; in* 2. 2*. *hic incipit:* Cap. 2. q) gauzlini 1. 3. r) wydonis 1. s) e. a. 2. 2*. ancilla *deest* 3. t) c. s. 1. u) Cap. III. 2. 2*. *et ita deinceps. Rubra ibi deest.* v) m. q. 3. w) *deest* 2. 2*. x) quidam 3. y) p. est 2*. z) *deest* 3. *) e. t. 2. 2*. a) deducitur 2. 2*. 3. b) u. t. 2. 2*. 3. c) *deest* 2*. d) perfrugium *corr.* perfugium 1. e) libro 1. f) deuouit 2*. g) attritos 2. 2*. h) redierint 1. i) prosequi 3. k) *deest* 3. l) comprehendendi *corr.* comprehendi 1. m) *deest* 2. 2*. 3. n) *deest* 2. 2*. 3. o) d. e. 3. p) barrensium 1. 3. q) rerum 1. r) expetierunt salinarii 1. s) sqalent 2*. t) aliquandiu 3. u) aggrestibus 1. v) prosecuntur 2. 2*.

1) cf. diploma Ottonis I. ap. Calmet I. Probb. p. 353. 2) Subscripsit chartae Gauzlini ap. Calmet l. l. p. 344. 3) le Dormois in diocesi Remensi. 4) Vic-aux-Salines. CALM. 5) Gondreville.

rus sum. Tanta subito rabies miseris illis[a] animalibus incubuit, ut se invicem consertis[b] cornibus appeterent, et cunctis videntibus maximum[c] terrorem incuterent; infelices vero[d] rustici pene ab humanis sensibus excedentes, circumquaque[e] vagabundi ferrentur, bovesque versi in amentiam, poenas suorum luerent dominorum. At illi in quibus vigoris[e*] animi aliquid resederat, ecclesiam beati pontificis cęlerius irrumpentes, reatum suum publice profitentur[f], votis se et supplicationibus astringunt, de caetero fore cautiores, si poenis praesentibus erepti liberi redire potuissent. Nec distulit sanctus voces audire gementium[g], quibus et misera armenta restituit et abeundi facultatem donavit.

8. Praefati domni Gozlini[h] pontificis obtentu, Grimauldus[i] quidam, vir vitae[k] venerabilis, quodam tempore ex monachorum sancti Apri religioso collegio assumptus, eiusdem loci sui abbatis imperio rector et praepositus fuerat constitutus. Qui videlicet pro merito carus omnibus, principalis obedientiae titulis fuerat insignitus, disciplinis regularibus preciosus. Hic itaque in usibus necessariis unius vaccae subsidio fruebatur. Quod videlicet animal coudiendis[l] potissimum oleribus familiare praestabat obsequium. Sed quadam die . . . . . .

9. Gloriosae vero et felicis in[m] aeternum memoriae domnus Gozlinus[n] sepedictus episcopus, piis ac sanctissimis operibus approbatus[o], plenus dierum et bonarum virtutum insignibus suae complens tempora vitae, magno merore et luctu omnium, quadragesimo quarto ordinationis suae anno[6], delatus a clero et populo in Buxeriensi[p] cenobio, quod ipse a fundamentis longe ante construxerat[7], dignissimam, sicut vivens iusserat, accepit[q] sepulturam, inter choros virginum, quas illic plures numero vitae districtioris aggregaverat, longis seculis in Dei laudibus excolendam. Cuius dies depositionis 7. Idus Septembris agitur sub obtentu sanctae[r] Dei genitricis et perpetuae virginis Mariae in seculum permanentis.

10. *De[s] his quae acta sunt beati Mansueti meritis tempore domni Gerardi pontificis.* Ut vero adhuc competens hystoriae nostrae rei veritas et ordo consequatur, huius sanctissimae et intemeratae virginis Mariae praeeunte gratia et virtute, necnon et beati prothomartyris Stephani sanguine choruscante[t], cui urbs[u] tota innititur, universus populus meritis sanctificatur et regitur, haec[v] eadem Leuchorum civitas, suo, ut dictum est, rectore destituta, nequaquam diutius[w] est, Deo disponente, pessumdari permissa. Nam votis utriusque fidelium[x] ordinis aspirante gratia[y] divinae maiestatis, triumphatoris invicti, domni[z] videlicet Ottonis augusti, decreto statuente, agente quoque germano eius[*] domno Brunone pontifice, Gerardus Coloniae civibus[a] oriundus, in clero, genere et religione praeclarus, destitutae Leuchorum urbi futurus designatur episcopus. Qui siquidem cum esset ecclesiasticis[b] institutis adprime eruditus, regnante in perpetuum domino Salvatore, dum nongentesimus[c] sexagesimus tercius eiusdem[d] sanctae incarnationis ageretur temporum cursus, omnium unanimitate acclamante fidelium, in hac[e] eadem est sede intronizatus pariter et assumptus. Hic itaque inprimis dum sibi commissam urbem expeteret, in praefatum beati Mansueti oratorium, quod forte obvium habuerat, primo ingressu[f] divinitus, ut creditur, menti incidit, quod illic requiem in[g] seculum seculi et habitationem electam secundum prophetae vaticinium, eodem occurrente[h] versiculo, sibi praesignavit[i]. Et haec, ut patet liquido, circa eundem locum potioris devotionis causa fuit pariter et salutis augmentum. Nam rerum competentium dispensatione composita, non longo temporis interiectu, laudabilis memoriae abbatis Humberti[k, 8] consilio, qui tunc temporis[l] beati Apri gloriose regebat monasterium — cuius nomen, ut speramus et cupimus, libro beatae vitae tenetur adfixum[m] — suorum etiam consensu fidelium, quendam boni testimonii virum moribusque[n] fulgentem[o], verbis et actibus institutum [Adam nomine[p]] eidem loco abbatem praefecit et rectorem. Ex his vero quae ad[q] se videbantur pertinere rebus locum decenter ampliavit, et numerum Deo famulantium secundum regularis vitae disciplinam fideliter instruxit[9]. His tandem ita gestis, quia haec res in propatulo[r] constant et solito disponuntur[s], coeptae hystoriae seriem[t] prosequentes, ea quae huius praesentis domni Gerardi pontificis tempore beati virtute Mansueti gesta sunt, breviter explicemus.

963

11. Suspensis caelo imbribus, inimica frugibus magna et illius temporis inusitata sterilitas arvis squalentibus incubuerat. Deinde tellure fatiscente[u], laboribus hominum, aestu nimium irruente, pene concrematis, exustae terrae, dictu horrendum! cultura deperibat[v]. Et ut in ultionem infidelis populi invectione Domini longe ante prolatum[w] fuerat, caelum desuper speciem minabatur

a) *deest* 3. b) consortis 2*. 3. c) nimium 3. d) Sed et ipsi r. 3. e) c. uersi in amentiam u. feruntur. At illi 3. e*) uiguoris 1. f) profiterentur *corr.* profitentur 1. g) gemituum *corr.* gementium 2. h) gauzlini 3. i) grimaldus 2. 2*. 3. 4. 5. k) q. uirtute 3. 5. l) condiensis 2*. m) m. in ęternum 3. n) gauzlinus 3. o) comprobatus 2. 2*. 3. p) buxuriensi *corr.* buxeriensi 1. q) accipit 1. r) *deest* 1. s) *rubra deest* 2. 2*. 3. t) choruschante 1. u) t. u. 3. v) *deest* 3. w) est d. 2*. x) u. populi uel ordinis a. 3. y) clementia 2. 2*. 3. 4. 5. z) domini 2. 2*. *saepius.* *) eiusdem 2. 2*. 3. a) ciuitatis 1 b) aecclāstitis 3. c) nongentissimus 1. d) tertius ageretur annus sanctę domini inc. 3. e) *deest* 3. f) ingressus 2*. g) in s. s. requiem 2. 2*. h) currente 1. i) presignat. Hęc 3. k) huncberti 1. hunberti 2. 2*. l) a monasterio Gorziensi assumptus *add.* 3. m) fixum 1. n) que *deest* 2. 2*. 3. o) prefulgentem 2. 3. 4. 5. p) a. n. *desunt* 1. *ubi manu s. XVI. in margine adduntur; desunt* 4. 5. q) a 2*. r) probatulo 1. s) ó dispon. *et infra* huius *in* 1. *legi nequeunt.* t) ordinem 2. 2*. 3. u) fatisciscente 1. v) deperiebat 2. 2*. 3. w) probatum 1.

6) a. 963. 7) cf. Gauzlini diploma ap. Calmet l. l. p. 340. 8) Subscripsit chartae a. 957. ap. Calmet l. l. p. 365. 9) cf. diplomata Gerardi Gallia christ. XIII. p. 459. Calmet p. 389. Ottonis Calmet p. 373.

aeream; deorsum vero terra crudelis praetendebat ferream. Hoc autem in dies irae celestis effulgurante[a] iudicio, iussu pontificis plebi aestuanti agendum triduo ieiunium[b] indicitur; et quia facile non valet contrairi divinae ultioni, praesulem expetunt, beati viri corpus arentium[c] agrorum finibus deferendum, utpote crassantibus[d] his aestibus misericorditer opponendum. Quid plura? Astante[e] domno pontifice et plebe universa, exponitur de loco in quo pridem iacuerat. Dant voces in excelsis, caelestibus personantes[f] ymnis, Deum laudantes, et flebilibus[g] beati Mansueti patrocinium[h] vocibus implorantes. Quibus cundume[i, 9] sancti Mansueti medio procedentibus, ut ostenderetur divinitus, cuius in terra ferebatur corpus, tantus de caelestibus repente fragor bis inhorruit, ut voces rumperet[k] psallentium et corda stupentia redderet singulorum. Ita attonita multitudine, quae ad duo milia hominum vel eo amplius undecumque eo die confluxerat, ad locum sancti Apri, quo ire decreverant, perducuntur. Illa vero aestuosa caeli serenitas, quae ardente Syrio terras videbatur exurere, in nubes mox coepit densescere, et datis largis ymbribus impetrati roris gratiam pleniter ministrare. Quid vero interim contigerit, non est silentio praeterire.

12. In hac copiosa multitudine, quae tantum spectaculum impleverat[l], huius tunc urbis comes Sindebauldus[n, 10] eorum unus erat. Is cum Immone[o] quodam, domni praesulis non ignobili milite, sancti viri se[p] glebae petiit subponi deferendae. Quem scilicet prae doloribus omni humano offitio destituta manus valde fatigabat. Hanc iam salvandam aliter desperaverat, quam si[q], ut assolet, ustione depelleret; quod graviter dolebat. Deposito[r] vero beati Mansueti quod ferebat corpore, expletisque[s] missarum sollempnibus[t], ita manum morbo liberam cunctis videntibus extulit, acsi umquam prius doloris nichil senserit. Cuius rei adhuc est ipse testis certus, si a quolibet fuerit requisitus.

13. Hinc vero abeuntes[u], cum illo suo caelesti[v] thesauro urbem ingrediuntur, magno resultantes divinae modulationis tripudio. Sacris deinde illius noctis vigiliis insistentes, praesenti[w] beati[x] viri corpore, dedicavit[y] basilicam, quam ipse praesul a fundamentis ante construxerat, sanctae Dei genitricis sanctique Mansueti honore venerabilem; quae ex tunc et modo sancti Mansueti magnificę illustratur meritis, ibique solvuntur vincula peccati aggravantis.

14. His autem[z] ita compositis, beati viri corpus sedi propriae referre[*] cupientes, obvium quendam habent[a] rusticum, magnificis[b] vocibus eiulantem. Hic ulnis impositum sui meroris miserum[c] decem annorum filium attulerat, cui nervorum implexio spinae dorsuali[d] vestigia fixa retinebat. Qui cum sancti viri glebam ad templum lamentis prosequitur, Iudeus quidam, qui tum forte se turbis inmiscuerat[e], centum blasphemias[f] ludibriis rabidi oris evomens, preces rogantis invehitur: *Heus tu*[g], inquiens, *quid mortuum*[h] *insequeris? quid clamoribus aera confudis? quid ab immoto beneficii petiturus accedis, cum ego equidem*[i] *ipse vivens multo defuncto praestantius prosim, si vota contuleris?* His auditis, valde indignatus qui praesens aderat pontifex, astantibus fratribus[k]: *Heu me*, inquit, *quid veneramur, quid colimus? Aut enim nulla sancti*[l] *virtus qua laetificetur ecclesia, qua Iudei confundatur vesania*[m], *aut certe pro eo alter colitur, qui dum putatur hic nullo modo retinetur.* Interea populis alia procurantibus[n], expositi pavimento pueri nervorum subito rupta conexio sanguine coepit defluente[o] dissolvi, et dum nititur manu sancti glebam[p] inrepere, in pedes constitit, et iter, quod numquam noverat, propriis nitens gressibus, turbis mirantibus, recognovit. Sic sanctus vir, ut voluit, gratiam virtutis[q] exhibuit, et ora flentium in gaudia[r] commutavit[s]. Puer autem in testimonium facti usque in praesens tempus[t] stipendiis aecclesiae confovetur.

15. Inter cetera autem huius beatissimi viri huic pontifici virtutum[u] experta beneficia, illud etiam addimus, quod eius relatione nos certos fuisse non dubitamus. Cum adhuc in eodem coenobio sancti praesens contubernium[v] esset, abeunte die sabbati nox funditur, quia videlicet dominica sollempnitas in crastinum sperabatur. In qua cum maturius fratres ad divinae servitutis praeconium surgerent, episcopus praeteritorum labore defessus[w], lecto decumbebat gravi sopore depressus[x]. Interim illis consueto more laudes agentibus, soporato pontifici, cum iam daret albentes palleus aurora recursus, astitit vir quidam aspectu venerandus, stola candidissima coopertus, habitu praecipuus, staturae quantitate profusus, ut[y] nil aliud videretur quam sanctus Mansuetus. Qui cum divinus visitator cubiculum quiescentis intraret, quadam impellente virtute[z], hostia contiguae subito patuere fenestrae, ac radio vibrante domus resplenduit omnis. Tum ille vir clarus ad stratum praesulis soporati accessit, manuque corpori superpo-

a) efulg. 3. b) ind. ieiunium 3. c) harentium 2. 2*. d) oressantibus 1. e) Adstante 2. 2*. *saepius.* f) personant 1. g) fletibus 2*. 3. h) patrocinium — sancti mansueti *desunt* 1. 3. i) condume *corr.* cundume 2. k) p. r. 2*. l) compleuerat tunc comes 3. n) sendebaldus 2. 2*. sindebaldus 3. o) ymmone 3. p) glebę se 2. 2*. 3. q) *deest* 3. r) De ipso 2. 2*. 3. s) que *deest* 2. 2*. t) misteriis missarum 2. mysteriis m. 2*. 3. u) habeuntes 2. 2*. v) cęlestis 1. w) presentes 2. 2*. presente 3. x) *deest* 1. y) dedicant 1. z) ita autem 2. 2*. *) referri 1. 4. 5. a) habens 1. habent quendam 2. 2*. 3. b) his magnis 2*. *corr.* magnis 2. magnis 3. 4. 5. c) meserum 3. d) dorsali 3. e) miscuerat 1. f) blasfemias 2. g) Hestu 3. h) mortuorum 2*. i) equidem ego 2. 2*. 3. k) f. dixit 2. 2*. 3. l) u. s. 2. 2*. m) insania 2. 2*. n) curantibus 2 2*. 3. o) diffluente 2. 2*. 3. 4. 5. p) m. i. s. g. 2. 2*. q) *deest* 3. r) gaudium 2. 2*. 3. s) mutauit 2. 2*. t) *deest* 2. 2*. 3. u) e. u. 2. 2*. 3. v) conturbernio 1. w) depressus 3. x) sepultus. Interea 3. y) cum 2*. z) *deest* 2*.

9) i. e. campo dominico. 10) Subscripsit chartae Gerardi a. 971. ap. Calmet l. l. p. 385.

sita, levi agitante motu — nam ceteri iacentes circumfusi tanto sopore tenebantur innexi, ut vix facto strepitu irruente quiete laxari potuissent eum excitat dicens: *Quid dormis? quid aliis sacras vigilias agentibus tu tanto sopore deprimeris?* Atque ut eius verba ipsa[a] retexam, mox subiunxit: *Non enim dormientibus provenit[b] regnum Dei sed vigilantibus.* His auditis pontifex somno excitus, ecclesiam tremebundus irrumpit, magnoque terrore concussus, pudore perfunditur, quod his officiis exors ita tardius inesse videretur. Cuius rei testis non sine sui pudore refert, quid in illo sit passus secreto cubiculi virtute praestanti beati Mansueti.

16. Sed quia gloria regis est cęlare verbum, Domini autem investigare sermonem[11], veniam ad illud quoque quod ea[c] sub tempestate huius beati viri[d] meritis fuisse probatur ostensum. Non multo post tempore ulciscendis obnoxia facinoribus omnium divinae animadversionis[e] severitas peccata perstrinxerat populorum. Morbosae calamitatis clades acta Dei iuditio per populos incanduerat[f]. Nam instar inguinariae pestis, quae quondam populos Italiae corripuerat[12], quidam lateralis[g] dolor ubique redivivo germine spargitur, ac letiferis invalescens successibus, regionum finibus late[h] pervagatur. Sicque quodam malorum auspitio serie cumulata morborum[i], plebes pereunt, populi concidunt, sine differentia utriusque sexus et ordinis volvuntur agmina mortuorum. Nec his, qui tali[k] dolore corripitur[l], ultra triduum vix superesse ullo modo permittitur; et quid in aliis fieret[m] terrarum partibus[n] incertum; hanc urbem clades ita superveniens irruperat, ut ad unum quemlibet[o], exceptis aliis diversarum ecclesiarum, locum[p], sicut idem pontifex non sine gemitu memorabat, denos vel septenos mortuorum[q] loculos sub oculis[r] aspiceret inferri tumulandos. Artatur pontifex plurimorum periculo morientium. Tandem id consilii menti infunditur, ut videlicet idem protector beatus Mansuetus, ex quo fuerat[s] positus loco iterum assumptus, tanquam inter viventes et mortuos medius opponatur. Itaque triduano praemisso ieiunio, consultu habito, videtur episcopo congruum, ut collectis denuo populorum undique[t] catervis, beati viri corpus ad ecclesiam sitam Scropulis[u, 13], quae beatae Dei genitricis Mariae sepius[v] solet illustrari miraculis, debeat destinari, tanquam apud caelestis imperatoris summam imperatricem, matrem omnium sane[w] suarum[x] ovium, commissa legatione perfungi[y]. Sicque hoc facto, visa est clades illa suo aliquantulum furore mitescere. Sed nec sic paventium populorum terror absciditur. Nam iterum beati viri glebam humeris imponentes, principale[z] eiusdem Dei genitricis Buxeriarum cum choris promiscui ordinis psallentium[*], erectis in Deum cordibus, expetunt coenobium; ibique praesente domno Gerardo pontifice exacta nocte illa, dum[a] reditum gestiunt, dici iam ullo modo non potest, quam incredibili[b] multitudine stipatae[c] populorum cohortes, confuso ordine, turbas miscuerint[d], ex vicis, ex agris, ex diversis partibus in unum repente[e] coeuntium. Hinc sacrae virgines, illinc innumerabiles christianae fidei greges, ad litus Murtinsis[f] fluminis[14] usque properantes, ubi ab incolis loci illius votivę petentibus acceptum est beati viri venerabile[g] corpus. Quum[h] iam satis visa illis[i] fuerit excrevisse aquarum immensitas, liberis inter undas vestibus ad renes usque aquis convoluti, dicti sunt alveum pedibus transmeasse, non sine admiratione multorum. Hinc omnis illa popularis[k] turba progrediens laetis cum iubilo[l] gressibus, vallatam[m] undique catervis sancti viri glebam ad propriam sedem non sine voti sui munere referunt. Nam coactis inter aera nubibus, tantus prius imploratus ymber caelo profluxerat[n], quantus arenti terrae sufficere plene[o] potuisset. Tandem igitur templi ianuam cum laudibus propinquantibus, mox tantae claritatis iubar illud venerabile corpus visum est praecessisse, ut tota ecclesiae domo effulgurans, manifeste daret intellegi[p], quam divinum esset quod templo sancto videbatur inferri. Tunc sonitu confusae multitudinis rumpitur concentus coeptae modulationis; versisque in contraria votis, coeperunt plures flere prae gaudio, dum[q] nescirent cur flere debuissent, nisi quod sancti pietas supernae infusionis affectum suorum concitaverat in mentibus[r] filiorum. Nec vero praesens antistes a lacrimis temperat, qui illius dulcedinis communem cum populo ubertatem[s] mirę sentiebat[t]. Et ecce clades illa, quam in pernitiem hominum effusam esse diximus, favente istius[u] nostri protectoris meritis gratia domini Redemptoris, sic suis desuevit processibus, ut palam cognosceret universus populus, quod pro domo Israhel in die Domini staret ex adverso in praelio[v] sanctus Mansuetus, suarum omnium[w] ovium adiutor praestantissimus factus.

17. Libet quoque illud[x] huic nostrae narrationi inserere, quod pene nostris omnibus procedenti[y] tempore ad laudem quoque istius beati viri notum est contigisse. Et quia praedictus episcopus est in causa, non derogat personae praecellenti divinitati debita clementia porrecta pecca-

a) *deest* 2*. b) proueniet 2*. c) sub ea 2. 2*. 3. 4. 5. d) Mansueti *add.* 3. e) amadv. *corr.* animadv. 1. f) incanduit 2. 2*. 3. g) litteralis 1. h) *deest* 2. 2*. i) malorum 2. 2*. k) talem dolorem *post corr.* tali dolori 2. l) percutitur 2. 2*. 3. m) *deest* 3. n) spatiis 2*. o) u. quemque 3. p) aecclesiarum locis 2. 2*. 3. q) *deest* 3. r) oculos *corr.* oculis 2. s) p. f. 3. t) *deest* 3. u) scopulis 2. 2*. 3. v) *deest* 2. 2*. 3. w) *deest* 3. x) suorum 2. 2*. 3. y) fungi 3. z) principalem 3. *) psalentium 2*. a) *deest* 2. 2*. 3. b) incredi 2. incredibi 2*. c) stipante 3. d) miscuerunt 3. e) pariter 3. f) murtynsis 2. 2*. murtensis 3. g) uenebile *corr.* uenerabile 1. *deest* 3. h) Et cum 2. 2*. 3. i) illic 2. 2*. 3. k) populorum 2. 2*. 3. l) coniubilo 1. m) *deest* 2. n) profuxerat 2*. o) *deest* 2. 2*. 3. p) intelligi 1. 2. q) cum 2. 2*. 3. r) c. mentes 2. 2*. 3. s) hubertatem 2. t) sentiebant 1? 2? u) sancti istius 2. 2*. 5. f. sancti Mansueti mer. 3. 4. v) predio 2. w) *deest* 2. 2*. 3. x) *deest* 2. 2*. 3. y) procedentibus *corr.* procedenti 1.

11) Prov. 25, 2. 12) cf. Paul. Diac. III. 24. 13) Ecrouves prope Tullum. CALM. 14) la Meurthe.

tori[15]. Severitate igitur flagelli percussis plebibus sanctorum meritis exempti, caelesti disciplinae praefatus quoque pontifex subditur, ut tactus ex verbere celerius agnoscat[a], quia unus est Domi-
Iob. 5, 18. nus praepotens[b], qui percutit et sanat. Ergo ut plura reticeam, qui multis aliis orationum[c] fomenta porrexerat, gravi pressus incommodo valdeque se habens aegre infirmus decumbebat[d]. Nulla huic virtus, nullus vigor permanserat[e]. Toto corpore contabescens, nec somnum nec cibum capere valde debilitatus poterat. Vitam exosam ducens inter angustias, de imminenti funere solummodo cogitabat. Quid faceret, quo se verteret, anxius nesciebat. Plebes absolvens, ipse a plebibus absolutus, solum exitum mestus expectabat. Cuius quidem infirmitatis ita exprimimus incommoda, ut videlicet ostendamus, quanta per beatum Mansuetum hanc sit gratia subsecuta. Nam hac invalescente molestia, cum pene iam iamque in extremis ageret, ternasque continue[f] ebdomadas insomnes letaliter duceret, ad notum sancti Mansueti refugium, urguente[g] morbo, recurrere aegrotus deliberat. Obstat econtra militum familiare obsequium, ne videlicet, sicut rumor fuerat, si contingeret dominum in ordinem monasticum converti, eos quoque pariter rebus domesticis cum domino privari. Quae scilicet res eorum mentes animosque confuderat[h]. At ille qui vim laboris torquentis insenserat[i], rumpit obstacula prohibentium, beati viri suffragium festinus impetit, totum se eius apud Deum interventioni committit, tam suis quam fratrum orationibus studiosius[k] incumbit[l], votaque sua Deo ac sancto Mansueto imo pectore deferens, non prius abstitit, quam redeuntis[m] salutis, Deo miserante, sanctique Mansueti virtute conferente, sperata beneficia persensit. Quod usque hodie idem pontifex non sine suspiriis solitus est referre, quanto eo tempore fuerit incommodo depressus, quam potenti interventu sancti extiterit caelesti medicina salvatus. Et quia aliqua[n] de sancti huius virtutibus praesentis[o] in carne pontificis tempore gesta brevi kalamo, ut ita dicam, sodalem sibi libellum eius imperio exsolvimus, nunc in his quoque finem faciamus, adiuti eius orationibus, aspirante gratia domini Redemptoris.

EXPLICIT[p] LIBER II. DE VITA ATQUE VIRTUTIBUS SANCTI MANSUETI TULLO PRIMI PONTIFICIS.

a) cognoscat 2. 2*. 3. b) omnipotens 3. c) f. o. 3. d) decombebat 1. e) remanserat 2. 2*. 3. f) continuas 2. 2*. 3. g) urgente 1. h) confunderat 2. 2*. *corr.* confuderat 1. i) insenserat *corr.* in se senserat 2. *et ita* 2*. k) studiosus 2. 3. l) incubuit 2. m) deo *hoc loco deletum* 1. n) *deest* 3. o) praesenti 2 2*. 3. p) *Haec subscriptio nonnisi in* 2. 2*; *ubi vita finitur.* Explicit vita s. Mansueti 3. *In* 1. *haec additur alius auctoris narratio:*

18. *De puella circulis ferreis astricta quemadmodum ad sepulchrum sancti pontificis fuerit absoluta.* A transmarinis quoque partibus venit, Godelindis nomine, quedam muliercula, utroque parente ex Anglorum prosapia, gestans in leva ferri ligamina, non pro obsessione demonis, sed ob materni effusionem sanguinis. Quod qualiter contigerit accidisse, volumus summatim evolvendo meminisse. Haec habebat patrem nobilem, matrem vero natalibus non imparem, caducarum dignitatum ditissimos, filiorum etiam propagine circumdatos. Mors itaque genitorem occupat, qui natorum non immemor, genitricem vocat, et extrema voce mente supplex obsecrat, ut affectu materno gregem prolis custodiat. Quae mox ut maritus obdormivit, cuncta eius monita surda aure preteriit. Nam a filiis sublato castello, iure paterno tradito, rursus copulavit se infausto coniugio. Tunc perditum ire optans orphanos, conatur novus sponsus exterminare pueros expulsos a propriis veluti extraneos, excepta illa quam praediximus; quia sexus defendebat femineus puellulam eiectum iri ab aedibus genialibus. Tandem unus eorum clericus non ferens iniuriam, armavit in vitricum parricidalem dexteram, cui memorata soror praebuit se sotiam, moleste ducens fraternam miseriam. Denique praeparatur nocturnum praelium, nulli quidem praeter germanam cognitum; et dum frater irrumpere accelerat, simul ista castelli portas reserat. Ecce autem cum complicibus suis obsidet domum privignus, in qua iacebat vitricus, vique disruptis foribus, statim replentur aditus, trucidantur quique ab introeuntibus. Interea reliquit somnus vitricum, et ille citus lectulum mortiferum. Procedunt ambo ad hostium cubiculi, horrore tacti praesentis exitii. Cumque venientem inimicum perrexisset, clericus robur virtutis collegit mixta ira intrinsecus, conixusque toto corpore dirigit telum cum infando vulnere. At ille celer motu plagam vitans refugit, sed coniunx post tergum stans subter pectus excipit, atque a filio mox suscepto vulnere, exalat vitam, inundante sanguine. Hoc crimine saepedictus clericus ligatus interius, a suo pontifice poenitentiali ferro vincitur exterius, ac toto trunco corporis artatur strictis circulis. Porro soror consentanea huic malo pessimo, accepit duos in sinistro brachio, ut poenitudine lamentabili satisfacerent inaudito sceleri. Tunc simul pergunt Ierosolimam, et in remeando frater deposuit vitam corpoream. Haec autem, de qua fit sententia, squalore longo languida, tulit pedem ad nostra penetralia. Quid verbis immoramur loquacibus? Patri nostro Mansueto se commisit protinus, illius suffragia totis orans nisibus, continuat paucos dies in indefessis precibus; sed oppugnat Mansuetus crimen armis invisibilibus. Tandem rigor ferri dissolvitur, morsu scisso ligaminis brachium ex parte eripitur, quod erat duplicis sub potestate vinculi, cum adhuc anima cippo prorsus teneretur piaculi. Alter quippe circulus non est visus decidisse, ut liquido patesceret, sanctum iam partim crimen delevisse, partim vero delendum distulisse. Illa autem, rursus suscepto peregrinationis baculo, cum laico fratre nomine Rodulfo, qui secum venerat karitatis beneficio, sed nequaquam huius delicti illaqueatus contagio, profectum iri disponit ad sancti Odelrici merita, quesitum ire ipsius devota mente iuvamina, cuius corpore resplendet Suava Ausburga. Cum igitur pervenisset Vosagina nemora ad beati Deodati limina, offert se ei medicina unica, scilicet almus Mansuetus in quiete somnifera, datque ut revertatur mandata salubria. Quae tamen ceptum iter perficit, visionemque vilipendens, ludibunda asserit, ac urbem Argentinam gressum movens arripit. Itemque beatus antistes horis sub sopilibus regredi eam commonens attentius, praedocet laboraturam fore peri-

15) Adso procul dubio loquitur de febri, quam se contraxisse ipse dicit Gerardus (ap. Mabillon Ann. III. p. 631.), cum S. Mansueto duas villas Angeriacum et Molisiacum ante ipsi donatas subtraxisset; quibus restitutis sanitatem recepit a. 974.

EX MIRACULIS SANCTI APRI.

1. Qui beatus pastor et pontifex defunctus terris eo ut supra relatum est ordine, et in basilica, quam ipse aedificare coeperat, tumulatus, caelis se vivere multis miraculorum prodit indiciis. Nam pia aure fideliter petentium votis annuens, in necessitatibus adesse non despicit, manum saepe porrigit, et ab infortuniis eripit. Frequentiora sane olim facta fuisse referuntur quam modo miracula; quia hoc nostrorum moles meretur peccaminum, ut, quoniam fidelis refrigescit devotio, subtrahi quoque solita consolatio sentiatur. Referunt namque nostri maiores natu plurima sibi eius et visa et audita miraculorum beneficia, quae daemoniosorum, caecorum, claudorum aliorumque debilium peregit incommoda; cum et istiusmodi curationum indicia, scabella scilicet claudorum et alia his similia, super fores basilicae diu servari solerent. Quae tam pia opera haud mirum non esse scripta torpente incuria, cum et de his, quae vivens edidit, certum sit perpauca mandata litteris. Quocirca licet insulsis verbis quiddam amodo de visis et certissime compertis adnotatum ire dignum ducimus, ne forte putentur vilescere et oblitterari memoria.

2. Quidam igitur claudus . . . .

3. Quaedam igitur mulier de Caslenis-villa[1] . . . . . . Unus vero fratrum nomine Alrauldus . . . .

5. Harchellindis etiam dicta quedam mulier de huius civitatis suburbio . . . .

6. Puer denique quidam parvulus de villa Pavoniaco[2] super Mosam . . . .

8. Multa sunt illius sanę istiusmodi magna et frequentia, quae si cuncta fuissent scripta, lectorem forsitan tederet copiae. Attamen reprehendenda auctorum segnities, qui nec saltim aliqua de post transitum eius gestis[a] scriptis transmiserunt posterorum noticiae. Nobis autem iam poene in fine saeculi constitutis ingratum videtur et indecens, si non saltim pusillum aliquid in laudem tam pii provisoris tutorisque nostri agamus; in quo si forte offenderimus structura thematis, expurget nos simplicitas devotionis. Qui, si posset fieri, non solum homines sed et mutas pecudes creaturasque omnigenas praeconio eius faceremus clamosas. Nam cum fuerit potens in virtutibus patratorque miraculorum praecipuus, vigore tamen persequendi demones et propellendi ab hominibus magno praeminuit tam in vita quam post obitum; quippe vitiorum omnium exosus contagium, quibus praeesse creduntur illi spiritus et quasi suavibus ępulis iocundari. Et quidem, ut praetermittantur diversae maniacorum passiones, quibus quoque iuxta sibi placitum frequenter non dedignatur mederi — quamvis et eisdem communis inimicus nocendi avidus se soleat divinitus permissus immiscere — vix quisquam illo impuro spiritu pervasus eius auxilium expetiit, qui non se gaudeat clementer ereptum; adeo ut nostrae memoriae non succurrat ullus talium utriusque sexus, qui recesserit inauditus. Quorum cum sit innumera multitudo, aliquos commemoratum iri iustum videtur.

9. Clericus ergo Segintensis[3] pagi indigena, Abraham nomine, quem rustici Aurannum nuncupabant, promotus ad sacerdotium, vitam delegit apud se illi aptam officio; quod utinam cuncti digne agerent! Instituit namque vacare orationibus, insistere ieiuniis, in castitate vivere, elemosinas tribuere, basilicam suam restruere, et commissos sibi secundum scire suum ad bene agendum admonere. Sed quia caruit oculo discretivae prudentiae, minusque doctus fuit scripturarum eloquia, merito grave quid occulto Dei iuditio perpessus est. Cum enim . . . . adsumptoque nepote suo Adone nomine, ad urbem profectus est . . . . Venerandus quoque domnus Gauzlinus pontifex accurrit cum suo clero nobili . . . .

10. Sed et de huius territorii Buculiaco[4]

culis frequentibus, si viam prohibitam temptaret ulterius. Cuius dictis recitata Godelindis inobediens, superfluo calle molitur iter gestiens. Fit ergo ei iuxta verbum sancti anxietas non modica, ingruit latronum fraudulentia, frigorum tremebunda molestia, egestatis austerissima miseria, inędiae calamitosa poenuria, et ut compendio concludamus angustiarum summulam, comedendo caseum et quaeque reliqua violavit quadragesimam; sicque penituit tetigisse plantis cum audacibus viam quam vetuerat Mansuetus inclitus. Ecce autem regreditur propemodum exanimis, atque conpulsa doloribus acerrimis, perseverat votivis cum excubiis, implorans sanctum nomine ac suspiriis. Solventibus autem fratribus Domino nocturnas vigilias, haec semper offerebat uno corde lacrimas, donec ad supremum congemuit, atque voce plorabili eiulando infremuit. „Eheu, inquiens, sancte Mansuete, miseram cur proicis, peregrinam semivinctam abire cur pateris? Nunquid dabis videre hominibus, ut ita dicam, inperfectionis tuae dedecus? En cras a te recedens, longa morte moriar, ve michi! et ab expectata salute extranea efficiar.“ Talia dolendo duplicato genu dixerat, seseque plangens ab altari separat, necnon lectulum insueto ire desiderat, cum repente ferrum stridens resilit, ita ut aures custodis ecclesiae sonitu perculerit. Siquidem ipsa statim in pavimento corruit, fugatoque halitu prorsus muta siluit, iacens quasi omnino sine sanguine, cervice flexa, supinato capite, quam prosecutus ianitor ecclesiae, invenit absque vitali effigie; idque curioso digito patri monasterii properat innuere. At ille accurrit sollicite, recurvisque digitis temptat ferrum evellere; quod viribus adhibitis vix valuit eicere. Post aliquantum vero integrae horae spacium, sensit reductum intra pectus spiritum, sensit penitus extinctum piaculum, sensit a vinculo absolutum brachium, et petita liberatoris licentia, cum gaudio remeavit ad propria. Praedicti tamen circuli pendent ad pedes crucifixi Domini, quorum prior Kal. Ianuar. proruit, necnon[b] alter 13. Kal Iunii cecidit anno ab incarnatione Domini nono et millesimo, pontificante Tullensem ecclesiam domno Bertoldo episcopo, indictione 7.

a) scr. gestis 1. b) non *rec. manu corr.* necnon 1.

1) fortasse Chaligny. CALM. 2) fortasse Pagny-sur-Meuse. CALM. 3) Le Saintois. 4) fortasse Biqueley. CALM.

scilicet villa mulier quaedem Bova notamine . . . Est sane apud nos catena, qua tres reos exemit meritis potentibus; quae quotiens imponitur talibus furiosis, idem pestifer effugatur inimicus, verens nexum quo divinitus facta est libertas reis; et ita miro modo vincula donante Deo absolvunt vinctum.

11. Nichilominus et alia quaedam mulier de villa Sarcofago[5] adducta . . . .

13. Iuvenculus quidam de villa quae Domni-Germani[6] dicitur, haud procul ab urbe hac posita . . . .

14. Evoluto autem anni tempore, et ut putatur biennii, post hunc et alios curatos utriusque sexus, quos singillatim commemorari longum est,
51 quidam manifesto plenus demonio de Trociaco[7] villa super Mosam adductus est, Paschalis nomine, sexta feria post gloriosae ascensionis dominicae diem. Qui . . . .

18. Tempore quo civitas haec per incuriam, peccatis exigentibus, pene tota succensa fuit[8], ita ut vix quicquam ex ea potuisset eripi in varia superlectile etiam ecclesiastica, flante vento valido, flammarum globi extrinsecus huc illucque ferebantur, et quanto altiora circumsita erant aedificia, tanto magis imminenti patebant periculo. Unde quia culmen istius basilicae per multa loca temptabat[a] incendium, machinis diversis applicitis certatim ob eripiendum plurimi, immo quotquot valebant, subire festinabant. Alii quidem ferebant aquam in hydriis, alii autem supra tectum sedentes excipiebant et obiciebant flammis male urentibus. Cumque haec instanter fierent, unus in suppremа ecclesiae canali sedentium, dum a porrigente[b] excipit hydriam, se ipsum prae festinatione oblitus, demoto pede ubi innitebatur, a summo tecto devolutus ad inferius, atque ab hoc ad tercium, demumque ad terram intra claustra corruit incolumis, cum potuisset non solum exhalasse spiritum, sed etiam ossa contrivisse omnia, qui illico celer iterum tecti alta subiit. Sed quis hunc dubitet beati Apri custodisse meritum? Quia enim pro eo se ipsum oblitus fuerat, iure illi, quem habebat memoria, non defuit et corpore.

19. Cum domnus Gauzlinus pontifex moribundus egregius ad vires suas desiderans, ut grex sibi commissus mandatis divinis obtemperaret et utilitatibus animae occuparetur, inter cetera religionis offitia etiam hoc constituisset, ut huius sancti celebraretur festivitas ab omni diocesis suae populo, quidam observandum gratanter susceperunt, quidam autem neglegentes, quorum dolenda ubique potest repperiri[c] multitudo, minus devoto corde amplexi sunt. Unde et in villa quae dicitur
53 Lineium[9] super fluvium Ornam[10] cum molio fenarium suum tempestivę neglegeret ab opere compescere, nutu Dei, nullo intercurrente terreno obstaculo, ab hora nona diei praecedentis usque ad alteram nonam subsequentis, videlicet ipsius festivitatis, ab opere otiosum et vacuum praeter molionis voluntatem sponte sua permansit. . . . .

20. . . . . Post multos igitur huius sanctae sedis pastores et praesules ab incolatu mundano subtractos, et ad diversum alterius vitae receptaculum transpositos, Ludelmus quidam, seculari nobilitate praecluis[d], eidem insignitus pontificali aminiculo subrogatus est[11]. Qui temporali quidem dominatione ac potestate subnixus, atque, ut fertur, in multis utilis, sed quantum ad humanos oculos minus ut homo spiritualibus devote intentus, congregationibus monasteriorum, monachorum scilicet ac canonicorum, non ut pius consul patronusque aderat, sed ut rigidus gubernator praeerat, libere eorum bona, a bonis pro redemptione peccaminum concessa, tanquam sua sibi accipiens et libitu dispertiens. Hic itaque decem annis regimine potitus, undecimo gravi brachium dolore percussus est. Erat sane tunc temporis sacerdos quidam ecclesiae beati Maximini in ipso suburbio sitae, vir evi maturus moribusque gravis, Girveus nomine, cui talis de eo apparuit visio. Putabat se stare ante altare sancti Michahelis in basilica huius nostri domini, cuius patrocinio fruimur, et subito respicientem videre iam dictum praesulem monasterii septa ingredi, ac manu duos sonipedes regere, atque in aditum beati sepulcri introductos concludere, et victum apponere. Cuius rei novitate attonitus: *Heu! quianam*, inquit, *mi domine, tantum tibi facinus patrare placuit, inauditum omnibus et infamem seculis fabulam? — Sile*, respondit ille frendens, *o ignave et garrule; immo perge quantotius, et e prato monachorum equis his deferto pabulum! Meus hic locus est, mei equi sunt, et ad meum arbitrium istic eos pascam et nutriam.* Quae priusquam verba peroraret, videbatur vir vultu splendidus, statu reverendus, a sepulcro progredi, clericalis habitus, ac virgam manu gestans, pedetemptim eundem praesulem impetere, iam tamen hoc aspectu trementem et paulatim loco cedentem. Ergo ante altare sanctorum Thebeorum martyrum ad ipsum memoratus vir perveniens: *O*, inquit, *frater Laudelme episcope, quae mea contra te culpa extitit? Cur me totiens et multipliciter vilipendens et inquietans, etiam in lectulo meo tam dedecorose*[e] *inquietas, cum michi hic locus a Deo datus, tibi vero sit tantummodo commissus?* Cumque talibus invectionis verbis dulcissimi pectoris fonte prolatis[f] nil humilitatis ac satisfactionis ille redarguente conscientia stupidus referret, verbis adiunxit verbera, dum ter virga, quam gerebat, in capite eum cedere visus est. Non autem incredibile est, eos cedi virga suppremae sententiae, qui procul a virga disciplinae, qua castigatur filia Syon, non discedente zelo Dei, ab ea effrenes et liberi compediti avia sectantes a recto exorbitant. Iam dictus denique sacerdos hoc visu exterritus et exsomnis effectus, anceps

a) temptabantur *corr.* temptabat 1. b) apporr. 1. c) reppereri 1. d) precluis *corr.* preditus 1. e) decorose 1. f) prolatus *corr.* prolatis 1.

5) Cercueil duabus leugis a Nanceio distans. CALM. 6) Domgermain. 7) Troussey-sur-Meuse. CALM. 8) fortasse sub Godone episcopo aut post mortem Arnaldi; v. Gesta epp. Tull. 9) Ligny. 10) Ornain. 11) a. 895.

est redditus, utrum id celaret, an necessario proderet, sicque diebus quindecim continuit apud se. Tandem his emensis, evicit formidinem fidelitatis devotio, et domino suo pontifici, mediante Bernefrido primicerio, cuncta per ordinem patefecit. Quibus compertis pavefactus[a]: *Quod tu*, inquit, *frater, grato sopore quiescens vidisse videris, ego, pro dolor! vigil persentio, percusso scilicet a Deo mortem procul dubio immnere.* De correctione sane ac restitutione ablatorum bonorum ecclesiarum cum a duobus iam dictis consacerdotibus humili fidelitate, ut iustum erat, admoneretur, recépit quidem auribus, et cordi sibi esse respondit; sed egritudinis[b] molestiae intentus, atque alia curans, usque post obitum serum distulit effectum. Post haec etenim paucis exactis diebus, supra memorato dolore brachii ingravescente ac vitalia penetrante, praesentem vitam alia mutavit[12], seque in civitate sepeliri mandavit, multis mirantibus, cum nullus hoc ante fecerit; qui iam pridem sepulturam apud monasterium beati Apri in suburbio delegerat. Haec vero idcirco adnotanda putavimus, quia licet occulta, potest tamen aliquantula pars conici ultionis in adversarios famulorum suorum, quae non ipsis desideranda, sed malefactoribus est potius formidanda[c].

22. Cum ex incomprehensibili secreto aeterni consilii occultum iudicium Dei virgam gentilium peccatorum super sortem ecclesiae, culpis filiorum eius exigentibus, ponere decrevisset, seva Danorum pestis, Hungrorum rabiei iuncta, carceribus suae nativae habitationis remotis, ut fluvius subita tempestate excrescens, extra metas suorum terminorum in perniciem multarum cis citraque prope et procul se positarum gentium redundavit. Quibus nemine resistente — neque enim quispiam valebat furori Domini, digne omnibus imminente — Misia eversa, Marahensiumque licet gentilium convulsis tabernaculis, suam olim Pannoniam irruperunt. Tunc Norica succensa, Retiam subruere, perque Hystriae fines debachantes, Nerviorum perditis rebus, post cedem Germaniae, Galliam Belgicam incederunt. Verum quod communi scelere meruerant populi, ut iusto Dei iuditio puniretur, totius Neustriae et Austrasiae devastatis agris, subversis castris, post humanam stragem, flamma consumptis ecclesiis, Comatam Galliam subruerunt. Tempora huius infelicitatis Karolus iunior, a suis cognominatus Simplex, cum regno Francorum pertransibat.

23. Talis itaque ac tantae pestis turbine[13], quae quis suorum poterat, ne involverentur, intra moenia antiquarum urbium videlicet monasteriorum ornamenta sanctorumque corporum pignora certatim recondebant. Et nimirum quis se maxime felicem aiebat[d], non dicimus sua, sed si se gladio et captivitati praeripiens, non modo urbis, verum praeruptorum scopulorum iuga, ubi fortasse erant,

a) patefactus 1. b) egretitudinis 1. c) c. 21. *quod in* 1. *sequitur:* De quodam miraculo a Petro sanctae Romanae aecclesiae diacono composito, *post insertum est.* d) aibat 1.

12) a. 906. 13) De hac Ungarorum invasione Adso in miraculis S. Basoli haec narrat c. 7: *Propter perseverantes malorum nostrorum nequitias, has Galliarum partes divina ultio gentili gladio disposuit tradere feriendas. Francorum regnum eo tempore regem habuerat Carolum, regis Hludovici filium, ante cuius tempora hoc paganorum genus intra fines Franciae invisum incognitumque fuerat; sed absque dubio totius populi commune fit meritum, nos ultionis incurrisse discrimen horrendum; quia videlicet modo ubique regnat cessante caritate mater impietas, lex Dei confunditur, iustitia subvertitur, secundum prophetiae dictum*[1]*, adulterium, homicidium, periurium inundaverunt, sanguis sanguinem tetigit, id est peccatum super peccatum sine aliqua interpositione cumulando crevit. Omnia confusa sunt et corrupta. Inter saeculares, atque, quod est peius, inter eos, qui nomen habent religionis, iam sine differentia cupiditas discurrit et avaritia, multisque rectas iustitiae semitas deserentibus, multiplicata sunt mala in terra. Minoratur quotidie christianorum numerus: alii in captivitatem abeunt, alii ferro intereunt, alii inter poenas et cruciatus deficiunt, alii praefocantur aquis, alii manibus et pedibus detruncantur, alii flammis iniecti comburuntur, alii captivi ducti exstinctis cadaveribus crudeliter sunt per vias proiecti, alii ex captivitate redeunt, pro dolor! miserandi. Eversae sunt villae, paucae extra urbes remanserunt ecclesiae; exstinctis colonis, vacuae relictae sunt terrae. Huius igitur detestandae gentis formidine, quando primum se rumor per has partes fama volante diffuderat, praesidiis quique munimenta capiunt. Tunc quoque collecta sancti confessoris*[2] *non modica multitudine, clerici omnes in unum conveniunt, cum sui patroni sacro pignore ad civitatem deliberant gressus intendere; relictisque non sine moestitia propriis sedibus, illa sua domestica undique turba tunsis insequente pectoribus, ad vicum cui Pusiolos*[3] *nomen est, fluvio Vidulae*[4] *contiguum duobus iam milibus, pervenerant. Tunc clamor moesti populi in excelsis attollitur, confusae lamentis voces longius incessanter audiuntur clamantium atque dicentium: „O sancte Dei, quid est, quod tale tibi adhibes obsequium, talemque tibi colligis comitatum? quo te sequemur? cur locum tuum sic vacuum esse pateris?“ Illis ita se terrae prosternentibus atque clementiam Dei et sancti Basoli deprecantibus, ut si ab hac auditione aliquid sibi deberet noxium contingere, certum aliquod daret indicium, ne esset necesse amplius fatigari populum: tanto pondere mox sancti gleba figitur, ut non ultra quam in vicinam ecclesiam divertendi facultas concederetur, ubi imminentem noctem vigiliis transigunt. In crastinum cum sui protectoris auxilio omnes ad propria redeunt. Praedicta vero paganorum gens eo quidem tempore ecclesiam sancti Mauricii non transiit, quae est sita in confinio Campaniae ac silvae Arguennae.* Quae ibidem sequuntur c. 8. et 9. ex Flodoardi hist. Rem. II, 3. (v. Mon. SS. III. p. 384.) hausta sunt.

1) Osee 4, 2. 2) Basoli, cuius abbatia prope Remos sita erat. 3) Puisieux. 4) la Vesle.

atque densissimi luci praesidia ac ignotae lumini vallis latibula meruisset. Unde huius incolae cenobii, nutu magni consilii angeli, tanti periculi fuga, rebus quas poterant curatis atque reconditis, quae fortassis remanserant profligatis, si locum pessumdarent, patronum vitae praesentis spemque sequuturae sibi postliminium non deesse gratularentur, moenia urbis cum eiusdem sanctissimo corpore tandem moribundi succedunt, et ut maiorum relatu ad nos usque delatum est, non sine beati viri quadam iniuria. Nam tanto, aiebant, in illius parvi itineris spatio loculus aggravatus est pondere, ut quotquot erant latores vix sufferre valerent; ut daret intelligi, se illo nolle introire. Tamen ut votis sibi famulantium devotissime se non negaret — nam semper benigne praesto est sibi servientibus — quasi cum nolle suo se permisit inferri.

24. Illatum itaque corpus sanctissimum, et cum debita reverentia in basilica beati Iohannis baptistae depositum, ibique a suis sollempni frequentabatur offitio, quoad, pace[a] Deo iubente reddita, ad proprium et dilectum, quo se olim poni iusserat, et unde in nive candidioris columbae specie caelos petierat, reveheretur tumulum. Huius sedis chathedram, nolentibus regni primatibus, domnus Drogo, nobilissimis ortus natalibus, tum
906 vi, tum ingenio, tum consensu civium occupaverat; sed iam tunc communi omnium voto nobiliter gerebat. Ut enim superbia sanguinis, ita subtilitate singularis ingenii, illinc rebus publicis, hinc spiritualibus negotiis insudabat. Quare omnibus ita habilem se praebuerat, ut cunctorum amorem venerationemque difficile solubilem sibi asscisceret. Sed his eius bonis invidia diaboli, quae iugiter sedet insidiis in occultis, ut trucidet rectos corde, emulatrix accessit. Siquidem fluctibus huius turbinis sedatis, Christo propitio, diu optata pace praedictus domnus praesul potitus, ut prosperis votis animus arrisit, astucia versuti hostis hac in re deceptus, pedem paene in lubrico posuisset, ni sanctissimi Apri meritum, ne illi voluntas opere nefario prolata in culpae crimen cederet et futuram suorum fidelium ex corporis sui absentia tristiciam prohibuisset.

25. Fratribus itaque post lacrimosa tot suspiria ad suum monasterium maturantibus reditum, et qualiter suum curantibus referrent patronum, quidam erat degener nomine Bulso[b], cui praefatus praesul suum quidquid illud esset committebat secretum. Hic igitur, ut tales adesse solent, si invenerint cui, domno pontifici: *Res*, inquiens, *publicatur, artatur, nichilque est residui sumptuum, nec tales in pastores atque simulatores* — monachos autem aiebat — *decet apparatus. Redigatur ergo in unum publicum sacellum, una sit apotheca, unum sit horreum, et ne sancto sub penuria servire se hi querantur seductores, corpus retineatur sacrum, atque in urbe regia debita populorum frequentia veneretur, quod in exiguo locello ab his negligitur nugacibus. Collocetur digne in matre istius sedis ecclesiarum, ut urbi sit ad munimentum, vobis in praesenti inque futuro ad adiutorium; simul et consideret nobilitas vestra, quod nulla vestri ab his curetur necessitas. Non enim vobis serviunt in expeditione regii famulatus, non eorum ullo auxilio vestra munitur aut tuetur civitas, nulla nobis in commune conutilitas. Sitis oportet, si alii nolunt, vobis*[c] *utilis, neque a nostro consultu aurem avertatis. Nil obstat quin hoc expleri possit absque culpa; non diripietis aliena, sed licite recipietis vestra. Hoc et ratio vera et praesens exposcit necessitas. Militia eget patria, vos ipse indigetis peccunia, satiusque est, ut cum participibus vestrorum laborum partiamini, quam ut*[c*] *his utantur, qui sunt indigni.*

26. Talibus his similibusque verbis domni animus defluxerat pontificis, atque a via censurae pastoralis in laqueum divertebat devius pervasoris. Interea disponitur fraus, animarum pernicies, et illicita, quo possint pacto licere[d], illicite ordinantur, ac ne qua detegerentur re aut cepti negotii fraudarentur mercede, iurisiurandi operiuntur ratione. Verum quoniam non hastutia nec sapientia neque prudentia est contra Deum, consilium hoc ut quondam illius Achitophel est infatuatum[14], et quia in omnia videntem fuerat, Domini omnipotentis[e] manu redactum est in nichilum. Ne autem homines lateret, quo instigante prodierit, hac animadversionis[f] ultione punita est iniquitas, quae mentita est sibi, ut non longe post idem Bulso mentem exiens, in carnes filiorum suorum dentibus seviendo, contra Deum se voluisse agere, innotuerit. Sed quicumque erit lector vel auditor, accipiat nos nil mendose finxisse, verum certissimo relatu comperta scripsisse. Neque quispiam haec nos scribere irascetur, licet nos neminem tam credamus malignum, nisi si quis forte talis particeps voluntatis divinum mox experturus parvipenderit iuditium. Nam non generatio, a qua Dominus sanguinem iustorum ab[g] Abel usque ad Zachariae requirendum dicit[15], ipsum sanguinem fudit; sed voluntati malorum suorum vota copulando, quod mensurae perversorum operum prioribus suis deerat volens impleri, eiusdem reatu ligatur criminis. Sed enim diu clam quesitum consilium beatissimi Apri meritum noluit manere occultum.

27. Duo namque huius erant loci coenobitae, illius pro statu temporis estimationis bonae, quorum Geraldus unus, Guinerannus dicebatur alter; qui inter ceteros prae ceteris loci augmentum ambiebant et pacem. Quibus Aper beatissimus ut domesticis et fidelibus detegens consilium, imminens patefecit periculum, utque ocius declinarent, praebuit consultum.

28. Hi itaque fratres praenotati, rei novitate permoti, sanctissimi patroni sui auxilio fisi — sibi enim innitentes nusquam derelinquit —, in negotio tali ad evadendum lacum tristiciae omnes replicarunt quascumque salubres cogitationes. Tandem paucissimis adeo accitis, quibus se merito crederent, delationem caventes, sacramento prae-

a) pacem 1. b) pulso *corr.* bulso 1. c) nobis 1? c*) quanti 1. d) li . . . . . cere 1. e) Dm̄ omnipotenti 1. f) aniadv. 1. g) ad 1.

14) 2. Reg. 15. 15) Matth. 23, 35.

misso, si suum ad perfectum Dei manus per merita beati Apri duceret votum, nemini se manifestaturos secretum deposuerunt; dein communi decreto statuerunt, quid voluntati atque necessitati paratae opus esset. Nemini ergo praeterquam quot erant sui conscio operis, clam terra aperta, specum cui tantum mandarent thesaurum aperuerunt, nec querentibus inventu promptum, nec opere contemptibilem, tametsi non admodum ambitiosum. Paratis tandem omnibus, laudabile seculisque venerabile furtum aggrediuntur.

29. Domno interea praesule ceterisque aliis securantibus neque tale aliquid cogitantibus, praenominati fratres ne ad modicum quidem quieti indulgentes, noctu beati glebam subductam adiutorio duorum clericorum, Allonis videlicet et Barnefridi tunc primicerii, per portam ecclesiae beati scilicet baptistae Iohannis postpositam, quae tunc Ferrea vocabatur, eicientes, sine ullius labore oneris praeparato specui intulere, inque ipsius noctis cursu ita abdiderunt, ut huius nostrae etatis non modo iuvenibus, verum et illorum coevis omnino ignotus fieret locus, atque erroris augmento, si qui ab eis quesierunt, licet intra ecclesiam, extra criptam positum acceperunt. Taliter ergo per 60 ferme annos ab oculis hominum remotus, in sacrario divinitatis se viventem expetentibus quacumque adversitate laborantibus apud omnipotentis Dei clementiam praestabili succurrit manu, quorum nullus nostrae occurrat memoriae, qui eum expetierit tristis et non redierit letus. Neque enim illa eius corporis abductio illius tunc evi hominibus, sed nobis aliisque postfuturis profuit, atque ne tanto privaretur patrono, immo omni regioni. Nam fere omnibus notum est, qualiter destituti sumus corpore Eliphii martyris preciosi pignoribusque sanctorum aliis, quod beatus Aper praevidens — nam illi quem nil latet semper adsistit — gregem suum ut iugiter tueatur, iuvet ac regat, hac occasione praesentia sui corporis destituere noluit, sed cum voluntate Dei quam elegit requiem habitare vult in seculum seculi.

30. Venerabili autem Drogone septimo[16] sacerdotii anno rebus humanis exuto, pastor et amor gregis domnus Gauzlinus successit, vir summę catholicus atque monasticae religionis cultor devotissimus. Qui Francorum nobili sanguine ortus, in palatio inter proceres regni altus est; atque futurus mox pontifex supra multos sui generis coetaneos enituit geminae scientiae dono. Omnium ergo votis pontificali infula sublimatus, dulcedinem suae regionis atque prosapiae benivolentia clementissimi cordis serenitateque adeo iocundi vultus et lenitate sermonis sedule superabat, totus in vigiliis, in elemosinis intentus. Utque gregem sibi creditum Christo Iesu, qui hunc sanguinis pretio emerat, multiplicatum redderet, auxilio confessoris Christi Apri, cui se attentissime committebat, tramitem recti itineris non deserebat, atque non ut praeesse, sed prodesse se velle monstraret, omnibus omnia se faciebat, ut universos lucrificaret. Quis enim ad eum venit, et bonitate eius non usus est? Nil nos in gratia, nil more laudantium, sed veritatem loquimur. Nam non eget mendacii fuco, qui dum viveret mundo, bonus Deo ubique studuit esse odor, divinae legis amator sacrorumque locorum avidissimus instaurator. Qui ad cumulum bonorum suorum quarto decimo suae ordinationis 936. anno nutu Dei per merita beati Apri regulam sancti Benedicti, huius regni habitatoribus omnibus ignotam, diu quesitam proculque inventam, hoc instituit loco. Quae vero deinde auxilia, quanta hic sub eadem militantibus regula contulerit beneficia, ne tempore deseramur, dum ad alia festinamus, attemptare fugimus. Tamen hic felix vir in semel arrepto proposito boni operis iugiter omnibus mirabilem extendens[a] animositatem, post in Christi militia multiplices labores, quadragesimo sui episcopatus anno caelicas recessit ad sedes.

31. Omnipotens autem Deus, qui gregem hereditatis 963. Filii sui, ne insidiis et praedae diripientis pateat inimici, pastorum benedictione consolatur, ecclesiam rectoris solatio destitutam, inter fluctus seculi iactari sine remige nolens, visitavit, eique ut domnus praesul Gerardus praeesset instituit. Qui antequam sciret vocare patrem et matrem, quodam praesagio designatus episcopus, scolis traditus, hinc clericatus honore donatus est; nec multo post augusti auctoritate et principum regni, una cunctorum acclamatione electus, Leuchorum urbis sacratus est antistes. Qui licet iuveniles[b] ageret annos, orationi vacare statuit et castitati, et quamquam seculo cogeretur miscere — neque enim in tali honore et tam perverso tempore aliter valebat agere —, animo tamen se monstrabat Christo velle vivere. Cum enim alii, ubi[c], ut multos cernimus, rebus implicentur secularibus, hic animae occupabatur utilitatibus domi, ne ad modicum ecclesiae secedens foribus; itinere aliquando forte occupatus, psalmis insistebat et orationibus; et quamvis, ut tempus ferebat, multas undique secus suorum doleret iniurias, ipse quoque nonnullis promeretur anxietatibus, cunctos tamen ante se pontifices pietate et religione, si fieri[d] posset, superare conabatur. Si quid autem ante humanos oculos minus recte iubere[e] videbatur, aliquantisper formidine perturbati regni in id cogebatur. Cogitet vero, si quis est qui hoc dicat sibi non placere, tempus perversissimum, locum iuxta inimicos positum, facultatem subiectarum personarum, et fortasse in se inveniet, quid ipse taliter positus ageret. Verumtamen quid quis eligat, coepta sequamur.

32. Praenotatus autem praesul, domnus videlicet Gerardus, intentione sui animi maximę circa sanctorum locos, corpora et reliquias occupaverat, ac iuxta se positas non modo pia devotione colebat, sed et undecumque valebat precibus precioque in suam diocesim transferre anhelabat[f], earumque memoriam summa cum devotione recolebat. Hoc igitur amore beati martyris Gengulfi

a) extendē 1. b) iuuenilis 1. c) *quaedam deesse videntur.* d) fieret 1. e) uibere 1? f) anhelebat 1.

16) lege: *decimo septimo.* Nam Drogo, Reginone teste, a. 906. sedem Tullensem acceperat et a. 922., ut Flodoardus docet, mortuus est.

a praesule Linguonense impetratis reliquiis, monasterium statuit, corpusque beatae Aproniae, huius nostri protectoris sanctissimi videlicet Apri sororis, precio huic ecclesiae adduxit. Post multorum vero sanctorum digne susceptas memorias, religioso quodam estu eius animus fluctuabat, ut qui multorum sanctorum in pignoribus gaudium meruerat, sui quoque et nostri specialis patroni ubinam et qualiter beatissimae exuviae, videlicet sanctissimi Apri, collocatae essent, scire mereretur; hinc maxime motus, quod nemo se id nosse fateretur. Hoc vero diucius tractans cum in dies maiori ageretur
978. desiderio, aliquando quaesitum iri statuit; sed consilio multorum, prius indicto ieiunio, voluntatem Dei ipsiusque protectoris nostri querere destinavit. Quod universis devota mente exequentibus, prope erat dies ante omnia secula ab omnipotente Deo praefixa, in qua populum suum, qui tunc forte adesse poterat, dilecti sibi corporis praesentia laetificare decreverat. Et quia omnis plebs eodem ardebat desiderio, decretum est, ut absque molestia turbarum quereretur quocumque inveniri poterat, atque ne irruente populo die quesitores gra-
Mai 17. varentur, noctu fieri decernunt; noxque 16. Kalendarum Iunii designatur. Haec irruens praecedentem clauserat diem, cum sine pontifice frustra ad id operis laboraturi accinguntur. Nam licet omnium desiderio se cupientium beatus Aper satisfacere vellet, in illius statuerat praesentia, cuius mentem ab hoc maius omnium flagellare noverat. Procul ergo malleorum sarculorumque diffundebatur crepitus, sudor vestes infecerat laborantium, nec insistentibus apparebat qui querebatur. Recesserat somnus ab oculis querentium, recedebat pariter noctis caligo et tenebrarum, cedentibusque tenebris, sole diffuso, dies enituit. Nam qui in metu noctis absconditus fuerat, revelationis suae diem exultationis querebat, cum iam dictus domnus adest episcopus, qui illam pene noctem pervigilem duxerat precibus.

33. Difficultate autem inventa: *Neque*, ait, *sic deficiemus, quia potens est Dei dextera nostro adesse voto; voluntatem quippe se timentium faciet,*
Ps. 144, 19. *et deprecationem eorum exaudiet, prope est enim invocantibus se in veritate.* Tunc iam fessis laborantibus: *Aliorsum*, ait, *vertamus manus, Christo propitio nostrum repperituri desiderium.* Quibus ocius parentibus et quo iusserat intendentibus, ille instabat orationibus; cum repente magno attoniti gaudio, mirantur sarcophagum, quod ibi[a] procuratrix antiquitas idcirco vacuum posuerat, ut si quisquam aliquando sancta menbra furtim aut vi appeteret diripienda, tali averteretur ludibrio, ne procederet ultra. Sed vir devotus[a*]: *Hoc*, inquit, *amoto, inferius nostrum latet gaudium.* Quo omnes recreati sermone, pavimentum sacro corpori superpositum certatim diruptum egerentes, subito offenderunt thecam[b] habentem inestimabilis precii margaritam. Quam cum lapide quo tegebatur remoto detexissent, tam diu et cum tanto quesitum desiderio repperiunt thesaurum. Tunc altissimo Deo laudibus fusis, consultu communi, lapide quem abstulerant recluserunt, translatione dilata. In qua scilicet dilatione ad talem custodiendum thesaurum vigiliae deputatae sunt fratrum. Quibus ibi quiescentibus, singulis noctibus ad beati tumulum auditum est murmur quoddam inestimabilis dulcedinis vocum, quod non dubitamus ex frequentia sanctorum fuisse angelorum. Supervenientibus autem Kalendis Iunii, fama totam peragraverat regionem; sicque de opidis, vicis, villis et agris pene totius huius diocesis populo accurrente, vicinarum quoque urbium viri religiosi et feminae sanctae devotionis agmine facto occurrerunt. Conventu itaque non modico, omnis videlicet conditionis, adunato, cum laudibus et hymnis beatissima menbra ex defosso illius specus loco sollempniter levata, debitum in locum ab ipso domno Gerardo praesule summa cum reverentia transferuntur. Ut vero ex visitationis suae praesentia sibi devotos laetificaret, duo huic iocundae sollempnitati intererant fratres, quorum unus Grimbertus, Adelbertus vocabatur alter, adversa valitudine gravissime laborantes; qui meritis sanctissimi Apri sub eodem translationis momento fugatis morbis celerrima potiti sunt sanitate, adhucque factae in se virtutis sunt incolomes testes. Evacuato tandem locello, in quo corpus iacuerat sanctum, pulvereque ad unguem pro posse collecto, pavimentum devotio fidelium fratrum quodam detersit linteo, quod aqua lotum quantis sanitatem praestiterit infirmis, quia numerum excesserunt, scribere renuimus. Nullo enim quis detentus est incommodo, qui hausta fideliter hac aqua, non mox fugato quo urgebatur morbo, meruerit medelam. Translatus autem est beatus hic pater noster anno ab incarnatione Domini 978, terris Ottone, per secula vero domino Salvatore nostro cum Patre et Spiritu sancto regnante.

34. Non multi post fluxerant dies, cum iuvenis quidam de villa Bladenaco[17], qui . . . .

35. Adolescens quispiam Ornensis pagi[18] accola, Erembertus nomine, sana . . . .

36. Bassiniacensis[19] quidam colonus ruris, famulus vero sanctissimi Apri . . . .

37. Neque vero rethorum quis, ut putamus, nostram inertiam, qua latinitate depravata seriem loquendi confundimus[c], pensabit, cum circa illum, cui post Omnipotentem quicquid sumus debemus, devotionem viderit. Nam non fidutia studiorum, verum amor tanti patroni, ut de illo quid scriberemus, nos appulit. Unde expurget audaciam devotio, et data manu gratias Deo in operibus suis per merita beatissimi Apri quicumque agant nobiscum.

38. Inquilinus quidam huius urbis nomine Haino, forte huius templi subintraverat aedem . . . .

39. Iuvenis quidam nomine Gohardus, incola huius urbis . . . .

40. Mulier quaedam Philista nomine, Salinensis pagi[20] indigena . . . . ac post domum incolumis rediit.

a) ubi 1? a*) deuotv *corr.* deuoto 1. b) thecham 1. c) confidimus *eadem manu corr.* confundimus 1.

17) Blenod. CALM. 18) L'Ornois. 19) villae Bassigny. 20) Le Saunois.

OTHLONI
VITA SANCTI WOLFKANGI EPISCOPI

EDENTE G. WAITZ PH. D.

Othlonus[1] *primis saeculi XI. annis in episcopatu Frisingensi a parentibus libe-* 1
ris et honestis natus, iam puer litteris ediscendis destinatus est; quas tum in Tegernseensi[2] *tum in Hersfeldensi coenobio*[3], *ubi anno* 1024. *morabatur*[4], *doctus est. Magna enim discendi facilitate praeditus et singulari studiorum*
amore repletus[5], *in disciplinis liberalibus celeriter profecit*[6], *et iam adolescens* 6
non vulgarem sibi conciliavit famam. Nam a Meginhardo „scribendi causa" invitatus Wirzburgum venit[7]; *postea in patria vixit, sed cum archipresbytero Werinhario inimicitiis conflatis, Ratisbonam concessit, ubi a Burchardo S. Emmerammi abbate libenter susceptus, postquam bis morbo depressus fuerat, anno* 1032.[8] *monachum professus est*[9]; *id quod iam puer voverat, sed patris precibus cedens distulerat*[10]. *Scriptoribus saecularibus, quibus antea delectatus erat*[11], *reiectis, iam in sacra scriptura atque auctoribus ecclesiasticis legen-*
dis atque explicandis versabatur[12]; *semper vero eodem litterarum studio infa-* 12

1) Sic plerumque nomen scripsisse videtur; nam ita in dialogo de tribus quaestionibus occurrit (v. Pez III. p. X); genitivus *Othloni* Pez III, 2. p. 433, vocativus *Othlone* ib. p. 147. At *Othloh* in inscriptione quadam ab ipso exarata (Pez III. p. XIX) et in cod. Windberg. vitae S. Wolfkangi legitur. — De vita et rebus suo tempore gestis tam in Visionum libro (Pez thes. III, 2. p. 547—613) quam in altera libri quem de tentationibus scripsit parte (Mabillon Anal. ed. 2. p. 116—119) multa notatu digna tradidit, quae inter saec. XI. scriptores suo loco edentur. 2) De tent. p. 119. Postea quoque hoc monasterium saepius adiit, Visio 8. 9. 3) Visio 5. 4) De tent. p. 119. Quum Franciam dicit, Hersfeldense monasterium intelligit. 5) De tent. p. 111: *Quis igitur ille erat, quem tu* (de ipso Othlono sermo est) — *unice pro discendi facilitate invocasti;* — p. 110: *Rogasti etiam tibi talem praestari locum, in quo copiam haberes librorum.* 6) De tent. p. 119; cf. ibid. p. 111. Visio 1. pag. 552, V. 2. pag. 555. 7) Visio 6. 8) post triginta annos a. 1062. Ratisbonam reliquit, de tent. p. 117. 9) Visio 3; cf. de doctrina spirituali c. 14. 10) l. l., de doctrina spirit. c. 15, de cursu spirit. c. 21. Tunc etiam invitis parentibus vota solvit; de tent. p. 112: *Arbitraris namque interdum, eandem professionem te frustra assecutum esse, pro eo scilicet quia hanc et sine consilio omnium affinium parentumque tuorum et absque consideratione fragilis ac lubricae aetatis immaturaeque ad tantum studium aggressus fueris.* 11) De doctrina spirituali c. 14:

Nam perscrutari cupiens subtilia quaeque,
Quorum notitiam multos gestire videbam,
Carus ut in mundo necnon praestantior essem,
Omne lucrum statui gentilibus associari,
Cum quibus est maior studiis liberalibus ardor. —
Quid mihi tunc Socrates vel Plato Aristotilesque,
Tullius ipse rhetor, mundanae dogmatis auctor?...
Quos si non legi, per tempora multa cupivi;
Affectuque ipso discendi adii loca quaedam,
Quae pro mundanis mihi cultibus optima duxi.....
Illa tripertita Maronis et inclyta verba,
Lectio Lucani, quam maxime tunc adamavi,
Et cui iam nuper, divinae legis adulter,
Sic intentus eram, quo vix agerem reliquum quid....
Quam veniae causam qualemque dabant medicinam,
Cum nec signa crucis potuissem ponere fronti?

De Lucano cf. Vis. 3. Iuvenalem affert, Vita Wolfkangi c. 7. 12) De tent. p. 108: *In eo autem loco quo monachus factus est cum plurimos diversae qualitatis homines invenisset, quosdam libros quidem gentiles, quosdam vero sacram scripturam legentes, ipse coepit illos solummodo imitari quos videbat divinae insistere lectioni;* cf. de tribus quaestionibus prol.: *Maior enim cura mihi est legendo vel scribendo sequi sanctorum dicta quam Platonis vel Aristotelis ipsiusque etiam Boetii dogmata.* Hunc iam vituperat, quod Lucanum gentilem familiarem suum dixerat.

tigabili excellebat. Quo factum est, ut ei „licet immaturo doctori invisa pue-
13 *rorum disciplina“ committeretur*[13]. *Circa annum* 1055. *decanus constitutus est*[14]. *Primum librum in monasterio ut varias tentationes effugeret se dictasse, i. e. composuisse, ipse dicit*[15]*; postea vero tum ab aliis rogatus, tum proprio instinctu motus, variis conscribendis operibus incubuit. Cum doctis viris sui temporis quam plurimis coniunctus fuisse videtur. Etiam Victorem papam et Humbertum cardinalem anno* 1056. *Ratisbonae praesentes vidit*[16]. *Sed quum monasterium ab episcopis Gebehardo*[17] *et Ottone depressum seque Ottoni odio esse videret, anno* 1062. *Ratisbonam reliquit et Fuldam secessit*[18]. *Ubi per quatuor annos commoratus, praeter S. Bonifacii vitam et Visionum librum*[19] *alia plura scripsit. Post a fratribus ut in monasterium reverteretur invitatus est, sed integrum annum in Amerbacensi coenobio vixit, „quousque certus fieret de monasterii sui qualitate“; quo finito, a nuntiis evocatus Ratisbonam rediit*[20]*; id quod anno* 1067. *vel* 1068. *factum sit oportet. Ibi reliquum vitae tempus in libris describendis*[21] *et componendis exegit. Denique vero* „senectus, *inquit*[22], et infirmitas me prohibuit, maximeque inquietudo diuturna, quae mihi ex variis curis et moerore pro monasterii nostri destructione exorta per tempora inole-
23 vit multa“. *Senectute confectus*[23] *quo anno mortuus sit, non constat.*

Othlonus vir fuit pii et severi animi, morbis variis debilitatus, sed acri litterarum amore recreatus et delectatus; religiositati immo superstitioni nimiae se dedit, somniis fatigatus ubique visiones et diabolicas tentationes conspicere sibi visus est[24]*; neque tamen vitae officia neglexit, sed docendo, scribendo, monendo, castigando numquam destitit. Quamvis plerosque eius temporis clericos et monachos scientia et doctrina a se superari bene sciret, neque alios haec celare studeret, modestum tamen ostendit animum et nusquam vana se extollit gloria*[25]. *Cogitationes et res suas proferre Othlono fuit voluptati, ita ut, Augustinum fortasse imitatus, libris suis saepius confessiones ederet,* „ut, *inquit*[26], si qua infirmitas vel subitanea mors me in extremis impediret a debita confessione, saltem per scripta patefacerem, quis ex memet ipso, quis ex Dei gratia essem.

Opera ab Othlono confecta et ab ipso indicata quam brevissime recensebo. Paullo post annum 1032. *in S. Emmerammi monasterio scripsit:* De spiritali doctrina *librum hexametris*[27] *compositum (Pez Thes. III,* 2. *p.* 431—475*);*
29 *ibidem inter annos* 1032—1062.*: Vitas S. Nicolai*[28], *Altonis*[29], *Wolfkangi,*

13) Visio 3. De tent. p. 119. 14) Visio 4: *ante decennium*, quod scripsit inter annos 1062—1066. 15) De tent. p. 117. 16) Visio 15. 17) cf. Vis. 10. 18) De tent. p. 117. 19) Etiam in hoc opere Bonifacii epistolis usus est, Vis. 18. 19. Praeterea ex Bedae hist. eccles. multa hausit 19. sqq. 20) De tent. p. 118. 21) Libros a se scriptos variisque donatos ipse recenset, De tent. p. 119; cf. Pez III. p. X. XIX., qui plures in Tegernseensi et S. Emmerammi monasteriis se vidisse testatur. 22) l. l. p. 119. 23) cf. epist. ad amicum ap. Pez l. l. p. 253: *Quoniam aetati meae advesperascit et inclinata est iam dies, quam in scribendi atque dictandi notitia ex Dei gratia quondam habui.* 24) Vis. 3: *pene per omne tempus, quo extra monasterium convalescendi gratiam praestolabar, visione varia in somniis inquietabar;* cf. de doctr. spirit. c. 14—18, librum de tent., de cursu spirit., ubi c. 21—25. primam libri de tent. partem reddunt. 25) cf. praefationes Vitae S. Bonifacii et Wolfkangi; de tribus quaestion. c. 49: *non pro nulla verborum rusticitate vel mea vilitate respuantur;* Vision. praef.: *ne quis vel propter vilitatem meam vel propter relationis ipsius rusticitatem haec parvipendat, sed — quocumque impolito sermone a me prolata fuerint.* 26) De tent. p. 119. 27) Fortasse etiam versus quos Pez p. 475—482. edidit in hoc tempore collocandi sunt. 28) cf. Pez III. p. XVI. 29) Ab illa diversa quae edita est Mabill. Act. III, 2. p. 217, nisi cum Pezio (III. p. XVII.) dicas, quod Othlonus eodem modo quo in Wolfkangi vita auctoris antiquioris verba retinuerit. — Minus recte Brower Vitam S. Pirminii, quam edidit, Othlono tribuit; v. Mab. l. l. p. 136.

librum De tribus quaestionibus *(Pez p.* 143—256*)*, *fortasse etiam librum* De confessione actuum meorum *(prima pars operis de tentatione esse videtur, Mabillon Anal. p.* 108—116*); Fuldae inter annos* 1062—1066.*: Vitam S. Bonifacii (Mon. SS. II. p.* 357*), Visiones (Pez p.* 547—613*), libellum quem dicit* manualem de ammonitione clericorum et laicorum *(Pez p.* 403—428*)*, Proverbiorum *librum (Pez p.* 485—536*); anno* 1067. *in Amerbacensi monasterio: sermonem cui titulus:* Quomodo legendum sit in rebus visibilibus; *post annum* 1067, *quum iterum Ratisbonae constitutus esset: Vitam S. Magni (Acta SS. Sept. II. p.* 701*)*, De cursu spirituali *(Pez p.* 259—398*), orationes et sermones varios Latino et Theotisco quoque sermone scriptos (Pez I,* 1. *p.* 417—426*), quae de vita et scriptis suis libro de tentatione (Confessione) adiecit (Mabillon p.* 116—119*), epistolam ad amicum (Pez p.* 253—256*) et alia fortasse minora*[30]. 30

Othlonus igitur a fratribus monasterii rogatus etiam Vitam S. Wolfkangi episcopi Ratisbonensis anno 994. *mortui componendam suscepit*[31], *quamvis iam antea bis et proprio opere et in Arnoldi libro de memoria S. Emmerammi edita esset. Sed quae in his tradita erant nonnisi corrigere et „regulae grammaticae artis subiugare" voluit*[32]*; id quod tam fideliter eum fecisse, Arnoldi collato libro apparet, ut plerumque*[33] *ipsa huius retineat verba, quaedam, sed quae nullius sunt momenti, omittat, plerumque vix verbum de suo addat*[34]. *Ideo ubi antiquiorem illam sequitur vitam, quam ex Francis Ratisbonam allatam dicit, iam vero deperditam dolemus, eandem putandus est observasse regulam. Quo factum esse videtur, ut bis terve ipsa scriptoris verba retineret, quae hunc Wolfkango coaevum ostendunt*[35] *et familiarem, Othlono vero nullo modo conve-* 35 *niunt, qui quadraginta fere post episcopi mortem exactis annis Ratisbonam venit et vix quemquam illius aetatis hominem invenisse videtur. Nam qui ei de sancto viro referebant, hunc ipsi minime viderant, sed nonnisi patres de eo locutos audierant*[36]. *Othlonus etiam alibi se vitam posteriori tempore scripsisse indicat*[37], *et quum Arnoldi librum iam ab ipso secundis curis emendatum ad manus haberet*[38], *ossa vero S. Wolfkangi a Leone IX. papa elevata esse nondum sciret*[39], *inter annos* 1037—1052. *hunc susceperit laborem oportet;* 39 *quem ita executus est, ut librum quamvis neque rebus neque oratione valde conspicuum, satis tamen aptum utilemque exhiberet.*

30) e. gr. narratio de miraculo quodam Pez p. 398. Quod ibidem p. 399. legitur fragmentum de translatione corporis S. Dionysii nescio an recte Othlono tribuatur. Multa minus historia quam edidit I. B. Kraus de transl. S. Dionysii p. 169. illi adscribi potest; cf. infra. 31) De tent. p. 118: *Ex petitione namque fratrum nostrorum vitam — sancti Wolfgangi emendans, sicut in — vitae prologo intimatur, scripsi;* cf. prolog. 32) prolog. 33) Quae ex Arnoldo sumsit haec sunt: c. 12—14, maior c. 15, maxima c. 16. pars, c. 19—21. 38. 39. 43—45. Reliqua aut ex antiquiori vita aut ex monachorum relationibus hausit. 34) Etiam vitam S. Erhardi a Paulo sive Paullulo quodam conscriptam habuisse videtur; cf. c. 17. Neque enim illam cum Bollando (Act. SS. Ian. I. p. 533) saeculo XI. exeunte, post Othlonum, scriptam putarim, quum auctor II, 1. dicat: *Secundum de signis — librum exaramus, testes habentes aut qui ipsi viderunt aut quibus videntes detulerunt, nec a vetusto collectos tempore, sed adhuc viventes in corpore,* locus vero I, 2: *sicut Romanae testatur historia bibliothecae, auctore quidem sancto papa Leone, qui nonus sui nominis sanctam Romanam rexit ecclesiam, quatuordecim ibidem monasteria construxerunt* (Erhardus et Hildulfus), sit obscurus et fortasse corruptus. 35) c. 30. 34. et c. 5: *sicut ipse* (Wolfk.) fatebatur. Cap. 34. (et 9.) verba codex unus (infra 2.) ita mutata exhibet, ut auctori s. XI. convenire possint; quod tamen interpolatori potius quam ipsi Othlono tribuerim. 36) Prolog. Quod dicit c. 7: *discipulis narrantibus audivimus* eodem modo interpretandum aut ex antiquiore vita descriptum est. Cf. c. 40: *quaedam oblivione faciente ad cognitionem nostram minime pervenerunt.* 37) c. 17. 40. 41. 38) Verba in autographo secunda manu addita II, 12. 23. Othlonus c. 21. 39. repetivit. 39) Huius rei a. 1052. factae notitiam ex cod. S. Emmerammi Nro. 515. saec. XV. dedit I. B. Kraus in 4ta edit. Ratisb. monastic. p. 258.

40 Medio aevo praeter scriptores Ratisbonenses[40] et Adelbertum Bambergensem[41], quibus vix Annalistam Saxonem addere licet[42], nemo, quod sciam, hac vita usus est[43]. Codices vero exstant plures, iique omnes in Bavariae et Austriae bibliothecis, si unum excipias

1) C. Einsidlensem Nro. 322. mbr. saec. XI. 4to, ubi post Boethii librum de consolatione philosophiae alia manu scriptum haec sequitur vita. Ex hoc mss. optimo sed praefatione destituto Mabillon post Surium (V. p. 991. ed. 2. p. 1095), qui suo more stylum mutavit, primus genuinum edidit textum (Acta p. 812),
44 sed neque Othlonum auctorem agnovit[44], neque omnes errores devitavit, quos a V. Cl. Gallo Morell bibliothecario Einsidlensi indicatos iam sustollere potui. Praeterea adhibui

2) C. Monacensem inter libros mss. Civit. Ratisbonens.[45] C. I. signatum, qui variis saec. XII—XIV. manibus exaratus, Bedae expositionem in Acta apostolorum, Aribonis vitam S. Corbiniani, Translationem S. Alexandri et Iustini Frisingam, fragm. vitae S. Galli, vitam S. Erhardi auctore Paullulo, Augustinum de vera religione, Bernhardum de contemtu mundi et particulam vitae S. Erminoldi continet. Vita S. Wolfkangi, quae inter haec f. 111—131. legitur, saec. XII. satis accurate scripta est, sed textum habet hinc inde leviter mutatum; quod an ab ipso Othlono factum sit dubitarim. Certe ubi hic Arnoldi libro usus est, cod. Einsidlensis cum eo ad verbum convenit, Ratisbonensis
46 vero non semel longius ab eo recedit[46]. Lectiones a V. Cl. Föringer exscriptas omnes in notas retuli.

3) C. Vindobonensis Nro. 2217. (3330. Lunaelac.[47] 88.) mbr. saec. XIV. f. 71—84, ex quo praefationem describendam curavit nobisque transmisit V. Cl. Chmel. Cum hoc conveniunt:

4) C. Vindobonensis Nro. 3377. (Lunaelac. 233.) chart. saec. XIV, qui 33. folio verbis c. 41: ulterius circuli cru *desinit*, et

5) C. Vindobonensis Nro. 818. (3329. Lunaelac. 81.) chart. saec. XV. f. 107—116, ubi verbis c. 19: sexus utriusque turba confluere solebat *finitur*. — Ad Ratisbonensem vero prope accedit

6) C. Monacensis inter Tegernseenses Nro. 660. chart. saec. XV., qui fol. 235. constans, inter varias sanctorum legendas f. 136—153. Vitam S. Wolfkangi continet.

7) C. Monacensis, Bavar. Nro. 843. chart. saec. XV. in 48 foliis exaratus,
48 fol. 1—38. Othloni librum, fol. 38—42. Vitam Wolfkangi metricam[48] (Pez thes. III, 2. p. 615—622), fol. 42'—43. Orationem de sancto Wolfkango (Pez l. l. p. 622) fol. 46. 47. Germanicam orationis translationem, fol. 48. varia de reliquiis aliisque rebus Salzburgensibus notata continet. Eadem exstabant in

40) Chron. epp. Ratisbon. ap. Eccard. II. p. 2254. Andreas Ratisbon. chron. gen. ap. Pez IV, 3. p. 473. Aventinus quoque eum inter fontes suos recenset. 41) Vitae Heinrici II. c. 2. ex Othloni c. 41. sumtum est. 42) Eandem fere de S. Heinrico imperatore habet narrationem a. 1002. p. 383, sed vix ex Othlono haustam. Certe de Wolfkangi historia nihil tradit. 43) Etiam magis miror, in libris de SS. ecclesiasticis nullam Othloni fieri mentionem. 44) Immo quum huius librum de tentat. ederet et ne hunc quidem Othlono tribuere auderet, vitam ibi memoratam ab edita illa diversam putavit; quem errorem alii propagarunt. 45) Mirum est inter codd. S. Emmerammi Ratisbon. Othloni librum haud inveniri. 46) cf. praesertim c. 14. 47) Monasterium Lunaelacense ad S. Emmerammum pertinuit. 48) In fine haec leguntur: *Sanctus Wolfgangus anno Domini* 977. *in episcopum est electus, anno vero Dom.* 999. *est defunctus.*

En tuos ad iussos, o pater, ferre laborem
Hunc volui promptus sancti presulis ad honorem.
Si scriptoris cupias cognoscere nomen,
Georium noris. Deus hunc suscipiat, Amen.

8) C. Mellicensi signato H. 9. ex quo Pez primus Othloni praefationem (l. l. p. 613) aliaque edidit. Idem affert

9) C. Windbergensem saec. XII. Praeterea vero

10) C. Admontensis Nro. 440. mbr. saec. XII. et

11) C. Cremifanensis mbr. saec. XIV, uterque praefatione destitutus, indicantur[49], *denique*

12) C. Clarae Vallis (Zwettlensis) Nro. 14. mbr. saec. XIII, qui ad magnam vitarum collectionem, qualem in plerisque monasteriis invenimus, pertinet, cuius notitiam V. Cl. Iohanni de Frast, bibliothecario Zwettlensi, debemus[50].

Praeter vitam brevem rhythmis conscriptam, quam in codd. 7. et 8. exstare iam dixi, aliam versibus hexametris compositam in bibliotheca S. Udalrici et Afrae Augustana fuisse, Braun monet[51].

G. WAITZ.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM SANCTI WOLFKANGI[a].

Fratrum quorumdam nostrorum hortatu sedulo infimus ego O.[b] coenobitarum sancti Emmerammi compulsus sum, beati Wolfkangi[c] vitam, ab antecessoribus nostris in liberulis[d] duobus dissimili interdum et inpolita materie[e] descriptam, in unum colligere atque aliquantum sublimiori stilo corrigere. Quibus saepius renitendo, ex imperitia magis quam malicia tam ardui operis denegavi negocia. Sed illi, quod mihi difficillimum[f] videbatur ex proprio, divino adiutorio levigantes, a precibus inceptis non desistebant, donec me votis suis parere vel attemptare promittebam, credens utique, quia non absque superno nutu huiusmodi foret exactio, dicente scriptura sacra: *Nihil in terris fit sine causa.* (Iob 5, 6.) Quae sit autem causae rationabilis et aliqua utilitate subsistentis diffinitio, sancti Augustini docemur rudimento: *Voluntas Dei*, inquit, *prima et summa causa est omnium corporalium et spiritualium*[g] *motionum.* Hac igitur fide atque spe incitatus, fraternos adimplere curavi precatus. In quo scilicet opusculo hoc studere me denuncio, ut ea quae simili quidem sensu prolata sed inemendato rusticoque stilo videbantur vagabunda, regulae aliquantulum grammaticae artis subiugarem et ad litteratorios usus exemplarem. Ubi vero dissimilis habebatur sententia, ut est illud quod dicitur regem gentemque Ungariorum ad sacram fidem convertisse necnon baptizasse[h], nonnullaque alia quoniam non solum alter libellus, Arnolfi scilicet monachi dyalogus aput nos scriptus, sed etiam omnium, qui adhuc nobiscum conversantur et se relatione patrum fideli comperisse sancti Wolfkangi gesta testantur, verba discrepant, visum est mihi magis debere sequi dicta scriptaque nostratum, inter[i] quos et maxime praedictus vir Dei in hac vita degens claruit, quam extraneorum[k]. Nam alter libellus, in quo varietas habetur talis, delatus est ex Francis. Multa etiam quae in libro neutro inveniebantur fidelium quorumdam attestatione comperta addere studui, sicque quaedam addendo, quaedam vero fastidiose vel inepte dicta excerpendo, pluraque etiam corrigendo, sed et capitularia[l] praeponendo, vobis, o fratres mei exactores huius rei, prout ingenioli mei parvitas permisit, obedivi. Iam rogo cessate plus tale quid exigere a me.

CAPITULA[m].

1. Quibus[n] parentibus sanctus Wolfkangus sit natus et quali conversatione ab infantia fulserit, quidque matri suae de eo visum fuerit.
2. Relatio de nominis eius memoria, quia indifferenter accipi possunt huiusmodi vocabula.

a) wolfcangi 2. *ex quo haec rubra.* b) *ita* 2. 3. 4. 7. Othloh 9. R. *corr.* B. 6. c) wolfgangi 3. 8. d) liblulis 2. e) materia 6. f) difficilimum 3. 4. g) spiritualiumque 3. 4. h) waptizare 4. i) intra 3. 4. k) extranorum 3. externorum 4. l) cappellaria 3. 4. m) *Capitulorum index una cum praefatione deest* 1. *ubi tamen inscriptiones eaedem fere singulis capitibus praemissae sunt.* n) Wolfgangi patria et nativitas 1.

49) Archiv VI. p. 177. 196. 50) cf. Iahn Archiv für Philologie VI, 3. p. 445. 51) Notitia hist. liter. II. p. 59.

3. Quanta aviditate scolis traditus litteraturam[a] ceperit[b].
4. Quia cum quodam Heinrico sibi familiarissimo discendi causa ad Wirciburg[b*] convolaverit.
5. Quomodo ob quaedam obscura in Martiano[c] dicta conscolasticis a se enucleata a magistro Wirciburgensi[d] sit repulsus.
6. Quod vir Dei renunciare saeculo[e] decreverit sed amici sui Heinrici precibus distulerit.
7. Quomodo Heinricus, Treverensis episcopus factus, sanctum Wolfkangum secum ire petierit et ei omnem post se episcopatus dignitatem subdere voluerit, sed ille haec renuens vix pueris docendis praeesse consenserit.
8. De eo quod episcopus Heinricus audita conversatione sancti viri coenobium aliquod sibi committere studuerit.
9. Quomodo Heinrico praesule in Roma defuncto sanctum Wolfkangum ad se convocaverit episcopus Coloniensis Bruno.
10. Quemadmodum vir Dei a Brunone episcopo dimissus patriam reviserit et ad monasticam vitam tetenderit.
11. Qualiter sanctus Wolfkangus a beato Udalrico presbyter sit ordinatus.
12. Ubi viro Dei sanctus Otmarus per visum apparens, quod praesulatus regimen esset accepturus, quantisque id annis foret dispositurus, praedixerit.
13. Quomodo ex revelatione divina incitatus praedicandi causa Pannoniae petierit confinia, sed a Piligrimo Pataviense episcopo sit revocatus.
14. Quomodo eiusdem episcopi effectu Ratisponensis ecclesiae praesulatum susceperit.
15. Qualiter in urbe praedicta monasticae vitae incuriam prospiciens doluerit, et pro huiusmodi emendatione Ramuoldum in sancti Emmerammi coenobio abbatem constituerit.
16. De eo quod quidam indigne ferebant, quia praedicto coenobio abbatem praefecerit.
17. Qualiter etiam sanctimonialium monasteria in praedicta urbe constituta ad monasticae vitae regulam perduxerit.
18. Quomodo canonicorum iura providere studuerit.
19. Quanta[f] praedicationis gratia refulserit.
20. Quod viro Dei praedicante diabolica fraus discurrere populum fecerit.
21. Qualiter eum stolidus quidam tacite despiciens, mox terrore ac infirmitate fuerit correptus, sed postea sanitati restitutus.
22. De cotidiana illius conversatione.
23. Quomodo sacerdotes pagenses admonuerit, ut se observarent.
24. Quanta sollicitudine emendaverit, cum quosdam ob vini penuriam missas cum aqua celebrasse audiret.
25. Quod ita alienis sicut sibi subditis misericordiam exhibuerit.
26. Quanta industria multos famis tempore procuraverit.
27. De paupere, quem pro furto comprehensum excusavit eique vestimenta exhibere iussit.
28. Quomodo hereticum verba quaedam erroris arte dialectica proponentem eadem arte mirifice confutaverit.
29. Qualiter a caesare Ottone rogatus consensit, in Poemia Ratisponensi ecclesiae subdita fieri episcopatum.
30. Quia prophetiae spiritu claruerit.
31. Quomodo legatus sancti praesulis, qui ablato equo eius iussa ambulando implere studuit, subito equum sellatum invenerit.
32. Ubi in caesaris Ottonis expeditione, multis ex fluvii cuiusdam inundatione periclitantibus, ipse securus fluvium transiit aliosque transire fecit.
33. De clerico, cui maledicendo oculorum dolorem ingessit, sed postea benedicendo sanitati pristinae restituit.
34. De muliere demoniaca curata.
35. Item de alia muliere demoniaca curata.

a) litterularum 2. 6. b) *deest* 6. 7. b*) wirziburg 2. c) matiano 2. d) uuirzbugnensi 2. e) *deest* 2. 6. mundo 7. f) *Haec desunt* 2. 6. 7.; *sed* 1. *hanc habet rubram c.* 19.

INCIPIT VITA SANCTI WOLFKANGI[d] EPISCOPI.

1. Beatus igitur Wolfkangus, natione Suevigena, ex ingenuis parentibus[1], et ut 1
sibi Salomon optat, nec divitias nec paupertatem patientibus, sed mediocriter recteque viventibus, est procreatus. Qui nimirum ab ipsis infantiae rudimentis divinum fontem vitae sitiens et caduca quaeque despiciens, magna meritorum praerogativa coepit eminere, multisque virtutibus studuit fulgere. Fertur etiam, quod eius matri visum fuerit stellam in gremio portare. Quod scilicet praesagium conveniens erat praeclaris filii virtutibus. Nam unus illorum extitit, de quibus scriptura sacra dicit: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Dan. 12, 3.

2[e]. Natus ergo puer, non multo post baptismi gratiam adeptus, Wolfkangus est appellatus; quod videlicet nomen ille per semet ipsum est interpretatus. Nam in quodam armario, quod ipse construi praecepit, inter reliqua, sicut erat peritissimus poematum compositor, ita scripsit:

Iusserat[f] aediculam mandrita Lupambulus istam[2].

Verumtamen pro nulla suae malitiae nota[g] hoc nomen ei imponebatur, sed quadam consueta suae cognationis appellatione; quia et nomina bestiarum in utramque partem adverti possunt. Leo etenim interdum significat diabolum, ut ibi: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret;* 1. Petr. 5, 8. Christum etiam nihilominus designat, ut est illud: *Ecce vicit leo de tribu Iuda;* Apoc. 5, 5 et ovis in bono ponitur, ut illud: *Nos autem populus tuus, et oves pascuae tuae,* Ps. 78, 13. et in malo, ut ibi: *Sicut oves in inferno positi sunt*, 48, 15. item patriarcha Iacob ad filium suum: *Beniamin lupus rapax;* Gen. 49, 26. et poeta de persona sancti Pauli ita scribit:

O lupe Paule rapax, quid iam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas?

Hinc itaque apparet, quod nullus iustificatur vel reprobatur ex nomine.

3. Crescente autem puero, Spiritus sancti gratia augebatur simul in illo. Nam cum iam circiter septuennis esset, parentes eius illum pro discendis litteris cuidam commendaverunt clerico, hoc veluti religiosi praemeditantes, quod et postea experti sunt gaudentes, ut per iuges interventus filii instructi, funes peccatorum, quibus semet circumplexos sentiebant, solverentur. Idem vero pretiosae indolis puer tanta aviditate ac memoria litteras coepit capere, quo paucis annorum decursibus transactis non solum

a) robulocensis 2. b) deuexerunt — sepelierunt 1. c) maiestatem 7. d) wolfgangi 2. *qui alibi* wolfkang. *habet.* e) *Capitum divisiones in 2. desiderantur.* f) Struxerat 2. *Andr. Ratisb.* g) nulla ignominiosa causa 2.

1) cf. Zirngibl in Neuen Abh. d. Bair. Acad. Vol. 3. 1793. p. 679 sqq. 2) A Coelestino Ratisbon. monast. ed. 4. p. 101. inscriptio affertur ita:

Consecrat aediculam mandrita Lupambulus istam,
Abbas Ramuoldus quam tibi, Christe, struit.

hystorici sensus superficiem penetrarit, verum etiam intimas mysteriorum medullas investigarit. Quamobrem in privatis iam minime contentus est discere locis; sed ubi tunc
3 in Germaniae partibus maxime pollebat scolare studium, patre ducente bithalassum[a. 3] adiit, id est Augense coenobium. Ubi, quoniam eius fama ingenii pridem audiebatur, gratanter est susceptus, brevique tempore delapso, magistris, qui illius capacitatis acumen senserant, efficitur suspectus. Verumtamen nullo despectionis fastu ex huiusmodi eminentia intumescebat, sed cum omnibus in domo Domini ambulabat cum consensu.

4. Per idem tempus fuit in loco praefato[b] propter studium scolare quidam Heinricus[c], eximia Francorum Suevorumque prosapia genitus, qui supradictum iuvenem maximo sibi adnectens amore, rogavit unice, ut secum ad Herbipolim, quae a rusticis Wirciburg[d] vocatur, veniret. Hoc autem ideo propensius suadebat, quod frater eius,
4 Poppo nomine, monarchiam illius episcopii tenebat[4], et quendam Stephanum de Italia scolaris doctrinae causa conduxit, qui omnibus ibidem discere cupientibus satisfacere
c. 950. possit. Cumque idem Heinricus in huiusmodi precibus persisteret, omnemque humanitatem, quae discendi ac peregrinandi necessitas exigit, promitteret, petenti tandem acquievit. Venientes ergo simul ad praedictam urbem, scolarem adeunt magistrum, et sub eius disciplina commorantes, aliquantis diebus habuere propitium.

5. Cum autem quadam die in Martiano de nuptiis Mercurii et philologiae legeret, quomodo utriusque nomen rhythmi profunditate conveniret, et non satis diligenter exprimeret: iuvenes, ut soliti fuerunt, ad perspicacioris sensus virum Dei Wolfkangum venerunt, et ut numeri difficultatem explicaret, unanimiter postulaverunt. At ille, sicut erat benignus et edoctus, non solum quod rogaverant, verum etiam omnem huius sententiae scrupulositatem aperiens insinuavit. Quo comperto, magister praefatus ira commotus, ne ulterius suae interesset lectioni, sub interminatione prohibuit. Sicque malignus hostis, inventa hac occasione, tam per se quam per suos complices famulum Dei suffocare temptabat. Sed nimirum, sicut flamma flatibus venti agitata validius accendi solet, ita divini sensus ardor, qui in pectore Wolfkangi a pueritia coaluerat, nullo temptationis imbre potuit extingui. Ex illo itaque tempore, sicut ipse fatebatur, cuius omnia verba sunt credenda, de nullo carnali demonstratore scripturarum apprehendit penetralia, tantoque sibi postea extitit amplius ingenium, quantum distat inter hibernum solem et aestivum.

6. Huiusmodi igitur profectibus vir Dei maturascens, cotidie se ipso robustior virtutibus succrescebat, etiam in corde suo quasdam de convalle lacrimarum asscensiones facere disponebat. Nam nisi amici precibus Heinrici, cum quo familiare habuit contubernium, retraheretur, omnimodo saecularibus renunciaret desideriis. Sed assidue tractans, quia caritas non quaerit quae sua sunt, sed quae alterius, ad tempus distulit, quod postea devotus implevit.

956. 7. Brevi dehinc evoluto tempore, Heinricus ab Ottone Magno Treverensem suscepit archiepiscopatum, et ut secum illuc adveniret obnixe flagitavit beatum Wolfkangum. At ille aliquandiu resistens, cum bene non posset, male noluit esse rebellis. Profectus est ergo cum amico. Tunc venerabilis antistes internae dilectionis vim, quam erga virum Dei habuit, explere cupiens, beneficiis et dignitatibus tantis voluit eum honorificare, quatinus per omnem episcopatus sui potestatem secundus post se, ceteris praelatus haberetur dignitate. Servus autem Dei cenodoxiam fugiens, semperque prae oculis
1.Tim. 6, 7. 9. illud apostolicum habens: *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec quid auferre possumus*, et: *Qui cupiunt divites fieri, incidunt in laqueos diaboli*, tali honore se dicens indignum, tandem consensit, scolasticos iuvenes sibi commendari; prudenti usus consilio, ut scilicet ingens doctrinae talentum sibi a Deo traditum aliis exhibendo, sicut dispensator fidelis fructificaret. In quo labore nihil lucri, nihil mercedis sibi more saeculari [exhiberi voluit[e]], sed ut alios lucrifaceret, decrevit operari. De nullo namque discipulorum, sicut plerique solent doctores, illum satyricum clamantes versum:

Iuv. 7, 157. *Nosse volunt omnes, mercedem solvere nemo*,

causa remunerationis aliquid exigebat, quamvis a pluribus cogeretur. Nondum vero

a) bitalassum 2. b) priuato 1? *ed.* c) henricus 2. *semper.* d) uuirziburg 2. e) *desunt* 1.

3) i. e. mari undique cinctum. 4) Sedebat a. 941–962.

presbyter ordinatus, a carne tamen se abstinuit, nec pretiosa vestimenta quaesivit, vigiliis quoque et orationibus ieiuniisque deditus, corpore solummodo, non mente, saecularibus negociis erat implicatus. Iuvenes etiam, quos ad erudiendum suscepit, non solum liberalibus exercebat doctrinis, verum etiam moralibus informabat disciplinis. Ut[a] autem quantae discretionis esset aliquantum inspiciamus, sicut discipulis eius narrantibus audivimus, adeo se temperavit inter alumnos, ut, cum quibusdam capacioribus artium vel auctorum difficilia quaeque et profunda enodaret, mox ad idiotas simplicioresque se vertens, et nutricis more quasi lacteum historiae cibum praecoquens suppeditaret[b]. Praeterea quicumque pauperes et humanis destituti solatiis in eius discipulatu morabantur, carnali non minus quam spirituali alimento ab eo refovebantur.

8. Hac igitur tam laudabili conversatione partim visa partim comperta, Heinricus archiepiscopus tam per se ipsum quam per suos familiares Dei famulum aggreditur, rogans ut aut clericale vel monachile coenobium aliquod regendum susciperet. Tunc ille per humilitatis excusationem solitam omni sublimitate se clamans indignum, tandem per obedientiae subiectionem compulsus, consensit ut esset decanus clericorum. Hoc primatu licet invitus vendicato, inreligiosis terrori, ceteris fuit amori, quos scilicet omnes tam minis quam suasionibus, quod ante non consueverant, fecit simul cibum capere et dormire, in claustro lectionibus intendere, et ne intima vel spiritualia neglegerent quibus carnalia suppeterent, delectabiliter admonuit; in omnibus his se praebens exemplum, adeo ut iam a cunctis diceretur non esse clericus sed monachus.

9. Interea praesulem Heinricum contigit caesaris Ottonis iussione expeditionis causa Romam pergere, ibique cum aliquantum tempus moraretur, nimis aegrotare. Sed cum 964
se desperaret convalescere, vocavit ad se caesarem, et exposuit ei beati Wolfkangi qualitatem, obsecrans ut Treveris litteras mitteret, cum quibus, ne a nullo idem Dei famulus iniuriaretur, interdiceret. His precibus gestis, persolvit debita mortis. Qua fama Treveris audita, sanctus Wolfkangus primo nimium contristatur[c], deinde consolari coepit, quoniam quae diu de saeculi contemptu cogitarat tunc peragere licebat. Cumque[d] iam confirmata mente repatriare vellet, archiepiscopus Coloniensis Bruno, qui et ducatum tenuit Lutringensem[e], fecit eum ad se venire, ac promittens illi omnem humilitatem necnon[f] pontificatus honorem, conatus est secum detinere. Haec sanctus renuit, quia semet in ardua fixit. Aliquandiu tamen cum illo conversatus est. Unde et frequenter postea retulit, quia eidem Brunoni episcopo similem in omni probitate raro viderit. Notandum autem merito, quantae perfectionis vir iste fuerit, cui tanta prosperitas saecularis promissione egregii praesulis arrisit, plurimaque quae scribi fastidiosum est, nec tamen adhaesit. Magni enim constat meriti, haec omnia relinquere, seque in hoc saeculo mendicum facere.

10. Gloriosus ergo archiepiscopus Bruno virum Dei sentiens artioris vitae conversationem aggredi velle, cum amabili tripudio dimisit eum iuxta placitum abire. At[g] ille domum veniens, ab omnibus cognatis et amicis amabiliter est susceptus, obviamque habuit, ut ita dicam, Syrenes velut alter Ulyxes. Tunc omnis parentela omnisque cognatio meliorem substantiae hereditariae portionem pollicentes, plures quoque amici flagitantes, ne se desereret, dicunt: *In*[h] *te omnis domus inclinata recumbit.* Non defuerunt etiam qui adderent, quia scriptura praecipit parentibus obsequendum. Agonitheta autem Dei contempnens omnia, ipsius domini nostri Iesu Christi opposuit verba dicentis:
Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Legebat forsitan quod Matth. 10, 37.
sanctus Hieronimus ad quendam scribit amicum[5]: *Licet parvulus in collo pendeat nepos, licet sparso crine scissisque vestibus ubera quibus te nutrierat mater ostendat, licet pater in limine iaceat, percalcato patre citius perge, siccis oculis ad crucis vexillum evola. Summa pietas est, in hac re te fore crudelem.* Intuebatur etiam Iohannem baptistam, cui[i] quamvis sancta fuerit mater et sacerdos pater, tamen utrosque relinquens, ne cum hominibus habitans pollueretur, in eremum secessit. Huiusmodi igitur exemplis

a) Que utraque sic temperauit ut cum *ceteris omissis* 2. b) eos pariter recrearet 2. c) contristatus 1? *ed.* d) *cap.* 10. *incipit* 6. e) littringensem 2. f) nec 2. g) c. 10. *incipit* 7. h) d. Cum sis cunctorum spes solamenque tuorum atque domus nostre uis omnis adhereat in te, ne procul hinc uadas, ne nos dilecte relinquas. Fuerunt etiam qui 2. i) cuius 2.

5) Epist. 1.

incitatus, parentes seorsum convocans, dixisse fertur: *Rerum substantialium portionem, quam mihi disposuistis dare, inter vos dividite. Est namque quidam praepotens ac dives dominus, qui grande patrimonium mihi, si illi fideliter servire volo, promisit, in quo pars hereditatis meae, et ipse est qui restituet hereditatem meam mihi. Credo etenim, quia daturus est mihi tam sufficiens beneficium, ut et vobis aliquod praebere possim*[a] *adiutorium. Quapropter rogo, ne tanti beneficii promissa lacrimabili interrumpatis querimonia; sed parate quae sunt ad haec necessaria. Non enim quaerit neglegentem sed studiosum servitorem dominus talis.* Mox alacriores effecti parentes, nomen et locum quo vellet ire investigant. Quibus ille dixit: *Modo scire non potestis, postea vero scietis.* Deinde sciscitantibus eis, si aliquem suorum habere dignaretur in comitatu, prorsus contradixit. Paucis vero diebus transactis, tulit secum duos iuvenes, et spiritalem Isaac, suum scilicet votum, quod offerre Deo volens in holocaustum, venit ad monasterium solitario- 6 rum in tenebrosa silva constitutum[6]. Illuc nempe propter artiorem regulae disciplinam, quae ibi noscitur esse, Dei famulus elegit tendere. In illis autem diebus coenobitis loci ipsius spiritalis praefuit[7] pater, Anglorum gente procreatus, nomine Gregorius, qui iuvenilibus annis patriam, parentes, feminam quoque sibi desponsatam relinquens, ad monasterium convolavit. Cuius vitam religiosissimam, quia non opus est hic retexere, praetermittimus, ne a proposito deviemus. Huius ergo abbatis magisterio servus Christi Wolfkangus se commendans, veterem cum suis actibus hominem deposuit, et novum monasticae conversationis habitu induit. In qua quanto rigore qualique observantia vixerit, et virtutum suarum exitus et multarum salus animarum ostendit. Transacto itaque tirocinii sui tempore, multi vicinorum monasteriorum probitatis eius fama respersi ad illum venerunt. Quos omnes, accepta abbatis licentia, in auctoralibus simul et artificialibus doctrinis et, quod his eminet, moralibus aedificavit disciplinis.

11. Eodem tempore beatus antistes Oudalricus, cuius sanctitas per totam redolet Europam, visitandi fratres causa ad illud solito more monasterium devenit. Et cum aliquot ibi dies moraretur, cognita sancti Wolfkangi qualitate, magno caritatis affectu eum studuit amplecti et venerari. Non multo post etiam, quamvis renitentem, ordinavit presbyterum. Tunc vir Dei sacerdotii dignitate sublimatus, implere desiderans quod est appellatus, omni humilitatis sarculo suum scopebat spiritum; sicque per vota, quae sua distinxerunt labia, holocausta fideliter obtulit medullata; et quia contritione tali semet Deo cotidie offerre studuit, divinae visionis gratia sublimari meruit.

12. Nam cum pro sua aliorumque salute iugiter exoraret et huiusmodi preces 8 sanctorum suffragiis intentissime commendaret, beatum[8] Christi confessorem Otmarum, cui se suaque frequentissime commendabat, sibi in somnis asstare videbat. Quem iussus intendere, ab eo huiusmodi accepit verba: *Quia rogatus a te ut intercederem pro te, manifesto nunc tibi quaedam futura, quae tibi provenient intercessionis meae cura. Pauper et inops de hac provincia egredieris; sed in alia, in qua pro amore Domini exulaberis, episcopatum caducis rebus satis locupletem praedestinatione divina suscepturus eris. Cuius in administratione si fidelem te exhibueris, expletis viginti duobus annis, vitam transitoriam eris exiturus et aeternam ingressurus. Et hoc procul dubio scito, quod animam Conditori redditurus es in loco, ubi sub nomine Christi a christianis memoria mea veneratur et colitur. Quo me in hora exitus tui de Aegypto huius mundi spero adventurum cum ceteris, quos de civibus supernis ad te venturos consolatores habere merueris.*

13. Huiusmodi ergo visione percepta, eo amplius quo certius intendebat[9] aciem mentis in speculum divinae contemplationis, reputans iugiter secum, qualiter in salutem aliorum sibi concessum duplicaret talentum. Huius rei gratia abbatis sui licentia mona- 1. Cor. 12, 31. sterium, et non monachum deserens, immo secundum apostolum maiora charismata aemulari cupiens, per Alemanniam devenit exul in Noricum. Ad cuius orientalem plagam cum humili comitatu pergens, praedicandi gratia Pannoniae petit confinia. Ubi cum veterum fructices errorum extirpare[b] et steriles squalentium cordium agros euangelico ligone proscindere frugemque fidei inseminare frustra laboraret, a Piligrimo Pataviense

a) possimus 1? *ed* b) extirparet — proscinderet 1? *ed.*

6) Einsiedeln. 7) a. 960—996. 8) Haec ex Arnoldi libro II. de memoria S. Emmerammi c. 22. sumta sunt. 9) Hoc caput ex Arnoldo II, 1.

pontifice ab incepto revocatus est opere. Dolebat enim idem pontifex, tantum colonum in sulcis[a] sterilibus expendere laborem. Cumque ab eo revocaretur omnique humanitatis studio susciperetur, apud illum rogatus commorabatur aliquot diebus.

14. Quo[10] commorationis tempore idem episcopus optime usus, utpote qui erat sagacitate omnimoda plenus, iuxta quod apostolus docet: *Probate spiritus si ex Deo sint,* 1. Ioh. 4, 1. clandestina et manifesta divini servitii observatione ac assidua sacrae scripturae indagatione satis probavit, hunc quem susceperat peregrinum non esse gyrovagum, sed stabilem verae fidei domesticum. Unde et quosdam de suis familiariter alloquitur, dicens: *O quam felix ecclesia, quae Deo volente isto donabitur sacerdote. Ergo necessarium valde* 972. *videtur mihi et utile, ut huic famulo Dei petam regimen Ratisponensis episcopii; quia optime convenit, sicubi abundat bona voluntas*[b], *ut eam etiam ad bona opera procedere faciat bene collata facultas. Donum quippe, quod hic vir seminare voluit in duratis cordibus paganorum, et salutis obsequium, quod repulit caecitas illorum, quandoque fortassis, hoc eodem agrum dominicum excolente, dabit fructum suum in populis christianorum.* Ad haec quidam respondentes dixerunt: *Qui fieri potest, ut iste pauper et ignotus ad honorem tanti episcopatus mereatur pertingere, cum iam nonnullae celebres cognitioresque personae hunc sibi apud imperatorem dignius valeant acquirere?* Quibus ille dixit: *Divina et humana inter se valde probantur distare iudicia. Scrutator namque cordium et renum ab initio mundi elegit contemptibilia et ignobilia, ut confunderet fortia; e contrario vero mundus quod suum est superbe ad horam extollit, sed in brevi*[c] *cum confusione distollit. Unde operae pretium censeo, ut cum auxilio marchicomitis, cuius consilio multa solet facere imperator, petam*[d], *ne per ambitionem quemquam ad praedictum episcopatum assumat, sed ob aeternam remunerationem, quemcumque humilem et modestum ac eruditum invenerit necnon officiis ecclesiasticis aptum esse probaverit, hunc, cuiuscumque sit conditionis vel parentelae, promoveri faciat ad culmen ecclesiae.* Quid plura? Per legationem episcopi ac suggestionem marchicomitis imperator Otto secundus suae et ecclesiasticae utilitati prospiciens, immo, quod verius est, nutu Dei, in cuius manu cor regis, admonitus, omnes, qui pro eodem episcopatu adipiscendo laborabant, avertit, et se totum ad electionem venerandi viri Wolfkangi convertit. Sicque legatos celeriter misit, ut idem famulus Dei in locum cathedrae pontificalis eligeretur, deinde, vellet an nollet, ad Franconofurt, ubi imperator natalem Domini celebraturus erat, deduceretur. Dec. 25. Legati[11] vero, ut iussi fuerant, pergentes, invenerunt eum cum praenominato episcopo commorantem, sed iam ad patriam repedare cogitantem. Ignarus enim erat rerum pro se gestarum, et idcirco animum intendit aliorsum. Cumque legati, quare venerint, ei indicarent, primum recurrit ad secretarium cordis, se suaque Deo commendans in intimis; dein episcopo Piligrimo, cuius caritate illic detinebatur, causam legationis exponens, dixit: *Hoc novum*[e], *quod mihi per nuntios imperatoris venit, caritas tua, ut arbitror, fecit. Sed licet meae parvitati timorem incutiat, praemium tamen bonae voluntatis, qua tanta excogitasti, pietas tibi divina rependat.* Tunc arrepto itinere cum his qui missi fuerant ab imperatore, perrexerunt ad civitatem Ratisponam; ubi clerus et popu- 973. lus, ut imperator petiit, secundum morem ecclesiasticum unanimiter sanctum Wolfkangum elegerunt. Sicque eum cum universali legatione ad curtem regiam miserunt. Cumque in praesentiam caesaris esset delatus, ante pedes eius venialiter prostratus, se dixit indignum, indoctum, ignobilem; sub monachi professione degentem sine licentia sui abbatis nihil accipere debere; postremo ne sanctum locum sua foeditate violaret imploravit. Imperator autem videns deifice renuentem, magis de probitatis eius dignitate certus, quoniam in eo speciale quiddam agnovit, quamvis reluctanti multumque gementi, episcopatum commendavit. Deinde[12] cum comitatu fideli multorum remissus, Ratisponam 12 est ingressus, in qua cum canticis laeticiae et exultationis voce suscipitur, atque more pontificum inthronizatur, a[f] clero et a populo summo pastori commendatur, necnon a Friderico archiepiscopo illiusque suffraganeis post aliquot dies in sacerdotem apostolicum

a) silcis 2. b) u. prestetur etiam ad eiusdem uoluntatis effectum congrua facultas 2. c) fine 2. d) *deest* 2. e) n. mandatum 2. f) a c. et a p. *desunt* 2.

10) Omnia — *legatos celeriter misit* ex Arnoldo II, 2. 11) Sequentia — *universali legatione ad c. r. miserunt* ex Arnoldo c. 3. 12) Reliqua ex Arnoldo c. 3. 4.

973. ibidem consecratur. Quam ille consecrationem nolens vacuo secum portare vocabulo, die noctuque pontificali[a] studiosissime excoluit officio. Non enim ob episcopale fastigium mutare voluit monasticum habitum, sed quam intus habuit humilitatem, foris ostendit per operum bonorum claritatem. Memor etiam sententiae, quae dicit: *Principem te*
Eccli. 32, 1. *constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis*, non dominari quaerebat in clero, sed forma esse studuit gregi dominico, tractans assidue quod per Ezechielem prophetam
Ez. 34, 2. contra malos pastores dicitur: *Vae pastoribus, qui pascebant semet ipsos et non greges meos.*

15. Perspectis ergo et cognitis rebus episcopii, beatus praesul Wolfkangus cum vidisset in civitate Ratispona monasticae vitae inreligiositatem, crebro suspirans dicere fertur: *Si monachos haberemus, reliqua satis suppeterent.* Cumque sui familiares quidam responderent, per multa loca monachos superabundare, dolens et lacrimans dicebat: *O quam defecit sanctus! o quam diminutae sunt veritates a filiis hominum! Quid prodest sanctitatis habitum sine operibus gestare? Regulares monachi beatis aequiperantur angelis, saeculares vero monachi apostaticis.* Haec autem ideo locutus est, quoniam[a*] cernebat, monachos in beati Emmerammi martyris coenobio constitutos abbate carere et quasi oves
13 errantes sine pastore. Per[b] multa namque tempora consuetudo[13] fuit in Ratisponensi ecclesia, ut qui antistites iidem essent et abbates. Sed hoc inde accidit, quia dum praesules coenobium praedictum ab imperatoribus vel[c] regibus obtinentes in potestatis suae arbitrium redigerent, obeunte illo quem invenerunt, nullum deinceps abbatem substituere curaverunt, verentes scilicet[14], ne forte, si monasterio iuxta regularis vitae usum pastor et rector praeficeretur, ipsorum abusiva potestas vel obsequium minueretur. Cum igitur eo modo episcopi monasterii bona retinerent atque distraherent nec monachis necessaria providere curarent, dabant eis licentiam undecumque possent acquirere, quibus in victu et vestitu egerent. Quae scilicet omnia sanctus praesul dolens et emendare volens, misit ad Treverense monasterium, in quo beatus Maximinus corporaliter requiescit, et inde quendam in regulari disciplina strenuum, nomine Ramuoldum, advocavit, qui quondam sub Heinrico archiepiscopo eius concapellanus fuit. Hunc itaque assumens, in primis praepositum constituit, dehinc abbatem in sancti Emmerammi coenobio ordinavit.

16. Quod[15] quidam de consiliariis eius indigne ferentes, dicebant: *Ut quid tibi et successoribus tuis perdis bona ad sanctum Emmerammum pertinentia? Laudant te multi, sed in hoc non laudant, immo vituperant. Utere ergo pontificis ac abbatis officio, sicut antecessores tui facere consueverant usque modo, ne carerent quarumdam rerum emolumento. Huiusmodi quippe insipientia est sapientiae sale condienda.* Quibus ille respondit, dicens: *Non erubesco insipiens et stultus dici propter Dominum. Nam novi illud apostoli-*
1. Cor. 3, 19. *cum: „Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum". Hoc autem scire vos volo, quia numquam mihi imponam onus, quod portare non valeo, episcopi scilicet et abbatis nomen*
16 *mihi vindicando. Sicut enim, beato Gregorio attestante*[16], *indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Sufficit namque episcopo, ut summa vigilantia insistat pastorali officio, et abbati satis laboriosum, providere fratrum salutem resque monasterii sui per omnia bene procurare. Unde etiam et ipse distribuere debet inter fratres officia, ut leviget*[d] *onera sua. Ceterum, ut prosequar*[e] *quae proposuistis, beati Emmerammi martyris bona, quae me pessumdare conquesti estis, perdere nolo, sed illi cui tradita sunt ac servorum Dei usibus omnimodis conservare volo. Ita etenim mihi optime famulantur, si illis, quibus deputata sunt quique exinde providendi constant, abundanter exhibentur.* Cumque haec atque huiusmodi verba plurima retulisset sanctus Wolfkangus, ita obstructum est os loquentium iniqua, ut ea quae prius vituperabant laudarent, dicentes: *Humanis divina, ut iustum est, praetulisti; rationis nostrae nugacitatem et sapientiae tuae excellentiam ostendisti. Quid iam nobis restat agendum, nisi*[f] *ut pariter collaudemus Dominum, qui ecclesiae suae donavit te praesulem talem et tantum*[g]?

a) pontificale s. e. officium 1. *Sed Arnoldus cum 2. convenit.* a*) quod 1? 2? *ed.* b) Per — abbates *desunt* 2. c) et 1? *ed.* d) leuiet *corr.* leuet 2. e) persequar 1. f) ni 1. g) p. dignissimum 2.

13) *Consuetudo — abbates* ex Arnoldo c. 8. 14) Quae sequuntur ex Arnoldo c. 8. sed hinc inde verbo aucta, quo Othlonus animum in episcopos exacerbatum ostendit. 15) Totum caput — *nisi ut pariter collaudemus Dominum* ex Arnoldo c. 10. 16) Reg. III, 11.

Iure quidem Dominum per tē laudamus[a] *in aevum; iure tibi totis paremus ad omnia votis.* Constituto itaque Ramuoldo abbate, non passus est beatus Wolfkangus, eum 975. vel sibi commissos monachos penuria ulla rerum victualium angustiari; sed eo modo ut animarum, ita et corporum curam habens, talia[b] tantaque praedia monachorum usibus possidenda contradidit, de quibus absque dubio non solum iidem monachi, sed etiam hospites et pauperes servitoresque coenobii sustentari ac procurari sufficienter possent.

17. Post haec quoque alia duo monasteria virginum in urbe Ratispona constituta, id est Superius et Inferius monasterium[17], ad regularis vitae normam studuit perducere. 17 Hae enim quoniam[c] sub canonicae vitae institutis degebant, et pro licito saecularibus negotiis sese ubique iniungebant, occasione huiusmodi plurima inter eas spiritalis vitae dampna contingebant. Quae omnia cum beatus praesul iugiter attenderet et pro his corrigendis diu frustra laboraret, cogitavit, ut in aliquo sui iuris loco professionis monasticae virgines constitueret; cumque eas sibi subditas ad vitam perduceret regularem, aliae facilius ipsarum exemplis ad eandem incitarentur religionem; quod et ita factum est. Nam in ipsius municipio civitatis ad Sanctum Paulum congregationem aptavit sanctimonialium; ex quarum consideratione ceterae quoque mutari coeperunt. Porro ipse sanctus praesul[d] pro his Deo iugiter supplicans, tam divina revelatione[e] quam humana auctoritate roborari meruit. Sed revelatio divina super Inferiori monasterio, ut accepimus[18], contigit ita. Solebat namque praedictus praesul tam nocturnis quam diurnis 18 horis universa coenobia in urbe posita saepius adire, ibique et orandi causa, simul et explorandi, quomodo Deo[f] divinum servitium illic ageretur, aliquandiu commanere. Cumque hoc modo in monasterio Inferiori, ubi sanctus Herhardus corporaliter requiescit,

u) laudemus 2. b) t. t. p. ex eis que ad altare sancti Emmerami olim tradita sunt monachorum u. p. reliquit — possent 2, *quae postea ab ipso, ut videtur, codicis scriptore deleta sunt his substitutis verbis:* Cuncta predia sancto Emmerammo siue a regibus seu ceteris principibus collata et ab antecessoribus suis uiolenter abstracta usibus monachorum hospitum et pauperum seruitorumque amplius seruitura reddidit. c) quomodo 1? 2? *ed.* d) *deest* 2. e) *deest* 2. f) *deest* 2.

17) Ober- et Nieder-münster.

18) Haec ex Pauli sive Paulluli Vita S. Erhardi hausta videntur II, 3. (Acta SS. Ian. I. p. 538): *Eo tempore beatus Wolfgangus sancti viri tumulum frequentare coepit, secretiori semper accedens tempore, supervicturus congaudendo gloriae. Sed cum nocte quadam secretius post matutinarum solemnia multis lacrimis ac precibus sanctum virum iuxta sepulchrum eius orans alloqueretur, beatus illi astitit Erhardus, et ait: „Frater, secretum doloris mei tibi denuncio, quod te, frater, advertere iubeo. Tua quidem opera Deo placita sunt teque correctorem pastoremque verus pastor Iesus Christus huic loco gregique praeposuit, ideoque si prudenter officium tuum, ut coepisti, peregeris, aeternum laboris tui recipies praemium. Scito autem, frater, quod monasterium hoc* (Inferius monasterium, S. Mariae et S. Erhardo dedicatum), *quod Deus omnipotens meae requiei praestitit, multis contaminatur sceleribus et inhabitantium monialium peccatum multipliciter reclamat meis precibus, quas pro earum negligentiis multis modis effundo saepius. Dudum iam ipsarum lacrimis commotus, fudi preces ad Dominum, sed quia carnalibus patent foeditatibus, non ad iudicium delati sunt earum gemitus . . . . . Sed quaeso te, ut praestita tibi divinitus prudentia utaris, omnemque hanc destruas congregationem, et monachicam ibi instituas professionem; quam si harum aliqua quae nunc inest velit profiteri, recipiatur, sin autem, omnino quod nunc sunt destrue, nec ultra contaminari locum istum patere.“ Tunc temporis quippe canonicarum erat in eodem loco professio, ac carnalis petulantiae non minima fiebat confusio, adeo ut, cum ad artiorem vitam cogerentur, aliquae ipsarum monasterium reliquerint et fornicatoribus prioribus adhaeserint . . . . . Post haec verba beatus Wolfgangus coelesti obediens voluntati, ea quae iussus est implere cogitavit et modis omnibus quibus potuit festinavit. Peractis autem a beato Wolfgango quae Dominus disposuerat et vir sanctus rogaverat, postquam professionis districtio locum prius contaminatum emaculavit, totius virtutis coepit germen florescere, paterque sanctus, extinctis vitiis, signis radiosis coepit elucescere, acsi auretenus diceret sibi servientibus: „Quoniam vos mecum, et ego vobiscum.“* Ibidem c. 3. haec notatu digna leguntur: *Beati Wolfgangi episcopi temporibus erat quaedam sanctimonialis, beati vero Udalrici sororis filia, Kunigundis nomine, quae custodiae praeerat ecclesiasticae, totius quidem et ipsa probitatis et perfectionis consecuta culmen . . . . . nobis idem retulerunt qui utrosque noverunt . . . . .*; et c. 6: *Iuditha ductrix, quae idem auxit monasterium, dum iret ad sepulchrum Domini Hierosolymam, ut reges solent, plura vel aperte vel abscondite vel ossa vel corpora conquisivit, quae ubi terrarum vel ubi in praefata conderet ecclesia, nec ipsa sciri voluit, nec quisquam nos docere potuit. Ipsa vero, quia humata est in ipsa ecclesia, evidenter edocet, in illum locum solum maxime studuisse, ubi notum fecit humari se voluisse. Haec nos de ea strictim, quamquam plura digna vel memoratu vel memoria dicere potuerimus; nam quae Deus celari voluit et nos celare voluimus*; cf. Thietmar II, 25. et diploma Heinrici II. ap. Ried I. p. 118.

nocte quadam consisteret, subito sopori dedito idem sanctus Herhardus[a] ei quasi veste humida indutus apparens dixit: *Precum tuarum, quas Deo iugiter pro communi salute studes offerre, scias me fautorem esse. Unde sicut ego tuis, ita quaeso tu meis in hoc loco satisfacias votis. Quod enim me veste humida cernis indutum, scito ex hoc evenisse, quia a commorantium hic sanctimonialium lacrimis quidem assiduis, sed ita, pro dolor! frustratis, perfusus sum, ut per multum iam tempus nihil semet emendent, nihil ab his vitiis, pro quibus easdem lacrimas precesque suas ad me effundunt*[b], *abstinere curent. Quamobrem iura canonicae vitae, ex cuius occasione hactenus tanta neglegentia hic extitit, destrue, et monasticae vitae disciplinam instrue.* Ex qua visione sanctus Wolfkangus certior factus, ad instituendam ibidem religionem monasticam summa se devotione accinxit. Quale autem idem venerandus praesul caelestis oraculi prodigium acceperit, cum in Superiori virginum monasterio monachicam vitam institueret, subsequentia verba declarant. Illuc ergo more solito adveniens, et ad celebranda missarum officia se praeparans, quasdam sanctorum reliquias, quae ibidem celeberrimae habebantur, sumpsit, et in illius altaris, in quo celebraturus erat missas, cornu sinistro posuit. Deinde in orationem se prosternens, precibus intimis a Deo poposcit, ut, quia saecularem vitam sinistra, spiritalem vero signat pars dextra, si sibi placeret, illic canonica institutio, quae utique neglegentes quosque sinistrorsum trahit, permutari, et monastica vita, quae dextrorsum currit, institui: ita dignaretur revelare, ut antequam missas celebrandas consummaret, easdem reliquias a sinistro in dextrum altaris cornu suae gratiae nutu transferret. Completa itaque huiusmodi oratione, missas coepit celebrare. Interea vero iuxta preces viri sancti reliquiae sanctorum praedictae, absque ullo tactu humano, de sinistra ad dextram altaris partem videntur caelitus transferri. Quo miraculo viso, gratias egit Deo, indubitanterque etiam ibidem vitam instituit monachilem. Sic ergo beatus Wolfkangus pro institutione virginum monastica edoceri meruit revelatione divina. Cui videlicet revelationi adiutorium quoque humanum cooperando ita affuit. Per idem namque tempus quo gerebantur praedicta, Heinricus, caesaris Heinrici genitor, ducatus monarchiam tenebat in Pagoaria. Hic igitur cum esset sollicitus cultor divinae religionis, id officii beato Wolfkango commisit, tam petendo quam iubendo[c], ut in monasteriis puellarum supradictis disciplinam vitae monachilis institueret. Tali ergo auctoritate vir Dei undique roboratus, tanto studiosius quanto licentius instabat, ut in omnibus virginum coenobiis, quae vel sub aliena vel sub sua ditione in urbe erant posita — nam illa duo supradicta duci, tertium vero, id est sancti Pauli coenobium, episcopo subdebatur — unam eandemque sanctitatis regulam ac disciplinam institueret. In tantum autem, gratia divina largiente et beato Wolfkango corrigente, in eisdem sanctimonialibus convaluit castitatis religio et regularis vitae professio, ut ipse dux praefatus, divino compunctus amore, filiam suam, vocabulo[d] Brigidam[e], earum iungeret collegio. Sed et usque in diem hodiernum, meritis ipsius suffragantibus, tali vigent incremento virtutum, ut inter sanctimoniales ceteras videantur fore speculum. Idem quoque de sancti Emmerammi monachis fas est dicere, quousque abbatem Ramuoldum, quem ipse praefecit illis, con-
1001. tigit praeesse. Post eius vero discessum illorumque quos ipse instituerat, tunc, peccatis exigentibus, sicut quondam Ioseph mortuo filii Israel dura servitute carnali in Aegypto comprimebantur, ita et sancti Emmerammi coenobitae, multis pseudopraepositis succedentibus, omnimoda spiritualis vitae destructione contriti sunt. Sed haec omittentes ad proposita redeamus.

18. Cum ergo hoc quo iam dictum est modo sanctus Wolfkangus desudasset super institutione monastica, non minori quoque studio sese accinxit ad instituenda ordinis canonici iura. Quem quia propter antecessoris sui Michaelis episcopi invalitudinem destitutum invenit, omni sagacitate et industria emendare studuit, primum quidem ut sufficientiam victus et vestitus canonicis affatim exhiberet, deinde ut post se custodes idoneos provideret. Disposuit etiam, ut in refectorio simul comederent, simul dormirent, ne claustrum incongruis horarum spatiis egrederentur, ne silentii statuta frangere conarentur. Iuniores ut scolaribus studiis interessent praecepit, seniores vero ut psalmodiis vel lectionibus aut orationibus vacarent decrevit. Ut autem adolescentes in

a) erhardus 2. b) effundent 2. c) percipiendo 2. d) nomine 2. e) brididam *corr.* brigidam 2.

capiendis scientiae liberalis noticiis forent agiliores, frequenter voluit tabulas eorum cernere dictales. Plerosque etiam eorum proficiendi causa beneficiis incitavit; qui autem desides erant et neglegentes increpavit[a].

19[b]. Monasticis ergo et interioribus rebus rationabiliter ordinatis, discretus Dei cultor nequaquam exteriora omisit providere; sed sicut urbanis et coenobitis documenta dedit, ita etiam totam perlustrans suam diocesim, cunctos salutiferae praedicationis odore adspersit. Quapropter cum missarum sollemnia celebrasset ex more[19], in tantum 19 plebem assuefecit ecclesias[c] frequentare, ut per dies sollemnes vix domi remanere viderentur custodes. Ad praedulcem enim tanti pontificis exhortationem certatim sexus utriusque turba confluere solebat, quam illuc fragrantia[d] caelestium aromatum adduxit, apium videlicet instar, quas post se trahere videtur mellis odor. Quibus pater pius summopere desiderans esse aptus et utilis, in disputatione regni caelestis perplexis ac sophisticis minime utebatur sententiis, sed sic melliti oris dulcedinem per quandam ineffabilem temperabat austeritatem, ut simplici et optimo genere locutionis tangere videretur intima cuiusque cogitationis, talique arte ex nonnullorum oculis lacrimarum eliceret imbres. Hanc siquidem a Spiritu sancto acceperat gratiam, ut hi, qui praedicanti assisterent eumque intente audirent, raro aut numquam abscederent ab eius praedicatione sine lacrimarum effusione. Quo pergrandi bono, a largitore omnium bonorum concesso, per malitiam suam sauciatus humanae salutis inimicus, invidiam, quam semper habebat, quibus poterat viribus contra illum exercebat.

20. Nam[20] die quadam cum[e] in urbe Ratisponensi ad populum solito more con- 20 cionaretur, diabolus subito concitavit turbinem, et cum turbine tumultuosam turbationem, ac nihilominus cum turbatione confusum murmur populi et clamorem, necnon super tectum ecclesiae fragorem dedit ingentem, et intra ecclesiae receptacula pulverem dispergens ac nebulam, aliquorum obtutibus caliginem infudit tenebrosam. Quibus ex improviso visis et auditis, populus perterritus, immo, quod peius erat, pene mente alienatus, coepit concurrere et discurrere, incertus in quam partem se tutius ac rectius posset convertere. Interim audiebantur voces hinc dicentium: *In urbe grande saevit incendium*, inde clamitantium: *Ecce seditione facta multorum gladiis caeduntur iugula.* Cumque pro clamoribus huiuscemodi[f] sedandis multum, sed incassum, fuisset laboratum, tandem qui erant tantis inimici machinationibus ludificati, ita gregatim eruperunt de ecclesia, ut vix pauci remanerent in illa. Tunc episcopus, quem tantae commotio tempestatis propellere nequivit, clamavit et dixit: *Domine Iesu Christe, solita fidelibus tuis gratia concede, ut hodie videant gloriam nominis tui et confusionem diaboli.* Quae verba secuta est serenitas aeris, et serenitatem recursus in ecclesiam plebis. Cui venerabilis antistes mox sacrae doctrinae verba effundens, adeo illa die, sibi Spiritus sancti gratia dulcedinem sermonis instillante, profuit, ut manifeste inimicum vicerit vel fugaverit, qui perturbationis nimietate ad horam pene omnibus nocuit. Unde et postea fidelium devotio hanc consuetudinem pro lege coepit habere, quo per stationes episcopum turmatim praevenirent et sequerentur, ac praedicationis erogationem summa affectione amplecterentur.

21. Alio quoque tempore beato Wolfkango in basilica sancti Pauli apostoli celebrante missarum sollemnia, plebs more solito aderat multa. Cumque[21] eum ex asstan- 21 tibus quidam miles stolidus veste humili adspiceret indutum, atque dehinc sacerdotalibus vestimentis videret infulatum, plebeia stoliditate despexit, et cordis ore[g] murmurans, dixit: *O quam insipiens fuit imperator illo tempore, quo pannosum istum ac despicabilem in pontificali promotione praetulit potentibus personis, quae abundant in regionibus suae ditionis.* Quam murmurationem, qui novit cogitationes hominum, eodem momento et clementer increpavit et evidenter ad emendationem huius vitii manifestavit. Nam ut in euangelio ad cogitata respondit Dominus, ita huius hominis cogitatam murmurationem ad[h] tempus non abscondit, quo et in praesentiarum corrigeretur ac murmurationis malum in futurum ab aliis devitaretur. Nimio quippe terrore subito correptus, asstantium sustentatione vix residere potuit. Quem cum videret dominus suus tremebundum et

a) increpabat 2. b) *Hoc caput praecedenti iunctum est* 6. 7. c) ecclesiam 2. d) fraglantia 1. e) dum 2. f) huiusce 1. g) et secum 2. h) ad t. *desunt* 2.

19) Reliqua ex Arnoldo c. 5. 20) Omnia ex Arnoldo c. 6. 21) Ex Arnoldo c. 12.

pallidum, ilico accurrens sciscitatus est, quid haberet vel quid pateretur. Tum[a] ille sacerdotibus adhibitis confessus est, quia contra virum Dei male cogitaverit et ob hoc periculoso timore perculsus sit. Quo audito, idem dominus eius, putans illum remedio facili posse curari, profectus domum vexit secum, et aliquot diebus retinens, curam exhibuit. Sed cum nullatenus ibidem posset curari, reduxit eum in civitatem Ratisponam, ubi et illi contigit huiusmodi infirmitas. Ibi ergo ad episcopum veniens, cum vellet aegroti hominis aerumnam et suam exponere querelam, vir Dei praeveniens illius sermonem dixit: *Tace, scio quid velis.* Et conversus ad vicedominum Tagininum[21] ait: *Frater, tolle aquam benedictam iuxta lectulum meum sitam, ac sparge super hominem prae foribus cubiculi stantem.* Qui parens iussis, respersit aqua virum benedicta. Ipse vero episcopus contra ostium crucem faciens, verba quaedam salutifera tacite protulit, et sanatus est homo in illa hora.

22. Videtur iam dicendum, quali conversationis usu cotidie constrinxerit semet ipsum. Tanta siquidem observantia vixit, ut pro exempli materia iure propalari possit. Quamvis enim universa illius gesta nesciamus et quae scimus digne proferre nequeamus, pauca tamen e pluribus utcumque exprimere temptamus. Postquam igitur praesulatus apicem suscepit, non melioribus vestimentis, non delicatioribus cibis, non mollioribus lectisterniis, quam antea, fuit contentus. Vigiliis quoque et orationibus, quibus antea solebat, praesul factus persistebat. Nam saepius circa mediam noctem tam latenter de lecto surrexit, ut eorum aliquis, qui coram ipso dormiebant, raro sentiret; intransque in ecclesiam, ita obseravit illam, ut quid intus ageret nullus hominum intellegere posset. Ibi ergo usque matutinas vigilans permansit ad horas. Finitis vero matutinalibus canticis, si nondum lucescebat, pro lassis artubus recuperandis, vestitus parum dormiebat, et hoc totum, acsi fuisset in claustro, agebat cum silentio. Cumque necessarium foret, ut post primam loqueretur — prius enim lectioni[b] vacabat —, allo-quio communi fuit gratissimus, et in tractandis ac disponendis rebus acumine consilii providus. Quanta etiam observatione corporis et sanguinis dominici sacramenta celebraverit, quantisque suspiriis et lacrimis per spiritum contribulatum summo sacerdoti se mactaverit, impossibile nobis est replicare. Porro refectionis tempore non solum se, sed etiam convivantes, ne se per temulentiam ingurgitarent, observabat; ceterisque avide manducantibus, ipse parcius gustabat, intendens magis lectioni, quam suae semper interesse voluit refectioni. Mendici et pauperes, quos ipse vocabat dominos et fratres, coram se residebant in subselliis, ut caute perspiceret, quomodo ministraretur illis. In his utique se credens Christum suscipere, omnimodo solebat eos venerari et reficere. Si forte plures adessent, pauperrimi introducebantur. Nullus tamen eorum qui foris remanebant absque elemosinae donis vacuus discedebat, quia omnium escarum, quae ad mensam eius deferebantur, portio tanta reservabatur, ut non solum pauperes deforis remanentes, sed etiam circumquaque in habitaculis commorantes recrearentur. Surgens autem de prandio, reliquum tempus consumpsit legendo. Vespertinis vero laudibus expletis, ni legitimum interrumperet ieiunium, propter commanentes coenabat. Ingens ibi reverentia, vanitas nulla ibi habebatur. Post completorium ni orando nihil prorsus loquebatur. Talis itaque erat ei consuetudo cotidiana.

23. Inter haec etiam egregius pastor[c] pagenses sacerdotes, qua cautela populum Dei baptizarent et docerent subditos, sollicitus investigavit; sacramentalia vasa, missalia vestimenta, libros, chrismatis observationem quali tractarent industria, disquirit; et prae omnibus, ut castitatem sequerentur, milies inculcavit, subiungensque inter cetera dixit: *Quidam ita diabolicis falluntur deceptionibus, ut credant, quamvis in peccatis iaceant, illius sacrosancti cibi ac potus perceptione se purgandos.* Testimonium quoque intulit
Ier. 11, 15. propheticum dicens: *Dilectus meus in domo mea male operatus est; numquid carnes*
Mal. 2, 13. *sanctae mundabunt eum?* et illud: *„Operiebatis lacrimis altare meum, ait Dominus, sed non respiciam ad sacrificium, nec accipiam quid de manu vestra.“ Quisquis igitur in sordibus est, det honorem Deo et non praesumat ad eius sacramentum impudenter accedere, donec lavet per poenitentiam maculas immunditiae.*

24. Sub eiusdem sancti praesulis temporibus accidit, ut vini penuria quidam cum

a) Tunc 2. b) lectione 2. c) *deest* 2. 21) Tagino postea archiepisc. Magdeb. factus est; Thietmar. v. 25.

aqua vel aliis potuum generibus missarum celebrarent sacramenta. Quod vir Dei comperiens, tantum effudit lacrimarum imbrem, ut crederetur suì corporis amittere sospitatem. Cum autem acutis verborum redargutionibus eos qui talia praesumebant feriret, et illorum defensiones, licet inanes, quod non possent acquirere vinum, audiret, mox omnes vitii huius occasiones abscidit hoc modo. Praecepit namque, ut per singulos menses 12 presbyteri venirent, et de cellario suo vinum acciperent aliisque dividerent. Cuius caritativae distributioni convenienter aptatur ille psalmistae versiculus: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Psalm. 111, 9.

25. Cum igitur spiritualis pastor tali super gregem sibi commissum custodia vigilaret, in eos etiam, qui sub aliorum praesulum tutela fuerant, misericordiae viscera exhibebat. Si enim a quoquam illorum indicaretur sibi, quod aliquod vel in divinis vel in humanis rebus pateretur dispendium, non aliter[a] quam qui sustinuit condolens, verbis et rebus impendebat auxilium. Qua de re familiaribus suis frequenter mussitantibus[b] cur ita faceret, quia unumquemque suus rector providere debuisset, dedit responsum dicens: *Elemosina Graecum est vocabulum, apud nos autem interpretatur opus misericordiae. Omnia quippe bona opera, quae in hac praesenti vita quique fideles operantur, hoc uno nomine compaginantur. Convenienter enim opus misericordiae exercet, qui primo semet ipsum et alios sibi subiectos in Domino placita conversatione non sinit egere, deinde, sicut ait apostolus: „Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes,“ suos non cessat proximos adiuvare.* Gal. 6, 10.

26. Quodam tempore cum famis acerbitas multos mortales premeret et propter hanc necessitatem infinita populi turba ad beatum Wolfkangum veniret, ille convocatis praepositis iussit, ut unicuique de longinquis regionibus venienti quantum vellet darent, eo tamen tenore, ut cum domum repedarent, dimidiam ipsius annonae partem pauperibus erogarent; ipsosque dispensatores, ne munera super hac erogatione acciperent, artissimis obligavit iuramentis. Cumque in eadem famis tempestate quidam negotiatores, coemendi causa frumenti, cum carpentis praeterissent, ubi sanctus praesul mansitabat: mox comperientes ibidem esse eundem praesulem, speciosa elegerunt vasa, cum quibus propinando ministratur, et pro oblatione ei miserunt. Ille vero, sicut erat laeto vultu, vascula quidem suscipere iubebat, sed cibis et potibus referta cum gratiarum actione remittebat. Deinde triticea largitione consolatos ea qua superius dictum est ratione, gaudentes remittebat.

27. Ut autem sancti praesulis maior adhuc benignitas cognosci queat, unum eius memorabile factum patefiat. Quoniam ergo semper pauperes in eius vicinitate commorabantur, unus eorum cubiculum intrans, de cortina quae pendebat ad lectum eius partem abscidens non parvam, festinanter aufugit. Unus autem de inquilinis quod factum est videns, pedetentim secutus est reum, et apprehendens, quia flagellare non ausus est, illum beato viro praesentavit. Quo facto, circumstantes, ut ille reus diris castigaretur verberibus, flagitando insistebant. At ille mansuetus, cui derelictus est pauper et qui semper orphano fuit adiutor, per quasdam rhetoricas defensiones asserens, maiorem culpam esse eorum qui observare cubiculum debuerant, reum excusavit. Deinde conversus ad pauperem, cur ita fecisset interrogavit. Pauper vero tremebundus, utpote metuens[c] poenis magnis implicari, indumenti inopiam se questus est pati; hocque nuditate probavit. Tunc vir Dei per viscera misericordiae commotus, omnimode excusavit eum dicens: *Si bene vestitus fuisset, nequaquam hoc furtum fecisset. Quapropter ex nostra munificentia, licet serius, accipiat vestimenta; et si ulterius cum vestes suppetunt tale quid perpetraverit, tunc demum luat commissa.* Quibus dictis, non solum iracundiam accusantium mitigavit, verum etiam animos eorum ad elemosinae largitatem provocavit.

28. Aliquo modo iam dictum est, quantae pietatis et compassionis sanctus iste fuerit; nunc verbis subsequentibus agnoscatur, quam perspicacis ingenii foret contra hereticam pravitatem. Nam sicut ab initio nascentis ecclesiae non defuerunt, per quorum os malignus hostis contra fidem catholicam latrando locutus est vanitatem, sic Deo disponente non defuerunt defendentes fidei sanctae veritatem. Quidam igitur hereticus

a) minus 2. b) musitantibus 1. c) *deest* 2.

Andabatarum more quod verbum caro factum est oppugnans, dixit: *Si verbum, non est factum; aut si factum, non est verbum.* Cum autem hoc multa intonaret eloquentia, accidit ut sanctus Wolfkangus illo adveniret, et a caesare Ottone rogaretur talibus respondere. At ille, sicut erat in spiritu humilitatis: *Quoniam*, inquit, *in habitu sumus monachico, contendere non licet.* Quo dicto, ille hereticus, contumacia plenus, iteravit praedicta verba. Tandem Christi propugnator coactus ait: *Quia non per spiritualem sed per carnalem medicandus es antidotum, dic, quid sit accidens.* Ille vero multum arroganter: *Accidens est*, inquit, *quod adest et abest praeter subiecti corruptionem.* Rursumque praesul: *Quot formarum sit accidens, edicito.* At ille protinus, sicut credimus Dei omnipotentis confossus sagitta, conticuit. Theologus autem a caesare simul et ab aliis efflagitatus, quamvis multum renuerit, pro eo quod erat impeditioris linguae, succincte disseruit: *Accidens est*, inquit, *quadriforme: unum quod nec accidit nec recedit, ut acilus et simus; aliud quod accidit et recedit, ut saturitas et dormitio; tertium quod non accidit et tamen recedit, ut infantia et pueritia; quartum quod accidit et non recedit, ut senectus et canities. Hac ergo similitudine Filius, qui est virtus et sapientia Dei patris, cui nihil impossibile, pro redemptionis nostrae causa induit quasi per inseparabile accidens humanitatem, non amittens divinitatem. Sed haec omnia cum oculis fidei perspicienda sunt, quia, sicut beatus Gregorius dicit: „Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum.“* His et aliis salubribus verbis audientium corda in tantum condivit, ut ille filius Belial pro errore satisfaciens, ab egregio doctore veniam postularet. Vir autem Dei promptior ad ignoscendum quam puniendum, aliquam ei poenitentiam iniunxit, et ne ultra profanum illud reciprocaret verbum, sub testimonio Christi et sub anathemate interdixit.

29. Inter tanta pietatis studia videtur pandendum, quid etiam famulus Dei egerit super gente Poemorum[a]. Haec namque gens noviter per christianam imbuta fidem, sacrilega idola, licet tepide, abiecit; sed quomodo catholicam exequeretur religionem,
973. quoniam caruit pastore, prorsus ignoravit. At medius Otto caesar, divinae cultor praecipuus religionis, a glorioso duce Heinrico ceterisque fidelibus est interpellatus, ut quod apud ipsam gentem inchoatum esset, pro Domini amore regali potestate perageret. Talibus igitur petitionibus caesar libenter assensum praebuit. Sed quoniam Poemia provincia sub Ratisponensis ecclesiae parrochia extitit, peragi non potuit, nisi ipsius antistitis praesidio. Unde rex, legatione missa ad episcopum, petiit, ut acceptis pro parrochia praediis, in Poemia sibi liceret episcopatum efficere. Tunc vir Dei nimium laetatus in his quae dicta sunt sibi, primates suos convocavit, exquirens ab eis consilium, quomodo caesari conveniens redderet responsum. Illis autem ne petitioni tali consentiret unanimiter consiliantibus, dixit: *Pretiosam igitur margaritam sub praedictae latentem provinciae terra conspicimus, quam ni venditarum comparatione rerum non acquirimus. Ideoque audite quae dico. Ecce ego me meaque omnia libenter impendo, ut ibi domus Domini per corroboratam scilicet ecclesiam stabiliatur.* Haec ergo memorans, consensurum se caesari remandavit. Cumque tempus peragendi concambii venisset, tanta favit alacritate, ut ipse privilegium componeret.

30. Sed neque hoc silemus, quia aliquando per prophetiae spiritum ea quae ventura erant quasi praesentia vidit. Quod maxime in provectibus liberorum praecipui ducis Heinrici patescit. Cum enim ad eum, sicut saepe solebat, causa benedictionis duceretur speciosissima illius proles, Heinricum, qui postea Dei nutu rex est effectus,
22 praenominavit regem; fratrem vero eius Brunonem appellavit antistitem; sororem eorum maiorem[22] reginam, alteram autem, quam baptizavit et de sacro fonte suscepit, abbatissam nuncupavit[23]. Haec itaque, et multa alia, quae ex ore eius audivimus, sicut ipse praedixit, impleta cernimus.

24 31. Alio quoque tempore cum idem beatus Wolfkangus inclinato iam die in vicum venisset quendam, qui vulgo Egilolfesheim[b, 24] dicitur, legatario cuidam iussit, ut in die sequenti omnes circumquaque habitantes, qui opus haberent confirmatione, quantocius venire intimaret. Qui legatarius mox implere iussa cupiens, et ad equum sternendum

a) poemiorum 2. b) egilolfesheim *corr.* egiolfeshem 2.

22) Giselam. 23) Brigidam supra c. 17. memoratam. 24) Eglofsheim.

currens, reperit eum furtim sibi sublatum. Quamobrem nimium tristis et dolens, quid facturus esset ignorabat. Amor enim simul et timor compellebat eum celeriter implere iussa, sed implendi facultas erat nulla; quia nec spes in caballo altero requirendo, nec vires fuerant, ut tanta velocitate legationem sibi indictam perficere posset ambulando. Praeterea terra imbre tunc nimis irrigata, pediti itinera praebuit ingrata. Huiusmodi igitur angustiis aliquandiu haesitans quid faceret, tandem confisus in Domino elegit, ut ambulando iussa perficeret. Cumque in nocte tenebrosa huc illucque progrederetur et in via lutulenta saepius laberetur, clamare coepit: *Miserere mihi*[a], *Domine, miserere mihi*[a] *et tu mi senior Wolfkange, attendens, quantum laborem modo patior, per tua iussa discurrendo et labendo.* Cumque haec aliquotiens gemebundus diceret, prospexit comminus caballum quendam cum freno sellaque imposita asstare. Arbitratus autem eundem caballum non sine aliquo asscensore ibidem commorari, coepit diligentius intueri, si quis forte cuius esset prope maneret, pariterque vociferans interrogavit, si aliquis ibi assit. Sed illo diu vociferante et interrogante, cum nullus responderet vel adesset, asscendit ipsum equum, implevitque domini sui praeceptum. Facta autem die, multisque qui vocati sunt ad confirmationem in vicum supradictum convenientibus, inventum equum legatus obtulit coram omnibus, exquirens ab eis diligenter, cuius idem foret equus. Verumtamen nec tunc[b] nec postea inventus est ullus, qui hunc diceret esse suum. Ex qua re et legatus ipse et alii sentiebant, quantam gratiam Deus sancto praesuli Wolfkango concesserit, qui se invocantes etiam absens adiuvare potuerit.

32. Cum caesar Otto medius, propter iniuriam sibi factam Francorum partes in- 978.
vadens hostili manu, usque Parisium perveniret, in redeundo venerat ad quendam fluvium[25], sui crepidinem alvei tumescentibus undis exuperantem. Multis autem ibi periclitantibus et vitam in aqua perdentibus, verus Dei cultor cum suis appropinquavit, vidensque tam ingens periculum, respexit in caelum et se suosque fideliter benedicens, ipsum intrepide monuit transire fluvium. Adhuc vero illis prae timore cunctantibus, et Francis a tergo acriter impugnantibus, ille primus sui comitatus per nomen Domini, quod semper in ore sonuit, fluvium transiens, sequentes prosperavit, nullusque suorum quicquam periculi sustinuit. Tunc omnes prae gaudio mirantes et Dominum laudantes, vir humillimus, ne pro miraculo hoc eum publicarent, obnixe rogavit.

33. Aliud eius mirabile factum, ut subiecti praepositis subiaceant, videtur inserendum. Quadam namque die, cum de divina, ut solitus erat, religione necessaria quaedam tractaret cum clericis suis, quidam illorum, cui vocabulum erat Buozzo, minus caute respondit. Sanctus vero famulus Dei velut ex conspersione paulolum irascens, devotando suppliciter suis maledictum oculis ingessit. Mox huiusmodi maledictione finita, ille praedictus homo gravem passus est oculorum dolorem. Cumque postea beatus praesul videret eum in choro sedentem cooperto capite, sicut mos est aegrotantium in oculis, misericordia motus accessit ad eum[c], et quid doloris pateretur exquirit. At ille dolorem oculorum questus, humiliter ab eo benedictionem postulavit. Cuius dolori compatiens sanctus vir, oculos eius signavit, sicque sanitati pristinae restituit. Sed ne pro hoc signo divulgaretur, quasi pro medela faciem lavare iussit.

34. Cum idem praesul tempore quodam sederet iuxta cementarios apud sancti Pauli monasterium, mulier quaedam ab immundo vexata spiritu ante illum deferebatur. Sed mox ut ante praesentiam eius venit, cadens in terram miserabiliter coepit fatigari. Sanctus autem Dei famulus suspirans, ad nos[d], qui secum tunc fueramus[26], dixit: *Si dignus essem quicquam ab omnipotente Deo impetrando accipere, pro nulla re libentius Deum deprecarer, quam ut suum plasma dignaretur a maligni hostis incursu liberare. Hoc autem illis qui digni sunt a Deo exaudiri relinquentes, nos vel aliquos psalmos compatiendo interim dicamus.* Tunc[e] psalmodia imposita, lacrimabiliter pro ea orationem fudit. At illa[f] iacens quasi dormiendo, per omnia membra contremuit. Interea[g] nobis quid facturus esset intendentibus, ille suspiciens: *Tollite*, inquit, *eam, domumque redu-*

a) mei 2. b) nunc 1. c) illum 2. d) ad eos q. s. fuerant 2. e) T. psalmos quosdam cantans suppliciter pro ea 2. f) i. interim i. 2. g) Cumque finem faceret orandi ad circumstantes respiciens 2.

25) Axonam; v. Richer. III, 77. Balderici chron. Cam. I, 97. 26) V. praefationem nostram.

centes, si possit, aliquid reficite. Qua sublata et refecta, nos[a] eam liberatam esse comperiebamus, sed nemo nostrum ausus est diffamare.

35. Item alia mulier a demonio obsessa coram illo deducta est. Vir autem Dei favores humanos fugiens, ad eos qui ferebant dixit: *Quid mihi vestros advehitis infirmos? Ducite eam in ecclesiam orantes pro illa; forsitan in hoc Deus vos exaudiet.* Et[b] quoniam tempus erat congruum, mox[c] sequens missam celebravit. Qua celebrata, qui aderant omnes praeter infirmam exiebant. Unus autem de capellanis sub saugmario abscondens se filtro, quid acturus esset, diligentius intuebatur. Porro sanctus vir, brevi oratione completa, egredi coepit. Cui eadem mulier demoniaca obviam stans, solito more bacchata est. At ille confidens in Christum, quasi percutere eam vellet, palmam extendit, occulteque dixit: *Exi nequissime.* Tunc, sicut ille qui absconditus erat fatebatur, intolerabilis foetor sentiebatur. Deinde mox liberata cecidit, et Deo gratias egit. Beatus autem praesul egressus, dixit qui asstabant ministris: *Ite citius, et mulierem illam de ecclesia ducite, et si velit, date illi manducare, pariterque ne ulterius pro hac causa ad nos veniat interdicite.* Quibus verbis satis declaratur, quanta sollertia qualique industria omnem fugerit intentionem cenodoxiae, malens interdum se immitem simulare quam hominibus placere.

36. Inter haec etiam quid vicedomino suo, cui nomen Tagini[d], cuius quoque su-
26 perius mentionem feci[26], contigit, non praetereundum videtur. Is etenim praecipue sancti viri Wolfkangi familiaritate fungebatur, et merito, quoniam per omnem fidei profectum eius se subdebat obsequio. Dum igitur essent Weltinopolim[e. 27] in aestatis tempore, quadam die, sicut aestivis solent temporibus, tonitrua cum coruscationibus mugire coeperunt. Qua de re episcopus et qui secum fuerant perterriti, cum omni precum diligentia se munierunt. Cumque nimio tonitruum coruscationumque terrore afficerentur, tandem tam gravis ictus tempestatis tremendae intonuit, ut ipsius habitaculi murus ex magna scinderetur parte. Tunc et praedictus vicedominus ita exanimis effectus corruit, ut omnes qui aderant existimarent eum aut mortuum aut cito moriturum. Praesul autem manu comprehendens eum erexit, et ut viriliter ageret et in Domino cor eius confortaretur admonuit; sicque semivivum reddidit sanum. Ipse etiam vicedominus postmodum serenissimi regis Heinrici munificentia Parthenopolis archiepiscopatus subli-
28 matur dignitate[28].

37. In territorio Rubilocensis[29] ecclesiae quidam homo contraria valitudine per tempus diuturnum adeo tabefactus est, ut pene per annum integrum fastidio edendi laboraret, et alimentorum solatia, quae sospitatis gratia exposcit, percipere non potuisset. Hic itaque ad sanctum Wolfkangum legationem mittens, ut ab eius pietate remedium aliquod consequeretur, suppliciter exorat. Quo audito, vir Dei omnimode excusavit, dicens, se non tanti esse meriti, per quod huiusmodi virtus posset adipisci. Cumque diu tractaret popularem effugere favorem et aegroti adimplere petitionem, velut ob aliam causam missas celebravit, et per fidelem presbyterum infirmo corpus dominicum transmisit. Quo accepto, paululum obdormiens, deinde cibi potusque refectionem suscipiens, iterum quietis usus est supplemento. Sicque mentis et corporis sanitate recepta, Deo gratias agens surrexit, et postea incolomis permansit. Ad haec etiam si retexere volumus, quibus manum pro benedictione imposuit, et quot gustato pane quem benedixit ab infirmitate liberabantur, taediosum forsitan lectori videbitur. Unde his omissis, ad eius transitum properemus scribendum.

994. 38. Igitur[30] post multa pietatis et aequitatis opera, quibus Deo servire studebat quibusque ecclesiam sibi commissam regebat, saepe nominatus saepiusque nominandus venerabilis praesul Wolfkangus, cum Ratisponae constitutus, rerum necessitate poscente, in orientalem Pagoariae regionem iter suum destinaret, febricitare coepit. Quam corporis molestiam vir Dei non solum vigiliis et orationibus, sed etiam elemosinis quasi praescius futurorum praeveniens, totum quod habere potuit per manus pauperum in

a) r. mox liberata est 2. b) Moxque ducta est in ecclesiam et 2. c) ipse 2. d) tagni 2. e) uueltinopoli 1? *ed.*

26) c. 21. 27) Weltenburg ad Danubium. 28) a. 1004; cf. Thietmar. V, 24. 29) Eichstädt. 30) Ex Arnoldo c. 20.

gazophylatium Christi transmisit; sicque partes orientis petiturus, illi qui nescit occasum sedulis precibus vitae suae commendavit excursum. Cumque per Danubii decursum ventum esset ad locum qui dicitur Puppinga, ultra tendere non valebat, quia tempus resolutionis instabat. Ibi ergo, superna se visitante gratia, cognoscens, cito fore com- 994. Oct. 31. plenda quae sibi per visionem olim fuerant revelata[31], iussit[32], ut in oratorium beati Otmari[a], quod ibi situm erat, portaretur et ante altare eius deponeretur. Quod cum factum esset, aliquantulum ex infirmitate convalescens, resedit, et per confessionem primum se expiavit. Deinde omnes qui aderant pro fide, spe et caritate satis[b] luculenter admonens, eos ac universos sibi commissos cum intimis suspiriis Deo sanctisque eius commendavit; sicque, viatico sumpto, humo tenus se prostravit. Tunc aeditui sive cubicularii eicere temptabant de ecclesia omnes, exceptis familiaribus secum ex more commanentibus. Quos vir Dei prohibuit dicens: *Reserate ostia, nullum qui velit introire prohibete. Non enim nos, qui sumus mortales, erubescere debemus nisi ex malis operibus, cum mortis debitum necessario exsolverimus; quando quidem Iesus Christus, qui nihil morti debuit, ferme nudus mori non erubuit in cruce pro generis humani salute. Adspiciat quisque in morte nostra, quod paveat et caveat in sua. Deus misereri dignetur et mihi misero peccatori mortem nunc subeunti, et cuique eam timide ac humiliter adspicienti.* Haec cum dixisset, reverenter oculos clausit, ac velut in somno[c] pausans, in pace quievit.

Sic animam sacris caelorum reddidit astris.
Si quaeris tempus, lector, quo contigit istud,
Anteriore die fuit ingrediente Novembre.

39. Cum haec omnia nocturno tempore finirentur, sequenti mane funereas exequias parantes, coeperunt anxiari, unde possent episcopum acquirere. Interea venit[33] Iuva- 33 vensis praesul venerabilis Hartwicus et Aribo comes quidam, viro Dei inter laicos carissimus. Hos quoque illo adventuros, nocte praeterita venerabilis praesul Wolfkangus innotuit, post longa silentia et corporis molestiam relaxatam ad asstantes subito dicens: *Mundate domum, parate hospitium, quia hodie ad nos venient hospites boni. Et ut credatis, quia verum dico, hoc erit vobis signum: navis in qua ferebantur bona domni Hartwici archiepiscopi et Aribonis praefecti naufragium in Danubio perpessa est; sed per misericordiam Dei homines salvi facti sunt, et iidem domini mox post obitum meum huc adventuri erunt.* Factumque est ita; et ab eisdem advenientibus una cum populo fidelium copioso corpus beati Wolfkangi susceptum, in die a transitu illius septimo ad civitatem Ratisponam honorifice est perlatum. Ubi cum apud Sanctum Petrum fuisset susceptus, ac vigiliarum missarumque celebrationibus Deo foret commendatus, sustollentes cum magna reverentia, portabant eum per singula urbis monasteria, novissime vero ad ecclesiam beati martyris Emmerammi, cuius honorem, dum vixerat, intimo affectu excolebat. Qua missarum sollemniis et exequiarum officiis rite peractis, magnifice atque honorifice ibidem sepultus est, in ordine pontificum duodecimo, satis congrue numero sacro in tali viro definito; in quo Dominus miraculis variis postea manifestavit, Psalm. 112, 8. quia hunc cum principibus populi sui collocavit.

40. Post felicem sancti praesulis Wolfkangi excessum plurimas virtutes et[d] signa ostendere dignabatur gratia divina per illum; quorum quaedam, neglegentia et oblivione faciente, ad cognitionem nostram minime pervenerunt, quaedam vero relatione fideli comperta, prout possumus, explicare temptabimus. Et hoc in primis dicendum, quia, cum provinciales una cum civibus loci ipsius, quo sanctus praesul defunctus est, convenirent, ut meliorem et maiorem basilicam construerent — nam de lignorum materia prior erat aedificata —, quadam die murali insistentibus operi, quidam adductus est energuminus. Quem artifices miseratione divina moti apprehendentes, in illum locum, ubi sanctus Dei famulus spiritum exhalavit, prostraverunt; ubi mox per sancti viri merita sanitatis recepit gaudia. Deinde etiam locus ille a diversis languentibus frequentabatur, et multi restitutione sospitatis sibi consolabantur, quia, ut beatus Gregorius dicit[34], plerumque accidit, ut maiora ibi quo sanctorum reliquiae habentur proveniant miracula, quam ubi eorum recondita sunt corpora.

a) othmari 2. b) salutis 2. c) somnio 1. d) atque 2.

31) V. c. 12. 32) ex Arnoldo c. 23. 33) Reliqua ex Arnoldo c. 23. 34) dial. II, 38.

41. Homo igitur pauperculus quidam, qui ob criminum multorum perpetrationem circulis ferreis in utroque brachio fuit constrictus, et ex hoc gravissimis cotidie suppliciis afflictus, cum multa sanctorum loca pro eiusdem cruciatus remedio commissique[a] sceleris abolitione perlustrasset, divina tandem miseratione respectus, ferri ligamen, quod in uno gestabat brachio, per sancti viri[b] Adalperti merita amittere meruit. Deinde etiam, quoniam sancti Wolfkangi famam per longinquas audivit regiones, ad Ratisponam veniens, ibique ante sepulchrum eius orationi insistens, alterius circuli cruciatu absolutus est.

42. Heinrico rege necdum caesaris vel imperatoris dignitatem obtinente, apparuit sanctus Wolfkangus in somnis visione tali. Visum namque est ei, quod manens in sancti Emmerammi ecclesia, accederet orandi gratia ad beati Wolfkangi sepulchrum in ecclesia eadem situm. Cumque ibidem Deum sanctumque Wolfkangum precibus intimis conaretur exorare, subito videbatur ei ipse sanctus asstare et huiusmodi verbis eum appellare: *Intuere diligenter litteras in muro, qui est secus tumulum meum, scriptas.* Erat autem ibi, sicut videbatur, solummodo scriptum: *Post sex.* Evigilans vero Heinricus rex, tractatione diuturna secum revolvit paucissima huius visionis scripta. In primis ergo arbitratus, quod post sex dies esset moriturus, multa dispensat pauperibus. Cum autem sex dierum numerus praeteriret, et nil in se corporalis molestiae sentiret, putavit, ad sex menses pertinere, et eadem coepit timere. Transacto vero et huius numeri spatio, nihilque eo infirmitatis passo, arbitratus est, hunc numerum ad sex annos pertinere, ideoque quae et supra coepit timere. Cumque sex annorum numerus integer pertrans-
1014. isset et septimi anni dies revolutus venisset, caesaris dignitatem per apostolicam suscepit consecrationem. Tunc tandem sentiens, qualis esset sua visio, gratias egit Deo sanctoque Wolfkango, qui sibi talem revelare dignatus est dignitatem.

43. Quidam[35] homo caecitate multatus ad sepulchrum beati Wolfkangi accessit. Cumque ibi preces uberrimas effudisset, subito visu recepto exauditus, Deo sanctoque praesuli gratias egit.

44. Alio quoque tempore mulier quaedam debilis pro spe recuperandae salutis deportata est a suis in ecclesiam beati Emmerammi martyris. In qua dum ante altaria reptando magis quam ambulando petitione sedula sanctorum exquisisset suffragia, tandem ex labore vel aegritudine fatigata, secus tumulum sancti praesulis Wolfkangi resedit humi. Cumque misella corpore ac mente inclinata, eius precibus et meritis se adiuvari exoraret, subito lateris ceterorumque membrorum contractio nodosa est soluta ac tam vehementer disrupta, ut sanguinis effusio difflueret in pavimento. Tunc mulier primum exterrita prae timore coepit clamare; deinde exsiliens sana, grates reddidit Deo sanctoque Wolfkango.

45. Homo quidam nimis aegrotus orandi gratia venit in beati Emmerammi ecclesiam. Ubi dum se sanctorum meritis postularet liberari ab inhaerente sibi diutina aegrotatione, demum decubuit iuxta sancti Wolfkangi tumbam; ibique[c] feliciter soporatus, quendam virum statura procerum et canicie venerandum asstare vidit, atque ab eo dictum audivit: *Ut quid tu hic, aut cuius rei gratia advenisti?* At ille respondit: *Domine, propterea huc miser veni, ut saner a languoribus, quibus iam per annos plures laboravi.* Tunc venerabilis heros virga pastorali, quam gestare videbatur, tangens eum, dixit: *Surge citius. Ecce enim sanus factus es.* Mox qui iacebat quasi mortuus, per merita praesulis Wolfkangi a somno aegritudinis excitatus exsilivit, et prae gaudio clamans in quantum potuit, Deum sanctosque illius laudavit.

EXPLICIT VITA SANCTI WOLFKANGI.

a) commissisque sceleribus 1? *ed.* b) *deest* 2. *ubi* alperti. c) ubique 2.

35) Reliqua tria capitula ex Arnoldo c. 26—28.

EX ARNOLDI
LIBRIS DE S. EMMERAMMO
EDENTE G. WAITZ PH. D.

Inter praecipuos Othloni fontes Arnoldi libros de miraculis et de memoria S. Emmerammi esse referendos, supra diximus. Quo permovemur, ut quae ex iis sunt edenda hoc potissimum exhibeamus loco. — Arnoldus ex nobili genere ortus, quippe qui avum maternum Berhtoldum marchionem, paternum Arnoldum virum nobilem ipse dicat[1]*, in S. Emmerammi monasterio Ratisbonensi educatus et monachum professus, primum Romanae antiquitatis scriptoribus legendis operam navavit, postea vero eodem modo quo Othlonus a litteris saecularibus transiit ad divinas. Quibus studiis imbutus et „venusto sermone delectatus", Emmerammi patroni sui vitam inculta et rustica esse scriptam oratione doluit, eiusque emendandae consilium cepit. Sed fratres venerandam antiquitatem ab homine novarum rerum, ut iis videbatur, studioso tangi sacrilegium rati, ut Arnoldus in exilium mitteretur, apud abbatem egerunt. Itaque in Saxoniam profectus, Magdeburgi Meginfredum*[2] *scholae magistrum amicitia sibi coniunxit, quem ut vitam illam de novo scriberet precibus suis permovit; id quod ultimis Heinrici II. annis factum est*[3]*. Post tres annos ad monasterium reversus*[4]*, opus imperfectum reliquit; quod a.* 1030. *demum Burchardo abbate constituto recepit*[5]*, neque tamen statim cum aliis communicasse videtur. Sancti enim miracula se scripturum esse, iam dudum voverat*[6]*, eaque partim in antiqua vita narrata partim postea Ratisbonae acta vitae illi adiicienda duxit; in quibus conscribendis eum a.* 1035. *vel* 1036. *occupatum videmus*[7]*. Quo finito, utrumque librum Burchardo abbati inscripsit*[8]*. — Sed mox novum suscepit laborem, et devotionem erga sanctum ut ostenderet, cultores eius celebrare sibi proposuit. Primum igitur acta Wolfgangi episcopi et Ramuoldi abbatis narravit, et res Ratisbonenses, quas compertas habuit, memoriae tradidit. Postea quum dialogi formam huic libro imposuisset, latius vagatus est, et ab Ammonicio illo, quem secum loquentem finxit, admonitus, res diversas, historias varias et multiplices, ut Collectitii nomini sibi imposito responderet*[9]*, undecumque collegit; nulloque certo ordine ductus*[10]*, modo haec modo illa in*

1) I. 13. A. Berhtoldo genus comitum de Cham et Vochburg deducitur, quo factum est, ut etiam Arnoldum ad hanc familiam multi referrent. — Ipse I, 13. neptim nominat, quae Adalrammo nobili viro nupserat. 2) Eundem esse quem Trithemius magistrum Fuldensem fuisse et chronicon Fuldense aliaque multa scripsisse dicit (Chron. Hirsaug. a. 986. I. p. 128.), Canisius (II. Praef.), Vossius (de H. L. II, 42.) aliique putarunt; sed C. Suyskenus (Act. SS. Sept. VI. p. 456.) recte monet, hunc secundum Trithemii calculos (p. 153.) iam a. 1010. obiisse. In necrologio Fuldensi vero inter a. 1000—1050. nullus Meginfredus occurrit. Nescio an Trithemius sua ex ingenio finxerit. 3) Arnoldi epist. ad Burchardum. 4) Ita epistolae verba intelligenda esse puto. Nam tribus annis opus absolutum esse, Arnoldus dicere nequibat, quum id Heinrici II. tempore i. e. ante a. 1024. susceptum anno demum 1030. acceperit. 5) *in adventu vestro — venit libellus* ad Burchardum scribit. Hic vero a. 1030. ex Augiensi monasterio ad Ratisbonensem abbas venit; v. Ann. S. Emmerammi min. Mon. SS. I. p. 94. Hermann. Contract. a. 1030. 6) II, 52. 7) In secundi libri a. 1036. et 1037. scripti praefatione dicit: *quem praeterito anno de miraculis conscripseram libellum.* 8) Epist. ad Burchardum. 9) c. 35: *nunc restat, ut secundum nomen tuum, o Collectiti, quae posthinc colligenda sint diligenter subscribantur;* cf. c. 69. 10) c. 50: *opusculum .. quocumque per varietatem sententiarum vagatum fuerit.*

schedas retulit. Qua in re aliquandiu occupatus fuisse videtur. Nam paulatim
et tarde opus processisse, ipse indicat[11]. *Quum Burchardo abbate initium*
fecisset, sub Udalrico, qui illi a. 1037. *successit*[12], *alteram scripsit partem*[13];
14 *alia aestivo tempore*[14], *alia festivitate S. Emmerammi, die* 22. *Sept., appropin-*
quante[15] *exaravit; re quadam iam relata, Engilmarus episcopus Parentinus,*
quem a. 1037. *Germaniam visitasse constat, advenit scriptaque comprobavit*[16].
Multas igitur res notatu valde dignas collegit, quippe qui ex familia nobili
oriundus et in itineribus, quae in Saxoniam et Pannoniam[17] *suscepit, versatus,*
19 *alia ipse vidisset*[18], *alia ab amicis et hominibus diversis accepisset*[19]. *Primo*
libro praeter Aribonem etiam S. Bonifacii vitam exscripsit[20] *et varia monasterii*
diplomata[21], *chronica*[22] *aliaque scripta*[23] *adhibuit, iisque ita usus est, ut inter*
gravissimos historiae Baioaricae sit referendus fontes. Sed quod aegre feri-
mus, per ambages progressus et sermone nimium copioso usus[24], *adeo librum*
auxit et preciosas illas narrationes tantis et tam multis interlocutionibus et
disquisitionibus, quae ad historiam illustrandam nihil conducunt, obtexit, ut
integrum opus hic nemo legere vellet.

25 *Quae praeter hoc Arnoldus scripsit non magni sunt momenti*[25]. *Antipho-*
nas et responsoria in S. Emmerammi honorem dum in Pannonia morabatur
composuit[26]. *A.* 1031. *ipso, qui praepositus constitutus erat, ordinante, bono-*
rum ad S. Emmerammum pertinentium facta est descriptio[27]. *Praeterea*
homelia de octo beatitudinibus et S. Emmerammo ipsi tribuitur[28], *sed rectius*
29 *ad alium eius nominis scriptorem referri videtur*[29].

Arnoldus iam ante medium saeculum XI. obiit, quamvis, quum libros suos scriberet, iuvenili floreret aetate[30]. *Nam Othlonus, qui iam antea monasterium intraverat et post annos aliquot Wolfgangi vitam scripsit, Arnoldi superstitis nullam facit mentionem, immo mortuum aperte eum designat*[31].

Arnoldi liber monasterii muros numquam transgressus esse videtur; certe praeter Othlonum nullus medii aevi scriptor, quod sciam eo, usus est. Saeculo XVI. vero Aventinus[33] *et Laurentius Hochwart*[34] *plura inde hauserunt. Ca-*

11) c. 7. 11. 61. 12) Ann. S. Emmerammi min. l. l. 13) c. 48. 14) c. 21. 15) c. 49. 16) c. 53. 17) II. praef. c. 22. 18) I, 5. 12. II, 22. 46 (*Hoc signum ipsi nos ridimus et manibus nostris palpavimus*). 47. 52. 56. 57. Guntharium eremitam, de quo c. 61 sqq. agit, ipse noverat, c. 68. 19) I, 7. 8. 13. 17. II, 12. 23. 28. 34. 45 (*Huius rei testimonium perhibere solent fratres congregationis nostrae fideles, qui tunc forte aderant*). 53. 61. 68. 75. 20) I, 1. 21) I, 5. 7. 22) II, 24. Fortasse Annales S. Emmerammi minores indicat. 23) I, 1: *pitacea, e quibus haec excerpsimus*; cf. c. 5. 24) iuvenilem suam verbositatem ipse arguit II, 51. Sed: *Neque*, inquit (c. 17.), *haec aliter describere proposui, nisi ut fidelium prosint aedificationi*; cf. c. 56. etc. 25) Anon. Mellic. de SS. eccl. c. 62. nonnisi dialogum affert. 26) Ep. ad Burchardum; praef. libr. II. Edit. Act. SS. Sept. VI. p. 512. 27) ed. Pez I, 3. p. 67: *Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi* 1031. *indictione* 14. *rerum coenobii sancti Emmerammi sub abbate Burchardo, ipso iubente, et nihilominus Arnoldo praeposito eas disquirente, fratrum coetu familiaque probante, praesens descriptio facta est. Hunc abbatem misit nobis Augia, quem conservans gratia superna, adaugeat omnia sibi commissa.* 28) Pez IV, 2. p. 29. In fine hi versus leguntur:

Arnolt abba logon tractat, quem dixerat oon;
Mercedem gratis monadem dans octo beatis.

Sed Arnoldum non abbatem fuisse, iam Suyskenus monuit l. l. p. 457. 29) Quod Aventinus laudat opus Arnoldi de SS. eccl. librum esse hic editum, iam Pez IV. praef. p. VI. putavit. Nam in epist. ad Burchardum dicit: *Tum — collegi qui fuerint scriptores ecclesiastici*, quos deinceps recenset. — Arnulfus monachus, cuius Sigibertus de SS. eccl. c. 157. mentionem facit (*Arnulfus monachus, excipiens de proverbiis Salomonis convenientiores sententias, et litteram et allegoriam metrico lepore scripsit et digessit*) procul dubio alius fuit. 30) Ep. ad Burchardum, II, 51. 31) Praef. supra p. 525. Libro de translatione S. Dionysii epistola ad Reginwardum abbatem a. 1048. constitutum praemissa est (I. B. Kraus de transl. S. Dionysii p. 132.), in qua abbatem S. Remigii Remensem Ratisbonam venisse ibique de situ huius urbis plura ex Arnoldi ore accepisse narratur; sed quo factum sit tempore non indicatur. Ceterum de narratione illa, quae inter genuinos historiae fontes nullo modo potest recenseri, alio loco sermo erit. 33) cf. n. 29. 34) Oefele SS. R. Boic. I. p. 161 sqq. 176 etc.

nisius a. 1602. *opus ex codice, nisi valde fallor, autographo luci dedit (Ant. lectt. II. p.* 1., *repet. Basnage III,* 1. *p.* 88*), post quem fragmenta tantum a Mabillonio (Act. VI,* 1. *p.* 5. *et* 476*) et Suyskeno (Act. SS. Sept. VI. p.* 486*) edita sunt*[35], *et* 35
haec quidem ex codice S. Emmerammi, curante abbate Frobenio emendata.

1) *Codex ille inter Monacenses (Emmer. O.* 3.*) asservatus, a Cl. Föringer in usus nostros versus est. Librum membr. s. XI. accurate exaratum Arnoldi esse autographon, emendationes eadem manu saepissime in textum inductae et additiones in margine factae aperte docent. Exhibet f.* 9. *Arnoldi officium S. Emmerammi, f.* 16'. *breve Arnoldi carmen*[36], *cui epistola Burchardo directa* 36
subiicitur. Fol. 21. *sequitur Meginfredi vita S. Emmerammi, f.* 35'. *primus Arnoldi liber, cuius ultima verba recentiori manu (s. XV.) in ima folii* 58'. *parte adiecta sunt. Nam quod quaternionem complebat folium cum his lineis excisum est; id quod iam s. XV. factum fuisse, paginarum numeri hoc tempore adscripti ostendunt*[37]. *Secundus liber an hoc volumine umquam compre-* 37
hensus sit, dubitarim; certe Canisius, qui etiam huius autographon habebat, alibi eum invenerit oportet. Iam medio saeculo XVIII. nullum eius exemplar in S. Emmerammi fuit monasterio[38]. *Quae quum ita sint et quum etiam codices Admontenses mbr. s. XI. primum tantum librum exhibeant*[39], *alterum ex*

2) *Canisii editione exprimendum feci; ubi tamen scribendi rationem eam institui, qualem Arnoldo in usu fuisse, ex autographo patet.*

G. WAITZ.

H I A T O S P O L I S V E T E R A M I S I T

	E mmeramme tui	S	dignator adesse ministri	S		
	M entes cum cord	E	precibus his ablue sord	E		
	M oribus ac torti	S	confer medicamina forti	S		
	E mundi curi	S	Monachos pius eripe duri	S		
	R egum sic reg	I	potes et nos subdere leg	I		
	A ulica quam prisc	O	non tangunt tempora disc	O		
	M ultis hinc ome	N	Christi dat denique nome	N		
	M unere perfect	O	sua donans secla profect	O		
	V irtus alma cruci	S	quae signat lumine luci	S		
	S ub quo salvus eri	T	quisquis bona maxima queri	T		
Θ	M agnis magne pate	R	minimis et humillime frate	R		
	A urea dans sacr	A	cunctis dimitte piacl	A	A	
	R ecto sub duct	V	fac nos fore non sine fruct	V		
	T estis Heimramm	I	memor ob nos presulis alm	I		
	I s famulos place	T	tibi, nobis commoda preste	T		
	R ite decem numer	A	sex addito, sic capis ist	A		
Π[1]	A ntea conscript	Ę	res ac verissime dict	Ę	Ω	
	L ibrum materian	T	istum simul atque perornan	T		
	M enfredus doct	E	quem Saxo dictitat et apt	E		
	V erbis ornato	R	sensu subtilis arato	R		
	S i quis per nome	N	me queritat, ergo[2] diocte	N		
			Arnoldum norit, relevamen cui siet Amen[3].			

P A R T H E N O P O L I S N O V A R E M I S I T

35) Alia Iuni. III. p. 415—420. 36) Hoc Pez IV, 2. p. 37. edidit, I. B. Kraus (de transl. tab. XIII.) aeri incisum exhibuit. 37) Fol. 58. enim signatum est 77, quod excipit 78. nunc 60., in quo *Tractatus gente constantis venerandi sacerdotis de passione et gloria beati Emmerammi martyris* (Pez IV, 2. p. 23.) incipit, quem f. 66. Arnoldi homilia supra memorata sequitur. Folia 59. 64. 65. et reliqua s. XV. adiecta sunt; v. Archiv VIII. 38) V. Ratisbona monast. ed. 4. (1752.) p. 112. Codd. S. Emm. O. 4. et O. 5., qui primum librum continent, s. XV. ex autographo exscripti sunt. Cod. S. Emm. Y. 4. s. XVII. chart. quaedam ex Canisii editione habet excerpta. 39) Archiv VI, 172. 174. 1) i. e. *Θεος Πατηρ*. 2) *διοικητης*, praepositus. 3) In quatuor huius carminis angulis monogrammata picta sunt: *Emmeram martir, Arnolt, martirum palma,* et quartum quod *Gebehar-*

AD PROVISOREM SANCTI EMMERAMMI QUID DEBEAT EI VEL RATIONI.

Domno Burchardo ad optima quaeque haud tardo, pro paterna quidem dignitate reverendo, ac plurigena probitate diligendo, Arnoldus, adprime sibi utpote abbati exin ceteris merito suppositus, veruntamen rebus monasterii prepositus, quicquid fidelis domino servus, seu magistro discipulus. Inprimis cum beatissimi martiris Emmerammi patrociniis non ego solus, sed etiam mecum eius generalis monachorum coetus gratificatur Deo, antehac misericordiam suam multipliciter parvitati nostrae impertito, nunc vero solita clementia circa nos manifestius uso — in hoc procul dubio, quod vos tali de loco destinavit ad nos, in quo hactenus ipso donante et sanctissima virgine Maria adiuvante abundant patres ac fratres, sive apud Dominum sive apud seculum valde nobiles et laudabiles, qui cum ratione sua noverunt et aliena tractare —; unde et ego ultimus verae rationis alumnus, pro hac vestro sub regimine probanda, occasionem sumpsi ac fiduciam, presentem scribere epistolam; quae quamvis inscitiae meae historiam partim videatur continere, tamen in vili scemate prenominati necnon sepe nominandi patroni nostri dulcissimae tota famulatur memoriae. Igitur libris in divinis legendis et intelligendis, peccatis meis facientibus, admodum fui segnis, et ut verum fer, adhuc non sum indemnis. Cuius emendationem vicii ut ceterorum cum habere possem exemplis maiorum, impedimento erat nolle, et abusivum illud quod dicunt neglegere. Quadam autem die quendam e fratribus, concretum et conscolasticum meum, presente me, aculeum mortis contigit obire. Is ergo in ipso mortis articulo quid viderit, etiam non loquens astantibus patefecit. Nam cum levatum e lecto humi deposuissemus, primum brachiis quasi contra aliquem reluctatus, demum ad sinistram acutissime flectens obtutus, adeo abhorrebat a facie inimici, ut oculorum versione capitisque aversione ac inpulsu, ut gestum exprimam, capitali, pene loco sibi astantes propelleret; et ut patesceret[b], quantum fides Christi valet ubi meritum habet, quantumve deest ubi mortua est, nisu quo potuit dextram manum extendit, signum salutis facere volens; sed exprimere minime valens, subita concussione contremuit, ac pallore obductus irriguit; sicque exalavit. Nos vero, singultibus psalmodiam intercipientibus, omnes pariter in luctum conversi sumus. Quis enim ibi non fleret, ubi quisque infirmitatis propriae intra conscientiam commonitus, vix effari posset pre fletibus, cum et ego post annos aliquot, teste Christo, haud absque gemitu et fletu hec scripserim memoriaeque tradiderim? Iuvenis namque floridus, frater etiam coetaneus, in puerili lascivia consentaneus, super quo innitebar, baculus arundineus versus est mihi in colubrum, ita ut fugerem. Inde absterritus subduxi me, quibus eatenus ob gloriolam seculi adhesi, libris paganis, et saniore consilio inplicabar divinis. Tunc primum coepi discernere, quae distantia esset inter lucem et tenebras, inter Dominum et Belial. Tum quoque ad me aliquantulum reversus, ex parte collegi, qui fuerint scriptores ecclesiastici. In quorum varietate pulcherrima enotavi beatissimum Christi confessorem Hilarium, alti cordis virum, quam longe sit a lectione simpliciorum fratrum; Ambrosium, quam disertus et orthodoxus; Iohannem Constantinopolitanum, quam iocundus et aureus; Gregorium Nazazenum, doctor quam[c] mirificus et anastasificus; Hieronimum, quam brevis et rectus; Augustinum, quam facundus et profundus; Gregorium papam Romanum, quam dulcis et clarus; Ysidorum Hispanum, quam succinctus et distinctus. Hi siquidem et horum precessores vel successores[d] valde venerabiles et utiles operatores[a] iam habundanter hauriebant e fontibus Salvatoris, quae dulcissima caritate propinarent nobis. Quorum cum legissem opera, quae peritissimis probabilia, mihi vero pro captu meo videbantur etiam[a] mirabilia, auctoritate simul et venusti sermonis dulcore delectabar. Sed contrario admodum amaricabar in gestis videlicet domesticis clarissimi patroni nostri Emmerammi[e] martyris, dudum a quodam, qui se Cirinum, id[a] est[a] heredem[a], nominat, Frisingensis ecclesiae episcopo, ut puto recte scriptis, ante nos autem maiorum neglegentia depravatis. Quae cum, abbate id penite fieri permittente, simplici animo emendare vellem, et in confusionem loci nostri

a) *Haec verba post add.* 1. b) patefaceret *corr.* patesceret 1. c) *superscr.* 1. d) sequaces *superscr.* precessores vel successores 1. e) E. 1. *saepius.*

dus legendum esse videtur. Iis praeter quasdam mysticas explicationes etiam hi versus adscripti sunt:

Laudibus Hei[mrammi libros h]os edidit almi
Arnolt peccator qui m . . . . arator.
Abbas Burchardus episcopus et Gebehardus
Designent tempus, quibus est pulcherrimus usus.

Denique in ima parte ad dexteram haec leguntur: *rie re*(?) *conpinxit hic et monogrammata finxit.*

diutius incorrecta stare nollem, consurgunt adversum me quorundam animi fratrum dicentium, haud equum, a me dictis antiquitatis quid addi vel minui, maxime cum haec peritiores omiserint. Quibus videtur probum meapte sic temperare responsum: Quare illi hoc fecerint, immo quod utile fuit hac[a] in[a] parte[a] non fecerint, a vilitate mei temerarium est discussum iri. Hoc tantum dixerim pace eorum et omnium bonorum, quia non solum novis vetera licet mutare, sed etiam, si sint inordinata, penitus abicere, sin vero ordinaria sed minus utilia, cum veneratione sepelire; et quia dispensatione divina a precedentibus multa relinquuntur sequentibus, in quibus possint mereri alicuius aut admissionem aut remissionem peccati. Quod cavendum huiuscemodi simplicitate, seu, quo verius dicam, stoliditate, etiam rustici nos monent, qui peccare illos putant, qui arbores succidant, in quibus pagani auguriari solebant. Quid plura? Cedens emulis ad tempus, per abbatis imperium abripui me in Saxoniae exilium, portans mecum in libello suo sanctum Emmerammum, qui suum me voluit esse servum. Ibi simulando me scire quod nescio, Meginfredum, Parthenopolitanum magistrum, pauculis beneficiis paravi mihi amicum. Hunc dum audirem frequenter disputare sapienter, mirabar eius ingenium; ex quo et ipse agnovit meum studium. Inter familiares autem consermocinationes stilum eius agnoscens, et propositum fixum animo tenens, postulavi ab eo, quo pro pignore amicitiae novum patrono nostro librum minus pigritaret cudere. Quod cum ille rennueret, quasi suae non esset possibilitatis, et ego opponerem debitum caritatis, ipse vero maiori excusatione nostris id melius assereret convenire, et e contrario referrem, pene esse naturale cives civibus invidere: tandem victus, voluntati meae, immo beato Emmerammo animum substravit. Ut autem acceleraret me rogante, respondit serena fronte, summa diligentia in laribus probandum, quod extra parietes multorum oculis foret presentandum. Hac, ut opinor, occasione tribus annis opus mihi carissimum remansit inperfectum, dum temporibus Heinrici augustissimi imperatoris esset coeptum. Regressus ergo ad monasterium e Saxonia, ferebam mecum beatissimi martiris ymnum, quem mihi pro arrabone libri saltim vel versiculum poscenti prefatus magister metro composuit Saphico. Demum Chuonrado imperante, et nihilominus Heinrico filio eius regnante, Gebehardo autem secundo Ratisbonensem ecclesiam regente, in adventu vestro, saepissime optatus atque diu expectatus venit libellus. Cuius universitas beato deputetur Emmerammo, materia Cirino, renovatio Meginfredo, exactio peccatori Arnoldo, usus oculum invidiae[a] non habentibus, vitae premium omnibus eiusdem Deo dilecti martiris memoriam excolentibus. Pro cuius cultu mea exibitione modico[a], debito sui permagno, quid mihi acciderit vel qualis consolatio evenerit, paucis edicam. Erat quaedam necessitas, pro qua in Pannoniam me direxerat meus abbas. Cumque periclitarer sepius in profundis Danubii decursibus, apud Pogicam[2] caribdin, ubi esse videtur mortis hospi- 2
cium, maximum experiebar periculum. Ibi enim nautae maiores arripientes remos, quasi viribus suis navim evecturi[a] de abrupto fluminis, in tantam venere desperationem, ut mutuo se intuentes ac nec muttire valentes, pre timore mortis penitus irriguissent. Tunc osculatus cruciculam, quam habui ex cervicibus pendentem, reliquias martiris de cambota continentem, cogitationes huiusmodi intra me volvere coepi: Putasne, late notus patronus hodie mihi erit per salutem hic experiendus? Mox navis ceu aliquo minitante tremefacta et interitus puteo eiecta, renatabat, nemine ducente, immo Domino regente. Tum cursu prosperato tertia die advehebar Pannoniae solo. Qua me Anastasius archiepiscopus[3] ceteris suscepit humanius et affatur familiarius. Is cum beati Emmerammi veterem illum et viciatum legeret librum, materiam probavit[b] cum sententiis; sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis. Apud quem sex ebdomadas manens, memoriae sanctissimi patroni antiphonas aliquantas cum responsoriis composui[4], non tam fretus 4
ingenio, quam dedito laudibus martiris animo. Has prefatus episcopus monachos et clericos suos fecit discere, et in ecclesia die ipsius natali publice celebrare; secundum[a] quod[a] scriptum[a] est[a]: *Recedant*[a] *vetera*[a] *de*[a] *ore*[a] *vestro*[a], deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis usu quam ullo auctoritatis ausu. His ita equidem gestis in Pannonia, et legatione, pro qua directus eram, peracta, Noricum repetii, et

a) *post add.* 1. b) p o s. *et* veste r. p r. *e corr. aliis erasis* 1.
2) apud Pogen. 3) Strigoniensis qui et Austricus; v. Mabillon Act. VI, 1. p. 72 sqq. 4) V. Acta SS. Sept. VI. p. 512.

in ea revisens Ratisponam, satis karitative suscipiebar a fratribus, quibus et hoc dignetur reddere Dominus. Hic cum de sancto Emmerammo dulce clarumve quiddam aut audire aut videre summo desiderio quaeritarem, per somnum visionem accepi talem. Beatus Emmerammus pallio viridi quasi velatus, meridiana parte ante fores ecclesiae videbatur mihi iacere in lecto bene ac decenter ornato. Quem ut fratres ecclesiam intrare volentes viderunt, timore perterriti recesserunt. Ego autem solus relictus, adeo fui curiosus, ut ad gradus iuxta tres arcus flexis genibus in eum intenderem, donec vultum detegeret, ac[a] Latino sermone diceret: *Tibi conceditur videre faciem meam, quia in laudibus meis sudasti.* Cuius cum viderem valde candidam et splendidam faciem, nullatenus dicere possum, quam magnum cordi meo fuerit[a] iubilum. Hoc tantum tacitus mecum reputabam: „Fortassis in die novissimo pro me dicturus est Christo: *Domine, da mihi hunc peccatorem*". In quo tunc experrectus, et adhuc, ut verum fatear, nequam ac non rectus, ne iucundae visionis gaudia prepediant peccata mea, apud eum, cuius melior est super vitas misericordia, optinere cupio prece vestra necnon patrum et fratrum oratione continua. De cetero quod instat, epistola conclusionem postulat; in qua vos ignorare nolo, quod antiquus[b] operis huius scriptor librum suum finit in eo, quod volumini de miraculis beatissimi martiris, hoc[a] et[a] anterioribus tribus diligentia mea enucleatius positis, pro capitulo datum est quarto. Quae vero secuntur, auctoritate vestra contra aemulos defendendus[c], humili asscripsi stilo, uno[a] tantum[a] ordine[a] prepostero[a] ob[a] similitudinem[a] rei[a] interposito[a], pro memoria mei et eorum qui mecum in monasterio memores esse potuerunt factorum ob Christi martirem signorum. Ad quae et ad ceteras eius laudes propagandas, vita vestra vigeat, dignitas polleat, paternitas valeat, Domino donante, Amen.

EXPLICIT EPISTOLARIS APOLOGIA DE RATIONE VEL VETERUM INMUTATIONE[5].

CAPITULA LIBRI I.[d]

a) *post add.* 1. b) antiqus 1. c) us *e corr.* 1. d) *Haec inscriptio deest* 1. e) *Numeri desunt* 1. f) eundem — magistrum *erasa* 1. g) debilitate *rec. manu corr.* debilitata 1.

5) Subiicimus epistolam Meginfredi: INCIPIT EPISTOLA VEL PROLOGUS MEGINFREDI PARTHENOPOLITANI MAGISTRI ET PREPOSITI AD ARNOLFUM SANCTI EMMERAMMI MONACHUM EUNDEM[f] ET PREPOSITUM ATQUE MAGISTRUM. *Karissimo suo A. M. salutem in Christo. Sanctorum dicta, quae videntur simplicia, vivifico fecunda spiritu, pondere veritatis religiosa, non illice conpositionis sunt astu pomposa. Quae quoniam incommutabilium sunt signa virtutum, neque favor eis nutrit meritum, nec indignatio detrimentum; quibus velut ex auctorum sanctitate fluxit dignitas, ita ex rerum existentia venit integritas; quorum sicut compositio spiritualis, sic potentia mirabilis, dum per eadem locutionis membra vel ad genituram imaginis Dei gremium fidei maritat, vel perfidiae sinum indurat. Unde conicere possum, frater, quam vera debeat sanctitati religio, quam sancta veritati confessio, ne videar vel in spiritum esse presumptor, vel in simplicitatem inpostor. Sed quia mihi dilectio tua pondus inposuit, quod beati martiris et pontificis Emmerammi desiderio libenter subivi, et ab ipsius sanctitate et a sanctitatis eius scriptore veniam quero; quatinus illius me reverentia cultorem, istius sapientia dignetur imitatorem. Equidem si sanctorum gesta non possumus imitari, licebit saltim meditari, licebit mirari quod volumus, ut quandoque liceat velle quod miramur. Non enim est circumscripta divina misericordia, quae iuvat etiam ubi nulla sunt merita. Proinde flagito, quatinus orationum vice succurras, ne vel professio mea debilitata[g] succumbat, et per occasionem inpericiae pia voluntas invidiae ferreos dentes imbuat; unde et tecum latere desiderat, ne in publico erubescat.* Meginfredi opus huc non spectat.

PROEMIUM LIBRI I. DE MIRACULIS BEATI EMMERAMMI.

Vivunt merita sanctorum in ecclesiis, et potentius existunt ipsi, quamvis ab oculis nostris ablati, quam inter conversantes putarentur. Quod licet creditum firmo teneamus proposito deprehensum, miracula tamen asstipulantur nobis, et inperitiam brutae infidelitatis arguunt, dum ad exanimes sanctorum reliquias inpossibile languentium ad posse redit, et quod non fuit ad esse; fraudatis circa hunc rerum cardinem cunctis secularium potentatibus. Nam si eniterentur vel regalis potentia, quae preminet, vel artificalis ulla sollertia, quae interdum hiantia supplet, quomodo repararent habitum caeco? Haec cum constent, nullum prudentis fidei consequentia latent. Quapropter quia scribimus vobis, in quibus vivificator Spiritus carismatum suorum heredem vivam plantavit fidem, pauca de multis miraculis, quae divina pietas testi suo Emmerammo donavit, dicemus, vel ab aliis dicta repetimus; quia vobis facit de invisibilibus vel etiam de nondum factis experimentum preteritarum substantia rerum et argumentum non apparentium. Hebr. 11, 1.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

1. Igitur martiris Christi Emmerammi corpore sacro apud Ratisbonam honorifice humato, et ad sepulchrum eius minime fraudatis fidei merito quaerentibus presidia divinae pietatis, tandem multo sub huiusmodi beneficiis tempore evoluto, ecclesiae presulatum eiusdem vir venerandus regendum suscepit Gaubaldus, ante quem non solum haec eadem de qua nunc nobis est sermo, sed et ceterae in Baioaria absque certis episcopis post[a] Romana[a] tempora[a] erant ecclesiae. Quia enim nuper christianitatem acceperant Norici, immiserant se illis heretici, qui, ut in aliis regionibus facere consueverant, fas ibi nefasque confuderant. Horum[6] alii se dicentes episcopos esse, alii presbyteros, alii diversi ordinis clericos, adinventiones suas technis quibusdam subornabant, sicque populum cum principibus per plures annos seducebant. Quippe hic error bonis omnibus invisus, sed a perversis periculosissime annisus, maxime adolevit sub ducibus, quorum nomina partim ignoramus, partim scita cautelae gratia supersedemus. Temporibus autem, quibus tantae pesti remedia parabantur, hi duces principabantur: Dioto scilicet, vir illuster, cui filii in regnum non successerant. Item alius Theodo, vir strenuus et alacer, sub quo clarissimus[b] Christi[a] confessor[a] Routpertus[a] cum[a] aliis[a] Dei[a] servitoribus[a] Iuvavium[a] devenit[a], ibique[a] cursum[a] presentis[a] vitae[a] consummavit[a, 7]. Sub[a] quo[a] sanctus[a] Corbinianus[a] Frisingiam[a] accessit[a, 8]. Is ergo dux[a] filios 8 habuit successores in regno, Diotpertum videlicet atque Grimaldum; post quos ducatum genti huic prebuit Hucbertus, qui beato Georgio et sancto Emmerammo sub quodam Rathario adventitio episcopo donaverat curtem, quae in pitaciis, e quibus haec excerpsimus, Pirchinwanch nuncupatur[9]. Huius[10] atqui ducis temporibus beatissimus presul Bonifacius ob curam, quam circa oves dominicas habuit maximam, ingressus Baioariam, nonnullos hereticorum ex ea depulit; sed eos generaliter, uti voluit, eliminare non potuit. Quo Franciam reverso et prefato duce defuncto, sub principe Pipino gentis huius ducatum adeptus est Udilo. Qui[11] missis in Italiam legatariis, sanctum 11 Bonifacium rogavit e Roma revertentem, quod 739. denuo Noricas gentes sub sua potestate dignaretur visitare degentes. Cuius legationi et nihilominus petitioni libenter annuens Deo plenus antistes, in Baioariam profectionem accelerat, sperans

a) *Quae in codice ab Arnoldo post addita sunt semper littera* a *notavi. Attamen non plane constat, an verba* p. R. 1. *ipsi Arnoldo debeantur.* b) Christi — accessit *in loco raso et in margine scripta esse, Föringer monuit.*

6) *Horum* — *seducebat* ex Vita S. Bonif. c. 9. 7) Cf. Anon. de conversione Karantanorum init. 8) V. S. Corbiniani Vitam c. 10. 9) Pürckwang prope Wildenberg; v. Ried I. p. 54. De Hucberti donatione alibi nihil inveni. 10) Ex Vita Bonif. c. 8. 11) Ex Vita Bonif. c. 9.

se correcturum quod ante non poterat. Hic Domino cooperante ac prefato duce asstipulante[a*], ecclesiastica iura decernens, penitus exstirpavit hereticos, et universos fugavit scismaticos. Provinciam vero in parrochias divisit, et episcopos in his canonica ordinatione constituit. Inter quos
11 predictum Gaubaldum Hiatospolitanae [11] sedi prefecit. Qui dum sibi credita foveret necnon adaugeret ovilia, inter cetera, quae bene disposuit et ordinavit, consilium iniit [12] cum clero, quo sepulchrum aperiret beato Emmerammo. Quod crebris miraculis fieri debere clamitantibus, communis omnium conprobavit assensus. Quid plura? Die statuto translationis et elevationis cunctorum vota concurrunt; ad laudes martiris, tanto tempore inter mortales sub neglegentia quiescentis, innumera sexus utriusque turma confluxerat. Ad ea, quae saepe audierant, martiris beneficia clarius videnda, festinant cuncti, novis interesse gaudiis properant universi. Demum electi sacerdotes cum diaconibus ac aliis ad aperiendum sepulchrum ne-
15 cessariis, populum extra ecclesiam eiecerant, et ostia intro seris munierunt. Cumque tremebunda religione a sepulchro humum resolvissent, necnon etiam lapidem superpositum a parte dextra in laevam submovissent mensura tantum quasi palmi et semis, timor super omnes irruit, ita ut pre pavore nimio laborantium manus a lapide laberentur. Ex quo terrore perculsi viribusque dissoluti, in terram ceciderunt. Unus autem ex illis, qui a dextris stabant, pectus lapidi supponens, tamdiu solus hunc, cum esset ingens, haud sua valitudine sustentabat, quousque ceteri posse resumerent
18 et succurrendo manus ad incepta consererent. Tunc tanta celeritate et securitate amoverunt, acsi in se gravitatis pondus minime haberet. Quid vero hoc trifario miraculo insinuatur, nisi quod
Psalm. 67, 36. prophetico ore predicatur: *Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem?* Ob reverentiam enim sui martiris virtus Altissimi hos terribiliter stravit, sed ad eius laudes in pristinas vires mirabiliter restauravit. Tertio uni sacris cineribus famulanti inpertivit fortitudinis munus ad gloriam nominis sui, qui est trinus et unus. Pro quo triplicato signo sacerdotes venerandi gratias agentes almae Trinitati, cum magno cleri populique tripudio incomparabilem purpurati corporis thesaurum e tumulo, quo eatenus reconditus erat, auferentes, in monumentum novum venerabillime transtulerunt; quod ad id satis accurate iam paraverunt. In quo principes auri laminas et argenti apparatu pulcherrimo fecerunt affigi, easque gemmarum ordine vario distingui. Quorum spiritibus et nobis simul peccatoribus per intercessiones clarissimi sui testis Emmerammi dignetur Dominus propitiari!

2. Quidam vir in Frisingensi episcopio, quoniam fraudata est oculorum officio, coniugem suam dimisit, aliamque extra preceptum Dei duxit [13].....

3. Cum virtutum odoribus aromatizans beatus Emmerammus populos ad se traheret undequessecus, contigit quendam virum fidelem, qui bona intentione, ut finis probabat, illuc solus iter carpebat, in loco, qui dicitur Verroniwaida, quod sermo Latinus exprimit Longinqua pascua, latrones incidisse; qui eum detentum et expoliatum, Orientalibus Francis vendiderunt. Et factus est alias emptitius, qui ad memoriam martiris voluit esse adventitius. Quidam vero, qui hunc exinde venundatum accepit, sub venali commercio tradidit cuidam Turingo in finibus Parathanorum, ad id temporis crudelium paganorum [14] . . . . . .

4. Erat quaedam puella in Frisingensis ecclesiae diocesi constituta. Haec [15] . . . .

5. Quanto honore et qua reverentia, quo affectu principes beatum Emmerammum coluerint, inter cetera sibi ab his collata predia seu preciosa donaria testantur: ad orientem provinciae huius Lunaelacus [16] optimo pisce vividus, unde regius cibus; ad occidentem vero vinifer cespes Spalticus [17], e quo regius potus. Attestatur quoque territorium Ratisponense vel prolium regale, quod a fastigio montis meridiani inter vias publicas usque ad muros ipsius monasterii a Carolo Magno traditum est beato Emmerammo et monachis eius sub imperiali testamento [18]. . . . .
. . . .[b]
Duces vero, qui ante hunc principem sub regibus Francorum Baioariae regebant ducatum, quae bona beato Emmerammo contulerint, pitacia eorum et testamenta penes nos satis indicant inventa. Huius autem filius, piae memoriae imperator Hludovicus, et qui illi fuerant successores in regno, comites quoque ac optimates, necnon etiam iudiciariae dignitatis perplures, quantis quibusve rebus predictum ditaverint locum, testatur pars non solum maior, sed etiam melior episcopatus Reginae civitatis. Ex his autem omnibus, qui Christi martirem reverenter colebant seu cum reverentia diligebant, eo quod pre ceteris eiusdem cultui deditus esset, excipiendum mihi rectius puto persuavis memoriae Arnolfum, Carolomanni filium, primo Baioariae ducem, dein Franciae regem, novissime autem[a] ob beati Petri[a] defensionem, post victorias

a) *post add.* 1. a*) stipulante *corr.* asstip. 1. b) *In codice quaedam erasa sunt, quorum loco (ita Föringer; in bibl. Emmer. (v. Ried. I. p. 5) ad spacium vacuum adscripta dicuntur) manus saec. XVII. haec fabulosa adiecit:* Hic inter cetera, quae regio more ac imperiali potentia constituit et ordinavit, ducem Tassilonem regno privans, cum filio Diotone monachum esse compulit; necnon sedem Ratisbonensis episcopi, a ducibus prioribus extra urbem translatam ad martyris videlicet sancti Emmerammi basilicam, infra urbis eiusdem muros constitutae beati Petri apostoli sub Simperto episcopo restituit ecclesiae. Locum autem martyris in patrocinium sui honestavit munificentia regali, subdens eum illi, qui ibi inthronizatus fuerat sede pontificali.

11) Hiatospolis quasi ὕαδος πολις, Regensburg ab ὕω. 12) Quae sequuntur ex Aribonis Vita S. Emmerammi (Acta SS. Sept. VI. p. 481.) hausta sunt. 13) Haec ex Aribone hausta sunt. 14) Haec et sequentia huius capitis ex Aribone. 15) Etiam hoc caput ex Aribone. 16) Monsee; a Ludowico Germanico eiusque uxore Homma a. 831. concessum; v. Ried cod. diplom. Ratisb I. p. 29. 17) Fortasse Spalt forum, oppidum, quod Ried. I. p. 526. 656. occurrit. 18) V. Karoli diploma ap. Ried I. p. 8.

mirificas, Romae factum imperatorem; sub quo etiam veluti fundamentum quoddam martiris almi miraculis scribendis ponere volo; quia hinc exordium sumens, utpote ex noto et circa eundem Dei martirem maxime devoto, pulchram ad ceteros principes his annotandos processionem facere potero. Is namque sperans, Deum sibi sic fore propitium, elegit beatum Emmerammum vitae suae ac regno patronum, adeoque illi adhesit, ut in vicinitate monasterii regio cultui aptum construeret grande palatium. Cum ergo huius patrocinium duris in negociis et in preliis multis satis haberet expertum, manifestius hoc sibi adesse sensit, quando Marahensi bello interfuit [18]. Ibi enim, ut legisse me memini, primo congressu, crepitantibus hastis, qui erant tyrannicae partis viderunt acies imperatoris ab ignotis et pulcherrimis defensari viris, qui, uti dignis revelatum est, erant sancti, quorum patrociniis illo profecturus intente se commendavit. Horum quippe visu perterritis hostium cuneis, lentescebat pugna in parte adversa. Quod aegre ferens unus militum tiranni, clipeum arripuit, et primarium signum legionibus pretulit; superbe has conpellans et exhortans, quo sui exemplo animos resumerent ad pugnam. Cumque prepeti cursu in ipsum pene principem irrueret, obvium habuit senem canitie venerabilem, sed habitu terribilem, qui ei protestatus, Emmerammum sibi resistere, umboni manum inseruit, ac tamdiu frustra[a] renitentem[a] vexavit, quousque hi, qui eius instinctu facti sunt audaces, fierent omnes inde fugaces. Haec non ficta, sed esse veraciter facta et dicta, is qui vidit et pertulit, postea humiliatus confitetur et prodit. Hinc princeps gloriosus victoria tali oppido laetus, Ratisbonam revertitur, ubi consonis omnium in ea ecclesiarum campanis suscipitur, simulque triumphus cum miraculo predicatur et extollitur. Tunc sapienti usus consilio, et illud macte ruminans [18*]: *In die bonorum non inmemor sis malorum,* et quia displicuerunt novem minime glorificantes eum cuius est benedictum aeternaliter nomen, per cuncta Norica monasteria misit gratifica munera. Speciali autem suo patrono Emmerammo pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum. In quo erat ciborium quadratum, cuius auro tectum tabulatum, fastigium serto gemmarum redimitum. Corpus vero ad geminae specimen dilectionis, similitudinem habens superioris et inferioris, sustentatur aureis octo columnellis, quae et ipsae tot virtutum seu beatitudinum instar exponunt [19]. Erant etiam in eo euangeliorum libri plenarii, auro et gemmis tecti, scripti, picti, ac omnimodis ornati. E quibus unus est cubitalis, opere, precio, pondere siquidem talis, ut ei non facile inveniri possit aequalis [20]. Cuius in dextra parte dispositio gemmarum centenarium etiam complet numerum, quarum quaedam adeo quantitate preminent, ut quatuor ex his calices operiant sedecim, in figuram sanctae crucis, per singulos quaternis ordine medio dispertitis. Intimus 887–899 autem ordo contractior calices habet triginta duos, singulatim gemmis minoribus opertos, quibus venuste respondet extimo, amplioribus per castella dispositis necnon margaritis per propugnacula insertis deliciosissime compto. Haec autem cum largifluae principis devotioni tanto patrono minime sufficerent, pro dono addidit argenteam craticulam predicto ciborio subponendam. Adiecit et pallia coloratu paria et varia, inter quae unum unius texturae longitudinem habuit cubitorum triginta. Verum his quid diutius inmorandum? Demum quippe apud Sanctum Emmerammum sibi iussit preparari mausoleum, quo mortem obiturus eum benignius in caelis haberet patrocinantem, quem in terris utcumque vivens et valens sui suorumque optavit, immo fecit fore potentem. Huius tui ministeriarchis animae, et nihilominus adhuc tibi famulantium catervae, potenti prece apud Omnipotentem succurre, beate Emmeramme!

6. Sub prefato itaque principe Tuto, sancti 894–930 Emmerammi monachus, Ratisbonensi presulabatur ecclesiae, qui a septimo anno imperii illius usque ad duodecimum regni Heinrici Saxonis hac in vita permansit. Huius ergo antecessor Chuonraradus rex, exigentibus publicae rei utilitatibus, ad Reginam civitatem devenit. 918. In qua rebus, quarum gratia venerat, profligatis, ex antiqua regum consuetudine premonitus, accessit ad ecclesiam beati Emmerammi, quasi licentiam accepturus Franciam remeandi. Ubi principum sepulchra visitanti, Arnolfi scilicet imperatoris necnon[b] Hluoduwici, qui puer inmatura morte e medio excessit, a capellanis male suggestum est, ut regio iure ac potestate, suorum utpote qui fuerit antecessorum, sibi vendicaret prescriptum magni precii librum. Quem cum prenominatus episcopus dare iussus, sed hoc facere martiris timore nullatenus esset ausus, minis tandem ad id ventum est, ut librum eundem coram principe invitus in altari exponeret. Cui tamen inprecatus est, dicens: *Debitor beati Emmerammi sit in die iudicii, qui hunc usibus eius subtraxerit servitii.* Quod quantum valeret, cito experturus rex[a], precepit eum temere tolli et efferri. Cumque ascendisset equum, prope monasterium incurrit dysenteriae morbum. Quo tremefactus, ac in se facti commertium sentiens per cruciatus, eodem momento restituit librum beato Emmerammo, inde secum ferens dolorem, quo in Francia ultimum clausit diem. Dec. 23. Tunc venerandus antistes Tuto Christo adherens in martire suo, coronis principum Caroli, Carolomanni, Arnoldi addens de suo quantum potuit, beato Emmerammo aureum altare paravit, venustissima forma decoravit, mille gemmis ornavit. Hic atqui caecatus corpore, sed illuminatus mente, castigatae infirmitatis necessitatem vertit in animi augustam virtutem; et nequaquam valde depensans privatum se luminis, quod sibi commune esset cum muscis,

a) *post add.* 1. b) n. h. q. p. i. m. e m. successit *corr.* excessit *in loco raso* 1.

18) a. 893? 18*) Eccli. 11, 27. 19) V. Mabillonii Iter Germ. (Anal. ed. 2. p. 10.) qui hoc tamquam altare parvum mobile describit. 20) cf. Eccard. Fr. orient. II. p. 563. Mabillon l. l. p. 9. Ratisbona monast. ed. 4. p. 106. et quam de hoc libro scripsit dissertationem Sanftl 1786. 4to.

talem spiritus habuit consolationem, ut per eum ventura previderet, ac ea quibus minime intererat facta patenter ediceret. Constitutus ergo apud Lunaelacum, triginta ferme rastis a Ratisbona distantem, grande in ea quadam die factum suis
21 indicavit incendium [21]. Huius rei non solum probato sed etiam totius in eo pietatis testimonio, exemptus e medio, uti nobis dictat bona spes, migravit ad caelicas sedes; ibi, quem hic dilexit, patronum suum semper visurus Emmerammum. Cuius propitia intercessio famulis obtineat apud lumen vêrum illuminationem oculorum nostrorum, ne umquam mortis obdormiamus in portis!

7. Postquam monasterium beatissimi martiris Emmerammi, quod prius extra fuerat, coepit esse intra muros Ratisbonensium civitatis, quos Arnolfus dux, inter optimates opere diviso, cito construxerat [22] sub rege Heinrico, filius eius de gente Saxonum primus imperator Otto ad hanc eandem
954? probum duxit venire civitatem. In qua factis et celebratis quae erant imperatorii iuris, beatum Emmerammum curte regia donaverat [23], quam Germana lingua Helfandorf vocitat, Romana vero Adiutorii-vicum latinizat; tunc Michahel Hiatospolitanus antistes in quodam monasterii palatio imperatori parabat convivium, quo principem cum primatibus fecit recumbere secum. Cumque ritu epulantium pene forent confirmati et vino laetati, imperator ore iucundo saxonizans dicit: *Siceram cuius quis bibat, huius et carmen canat. Beati Emmerammi bona manducavimus ac bibimus, inde mihi videtur aequum, karitate eius finiri convivium.* Mox aderant pincernae, propinantes singulis ad
24 nutum imperatoris karitatem martiris. Ob cuius venerationem inter se cunctis osculum dantibus et invicem ad potum karitatis se cohortantibus, unus hanc superbe respuens dixit: *Heilram in ventre meo non habet locum, quia cibus et potus iam intrantes preoccupaverant illum.* Adhuc lingua palpitans ex emissione verbi movebatur, et e pariete, cui amphipendulato dorso tenus innisus adhesit, colaphum tam valide conplosum accepit, ut e sessu proiectus in medium palatii preceps rueret, necnon simul omnes timor et altus stupor caperet. Tum religioso monarcha cum episcopis et optimatibus ecclesiam festinanter ingresso, consonantibus campanis, Deo et martiri pro gratiarum actione laudes celebrantur ac letaniae. Sed ne forte alicui istud videatur incredibile, sciat quisque fidelis, id me nullatenus fingere, sed a quodam viro fideli atque sene, Sigibaldo nomine, sicut scripsi accepisse, qui per fidem Christi testabatur, huic se convivio interfuisse et nihilominus vera dixisse. Tu autem, sancte Emmeramme, quem Omnipotens hoc in signo, ut in ceteris, voluit honorare, preces illi pro nobis peccatoribus funde, quo per veram karitatem angelum satanae colafizantem nos possimus avertere!

8. Erat quidam sub prenominato angelici nominis episcopo beati Emmerammi monachus, necnon etiam ecclesiae custos et aedituus, nomine Adalpertus. Is locorum sanctorum desiderio transmarinam aggressus est peregrinationem. Qua Hierosolimam petens et cetera caelestis thesauri perlustrans ea loci sacraria, millenis adversitatibus atteritur, terra et mari temptatur, ex ipsis quoque faucibus mortis patroni sui precibus frequenter ereptus probatur. Quod semel quam evidenti signo factum fuerit, relatio ipsius hic inserta patefacit. . . . . .

9. Superiore quidem capitulo perscripsi, quod cucullato et monacho erat consolationi, hoc vero innectere libet, quae sint perversis timori ac nihilominus apostatis terrori. Fuit in Ratisbona homo quidam, nomine Sigibertus, lege humana seu conditione mundana liber, sed christianae veraeque libertatis indigus et aeger. . . . .
Hoc autem dixit, quia prius erat coriarius seu calciamentorum sutor dolosus. . . . .

10. Inter innumera casuum humanorum infortunia valde miserabile ac magis flebile videtur et est, quod in homines, quorum possessor esse debet Deus, ut propria domicilia intrat humani generis inimicus. Sed id revera occulto et iusto fit Dei iudicio. Traduntur enim interdum huiusmodi propter peccata carnis in interitum satanae, ut salvi sint spiritus in die dominici adventus. E quorum unus Gestiliub vocitatus, hospitibus pessimis permissus, nobilis genere, sed ubique miser . . . . . .

11. Merita beati Emmerammi martiris quantum valeant in presentia Omnipotentis, testatur iam plus quam per trecentos annos Lantperti [24] misera generatio tyranni. Cuius e stirpe unus die quadam cum aliis patroni nostri petens ecclesiam . . . .

12. Nobiles quidam viri, cognatione nobis et tempore noti, quorum nomina silemus, quia verecundatur quisque proximus ob timorem pariter et angorem calamitosae pestis, quae diu multumque saevit in hominibus tyrannicae posteritatis, per diversas rerum suarum oblationes atque sacerdotum orationes ceterorumve supplicationes Deo famulantium miserunt ad beatum Emmerammum, quo liceret eis absque publica confusione domicilium requietionis eius intrare. Quod cum videretur inpetratum, ut venirent bona sub spe, ad illos est perlatum. Qui venientes cum humilitate ac tremore sunt intromissi et non infructuose admissi. Nam capita cum manibus religiose altari inponentes, professi sunt se martiri perpetuos censuales. Aliqui tradiderunt servos et ancillas, ut in conspectu tanti patroni invenirent gratias. Alii vero contulerunt possessiones prediorum, ne ultra starent in parte reorum. Alius hic reliquit triennem languorem, alius deposuit bimam debilitatem, alius iugem superavit maligni spiritus infestationem. His tandem et huiusmodi beneficiis refecti, quia antea malis innumeris erant affecti,

21) a. 906. V. Ann. Ratisb. Mon. SS. I. p. 94. 22) cf. Zirngibl. Neue hist. Abh. d. Bair. Acad. Vol. III. 1791. p. 321. sqq. 23) V. diplomata a. 940. et 950. ap. Ried I. p. 96. 97., quae tamen non Ratisbonae data sunt, quo rex non ante a. 954. venisse videtur. 24) Qui S. Emmerammum interfecit, de cuius posteris etiam c. 12. sermo est.

in propria sunt reversi. Unus autem eiusdem stirpis perdurae cervicis, nomine Adalrammus, fecit quod noluit beatus Emmerammus. Vendicaverat enim sibi iniuste prediorum partem, quae nepos eius martiri sub testibus dedit in hereditatem. Pro qua conventus a primoribus et interpellatus a defensoribus, ob cordis duritiam penitus renuit facere iusticiam. Ceterum beatus Emmerammus, suorum defensor optimus, super temeritate ac malitia adeo eum afflixit, ut per aliquot septimanas aegritudo eius sibimet et esset poenae atque horrori, amicis vero inconsolabili moerori. Unde contigit, ut frequenter mortem optaret, sed optata minime veniret. Tunc demum procul dubio ipsa rerum facie perdiscens, quia illum haberet offensum, cuius martirem inhonoraverat sanctissimum, seque dolens infelicissime vivere, et nihilominus huiusmodi vitam morte saltim haud posse finire, consilio sero, sed tamen bono, uxorem sub festinatione cum filiolo ad martirem misit, neptem scilicet meam cum nepote illuc ad restituenda predia currere fecit. Qui nocte vigiliarum eius venientes, et mane ordinem rei mihi exponentes, a me accepto quod ad salutem pueri pertinuit consilio, hora diei natalis beatissimi martiris quasi secunda mater ad altare accessit, et primo filiolum sancto Emmerammo solvere faciens censum, deinde cum eiusdem manibus attractis more Baioarico testibus retradidit predia, uti antea fuerant tradita, domumque est reversa. Inde mihi postea nuntius venit, qui iuravit per beatum Emmerammum, prenominatum Adalrammum eadem hora tranquilla pausatione defunctum esse, qua haec traditio facta est Ratisbonae. Nos proinde, quotquot sumus tanti patroni cultores, Deo et illi gratificas concinamus laudes!

13. Magnalia Dei vehementer sunt consideranda, et sanctorum ira seu patientia nimis timenda. His etenim patrocinantibus, clemens nobis erit Altithronus, offensis vero et spretis, per longum aut breve non stabit inultum et leve. Quod apud sanctum Emmerammum sub Michahele episcopo satis probatum seniores retulerunt nobis, qui memorabantur illius temporis. Is ergo pro rebus martiris, defensoribus assumptis, cum Pertholdo marchione[25] conflictum habuit magnum. Cumque diu certatum esset utrimque, tandem in id partium paria convenerunt, ut duodecim virorum nobilium iuramento, quod exigebat prefectus, tolleret beato Emmerammo. Super cuius altare cambota ipsius posita, homines numeri prescripti accedentes iuraverunt. Sed ultione divina percussi, grande secum recedentes malum portaverunt. Cuius talione saumatizatus ex patre avus meus Arnoldus, eodem momento dextro debilitatus brachio, post paucos annos in flumine Naba solus, comitatu salvo, subita morte vitam finivit. Ceteri vero, qui coniuraverant, quid perpessi sint, breviter tangam. Alius atqui caecatus, alius strangulatus, alius insensatus, alius paralysi solutus, alius evisceratus, alius fulmine ustulatus, alius incendio propriae domus consumptus, alius mancus et monophtalmus, alius cancri morbo percussus, alius elefantiae peste foedatus, alius hydropica inflatione gravatus, miseram vitam misera morte finierunt. Unde meus ex matre avus, prenominatus scilicet comes Peratholdus, terrifica commonitione tactus, beato Emmerammo predium suburbanum, quod dicitur Isininga, per[a] venerabilem[a] pii[a] abbatis[a] Ramuoldi[a] ordinationem . . . .[b] eiusdem[a] predii[a], donavit[26], illius ascribens obsequium duodecies dandum karitativo usui monachorum necnon refectioni duodenariae Christi elemosinariorum. Tu autem, sanctissime martir Emmeramme, duodenario miraculo clarificate, pro nobis peccatoribus, hactenus abusis duodecim inreligiositatibus, preces largas funde coram illo, qui hunc numerum apostolico dedicaverat choro!

16. Erat quidam vir ingenuus, Burchardi marchicomitis[27] et prefecti Ratisbonensis vasallus. 27
Hunc divina a Deo corripuerunt flagella, ut nervis contractis omnium pene destitueretur membrorum officiis. . . . . .

17. Gloria sanctorum Christo conregnantium, patres et fratres, est valde reverenda, ira quoque omnimodis cavenda, patientia vero omni sexui seu ordini pertimescenda. Ad hos namque dicit Dominus: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei;* Zach. 2, 8.
et in euangelio: *Qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10, 16.
Quae tonitrua ab ipso caelorum throno procedentia necnon terrifice mortalibus intonantia adeo contempnit, heu! male surda secularium duritia, ut inhiantes ad ecclesiarum seu pauperum res, hereditatem Domini diripiendo suam faciant, immo se ac sua diaboli partem efficiant. Contra quos invehitur maledictum per illud propheticum: *Vae qui iungitis agrum ad agrum inique.* Isa 5, 8.
E quibus nonnulli, qui honestiores et continentiores videntur in factione huiuscemodi, cum viderint aliquos ad ea, quae parum tetigi, perpetranda proclives, callide eos instigant; atque ut his reculis tenacius adhereant, saepius inculcant; pervicaciter se pollicentes eis apud iudices futuros adiutores, necnon etiam, si necessitas exigat, coniuratores. Tum in se quodammodo quasi revertentes, immo retrorsum ad malitiae cryptas anfractuose divertentes, eos pro tempore deserunt, quibus consilium iniquitatis dederunt, et se subdole ad hos, quorum bona predae vel rapinae fecerunt patere, conferunt, ut pro mendacii silentio seu veritatis venali testimonio apud incautos muneribus dextras adimpleant, talique strofa quod habere videntur a simpliciori-

a) *post add.* 1. b) *de hoc vocabulo non constat; Föringer fortasse* addicens *legi monuit.*

25) De ipso v. Thietm. II, 14. III, 7. 26) V. chartas ap. Pez I, 3. p. 92. 99. 27) orientalis marchae; filius Berhtoldi c. 13. memorati, quem Thietmarus V, 21. Bucconem dicit, fuisse videtur. Minus recte tamen supra p. 415. n. 66. Arnulfi ducis generum, Heinrici episcopi Augustani patrem, eundem habui. Hic certe vir fuit maioris aetatis, neque quum eum Widukindus dicat (III, 36.) mediocris substantiae militem, ad hoc nobile comitum genus referri potest.

bus extorqueant. Cui tam grandi malo in plebeia turba modis millenis crassato, prefecti et comites, qui mederi debuerant et poterant, non solum obviare ac resistere recusant, quin etiam ipsi hoc idem accumulant, necnon omnem iusticiae pulchritudinem, quantum in se, dedecorant, quo insatiabilem avaritiae lacum non modo nequiter, sed etiam turpiter, adinpleant. Pro quorum contumacia celeriter sternenda clamat propheta, immo cum eo iniuste oppressorum ultionem postulat persona:
Ps. 93, 2. *Exaltare, qui iudicas terram, redde retributionem superbis.* Hanc igitur causam non causam, sed pestem dicendam, id est ut diabolica commisceantur humanis, et nihilominus humana preferantur divinis, in tantum aliqui pro commodis affectant terrenis, quo adulationum liniamentis sive aliis pravi consilii incitamentis, quibus ipsi habundant, pastores etiam ecclesiae temptent inficere, atque gregis dominici arietes conentur lupos efficere. Quorum sintichias [27] venenosas qui non observaverit, procul dubio vitae periculum incurrit, quod in se satis est expertus Michahel, Reginae civitatis episcopus. Is atqui cum pro episcopatu cuidam nepoti suo ab imperatore postulando palatii stationem
972. petere decrevisset, xeniaque, quibus hoc se inpetraturum sperabat, paravisset, persuasum est ei ab his, qui optabant apud principes ecclesiasticas venales fore dignitates, quatinus petitionem, quam facere vellet, thesauris Deo dilecti martiris Emmerammi subornaret. Quos ille, consiliariis con-
Sept. sentiens reis et perversis, prope diem natalitium eiusdem testis domino suo subduxit, necnon ad episcopalem villam Berahartashusun [28] dictam secum transduxit, quo suus eadem die comitatus pestifer confluxit. Ibi quoque subitanea corporis percussus molestia, per extremam sortem urgeri coepit in mortem. Quam cum sibi turbidam et amaram sensisset inminere, atque iam desperaret infra limitem huius vitae diutius consistere posse, vicedomno assumpto, necnon militibus accitis in testimonium, cum aliquibus ministris, quis circa cum plus erat amoris quam timoris, quorumque familiaritati sedulo solebat inniti, affatus est verba huiusmodi: *Contigit me aliquando secus Licum flumen sub Ottone Saxonigena imperatore primo*
29 *gravi interfuisse prelio* [29]. *Ubi cum inter nostros atque paganos acerrime fuisset pugnatum, et Christo propitio a christianis esset triumphatum, Ungri meam abscidentes auriculam, gladiis ac spiculis inter ceteros me straverant ac adaequaverant glebis. Ibi insperato raptus, ad salutem sensi beneficiis adesse patronum clementem, quem nunc timeo ob temeritatem peccati mei irascentem. Eia quaeso, fideliter agite quae iniungo. Tollite hinc — utinam numquam ad malum, quod facere volui — mea sub certo numero integra viginti pallia consignata, et offerte ea, quamvis ad magnitudinem peccatorum meorum parva, magno et beato ad subveniendum cui voluerit Christi martiri Emmerammo; reddetisque illi reverenter suorum partem thesaurorum, quos insipiens ac minus cautus in sugillationem mei subtraxi eius honori servitii. Calicem autem aureum, quem opere ac forma satis, ut opinor, decenti eidem clarissimo testi passionum Christi patravi, cum his omnibus, quae labiis distinxi, super et circa ipsius altare ponetis, sicque ex humilitatis meae legatione dicetis: „Michahel ille peccator homo, quamvis in sancta ecclesia ordinis iure sacri particeps fuerit nominis angelici, inmeritum tamen et longe inparem se perpendens tanti ministeriis officii, servus quoque tuus, beate Emmeramme, adoptivus sub ipsis pontificalibus infulis factus, in extremis etiam constitutus, erga reverentiam tui devotus, tibi haec misit atque remisit, necnon ultimum spiritum trahens, animam cum corpore patrocinio tuo commisit.“* Haec vero facta et dicta cum non paucos convenirent ac deterrerent pro abusive usitata sanctorum inter mortales neglegentia, campanum quoddam quantitate modicum, a legatis episcopi cum aliis rebus in basilica patroni nostri expositum, grande per os dicentium predicabat miraculum. Huius ergo cum imperator Otto secundus aliquando apud Sanctum Emmerammum audiret tinnitum singularem et pre ceteris magis sonorum, fertur dixisse, aut hoc aut huic simile se velle habere. Qua occasione predictus pontifex inde sublatum idem campanulum in via iussit transportari secum, arbitratus satis se facturum principi oblatione cupiti. Quod postquam est de martiris ecclesia elatum, uti comperimus per cuiusdam presbyteri relatum, ad Dei omnipotentis nutum inmutatione soni factum est mutum, nec ullius artificio aptari potuit euphoniae officio usque in diem et horam, qua Deo dilecti martiris casae restitutum, etsi insensibile, presentiam domini sui sensibus humanis se sentire indidit, ac dulciter tinnivit. Vere tua, Christe, haec sunt opera, qui crederis et es aeterni patris sapientia; cui David corde iubilans clamat [30]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te*; et iterum [31]: *Auditui meo dabis gaudium et laeticiam; et exultabunt ossa humiliata;* cuius desiderio delectatus, nomini tuo credentes in fine psalmorum ad perfectionis laudes provocans, ait [32]: *Laudate Dominum in cymbalis bene sonantibus; laudate eum in cymbalis iubilationis.* Ecce humanae salutis amator, generis nostri factor et reparator, qui etiam benignus es super ingratos et malos, per parva ac insensibilia operaris magna necnon mirabilia, ut homines cordatos benedictione tua efficias coaptatos. Hanc siquidem qui aure cordis perceperint, et in eius obauditione usque in finem perseveraverint, minime pavebunt in die novissimo, nec aures eorum tinnient ab auditu malo, quando inimicus exultans super interitu impiorum, se iactaverit dicens [33]: *Prevalui adversus eos.* O Iesu bone, quid nos peccatores ibi dicturi sumus, ubi vix iusti salvabuntur? Non est nobis spes altera, nisi quam definit ille tuus electus psalmista, qui fuit rex et propheta, totis medullis ad te clamitans [34] cordis: *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium;* quam in tuo nomine, dum tempus est misericordiae, a patre postulandam didicimus per evange-

27) i. e. pacta, conventiones. 28) Beretzhausen ad Laber fluvium. 29) a. 955. 30) Ps. 30, 20. 31) Ps. 50, 10. 32) Ps. 150, 5. 33) Ps. 12, 5. 34) Ps. 141, 6.

licam doctrinam. Sic enim tuum, o veritas, habet euangelium[35]: *Ambulate dum dies est, ne tenebrae vos comprehendant;* et iterum: *Dum lumen habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Et illud excusationis humanae exclusorium diligentissime adtendendum, necnon intimis suspiriis annitendum[36]: *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Petimus ergo ad te conversi, pater domini nostri Iesu Christi, ut in nomine eiusdem unigeniti tui, cuius karitatis beatus Emmerammus martir tuus inter[a] plurales[a] testes[a] imitator[a] quodammodo[a] extitit singularis, ineffabili et solita circa peccatores usus clementia, confitentibus et confessis dimittas inpietatem cordis, ac infundas unctionem tuae uberrimae consolationis, necnon confirmes in nobis opera divinae miserationis; ut quod in hoc seculo dulce ac delectabile videtur, timoris tui reverenda consideratione amarescat, et quod amarum, dilectionis tuae suavissima speculatione dulcescat. Sicque dum ipse volvitur mundus, a lapsu et amore peccatorum, te resuscitante, surgamus, ne in fine seculorum, cum omnes homines resurrexerint cum corporibus, in aeternum confundamur ac puniamur; sed emptitii[b] servi nunc cum collibertis gratia tua digni effecti, tunc etiam tuis cum amicis semper mansuris deputati gaudiis, securi videamus dominum Iesum filium tuum liberatorem et episcopum animarum et corporum nostrorum, iudicem iustum vivorum et mortuorum, tecum viventem atque in unitate Spiritus sancti regnantem, per inmortalia seculorum secula, Amen.

PROEMIUM LIBRI DE MEMORIA B. EMMERAMMI ET EIUS AMATORUM.

Inter cetera mysteriorum caelestium sacramenta, veteris legis testantur scripta[37], quod ad aedificationem tabernaculi principes tribuum et ditiores quique in populo Dei pretiosa divino iussu obtulerunt donaria. Quorum piae oblationi et pauperiores, eodem precepto conducti, indices mentium devotarum etiam pilos addiderunt caprarum. Quid autem nova lex super hac re contineat, seu qua convenientia priscae respondeat, Christus in euangelio suo palificat, qui duo pauperis viduae minuta pretulit his, quae divites iactabant seu in gazophylatium mittebant. Quod quidam vir, officio apostolicus et merito, egregia predicatione quasi de caelo intonans, breviter perstringendo exposuit, dicens: *Regnum caelorum valet, quantum habes.* Cui scilicet sententiae concordat, quod sacra scriptura alias clamat[38]: *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Unde is qui multum habet et illud apostoli[39] diligenter attendere debet: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Qui vero minus accepit, id ipsum minime ducat neglegendum; sed de eo pro posse et nosse conetur elaborare aliquid quod utile sit. In quo haud segniter exequendo quicumque divino muneri reverentiam exhibuerit, debitum exactionis persolvit scripturae, quae dicit[40]: *Vovete et reddite domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Ex ipsius quippe donis, qui largitor est omnium bonorum, accepimus, si quid ei pie digneque afferimus, vel si in aliqua re votorum nostrorum redditionem exsolvere poterimus. Hinc et Iacobus apostolus, eorundem processionem donorum commendans, ait[41]: *Omne donum desursum est, descendens a patre luminum.* Ad cuius illuminationem psalmista nos approquinquare exhortatur, dicens[42]: *Accedite ad Dominum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* Vere ad eum accesserunt, qui dono illius illuminati, ecclesiastica factis et verbis tractando sacramenta, illam faciei meruerunt gloriam, quam ipse sol iusticiae visione sua paravit electis sempiternam. Horum quippe exemplis et doctrina, dum volvitur huius mundi rota, Christus gratum in suis arboribus inveniet fructum. Quem quia velut inutilis stirps in mea arbore non habeo, timeo mihi valde, ne paterfamilias sterilitate pravitatis meae offensus, dicat: *Ut quid occupat terram? Succidite eum et mittite in ignem.* Luc. 13, 7. Quem reprobis terribiliter paratum et a peccatis meis, pro dolor, saepe comparatum, ut effugere possim, inter fluctus cogitationum aestuanti occurrit animo, hoc optimum fore remedium, quo non cessem quaerere presidia sanctorum, sedulo laudibus inherendo eorum; ut et ipsi apud misericordissimum Dominum dignentur mihi veniam inpetrare delictorum. Sed fortassis dicit aliquis: „Quid ad te? Non est enim speciosa laus in ore peccatoris.“ Eccli. 15, 9. Quod verum esse minime nego, sed magis inde ne damner pavito. Est tamen aliquid quod mihi ad predictas laudes etsi minus idoneo fiduciam dabit; illud videlicet, quod hi, qui sanctorum facta et dicta utpote maiora carismata efficaciter aemulantur, arbores bonas cum pleno fructu imitantur; illi vero, qui eadem aliis in posterum imitanda seu veneranda scriptis memoriae tradunt, et non adhuc faciunt quae dicunt, assimilantur arboribus, etsi necdum fructum, tamen folia habentibus, in quibus spes est fruticelli ex benedictione divina quandoque futuri, secundum quod Iohannes dicit: *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Matth. 3, 9. Horum quippe de numero misellus ego, sperans in omnipotentis Dei misericordia, quamvis vilissima esse malo arbuscula, foliis et cortice vestita, id est verborum et activae sollicitudinis ministra, quam ariditatis aeternae cum illis, qui nec dicunt nec faciunt, duplici maledictioni subiacere. Operetur ergo unusquisque quod possit ex eo quod de supernis accepit; sic enim magna magnis, parva parvis convenire probantur. Ego quippe cum humilitate aggrediar laudes mei patroni scriptitare, necnon miracula Christi predicare, quibus beatum Emmerammum testem suum fidelissimum evidenter et gloriose declaravit secum vivere et gaudere in regno caelorum. Ibi quoque constitutus, benigne, ut spero, prospicit in omnes,

a) *Reliqua in 1. manu saec. XV. scripta sunt, folio sequenti cum huius libri fine antiquo exciso*

35) Ioh. 12, 35. 36. 36) Ioh. 15, 16. 37) Exod. 35, 20. 38) cf. Luc. 12, 48. 39) 1. Cor. 1, 31. 40) Ps. 75, 12. 41) Iac. 1, 17. 42) Ps. 33, 6.

qui eum voce et actu pie venerantur; familiarius autem se inclinat, et intendit ad servos suos, qui sibi die noctuque in loco suae requietionis famulantur, et illic Deum ac se cum commilitionibus sacrificio laudis honorare non pigritantur, frequentantes iter quo salutare Dei ostenditur. Hoc siquidem Psalm. 131, 5. itinere idem dulcissimus famulorum suorum patronus quod olim ardentissime quaesivit, habundantissime invenit. Invenit atqui locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ad cuius aedificationem tabernaculi iam aliqui dona quodammodo solemniter offerebant opulenta, qui prediti ingenio, sensu aureo et sermone deargentato, prenominati martiris ac in aeternum nominandi testis vitam et gesta scripserunt, quis geminas eius virtutum pulchra compositione interlucere fecerunt, sicque byssum intexentes, id est puritatem sanctae illius conscientiae exponentes, pervenerunt usque ad purpuram, quae nobilissima tinctione martirii eum provexit ad palmam. Hanc e regione salutantes, devotione pari quidam viri disertissimi tractatus et sermones eidem adscripsere martiri, necnon iterando laudes ipsius coccum bis tinctum obtulerunt mente sagaci, quem ille, dum in hoc seculo laboravit, vigilantissima preceptorum dominicorum executione preparavit, atque in novissimo agone geminae dilectionis exercitiis rubricavit. Quid multa? Divites et potentes beato Emmerammo dederunt dono e copiae cornu pleno aurum, argentum, gemmas preciosas, purpuram et byssum, coccum bis tinctum et cetera ornamenta tabernaculo illius congruentia. Ego autem ultimus dominicae scolae discipulus, et ipsius, Domino volente, in ventre matris servulus factus, paupertatis propriae conscius, patrono non tantum meo, sed etiam omnium eum habere volentium, post antiphonas et responsoria, quae ad laudes illius, non uti volui, sed sicut potui, devotus utcumque composui[43]; et post illum, quem preterito anno de miraculis conscripseram libellum, diversis occupationibus vix hoc fieri sinentibus, pro pilis caprarum hunc sub dialogo nunc offero librum. In quo mihi visum est operae precium, memoriam facere virorum illustrium, Wolfgangi scilicet Ratisbonensis episcopi atque Ramualdi abbatis eximii, qui multigena probitate sedis huius ecclesiam ornaverunt, locum istum bonis accumulaverunt, necnon hic plura rationabiliter atque laudabiliter constituerunt. His quoque una, uti spero, cum sanctissimo martire annitentibus, ac pro fragilitate nostra preces pias fundentibus, quis scit, si benignus propitiari dignetur Dominus, et solita usurus dicat gratia: *O karitatis maximae imitator specialissime, huius caraxatoris tui et tuorum tibi concedo salutem in aeternum, Amen*[a].

INCIPIT LIBER II. DE MEMORIA BEATI EMMERAMMI ET EIUS CULTORUM.

1. Humanis rebus exempto, ut in calce libri 972. prioris descripsimus, Michahele Reginopolitano episcopo, qualiter Dei omnipotentis misericordia super huius ecclesiae clerum et populum vigilaverit, quemve princeps pastorum suis ovibus preesse voluerit, quemque ad pastoralem curam in secreto suo, cui omne cor patet, elegerit, occasionibus huiusmodi patefecit. Erat quidam vir genere ingenuus, virtute strenuus, natione Alamannus, nomine quidem Wolfgangus, cuius ipse interpretationem vocabuli in quodam loco Lupambulus iussit inscribi. Is primum inter canonicos sive clericos laudabilem et castam duxerat vitam, dein artioribus regulis inplicari desiderans, in Suevia apud coenobitas, qui Solitarii vocantur[44], monachum professus est. Quem cum non solum fortiter vitiis resistere, sed etiam virtutibus assuefaceret libere insistere, acrius intendens aciem mentis in speculum geminae dilectionis, videbatur sibi cum simplo et abscondito talento quasi vacuus apparere in conspectu Domini; nisi eo exposito et duplicato aliorum quoque consuleret saluti. Cuius rei gratia monasterium et non[b] monachum deserens, immo secundum apostolum[45] maiora aemulari carismata cupiens, per Alamanniam devenit exul in Noricum. Ad cuius orientalem partem cum humili comitatu pertendens, predicandi gratia Pannoniae petiit confinia. E qua per Piligrinum Pataviensem episcopum evocatus, piae, ut decuit, humanitatis ab eo suscipitur et fovetur officio. Apud quem etiam rogatus et iussus mansit aliquot diebus; hoc inter cetera prudenti secum tractans mente, quare prohibitus sit ab adducenda ad Deum Pannoniorum gente.

2. Quo commorationis tempore idem episcopus optimo usus, utpote qui erat adprime eruditus et genere nobilissimus, iuxta hoc quod apostolus dicit[46]: *Probate spiritus si ex Deo sunt*, clandestina et manifesta divini servitii observatione ac assidua sacrae scripturae indagatione satis probavit, hunc quem susceperat peregrinum non esse gyrovagum, sed stabilem verae fidei domesticum. Unde et quosdam de suis familiariter pro eo alloquitur, dicens: *O quam felix ecclesia, quae Deo volente isto donabitur sacerdote. Ergo necessarium valde videtur mihi et utile, ut huic famulo Dei pelam*

a) *Can. addit hoc loco:* QUATUOR HOS VERSUS ANTISTES DAT HERIBERTUS:

Diversis horis laudandi scripta laboris
Legi, perlegi, crebro perlecta relegi,
Et nihil inveni vitium quod possit haberi.
Hoc tantum dico, tua tuque placetis amico.

et postea: Anno Domini MCCCICV. reverendus in Christo pater dominus Ludovicus venerabilis abbas huius ecclesiae M.... pater pauperum, corona monachorum et venerabilis dominus..... abbas successit. b) *deest* 2.; *ex Othloni vita Wolfkangi supplevi.*

43) V. Acta SS. Sept. VI. p. 512. 44) in monasterio Einsiedeln. 45) 1. Cor. 12, 31. 46) 1. Ioh. 4, 1.

regimen Ratisbonensis episcopii; quia optime convenit, sicubi habundat bona voluntas, ut eam etiam ad bona opera procedere faciat bene collata facultas. Bonum quippe, quod hic vir seminare voluit in paratis[a] *cordibus paganorum ad*[b] *salutis obsequium, quod repulit caecitas illorum, quandoque fortassis hoc, eodem agrum dominicum excolente, dabit fructum suum in populis christianorum.* Ad haec quidam respondentes dixerunt: *Qui fieri potest, ut iste pauper et ignotus ad honorem accedat tanti episcopatus, cum iam aliquae alti sanguinis personae hunc apud imperatorem prediis et pecunia compensantes sibi temptaverint acquirere?* Quibus ille refert verba ponderosa, sed non adeo morosa: *Divina et humana valde inter se probantur distare iudicia. Hinc scrutator cordium et renum ab initio mundi elegit contemptibilia necnon ignobilia, ut confunderet fortia*[47]*; et e contrario mundus quod suum est superbe ad horam extollit, ac in brevi cum confusione distollit. Unde operae precium censeo, quo mittam ad marchicomitem, cuius consilio multa solet facere imperator, ut suggerat ei, ne per ambitionem aut simoniacam heresim quemquam episcopalem sinat accipere dignitatem; sed ob aeternam remunerationem, quem humilem et modestum ac eruditum invenerit necnon officiis ecclesiasticis aptum esse probaverit, hunc, cuiuscumque sit conditionis vel parentelae, promoveri faciat ad culmen ecclesiae.* Quid plura? Per legationem episcopi ac suggestionem consiliarii cesar suae et ecclesiasticae utilitatis admonitus, immo, quod verius est, nutu Dei, cuius in manu cor regis, princeps bonus Otto secundus animo mutatus, omnes, qui pro eodem episcopatu adipiscendo laborabant, avertit, et se totum ad electionem venerandi viri Wolfgangi convertit, sicque legatos post eum celeriter mittit.

3. Qui ut iussi fuerant pergentes, invenerunt eum adhuc cum prenominato episcopo commorantem, sed iam ad patriam repedare cogitantem. Ignarus enim erat legationis et ceterarum rerum pro se gestarum, et idcirco animum intendebat aliorsum. Cumque legati, quare venerint, ei indicarent, primum recurrit ad secretarium cordis, se suaque Deo commendans in intimis; dein episcopo, cuius karitate ibi detentus erat, causam suam exponens, id quo gravabatur temperamento levigabat simplicitatis columbinae ac prudentiae serpentinae, atque in hunc modum proloquitur, dicens: *Hoc novum quod mihi per nuncios principis venit, karitas tua effecit, cui premium bonae voluntatis absque dubio erit; sed meae parvitati timorem incutit, quia nescio, si voluntas Dei sit, et quia mundus sub specie religionis multos ad vitia trahit.* Cui respondens episcopus dixit: *Quod dicis te timere hoc mentis est providae. Sed hanc in bonam spem erigit psalmista, qui dicit*[48]*: „Initium sapientiae timor Domini", et iterum: „Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi"; quem et apostolus commendans ait*[49]*: „Noli altum sapere, sed time." Idem alibi de episcopatus desiderio ait*[50]*: „Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat." Unde et tu, si cum tua salute aliis appetis prodesse bonumque opus in omni loco desideras adesse,* 972. *sub timore et humilitate ad episcopalem ordinem vocatus, ne abnuas accedere; alioquin incidere videris in illud quod David dicit: „Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo."* Psalm. 108,18. *Quod cavens omnimodis, conare connumerari cum illis, de quibus scriptum est: „Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates."* Dan. 12 3. *Huius atqui executione officii pervenies ad hoc, ut in retributione iustorum tibi dicat dominator omnium: „Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui."* Matth. 25, 23. Talia quoque pontifice proloquente, vir venerandus per mentis speculationem dispensationis divinae intuens moderamen, subsequitur dicens: *Ecce servus Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1, 38. Tunc arrepto itinere cum his qui missi erant a principe, tetendit in partes occidentales Baioariae. Cumque perventum esset ad Reginam civitatem, clerus et populus, secundum morem ecclesiasticum unanimiter episcopali facta electione, ad imperatorem eum miserunt cum universali legatione. Qua clementer suscepta, et beato viro ab episcopis probato, ac sermone in presentia eorum ab ipso sapienter prolato, imperialis eum assumens potentia per pediam[51] pastoralem honorem ei dedit pontificalem; statimque, ut curam sui et gregem dominicum illi commisit, non cum parvo comitatu ad Ratisbonam eum remisit.

4. Ubi cum multorum fideli et favorabili susciperetur occursu, primum beato Emmerammo se humiliter presentavit, deinde per singula Ratisbonae monasteria sanctorum petiit suffragia, novissime vero solemni facta preparatione seu processione, ad sancti Petri ecclesiam accessit. In quam cum canticis laeticiae et exultationis voce introductus, atque more pontificum secus altare intronizatus, a clero et a populo summo pastori commendatur, necnon a Friderico archiepiscopo et illius suffraganeis post aliquot dies in sacerdotem apostolicum ibidem consecratur. Quam ille consecrationem nolens vacuo secum portare vocabulo, die noctuque pontificali studiosissime excoluit officio, ut gratiam sancti Spiritus habundantius sub hoc ordine posset habere in cordis hospitio. Cuius inspiratione suaviter tactus, et ad omnia cautus ac providus factus, ob episcopale fastigium nequaquam voluit mutare monasticum habitum, quasi erubesceret monachus esse, qui fuerat; sed quam intus habuit humilitatem mentis, foris ostendit bonis exemplis et mediocribus vestimentis. Memor etiam Salomonicae admonitionis, quae dicit: *Constituerunt te principem; noli extolli, esto in illis quasi unus ex illis,* Eccli. 32, 1. non dominari quaerebat in clero, sed gregi dominico forma esse studuit mane et sero; prudenter advertens, immo prudentius a se avertens, illud eloquium, quod per Ezechielem prophetam invehitur contra malos pastores, Domino dicente: *Vae pastoribus, qui pascebant semet ipsos, et non greges meos.* Ezech. 34, 2.

5. Unde ipse totus in divina lege devotus

a) duratis *Othl.* b) et *Othl.*

47) cf. 1. Cor. 1, 28. 48) Ps. 110, 10. 18, 10. 49) Rom. 11, 20. 50) I. Tim. 3, 1. 51) i. e. pedum.

inter cetera pastoralis curae ministeria sermone, quem ad populum inter missarum solemnia fecit ex more, in tantum ecclesias plebem assuefecit frequentare, ut per dies solemnes vix domi remanere viderentur rei familiaris custodes. Ad predulcem enim tanti pontificis exhortationem certatim sexus utriusque turba confluxit, quam illuc fragrantia caelestium aromatum, ipso ea qui dedit ventilante, adduxit; apium videlicet instar, quas post se trahere videtur mellis odor et nectar. Quibus pater pius summopere desiderans esse utilis et aptus, in disputando de regno Dei et calcandis vanitatibus huius mundi, perplexis et sophisticis minime utebatur sententiis, sed sic melliti oris dulcedinem per quandam, quam verbis explicare non potero, temperabat austeritatem, ut simplici et optimo genere locutionis tangere videretur intima cuiusque cogitationis, talique arte nonnullorum ex oculis lacrimas eliceret indices cordis. Hanc siquidem tam validam a Spiritu sancto acceperat gratiam, quo hi, qui predicanti assisterent et eum intente audirent, raro aut numquam abscederent ab eius predicatione sine lacrimarum effusione. Quo pergrandi bono, a largitore omnium bonorum hominibus concesso, per malitiam suam sauciatus humanae salutis inimicus, et ei obviam ire conatus, invidiam, quam semper habebat, quibus poterat viribus exercebat.

6. Nam die quadam, cum predictus beatae memoriae Wolfgangus episcopus solito more ad populum ex pulpito vel ambone concionaretur, diabolus aliud non inveniens, Domino prohibente quo adversaretur, subito concitavit turbinem, et cum turbine tumultuosam turbationem, ac nihilominus cum turbatione confusum murmur et clamorem, necnon super tectum ecclesiae fragorem dedit ingentem, et intra ecclesiae receptacula pulverem dispergens ac nebulam, aliquorum obtutibus caliginem obfudit tenebrosam. Quibus ex improviso visis et auditis, populus perterritus, immo, quod peius erat, pene mente alienatus, coepit concurrere et discurrere, incertus, confusis omnibus et turbatis, in quam partem se tutius ac rectius posset convertere. Interim audiebantur voces hinc dicentium: *In urbe grande saevit incendium*, inde clamitantium: *Ecce seditione facta multorum gladiis disciduntur iugula.* Cumque pro clamoribus huiuscemodi sedandis multum, sed incassum, laboratum esset a sensatis, tandem qui erant inimici machinationibus ludificati, tam vehementi excursu per turmas eruperunt de ecclesia, ut ex tanta multitudine vix pauci remansisse viderentur in illa. Tunc episcopus, quem tantae commotio tempestatis iuxta consuetudinem humanae fragilitatis loco etiam propellere posset, si Christi servus non esset, quia domum in firma solidatam habuit petra, gradum non movit, sed stabilis et inmobilis permanens, magna fide clamavit et dixit: *Domine Iesu Christe, solitam fidelibus tuis accommodans gratiam, concede, ut hodie videant gloriam nominis tui et confusionem diaboli.* Quae verba secuta est serenitas aeris, et serenitatem recursus in ecclesiam plebis. Cui venerabilis antistes mox aromata et unguenta sacrae doctrinae effundens, adeo illa die, sibi de caelis Deo dulcedinem sermonis instillante, profuit, ut manifeste inimicum vicerit vel fugaverit, qui perturbationis nimietate pene omnibus obfuit. Unde et postea fidelium devotio hanc consuetudinem coepit pro lege habere, quo per stationes episcopum turmatim prevenirent et sequerentur, ac predicationis erogationem summa affectione, utpote apostoli bonum, amplecterentur odorem. Per quem idem venerandus pater ad pietatis exercitia oves dominicas de die in diem magis magisque adtrahere studebat, more scilicet animalis, quod panther dicitur, qui, ut physiologi perhibent, omnibus animalibus amicus, exceptis dracone et serpentibus, cuncta animantia, quae in vicinitate sui sunt, emisso bono odore ad se solet adducere atque miro modo amorem suum illis ingerere.

INCIPIT DIALOGUS.

7. Dum haec scribo et animum ad alia scribenda sollicitus preparo, adest mihi frater Ammonitius, comes rerum mearum fidelissimus, qui me convenit officiose sic proloquens: *Ubi est dialogus, quem devovisti te scripturum in nomine Domini de miraculis beati Emmerammi et de regimine illius monasterii? Es quippe debitor sponsionis aut fortis excusationis.* Tum ego: *Minime diffiteor quin debitor sim. Sed propterea distuli, quia non certus eram, sub cuius persona potissimum conficere possem dialogum, cum perplures de laudibus nostri patroni et de aliis utilitatibus mecum saepe disputaverint, et se parvitati meae necessitudinis vinculo iunxerint.* Respondit qui supra: *Sit tibi secundum Salomonem*[51] *consiliarius unus ex mille, et de hac re securum te faciet. Nam si vis, personam Ammonitii convenienter poteris habere, pro quolibet fratre te ad bonum commonente vel exhortante. Nec est quisquam amicorum, qui se dicat contemptum, alterumque in hoc sibi indignetur esse prelatum. Proinde absque comperendinatione assume dialogum, et sicut proposuisti, laudibus martiris intexe memoriam confessorum Christi, necnon huic admisce, quicquid animus recte seu oportune tibi dictaverit, aut ratio ad scribendum persuaserit.* — *Paratus sum*, inquam, *facere quod hortaris, sed hoc prius a lectore humiliter postulandum censeo, ne in opusculis meis quaerat artificiosam verborum compositionem, sed simplicem attendat, si velit, humilis stili operationem, qua mihi meisque sudare malui confratribus, quam absque manuum opere inveniri otiosus.* Hac fiducia et hac intentione procedit opus inchoatum.

8. Igitur beatae memoriae Wolfgangus Ratisbonensis episcopus, perspectis et intellectis rebus episcopii dispensatione divina sibi commissi, inter cetera, quae ei pastoralis curae sollicitudo procuranda sive corrigenda iniunxerat, gravius tulit, monachos beatissimi martiris Emmerammi eatenus abbate caruisse, et quasi oves errantes sine pastore fuisse. Huius rei gratia misit ad Treverense monasterium, in quo beatus Maximinus corpore quiescit, et inde reverendum senem Ramuoldum evocavit, qui quondam sub Heinrico

55) Eccli. 6, 6.

archiepiscopo eius concapellanus[a] fuit. — *Quare,* inquit Ammonitius, *tanto tempore sine abbate fuerant, si monachi erant? si vero monachi, sub cuius regula degebant? Haec quoque enucleari ipsa ratio poscit.* — Hoc est, inquam, quod brevi revelatione cognoscere potes. Fuit quippe prisca consuetudo in Ratisbonensi ecclesia, ut qui antistites iidem essent et abbates. Quorum nomina quidem[a*] ob temporalia commoda tenebant, non officia. Timebant enim, ne, si monasterio abbatem preesse facerent, quia a patre monasterii omnia speranda sunt, sibi coactum minueretur obsequium. Ob hoc atqui licentiam dabant monachis, aliunde acquirere pro victu et vestitu quaecumque possent, quia ipsi bonis, quae ad annonam eorum pertinebant, ad suum abutebantur servitium.

9. His dictis, frater cum quo dialogum coepi conserere, usus nomine suo, ammonuit me in aurem dicens: *Loquere caute et scribito cautius. Nam si episcopi haec audierint dicta vel viderint scripta, fortassis dicent, velle te eos rapinarum et iniusticiae notare, sicque libertatem tuam superbiae deputabunt; quasi tu temere eos carpere temptaveris, pro quorum defensione scriptura clamat, immo Dominus per scripturam precipit, dicens[52]: „Nolite tangere christos meos", et iterum[53]: „Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei."* — Cui respondi lingua et stilo: Si episcopi sunt quod dicuntur, non nobis obsunt, sed valde prosunt; quod et efficere dignetur princeps pastorum, in quo plenitudo est omnium bonorum. Tibi vero quia sic placet, immo quia iustum est, habeamus pacem cum eis, et simus subditi illis. Illud autem scire te volo, quia non me poenitet vera dixisse, quandoquidem boni non solum bonis, sed etiam malis utuntur ad bonum. Sed iam tempus exigit et desiderium tuum, ut revertar ad narrationis meae reliquias. Est quoque alia causa, per quam non sunt constituti abbates in prenominato monasterio. Ex eo quippe tempore, quo primum a beato Bonifacio, apostolicae sedis vicario, iuxta decreta canonum in Baioaria ordinabantur episcopi, vicissim sibi succedebant in huius episcopatu monachi atque canonici, ita ut, si antecessor esset canonicus, fieret successor monachus, et iterum huic antecessori succederet canonicus. Haec consuetudo usque ad nostra permansit tempora. [Episcopalis[b] vero sedes erat apud Sanctum Emmerammum usque ad tempora Caroli principis, qui hanc restituit in civitatem ubi prius erat.] Quod autem percontatus es, sub cuius regula degerent, paucis absolvam. In primis ergo promissionem faciebant secundum regulam sancti Benedicti, coram episcopo abbatis vices agente. Dein licentiam dedit eis episcopus dandi et accipiendi propter inopiam loci. Lineis camisiis utebantur seniores, qui eas habere potuerunt, ceteri laneis induebantur, ob penuriam scilicet cilicinarum vestium. Prepositus et decanus monasterium regebant post episcopum. Qui maioris erant aetatis, habebant cellas seu caminatas, iunioribus inter se divisis propter custodiam. Communiter pauperem annonam habebant, volatilia manducabant. Cetera faciebant secundum consuetudines, quae in monasteriis regalibus ad id temporis fuerant.

10. Quae cum displicuissent prenominato viro, reverendo scilicet episcopo Wolfgango, uti prediximus, Ramuoldum annis et moribus maturum assumpsit in opus ministerii divini, et constituit eum primum prepositum, dein abbatem monasterii. Quod aegre ferentes aliqui ex consacerdotibus et consiliariis antistitis, dicebant: *Ut quid tibi et sacerdotibus[c] tuis perdis bona ad sanctum Emmerammum pertinentia? Laudant te multi, sed in hoc non laudant, immo vituperant. Utere ergo pontificis ac abbatis officio, sicut antecessores tui facere consueverant usque modo, ne carerent quarundam rerum emolumento. Huiusmodi quoque[d] insipientia est sapientiae sale condienda.* Quibus ille prudenter respondit, dicens: *Non erubesco insipiens et stultus dici propter Deum. Hoc autem scire vos volo, quia numquam mihi inponam onus, quod portare non valeo, episcopi nomen et abbatis mihi vendicando. Nam, ut beatus Gregorius testatur, valde incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine, sicut oportet, quis non possit explere, ad utrumque iudicetur idoneus. Sufficit enim episcopo, ut summa vigilantia insistat pastorali officio, et abbati satis laboriosum, quamvis multum fructuosum, providere fratrum saluti, et per omnia bene procurare res monasterii sui. Unde et ipse etiam distribuere debet inter fratres officia, in quibus non leviter leviget onera sua; rememorando scilicet viri prudentis, quem prenominarimus, dicta et scripta, in quibus continetur[54]: „Sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa." Ceterum, ut prosequar quae proposuistis, beati Emmerammi bona, quae me pessundare conquesti estis, perdere nolo, sed illi cui tradita sunt ac servorum Dei usibus et nostrae sedi omnimodis conservare volo. Sed longe aliter sese res habent huiuscemodi quam cogitatis. Vix etiam poenas evadere poterimus, qui sanctorum bona famulatui nostro deputavimus, non solum quantitate maiora, sed etiam qualitate meliora, et illis iusticia coacti seu superati reliquimus minora, qui viciniores eo, quo frequentiores die noctuque familiarius adhererent Christo, laudantes eum in sanctis eius electis.* Ad haec respondebant, qui quaestionem movebant: *Misericordiam et iudicium Domino cantasti, humanis divina, ut iustum est, pretulisti, vetera utiliter inmutasti. Quid restat nostra parte, nisi ut pariter dicamus: „Deo gratias. Amen feliciter?"*

11. *Finem sententiae huius,* inquit Ammonicius, *ut mihi videtur, satis congrue conclusisti. Sed fortassis aliquibus hoc displicet, quod tam morose et quasi dormitando scribis ac dictitas. Ergo iube*

a) *ita ex Othl. correxi;* capellanus 2. a*) quidam 2. b) *Haec eodem modo quo verba l. c. 5. n. b. interpolatori deberi putarim.* c) successoribus *Othl.* d) quippe *Othl.*

52) 1. Paral. 16, 22. 53) Zach. 2, 8. 54) Greg. Regist. III, 11.

stilum velociter currere. — Aio ad eum: Infirmitate interdum et occupationum varietate prepedior, ne cito quae scribenda sunt proferam. Sed quia tibi hoc comate satisfactum esse non ignoro, dilectionem tui et ceterorum, quibus inpatientia longum tempore facit haud ordine, si quid aliquandiu protelctur, quod videre desiderant et audire: primum dictis beati Hieronimi commonefacere volo, dein subiungam, qualem quibo invenire sententiolam. Hic enim vere spermologus nominandus, in quadam epistola, quam ad beatum Augustinum scribit, solida usus brevitate dicit[55]: *Saepe quod preceps est, in casum vertitur.* Cuius versiculi brevitatem convertens ad meam utilitatem, paulatim incedendo vel scribendo, cavere desidero laqueos hereseon, in quos multi cautela neglecta et sensuum suorum confidentia precipites inciderunt. Illud autem quod dixisti me quasi dormitando dictitare, commonefacit me, ne sim Dormitantius, sed ut studio liberali efficiar Vigilantius. Quod utinam sequi velim et valeam, ut lucrifaciam animam meam. — Ad haec dialogi socius infert: *Ammonitiunculam meam ne putes iniuriam. Edissere potius egregia, quae coepisti narrare, confessorum Christi preconia.* Quamvis, inquam, inportunus exactor mihi insistas, adeo ut etiam gravare me videaris, tibi tamen karitate iubente, prout potero, satisfacere temptabo.

12. Venerabilis igitur antistes Wolfgangus, vir inter episcopos magnae auctoritatis, inter canonicos regularis, inter monachos pietate singu-
1. Cor. laris, humilitate sublimis, karitate communis, se-
9, 22. cundum apostolum, omnibus omnia factus, precipue elemosinarum largitione pollebat. Quarum laudabilium ministerio seu ceterarum virtutum offertorio quia placuit Deo, multis, dum adhuc esset in presenti seculo, patuit indiciis. Horum unum didici narrante quodam sene fideli, cuius narratio talis fuit: *Militem sub me habui, qui quadam die cum aliis affuit in*[a] *basilica*[a] *sancti*[a] *Pauli*[a], *ubi beatus presul Wolfgangus missas celebravit. Cumque eum humili veste primum, utpote monachum, aspiceret indutum, atque dein sacerdotalibus vestimentis videret infulatum, plebeia stoliditate despexit; et cordis ore murmurans dixit: „Valde insipiens fuit imperator illo tempore, quo pannosum istum ac despicabilem in pontificali promotione pretulit potentibus personis, quae habundant in regionibus suae ditionis.“ Quam murmurationem, qui novit cogitationes hominum, eodem momento et clementer increpavit et evidenter ad emendationem huius vitii manifestavit. Nam ut in euangelio ad cogitata respondit, ita huius hominis cogitatam murmurationem ad tempus non*[b] *abscondit, quo et ille in presentiarum corrigeretur ac murmurationis malum ab aliis in futurum devitaretur. Nimio quippe terrore subito correptus, astantium sustentatione vix residere potuit. Quem cum viderem tremebundum et pallidum, ilico accurrens sciscitatus sum, quid haberet vel quid pateretur. Tum ille sacerdotibus adhibitis confessus est, quia contra virum Dei male cogitaverit, et ob hoc periculoso timore perculsus sit. Quanta vero formido illum seu passio arripuerit, satis probari, eundem penes me domi retinens aliquot diebus. Cuius curam cum egissem, et multipliciter salutem eius quaeritassem, consilio presbyterorum, qui pro eo laborabant nec orationibus ei sanitatem restituere poterant, reduxi eum in civitatem Hiatospolitanam, ubi contigit illi hoc malum bonum. Ibi quoque ad pedes episcopi me humilians, cum vellem hominis aerumnam et meam exponere, vir Dei, necdum sibi causam, pro qua veni, aliquo hominum annunciante, anticipavit quod dicere volui, dicens: „Surge, tace, scio quid velis.“ Et conversus ad vicedomnum ait: „Frater Tagini, tolle aquam sacratam iuxta lectulum meum, ac sparge super hominem pre foribus cubiculi stantem.“ Ipse autem contra ostium manu crucem pingens, nescio quid murmurabat; et sanatus est homo in illa hora.*

13. *Vere,* ait Ammonicius, *malum conversum est in bonum. Nam non solum increpatione militis vindicata est iniuria pontificis, sed insuper etiam eiusdem sanitate mirifica necnon spiritus revelatione magnifica, declaratum est multis meritum tanti sacerdotis. Quem valde miror prenominatum vicedomnum adeo dilexisse, cum fuerit, ut audivi, iracundus, ac supra modum severus, et ob id pene omnibus qui in episcopio erant exosus. Episcopus autem erat mansuetus et pius.* — Certe, inquam, nec ipse erat sine severitate; alioquin minus observaret, quod apostolus dicit[56]: *Argue, obsecra, increpa.* Virum autem quem dicis ob severitatem pluribus exosum, accepi strenuum fuisse ac ingeniosum. Qui propterea venerando antistiti extitit carus, quia valde necessarius, et quia illum, si in aliquo reprehensibilis erat, per inmutationem dexterae excelsi meliorandum, spiritu revelante, agnoverat. Is namque post obitum beati presulis Wolfgangi, cui fideliter adhesit, Heinrico imperatori inter fidelissimos ministravit. Quo iubente, apud Parthenopolim archiepiscopus factus, cum plurigena polleret probitate, magis claruit pia elemosinarum dapsilitate, necnon humili corporis castitate, et nihilominus laudabili vestitus mediocritate. Non enim verrebat terram, sicuti multi facere solent, tunicis et pelliciis magno pretio acquisitis, sed, quod usu mundano rarum est, forti tenore mentis, contentus ovium vestimentis, cotidie missas celebrare curavit, atque integrum psalmodiae censum devotissime persolvere non cessavit. Cuius corpus, anno videlicet septimo post resolutionem ipsius[57], integrum est inventum; gloria resurrectionis adeo in eo resplendente, ut astantes et intuentes valde mirarentur eius nitorem atque incorruptionem; cum successoris illius[58] vestimentis etiam consumptis ossa tantummodo nuda remansisse viderentur. Vere memor Dominus dictorum suorum, quibus fideles suos consolatur dicens[59]: *Et capillus de capite vestro non peribit.* Ecce qui omnia benefecit, ad corroborandam fidem in se credentium, in quibusdam servis suis nunc ex parte ostendit, quod in generali resurrectione in omnibus pleniter perficiendum erit; tunc procul

a) *Haec verba in m. s. alia litera ascripta sunt.* CAN. *iam Othlonus ea legit.* b) *supplevi ex Othlono.*

55) Hieron. epistola 89. 56) 2. Tim. 4, 2. 57) obiit a. 1012. 58) Waltherdi. 59) Luc. 21, 18.

dubio, quando electus quilibet surrexerit, occurrens in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi [60]. — *Fateor*, ait socius dialogi, *qui mihi displicuit, placet; et quia, ubi veritas talia ostendit, nemo qui sanum sapit per incredulitatem offendit. Sed iam tempus est, ut revertaris, unde digressus es; et, ni fallor, narrationis ordo postulat, ut plenius enarres in sequentibus vitam abbatis venerandi, quam in precedentibus parum teligisti.* — Me ad obediendum, inquam, habes paratum, sed summopere inplorandum est eius auxilium, qui in euangelio dicit[61]: *Sine me nihil potestis facere.* Illius ergo gratia nos preveniente atque comitante, bene procedit nostra oratio pariter et operatio, quae meapte quantulacumque est in nomine Domini cupit prosperari.

14. Igitur venerabilis pater Ramuoldus, commisso sibi regimine monasterii, quis ante hoc fuerit, satis in huius administratione declaravit. Nam palaestra primum spiritali semet ipsum exercens, ac deinde subditos virtutibus insudare assuefaciens, omnimodis conabatur facere et docere, quae noverat esse iusta, sancta, pia et honesta. Unde et multi etiam nobiles, piis eius actibus provocati, seculum reliquerunt, atque illius magisterio humiliter se subdiderunt. Inter quos et cum quibus quae gravitas illi, quae continentia, quae puritas, quae largitas in elemosinis, quae custodia humilitatis, qui sumptus ingenii fuerint, non est meae possibilitatis per totum enarrare et uti dignum est predicare. Censerem quippe eruditissimis et disertissimis viris relinquendam totam molem ac dignitatem materiae, nisi scirem pauperis devotionem Deo non esse despicabilem sed secundum magnam suam misericordiam acceptabilem; qua spe animus erigitur; et quamvis tenuis ac rusticus, confidenter tamen currit stilus meus et calamus, gesta sanctorum scriptitans; quia regnum Dei non est in sermone, nec in eloquentiae nitore, sed in opere et veritate [62]. Preclaras et magnificas virtutes idem vir Dei, ut coepi dicere, laudabiliter possedit et viriliter excoluit. Tenorem atqui matris virtutum, id est discretionis, tam ingenue suis omnibus prefixit, ut haec illi de supernis quasi singulariter concessa videretur. Hac etenim virtute suffultus, principalibus quatuor sic usus est, ut per prudentiam, ignavia hebetudinis abiecta, nequaquam ei e regione subreperet versutia. Iusticiam quoque, iuxta quod possibile est mortalibus, per omnia sic retinuit, ut nec in plus iusto modum excederet, neque in minus iusto diu succumberet. Per temperantiam vero sic ligavit passibilitatem, ut nullatenus desiperet per insensibilitatem. Fortitudinis autem armis ita fruebatur, quo per eam hoste superato et timiditate fugata, nusquam prorumperet protervitatis audacia. His et talibus pater venerandus in viam iusticiae directus, et in semitam mandatorum Dei, quam ipse voluit, deductus, dona sancti Spiritus vasis virtutum septempliciter infusa et distributa totis viribus venerabatur; necnon etiam sollicitus, tam pro se, quam pro aliis prudenter observabat in omnibus, secundum Gregorianam sententiam, ne sapientia elevaret; ne intellectus, dum subtiliter curreret, aberraret; ne consilium, dum se multiplicaret, confunderet; ne fortitudo, dum fiduciam preberet, precipitaret; ne scientia, dum nosset ac non diligeret, inflaret; ne pietas, dum extra rectitudinem se inclinaret, intorqueret; ne timor, dum plus iusto trepidaret, in desperationis foveam mergeret. Haec strictim, o Ammonici, veluti maiora carismata proposui, quibus erat preditus vir Dei. Nunc assumam alia, et paulo latius edisseram quaedam minora, minoribus ad imitandum satis magna, quorum ille provectu exercitatus, cum esset statura pusillus, sed scientia et pietate magnus, per ascensum arboris virtutum cotidie meruit videre Iesum. De quo cum psalmista dicere potuit: *Oculi mei semper ad* Psalm. 24, 15 *Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

15. Ad haec infert Ammonicius: *Valde me delectant orsa, quae de homine Dei lepide sunt prolata. Ecce audio Zachaeum et non publicanum, quamvis et Iesus cum publicanis et peccatoribus manducaverit; audio spiritalem patrem, audio virum magnorum operum, quae licet pauci sint qui perfecte imitentur, tamen sunt perplures, qui Dominum eius in sanctis venerentur. Ergo velox esto in dictando et scribendo, et imitare psalmographum dicentem: „Lingua mea calamus scribae velociter* Psalm. 44, 2. *scribentis.“ Desidero enim gesta illius audire, quem in corpore positum non merui videre.*

16. Esto patiens, inquam, et discretus; desiderio quidem tuo satisfacere conabor. Vere, ut ex parte premisi, membrum Christi fuit venerabillimus abbas Ramuoldus, cuius membra inhabitator cordis illius, Spiritus scilicet almus, in ipsa decrepita aetate adeo reddidit iocunda et decora, necnon quadam veneratione digna, ut pene contra naturam in agilitate et puritate septennis pueri gratiam prestare viderentur. Quod inusitatum si aliquando aliqua occasione contigerit in ullo mortalium, non est fidelibus nisi in sanctis et electis notandum. Transfigurat enim se Satanas in angelum lucis, quem 2. Cor. 11, 14. perfecti vix devitare poterunt vel superare. Contra quem Dei vir militiam strenue agens christianam, inter cetera bonae consuetudinis officia, post frequens et utile silentium, blandum habebat eloquium. Quo in divinis rebus erat ei sermo copiosus, in humanis quidem brevis non otiosus. Habitus quoque illius mediocris fuit et absque simulatione monasticus; victus vero tantillus, ut non superhabundaret, sed refectioni sufficere posset. In hoc saepe extitit sibimet ipsi parcus, ceteris autem dapsilis et largus. Post cibum sustentaculo corporis necessarium, quando verba solent habundare, pro mille passuum deambulatione, exercebatur in psalmodia seu lectione. Maximam autem curam habuit circa pauperes Christi. Unde et in refectione cotidiana pauperum quinquaginta, exceptis duodecim et tribus quibus fratres ministrabant, quinquagenariam excolens misericordiam, remissionem eodem numero consecratam promereri satagebat apud ipsum misericordiae fontem, qui dicit in euangelio: *Beati misericordes, quoniam ipsi mi-* Matth. 5, 7. *sericordiam consequentur.* Iste homo cupiens nimis Luc. opere implere, quod scriptum est: *Date elemosi-* 11, 41.

60) cf. Ephes. 4, 13. 61) Ioh. 15, 5. 62) cf. I. Cor. 4, 20.

63 *nam, et omnia munda sunt vobis.* Quae sibi, utpote seni et infirmo, ad refocillandum corpusculum parum delicatius preparari iusserat, frequenter in usus pauperum converterat. Interdum et ipse aliquantulum ex eis ob humilitatem simul et necessitatem degustans, cetera divisit inter pauperes et infirmos, qui debilitate et nimia aegrotatione prepediti, ad ecclesiam occurrere non poterant, ubi elemosinam accipere debuerant. Hoc opus sibi percarum iniunxerat cuidam familiari et fideli, cui speciale ob id prestitit beneficium, ut per totam civitatem circumcursans diligenter investigaret eos, in quibus Christus vestiretur et pasceretur. Mensa illius secundum regulam Benedicti semper erat cum hospitibus et peregrinis. O virum laudabilem, qui totus in misericordiae viscera effusus, Christum in minimis suis colligere, pascere et vestire curavit! Nec ab his operibus um-
64 quam pertaesus cessavit. Vestimenta quoque et alimenta manibus aliorum, quibus hanc operam commisit, aliquoties pauperibus dari permisit; ipse vero marsupium secum portans, unde propriis manibus nummos et obulos egenis et peregrinis tempore oportuno erogaret, sacellarius eorum appellari et esse non erubuit; certus quod et Christus
65 secundum promissionem suam eum non erubescat coram angelis Dei. Res ergo, quîs ad portam monasterii adventantibus debuerat ministrari, ante se minoratas atque subtractas, suis temporibus ita melioravit et ampliavit, ut ad exhibenda humanitatis officia usque in hodiernum diem ibi satis sit compendiosum ex una parte xenodochium, ex altera parte miserorum venerabile nosocomium. Unde et ob frequentiam pauperum, consolationem ab eo cotidie accipientium, vocitatus est pater peregrinorum, viduarum et orphanorum. Pro quorum benigna susceptione necnon multiplici relevatione, quis est qui dubitet, hunc senem venerandum cum ovibus a dextris collocandum. Quibus rex sedens . . . .

18. Horum siquidem affectionibus valde necessariis ardenter inhians suis temporibus venerabillimus abbas Ramuoldus, cum ex dóno sancti Spiritus non solum in rebus interioribus patrem se spiritalem exhiberet Christi cultoribus, verum etiam in exterioribus dispensator existeret prudentissimus, utpote qui per ornatum ecclesiae necnon monasterii necessariam supellectilem ac multiplicem variarum rerum administrationem seniles annos quodammodo iuvenescere fecerit, et de thesauro sapientiae nova cum veteribus protulerit; iuxta hoc, quod tota presens vita temptationibus est plena, saepe temptatus, et per plura probatus; demum tam gravem sub vitio pituitae vel[a] scotomiae[a] incidit temptationem, quo, ceteris membris officia sua sat vivide gerentibus, oculorum suorum penitus amiserit lumen. Cuius ad tempus tristem defectum ac afflictionis asperitate confectum quam patienter vir Dei sustinuerit, quibusdam personis in sui presentia super hac re quaerentibus etiam et lacrimantibus, verbis huiusmodi patefecit: *Cesset homo deflere pro defectivi luminis amissione, qui semper manentis certitudinem habet in spe, ex veridica Salvatoris promissione*[63]. *Caeci non sumus, qui oculos per fidem iam illuminatos habemus. Caecus autem est et in tenebris manet, qui fidem quae illuminat minime habet. Unde et ambulantibus in fide valde indignum videtur, usum presentis luminis magni pendere; quod eis cum muscis ac vilissimis animantibus, etiam serpentibus existit commune. Ergo libet totis viribus intendere in eum, qui dicit*[63]: *„Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae“. Cui si placuerit, lumen corporis, quod dedit et abstulit, facile reddet ac presentabit; quod si facere noluerit, absque murmure benedicendus erit, et ut rex iusticiae semper timendus, atque ut pater misericordiarum ac totius consolationis tota mente et tota virtute diligendus.* His dictis et auditis, non illo, quo paulo ante, sed alio genere coeperunt manare lacrimae, tanto uberiores, quanto utiliores. Recordabantur enim tam ex Pauli sententia[64], quam ex probalili viri Dei patientia, in infirmitate virtutem certissime perfici. Quod et postea in venerabili sene virtus divina clementer simul et potenter dignata est declarare. Nam cum ferme biennium in percussione caecitatis caecus videns explevisset, quadam nocte discurrens inter altaria, ut ante solebat frequens venipeta[65], labori sacro vigilanter insistebat, nec aetati decrepitae prius parcere volebat, quam per spiritum gratiam Dei adesse cognoscebat. Tum ante sanctam crucem prostratus, necnon lacrimis et oratione satis humiliatus, corporis fatigatione quasi requiem poscente, immo Domino, qui non dormit neque dormitat, opus suum clarificare volente, soporatus est subito, corpore, non mente. Et ecce imago crucifixi domini nostri Iesu Christi visa est illi descendere de cruce, et venire usque ad se; quae stans coram eo, utraque manu, sicut visum est ei, candelas ardentes de candelabro super gradus cominus posito tulit, et in oculos senis violenter inflixit. Qui primum ob dominicae descensum iconiae non parvum sustinens pondus agoniae, dein per ignem advertens preclarum quiddam designari, atque per lumen sentiens tenebras fugari, surrexit lacrimis ac sudore perfusus, et e vestigio convertens oculos in pristinos usus, coepit secum mirari, simul et altius cum interiori homine scrutari, quid sibi vellet, quod post tanti temporis [spacium[b]] luminum a multis desperatum receperat visum. Cumque in brevi super huiuscemodi re ratio satisfaceret homini, et homo rationi, tunc oris officio coniubilante cum cordis hospicio, magnifice gratias egit Deo, qui servum suum ita dignatus est visitare, ut et in castigatione corporali sibi esset correctio, et oculorum eius revelatione ad sancta vel honesta multorum provocaretur affectio. Cuius rei gratia, quo tenacius bonorum haberetur in memoria, homo Dei iussit, inter cetera miraculorum signa sive indicia, oculares circulos suspendi in ecclesia, quae beati Emmerammi martiris corpore sacro dotata et meritis, necnon aliorum patrociniis predita sanctorum, caelesti specula mortalibus demissa, beneficia solet ministrare quam plurima. Ob quorum salutarem collationem ac frequentem de hac

a) *secunda manu c.* b) *supplevi vocabulum.* 63) Ioh. 8, 12. 64) 2. Cor. 12, 9. 65) *i. e.* supplex, veniam petens.

venientis famae volitationem, hic locus gaudet adventantium se receptare multitudinem. E quibus alii, qui languorum varietate gravantur, per viscera misericordiae Dei nostri relevati, alii pro aliis necessitatibus dum exaudiuntur eadem misericordia consolati, voce et corde pro communi omnium commoditate gratias clamant salutis auctori. Unde et nos, qui haec scribimus et legimus atque inter nos de talibus ratiocinando sermonem saepe conferimus, non solum super his quae hic pre oculis et manibus habentur, verum etiam super universis donis ac beneficiis illius, pari voto laudem demus Deo! . . . . .

19. Ammonicius: . . . . *Nunc ergo competens est, quatinus, his remotis, qui nobis ob induratam sui stoliditatem esse solent labori potius quam usui, stilum ad eos convertas, qui tota virtute conabantur vias bonas ambulare, et Creatorem in omnibus operibus suis optime noverint laudare. Quorum gesta, quibus iter seculi presentis triverint, quia te dictante iam sunt ex parte commendata memoriae, postulat caritas necnon laboris tui utilitas, quo deinceps haud pigriteris cudendo percurrere, ubi, quando, vel quomodo de hac vita migraverint, et in quibus locis corpora illorum collocata sint, quaeve indicia sanctitatis eorum post mortem claruerint.*

Collectitius: Quod de sanctis viris necnon eorum virtutibus miris hactenus scripsi et adhuc scripturus sum, non parvum parvitati meae incutit timorem; quia ego cognosco me peccatorem, et quia valde indignum videtur, ut peccator aut iniustus, rem scribendo sancti et iusti, materiam sibi vendicet operis ardui. Sub hac re consolationem porrigit timiditati meae clementia illius, qui pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis. Cui quodammodo ministrat, qui ministrorum eius memoriam ad laudem et gloriam nominis ipsius diffundit ac predicat. Unde et ego animatus necnon contra ociositatis torporem armatus, iubeo fiducialiter stilum arare propositiones caritatis tuae.

Ammonicius: *Dilectionis operationem qui dat, ipse remunerat. Proinde tu spem ponens macte in adiutorio miserationis divinae, perge viam alacris postulatae narrationis.*

Collectitius: Pergam libens, ipsum mihi adesse omnimodis cupiens.

20. Igitur post multa pietatis et aequitatis opera, quibus Deo servire studebat quibusque ecclesiam sibi commissam regebat saepe nominatus saepiusque nominandus venerabilis presul Wolfgangus, cum Ratisbonae constitutus, rerum necessaria mutatione poscente, in orientalem huius provinciae regionem iter suum pararet, febricitare coepit. Quam corporis molestiam vir Dei non solum vigiliis et orationibus animae suae fecit esse proficuam, sed etiam elemosinis opus et decus adaugens bonae voluntatis, totum quod habere potuit per manus pauperum in gazophylacium Christi transmisit; sicque partes Orientis perrecturus, illi qui nescit occasum vitae suae sedulis precibus commendavit excursum. Cumque per Danubii decursum ventum esset in puppi ad locum, qui dicitur Puppinga[66], ultra iter tendere non valebat; quia tempus resolutionis instabat; ibi 994
enim superna se visitante gratia cognovit cito fore complenda, quae sibi per visionem longe antea fuerant revelata.

21. Ammonicius: *Cuius rei revelationem acceperit, et ubi aut quando sive per quem eam didicerit, admone; ne silentio supprimas, sed caritati fraternae luculenter edisseras.*

Collectitius: Dicam scribamve hoc breviter, etsi non leviter; quia cauma aestivale facit ex valitudine me dolere. Quodam atqui tempore cum in Alamannia positus vir Dei peregre proficiscendi voluntatem haberet, beatissimum Christi confessorem Otmarum, cui se suaque frequentissime commendabat, sibi in somnis astare videbat. Quem iussus intendere, ab eo huiusmodi accepit verba: *Quia rogatus a te rogavi Dominum pro te, in quo sum exauditus, manifesto nunc tibi futurorum prenuncius: Pauper et inops de hac provincia egredieris; sed in alia, in qua pro amore Domini exularis, episcopatum caducis rebus satis locupletem predestinatione divina suscepturus eris. Cuius in administratione si fidelem te exhibueris bonaque inpertaesus seminaveris, iuxta id quod scriptum est: „Quaecumque seminat homo, haec et metet“,* Gal. 6, 8.
expletis viginti duobus annis, vitam transitoriam eris exiturus et aeternam ingressurus. Et hoc procul dubio scire te volo, quod animam Conditori redditurus es in loco, ubi sub nomine Christi a christianis memoria mea veneratur et colitur. Quo me in hora exitus tui de Aegypto huius mundi spero adventurum cum ceteris, quos de exercitu Domini bonis meritis ad adiutandum obitum tuum Eph.
contra potestates aerias et spiritales nequitias in 6, 12.
caelestibus adsciveris et paraveris. His et talibus prolatis in visione noctis, spiritus qui apparuit evanescens, virum venerabilem Wolfgangum dimisit ex parte laetificatum, et ex parte moestificatum; laetificatum autem dixerim, non ob gloriolam seculi, quae colorata est in episcopalis dignitate fastigii, sed ob iucundam regni promissionem aeterni; moestificatum vero virum Dei scripserim, non ob brevitatem annorum huic vitae concessorum, sed ob prolongationem terreni incolatus lacrimabilem; iuxta illum versum psalmographi: Psalm.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. 119, 5.

22. . . . . Ego non dubito, sed in inferno et in aere diabolum ac satellites eius damnatos esse novi et scio; inde magis certus, quia ante aliquos annos in Pannonia constitutus, die quadam a tertia hora usque ad sextam diabolum vel draconem in aere suspensum vidi. Erat autem magnitudo eius incredibilis, longitudo tanta, ut quasi unius miliarii spacio videretur esse protensus. Cuius caput cristatum et instar montis elevatum, necnon corpus, iuxta hoc quod Dominus Iob
ad beatum Iob de leviathan loquitur, squammis 41, 6.
horribilibus compactum, et ceu parmis vel scutis ferro munitis tectum; in lateribus et in tergo quaedam fuliginosa foedabat nigredo; ventris quoque inversione et pariter corporis, in qua solo tenus iacere solebat, pallor subvenetus decolorabat, ad similitudinem sulphurei laris. Tractus vero ac in-

66) Pupping non longe ab Efferding in Austria.

curvationes atque extensiones eius inmanes, postremo totius corporis motus, et particularis et totus, atque ut breviter in id temporis adversantia con-
67 cludam, omnia draconis molimina, erant mortalibus, in quantum Deus permisit, noxia, tantoque noxiora quanto proximiora. Nam cum tempus esset aestivale, utpote sexta feria ebdomadae post pentecosten secundae, ex gelu, quod draconi pre ceteris animantibus magis est naturale, adeo inmutatus est aer, ut et febris multos invaderet ac iumentorum non minimam partem frigus consumeret. Alas et crura vel pedes, quos pictores fingere solent, penitus nec habuit nec habere visus est, quippe cui squammae et costae sufficiunt pro deambulatione. Grossitudo pectoris erat parilis grossitudini capitis. Post hoc paulatim diminuebatur usque ad extrema caudae, cuius extremitas pene adaequabat abietes magnas. Hunc tam ingentem hostem, aut diabolum aut diaboli amicum, nolens Dominus diutius terrere populum fidelium, subito fecit ab aquilone moveri et densitati nubium cum grandi inpetu intermisceri. Quem cursu velocissimo super nos ut transeuntem vidimus, sibilosque[b] eius pariter cum fistularum stridore non sine metu audivimus, mox nubes, quae a mane usque in illam horam quasi stabant inmobiles, in tantum commotae et concitatae sunt, ut tota illa die pariter et nocte non cessarent tonitrua seu coruscationes, immo perseverarent usque ad vesperam sequentis diei. . . . .

994. Oct. 31. 23. Igitur, ut paulo ante dictando narrare coepi, presul venerandus et multum a bonis vel fidelibus amandus, memor admonitionis, quam
69 olim acceperat per revelationem Christi confessoris, necnon pro certo sciens, principem huius mundi ad se venturum, et cum aeris potestatibus contra se pugnaturum, sed in misericordia Domini, in quo non habuit quicquam, per suffragia sanctorum sperans animam suam humani generis inimicum superaturam, iussit in agone novissimo, ut a fidelibus in oratorium portaretur et ante altare beati Otmari deponeretur. Quod cum factum esset, aliquantulum ex infirmitate convalescens, resedit; et orarium accipiens per confessionem primum se expiavit. Dein qui aderant pro fide, spe et caritate satis utiliter et luculenter commonefaciens, eos ac omnes sibi commissos et nihilominus obitum suum cum intimis suspiriis Deo et sanctis eius commendavit; sicque, viatico sumpto, humo tenus se humiliavit. Tunc aeditui sive cubicularii eicere temptabant universos de ecclesia, exceptis familiaribus ibi ex more commanentibus. Quos vir Dei prohibuit, dicens: *Reserate ostia, sinite omnes, qui hic manere velint, adesse resolutioni nostrae. Non enim nos, qui sumus mortales, erubescere debemus nisi ex malis operibus, cum mortis debitum necessario exsolverimus; quandoquidem Christus, qui nihil morti debebat, ferme nudus mori non erubuit in cruce pro generis humani salute. Aspiciat quisque in morte nostra, quod paveat et caveat*[c] *in sua. Deus misereri dignetur et mihi misero peccatori mortem nunc patienti, et cuique eam timide ac humiliter aspicienti.* Haec cum dixisset, reverenter expiravit. Mox advenit archiepiscopus[67] bonae memoriae Hartwicus et Arbo comes quidam, ex numero fidelium fidelissimus, viroque Dei inter laicos carissimus. Hos quoque illo venturos, nocte preterita spiritu predoctus venerabilis presul Wolfgangus, innotuit quibusdam, post longa silentia, et corporis relaxata molestia, astantes terrens, ac sic subito inquiens: *Mundate domum, purgate atria, hodie venient nobis boni hospites. Et ut credatis mihi, quia verum dico, hoc vobis erit signum ex ore meo: Navis, in qua ferebantur bona domini Hartwici archipontificis et Arboni optimi comitis naufragium atque iacturam in Danubio perpessa est; sed per misericordiam Dei homines salvi facti sunt, et ipsi domini mox post obitum meum vobis erunt adventuri.* Quid multa? Completis his quae dicta sunt a beato Wolfgango, corpus eius comitatum ab archiepiscopo et a populo fidelium copioso est religiose translatum, necnon die a transitu illius septimo in civitatem Ratisbonam allatum. Ubi cum presul beatus apud Sanctum Petrum esset susceptus, ac vigiliarum missarumque celebrationibus Deo, cui famulabatur, foret commendatus, in basilica beati Stephani prothomartiris, ut vivens preceperat, pontificalibus infulis, in quibus consecratus erat, induebatur, iuxta hoc quod scriptum est[68]: *Induam te mutatoriis.* Ibi, ut audivi a quodam presbytero sene ac religioso, qui eum paramentis amiciebat, ad manifestandum tanti pontificis meritum non tantum odor malus aberat, sed etiam bonus aderat; secundum quod apostolus ait[69]: *Bonus odor Deo sumus in omni loco, aliis ad vitam, aliis ad mortem.* Tunc cum magna reverentia sustollentes corpus beati viri, transportabant illud ad ecclesiam Christi martiris Emmerammi, cuius honorem, dum vixerat, intimo affectu summoque studio colebat. Qua missarum solemniis et[a] exequiarum[a] officiis[a] rite peractis, octava luce a pridie Kalendarum Novembrium, in quibus ille excessit de medio, magnifice et honorifice sepultus est parte australi basilicae sancti Emmerammi, in ordine pontificum duodecimo, satis congrue numero sacro in tali viro definito, in quo Dominus miraculis et signis potenter post manifestavit, quia hunc cum principibus populi sui collocavit.

24. Ammonicius: *Nunc ergo, quia virum Dei in numero episcoporum posuisti duodenario ut mihi videtur, conveniens est, ut qui ante eum hanc ecclesiam rexerint, nominatim edisseras, et quos habuerit successores, huic operi ex compendio innectas. Delectantur quidem nonnulli lectione huiusmodi.*

Collectitius: Non habetur certum, quis primus in illo loco plantator fuerit divinarum plantationum. Sed tamen ut potero dilectioni tuae obtemperabo. Igitur sicut ecclesiasticarum testantur scripta donationum et traditionum, haec sedes habuit episcopos, primum [temporibus[d] Romanorum venera-

a) *Haec secunda manu scripta semper hac littera a indicavi.* b) sibiloque 2. c) non caveat 2. d) *Haec omnia ad marginem minori litera notata sunt. CAN. utrum ab ipso Arnoldo an postea addita, dubium manet.*

67) Salzburgensis. 68) Zach. 3, 4. 69) 2. Cor. 2, 15. 16.

bilem virum, cum ceteris non parvi numeri episcopis, quorum certa presulatus regimina legimus, nomina vero invenire non potuimus, dein sub tempore regum Francorum necnon ducum Noricorum quendam religiosum ecclesiae ministrum nomine] Lupum et [successorem eius nuncupatum[a]] Ratharium, ante ordinationem [illam videlicet[a]] beati Bonifacii Moguntiae archiepiscopi, quam ille in Norico ex auctoritate apostolicae sedis iuxta instituta canonum exercuit sive disposuit[70]. Postea vero prefuerunt hi, quorum nomina subsequuntur: In primis prefuit dominus Gaubaldus, vir sanctus et religiosus, sub quo corpus beati Emmerammi vere martiris et episcopi translatum est de loco, in quo positum fuerat, quando ab Ascheim huc transportatum erat[71]. Post hunc Siutpertus[72] cathedram pontificalem cum regimine ecclesiastico suscepit, qui beato Emmerammo basilicam novam amplioribus spatiis et propensiore sumptu construxit atque ornavit. Quem per ordinem sequebantur Adalvinus, Baturicus, Erchanfridus; his succedebat Embricho, homo venerabilis aetate ac merito, uti comperimus chronicorum scripto veridico. Tum episcopatus Ratisbonensis Asperto provenit, cui successit vir magnae mansuetudinis et pietatis nomine Tuto, clarus ingenio; is habuit successores Isangrimum, Guntharium[a*] et Michahelem. Post hos rexit hanc ecclesiam beatus Wolfgangus, quem subsecuti sunt ordine vicis suae Gebhardus, et item Gebhardus, quibus Orno successit, tertius Gebhardus, frater imperatoris, valde preminens et nobilitate generis et fastigio pontificalis honoris. Ab illo autem, qui Lupus vocabulo pastor officio pascebat oves christicolas sub duce qui dictus est Dieto, usque ad istum, qui nunc ecclesiam regit, fuerunt omnes episcopi huius sedis decem et septem. Hos pius princeps pastorum collocare dignetur in regno caelorum, et nos peccatores in multitudine suarum miserationum non dedignetur efficere participes aeternarum salvationum!

25. Ammonicius: *Amen. Nunc tempus est, ut stilum convertas ad miracula, quae ad sepulchrum beati Wolfgangi episcopi et confessoris dignata est gratia Omnipotentis operari, qui in sanctis eius semper est gloriosus et mirabilis. Haec quoque scribere te oportet, vel ob hoc maxime, quia sunt nonnulli, qui quosdam electos minime credunt esse in numero sanctorum, nisi ad eorum sepulchra prodigia viderint et signa.*

Collectitius: Novi et scio, quia tibi obsequendo multorum moribus deservio; ideo dilectionem tuam precedentem per admonitionem paratus sum subsequi per presentem descriptionem.

26. Quidam homo caecitate multatus, ob id valde contristatus, ut ad sepulchrum beati Wolfgangi accessit et ibi cum lacrimis preces fudit, recepto visu, exauditum se gratulatus, et inde oppido laetificatus, Deo ac sancto pontifici gratias egit, sicque comite salute proprios lares revisit.

27. Alio quoque tempore muliercula quaedam sub spe recuperandae salutis deportata est a suis in ecclesiam beati Emmerammi martiris ac pontificis. In qua dum ante altaria rependo petitione sedula sanctorum efflagitasset suffragia, tandem ex labore seu aegritudine fatigata, secus tumbam Christi confessoris Wolfgangi resedit humi. Cumque misella corpore ac mente inclinata[b], venerandi pontificis adiuvari se optaret precibus et meritis, subito lateris contractio et ceterorum nodosa membrorum alligatio est soluta, et nihilominus tam
vehementer disrupta, ut sanguinis effusio diffue- 70
ret in pavimento. Tunc mulier primum exterrita pre timore coepit clamare; dein exiliens, grates reddidit salvatrici sanctae Trinitatis omnipotentiae atque sanctorum sanitatis impetratrici clementiae. Itaque sibi restituta, de salutiferis ecclesiae domi-
ciliis repedavit ad sua. Post haec, ad quos huius 72
rei cura pertinebat, scamnellum, quo illa paupercula totis viribus innixa repere potius quam deambulare solebat, ad gloriam nominis divini et ob memoriam tanti signi, super fores ecclesiae suspendebant.

28. Quadam die homuncio[c] pauperculus, et ut veridica relatione didici, Ravennantis episcopi elemosinarius, gratia orandi venit in ecclesiam beati Emmerammi. Is dum frequenti oratione se liberari sanctorum meritis postularet ab inherente sibi diu membrorum debilitate, demum decubuit in loco, qui beati Wolfgangi dotatus simul atque ditatus est corpore sacro. Ibi feliciter soporatus, quendam virum statura procerum et canitie venerandum astare vidit, qui ad eum dixit: *Ut quid tu hic aut cuius rei gratia huc advenisti?* Cui ille respondit: *Domine, propterea miser huc veni, ut saner a languoribus, quibus iam per plures annos laboravi detentus.* At venerabilis heros, virga pastorali quam manu gestare videbatur tangens aegrotum ac officiis membrorum destitutum miserabiliter, infit: *Ecce sanaberis in nomine sanctae Trinitatis.* Tunc qui iacebat quasi mortuus per merita presulis reverendi a somno aegritudinis excitatus, repente exilivit et pre stupore sive tripudio clamans in quantum potuit, Deum sanctosque illius et ipse laudavit, et alios ad laudandum provocavit.

29. Haec itaque tria capitula, ob memoriam venerandi episcopi in nomine sanctae Trinitatis descripta, pro testimonio duorum vel trium testium sufficere credo his, qui non superbo oculo et insatiabili corde contradicere temptant nomini trino pariter et divino. Insuper spero, eiusdem sancti meritum viri, superna revelante et nihilominus cooperante gratia, manifestius adhuc et habundantius declaratum iri, necnon in Domino plenius a nobis sive ab aliis laudatum iri.

30. Ammonicius: *Omnium fidelium spes non solum aequo, sed etiam necessario ponitur et figitur in omnipotente Domino; qui in tantum misericordiae suae unguenta diffundit, ut nec ab ingratis beneficia sua subtrahere velit. Cuius laus in sanctorum memoria usque in finem seculi confertissime debet recipere incrementa, secundum hoc*
quod psalmista in centesimo quadragesimo quarto Ps. 144,
psalmo dicit: „Confiteantur tibi Domine omnia 10. 11.

a) *secunda manu.* a*) guntharim 2. b) inclina 2. c) *al.* dominico CAN.

71) cf. I, 1. 72) cf. I, 1. 73) cf. Ann. S. Emmer. minores Mon. SS. I. p. 93.

opera tua, et sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur". Proinde et tu viriliter assume dialogum inter duos conferendum, et scribito venerabilem virum Ramuoldum, quandoque scripseris beatum Wolfgangum, summa devotione commendans fideli memoriae, qualiter laudabilis dualitas tanti antistitis et abbatis, dilectione Dei et proximi comitante, cum fide et caritate illuc pervenerit, ubi sancta Trinitas perpetualiter imperat, necnon indivisa divinitatis unitas cum sanctis et electis aeternaliter regnat.

Collectitius: Amen, fiat voluntas Domini in salute generis humani, et in paupercula descriptione huius opusculi, sicque suum stilus agat officium, ut per id obedientiae Deo paretur acceptabile sacrificium.

31. Post obitum atqui beati Wolfgangi pontificis, scilicet servi Dei cunctipotentis, Ramuoldus egregiae memoriae abbas, in regimine monasterii seu procuratione coenobii per temptationes varias adversitates perpessus est multas. Quae in tantum excreverunt, ut sub primo[a] Gebehardo sedis huius episcopo famulus Dei apud tertium Ottonem imperatorem quorundam detractionibus simul et accusationibus infamaretur. Unde ad id ventum est, quo iisdem princeps credendo quod non credere debuit, de religione viri Dei dubius factus et
996. Febr. anceps, dum ad Sanctum Emmerammum more imperatorum veniret, et exacerbatis animis nec alloqui eum nec oculos in illum convertere vellet; cumque ab eo oratum esset in secretario altaris, coram eo, qui fecit machinam caeli, terrae ac maris, accessit ad eum despoton quidam symmysta eius, nomine Heribertus, tunc forte capellanus, postea vero Coloniensis episcopus. Is ex consulto ad eum dixit: *Domine, non oportet vos indignari contra virum Dei.* Ad haec imperator
Exod. 22, 28. infit: *Cum scriptum sit: „Principem populi tui ne maledixeris", scio, quia non convenit hominem Dei mihi detrahere sive maledicere, presertim, cum et ego illi nihil umquam fecerim, quod sit dignum maledictione.* Tunc dominus Heribertus, bonus et fidelis consiliarius, respondit: *Si principatus imperii gestit, sicut et debet, prosperari, decet in presentia vestri venerandum abbatem coram sancta congregatione super hac re interrogare, et ita, utrum vera an falsa sint quae illi obiciuntur, probari. Credo in Deum et spero, quod tam venerabilem senem et senectutis maturitas ac divinitus concessa sapientia et humilitas numquam permiserint dixisse, qualia ab inimicis dicta sunt de eo vel ficta.* Tum imperator remittens animum, ad divinae dispensationis nutum, secum assumptis dilectoribus paucis[b], intravit claustrum humilis et mitis. Ibi videns venerabilem patrem cum fratribus humo tenus prostratum, expavit et dixit: *Grande malum fecit mihi, qui ex legatione Gebehardi episcopi ea referendo indidit auribus meis, quibus me inprovidum commoveret adversus abbatem istum et sibi commissum sanctorum collegium. Scio quidem, quod vitae meae parva non est agenda poenitentia pro ista falsitatis credulitate incauta. Nunc ergo, quia peccata mea nudaverunt vestigia vestra, obsecro, recalciate vos, et sic redite ad nos.* Quo celeriter facto, cum fratribus venerabilis heros Ramuoldus egressus, fiducialiter locutus est ad principem dicens: *Novimus quippe, quia, quod habetis imperium, desuper est datum atque constitutum, et quia, cui Deus benedixerit, benedictus sit. Huius quoque rei quia per totum non fuimus insipidi, immo adhuc sumus ex parte scioli, unde parvitati meae tanta temeritas, ut ego vilis homulus, mensuram meam penitus oblitus, auderem celsitudini vestrae maledicere, quam rex regum et dominus dominorum iam dignam fecit sua benedictione? Quocumque ergo iudicio maiestati vestrae placuerit, paratus sum me ex obiecto purgare, necnon cunctis asstipulatione veritatis pro hac re satisfacere.* Imperator autem responsum deliberans, huiusmodi verba proponit: *Sicut veritate delectamur, ita e contrario falsiloquiis exacerbamur, unde iudicium Dei censemus superalandum iudicio mortalium, qui facile fallunt et falluntur. Malo quidem credere bona de bonis, quam mala de perversis. Nec enim quemquam decet temere quicquam credere a quoquam. Unde et verbotenus tuapte prolata obiecti excusatio est mihi a tanto viro permagna satisfactio; qua modo aeque ut alterius generis evidenti placatus iudicio, senior o dilecte Deo, spiritali allocutione pariter et admonitione tui in aliquo secreto[a] loco, cupio conveniri[a] seu[a] consolari; et onus regni, quod indignus accepi, desidero per eum relevari, qui dicit in Isaia propheta[74]: „Computrescit iugum a facie olei".* . . . .

33. Imperator igitur gloriosus prenominatus et saepe nominandus Otto III., in multis religiosus, cum abbate venerando intravit ecclesiam sancti Benedicti, ad famulitia divina multipliciter addicti. Qua oppido humiliatus, et per confessionis medicinam consternatus, inter duo altaria, sub specie geminae dilectionis constituta ac in honore eiusdem venerabillimi patris et preclari martiris Christi Kiliani consecrata, iussus a spiritali patre, velut servulus vilissimus in humili tripedica[75] coram eo sedit, humilitate comitatus optima matre. Ibi audivit multa, quae solent opera destruere stulta, necnon alia plura, quae corda stolidorum accipere abnuunt cervice predura. Demum per conservationem alter factus, et per admonitionem hominis Dei intime tactus, gratiam Dei sibi adesse sensit, quae compunctionum largissimam illi contulit, qua exterior homo interiori homini non[a] solum[a] subtilissime concordavit sed[a] etiam[a] utilissime[a]. Cumque hac fragilitati humanae in id temporis satisfaceret, foras egressus, ad suos dixit: *Vere Spiritus sanctus locutus est per os viri istius. Hodie in sermone illius probavi, verum esse illud Salomonis[76]: „Verba sapientum quasi clavi in altum defixi". Mandatum quippe divinum certissime suis[a] observatoribus[a] reddit liberum animum.* Cumque caesarem diligenter intuerentur eius familiares, admirati sunt super inmutatione vultus eius dicentes: *Domine, quid tibi contigit, quod adeo perfusus es[c]*

a) *manu secunda.* b) pacis *Can. in marg.* c) et 2.

74) Isa. 10, 24. 75) sellula tres pedes habente. 76) Eccls. 12, 11.

lacrimis et sudore? Quibus ille respondit: *Nolite mirari, quod sim udus ex sudore, sed quia vivo pre timore. Numquam me contingat talem quaestionem incidere, nisi pro animae meae salute. In isto sancto seniore comperi manifeste, quantus honor debeat exhiberi servis electis Dei.* Post haec iussit episcopum Ratisbonensem ad se accersiri. Et stans ante altare sancti Emmerammi, sub interminatione ad eum dixit: *Cave, ne ultra, me vivente, quicquam mali facias abbati huius coenobii et fratribus Deo sanctoque Emmerammo hic famulantibus. Sint tibi tua ad episcopatum iure pertinentia; monachorum bona maneant illis vallata sub omnium bonorum tutela. Quacumque ergo die prevaricatus fueris in his, quae presens hausisti auribus tuis, procul dubio scito, sive divinitus sive humanitus pro malo tanti piaculi tecum duriter ac acerbiter actitatum iri.* Dein conversus imperator ad abbatem et fratres, pietate solita valedicens illis, ait: *Interius et exterius vos ita conservare dignetur miserator et misericors Dominus, ut in orationibus vestris non solum possitis memores esse nostri, sed et totius populi christiani.* Quo dicto, psalmis et canticis Domino commendatus piissimus augustus, ex more precedente sancta et crucifera imperiali lancea, exivit de civitate ista, petiturus Italiam, necnon aditurus potentissimam urbem Romanam, quam quidam vocitare solent mundi dominam vel rerum maximam.

34. . . . . Haec autem, id est Roma, eo quod et ipsa olim sequeretur diabolicum errorem et omnium malorum confusionem, ut beatus Petrus testatur[77], sortita Babylonis nomen, et ob potentiam imperii tunc vocata domina mundi. Sed postea per eundem apostolum et per successores illius humiliata sub potentia Christi, ex civitate diaboli facta est civitas Dei; quae in tantum excrevit in divino cultu, ut pro ruinis murorum et veterum fanorum surgant cotidie innumera aedificia ecclesiarum sive monasteriorum. E quorum incredibili numero, ut audivi a quodam sene, qui se dixit nutritum fuisse in eadem civitate, viginti possidentur a sanctimonialibus, quadraginta a monachis, sexaginta a canonicis; exceptis his, quae extra civitatem sunt, et aliis ecclesiis sive capellis, quae in urbe habundant. Age iam frater, qui stomacharis contra eos, qui dicunt Romam rerum maximam . . . . .

35. . . . . . . Ammonicius: . . . . . *Enimvero iam tempus et ratio exigit, ut, his in congruo loco dimissis, redeas ad historiam Ramuoldi, venerandi abbatis ac amantissimi patris.*

36. Collectitius: Post quinquennium quoque imperialis exitus de civitate Hiatospolitana, cuius nos incolae sumus, languore diuturno beatus abbas Ramuoldus viribus corporis coepit destitui, spiritaliter gaudens interiorem hominem per hanc infirmitatem institui, secundum apostolum videlicet dicentem[78]: *Quando infirmor, tunc fortior sum et potens.* Hac quidem carnis infirmitate perductus est ad novissimam presentis vitae lucem. Qua die venerabilis heros erigens se de lectulo, quem iam per continuos quatuordecim dies pre valitudine non poterat deserere, tunica sancti propositi amictus, et per spiritalem medicinam aliquantisper de febre relevatus, orario accepto, et agmine fratrum collecto, resedit in medio, ac potenti sermone usus est in hunc modum: *Deus pater* . . . 1001.

37. Tum summa humilitate inter abbatem et fratres alterna facta confessione, necnon e caelis petita seu inprecata pernecessaria peccatorum indulgentia, intimis quasi caelum tangens suspiriis, venerabilis heros primum summo pastori commendat gregem sibi commissum, dein fratribus, iam pre lacrimis ac singultibus vix fari valentibus, valedicens ait: *Abite, fratres carissimi, et preparate vos ad celebrandum divinum officium, atque summa festinantia concurrite ad complendum ex more ordinem sacrum; et hoc ultimum senis memoriale pro benedictione habetote: In nomine Domini, salus omnium nostri.* Cumque omnes communiter dicerent *Amen,* atque exirent moesti, a sancto Spiritu[a] vere[a] paraclyto quaesituri solamen, vir Dei per spiritum presentiens animam de corpore celeriter dissolvi, iussit se ab his qui aderant in oratorium cellae suae proximum portari et inter duo altaria deponi; conversus quidem caput ad aram sancti patris Benedicti, pedes vero ad altare sancti Kiliani martiris Christi. In cuius nomine, utpote in omnium salutis omine, spem suam ponens firmissime, precepit ibi missas celebrari et dominicae passionis memoriam intentissime agi. Qua peracta, cum ventum esset ad communionem, ipse vir Dei ut accepit corporis et sanguinis dominici eucharistiam, mox ad aeternam patriam ex ergastulo carnis emisit animam, ita in agone novissimo manus extentas iuxta caput tenens, ut ante in oratione facere solebat. Tunc religiosi seniores, Gotahardus scilicet abbas monasterii Altahensis atque Adalpertus pater coenobii Sewensis[79], cum fratribus caeteris accurrentes, Deoque ymnos ac laudes devota mente solventes, spiritum pii patris cum orationibus commendare satagebant omnipotentis gratiae miserationibus. Quibus rite officioseque finitis, hi, quorum corda pre ceteris visitare dignata est inspiratio divina, vocem cum fide attollentes dixerunt: *Domine, uti speramus, iste tuus homo haud nequiquam in presenti seculo consummavit tot annos vitae suae concessos, quem hodie centenarium per vocationem tuam magis miramur quam dolemus de medio exemptum....* Iuni 17.

38. . . . . . . Horum quoque commoda, quam luculenter ad tumbam istius confessoris, de quo nobis est sermo, e caelis ministrata sint, post pauca breviter edicam, quo minus protelem caritatem fraternam, ad haec et ad alia percipienda non modice avidam.

39. Enimvero fama evolitante virum Dei oppetiisse, ex industria credentum, apud Deum illum vixisse, in id rata ministratio rerum processit, ut sub festinatione ad exequias tanti patris concurreretur a multis cum summa devotione cordis. Inter quos erat Heinricus hypatos, tunc forte principatum tenens super populos Noricos et[a] Karinthios[a], post paucos vero annos rex futurus non solum Germaniae sive Galliae, sed etiam imperator totius

a) *secunda manu.* 77) 1. Petr. 5, 13. 78) 2. Cor. 12, 10. 79) Seon in Bawaria.

1001. Italiae atque augustus caesar civitatis Romanae. Is, assumpto secum Gebehardo episcopo, qui antea sancto viro ex parte contrarius fuit, sed tum, teste lacrimarum fonte, inmutatus mente advenit, servo Dei in sepultura humiliter obsequendo se servum prebuit summo humili[b] dominorum Domino. Nam in unum congregatis et ad funus pii abbatis officiose concinentibus pene omnibus Ratisbonae Deo servientibus, ipse princeps propriis humeris non erubuit feretrum portare, necnon accuratius sepulturam parare. Demum introivit fossam sepulchri, et ipse clausit arcam, quae iam suscepit corpus viri Dei, ac sibi claviculam eiusdem arcae pro pignore carissimo elegit, et nihilominus postea in fascibus constitutus regni, èandem semper secum velut insigne triumphi reservavit sive retinuit.

Ammonicius. *Haud absque admiratione sciscitari potero, utrum haec ex precepto et voluntate viri Dei facta sint, an casu ita contigerint*[c]. *Nam raro factum audivi, ut quis sepulturae traditus in arca clauderetur seris munita.*

Collectitius: Non est mirum, si homo simplex super huiuscemodi reculis miretur, cum David rex et propheta, cui sapientiae occulta sunt divinitus manifestata, super virtute sacramentorum caele-
Ps. stium miraretur dicens: *Mirabilis Deus in sanctis*
67, 56. *suis, Deus Israel ipse dabit virtutem.* Cuius pervalidae, Summo donante, particeps factus beatus pater Ramuoldus in firmitudine fidei catholicae, sciens petram Christum mundum salvasse per lignum, sarcofago lapideo iussit arcellare[a] vel[a] sepulchrale[a] scrinium inmitti ligneum, ob memoriam quippe passionis dominicae corio rubicundo vestitum; quod post defuncti condendum susciperet corpusculum, ea videlicet spe, ut quem ipse, dum in[a] presenti[a] vixerat, de eodem scrinio in pauperum grege cotidie solebat pascere atque vestire, non dedignaretur, se in numero electorum omnipotenti sua misericordia resuscitare et in sinu aeternae beatitudinis collocare. His ergo pauculis verbis, o Ammonici, si minime satisfactum esse arbitraris tuae admirationi simul et sciscitationi, recurre
Iob quaeso ad id, quod scriptura dicit: *Nihil in terris*
5, 6. *fit sine causa.* Quod in sanctorum gestis potissimum debet notari, et verissime potest probari.

40. Nam quod beatissimus abbas Ramuoldus ad tempus compulsus est Ratisbonense coenobium deserere ac Treverense repetere, causa extitit civile bellum, quod erat inter Heinricum ducem et Perchtolfum marchicomitem atque inter ceteros
976. optimates principis Ottonis, tum[a] civitatem[a] Ratisbonensem[a] obsidentis[a]. Quo sedato, et quasi innuente beato Emmerammo, per[a] loci[a] sui[a] provisorem[a] repedatum[a] iri[a], senior venerandus a Treverica civitate Hiatospolim est reversus; inde secum transferens multas sanctorum reliquias. Harum quoque salutaris allatio extitit causa cryptae apud Sanctum Emmerammum aedificatae. Cuius aedificatio per virum Dei satis artificiose ordinata, trifariam necnon quadrifariam speciem intuentibus exhibet. Et quia huius operis auctor sanctam dilexerit Trinitatem, atque quatuor euangeliorum firmiter tenuerit fidem, quasi quodam testimonio credibile perhibet. Columnae vero, quae eandem crypticam ecclesiam sustentant, dualitate sua geminam dilectionem, Dei scilicet et proximi, pulcherrime compingunt. Quinque autem altaria, in quibus totidem pyxides collocatae cum reliquiis, quas prenominatus heros de Lotharingia transtulit, quinque librorum Moysi principalem observantiam in memoria monent teneri, et in quinque sensibus corporis hortantur quinariam prudentiam semper haberi. Sextum quidem altare, quod dicitur ad pedes, senarii perfectione denunciat omnia concludi.

41. In hac ergo tam typifera basilica, a beato Wolfgango in honore sanctae et individuae Trinitatis et omnium sanctorum dedicata, venerabillimus pater Ramuoldus in sepulchro, quod sibi ante quindecim annos iam paraverat, in australi latere eiusdem cryptae, secus altare beati Gregorii papae est depositus atque magnifice sepultus, astante pariter et psallente clericorum ordine, et nihilominus concinente monachorum grege, necnon virginum sive sanctimonialium trina concione animam tanti patris summo patri commendante. Post haec, o Ammonici, ad temperandum miraculum claustri vel claviculae tanto a principe ob humilitatem arreptae, seu ob religionem abreptae, satisfactionalem unum sacrae scripturae versiculum caritati tuae meapte placet subnectere. Sic enim dicit Dominus ad quendam electum suum[80]: *In illo die suscipiam te servum meum, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo, quoniam elegi te*[d].

47. Ammonicius: . . . . . *Ad haec quoque fraternitatem tuam admoneo, ut in augendo presens opusculum, edisseras ordinem abbatum, illud videlicet enucleans, qui et quot patres prefuerint huic sanctissimi*[a] *patroni*[a] *nostri*[a] *coenobio, in quo summo famulamen debetur Domino.*

Collectitius: Primum te scire volo, o Ammonici, quia sanitatis beneficia, quae paulo ante prenotavi, ad sepulchrum beati Ramuoldi Christi confessoris expertus sum in absumptione propriae infirmitatis. Nam cum puer essem et in loco requietionis beati viri perplures sanitati redditos audissem, febre nimium affectus et ob huius relevationem in pavimento proiectus, persuasus consilio cuiusdam sacerdotis, qui eiusdem pii patris, dum vixerat, extitit familiaris, temptavi me ibidem somno dare. Cumque aliquantisper soporatus fuissem, per somnum vidi patrem reverendum, habitu monastico indutum, quasi sedere a dextris beati Emmerammi martiris. Cuius venerandam canitiem intuitus, mirabar super pulchritudine vultus eius, necnon super candore ceterorum membrorum illius. Qua visione valde[a] laetificatus, qui antea fui fatigatus, surrexi sanus, Deo gratias referens, quia sensi levamen salutiferae manus.

Ammonicius: *Merito pueritia tua, o Collectici, divinitus consolata, in memoria beneficium tenacius reservavit repositum, ob id quoque, ut iuvenis haberes, unde tanto patri grates rependeres, eius atqui gesta nunc devote scriptitando, qui te nunc*[e] *adiuvit*[a], *et adhuc sedulo adiuvat orando. De cetero rerum exigit ordo, qua patrum postulatam*

a) *secunda manu.* b) humilis? c) contigerunt 2. d) *Sequuntur miracula ad sepulchrum S. Ramuoldi facta c.* 42—46. e) tunc?

80) Agg. 2, 24.

successionem post hinc describere velis per ratum, ut oportet, verborum successionem.

48. Collectitius: Per caritatem paratus sum proximi voluntatem seu dilectionem sequi, quae omni homini christiano, si recto tramite incedit, aeternam felicitatem paritura erit. Quod apostolus confirmat dicens[81]: *Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.* Igitur post reverendum patrem Ramuoldum, magnae scilicet memoriae virum, regimen huius monasterii suscepit abbas Wolframmus, et ipse in mansuetudine ceterisque virtutibus Dei servus. Hic habuit successorem ex collegio fratrum abbatem electum nomine Rihboldum. Huic successit dominus Hartwicus, magnae virtutis amicus, qui sponte deserens presulatum coenobii, reliquit abbatiam domino Burchardo regendam. Quo defuncto[82], divina, uti speramus, providentia necessitatibus nostris destinavit virum venerabilem pariter et amabilem, dominum videlicet Udalricum, prius in canonica vita plurigena probitate decoratum, nunc autem regulariter et monasticae huic congregationi prelatum. Beatus ergo Ramuoldus, qui desiderium suum, quod habuit in Dominum, optime prodidit vocabulo arietis[b] volentis, id est Christum desiderantis, primus provisor huius loci secundum regulam existens, hunc, qui modo nobiscum regimen coenobii ministrat, a se numero sextum, merito demonstrat secundum. Sub quo nobis optamus ut liceat senarium sacramentum diu celebrare, necnon divina confessione cetera studia pietatis opere et verbo exercere.

49. Ammonicius: *Dictatum tuum, quem fecisti paulatim scribendo usque huc repere, post hinc necesse est ut facias currere; ea videlicet ratione, quo aliquid tempestive colligas vel conscribas, quod in festivitate sancti Emmerammi, quae iam faciem preparans quodammodo suis arridet, novum offeras, utpote tuo speciali patrono, immo communi omnium quaerentium Dominum fautori.*

Collectitius: Novi me ad id valde indignum, ut mihi peccatori vendicem tanti patroni specialitatem. Proinde humiliatus opto, ut parvitati meae saltim concedatur per preces illius, quatinus cum ceteris fidelibus amplecti valeam communionem beatam. Sub huius ergo rei affectione aggrediar, quae sequuntur cudere. Per annualem atqui cursum redeunte eiusdem patroni nostri saepe nominati saepiusque nominandi natalitio die, ob solita beneficia convenerat illuc turba non modica. Cumque ibi . . . . .

50. Ammonicius: *Hoc trifidum quod in uno homine declaratum scripsisti miraculum, in nomine sanctae Trinitatis, tuapte quasi quaedam salutatio est imminentis festivitatis; nam ipsa solemnitas beatissimi patroni nostri Emmerammi martiris videlicet Christi trifaria est. Precedit*[83] *enim eam beati Mathaei apostoli et euangelistae passionarius dies natalis, et cum*[a] *clarissimae*[a] *virginis*[a] *memoria*[a] *Teclae*[a] *subsecutura est percelebris dedicatio huius ecclesiae purpureis ossibus eiusdem testis feliciter dotatae, illa mediastina festivitate, nostratibus quoque precipua, medietatem suam inter*[a] *precedentem*[a] *et*[a] *subsequentem*[a], *quasi quandam regalitatem, potenter tenente. Unde non est mirum, quod tu opusculum tuum, quocumque per varietatem sententiarum vagatum fuerit, ad laudem sanctae Trinitatis reflectere conaris. Nunc ergo, quia uno eodemque trino signo miraculum proposuisti de sancto Emmerammo, consequens est ut aliquid assumas, quod numeralitate foecundatum exigat quiddam tertiandum, quo more tuo perducas conclusionem ad sanctae Trinitatis honorem.*

51. Collectitius: Quandoquidem homo habet trinitatem in semet ipso, necesse est, ut creatura subdita sit Creatori, cuius nihil preponendum est amori. Cuius taxationem cum omnes homines simul in unum vota conferentes amatori precipuo haud sufficiant rependere, quanto minus ego misellus, qui huc usque nil dignum egerim ordine meo. Quamobrem intime cordetenusve mecum perpendens, quantum periculi gignat et ferat neglegentia eius, quae in me est, trinitatis, id est intellectus memoriae ac voluntatis, vix tandem gratia malorum[a] remedii pigritiae meae inperavi, ut quod olim puerulis curiositas de utilibus rebus collegerat, nunc iuvenilis verbositas simpliciter promat. Sicque qui operibus nequeo, saltim et dictis videar deservire honori omnipotentis ac unicae Trinitatis. Hac quoque intentione quod scripturus sum assumam, secundum admonitionem tuam.

52. Cum inter cetera flagella, quibus gratia Dei omnipotentis dignata est visitare homines huius nostrae nativae provinciae, quodam tempore multum laborarent oculorum dolore, ab omnibus demum plaga tandem cessante, adeo me subito invasit, ut sinistrum oculum mediocriter dolens, per nimium tumorem dextri officio penitus carerem. Pestis enim gravissima eum ita occupavit, quo quasi pugnus illi videretur esse oppositus. Cuius rei gratia cum nocte ad ecclesiam venirem, et iuxta confessionem beati Emmerammi secretius orarem, breviata oratione surrexi; et quia captus dolore oppido fui gravatus, sedebam inibi in angulo moestus. Tunc coepi intra me super hoc quod mihi accidit cogitationes varias volvere, unde et humiliato[a] corde[a] compellebar dicere: *Domine, si vis, potes me salvare, et per preces patroni mei, tui scilicet dilecti martiris, et hoc malum grande facile quis propellere. Sed novi me minus idoneum, in quo ostendas miserabile opus miserationum tuarum. Tu summi patris sapientia nostri, quia iam per plures annos insidet animo meo, quandoque mirabilia tua scribere, ac omnipotentiam tuam in his laudare, et nihilominus electorum tuorum dicta et facta per literas memoriae posteris tra-* 43
dere: si benignitati tuae in hac re placet, quod volui et adhuc volo, gratias ago; sin me mavis caecitate castigare, sum paratus, utpote tibi

a) *secunda manu.* b) *al.* arietem. CAN.

81) Rom. 13, 10. 82) a. 1037. cf. Ann. min. S. Emmerammi Mon. SS. I. p. 94. 83) Dies natalis S. Matthaei est 21. Sept., Emmerammi 22. Sept., Theclae 23. Sept.

debitor per omnia, quod iudicium tuum ingerit patienter sustinere. His in occulto sic cogitatis atque dictis, facturus quod humilitati meae fides Christi per intimam inspirationem agendum insinuavit, summitatem pollicis parumper humectavi saliva, necnon ubi ampliorem sensi dolorem, ter signum salutis inpressi; interim corde ruminans ac nihilominus ore pronuncians illud euangelicum:
Ioh. 9. 11. *Lutum fecit ex sputo Dominus, et linivit oculos meos; et abii et lavi et vidi et credidi Deo;* eodem momento in me tam subitanea facta est mutatio dextrae excelsi, quo, sub incredibili celeritate fugatis doloribus de capite, immo de toto corpore ablata pernoxia peste, ipse mecum super hoc facto diligentissime tractans, satis mirari minime possem, quis fuerim, quis essem. Tum quasi quadam curiositate mihimet ipsi super repentino miraculo cupiens satisfacere, utraque manu palpavi locum periculi; in quo nec saltim vestigium doloris sive tumoris reperisse me gavisus sum. Proinde surgens, properabam illuc ubi antea orabam, ibique gratias egi Deo et sancto Emmerammo. Cum accedens ad candelam legere temptarem in libro pro vetustate pene obsoleto, probavi me puriorem visum recepisse quam prius habuerim.

53. Nunc quidem ne huic tantae solemnitati, quae laeticiae nectar examussim propinat fraternae utilitati, nostrapte quid videatur deesse, subsequentis relatione miraculi plenum sic instruendum convivium est, ut expletiva conclusio tertiatione fideliter ministret sua, quod sancta Trinitas operata est in illa. Fuit quidam clericus nobili prosapia ortus, qui tempore quodam necessitate poscente, immo caritate iubente, hospitalitatis gratia receptus est in mansionem quandam[a], coenobio sancti Emmerammi contiguam. Ubi cum coepisset infirmari, ... Hoc atqui grande miraculum non ab homine fictum, sed ob martiris meritum a summa veritate factum, testis est En-
84 gilmarus antistes[84], adhuc in hac vita manens. Hic quoque dum Ratisbonae constitutus apud Sanctum Emmerammum scripta meae parvitatis videret et legeret atque probaret, die quadam stans iuxta puteum seu fontem, per quem recordabatur sibi sanam olim[a] redditam fuisse frontem, vocavit me, et occasionem sumens ex eodem fonte, dixit quod scripsi; affirmans sub testificatione Christi, verum hoc esse, ac non in alio sed in semet ipso idem magnale tam veraci quam efficaci experimento didicisse.

54. Ammonicius: . . . . *Cuius rei gratia tu adaucturus opusculum tuum, quaecumque animo rationabiliter occurrerint, summa diligentia in horreum dominicum comporta. Sic enim ea, quae in quadrifido climate mundi a sancta Trinitate sunt facta, utcumque locum habebunt etiam*[a] *in descriptione tua.*

55. Collectitius: Quia strictim notasti quatuor plagas mundi, quibus per quater terna sive ter quaterna distinguitur insignia, ob dulcissimam patroni nostri memoriam placet anterioribus tribus miraculis hic subnectere unum, quod idem sit et quartum, ea scilicet ratione, ut unitas ita coheret trinitati, quatinus probabilis quaternitas laterum aequalitate solidata, fidem quatuor euangeliorum conservet per omnia. Erat quidam homo pauperculus, ... Tunc incolae acciti eiusdem novitate rei, ob memoriam tam excellentis miraculi, in honore martiris construxerunt ecclesiam ibi. Hoc in partibus Italiae factum, relatione cuiusdam fratris ex laico conversi, adhuc puerilibus in annis talium rerum curiosissimus auditor, comperi; qui per confidentiam et consolationem huius beneficii in id se provocatum esse confessus est, ut latrocinium, quod iam per plures annos crudeliter exercuit, desereret, necnon apud Sanctum Emmerammum lupinam rapacitatem deponeret, sicque ovis ex lupo cum ovibus Christi pasceretur in ovili dominico.

56. Ammonicius: *Quia beneficia Christi, ob memoriam sanctorum illius per omnia propagandam et a bonis universis unice amplectendam, hactenus dictando utcumque digessisti, noviter facta bonorum sancti Emmerammi minoratio, simul et quorundam super hoc habita querelosa mussitatio, ut mihi videtur, non sine ratione postulat, quatinus dictatu vivaci aliquid huic opusculo inseratur, quo et invasores ecclesiasticarum rerum admoneantur, si velint sanum sequi consilium, ut resipiscant; et si qui huius rei tortitudine turbati sunt vel moestificati, aliquam ex aeterni regis rectitudine simul et miseratione consolationem se accepturos fore minime diffidant.*

Collectitius: Cum omnes, qui sapientia sanctorum abutuntur, procul dubio aut hic aut in futuro puniantur, compescendae sunt inmoderatae mussitationes, partim clanculum querelas concinentium, partimve manifesto ac simplici sermone dicentium: *Sanctus Emmerammus nunc dormit, qui bona sua quasi non sua sibi suisque subtrahi perfert.* Quibus per sensatos et prudentes viros erit suggerendum atque dicendum[85]: *Ecce non dormitat, qui custodit Israel.* Insuper et hoc nostrapte adiciendum, quia bona sancti Emmerammi, quae vere bona sunt, nec sibi subtrahi nec suis consortibus ullo modo minui possunt. Ista vero, quae secundum seculum dicuntur bona, quantulacumque sunt, quia non fuerint hucusque extra curam et custodiam summi pastoris et custodis necnon eius provisionem dilecti martiris, ex antiquis temporibus non solum mirabiliter sed etiam fortiter innumeris virtutibus declaratum audivimus, legimus, vidimus. E quibus ad nunc temporis necessarium unum grande miraculum, pro magnitudine sui valde inter optimates atque plebeios homines divulgatum, utilitati legentium consulens, pariter et exactioni tuarum petitionum satisfaciens, istic innectere curabo.

57. Temporibus itaque Heinrici Pii augusti et imperatoris eximii, multis rebus ex episcopio

a) *secunda manu.*

84) Parentinus, ut videtur, qui a. 1037. quo Arnoldus scripsit, Altahensis monasterii consecrationi affuit, Mon. Legg. II. B. p. 170. n. 85) Ps. 120, 3.

Ratisbonensi per incautelam perditis, et de abbatia sancti Emmerammi ob controversiam episcopi et abbatis pluribus bonis pessundatis atque dissipatis, contigit, ut dominus Bruno, germanus frater eiusdem imperatoris, sub occasione iuris hereditarii temptaret sibi vendicare possessionem et curtem, quae vulgo dicitur Eiterhof[b], id[a] est[a] veneni[a] atrium[a] et[a] curtis[a]; sed[a] secundum[a] eos[a], qui[a] altioris[a] ingenii[a] sunt[a] et[a] quaeque[a] ingeniosius[a] quaerunt[a], spes[a] aetheris[a], id[a] est[a] caeli[a], non[a] inconvenienter[a] dici[a] potest[a], iuxta[a] hoc[a] quod[a] Saxonicum[a] idioma[a] teutonizare[a] solet[a]. Saxones[a] enim[a] spem[a] aut[a, c] sperationem[a] huius[a] vocabuli[a] nomine[a] finitimo[a, 86] vocitare[a] suescunt[a]. Qui dum publice contra edictum caesaris vim inferre non auderet rebus ecclesiasticis, tandem ex consulto in id ventum est, ut in loco qui dicitur Aetinga, super huiuscemodi re haberetur placitum sive iudiciale colloquium. In quo omnibus iudicibus vel scabinionibus, qui[a] in[a] eodem[a] comitatu[a] erant[a], pecunia[a] corruptis[a], ac[a] aliis[a] alicunde in id ipsum mercede conductis, ita omnium causidicorum astutia et calliditas caelitus infatuata est, quo communi consilio ex adversaria parte inductus aut subornatus quidam iudex nomine Otpolt, cuius loquacitati ad tunc temporis multa committebantur a multis, nec sciret nec posset iudicare quidquam, quod sancti Emmerammi vel nostram laedere quiret causam. Unde et a defensore nostro publice mendacii et falsitatis notatus, prebuit multis admirationem cum additamento timoris. Verum ne predictus Pruno episcopus tam probrosae confusioni succumbere videretur cum suis asstipulatoribus, rogatu illius palatinus conventus est Ratisbonae habitus, quasi illic annullaretur miraculum, quod contigit. Sed longe aliter res eadem exitum habuit, quando totum concilium, quod ibi collectum fuit, nolens volens divinae voluntati paruit. Nam in aula iudiciali presidente Heinrico duce cum Chuniguuda imperatrice, sua scilicet sorore, necnon subselliis a viris consularibus sive comitibus, uti mos aulicus poposcit, assessis, per totam curiam audiebatur vox contra Sanctum Emmerammum partes episcopi foventium, simul et dicentium, quod Brunoni, utpote tam amplae et potenti personae, nemo posset resistere, quin illa die omnium iudicio in ditionem eius veniret prefatum predium, quod avia eius, nomine Iudita, Norici regni videlicet ducissa, sancto Emmerammo pro se suisque filiis Hluduwico[d] atque Heinrico velut regalem fiscum tradidit[87]; eo scilicet tenore, ut, si episcopus vel aliqua potens persona eandem curtem usurparet vel usibus monachorum subtraheret, statim in ius heredum suorum reverteretur. Hanc quoque sententiam preposuerunt iudices atque optimates, affirmantes traditionis complacitationem huiusce a Gebehardo Imbripolitano antistite violatam esse. Tunc a domino Prunone consensu principis extra curiam evocatis primatibus summa eloquentia preditis, et aliis iudicibus causidicis iuris peritis in sui causam excitis, omnigena calliditate vel astutia foris sunt instructi sive preparati, qui partis illius defensiones intus forent, ut sibi videbatur, argumentose recitaturi, nihili pendentes quod scriptum est:
Non est consilium contra Dominum, qui novit Prov. 21, 30.
corda hominum. Cumque introgressis omnibus perventum esset ad locum et tempus, in quo excusanda erat falsitas et malitia forensis iudicii, et quasi obtinenda triumphalis palatii dignitas, non solum, qui falsitatis antea fuit notatus, convictus est reus esse eiusdem abdictatus, sed etiam omnium contrariae parti faventium ora ita virtute 86
caelesti sunt clausa et mutata, ut nullus tot ingenio callentium aut posset dicere, quod secum ipse cogitando deliberavit, aut fari quiret, quod ab aliis in aurem susurrantibus dicendum accepit. Tum omni senatu, qui frequens convenerat, ob miraculum evidentissimum in laudem Christi provocato, per totam curiam Deo gratias clamor humilis et vere laudabilis personabat, necnon beatissimi martiris Emmerammi laudes altrinsecus exaltantium murmur amabile aures multitudinis reverberabat. Inter quos quidam comes, vir famosus in christiana religione, Eberhardus nomine, fertur dixisse: *Ecce, rex regum manifeste destruit iura mundanarum legum. Bene omnia nunc et semper fecit et facit, qui superbis resistit ac humilibus gratiam dabit.* Tunc dominus Bruno ingenti timore correptus, immo per vim supernae virtutis adeo est interne sibimet surreptus, quo non solum illa die coram principibus et populo humiliatus frigesceret, sudaret, pallesceret, sed etiam intra domestica moenia sub grandi vitae suae periculo proximam noctem insomnem duceret. Altera autem die, cum iam sol illustrasset orbem, poenitentia et lacrimis expellens tenebras, quo deceptus erat, erroris, cum oblatione se beato Emmerammo presentavit, humiliter fratribus delictum suum confessus, atque inter memorias sanctorum nudipes incedendo, tam laboriosam interim exercitationem perpessus, ut nullum ex omnibus altaribus, quae apud nos habundant, pretermitteret, cui propria manu donum non inponeret. Demum ante aram clarissimi patroni nostri, se ultra nec illi neque suis aliquid mali facturum, seu rebus ecclesiae ullam vim illaturum, cum iuramento devovit, necnon sub testibus confirmavit. Vinum quoque, quod partium suarum fautoribus in convivio se daturum spopondit, nobis pro caritate dedit, atque vitam suam intentissime orationi fraternae commendavit[88]. 88

61. Est quidam, ut aestimo, adhuc in hac vita senex religiosus[89], ex laico conversus, nomine Guntharius, qui apud seculum aliquando ex rerum copia tumens, et nobilitate generis vanescens, extitit superbiae filius, sed per misericordiam Dei post factus est tam humilis monachus, ut merito non possim aut debeam illi comparare ullum nostri

a) *secunda manu.* b) *ita correxi;* enterhof 2. c) ut 2. d) hulduuuico 2.

86) scilicet *hoffe, hoffnung.* 87) V. eius chartam Ried I. p. 106. 88) Praedium Eitterhoven Heinricus II. S. Emmerammo confirmavit a. 1021. V. Ried I. p. 137. 89) Obiit a. 1045. V. vitam eius Mabillon Act. VI, I. p. 480.

temporis cucullarium, de vanitate seculi conversum. Is primum sub Gothehardo Altahensium abbate omni patientia et subiectione probatus, coepit desiderare altioris vitae callem incedere. Unde et licentia a patre monasterii accepta, solitariam vi-
1008. tam aggressus est. Ad quam divino adiutorio peragendam, ut se spiritali cautela probaret animumque virtutum exercitiis prepararet, montem quendam petiit, quem a prefato coenobio una ferme rasta distantem idioma Theutiscum Rancinga[90] iam nominavit. In quo pene per tres annos consistens, modico victu ac humillimo habitu parvaque cella contentus erat. Cuius arduam vitam cum mirarentur nonnulli, adventantes cum xeniis, Christum, qui propter nos factus est humilis, in suo visitabant ac venerabantur servo. Tunc ille timens, ne frequentia populi et gloriola seculi sibi sub specie religionis quid de veris surriperet aut minueret bonis, fugiens inde secessit in heremum, quae vocatur aquilonalis silva[91], certamen singulare in ea contra diabolum viriliter pugnaturus. Qua ut primum constitutus Dei famulus heremiticam vitam ruchatica vel spiritali consecravit militia, temptationes varias et multas atque graves perpessus est. E quibus unam, quae relatu veraci parvitati meae in notitiam venit, ad utilitatem legentium nunc prescribere temptabo; post modicum tempus vita comite aliam graviorem subscripturus.

62. Hiemali atqui tempore, quo ultra solitum Noricense solum est inmensitate seu nivium densitate contectum, accidit predicto Dei famulo quoddam quasi palaestrale tormentum, immo probabilis patientiae verum ac venerabile condimentum. Nam cum pre nimietate nivali continuis novem diebus panes illi de monasterio secundum consuetudinem nequirent afferri, neque aliunde ab ullo hominum illuc possent transmitti, neque ipse, inpediente proxima incolatus novitate, aliquid ibi laboratum haberet, unde alimenta sumere valeret, trium dierum inedia affectus, quarta die temptare Dominum nolens, ex glatiali profunditate nivis, quae iam excrevit ultra staturam mediocris hominis, coepit silvestres herbas eruere ac evellere, et in ollam coquendum mittere. . . . . Hanc fidem et fidei exercitationem subsequuta est consolatio divinae pietatis, quae sufficienter illi panes transmisit per quosdam homines, qui illo cum semicirculis super montuosam congeriem nivis incedentes, vix reptando ad virum Dei decimo tandem die pervenire potuerunt. Tunc grates magnificas Deo reddens, qui non dereliquit sperantes in se, quanto sibi per patientiae probationem factus est notior, tanto aliis in posterum exemplo humilitatis et perseverantiae, largiente omnium bonorum fonte, extitit utilior.

63. Unde factum est, ut nonnulli ex clericis sive monachis necnon fidelibus laicis, ab eo et per eum provocati, immo divino instinctu attracti, sub communione orationum eius atque laborum in eadem heremo, cuius ipse ab amorem Christi accola esse voluit, regi regum militare coepissent. Ubi pluribus intra vallem lacrimarum ascensionem cordis disponentibus, necnon de virtute in virtutem cotidie proficiscentibus, contigit, ut quidam presbyter de Saxonum gente oriundus, a domesticis quoque Tammo vocitatus, more adventantium accederet, sub specieque laudabilis incolatus, viri Dei commilitonumve illius conversationi se admiscere temptaret. Quem cum vir Dei partim precurrente magistra experientia abbati Altahensium presentasset, et ex more secundum regulam sancti Benedicti obedientiam promisisset, statim sub tenore quam abbati promiserat obedientiae — sicut et ceteri ad id temporis solebant facere et adhuc solent agere qui manent ea loci heremitae — redditus, sive sub diligentia summa commendatus predicto seni, cum illo repedavit ad secessum heremi.

64. Qua cum, ceteris fratribus Summo humillime famulantibus, et ipse iuxta instituta patrum in cella sibi deputata aliquantum temporis humilitate perageret comitante, per surreptionem cenodoxiae adeo repente gravatus est massa superbiae, ut non solum clandestinis mussitationibus venerando seni detrahendo in aures quorundam commanentium[a] susurraret, sed etiam manifeste in calumniam tanti viri prorumpere auderet dicens: *Quid et quis est Guntharius*[b]*? Laicus atque et idiota, cuius iure contempnitur vita.* Cui responderunt servi Dei, qui forte tunc aderant et haec audierant, dicentes: . . . . Quid plura? Sequestratus idem presbyter aliquot diebus ab illis quos despexit, a subversore ministratas quasdam vidit visiones, immo fantasias aspexit, quibus adeo elevatum est cor eius, ut humili ac simplici voto minime contentus, maiora se quaereret, id est miracula expeteret.

65. Unde accidit, ut in tempesta noctis, qua sanctae Agnetis festivitas celebratur a christianis, orationi aliquantulum incumbens, primum delectabilem, post modicum vero lacrimabilem auditu vocem hauriret, oculisque visionem videret. . . . . in ipso crepusculo lucis prefatus presbyter propriam et singularem deserens cellam, sub inani spe diabolicae pollicitationis, domini Gunthari petiit casam.

66. Quem cum videret venerabilis heros, super repentino eius adventu obstupescens et admirans, utpote qui superbia inperante ab eo sequestratus erat, sibique, veluti literas nescienti, peritiae suae supplementum maligna voluntate subtraxerat, nihil dicere volens conticuit. Tunc qui vana gloria tumidus advenerat, sub specie religionis ad reverendum senem dicebat: *Non ignoramus, quia iuxta instituta patrum nisi vocati de cella egredi et huc venire minime debueramus; sed humilitatis nostrae adventus ex precepto domini nostri Iesu Christi est vobis et aliis valde necessarius.* Cui senex, spiritus munimine protectus dixit: *Unde vobis hoc, aut quando dominus Christus fraternitati vestrae nova dedit precepta?* At ille respondit: *Hac nocte.* Et dicit senex: *Quae?* Respondit presbyter: *Ut in monasteriis Norici regulares observationes corrigam et renovem, atque populis late verbum Dei predicem, necnon infirmitate sanata duobus fratribus, Razoni scilicet et Remigio, visum restituam, oculoque tuo iam per*

a) commonentium 2. b) guntharus 2.

90) Rinchnach. 91) Nordwald.

plures annos doloribus turbato claritatem luminis reddam. Quae verba cum senex audiret per os Tammonis prolata, occurrit iactantiae eius, dicens: *Crede mihi, Guntharius mallet ambobus oculis carere, quam per illius concessionem videre, qui tibi haec fallaciter promisit. Nihil verius quam te diabolica arte circumventum et omnimodis esse delusum.* . . . . .

67. Nam ab illo die presbyter prenominatus periculorum pondere gravatus, etsi se poenitentiae daret artissimae, nullatenus novum et antiquum hostem avertere potuit, quin ei omnibus horis nimie infestus fuerit. Unde factum est, ut dominus Guntharius boni consilii virum, abbatem scilicet Altahensium, nomine Ratmundum, advocaret, ipseque, secum assumpto Pataviensi pontifice, super huiuscemodi re quaestionem habiturus adveniret. Cumque episcopus, cum abbate et domino Gunthario clanculum sermonem faciens, lapsum sacerdotis audisset, et eum diabolica illusione deceptum animadvertisset, unde hoc grande malum acciderit prudenter tractans, dixit: *Ecce factum est in isto fratre, quod premissum legimus in euangelica veritate. Sic enim dicit Dominus in euangelio suo*[91]: *„Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur." Proinde necesse est provisum iri, ut exaltatio pestifera, quae per suasionem diabolicam hominem miserabiliter deiecit, Christi humilitate medicinali mirabiliter sananda, in robur fidei erigatur, ac sic in viam salutis aeternae dirigatur.* Tum episcopus ex auctoritate sacrorum canonum iussit lapsum fratrem ab officio sacerdotali cessare, usque ad satisfactionem utilisque consulti taxationem. Quid plura? Postea quoque diabolica infestatione monachum eundem nimium confundente, atque diurnis[a*] nocturnisve tumultibus seu acclamationibus etiam in servitio Dei deterrente, missum est circumquaque ad patres et fratres, ut communi oratione, singulari et[a] medelifera[a] clandestina sacrificii salutaris oblatione, a misericordissimo Domino veniam peterent casui fratris infirmi. Cumque a nonnullis benigne fuisset oratum, et maxime a domino Gunthario ante conspectum divinae maiestatis pro eo esset laboratum, utpote qui omnibus horis titubanti atque nutanti manum consolationis porrexerat, necnon benignum Iesum certissime sibi miserturum promiserat, tandem post mensium sex evolutionem, qui a pessimo profligatore inpugnabatur, levamen sentiens, remedium accepit. Cuius valde necessario fomento per divinam clementiam interius et exterius idem frater refocillatus ac[a] renovatus[a], iam octavum agit annum, sub exercitamento summae humilitatis, obedientiae atque abstinentiae . . . . .

68. . . . . Hoc enim nimirum super omnia talia mirum, quod ipse auribus meis ab ore senis[92] accepi, atque ab eo quadam sacra electionis familiari collocutione vix extorsi. Nam cum predictus presbyter in angustia maximae temptationis constitutus ad senem saepius curreret atque recurreret . . . . .

69. Ammonicius: . . . . *Ergo, frater o carissime, ut mihi videtur, tibi satis congrue inposuisti Collectitii nomen, et ob velandam Teutonicae loquelae nuditatem, pariter et ob commendandam horum quae dixisti et dicturus es collectariam utilitatem. Ob id quoque et ego aequum arbitror fore, ut vocabulo satisfaciens quod usurpasti, opus inchoatum adaugendo procedas, et quaeque utilia colligendo succedas; dictaturus quidem et assumpturus ea in nomine illius, qui dicit: „Qui non colligit mecum, dispergit; et qui non est mecum, contra me est."* (Luc. 11, 23.) *Ita quidem illi servies, qui est et qui erat et qui venturus est.*

Collectitius: Amen. Utinam inveniar inter colligentes cum Christo, et non cum eis damner, de quibus scriptum est: *Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit; de quo non adimplebit manum suam, qui metet, et sinum suum, qui manipulos colliget.* (Ps. 128, 6, 7.) Hoc quoquo modo fiat, aggrediar iterum narrare, quae Dominus aspiratione sua preveniente et auxiliatione subsequente, dare sive largiri dignabitur.

70. In eodem igitur episcopatu, quo ea contigerant quae predixinus, accidit et aliud quoddam mirabile, quod cunctis fore debet notabile, simul etiam et evitabile. Erat quidam clericus Pataviensis ecclesiae aedituus, cuius nomen dicebatur Wilibertus. Is quadam die, ex more sollicitudinis et officio commissi, percurrens ac perlustrans quaeque loca ecclesiae, offendit in abditis quendam clericum, suum videlicet discipulum, in quodam opere pravo perniciter lapsum. Qui[b] . . . .

74. . . . . Ceterum quo dilectioni tuae meapte satisfiat, presenti capitulo super huiuscemodi re conveniens exemplum proponam atque sequentia humiliter colligendo supponam.

75. Fuit quidam Papiae miles, cuius nomen iam in caelo scriptum pia sperat fides, qui, ut relatu cognovi domini Arderici Verecellensis episcopi, postquam manus adulescentiae secularibus inplicamentis ex more humano detentus est et adstrictus, necnon per plures annos cum armis militaribus se satis strenue inter commilitones exercuit, filiosque iam procreavit, tandem in se reversus, atque a seculi vanitate conversus, cingulum mundanae militiae apud Sanctum Petrum in eadem civitate deposuit, et sub monastico habitu stigmata crucis baiulare desiderans, Christo regum regi coepit militare. Cuius filius miles et ipse strenuus, domi a patre familiaris rei heres derelictus, tantis per quendam Aginulfum, palatini scilicet comitis fratrem germanum, appetebatur inimicitiis atque insidiis, ut limen domus propriae minime auderet excedere. Cuius rei gratia idem qui post militiam factus est monachus, pietate plenus,

a) *secunda manu.* a*) diuturnis 2. b) *praeceptorem postea interfecit, sed ita, ut ille se ipsum suspendisse putaretur.* Qua de re Pataviensis episcopus valde turbatus, quia fas non erat suum proprium homicidam sepultum iri, nescio qua auctoritate iussit corpus igne cremari; *postea* confessus est, se ob accusationis timorem prefatum presbyterum strangulasse, simul et suspendisse, ac propterea ex obiecto malo purgari nequisse. Quod ut audivit episcopus, sequestravit eum de clero, ac privavit ordine sacro, auctoritate pastorali precipiens illi, summo conamine poenitentiam agere, laqueisque diaboli se sic subtrahere.

91) Matth. 23, 12. 92) Guntharii.

ex permissione abbatis, sub cuius regimine degebat, misit legatum ad virum prenominatum, rogans, ut ob reverentiam sancti Petri ad se minus pigritaret venire. Qui[50] . . . . .

76. Ammonicius: . . . . *De cetero, quod insidet animo, dilectioni tuae consilium do, ut presentis dialogi claudas librum, ne forte unius voluminis probabilem excedat modum.*

Collectitius: Quamvis mihi non sit pro magno, diiudicari ab homine vel ab humano die, tamen ita tuae caritati meapte probum videtur consensum iri, ut narrationis gressibus in Galliam pergens, primum in ea factum tangam aliquod, quod legentibus et audientibus utile sit, dein tendam ad voluminis finem, quatinus ibi fervor dictandi et scribendi ad tempus quiescat sive decalescat, ubi sol cotidie ad occasum vergens, mundo absentia sua noctis tenebras infundendo, quodammodo ardere seu lucere mortalibus cessat.

77. Erat quidam nobilis homo habitans in Galliarum regno, qui se assidue in venatione inter alia exercens, die quadam quem necessarium habuit ad domum reditum protraxit usque ad diei noctisve crepusculum. Tunc illius canibus vulpeculam solito insequentibus et ingressis cuiusdam cavernulas montis, dominus et senior valde dolens super interitu eorundem canum, quia non poterant videri neque audiri, misit de suis militibus atque comitibus, qui sibi de proximis villis ignem cum lumine afferrent, pariterque funes cum longis ordinibus deferrent, quibus cavitatem montis descendentes intrare valerent. Cumque unus ex illis, qui post ignem et funiculos missi erant, per foramen intraret et intus . . . .

79. Collectitius: Et humilitati meae placet, in nomine sanctae Trinitatis claudere librum, quia sol cum fine brevis dieculae iam petit occasum.

Ammonicius: *Feliciter. Amen.*

50) consentire noluit sed a diabolo territus poenitentiam egit.

VITA S. ADALBERTI EPISCOPI.

Romae in latere montis Aventini ad Tiberim fluvium converso coenobium extat sanctis Bonifatio et Alexio consecratum, quorum veneratione Graeci iuxta ac Latini attracti, antiquitus sub utraque sancti Basilii et sancti Benedicti 1 *regula vitam monasticam egerunt*[1]. *Hic Adalbertus, episcopus Pragensis, e patria profugus, sub Leone abbate monachum induit*[2], *et complures annos sanctorem virorum familiaritate usus, ex eorum denique numero vitae suae scriptorem sortitus est. Quum enim complures episcopi et martyris vitae extent, ea quae omnium antiquissima et reliquarum fons praecipuus agnoscitur, intra biennium aut triennium post obitum Adalberti conscripta, auctorem habuit monachum SS. Bonifatii et Alexii, qui nomen quidem suum latere voluit, sed quem Iohannem Canaparium, coenobii mox abbatem futurum, fuisse existimo. Certe monachum SS. Bonifatii et Alexii eo se prodit, quod tum S. Basilium*[3], *tum* 4 *S. Benedictum*[4] *„patrem nostrum“ vocat; Leonis abbatis*[5] *et fratrum de Adalberti vita et moribus iudicium adfert*[6]; *ipse una cum reliquis fratribus Adalbertum „saecularis philosophiae scientissimum esse“ noverat*[7]; *et ea quae nonnisi paucissimis monasterii fratribus innotuerant nobiscum communicat*[8]. *Vir igitur in omnibus, quae Romae vel ante ultimum Adalberti iter contigerant, haud levis auctoritatis, scilicet qui ea aut ipse vidit, aut ab Adalberto, et fratre eius Gau-*

1) Brunonis vita Adalberti. 2) cap. 16. sqq. 3) cap. 15. 4) cap. 25. 5) idem, quem a. 995. causa Arnulfi et Gerberti dirimendae in Galliam missum legimus SS. III. 653. sqq. et 686. sqq. 6) c. 20. 7) c. 5.; cf. c. 12. 8) c. 29.

dentio[9], *qui sancto viro inde ab infantia fidissimus comes adhaeserat*[10], *a S.* 10 *Nilo*[11], *et Leone audivit, ultimam Adalberti expeditionem et martyrii historiam a Gaudentio itineris socio, quem praecipua observantia colit, didicisse videtur.*

Quae cum ita sint, nonnulli Gaudentium ipsum, quem Otto III. a. 1000. *Gnesensi sedi archiepiscopum imposuit, librum conscripsisse existimarunt*[12]*; qui-* 12 *bus quominus assentiar, animo auctoris permoveor. Nam maiore caritate de Gaudentio loquitur, quam ut ipsum eundemque fuisse credam, animo minus commoto Adalberti caedem narrat, quam ut fratrem ea scribere opiner; ideoque in eam potius sententiam inclino, ut Iohannem Canaparium auctorem libri habeam, cuius visio de obitu Adalberti infra ita narratur:* ecce in monasterio ubi ille talis *(Adalbertus)* nutritus fuerat, cuidam converso Iohanni Canapario, talia Dominus per visum ostendit. E summo coelo . . . . Unius nomen, extra ipsum qui haec vidit, admodum paucissimi sciunt; alter vero erat, ut adhuc hodie ipse meminit, domnus Adalbertus, cui angelicus minister iam coelestis mensae convivia praeparavit. *Hic auctorem exemplo Iohannis euangelistae*[13] *sua ipsius referre intelligimus; et modestia ea, quae monachum decet, vir* „nobilitate carnis praepollens et divitiis affluens, qui monachicum habitum abrenuntians quae saeculi sunt suscepit, Iohannes Canaparius[14]“, *se „quendam conversum“ tantum dicit.* 11

Iohannes noster, ut auctore Miraculorum S. Alexii referente discimus, dum in saeculo erat, multos amicos propinquos et fideles sincera caritate devinxerat eundem locum secum petere eundemque habitum suscipere, sed nonnisi pauci eorum promissis suis steterunt. Eum non solum scripturae sacrae et patrum, sed etiam classicorum Romanorum, gnarum, plurimae sententiae inde decerptae, quas operi inserendas duxit, arguunt. Leone defuncto abbas electus est[15], *et a.* 1002. *d.* 8. *Martii vetustam Eufemiani, patris S. Alexii, donationem auctoritate publica transscribi iussit*[16]. *Obiit d.* 12. *Octobris a.* 1004[17].

Scripsit vitam Adalberti superstitibus Nilo[18] († 1005.), *Ottone III.*[19] († 1002. *d.* 24. *Ianuarii) et Leone, ante iter imperatoris in Poloniam ad visendam Adalberti tumbam susceptum (a.* 1000.), *cuius certe mentionem non facit, Gregorio V. papa recens defuncto (a.* 999. *d. Febr.* 5.), *quod eo in vivis degente vix praecipitem eius animum vituperasset*[20]*; ideoque anno* 999. *librum absolvisse cen-* 20 *sendus est. Cuius suscipiendi Ottonem III. auctorem tradit scriptor libelli de translatione SS. Abundii et Abundantii*[21], *et amicitia, qua imperator Adalberto*

9) c. 12. 29. 30. 10) c. 16. 9. 11) c. 15. 29. 12) praecipue Cl. Voigt in historia Prussiae I. p. 653. sqq. quem Cll. Palacky in „Würdigung der ältesten böhmischen Geschichtschreiber“ p. 296. et Contzen „Geschichtschreiber der Sächsischen Kaiserzeit“ p. 138. secuti sunt. 13) Euang. 19, 26. 35. 14) Miracula S. Alexii. 15) abbatem vocat Bruno in Vita Adalberti infra cap. 27. 16) Marini Papiri p. 126. 127. 17) Epitaphium eius Baronius, et Felix Nerini in libro de templo et coenobio SS. Bonifacii et Alexii Romae 1752. in 4°. pag. 144. ita refert:

Christe Deus, rerum pulcherrime factor et auctor,
Suscipe me indignum, salus et omne bonum.
Obsecro, flagito, servus postulo, queso, Iohannes;
Confiteor culpam, da clemens veniam.
Omne malum merui, cumulumque reatibus auxi,
Tardus ad omne bonum, promptus ad omne malum.
A capite usque pedes maculant membra omnia sordes,
Sed tu, sancte Deus, rex, miserere, pius.
Da in regione domum, sunt ubi castra virorum,
Auricomus ubi regnat aurea secula Christus.

Precor vos omnes qui hic post me venturi estis, pro me preces fundatis et propter karitatem, quam violare non licet, nemo suum nec alienum cadaver super me mittat; quod si aliquis hoc presumpserit, sit maledictus atque in perpetuum anathemate constrictus.

Credo quod Redemptor meus vivit et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

Ab incarnatione domini nostri Iesu Christi anni sunt mille 4. Obiit mense Octobris die 12. indictione 3. 18) cf. cap. 19. 41. 19) cf. cap. 14. 30. 20) cap. 21. 21) Mabill. Acta SS. O. S. B. saec. V. p. 873. cuius ultima exscribimus: *per palmam martyrii migravit ad Dominum*

iunctus erat[22], *et animus auctoris in Ottonem III. et II. benevolus*[23], *rem ita se habuisse, fidem facere possunt.*

Auctor utitur stilo gravi et brevi, adhibitis tamen sententiis, quae nonnum-
24 *quam ad recentioris idiomatis usum*[24] *accedunt.*

Liber statim ut prodiit, per Italiam et Germaniam inclaruit, paucos post annos a Brunone episcopo in libro ab ipso de vita Adalberti edito excerptus est, saeculo XI. in Monte Casino et in Germania tertiam vicissitudinem subiit, tum Leoni Ostiensi, auctori translationis S. Abundii et Abundantii, Cosmae
25 *decano Pragensi*[25], *et aliis per eos auctoribus*[26] *innotuit.*

Editio nostra his nititur subsidiis:

1) *C. ducali Guelferbytano, olim Lampringensi, inter Helmstadienses N.* 553. *mbr. in* 4° *saeculi XI. Textum praebet in universum sincerum, sed locis compluribus manu secunda eiusdem tamen saeculi arrasum et depravatum, quare primaria lectione ope reliquorum codicum restituta, correctoris raro tantum rationem habui. Congruit cum eo*

2) *C. regius Stuttgardiensis, olim Zwifaltanus, N.* 167. *Vol. III. mbr. in folio maximo saeculi XII. medii, cui fol.* 187—191. *liber noster manu saeculi XIII. inlatus est; quo V. Cl. Moseri, supremi rei scholasticae in regno Wirtembergensi consiliarii et bibliothecarii, beneficio uti mihi licuit. Eodem pertinere videtur*

2[b]) *C. Sanctae Crucis in Austria mbr. sec. XII. in folio.*

2[c]) *C. Caesareus Vindobonensis inter codd. Hist. eccl. N.* 5. *signatus mbr. in fol. sec. XIII. exeuntis.*

2[d]) *C. Zwettlensis in Austria N.* 24. *mbr. sec. XIII. in folio.*

3[a]) *C. coenobii Windbergensis, a Canisio in Lect. Antiq. V. P. II. p.* 332 *sqq. expressus, haud amplius extat, quare eius loco textum Canisianum adhibui, in universum bonum, qui fere nonnisi ubi editor sententiae haud bene intellectae additis vocibus aliquibus mederi nisus erat ab anterioribus codicibus recedit. Canisii textum*

3[a*]) *Freherus in SS. Bohemicis p.* 73—84. *repetivit et Basnagius in altera Lectionum editione T. III. p.* 45. *sqq. annotationibus nonnullis auxit. — Ad Canisii lectionem*

3[b]) *C. Admontensis in Styria mbr. saec. XII. in folio et*

3[bb]) *C. Claustroneoburgensis N.* 707. *membranaceus in fol. saec. XII. acce-*

Quo audito rex, ardorem tanti martyris non ferens, cum senatu Romano et episcopis et clericis extra montes in Sclavoniam pergit ad educendas Romam reliquias beati martyris Adelberti. Qui manus eius auferens, auro et gemmis mire exornavit, et ecclesiam nomini eius inter duos pontes fabricavit, et magnae dignitati tradidit; necnon ortum eius, actus et passionem mira arte composuit et in libello scribi fecit. Tum coepit inquirere corpora sanctorum martyrum, et praecepit, ut, ubicumque inventa fuissent, ad ecclesiam beati Adelberti deportarentur. Et nuntiatum est illi, quod in ecclesia beatorum Abundii et Abundantii martyrum, quae est iuxta montem Soractis, erant plura sanctorum martyrum corpora. Qui misit suos nuntios episcopos et clericos et monachos, ut cum omni honore et diligentia et hymnis Dei ad ecclesiam beati Adelberti ea deferrent. Qui protinus abierunt, et coeperunt inquirere, ubi essent tumuli eorum. Et invenerunt in uno tumulo corpora beatorum Abundii et Abundantii posita, et in alio corpus beatae Theodorae, quae in praedio suo eos sepelierat. Invenerunt etiam inter eos sanctos martyres, qui habebant inauratas vestes et mire exornatas, et super altare eorum mensam sculptam et nimis decoratam. Et deportata sunt omnia secundum iussum imperatoris ad ecclesiam beati Adelberti martyris.

22) c. 22. 23. 25. 23) c. 8. 14. 21. 22. 23. 24) ita c. 8. *foret* loco esset; *postulans erat, exposcens erat* = postulabat, exposcebat; *vivere suum* = vitam suam, usurpat. 25) per Cosmam Annalistae Saxoni. 26) quorum non pauci vitae compendium ediderunt, de quibus v. infra.

1. Vita Adalberti: a. Cod. Guelferbytanus.

magna q. census copia iussis pauperum distribuenda, ipsi de suo
dari iussit gazophilatio.
solvuna pgere vellet, clam iuenire illu fecit. Que eadem con
sequenti nocte pauperib fideliter divisit, atq ab uno denario
totu expendens nil sibi retinuit. Deinde pueris remissis
in patria. mutat habitu. & asinis. pportandis onerib merca
tus, cum trib numero frib socium iter assumpsit

b. Cod. Admontensis.

ASCITUR
NASCITUR. PURPUREUS.
FLOS. hoc mitteis. terris. maior filios.
ex parentibus magnis.

2. Vita Colomanni: C. Admontensis.

PRINCEPS aplorum PETRUS audiens a dno mundi
contemptores centuplo remunerandos. hic emolumento. &
in futuro vita etna possessuros cu xpo. multas asseda

3. Vita Heriberti: C. Leodiensis.

Matri ecclarum. & romane eccle. & in univso orbe
terraru universis filiis universalis eccle. metropo

C. L. Bethmann sc.

4. Vita Heinrici II. imp. a. Cod. Bambergensis.

Nec minus ipse rex pfat HEINRIC
xvi. tercius. cunradi impatoris filius. dudu patre vivente
rex constitutus. ordinationis sue anno xii. regnu aut pri

uestes pitissima fuit. conposuit. scripsit quicumq; scire voluit co
Cvnegundis divina dispensatione Cpla gnosce poterit.
solo impatr nomine. spaliter dilecte congregationi in con
fugia. quicquid iuste convenit dilectioni. pe adversitatis sar

G. Waitz sc.

b. Cod. Senat. Lips. CXCIV. fol. 6. b.

Cumq; civitates apulie ptransisset. &
que ad utilitatem & ad honore regni
ptinebant in eis prudentissime disposu
isset. cepit infirmitate calculi laborare. Cui
morbi molestiam vir scs tanta patientia
sustinuit. ut passiones carnis ad custodia

lith. v. J. G. Schwab

dere videntur, quippe qui aeque ac ille et Pragensis initio Boemiam, loco Sclavoniae, scribat.

3c) *C. bibliothecae Pragensis metropolitanae mbr. saec. XIV. in fol.*[27] *quem, adhibitis Canisii et Bzovii editionibus, a Godefrido Henschen in Actis SS. d.* 23. *Aprilis p.* 178. *sqq. expressum et annotationibus instructum legimus*[28], *hinc inde a Bohuslao Balbino legendi ignorantia aut sponte corruptus est. Nam ut b. m. Dobrowskio tradente novimus, codex Pragensis aeque ac reliqui „ferocibusque" haud vero „fortibusque" viris habet, et glossas atque voces explicandae sententiae adhibitas textui inseri deprehendimus; ceterum codex ad nostrum* 2. *in compluribus locis proxime accedit.*

4a) *C. Admontensis membranaceus folio maximo saec. XII. scriptus, quem industria Chmelii nostri cum editis collatum gratulamur, textum exhibet arbitrio scriptoris ita immutatum, ut nonnunquam auctorem nostrum haud amplius agnoscas. Saepe enim addit, resecat, sententias reformat, voces vocibus commutat, sed aliis locis genuinum textum satis fide exscripsit. Quod iubente Silvestro II. factum esse, fortasse inde coniicere licebit, quod idem fere opus in*

4b) *C. Casinate N.* 145. *mbr. saec. XI. in folio maximo (pag.* 209. *sqq.),* 30 *Silvestro II. papae adscribitur*[29]. *Liber a Bzovio a.* 1629. *editus*[30] *et notis illustratus, cum Admontensi in universum quidem consentit, sed sua etiam habet cum ab Admontensi tum a textu genuino diversa; nonnullis locis glossas textui infert, aliis ad Canisii lectionem proxime accedit. Ex isto fluxit*[31]

4b*) *C. Casinas N.* 110. *mbr. in folio maximo saec. XII. ubi fol.* 264. *sqq. vita legitur in quatuor lectiones distributa. Eiusdem ordinis esse videtur:*

4c) *C. bibl. Vallicellianae*[32] *G. N.* 99. *fortasse idem, quem ex bibliotheca* 33 *S. Caeciliae Baronius*[33] *et Bzovius laudaverunt.*

5) *C. regius Bruxellensis N.* 9290. *mbr. fol. saec. XII. olim Sancti Laurentii in Leodio, textum, qualem reliquorum codicum auctoritate stabiliendum patet, vocibus intellectu difficilioribus resectis, aliisve additis, leviter immutavit; cum editis collatus est a Bethmanno nostro.*

6) *C. regius Monacensis inter libros S. Emmerammi Ratisbonensis B.* 34. *signatus, mbr. saec. XIV. a V. Cl. Föringer in usus nostros versus, voces et sententias integras cum aliis commutat, textum contrahit et insertis vitae alterius particulis dilatat; in fine Miracula sancti Adalberti martyris exhibet infra referenda.*

In tanta codicum varietate[34], *quum textum genuinum nonnisi in* 1. 2. 3. *haberi pateret, praecipua tantum loca quibus reliqui ab eis dissentiunt adno-* 34 *tanda esse duxi.*

Altera Adalberti vita Brunoni archiepiscopo debetur. Liber ardentissimum Christi amorem spirat, nec monachum tantum sed martyrem auctorem prodit. Erat Bruno genere clarissimo Saxonum editus[35], *patre Brunone et*

27) v. de eo Pelzel et Dobrowsky in praefatione SS. Bohem. T. I. p. XV. sqq. 28) Mabillonius in Actis SS. S. Bened. Saec. V. p. 846. sqq. Canisii, Bollandi et Bzovii editiones inter se contulit, et excerpta vitae secundae, codicis secundi Ademari (v. supra p. 129.), annalistae Saxonis, qui nonnisi ex Cosma hausta refert, et translationis SS. Abundii et Abundantii addidit. 29) Bzovius et catalogus ms. bibliothecae Casinensis auctoribus Friderico et Placido de Genua. 30) S. Adalberti Ursini comitis Rosembergii . . . . vita et passio ab eius synchrono et familiari Silvestro II. P. M. edita. Romae in 4_o. 31) v. quae in Annalibus nostris T. V. p. 47. de legendariis Casinatibus notavi. 32) De codice Vallicelliano H. 25. signato nobis non constat. 33) a. 980. p. 839. sqq. 34) Codex in catalogo mss. bibliothecae Gottingensis indicatus (Archiv VI. 200.) ibi hodie non extat. 35) fortasse regiae familiae cognatus, Thietmar. VI. 58. Ex fratre eius Lotharius III.

matre Ida[36]. *Puer a patre, Thietmari episcopi Merseburgensis consanguineo et*
37 *amico, Magdeburgensi ecclesiae sub Adalberto archiepiscopo*[37] *et Geddone magistro*[38] *traditus*[39], *Adalbertum Pragensem sodalem habuisse dicitur*[41], *et Thietmaro contemporalis et conscolasticus fuit*[42]. *Iuvenis religione, moribus et doctrina inter sodales clarus, canonicis S. Mauritii adscriptus est. Postea ab Ottone III. desideratur et suscipitur*[43]*; sed regiis negotiis non diu insudavit. Nam anno* 996. *regem, ut credere fas est, Romam comitatus, Adalberti, Leonis, Iohannis, aliorumque plurimorum exemplum secutus, mundo relicto, circa annum* 997. *solitariae vitae se addixit. Professus est monachum sub nomine Bonifatii*[44], *et in coenobio quodam, ut recentiores volunt apud Sanctum Alexium, paucos annos exegit. Anno* 1001. *Romualdum abbatem cum aliis Theutonicis Roma Tibur atque Casinum secutus, tandem cum ipso Pontem*
45 *Petri, in palude Classensi haud procul Ravenna situm, adiit*[45]. *Ibi opera manuum victum quaeritans, inedia et vigiliis corpus castigabat*[46] *et fervore fidei et asceticae vitae reliquos monachos anteibat. Erant in eadem congregatione alii conversi, Tammo comes, Iohannes et Benedictus, tum Bolesclavi Poloniae ducis filius Bolesclavus*[47]. *Quo tempore quum orientalis Europae populi, Sclavi, Pruzzi, Ungarii, Russi, Lituani, a compluribus christianae fidei apostolis appeterentur, Benedictus et Iohannes Bolesclavo duce petente in Poloniam profecti*[48], *martyrio postea perierunt; Bruno auctoritate papae et Heinrici II. archiepiscopus gentium consecrandus seligitur. Vir martyrii cupidus, papam, sive Silvester II. sive Iohannes XVII. aut XVIII. sit incertum, petiturus, pedester nudis pedibus Ravenna Romam adiit*[49], *pallioque cum legatione ad regem accepto, nudis cruribus et pedibus hiemis tempore in Germaniam profectus, Heinricum una cum Taginone archiepiscopo Magdeburgensi Merseburgi*[50], *tunc fortasse episcopatui restaurando*
51 *intentum*[51], *reperit. Ibi consecratione accepta archiepiscopus gentium renuntiatus, in Poloniam, Ungariam reliquasque interioris Europae terras profectus est. Anno eodem exeunte*[52], *fortasse in Polonia*[53], *velut insigne religionis humilitatis et martyrii exemplum sibi propositurus, vitam Adalberti conscripsit. Liber antiquiori vitae innititur, sed oratione plane diversa, rebus haud paucis resectis, aliis, prout a viro meliora edocto exspectari poterat, emendatis et additis, novum plane opus evasit. Ardens pietas et martyrii desiderium, animus magnis cogitationibus assuefactus, rerum sacrarum mundanarumque experientia, iudicium*

imperator descendit:

Bruno
- Bruno † 1009.
- Gevehardus
  - Burchardus
    - Gevehardus
      - Conradus archiepiscopus Magdeburgensis.
  - Ida
    - Gevehardus comes
      - Lotharius III. imp.

36) quos Querfordiae sedisse, chronicon Magdeburgense tradit. 37) Si Chronico Magdeburgensi fides, Meibom. II. p. 275. 38) Thietmar. l. c. 39) cf. c. 4. vitae Adalberti. 40) Chronographus Saxo a. 1009. 41) Chron. Magdeb. p. 275. 42) Thietmar. l. c. 43) Thietmar. l. c. cf. Vitae Adalb. cap. 20: *cuius morem nobilem novimus.* Quae Petrus Dam. in Vita S. Romualdi c. 27. de dilectione imperatoris scribit, ad Brunonem sive Gregorium V. papam referenda sunt. 44) Ann. Quedl. a. 1009. Chron. Saxo a. 1009. Chron. Magdeb. p. 275. 284. Eum coenobium S. Alexii intrasse, recentiores male intellecto loco vitae Romualdi statuerunt. 45) Vita Romualdi c. 26. 27. 46) Thietmar. l. c. et Vita Romualdi c. 27. 47) Vita Romualdi c. 26. 48) l. c. c. 28. Andream et Benedictum Hartwicus in Vita Stephani ex Polonia in Ungariam arcessitos scribit. 49) Vita S. Romualdi l. c. 50) Thietmar. l. c. 51) nisi haec post conscriptam Adalberti vitam, ideoque autumno anni 1004. vel 1005., contigisse statuas. 52) annus ex caede Zobizlovi constat, c. 21. Qui quum ineunte Septembri obierit, et Iohannes abbas SS. Bonifatii et Alexii c. 17. superstes memoretur, quem d. 12. Octobris huius anni obiisse supra vidimus, liber circa mensem Octobrium, antequam Iohannis obitus nostro innotuisset, scriptus esse videtur. 53) c. 22: *interim in hac regione . . . expectabat* ad Poloniam referatur necesse est, et auctorem tunc ibi moratum indigitare videtur.

acre et rectum cum amore veri coniunctum, sententiarum vi et gravitate, sermone vivido, brevi, florido, nonnunquam ipsa brevitate subobscuro, exprimuntur. Praeter se ipsum testes rerum quas narrat gravissimos, Leonem et Iohannem abbates, Leonem palatii episcopum, Radlam papatem memorat; at Radlam in altera tantum libri editione, quam in Ungaria positus[54] *suscepisse videtur.* 54 *Omittit in ea tum quae contra reges de gentium conversione non curantes scripserat, tum miracula quaedam, quorum pars iam in Vita antiquiore occurrerat, aliaque fusius edita; quaedam contrahit mutatve, breviora explicat, addit quae a Radla praesens audierat, et ultima manu imposita, librum qui gratam auctoris memoriam et admirationem apud posteros servet reliquit. — Proximis annis apud Polonos Ungarosque*[55] *versatus, egregia virtute, ardore fidei et eloquentia proceribus eorum, Boleslavo praecipue, placuit; magnisque muneribus ditatus, omnia ea ecclesiis, familiaribus suis et pauperibus contulit*[56]. 56 *Duodecimo*[57] *conversionis anno fervida praedicationis constantia*[58] *in Pruciam perrexit, ad Russos pervenit, quorum regem, per duas lignorum strues igne supposito inlaesus transiens, ad fidem convertit*[59], *sed a fratre eius incredulo una cum sociis suis duodeviginti decollatus est. Martyrii palmam anno* 1009. *d.* 16. *Kal. Martii*[60] *„mitis ut agnus" accepit. Defunctorum corpora Boleslavus mercatus est, ac domui suae solatium futura acquisivit. De ultimo eius fato socius itineris Wipertus haec notavit, quae in codice regio Monacensi inter Tegernseenses N.* 897. *manu saeculi XI. scripta, insigni Föringeri nostri beneficio hic inserimus*[61]:

Cognoscat Deo dilectus populus universus, quod ego Wipertus, Dei servorum servus[62], causa remissionis meorum peccatorum et domini mei sanc- 62 tissimi et martiris Christi Brunonis episcopi iussione, mea omnia que habui contempsi mobilia et immobilia, et illum secutus fui in paganorum provincia que nuncupatur Pruscia. Ille etiam pontifex et martir Christi Brunus, dimisso episcopatu una cum grege sibi credito, cum suis capellanis ambulavit Prusciam ad convertendas[a] paganorum gentes in christianitate sanctissima. Quorum nomina hec sunt: in primis dominus meus Brunus episcopus et martir Christi sanctissimus; nomina capellanorum qui cum eo ad martirium venerunt hec sunt: Tiemicus, Aicus, Hezichus, Apichus, novissime ego Wibertus. Quid plura? Quando patriam intravimus, statim ante regem ducti fuimus. Episcopus vero cum suis capellanis preparatis celebravit missam, predicando euvangelica atque apostolorum dicta. Que omnia ut rex, Nethimer nomine, audivit, dixit: „Nos deos habemus in quibus adoramus et confidimus. Verbis autem tuis obedire nolumus." Episcopus hoc audiens, illius regis adportare iussit simulacra, et illo presente in igne proiecit cum virtute maxima. Ignis vero accepit et devoravit illa denique simulacra. Rex autem turbatus dixit indignatione maxima: „Accipite episcopum citissime, et in ignem coram me proicite. Si illum ignis

54) Hanc secundam editionem esse, inde coniicias, quod prior maiorem cum libro Iohannis Canaparii necessitudinem praefert; in Ungaria scriptam, ob res quae nonnisi colloquio cum Radla habito addi potuerunt; v. c. 23: *ut hodie audis ipsum dicentem . . . ex huius ore audisse me fateor . . .* 55) Hoc ex epistola B. (Benedicti) clerici ad Heinricum II. ex Ungaria scripta patet. Hartwicus in vita Stephani, centum annis posterior, nostrum quidem tacet, sed Bonifatium quendem memorat, qui Asterico abbas successerit; sub quo noster fortasse latet. 56) Thietmar. l. c. 57) Thietmar. — Ann. Quedl. scribunt XIo. anno. 58) Vita Romualdi c. 27. 59) Vita Romualdi c. 27. 60) Thietmar. Ann. Weissenburg. In annalibus Quedl. et chron. Halberstadensi dies 7. Idus Mart. legitur. 61) Narratio manu bibliothecarii Tegernseensis saec. XV. inscribitur: *Hystoria de predicacione episcopi Brunonis cum suis capellanis in Pruscia et martirio eorum.* 62) ita et Bernwardus episcopus in inscriptione sarcofagi se vocavit; v. infra.

a) conuertenda c.

comburit et devorat, cognoscite quia illius est predicatio vanissima; denique si est aliter, in illum Deum credamus velociter.“ Tunc iussit rex ignem accendi validissimum, et in illum proici episcopum. Episcopus autem indutus vestimento episcopali, suam sedem in ignem fecit portare, et in igne supra eandem tamdiu sedit, quousque a capellanis septem psalmi fuerunt decantati. Rex vero hoc videns factum mirabile, cum trecentis viris credidit Deo velociter, et accepit baptismum penitentie. Dux postea illius terre ad episcopum equitavit, virtute repletus diabolica, et illum episcopum cum capellanis fecit martirizare absque ulla querimonia. Episcopi caput iussit abscidi, et capellanos omnes iussit suspendi, et meos oculos eruere fecit. Postea vero operante Christo visa sunt ibi signa sine numero et prodigia; nunc vero supra illorum corpora constructa sunt monasteria. Ex illo tempore pro Deo peregrinando circuivi plurimas provincias, invocans sanctos sanctasque in christianorum auxilia. Quid multum dicam? Omnium christianorum in karitate Dei deposco auxilium, quod mee vite fiat patrocinium, vestrorum peccatorum eternum remedium[a].

63 *Memoriam herois liber gestorum eius*[63] *veridicus, sed hodie deperditus, celebravit, nomen urbs in Prussia, Brunonis mons*[64] *vocata, hodieque retinet. Patrem eius Brunonem, filii consilio monachum conversum, eodem anno d. 14. Kal. Novembris obiisse, Thietmarus tradidit.*

66 *Liber vitae Adalberti a Brunone compositus*[65] *statim ut prodiit*[66] *ab auctore annalium Magdeburgensium, quorum reliquias apud Chronographum Saxonem et in chronico Magdeburgensi legimus*[67], *exscriptus*[68], *fortasse etiam Thietmaro innotuit*[69], *et saeculo XII. apud Admontenses, saeculo XIV. Pragae transscriptus est. Prior libri recensio a.* 1571. *a Surio in Actis SS. April. p.* 826. *sqq. „stylo modice correcto“ ex codice hodie incognito luci data est, secundam ex codice Pragensi, adhibita tamen saepius editione Suriana, Henschen in Actis SS. l. c. p.* 187. *vulgavit, unde decerpta Mabillonius et Basnagius repetiverunt. Nobis quum secunda recensio, utpote ab auctore recognita et perfecta, ex instituti nostri ratione evulganda esset, codex eorum quos novimus antiquissimus, scilicet*

1) *Admontensis mbr. saec. XII. in* 4°. *ut integer exscriberetur a Chmelio nostro impetravimus, locos nonnullos ope*

2) *codicis Pragensis, qualis in editione Henschenii exprimitur, correximus, et adhibita*

3) *Surii editione, omnia, quibus recensio prima a secunda recedit, infra textum enotavimus; quo facto, ne lectorum aliquis priorem recensionem desideret, cavimus.*

70 *Saeculo post Iohannem et Brunonem elapso, Cosmas*[70] *decanus Pragensis passionem S. Adalberti celebrandam suscepit, sed liber eius multo minus temporis*

a) *manus saeculi XI. adscripsit:* Explicit.

63) laudatur ex annalibus antiquis Magdeburgensibus in Chronico Magdeburgensi pag. 275. 284. 64) Brunsberg, Braunsberg. 65) Trithemius in libro de SS. eccles. c. 336. Brunonem praeter alia ibros II. commentariorum in Genesim scripsisse refert. 66) primae editionis sententias exscriptas legimus apud Chronographum a. 972: *Nemo rex studium habet* etc. usque *paganum.* 67) rem ultra dubitationem ponit locus ap. Chronographum a. 982, littera obliqua iam a Leibnitio indicatus p. 194. 68) Chron. Saxo a. 973. 974. p. 187. et 188. a. 982. p. 195: *Nam ut refert* etc. usque *imperiali caruit potestate,* et p. 194: *clarum sapientiae suae memoriale reliquit.* Chron. Magdeburg. p. 275—277. 280. 69) Sed quae Thietmarus IV. 19. de S. Adalberto tradit, etiam aliunde fortasse noverat. 70) cf. Pelzelii et Dobrowskii praefat. SS. Boh. T. III. p. XVIII. XIX.

intervallo quam merito ab illis distat. Cuius „Versus de passione sancti Adalberti episcopi et martyris“ *ex codice Pragensi supra laudato Dobner T. II. Monumentorum Hist. Bohemiae p.* 1. *sqq. edidit*[71]. — *Extat praeterea vita succincta in codice regio Monacensi inter Inderstorfenses N.* 242. „Sanctus Adalbertus ortus fuit de Sclavonia quae est in Germania“ *etc. aliaeque nullius momenti in codicibus Bohemicis, Ultraiectino et Warmiensi in Prussia*[72], *in regio Bruxellensi N.* 7773. 72 *hymnus brevis in laudem B. Adalberti ex missali Cracoviensi descriptus, cuius prima verba sunt:* Hodierna lux diei[73].

Miracula Adalberto a posteris tributa omittimus[74], *exceptis tantum quae Cl. Föringer in codice Monacensi reperta exscripsit et nobiscum communicavit; quibus Polonorum, Martini Galli et Boguphali, narrationes referri, cuique legenti patet.*

Subiicimus quaedam ad res gestas Ottonis III. pertinentia, ex Vita S. Nili et Miraculis S. Alexii decerpta.

VITA ANTIQUIOR AUCTORE IOHANNE CANAPARIO.

INCIPIT PASSIO SANCTI ADALBERTI MARTIRIS CHRISTI[a].

1. Est locus in partibus Germaniae, dives[b] opibus, praepotens armis ferocibusque[c] viris[d], quem incolae Sclavoniam[e] cognomine[f] dicunt. Huius[g] maxima pars infidelitatis errore praeventa, creaturam pro Creatore, lignum vel lapidem pro Deo colunt; plerique vero nomine tenus[h] christiani, ritu gentilium vivunt; quibus[i] causa periculi fit res salutis. Nonnulli tamen ex eadem gente et bene credunt et pro spe futurae mercedis bona opera agunt. Igitur in illis[k] finibus, ubi christianitatis religio pulcherrima floruit, erat vir Zlaunic[l] nomine, potens in honore et divitiis, amore iustitiae ac operibus mi-

a) *ita* 1. Inc. vita et passio venerabilis viri Adalberti Pragensis civitatis episcopi, qui in baptismate appellatus est Woithec, cuius martyrium celebratur IX. Kal. Mai. 5. b) locuplex 6. *et ita saepe vocabula commutat.* c) fortibusque 3c? *v. praef.* d) virisque ferocibus 4a, b, c. e) boemiam 3a, b. bohemiam 3c. f) nomine 4b, c. g) cuius maior pars adhuc infidelitatis tenebris occupata lignum vel lapidem seu aliam creaturam pro deo colunt 4a, b. h) tenti 1. i) q. c. p. f. r. s. *desunt* 6. k) i. sclauoniae f. 4b. l) zlaunik 2. slawnik 3c. zlaunicus 3a. 5. sclauonicus 4a, b.

71) Cosmam Iohannis librum tractasse, iam supra monuimus. 72) v. Dobner. l. c. et Acta SS. l. c. p. 176. 177. Plurima, Bethmanno referente, in codicibus regiis Bruxellensibus N. 7773. et 8941. ab editoribus Act. SS. Antw. collecta leguntur. Scilicet in codice N. 7773. signato: 1) (ex ms. Pragensi a. P. Gamans designato describi curavit P. d. van Hollandt. misit 2. Aug.; collata cum autographo.) „*Sancti Patris nostri Adalberti episcopi Pragensis et mart. Chr. gloriosae vitae* — brevis narratio, partim ex ms. codice, partim ex Dubravio, partim ex annalibus Bohemiae, partim etiam ex historia Polonica collecta.“ „*Othone tercio augustalibus fascibus insignito — percrebrescat.*“ 2) (ex ms. Pragensi *etc. ut* 1.) Ex vita S. Procopii, collata cum autographo. „*Beatus Adalbertus ex piis et religiosis parentibus oriundus fuit, qui a pueritia in lege Domini eruditus fuit, et tandem pro addiscendis liberalibus artibus ad quendam archiepiscopum.*“ (Dobner II. 51.) Est epitome brevis Vitae antiquioris, eisdem verbis servatis, adiectis miraculis pagina una: „*Claruit autem Sanctus — permittente.*“ 3) Vita S. Ad. „*Sanctus A. nobilis progenie sed nobilior — collocavit.*“ (Dobner II. 57.) 3 paginae; visiones quaedam, miraculum et translatio Pragam. 4) Legenda de S. Adalb., ex legenda SS. patronorum Bohemiae impressa Cracov. 1507. „*S. A. ex regno Bohemiae*“, epitome vitae antiquioris, et duae paginae miraculorum. 5) Passio S. Adalberti (ex ms. Ultraiect. S. Salvatoris) „*Anno Ottonis III. quarto — diebus custodis*“, 5 paginae, epitome vitae antiquioris. — Codex Bruxel. N. 8941. exhibet fragmentum codicis chart. quart. s. XV. ex. Sermones de Sanctis, quos inter duo sermones de S. Adalberto: 6) „*Legitur de S. Adalberto — morte claruit*“ (2¼ pagg.), brevissima epitome vitae antiquioris, adiecto miraculo de digito a pisce comeso. 7) „*Egredere de terra — dominus Deus*“ (2 pagg.) sermo. Sequitur 8) hymnus in honorem S. A. s. XV. „*Laudem dignam tam preclari Woyteiech sancti quis effari — perducat ad gaudium.*“ 73) Cod. *Coloniensis* VI. 21. in Annalibus nostris memoratus T. VII. 418. legendam Adalberti, S. Ekberti Hiberni discipuli et Egmundensium patroni, Cod. *Monacensis* inter Emmeramenses G. 57. vitam Adalberti monachi Oberaltahensis auctore Alberto priore Oberaltahensi (Pez. Thes. I, 3, 537.) praebet. 74) v. Acta SS. l. c. p. 198. sqq. Voigt Geschichte Preussens. p. 274.

sericordiae perrarus[a] civis; vir magnus inter cunctos[b] eius terrae habitatores, auro et argento locupletissimus, inter delicias fidus custos divinae legis, ambulans[c] sollicite iuxta praecepta sacerdotum, carus toto[d] populo, sed propriȩ amicus pauperum. Hic accȩpit uxorem dignam generis sui, et ipsam honestis moribus plenam; quae audiendo[e] verba vitae plus sitivit, et[f] eadem operando famem[g] non explevit; nec delectabatur matronarum pompis, nec auro lapidibusque preciosis, pro minimo ducens, quae stulti maxima putant. Sancta erat moribus, sancta sermonibus, fortis ut dicunt in ieiunio, familiaris Deo in oratione; mater lugenti pupillo, peregrino et viduae gratissima soror. Pro his ergo et his similibus, quas ambo egerant, virtutibus honoraverunt eos nobiles et divites et coluerunt maximȩ pauperum turba[h].

2. Itaque cum de tam praenobili coniugio sancta proles merito foret nascitura, c. 956. inter magnanimos iuvenes quos procreaverant, natus est illis puer speciosior cunctis; cui post in sacri baptismatis lavacro[i] datum est nomen Woytech[k]. Iste quantus esset futurus cum ignoratum fuerit, parentes pepercerunt formae eius, et prae nimia pulchritudine quam habuit destinaverunt eum seculo. Quicquid autem pius[l] error, verum[m] mala venia, parentum in hoc deliquid, mox culpae proditor coelestis irae gladius correxit. Cerneres namque infantuli corpusculum subita magnitudine excrevisse, et prae nimia inflatione ventrem toto corpore maiorem; sic in horas maiore dolore addito, periculum mortis imminere coepit. Turbantur parentes; decurrunt ubertim lacrimae patris, et curvis unguibus lacerat ora pallida nutrix; stant[n] moesti fratres; saevit dolor inter viscera matris, nec vox nec animus nec color certa sede manent. Tandem sub ipsa morte confugiunt ad pium et misericordem Dominum, et quae pro hominum necessitate plus omnibus sanctis succurrere solet, matrem Domini appellant. Inde veniunt ad templum cum magna humilitate ac deiectione cordis; ponentesque puerum supra altare sanctae Mariae, votum placabile voverunt eum Domino. His ita actis[o], aversa est indignatio Dei, et extenuato ventre puer pristinae redditur pulchritudini[p].

3. Parentes vero, qui causa huius mali erant, poenitentia ducti glorificaverunt Dominum, qui pro melioratione hominum irae suae flagella disponere novit. Puer autem[q] proficiens aetate et sapientia, ubi tempus erat, christianis inbuitur litteris; nec egressus est domum patris, donec memoriter didicit psalterium. Proinde pro discendis c. 972. liberalibus[r] studiis misit eum pater ad archiepiscopum Adalbertum, qui ab eo, quod verbis docuit, moribus et vita nusquam recessit. Praeerat autem idem sacrae urbi, quae latinȩ virginum civitas[75], graecȩ Parthenopolis vocatur; urbs quondam nota populis, et una ex magnis urbibus, dum primus Otto sceptra regalia rexit; nunc autem pro Virg. Aen. II, 23. peccatis[76] semiruta domus, et malefida statio nautis. Ipso tempore erat[s] magister scolarum Octricus[t] quidam philosophus, sub quo turba iuvenum et librorum[u] copia multa, nimis crescente studio, floruerunt. Ergo archiepiscopus ille puerum cum magna caritate suscipiens, dat sibi confirmationem sacrosancti crismatis, et suo nomine Adalbertum appellans tradidit scolis. Aderat sibi discenti spiritus semper individuus[v] comes, et cucurrit[w] divite vena ingenium, ratio[x] et sensus.

4. Toto autem tempore scolaris studii non emulatus fuerat facientes iniquitatem, nec stetit in consilio eorum, quibus erant[y] inutilis[z] actus et puerilia negocia; sed mox ubi longius aliquid[*] positus magister ei locum praebuit, occultis itineribus ad sanctorum martyrum domicilia confugit. Ibi[a] secundum mensuram temporis orationum vota[b] persolvens, rursum ante occursum magistri loco suo resedit. Noctibus quoque, ut opus suum bonum ab humanis laudibus occultaret, circuit pauperes, debiles et caecos, quibus

a) praeclarus 4a. p. c. *desunt* 4b. b) *deest* 3. c) obediens ministris ecclesiae 4a, b. d) toto 1. 2. 3. *ita et infra.* — toti 1. *ex corr.* 3c. omni 4a, b. e) a. v. v. p. s. e. e. o. f. n. e. *desunt* 4b. f) siciit 1. sitiit et 4a. g) famem (*corr. manu* 2. famam) 1. h) turbae 3 4a, b. i) lauaro 1. k) woieteth *in loco raso sec. manu* 1. woythec 2. uuêntius 4a. *et cod. S. Caeciliae,* uicentius 4b. woithec 5. woythiech quod nomen sonat consolatio exercitus 3c. l) non solum 5. m) uel 3a. n) flent 4b. o) factis 3a. peractis 4a, b. p) p—ne *corr.* p—ni 1. q) *supra scribitur* adelbertus 1. r) libralibus 1. s) ibi *addunt* 4a, b. t) Ohtricus 3a, c. clericus 4a. stericus 4b. u) liberorum 3a. v) semper :::uidus 1. inuiduus 4a. w) currit 4a. currenti 4b. currunt 2. 3a, c. 5. x) oratio 2. 3c. y) erat 4a. z) inutiles 2. 3a, c. 4b. *) aliquo 3a. 4a, b. 5. aliquantulum 3c. a) ubi 1. *e corr.* 3a, c. ibique 4b. b) uotv *corr.* uota 1.

75) Magdeburg. 76) Gisillarii Merseburgensis episcopi, qui archiepiscopatum Magdeburgensem invaserat.

secundum modum miseriarum amica solamina praestat. Verum ne a bonae operationis studio cessaret, pater et eius optima mater omnia[a] sufficienter dederunt. Quin et magistro suo aurum et argentum et[b] quaecumque[c] oculis hominum dignissima erant offerentes, karo filio[d] doctrinam magno precio emerunt. Ille vero indefesso cursu ad omne virtutum exercitium semet ipsum semper extendens, inter suos collegas pulcherrimus processit. Recessu magistri, quando caeteri inanibus ludis et ioco laborem legendi sibi minuerunt, ille vero[e] Davitici nectaris mella degustans, spiritali risu se solatur. Quando illi prandentes in angulis scolae dulcia obsonia magistro furantur, ille furtivas orationes dominae suae[f, 77] mittens, angelicam dapem sibi mercatur. 77

5. Videamus nunc inter alias virtutes quas habuit[g], sanctae simplicitatis quam ditissimus erat. Quadam die dum iret de scolis, unus qui erat socius itineris, praetereuntem puellam humo prostravit, et causa ludi eum desuper proiecit. Concurrunt scolares, et quidnam foret acturus, cum ingenti chachinno exspectant. Ille vero quia vestitam virginem tetigit, o bona stultitia[h]! iam se nupsisse verissimę[i] credidit. Inde erigens se[k] de invisa virgine, dedit se bene simplex puer in amarissimas lamentationes, atque continuo imbre oculos humectans: *Heu me! nupseram*[l], inquid, et criminis machinatorem digito monstrans: *Hic me nubere fecit!* Haec et his similia Deo plenus infantulus iam tunc agendo, multorum oculos in se defixit[m], mirantium eius acta ac dicentium: *Benedicens benedixit hunc puerum Deus, qui infra limina puericiae adhuc positus, ad optima quaeque sic arduus surgit. O ter quaterque beatus, si haec humanitatis studia tota devotione adimpleverit, et arrepti operis cursum congruo exitu terminaverit!* Quibus vero cognitus erat pater et eius mirifica mater: *Non est mirum*, aiunt, *si tantus est de tantis parentibus ortus. Patris iustitia floret in eo, et maternae pietatis imago in purpureo pectore vernat.* Quot annis studuit, incertum est; sed quia saecularis philosophiae[n] sat scientissimus erat, novimus omnes. Quem Dominus, credo, ad hoc humanae philosophiae[n] studere voluit, ut post divinae sapientiae montes faciliore gressu scandere posset; aut pocius saeculi amara parvulus potare debuit, ut post vir factus Dei dulcia avidiore animo hauriret.

6. Post haec magister scolarum[o] imperatoris servitio ascriptus, accessit in regiam curtem. At archimandrita[p] Adalbertus[q] debitum naturae persolvens, ex hoc pelago ad 981. littora sempiternae beatitudinis transvolarat. Alumnus autem ille patriam carosque propinquos revisens, sub sacrae civitatis Pragae episcopo[r] arma christianae miliciae militaturus assumpsit. Nec multo post cępit languor pessimus eundem episcopum, et detestabili fine clausura vitam venit ei ultima dies. Nam in extremo anhelitu, cum 982. tamen adhuc magna pars animae superstes foret, astantibus, quorum ille adolescens[s] unus erat, hanc fabellam[t] aegra[u] voce retulit: *Ei*[v] *mihi! qualis eram et quantum di-* Virgil. Aen. II,274. *versus*[w] *ab illo, qualem me nunc esse vellem! Ei me miserum! perdidi dies meos; iam poenitentiae fructus nusquam*[x]*! Perii*[y]*! Ubi nunc honor meus et inanes diviciae? O caro putribilis et esca vermium, ubi nunc gloria et pulchritudo vanitatis tuae? Decepisti me, decepisti, fallax saeculum, promittens mihi annosam aetatem, et ecce! insperatae mortis gladio ut male interemisti animam meam! Sed meum scelus utcumque veniabile tamen*[z] *erga pium Dominum foret, nisi quod*[*] *commendatae plebis scelera ad cumulum miseriarum accedunt*[a]*. Voluptates enim et desideria eis pro lege erant; nec prohibui furentem, nec prohibere potui sponte*[b] *pereuntem populum, qui adhuc hodie nil sciunt vel faciunt, extra quod digitus*[c] *satanae in eorum cordibus scripsit. Ve mihi, quia silui! Hoc est, quod dolet, et dolebit in aevum. Nam ecce! dirae mortis victima in infernum recta via*

a) o. ei s. 2. b) *deest* 2. 4a. c) quaeque 1. 2. quoque 4a. 5. *deest* 4b. d) kari filii 2. 3a, c. 4a, b. 5. e) *deest* 2. 5. f) *ita* 1. *iam corr.* domino suo; — matri domini sui 4b. g) h. quales s. s. effectus, quantamque adhuc in pueritia positus, ostenderit castitatis suae praerogativam 5. h) o b. st. *desunt* 4a. ob impulsum stulti 4b. i) *deest* 2. k) *deest* 1. l) miserum 3c. m) d. m. e. a. a. d. B. b. h. *desunt* 4a. n) philosophiae — humanae *desunt* 2. o) s. Astericus imperatoris Othonis secundi servitio 4b. p) archimandrita proprie princeps cocorum, hic autem significat archiepiscopum 1. *in margine.* q) Magdeburgensis Adelbertus 4b. r) c. primo nomine Tetharato a. 3c. s) a. donnus Adalbertus u. 4b. t) locutionem 4a. hunc sermonem 4b. u) mesta 2. v) Ei — vellem *desunt* 4a. w) *ita* 2. 3c. 4b. *deest* 1. mutatus 3a. dissimilis 5. x) nullus est 2. y) Peribit 1. z) *deest* 2. 5. *) *deest* 1. a) accedant 2. accederent 3c. accedissent 5. b) *deest* 1. c) dictatus 4a

77) Virgini Mariae, cui consecratus erat.

982. *proficiscar, ubi vermes mei non morientur, et ignis meus ardebit in aeternum, et ultra!* Sic ait, et citius dicto[a] obdormivit; factusque est planctus magnus super eum. Timuerunt autem[b] timore magno, sed prae omnibus adolescens[c] Adalbertus, qui his diebus deliciosus miles erat. Nocte eadem[d] sacco indutus cilicino et caput cano cinere respergens, singulas circuit aecclesias; pauperibus quoque quae habuit large dispergens, se et causam suam precibus Domino commendavit. Ipsi autem episcopatus honorem iam tunc aliqui tacitis repromissionibus, nonnulli publico sermone promiserunt.

Virg. Aen. I, 142.

7. Post mortem vero episcopi non longe ab urbe Praga factus est conventus desolatae plebis una cum principe illius terrae; et fit diligens inquisitio, quem pro illo ponerent. Responderunt autem omnes uno ore: *Et quis alius, nisi indigena noster Adalbertus, cuius actus, nobilitas, diviciae ac vita cum honore concordant? Hic quo ipse gradiatur optime novit; hic etiam ducatum animarum prudenter amministrat.* Eodem die dominico, quando haec electio facta est, quidam validissimo demone raptus fertur in aecclesia[e] ubi sedes episcopalis est; et coepit palam confiteri mala[f] sua, quorum sibi conscius erat. Tunc convenerunt ministri dominicalis mensae, orantes pro eo et sacris verbis inimicum persequentes. Exclamavit autem per os illius inpurissimus daemon dicens: *Quid mihi ac vobis? Venistis detrudere me de hoc habitaculo meo! Quid prodest iactare vos inania verba? Ego illum, qui sessurus est in ista sede, valde timeo; ubicumque eum video vel audio, non ausus sum stare.* Et continuo spumans demon murmura et horrisona verba ingeminat; et diris dentibus diu infrendens, ad ultimum exivit, homine sano. Die postero ante ortum solis venit nuncius dicens, quia heri domnus Adalbertus consensu[g] publico electus est in episcopum. Concurrunt populus cum clero, glorificantes et gratias agentes Domino, quia volens nolensque nequam spiritus confessus est electionem illius.

983. 8. Rediens interea de Sarracino[h] bello, adiit Veronam[i] imperatorius apex, scilicet Otto secundus, cui fuit manus in praelio fortis, in parvo corpore maxima virtus; augustus melior bono patre, et ut fama meminit, per omnia cesar christianissimus. Idem tunc victor et victus pro recolligendo[k] milite huc venerat, volens ultum ire damna victoriae, sed nesciens, quia mors eum proxima pulsat. Ad hunc ergo Sclavonica[l] manus perrexit, ferens legationem de parte[m] ducis, et obtulit electum episcopum, rogans eius manu popularem confirmari electionem. Non minus imperator eorum dignae peticioni adquiescens, dat ei pastoralem virgam; et, cuius suffraganeus erat, Mogontino archipraesuli in episcopum direxit consecrandum. Consecratus ille festo amicorum

Iun. 29. domini nostri Iesu Christi, Petri et Pauli, multo comitatu equitat in dulcem patriam. Equus autem cuius tergo insederat, non more frementium equorum nec properis[n] cursibus gradiebatur, neque auro et argento portat fulgentia frena; sed in rusticum morem torta canape[o] ora strictus, incessit ad arbitrium sedentis. Ventum est ad sanctam civitatem Pragam, ubi dux praecluus[p] Wencezlaus[q] quondam regnum tenuit, ac in Dei servitio vivere suum egregię perduxit; postea vero sub impii fratris ferro nobile martyrium consummans[r], manifestis inditiis ac ingentibus usque hodie miraculis sua merita probat. Ibi tum[s] novus ille pontifex vincla pedum solvens, nudo pede intrat urbem; hinc humili et contrito corde orationis iura persolvens, magno gaudio civium episcopalem cathedram obsedit.

9. Erat autem cunctis diebus pontificatus episcopii sui pię ac fideliter serviens Domino, sed[t] multo tempore[u] ac[v] inproficuo[w] labore christianitatis normam exercens in populo. Res aecclesiasticas sub aequa divisione distribuit in quatuor partes; primam partem pro necessariis vel ornatibus aecclesiae; secundam canonicorum[x] commoditatibus[y] asscripsit; terciam vero in agmina pauperum proflua miseratione expendens,

a) *deest* 1. 3a. b) a. omnes 3c. 4a, b c) a. donnus A. 4b. d) e. praedictus donnus Adalbertus 4b. *ita saepius.* e) ecclesiam 3a, c. 4b. 5. f) peccata 2. g) consessu *corr.* consensu 1. h) sarraceno 2. 3a, c. saracenico 4a, b. i) *glossa:* id est bunna 1. k) recoligendo 1. l) bohemica 3c. sclauonica bohemorum cleri et populi manus 4b. m) p. Boleslai ducis 4b. n) prosperis 4a. perproperis 4b. o) canabe 3a. 4b. cannabe 3c. canapa *Cod. S. Caeciliae* (4c?). p) praecluis 2. praeclivis 3a. praeclarus 4b. praedilectus 3c. *deest* 5. q) uuecezlaus 1. wenezlaus 3a. uuentisclauo 4a. wenzeslaus 4b. r) consumens *corr.* consumans 1. 3a consumans 2. 4a, b. s) *deest* 1. dum 2. tum 3c. 4a. tunc 4b. t) ac 4b. u) *deest* 2. 3a, c. 4a, b. v) et 4b. *erasum in* 1. w) proficuo 4b. x) clericorum 4a, b. y) usibus 4a, b.

ultimae partis summulam pro suis usibus servat. Praeterea[a] omni die festo plurimos[b] pauperes elimosinarios[c] ad misericordiae opera vocat, quae eis necessaria erant affluente copia ministrans. Item cotidianis diebus ter quaternos[78] habere solitus erat, quos in apostolici nominis honorem dape et potu saciat[d]. Raro autem extra festum aliquod[e] vidit eum meridianus sol manducantem, et numquam media nox somno indulgentem. Stat lectus paleis[f] plumis et ostro rigidus[g], die oculos hominum pascens; nocte vero aut habuit fratrem Gaudentium aut caecum natum[h], extra quos suo cubili amicissima familiaritate iunctos, et se tercium, nemo quartus recubuit in una domo. Ipsi vero nuda humus, vel lene[i] cilitium, et lapis pro capitis sustentaculo, somnum dabant. Numquam saturo ventre ivit[k] dormitum, et nondum expleto sopore, surgit ad solitae orationis convivia. Corpus vero et corporis incentiva acerrimis attriverat ieiuniis, nec[l] ulli[m] umquam voluptati animum dare volebat. Parva quies oculis et nulla venia est defectis pedibus.

10. Lustraverat enim carcerem[n] et[o] carcere positos, quorum longa series et infinitum agmen erat. Nulli plus nota propria domus, quam sibi erat, quis, quo nomine et in qua parte cubaret infirmus, aut quot capita rediviva salus vitae, quot fatalis hora mitteret lęto. Quorum omnium post pia obsequia[p], si seminis tempus erat, ad campum decurrit, et sacione peracta unde viveret[p], propriis manibus se laborasse gaudebat. Hinc viator intrepidus aderat sacris aedibus; saepius Domino precator inportunus caelestes fores pulsat: nunc longis genuflexibus[r] orationem protrahit, nunc aegra[s] suspiria cordis multo flumine rigat[t]. De[u] completorio usque ad primam non exiit sermo[v] de ore eius, et ad[w] instar monachicae professionis nocturna silentia servat. Post primam pastoralibus causis studia sua impendit[x], audiens diligenter, quid cum praedato paupere peregrinus et vidua eiularent[y]. Quando autem exteriore cura vacabat, usque ad missae celebrationem Davidicis utitur colloquiis. Homini non locutus est verbum, quamdiu dominicae[z] mensae[*] infulatus astitit et supra sancta sanctorum immolat angelicum panem. Post aut opera manuum laborat, aut cum caris capellanis sacrae lectionis cibaria degustat[a]. His ociis longum diem, talibus negotiis totam[b] ducere noctem. Hi sibi mores, hoc studium, haec erat meta vivendi.

11. Post[c] completorium cum solitis orationibus incubaret, quidam pauper, cui nil praeter vitam et membra impius latro reliquit, miseris ululatibus templi ostia pulsat. Quo audito cum de erogatis opibus nulla[d] superfuissent, coepit curiosius excogitare, quid illi dare posset; et cum nihil aliud occurreret, ingressus cubile, quod solum habuit tulit inde sericum pulvinar, cui abstrahens sericum, plumas[e] circumquaque per domum respersit; deinde ad iacentis mendici clamorem recurrens, inanem purpuram in rugas complicavit[f], et per coeuntium[g] ianuarum foramina emittens, hoc fertili dono manum pauperis accumulavit. Cuius furti[h] auctor cum lateret, cumque Myzl[i] domus suae camerarius[k] hoc inter pueros asperius requirere[l] vellet, prohibuit eum dicens: *Nequaquam inimicus homo hoc[m] fecit, sed qui indigens erat, forsitan pro explenda necessitate assumpsit.*

12. Inter haec sancta opera non desierat pluere praedicationis verba; nec sibi solum bonus, nec nisi cum pluribus[n] coelestium gaudiorum particeps esse voluit; singulis[o] compassione proximus, et prae cunctis in contemplatione suspensus; sic alta

a) Propterea 1. *corr.* b) quinquagenos 4a, b. c) *deest* 2. 3a, c. d) saciabat 4a, b. 5. e) aliquid 2. aliquem 4a. f) altis 2. 3a, c. 4a, b. *deest* 5. g) rigulus 2. h) n. vel alterum, extra 3c. i) leve 3c. 4b. k) it vel vadit 3c. l) n. u. u. v. a. d. v. *desunt* 4a. m) *erasum* 1. n) carceres 2. 4a. o) in c. 2. 4a, b. p) o. sacri seminis, servus erat, ad caminum decurrit 3a. q) *ita distinguunt* 1. 2. 3c. 4a. *reliqui post* peracta. r) genuum flexionibus 2. 3a, c. genuflexionibus 4a, b. s) *deest* 3c. t) r. His studiis longum diem, talibus negotiis totam ducere noctem; hii sibi mores, hoc studium, hoc erat meta vivendi. De 4a. (His otiis . . . ducebat . .) 4b.; *v. infra.* u) A 4b. 5. v) uerbum 2. 3c. w) *deest* 1. x) s. s. i. *desunt* 4a. agendis immorabatur 4b. y) hei. *secunda manu* 1. z) dominicis *corr.* dominico 1. *) *deest* 1. *et additum* ministerio *manu saec. XVI.* 1. a) degustans 1. b) solebat *inserunt* 2. 3c. c) Quadam die post 4b. d) nullae 3a. 4b. e) plumans *eraso* n 1. plumam 2. 5. f) *ita* 2. 3c. complevit *corr.* compressit 1. complicuit 3a. colligit 4a. g) aperta 2. h) facti 5. i) *deest* 3c. uuillico 2. 3a. 4a. uillico 4b. k) camararius 1. praepositus 2. 3a, c. 4a. l) inq. 3a, c. 4b. m) *deest* 1. n) nec sine p. *ex corr.* 1. sed cum 3a. o) s. c. p. et p. c. i. c. s. *post* desisteret *scribuntur in* 2. 3c. Unde disputans de regno Dei et suadens de iustitia eius, in multas scorum (eorum 4b.) iniquitates feruente zelo excurrit. Ipsi autem 4a, b.

78) i. e. duodecim.

petens, ut proximorum infirma non despiceret; sic infirmis[a] proximorum congruens, ut alta petere non desisteret; sic discretionis artem servare novit, ut esset in eo et iuste consulens misericordia et pię saeviens[b] disciplina. Ipsi autem contraria voluntate ad carnalem sensum lapsi[c], bonum pastorem sequi noluerunt. Novo quippe modo cum essent coelestibus bonis pasti, peccatorum fecibus explebantur. Ille[d] spiritalibus adiutoriis caulas[e] suas praemunire instat; illi destruere, quod fecit, diabolicis inpugnationibus festinant. Ille a captivitate daemonum et viciorum populum liberare parat; illi eo arcius se in omni peccato obligare non cessant. Vidit ergo episcopus, quia divinis legibus adversum ire omnibus modis festinarunt[f]; vidit, quod obdurato corde in Deum grandia quaeque et nova scelera adimplere meditantur; vidit optimae gubernationis frustrari lacertos, plus etiam obesse sibi quam populo prodesse. Deflet[g] ergo peccatum, et amarissimo luctu prosequitur dampna perditae gentis. Ad ultimum cogitat, melius esse relinquere quam in caeco et sponte pereunte populo operam perdere. Quod maxime de tribus causis actum esse dicunt, qui huius rei ordinem ipso narrante comperierunt. Prima et velut principalis[i] causa propter plures uxores unius viri; secunda propter detestanda coniugia clericorum; tertia propter[k] captivos et mancipia christianorum, quos mercator Iudaeus[l] infelici auro emerat emptosque tot episcopus redimere non potuit. In somnis quoque apparuit ei Dominus, suscitans eum et de lento sopore surgere iubens. Inquid ille: *Quis es tu tam imperiosae auctoritatis, vel cuius rei gratia quietem frangere iubes?* Respondit: *Ego sum Iesus Christus, qui venditus sum; et ecce iterum vendor Iudaeis, et tu adhuc stertis*[m]*?* Ille expergefactus, secum tacito corde pertractat, quidnam haec visio vellet. Admovet solvendae quaestiunculae socium[n] elegantem virum Williconem. Hic honore praepositurae praeerat caeteris, hunc vir sanctissimus omnium consiliorum suorum participem fecit. Cui cum suam visionem exponeret, respondit in[o] propria verba et cogitationes ille mitissimus heros: *Quando venduntur christiani Iudaeis, hanc venditionem patitur*[p] *ipse Christus, cuius nos*[q] *corpus et membra, a quo movemur et sumus.*

13. Haec sanctus episcopus aequa lance perpendens, et ab imo cordis longa
989. suspiria trahens, amplius stare[r] timuit; sicque consilio doloris accepto, venit Romam, et apostolicae sedis pontificem[79], quid in tanto suo populique discrimine foret acturus, gemebundis[s] questibus[t] inquirit: *Commendatus*, inquid, *mihi grex audire me non vult,*
Ioh. 8, 37. *nec capit sermo meus in illis, in quorum*[u] *pectoribus daemoniacae servitutis imperia regnant; et ea regio est, ubi pro iusto virtus corporis, pro lege voluptas*[v] *dominatur.* Ad haec apostolicus: *Fili*, inquid, *quia te sequi nolunt, fuge quod nocet. Operae precium est enim, si cum aliis fructum agere non potes, vel te ipsum non perdas. Quare meo consilio arripe tibi ocia contemplationis, et sede inter eos, qui vitam quiętam in studiis dulcibus et salubribus agunt.* Hac itaque velut divina responsione animatus cum ad futura sanctorum gaudia ardenti desiderio anhelaret, statuit secum natale solum notioresque[w] populos derelinquere. Vult pro Domino peregre proficisci, atque velut sub alio sole inopem ducere senectam. Omnia dura et aspera pro dilecto Iesu dulcia sibi visa sunt; pro divite Christo angustam pauperiem pati, non tam labor quam ingens amor erat. Post hanc suae mentis deliberationem[x] argentum pauperibus large distribuens, episcopalem cameram evacuat[y].

14. Erat autem ipsis diebus Romae imperatrix augusta Theuphanú[z], mater eius
989. 990. qui modo regnat[*] tercius et Deo iuvante maximus Otto; cui pia cura circa pauperes cum summatibus viris, et bene quaerentibus Christum sincerissima dilectio fuit. Haec comperto, quod gratia orationis exulans ille usque Hierosolimam pergere vellet, clam[a]

a) infirmitatibus 3c. 5. b) seruiens 2. c) relapsi 3a, c. 4a, b. d) Ille — non cessant *desunt* 4a, b. e) caules *corr.* caulas 1. claues 3a. f) festinant 3c. festinarent 4a. 5. g) Deflet — gentis *desunt* 4a. i) primicialis 2. 3c. k) p. mancipia et animas ch. 4a. l) videns 3a. m) steteris 1. n) *deest* 1. o) *deest* 2. p) pariter 2. q) n. sumus c. 3a. r) ista 1. s) gemibundis 1. gemebundus 2. 5. t) quaestionibus 3a. *deest* 2. 5. u) illis, iniquorum 3a. v) uoluntas 2. w) nocioresque 1. 2. x) *in marg.* pertractationem 1. y) euacuauit 2. 3a, c. 4a, b. z) sthephania 2. theophania 3a. 4b. teophania 3c. teuphanú 4a. theophanu 5. *) *deest* 2. qui tunc regnabat 3c. a) *in loco raso* 1.

79) Iohannem XVI. qui a. 985—996. sedit; cf. infra cap. 21.

venire illum fecit, et[a] argenti tantum, quantum iuvenis Gaudentius vix levare posset, 990. pro viatico accipere fecit. Quod[b] eadem consequenti nocte pauperibus fideliter divisit, atque ab uno denario totum expendens, nil sibi retinuit. Deinde pueris remissis in patriam, mutat habitum; et asinum[c] pro portandis oneribus mercatus, cum tribus numero fratribus socium iter assumpsit. Habens[80] itaque animum Hierosolimis sepulcrum Domini visere, venit ad montem Casinum[d], in cuius cacumine monasterium sedet[e], quod in hoc loco primus construere coepit beatissimus pater, monachorum flos et gloria[f], Benedictus; ibi quoque[g], ut Gregorii mellifluum os[81] sonat, ultimam partem 81 vitae déguit, et verae religionis exemplar omnibus, qui in Christo pie vivere volunt, digito conscripsit. Hic tum licet agnitus non fuisset, tamen Domino quod futurum erat providente, honorifice hospitio susceptus est. Post paucos autem dies cum iter coeptum agere vellet, accessit ad eum illius loci abbas[82], et cum ipso admodum inlustres viri, haec consilia velut ab divina arce[h] ferentes: *Viam*, inquiunt, *quam acquirendae beatitudinis causa cępisti, longe est a recta via et ab illa quae ducit ad vitam. Perplexitatibus quippe fugacis saeculi carere magni animi est; sed cotidie loca nova mutare minus laudabile est. Sicut enim hiberni maris inconstancia malum nautis, ita vagacio de loco in locum periculum suis sequacibus minatur. Stare autem loco et supernis usibus eo liberius perfrui, non nos, sed praecepta maiorum virorumque forcium exempla tibi dicunt.* Quod consilium providus heros non secus quam divinitus datum accipiens, ibi finem laboris et errabundae vagacionis ponere cogitavit[83]. 83

15. Haec eo cogitante, frustratur[i] eum Deus, volens dilecti hominis desideria aliquantulum dilatare, ut quanto nunc amara primum et labore parta[k], tanto post dulciora fuissent. Nam cum ibi monastica lege vivere vellet, cumque[l] a minimo usque ad maximum omnes hoc libentissime vellent, repente attonitas terribile verbum transverberat aures: *Et bonum est*[m], inquiunt, *ut stes nobiscum. Hic monachicum induas habitum; hic Deo placiturum vivere ducas*[n]*; nostras quoque ecclesias novo opere constructas, cum sis episcopus, sacrare*[o] *potes.* Quo audito[o*], ille heros iam dudum intra se turbatus, haec ira dictante reddidit: *Utrum me hominem vel asinum putatis, ut cum amota filiorum cura episcopus esse desisterem, nunc sub nomine episcopi vestras domus consecrarem?* Nec mora, ivit[p] deorsum per montis convexa, et quasi duorum[q] dierum itinere acto, ad magnum virum Nilum[84] perrexit, cuius nobile meritum in monastico 84 ordine velud novus lucifer in aetherio[r] axe refulget; sub quo etiam duce ac divinae artis magistro discipulorum plurima manus Deo militarunt[s]. Hi vero omnes propriis manibus victum quaerentes, secundum regulam sancti[t] patris nostri[u] Basilii coelestibus vestigiis innituntur. Hac fama ductus, aggreditur sanctum senem, et provolutis genibus diu profudit lacrimas, quaerens ab illo[w] responsa et amica solacia. Quem intuitus domnus abbas Nilus, cuius meriti in conspectu Domini viveret, iam in primo sermone cognovit; qui et usque hodie[85] ita amore Christi ferventem non meminit se vidisse ali- 85 quem iuvenem. *Et recepissem te*, inquid, *dulcis*[x] *nate, nisi haec susceptio mihi meisque nocitura, tibi tamen minime esset profutura. Etenim ut iste habitus et*[y] *barbae pili testantur, non*[z] *indigena sed hōmo Graecus*[*] *sum. Terra autem quantulacumque est, quam*

a) et argenti tantum — fecit *desunt sed manu alia in margine suppleta sunt ita:* magnamque census copiam in usus pauperum distribuendam ipsi de suo dari iussit gazophilatio 1. et tantum ei auri pondus pro amore Christi contulit, quantum Deo dilectus Gaudentius, viri sancti germanus, vix in sinu suo levare potuit 5. b) Quē *in loco raso* 1. c) onagrum 4b. d) casinum 3c. e) sedit 1. f) gratia 2. g) quoque — licet *desunt* 4a. h) arte 1. 2. i) *glossa:* id est non adquieuit deus 1. k) parata 2. 3a, c. l) eumque 1. m) est, ait quidam minus cautus senex, ut 4a. Quadam die ei quidam venerabundus senior haec charitatis verba deposuit: Bonum est inquiens 4b. n) placituram vitam d. *ex corr.* 1. o) dedicare et nostros clericos ad gradus ecclesiasticos promovere decentissime poteris *Leo Ostiensis.* o*) a. uelud qui hiulco fulmine ictus certa loqui nescit, haec 4a. *aliter* 4b. p) iter 2. q) unius 4b. r) ethereo 2. 3a, c. s) militans *corr. manu posteriori* militat 1. militabat 4b. 5. t) *deest* 4a. u) *deest* 4b. w) ipso 2. eo 3c. x) ducis 1. *alia manu addito* l. y) et patenter b. p. 4a. et intonsae b. p. 4b. z) *manu* 2. *additum* 1. *) gressus 1. *corr. manu secunda* de longe egressus es.

80) cf. Leonis Ostiensis chron. Casinense lib. II. c. 17. 81) Vita S. Benedicti cap. 8. sqq. 82) Manso. 83) Casini extat homilia venerabilis Adalberti episcopi et martyris in natali S. Alexii confessoris et miracula eiusdem sancti; v. Acta SS. l. c. p. 178. 84) in monasterio S. Michaelis prope Barream in agro Capuano, ubi S. Nilus annis 978—994. vixit; cf. Vitam S. Nili in Actis SS. Sept. T. VII. p. 327. et Gattulae Hist. Casin. I. p. 120—126. 85) S. Nilus obiit a. 1005.

990. *ego et mei mecum incolunt, illorum*[a, 86], *quos tu bene fugis, propria est. Si, quod Deo volente nimis vellem, una nobiscum cohabitaveris, tollunt illi*[b] *quae sua sunt; ego cum caris filiis expellor*[c] *totus, tu de*[d] *incerta re plus incertus eris. Quin immo accipe patris consilium, et unde digressus es, repete urbem Romam. Quo cum angelo bono te ducente perveneris, domnum abbatem*[e] *Leonem nobis amicissimum ex nostra omniumque persona salutes, atque epistolam nostram feras in haec verba: aut te apud se, quod plus volo, retineat, aut si ei difficile apparet, ad abbatem sancti Sabae mea vice commendet.*

16. Hac spe confirmatus, regreditur ad sacratam arcem, urbium dominam et caput mundi Romam. Inde, cui monasterio abbas Leo praefuisset, diligenter inquirens, ad sanctorum limina Bonifacii et Alexii[87] monstrante populo perductus est. Postquam[f] Virgil. Aen. I, 520. ingressus est et cum abbate datur copia fandi, obtulit salutationem et litteras quas miserat abba Nilus. Quibus perlectis, ut ex longo usu spiritum probare doctus erat, priusquam recepisset illum, arguta arte cuncta explorat. Primum coepit indignationem simulare; quis, qua mente praeditus esset, averso vultu indagare, aspera et dura illi praedicens, cunctaque archana mentis eius sagaci ingenio perquirens. Iustum vero ac Horat. Od. III, 3. tenacem propositi virum nec dira hominis responsio frangere valuit, nec venientia temptamina[g] a semel arrepta voluntate revocare potuerunt. Abbas vero Leo ubi non solum[88] avertere a suo proposito, sed etiam dira praedicando plus accendere poterat, accepturum se fore illum pollicetur. Statuit autem, domnum apostolicum cum humiliato antistite prius convenire, ut quicquid agendum foret, tanti patris sententia suorumque cardinalium consilia deliberarent. Post haec rite peractis omnibus, qua die Dominus[h] discipulorum suorum pedes lavit[i] ac lintheo extersit, monachilem habitum sanctus ille[k] episcopus accepit. Sabbato sancto, quando baptizati catecumini[l] criminalibus[m] vinclis solvuntur, soluta est et ipsi capite[n] pendens cuculla. Hinc secundum regulae morem fratrum numero addictus, quaerendum angusto calle[o] coepit ardencius cupere Christum. Duo autem ex fratribus qui cum eo erant, iam dudum videntes quia se monachum Horat. Od. III, 7, 10. facere vellet[p], non bene relicto[q] clipeo[r] fugam dederunt. Solus vero Gaudentius exemplo constantis viri remanens[s], cum beato viro monachatum atque probabilem conversationem consecutus est; qui etiam sibi carne et spiritu duplex germanus, et ab infantia semper fidissimus comes[t] adhesit.

17. Ipse vero omni oboedientia ac humilitate ambulans inter fratres, contra bella temptantium viciorum intrepidus tyro accingitur. In cogitationibus suis ad humilem confessionem semper confugiens, quassatae mentis archana spiritalibus viris pandere non cessavit. Cessante vero temptationum imbre, in novam messem virtutum floruit, Prov. 4, 18. ac post viciorum victoriam solito clarior ęluxit. Processit ergo ut lux splendens, et crevit usque ad perfectum diem. Obedientia, qua donavit eum suus[u] abbas, huiuscemodi erat, ut coquinae fratrum aquae[v] ministratorios[w] usus humero apportaret, manibus quoque eorum lavandis simile obsequium ageret. Sic se cunctis fratribus servire laetatur. Nec moratur interea aemulus hostis, nunc aperto bello, nunc latentibus insidiis hominem Dei inpugnaturus. Et cum testacia[x] vasa nunc aqua, aliquando vino plena portaret, praedictus hostis callido astu lapsus parat, ac ut confracta in partes spargerentur efficiens, sacri viri faciem ingenti rubore perfudit[y]. Haec dum multociens fierent, et ipse tot vicibus veniam prostrato corpore peteret, tandem ultor eius confusionis respexit ad haec negocia Deus[z]. Nam una dierum cum fratrum mensae apportaturus foret merum, offenso pede corruit ipse super vas, et vas „ingenti cecidit super marmora lapsu.“ Audit a longe pater monasterii, cunctique fratres per ordinem, quomodo labitur ille

a) i. sanctorum seniorum et fratrum quos tu non bene 4[b]. b) alii 5. c) expellar 5. d) *deest* 1. e) abbatem — apparet ad *desunt* 1. *sed manu* 2. *margini adscripta.* f) P. monasterium i. 2. g) uenientium temptationum mine 2. 3a, c. 4[a], b. venientium temptaminum ymbres 5. h) D. panem discipulis fregit ac benedixit 4[a]. i) l. eisdemque eucharistiae panem fregit ac benedixit 4[b]. k) *in loco raso* 1. l) infantes 4[a]. m) crinalibus 3[a]. *in marg.* n) collo 2. o) calce 3[c]. p) fecisset 5. q) recto 1. proiecto 2. 3[c]. r) clippeti 1. *supra scripto manu* 2: cursu occulti *et in margine* clippeti quasi clam gradientes. s) *ita* 1. *distinguit.* t) *deest* 1. u) s. pater a. 2. v) *deest* 1. w) ministrarios 1. x) *in margine:* thaine *alia manu* 1. y) robore fudit *corr.* rubore perfudit 1. z) n. D. *desunt* 2.

86) Casinatium, quibus monasterium S. Michaelis subiacebat. 87) hodie *S. Alessio*, in monte Aventino prope Tiberim. 88) i. e. non solum non avertere.

heros, nescientes, quia hunc casum prosperrima adversitas comitaretur. Ita enim vas sanum et vini porcio non minuta repperitur, acsi nulla facta foret ruina. Item nobilis quaedam[a] femina[88] monasterium hoc causa orationis ingreditur; et cum caritatem ibi facere[b] iussa[c] foret, iam septem annis panem se non gustasse profitetur. Ille vero hunc abstinentiae morem pro infirmitate adhaesisse ei recognoscens, allato pane salutiferae crucis signaculum inpressit, ac deinde prandenti matronae eum apponens: *In nomine domini mei Iesu Christi, filia,* inquid, *manducа[d] panem. Non licet tibi sanctam caritatem violare; pro eius enim amore hoc parum prandii accipere iussa es.* Ad hanc vocem credula mulier panis munera degustans, cum gratiarum actione regreditur in domum suam. Exhinc ergo communi cibo usa, rem novam sibi contigisse civibus narrat; ac glorificat vox omnium dominum Deum. Nec[e] praetereundum est, qualiter cuiusdam Iohannis filiam, qui nunc Urbis praefectus esse dinoscitur[89], atrocissimus 89 febrium dolor vexare coepit. Quam cum homo Dei sacratissima sua manu tangeret, omnis languor corporis eius imperio abscessit.

18. Archiępiscopus vero Mogontinus beati praesulis gregem sine pastore ire con- 994. spiciens, misit legatos cum litteris, per quos domnum apostolicum de sancti viri reditu interpellat. Factaque est Romae sinodus[90] pro hac causa; et oritur utrimque litigium 90 grande, ex una parte eorum qui monachum perdere timuerunt, ex alia eorum qui pastorem suum cum auctoritate quaesierunt. Cumque invicem pugnantibus sententiis utraque pars diu decertaret[f], tandem dubiam nunciorum primás vix promeruit victoriam. Hic ipse primás frater erat ducis, cuius terrae qui exigebatur episcopus praefuit[91]. Tum 91 apostolicus non tam voluntate quam iure Dei permotus, talia respondit: *Reddimus quod iuste quaerunt, quamvis de bono patre iam degenerassent filii, et dabimus eum hac lege: Si audierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque sub eo fructum centuplum. Si autem a consueta iniquitate sua recedere nolunt, hic noster absque periculo sui capitis malorum consorcia declinet.* Haec ubi dicta dedit, finita est sinodus; et soluto coetu, redierunt quisque in domum suam. Abscedunt legati, monachis tristibus, et laeto animo ac magna exultatione. Cumque emenso itinere Pragam venirent, eunt ei obviam omnis aetas et sexus, et quasi cum ingenti[g] gaudio acceperunt eum. Dant manus ac promittunt omnia[h], velut qui de sua reversione opido gauderent[i], secundum eius praecepta priorem vitam plenissime emendare vellent[k].

19. Sed paulo post cępit eos[l] ignava[m] mollicies, et neglectis praedicationibus itur in omne nefas. Veterum quippe viciorum recordationibus praeventi, in carnalem partem relabuntur, et pereunt labor pastoralis et diligens cura boni patris. Inter haec luctuosum et miserabile crimen exoritur. Mulier cuiusdam nobilis cum clerico[n] adulterasse publice arguitur. Quam cum more barbarico parentes dedecorati coniugis decapitare Virg. Aen. IV, 226. quaererent, fugit illa per celeres auras, donec voce et cursu usque ad optatum pervenerat episcopum. Volens autem de illorum manibus mulierem liberare, clausit eam in monasterio sanctimonialium, quod sub vocabulo et veneratione sancti Georgii consecratum, firmissimis moenibus vallatur[o]. Clavim vero aecclesiae custodi fideliter commendat, credens, ut femina inter feminas solacia doloris et sub altaris defensione vitae securitatem haberet. Crimen quoque in se referre voluit, ut se sceleris auctore magnum aliquid fieret: scilicet[p] ut per[q] poenitentiae fructus aut illam vitae servaret, aut ambo simul iussi morerentur[r]. Qua voluntate quia martyrii coronam exposcens erat, adimpleret utique quod voluit, nisi eum prudenter domnus Willico[s] prohiberet. Impia manus interea absconsae mulieri ferrum necemque parans, armato milite episcopale[t] forum irruperunt. Quaerunt minis[u] et contumacibus[v] dictis episcopum, qui contra

a) *deest* 1. b) faceret . multa prece fratrum foret rogata . iam pleno triennio panem 4a. c) rogata esset iam pleno triennio panem 4b. d) m. hunc p. 2. 4b. e) Nec — abscessit *desunt* 4a. f) decertarent 3a, c. 4a. g) *deest* 1. h) emendare 3c. i) g. et s. 3a, c. 4a, b. 5. k) *deest* 2. 3c. l) eo 1. m) ignauia 2. 3a. 4a. 5. ignauia et 4b. n) clero 1. 5? o) uelatur 1. p) f. [credito] ut scilicet 3c. q) pro p. fructibus 2. r) re *manu secunda* 1. s) Wiollitona 3c. t) episcopalem 1. u) nimiis 5. *deest* 3a. v) tumacibus 1.

88) Constantia vocatur in poemate de S. Adalberto. 89) Iohannes Glosa praefectura fungebatur etiam post obitum Leonis abbatis a. 1002. d. 8. Martii; v. Marini Papiri p. 127. 90) cf. Vitam auctore Brunone. 91) Christianus, Boleslai I. filius, Boleslai II. frater; socius eius Radla, qui et Anastasius et Astericus, Adalberti praeceptor, de quo cf. Hartwici Vitam S. Stephani regis.

994. divinum[a] fas et legalia iura adulteram defendere vellet. Quod ille divinae contemplationis ocio vacans ubi aure percepit, cum velut divisae noctis hora esset, dicto versu fregit silentia, et in quo clausus erat exivit de templo. Deinde qui secum erant fratribus pacis oscula libans: *Bene valete*, inquid, *et pro me misero ferte pia vota Christo!* Inde totus ardore martyrii flagrans, non tardiore desiderio et cursu, quam qui fugit hostem, sponte venit in hostem[b]; ac medium agmen intrepido gressu incedens: *Si me quaeritis*, inquid, *praesto sum.* Unus autem ex illis, cui cum bonis[c] semper laeva voluntas[d] erat, omnium ore talia respondit: *Cassa spes martyrii te tenet et nobilis gloria lęti. Errat pro certo haec sanctitas, quae nostrum vult fieri peccatum. Non inplebitur tua voluntas, sed agitur aliquid, quod plus dolet; quia nisi haec meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres tuos, in quorum uxoribus prole et praediis hoc malum ulciscamur.* Haec dum furens Sclavus contra episcopum dilatravit, ecce corruptus auro proditor adest; qui excerpens eos clam ex agmine vocat, seque itineris ducem praebens, domum, in qua clausa erat, domusque custodem manifestat. Custos vero tentus ab illis, nunc minis, nunc amicis affatibus, ut illam in manus eorum redderet, diu probatur; ad ultimum mortis timore perterritus, non[e] sic sibi creditam cruentis hostibus prodidit feminam. Rapitur infelix illa, frustra pressis altaribus, et sub manu coniugis capitalem iussa est subire sentenciam. Quod cum ille, velut vir iustus, facere nollet, sub gladio vilis vernulae truncata, poenas male usi corporis capite exsolvit.

20[f]. His atque horum maioribus[g] popularis nequitiae studiis cum sermo docentis episcopi contraire nequiret, flet bonus pastor, quia in morbido grege signa salutis nulla inesse prospexit[h]. Hinc pro spectandis sequentibus malis oculos claudere volens, c. 995. dulcis[i] Romae moenia revisit, et nave[k] monasterii mutat pastoralia frena. Congaudent illo redeunte monasticae plebis sacra collegia, ac sanctitatis[l] suae amore pariter et utilitate[m] perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, sed prae omnibus abbas suus, qui et post se totis cohortibus fratrum praefecerat illum[92]. Ille autem omni vilitate et ex- (S. Bened. Regula c. 7.) tremitate contentus[n], quanto magnus[o] erat, tanto se cunctis inferiorem praebuit; quanto spiritalibus divitiis dives, tanto in oculis hominum parvus pauper et despectus esse cupiverat[p]. Dicunt autem abba et fratres eius de eo, quia in omni virtute ad unguem perfectus est, et extra martyrium[q] vere sanctus[r] erat. Sic de die in diem semper novus et se ipso robustior succrescens, ad divinae contemplationis fastigia velut castissima[s] turtur evolaverat. Volens autem Dominus ostendere servo suo, cuius meriti viveret in conspectu suo, monstrat ei per visum duos ordines in coelo, unum purpureo[s*], alterum niveo amictu, quibus sub diversa specię singulare meritum et propria merces; ambobus tamen esca et potus erat laus perpetua Creatoris. Et facta est vox ad eum dicens: *Inter utrosque est tibi locus, convivacio mensae et aptissimus honor.* Cuius rei visio- (1. Cor. 12.) nem abbati suo cum exponeret, non hoc de se, sed velut sanctissimus Paulus revelationis suae mysteria de alio homine narrat[t]: *Scio*, inquid, *huiusmodi hominem, cui Dominus per visum*[u] *talia ostendit et haec ipsa donaturum se promittit*[93].

996. 21. Hoc ipso tempore iter agit Romam rex Francorum Otto tercius, pulchri caesaris pulcherrima proles. Decursis quippe puerilibus annis, cum iam velut prima[v] lanugine barbae floreret[w], tempus et virtus maior annis imperatoriam sibi exposcerant[x] dignitatem. Roma autem cum caput mundi et urbium domina sit et vocetur, sola reges imperare facit; cumque principis sanctorum corpus suo sinu refoveat, merito principem terrarum ipsa constituere debet. Suus[y] ipsis diebus pontifex acerrima febre correptus, corpus terrae, animam coelo, utraque in sua dimisit[z] exordia. Rex autem Otto Alpium nives multo milite transmeans, iuxta sacram urbem Ravennam regalia (c. Mai 1.) castra metatus est. Ibi in eius occursum veniunt ępistolae cum nunciis, quas mittunt

a) *deest* 3a. b) s. v. in h. *desunt* 5. c) bona 2. cui minus semper laeva vol. 3c. d) uoluptas 4a. e) *deest* 2. f) *Hic* 3a. *non distinguit.* g) maiorum 2. h) conspexit 3a. i) ducis 1. k) naui 2. 3c. otio 4b. amore 5. l) s. illius contubernio et societate 4b. m) ultra 1. n) contectus *superscr.* uel contentus 1. o) maior 3c. p) concup. 2. q) monasterium 3c. r) fcs 2. s) castissimus 2. 3c. s*) purpureum *corr.* purpureo 1. t) scio *usque* promittit *desunt* 2. u) visum ostendit caelestes acies, quarum una roseo vernabat aspectu, altera vero liliorum candebat amictu; et facta est vox ad eum dicens: inter hos ordines locum habes 4b. v) *deest* 3a. w) f. iuuentus t. 2. 5. x) expoposcerant 5. y) Summus 3a, c. cuius 4b. z) diuisit 1.

92) fortasse a. 995, quum Leo legatus in Galliam proficisceretur. 93) v. quae in praefat. de auctore huius libri disserui.

Romani proceres et senatorius ordo. Primo illius adventum, velut toto tempore paternae mortis non visum, totis visceribus desiderare ac debita fidelitate[a] pollicitantur exspectare; deinde in morte domni apostolici tam sibi quam illis non minimam invectam esse[b] partem incommodorum annunciant, et quem pro eo ponerent, regalem exquirunt sentenciam. (996. Mai.) Erat item in capella regis quidam clericus nomine[c] Bruno, secularibus litteris egregie[d] eruditus et ipse regio sanguine genus ferens[93]; magnae scilicet[e] indolis, sed, quod minus bonum, multum fervidae iuventutis[94]. Hunc, quia regi placuit, a maioribus electum Magontinus archipraesul Willigisus[f] et suus collega Hildebaldus[g] episcopus[95] adduxerunt Romam; proinde a Romanis honorifice acceptum[h], ad hoc ordinati episcopi apostolico honore promulgarunt. Superveniens etiam rex Romano more ęgregię accipitur; deinde et magno gaudio omnium imperatorum attigit apicem. (Mai 21.) Laetantur cum primatibus minores civitatis[i]; cum afflicto paupere exultant agmina viduarum, quia[k] novus imperator dat iura populis, dat iura novus papa[l].

22. His temporibus christianissimus ille caesar, cui[m] circa servos Dei maximum studium semper et diligens cura fuit, crebro alloquitur sanctum Adalbertum, et habebat eum sibi familiarem, audiens libenter, quaecumque sibi diceret. Archiepiscopus vero Willigisus[n] veterem querimoniam canens[o], domnum[p] apostolicum de sancti hominis reditu interpellat; congeminat[q] vota cum votis, et ut reportaret illum, modis omnibus instat. In apostolica quoque sinodo canonum[r] testimonia revolvens, coram omnibus se iusta petere clamat; peccatum esse, singulis aecclesiis maritatis, solam Pragam suo pastore viduari; iuste[s] poscentibus[t] benivolam aurem[u], viduae ecclesiae maritum suum praebere[v], libera mente postulans erat. Rursum ex itinere quo versus est ad patriam, continuis litteris hoc idem reiterare non cessat; nec dimisit prius, donec pollicitus est domnus apostolicus, facturum se esse quae vellet. Tristatus est autem homo Dei, quia relinquere cogitur monasterium. Praescierat enim, quia populum, cui[w] pastoralem curam debuit, a via sua mala nemo flectere quisset. Sed tristem eius animum hoc valde solatur, quia si in commissis sibi animabus dignos fructus agere nequisset, extraneis[x] et non baptizatis praedicator missus fuerat. Ergo multis lacrimis fratrum[y] dulce monasterium linquens, cum summae discrecionis viro Notherio episcopo[96] ultra Alpes proficiscitur.

23. Cumque velut duorum prope mensium iter agerent, venerunt Magunciam, ubi[z] (Sept.) regressus ab Italicis horis imperator commoratus est. Cum quo vir Dei mansit bonum tempus, quia valde[*] familiarissimus sibi[a] erat et nocte pariter ac die velut dulcissimus[b] cubicularius[c] imperiali[d] camerae[e] adhaesit[f]. Hoc autem non sic, velut saeculi aliquo amore[g] captus, sed quia dilexit ipsum, et dulcibus dictis ad amorem coelestis patriae accendere voluit. Nam die sive nocte, cum turba locum dedit, sanctis alloquiis aggreditur illum, docens, ne[h] magnum putaret[i], se imperatorem esse; cogitaret, se hominem moriturum, cinerem ex pulcherrimo, putredinem et vermium escam esse futurum; viduis se exhibere[k] maritum, pauperibus et pupillis monstrare se patrem; timere Deum ut iustum ac districtum iudicem, amare ut pium veniae largitorem ac misericordiae fontem; sollicite pensare, quam angusta via quae ducit ad vitam, et quam perpauci, qui

a) felicitate 1. 2. b) *deest* 1. c) *deest* 3a. d) *deest* 2. e) *deest* 3a. f) wilgisus 1. g) hildebaldus 2. ildebaldo 4a. udelbaldus 3a. udebaldus 4b. adelbaldus 3c. h) totiusque cleri populique consensu, fauente etiam rege, urbis episcopus ordinatur 4b. i) c. a. p.-e. a. v. *desunt* 4a. k) cum nouo imperatore dat populis iura nouus papa 4a, b. l) d. i. n. p. *desunt* 1. m) *deest* 2. n) uulgi:sus 1. o) quaerens 2. carens 4a. p) d. a. de s. h. r. *desunt* 1. 3a. 4a, b. q) Cognominat 2. r) canonum *usque* agerent *desunt* 4a. s) Iusta inquiebat p. b. a. indue 3c. iusta 4b. t) iusta petentibus 2. u) accommodare *in margine supplet* 5. v) praebe 3c. w) qui 2. x) et e. et 1. y) *deest* 3a. z) ubi propter pestiferum estum sibi suisque contrariam deserens Italiam imperator commoratus est alpium. Mansit 4a. (. . . contrarium . . . est. Mansit) 4b. *) *deest* 1. 3a. 4b. multum 4a. a) s. e. e. n. p. ac d. v. d. *desunt* 1. b) sanctissimus 3a. 4a. amicissimus 3c. v. d. *desunt* 4b. c) cubiculo 1. d) imperali *corr.* imperialis 1. e) camare *corr.* camere 1. curti vel camerae 3c. f) *Quae sequuntur usque* non habere *desunt* 4a. g) more 1. h) *deest* 1. i) p. *addito alia manu* si 1. k) exhiberet . . . monstraret . . . timeret *etc.* 3c.

93) filius Ottonis ducis, filii Conradi ducis et Liudgardae filiae Ottonis I. — Locum hunc male intellexit Petrus Dam. c. 27. atque de Brunone archiepiscopo et martyre interpretatus est. 94) Haec defuncto Gregorio V. (a. 999. d. Febr. 5.) scripta esse videntur. 95) Wormatiensis. 96) Leodiensi.

996. intrant per eam; bene agentibus esset per humilitatem socius, contra delinquentium vicia per zelum iustitiae erectus[a]. Ad hunc modum plura[b] subnectens, monet carum filium, praesentis vitae bona despicere, aeternitatis electionem desiderare, mansura quaerere, in rebus temporalibus et transitoriis fiduciam non habere. Cunctis, qui in regia domo erant, servitutem[c] serviens, velut servus omnium, sic eorum vilissima quaeque manibus tractat, et omni humilitate eorum servicia facit. Noctibus quoque cum carpserant somnum, calciamenta eorum componere cura[d] fuit; ab ianitore usque ad principem regiae domus omnium caligas aqua abluit, et purgatos sordibus[e] eos suo loco restituit. Ad hunc modum plurima servicia egit in camera; quanto quaeque vilissima erant, tanto libentius ea pro humilitate[f] ministrat. Sed serviminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Wolpharius[g], imperialis minister et[h] sibi dilectus cubicularius, sanctum prodidit furem.

24. Vidit quoque ibi somnium nocte una, quod huiusmodi erat. Putabat se fratris sui curtem[i] adire, et media curte stare domum, cuius structura aspectu erat delectabilis, parietes et tecta nivei candoris; intus duo lecti, unus sibi, alter fratri suo deputatus erat: uterque scilicet, ut decuit, multum honoris gerens; sed lectulus suus omnem gloriam alterius longe praecellens, totus purpureo splendore et sericis ornamentis amictus, ad caput vero aurei staminis lintheo pulcherrime redimitus[k]. Sursum vero in capite erat aureis litteris scriptum[l]:

Munus hoc auctentum[m] filia sponsa tibi[n].

Cuius visionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret: *Vide*, inquiunt illi, *quia Christo domino secundante[o] martyr eris futurus. Regis filia, quae dat tibi regia dona, hoc[p] est domina coeli, sacratissima virgo Maria.* Hoc audiens ille, factus est laetissimo animo; et ingressus cubiculum cordis, egit gratias sancto sanctorum angelorum domino et omnipotenti[q] Christo. Hinc matrem gratiarum, quae regis solio proxima sedet[r], prona cervice et gavisae mentis iubilo adorat: *Gloria tibi*, inquiens, *virgo[s], maris stella, quae me ut pia domina humillimum servum tuum respicere dignata es.*

25. Hac ipsa tempestate adiit Turoniam[t], quaerens auxilio sanctum senem Martinum. Nec[u] praeteriit Floriacum, qui[v] beatissimum corpus confessoris nostri[w] et patris
97 Benedicti suo gremio[x] collocare meruit; ubi etiam, quis ille sit Domino[y, 97], caecorum visus, claudorum gressus, surdorum auditus[z] et coelestium miraculorum multa milia protestantur. Horum duorum karissimorum patrum sacris confabulationibus[*] pastus, laeto animo regreditur ad imperiale domicilium. Inde quid sibi menti foret, quae volente Deo agere vellet, sub lucem proferens, coepit[a] cum dilecto caesare familiarem[b] extremum sermonem habere. Finita locutione, pacis oscula invicem[c] libant, et amplius numquam sociandos[d] non absque dolore separant amplexus. Vir ergo sanctus eius caram vitam carissimo Iesu multum commendans, secundum placitum[e] archipraesulis sui ad apostatricem[f] gentem[g] pergere coepit. Sapuit ipse, quod consilio suo non obaudirent, sed ne inobediens esset, iussum iter adimplere maluit. Hoc etiam eius animo magnam spem tribuit, quia si non in filiis, in[h] alienis et barbaris animarum lucra congregare potuit. Erant enim multae nationes per circuitum, per quas aut sibi martyrium aut eis baptismi gratiam conferre potuit[i]. Gens autem haec sceleratissima, ad quam redire compulsus est, in odium sui nominis grande nefas peregerunt. Nam parentes suos, nobiles et praeclaros viros, misero vulnere prosternunt; fratres fratrumque filios, masculum una cum insonte femina, omnes morte saevissima dampnarunt; civi-

a) electus 1. b) plurima 2. c) servitute 2. 3c. 4a. *deest* 4b. s. s. *desunt* 3a. d) carum 1. e) *deest* 1. f) h. seruat et m. 2. g) uolpharius 1. woltharius regius i. 3a. cuiusdam uolfarii bone indolis nobilis alumni dictio 4a. c. u. b. i. relatio 4b. h) et s. d. c. *desunt* 2. i) currem 2. k) et capitale aureo panno tectum 4a, b. l) *reliqua capitis usque* dignata es *desunt* 4a. m) *ita* 1. *glossa manu eadem:* auctoriale, optimum. n) sponsatur 3a. donat 3c. M. h. a. donat tibi sponsa filia regis 2. M. h. donat tibi filia regis 4b. o) fec. 2. p) haec 3a. 4b. 5. *deest* 3c. q) omnipotente 1. r) sed et 1. s) v. Maria m. 5. t) tyronum 2. u) hec 2. v) quae 2. 3a, c. 4b. w) n. et *desunt* 3c. x) grege 3a. 4b. y) dominus *in loco raso* 1. *deest* 3a. 4b. d. [concedente] 3c. z) s. a. *desunt* 3a. *) s. et fab. 2. a) *deest* 2. b) f. et c. 3a. c) *deest* 3c. d) sac. 2. e) *glossa* decretum 1. f) *glossa* prevaricatricem 1. g) *deest* 1. proficiscitur . . in Sclauoniam 4a, b. *quae sequuntur valde correpta habentur in* 4a. h) *deest* 1. i) gratia conferri 3a. 5. baptisma conferri 4b.

97) i. e. apud Dominum, cuius auctoritatis Benedictus sit apud Dominum.

tates[98] quoque eorum igne ac ferro devastantes, omnia[a] eorum bona in captivitatem 996. redegerunt. Unus autem ex suis fratribus[99], dum haec mala domi geruntur, cum Bolizlavo[b] Palaniorum[c] duce foras[d] in expeditione imperatoris erat. Dux vero ille pro amore sancti fratris magnis promissis et amicis[e] opibus eum solatur.

26. Ergo pro his sceleribus aditum sibi clausum esse[f] putans ille sanctissimus[g] 997. heros, noluit frustrari adventum suum; sed declinavit ad praefatum ducem, quia sibi amicissimus erat, et si[h] se[i] recipere vellent[k], per eius missos explorare potuit. Quo facto, econtra illi magna indignatione remittunt ei irae[l] et furoris plena verba, dicentes: *Sumus peccatores, populus iniquitatis, gens durae*[m] *cervicis; tu sanctus, amicus Dei, verus Israhelita, et tibi omnia cum Domino. Tantum ac talem non portant cohabitationes et consorcia iniquorum. Et tamen unde novum*[n] *hoc genus, ut tociens repulsos, tociens abiectos non unius sed diversarum mentium*[o] *requirat episcopus? Agnoscimus*[p], ingeminant, *quid sub colore pietatis mendosum tinniat haec sanctitas. Nolumus eum; quia si veniet, non venit*[q] *pro nostra salute, sed pro puniendis malis et iniuriis, quae*[r] *fratribus suis fecimus et fecisse iuvat*[s]. *Non est qui recipiat eum, non est usque ad unum.* Haec et his similia audiens beatus[t] episcopus, tanto laeticiae risu exuberat, ut pene[u] a solito rigore magnum aliquid excederet. *Disrupisti,* inquid[v], *vincula mea. Tibi immolo*[w] *gloriam et sacrificium laudis, quia pastoralis curae funes et*[x] *vincula de meo collo ipsorum refutacio liberavit. Fateor me hodie, o bone Iesu, totum esse tuum; tibi, dominator virtutis aeternae, laus honor et gloria. Noluisti eos, qui te nolunt et qui a via veritatis in desiderio*[y] *declinant.*

27. Inde adversus diram barbariem prophanosque idolâtras[z] gladium praedicationis acuens et aptans, cum quibus[*] primum, cum quibus postmodum dimicare oporteret, animo deliberare coepit; utrum Liuticenses, quos christianorum praeda miserorumque hominum dampna pascunt, an Pruzzorum[a] fines adiret, quorum deus venter est et Phil. 3, 19. avaricia iuncta cum morte[b]. Tandem alternanti pocior sentencia successit animo, ut quia haec regio proxima et nota fuerat duci praedicto, Pruzziae[c] deos et idola iret debellaturus. Dux vero[d], cognita voluntate eius, dat ei navem, et ipsam pro pace itineris têrdeno milite armat. Ipse vero adiit primo urbem Gyddanyzc[e, 1], quam ducis latis- 1 sima regna dirimentem[f] maris confinia tangunt. Ibi, divina misericordia adventum eius prosperante, baptizabantur hominum multae catervae. Ibi, missarum sollempnia celebrans, Patri immolat Christum, cui non post multos illos[g] dies se ipsum pro[h] hostia fuerat oblaturus. Quicquid vero superfuit de eo[i], quod ipse et novi[k] baptizati communicarunt, colligere iubet, et mundissimo panno involutum sibi servabat[l] pro viatico deportandum.

28. Postera autem die salutatis omnibus inponitur carinae et pelago, et tollitur ab eorum oculis, numquam postea videndus. Hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens, post paucos marinum litus egreditur, et reversa est navis cum armato custode. Ipse autem pro praestitis beneficiis gratiam vectoribus et vectorum domino agens, remansit ibi cum geminis fratribus; quorum alter presbiter Benedictus, alter dilectus et a puero sibi comes frater Gaudentius erat. Tunc magna fiducia Christum praedicantes, intrant[m] parvam insulam, quae curvo amne[2] circumvecta, formam circuli adeuntibus[n] monstrat. 2 Venientes vero loci possessores, cum pugnis expulerunt eos[o]. Et quidam, arrepto[p]

a) nomina 3a. b) bolezawo 2. bolezlao 3a. boleslauo 3c. bolisclauum 4a. boleslao 4b. c) *ita* 1. 4a. palaniorum *corr.* pulaniorum 5. poloniorum 2. bolaniorum 3a. polaniorum 3c. polonorum 4b. d) *deest* 3a. e) p. de amissis 3c. f) iter 3a. g) *deest* 5. h) si bohemi se 4b. i) *deest* 3a. k) v. pragenses 5. l) r. exire 2. m) dire 1. 4a. n) *deest* 3a. nova sanctitas exsurgit 4a, b. o) mencium *corr.* gentium 1. gentium 3c. p) *vox bis scripta* 3a, c. 4a. cogn. agn. 4b. q) veniet 4b. 5. r) q. de f. 2. 3a. s) *glossa* id est delectat 1. t) illusus 3a, c. u) bene 2. v) D. i. Domine u. 4b. w) sacrificabo 4a. 5. x) *deest* 2. y) desideria 3a. in propria d. 3c. 4b. z) idololatras 3a, 4b. idololatrias 3c. *) q. et postmodum 2. c. q. *desunt* 3c. a) prusorum 3c. prussorum 4a, b. *constanter.* b) m. est 3a. c) pruziae 1. 3a. d) u. Prussiae B. 4b. *vocem* Polonus *Bzovius inseruisse censendus est, qui hoc et supra* duci Pruzziae *iungit.* e) *glossa* danyzc 1. gidanie 3a. gidanic 3c. gnesdon 4a. gedanum 4b. gyddanyze 5. f deprimentem 3c. g) *deest* 2. 4b. h) per *corr.* pro 1. p. h. *desunt* 2. i) Deo 3a. k) noti 1. l) seruauit 2. 3a, c. sernat 4b. seruari 5. m) intrauit 1. n) adeuntes 2. o) *deest* 2. p) arepto 1.

98) Lubic. v. Annales Pragenses SS. III. p. 119. ubi annus 995. scribitur. Cosmas in poemate ap. Dobn. II, p. 40. Kurim (hodie Kaurzim) vocat. 99) Sobiebor nomine. 1) Danzig. 2) Pregel, ut videtur; cf. Cl. Voigt Geschichte Preussens I. p. 266 sqq.

997. naviculae remo, astitit episcopo propius, et ut forte psalmos in libro decantaverat, ingentem ictum inter scapulas dedit. Excussus manibus volat in diversa codex, et ipse extenso capite et membris iacet humo prostratus; sed exterius afflicto corpore quid pia[a] mens[b] intus ageret, risus cordis per vocis organum mox[c] patefecit. *Gratias tibi,* inquid, *Domine, quia etsi amplius non erit, saltim vel unum ictum pro Crucifixo meo accipere merui.* Transiens vero in aliam partem fluminis[3], stetit ibi sabbato. Vespere
April. 17. autem facto, dominus villae divinum[d] heroa[e] Adalbertum transduxit in villam. Congregat se undique inhers vulgus, et quid[f] de illo foret acturus[g], furibunda[h] voce[i] et canino rictu exspectant. Tunc sanctus Adalbertus, quis et unde esset, vel ob quam causam illuc veniret, interrogatus, talia econtra miti[k] voce respondit: *Sum nativitate Sclavus*[l], *nomine Adalbertus, professione monachus, ordine quondam episcopus, officio nunc vester apostolus*[m]. *Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquentes simulacra surda et muta, agnoscatis Creatorem vestrum, qui solus, et extra quem alter deus non est; et ut credentes in nomine eius vitam habeatis, et in atriis inmarcescibilibus*[n] *coelestium gaudiorum praemia percipere mereamini.* Haec sanctus Adalbertus. Illi autem iam dudum indignantes et cum clamore blasphemiae[o] verba adversus eum proclamantes, mortem sibi minantur. Et[p] extimplo terram baculis percutientes, fustes capiti eius apponunt, et infrendunt dire dentibus in eum: *Magnum sit tibi,* inquiunt, *quod hucusque inpune venisti; et sicut celer reditus spem vitae, ita tibi parvae morae necis dampna creabunt. Nobis et toto*[q] *huic regno, cuius nos fauces sumus, communis lex imperat et unus ordo vivendi; vos vero, qui estis alterius et ignotae legis, nisi hac nocte discedatis, in crastinum decapitabimini*[r]. Ipsa vero nocte in[s] naviculam inponebantur, et retro ducti manserunt quinque dies in quodam vico[4].

29. Haec dum in illa parte geruntur, ecce in monasterio, ubi ille talis nutritus fuerat, cuidam converso Iohanni Canapario[t] talia Dominus per visum ostendit. E summo coelo velut volancia deorsum veniunt usque ad terram duo[u] linteamina, alba sicut nix et munda absque omni sorde et macula. Ambo sua honera[v], singulos quidem viros, de terra levant; ambo felicissimo[w] cursu nubes et aurea sydera transnatant[x]. Unius nomen extra ipsum[y] qui haec vidit admodum paucissimi sciunt; alter[z] vero erat, ut adhuc hodie ipse[*] meminit, domnus Adalbertus, cui angelicus[a] minister iam coelestis mensae convivia praeparavit. At pater Nilus ignotum est quid de eo videret; sed dulcibus scriptis eundem virum[b] ita alloquitur: *Scias, dulcissime fili, quia amicus noster Adalbertus ambulat cum Spiritu sancto, et beatissimo fine praesentem vitam erit terminaturus.* Item fratri Gaudentio, quae opere[c] futura erant, nocturna quies[c*] textis ambagibus dixit. Expergefactus ergo, si vellet audire somnium[d] suum, interrogat dilectum patrem[e]. Respondit autem ipse: *Dic, si quid habes. — Vidi,* inquid, *in medio altaris calicem aureum, et hunc vino semiplenum; custos vero eius nemo erat. Me itaque volente bibere merum, opposuit se mihi*[f] *minister altaris, et audacibus meis coeptis velut quadam imperiosa auctoritate contradixit, quia*[g] *nec mihi nec alicui hominum hanc licentiam dare vellet, pro eo quod tibi in crastinum pro mistica refectione foret servatum.* Haec eo loquente, fugit somnus ab oculis, et occupat tremencia membra torpor ingens: *Deus,* inquit, *fili, prosperet hunc visum! Fallaci somnio neminem credere oportet.*

April. 23. 30. Iam exsurgente[h] purpureo die, coeptum iter agunt, et Davitico carmine viam sibi adbreviant[i], et dulcis vitae gaudium continuo appellant Christum. Inde nemora[k] et feralia lustra linquentes, sole ascendente ad meridiem, campestria[5] loca adierunt. Ibi fratre Gaudentio missam celebrante, sanctus ille monachus communicavit, et post

a) pia *ex corr.* 1. diua 5. b) m. eius i. 2. c) *deest* 2. d) domnum 2. e) *deest* 2. f) q. primas de 4a, b. g) acturum 2. h) furibunda *corr.* furibundo 1. i) *deest* 1. 2. 5. k) mitti *corr.* miti 1. l) bohemus 3c. m) aplus 1. *manu alia inscripto* c (apostolicus). n) inmarcessib. 1. o) blasphema 2. 3a, c. 4a, b. 5. p) *deest* 2. 3a, c. q) toti 3a. r) *glossa sec. XI.* gihafdade uuerthath 1. s) *deest* 1. nauicule 2. 3a. t) *glossa* sadulerie 1. campanario 3c. 5. u) *deest* 1. 4b. v) *ita* 4a. h *erasum* 1. *reliqui* onera. w) *ita* 1. 3a, c. 4a, b. 5. uelocissimo 2. x) transeunt 2. transnant 3a, c. 4b. y) i. onicrótem admodum 4a. *Vox valde modesta, si Iohannem ea scripsisse statuas!* z) alter *usque* praeparavit *desunt* 1. 5. *) *deest* 3a. 4b. a) angelus 3a. b) v. iohannem 4b. c) opera 2. 5. c*) quies 1. d) somnum 2. 3a. e) fratrem 5. f) *deest* 2. g) qui 3a. h) exurg. 1. 4b. i) abr. 1. k) ::: ne mora 1.

3) in Sambiam, hodie Samland. 4) e regione urbis Pillau. 5) nemus Pruzzorum sacrum; v. Voigt p. 660.

sacram communionem pro alleviando[a] labore itineris pauxillum obsonii accepit. Et dicto 997.
versu et sequenti psalmo, surgit de gramineo cespite, et quantum iactus est lapidis[b] Apr
vel missus sagittae progressus, loco resedit[7]. Hic[c] cępit eum somnus; et quia diutini[d] 23.
itineris fessus erat, pleno cornu profudit[e] eum sopori fera quies. Ad ultimum pau-
santibus cunctis, affuit paganicus furor, et irruerunt super eos impetu magno, et inie-
cerunt omnes in vincula. Sanctus vero Adalbertus stans contra Gaudentium et alium
fratrem ligatum: *Fratres*, inquit, *nolite contristari*[f]*! Scitis, quia haec patimur pro nomine
Domini, cuius virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo supra omnes decores, potencia ine-
narrabilis, piętas singularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius, quam dulcem*[g] *pro dul-
cissimo Iesu fundere vitam?* Prosilit e furibundo[h] agmine igneus[i] Sicco[k], et totis viribus
ingens iaculum movens, transfixit eius penetralia cordis[l]. Ipse enim, sacerdos idolorum
et dux coniuratae cohortis, velut ex debito prima vulnera facit. Deinde concurrerunt
omnes, et vulnera miscentes, iram exsaturant[m]. Profluit purpureus sanguis per foramina
utriusque lateris; ille oculis ac manibus stat orans in coelum[n]. Exiit rubeus amnis divite
vena, et extractae hastae septem ingencia vulnera pandunt. Ille vinclis solutis extendit
manus in modum crucis, et suppliciter fusis precibus pro sua et persecutorum salute
ad Dominum clamat. Sic illa sancta anima carcere suo evolat; sic nobile corpus pro-
tenta cruce terram occupat; sic quoque multo sanguine vitam fundens, beatis sedibus
et semper carissimo tandem perfruitur Christo. O sanctum et beatissimum virum, cuius
in[o] vultu angelicus splendor, in corde semper Christus erat! O pium et omni honore
dignissimum, qui crucem, quam voluntate semper et animo portavit, tunc etiam manibus
et toto corpore complexus est! Accurrunt undique[p] armis[q] dira barbaries, et nondum
expleto furore, auferunt corpori nobile caput, et separant exsanguia membra. Corpus
vero loco dimittentes, caput palo fixerunt; et laeto clamore sua scelera laudantes,
reversi sunt unusquisque ad proprias sedes[8]. Passus est autem sanctus et gloriosissi- 8
mus martyr Christi Adalbertus 9. Kalendas Mai[r. 9], imperante rerum[s] domino Ottonum 9
tercio pio et[t] clarissimo caesare, feria 6; scilicet ut qua die dominus Iesus Christus
pro homine, eadem die homo ille pro Deo suo pateretur[u]. Cui[v] est misericordia in
seculum, honor laus[w] et imperium in secula seculorum, Amen[x].

a) aleu. *corr.* alleu. 1. b) lapis 2. c) H. tum 3a. c. 4a, b. d) d. labore i. 3c. 5. e) perfudit 3a, c. 4a, b. f) c. Quis ille ignobilis color subito mutauit genas vestras? Scitis 4a. g) dulce est 3a. h) foribundo 1. i) *glossa* iratus 1. ignens 2. senex quidam 4b. k) *glossa* proprium nomen 1. siggo 3a, c. l) cordis sancti martyris Adalberti. Sanctus vero Adalbertus in se senem irruentem conspiciens miti voce dixit: „Quid vis pater? aut cur manus innocenti sanguine polluis atque cruentatas sponte diabolo tradis?“ Ipse 4b. m) exaturant 1. 3c. 4b. n) coelum erectis ait: „Domine adiuva me“; et vinclis solutis, extendit manus in modum crucis, et suppliciter preces effundens pro sua et pro persequutorum salute, ait: „Domine Deus omnipotens exaudi propitius orationem meam, et ne attendas istorum facinora, quae in me indigno propter sanctum nomen tuum commiserunt; quia nesciunt quid faciunt; sed aperi ianuam cordis eorum, ut te factorem omnium agnoscant et intelligant, et ad te revertantur; ut passio mea non sit infructuosa, nec istis, nec aliis qui mei memoriam fecerunt; sed concede omnibus in praesenti saeculo quietem et pacem, et in futuro vitam aeternam condonare digneris; Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto cuncta gubernas in saecula saeculorum Amen“. Et dum complesset orationem, amputatum est caput eius; sicque nobile corpus felici lapsu occupat terram. Sic sancta anima migravit ad Christum. Discipuli autem rapientes magistri cilicium sanguine aspersum, amaro planxerunt animo, dicentes: Heu consolatio nostra et spes gaudii nostri, cur nos flentes non consolaris?“ Sed ubi cadaver sanctissimi martyris et pontificis Adalberti corruit, concurrit undique armis munita dira barbaries, et nondum expleto furore, caput sanctissimi martyris palo fixerunt, corpus vero dilacerandum bestiis loco ipso dimiserunt; et sic laeto clamore laudantes sua scelera, unusquisque ad sedes proprias reversi sunt. Sed ut ostenderet omnipotens Deus, cuius meriti esset tantus martyr, per triginta dies iussa a Domino, ab aquila corpus eius custoditur, ubi nulla fera, nulla avis accedere potuit. Eam divino iudicio aquilam custodem discipuli aspexerunt. Post vero infidelis turba necdum humano sanguine satiata, tollentes corpus eius miserrime dilaceratum, in mare dimiserunt. Inde vero indicio fulgidae columnae, super corpus eius in coelum usque porrectae, manifestatum est corpus eius discipulis; et venientes cum multis christianis, abstulerunt corpus eius, et coniungentes caput corpori, honorifice sepelierunt, et dignam ecclesiam nomine eius construxerunt; ubi merita et virtutes eius exuberant usque ad hodiernum diem. Passus est autem beatissimus Christi martyr et pontifex Adalbertus octavo Kalend. Maii, scilicet ut qua die dominus Iesus Christus pro homine, eadem die ipse pro eius nomine pateretur, ipso adiuvante, cui sit honor cum aeterno Patre et Spiritu sancto, et nunc et per infinita saeculorum saecula Amen *desinit* 4b. — *In Ms. Ultraiectino etiam* corpus tribus diebus ab aquila custoditum, *teste Henschenio*, *Acta SS.* p. 187. *legebatur.* o) *deest* 1. p) u. cum a. 3c. q) *deest* 2. 4a. r) April. 1. s) regum 5. t) *deest* 1. u) *reliqua desunt* 4a. v) cuius 2. 3a. 5. w) *deest* 1. x) amen. Explicit passio et vita S. Adalberti Pragensis civitatis episcopi 5.

7) inter Pillau et Fischhausen, v. Voigt p. 270, qui sanctum propter ingressum silvae sacrae occisum fuisse coniicit; p. 660 sqq. 8) de capella a. 1422—1424. in loco martyrii constructa et a. 1669. diruta v. Voigt p. 663 sqq. 9) a. 997. dies 23. Aprilis in feriam sextam incidit.

VITA SECUNDA AUCTORE BRUNONE ARCHIEPISCOPO.

INCIPIT PASSIO SANCTI ADALBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS.

1. Nascitur purpureus flos Bohemicis[a] terris, maior filius ex parentibus magnis; aureum pomum exivit e nobilibus ramis; progreditur pulcra facie, set pulcrior fide, Woitech[b] puerulus, quod nomen interpretatum sonat: consolacio exercitus. Pater suus[c] magnus et praepotens erat; substancia eius integra, possessio diffusa est; cui mortalium felicitatum copia, sub se positorum hominum unda, familia multa perstrepens, argento et auro plena domus. Cum esset dominus terrae, fuit tamen mediocris homo; oracio rara, set habitaverat secum misericordia bona; neglecta castitas, et pauperum cura larga. Mater[d] ex claro genere[e] Sclavorum erat nobilissima, digna iugalis iuncta digno marito; marito videlicet, qui reges[f] tangit linea sanguinis, quem longe lateque iura dantem[g] hodie tremunt, Heinrico regi accessit proximus nepos. Femina eius, ut aiunt, casta moribus, plena elemosinis, fidem loquens operibus, nobilitati suae pulcrum responsum dedit. Set discipula virtutis, bene[h] fit rea custos fratris. Nam dum zelat zelo castitatis, dum fit familiarius[k] famula oracionis, dat viro occasionem peccandi, non cum una, set cum[l] feminarum turba. Bonus pater, set melior mater; optimus, qui nascitur ex ipsis.

2. Lacte plenus interea parvulus homo febricitat, mortem vicinam parentibus minatur, fletum movet oculis videncium suos sydereos vultus. Pater fecit spissum gressum ad puerum, quem amat prae filiis filium; testatur crebris lacrimarum stillis, quantus[m] vivat amor pueri in visceribus patris. Mors amara in foribus, ecce salus occurrit bene cogitantibus. Dixerunt enim territi parentes tremula prece: *Non nobis, Domine,*
10 *non nobis vivat puer iste; set clericus*[n] *in Dei honore matris*[10], *portet iugum tuum pulcra cervice.* Sic dum ponunt super altare Virginis, recessit in ictu oculi vis doloris; infantulus ad se redit, sospes omnibus membris. Bona semper angelorum imperatrix augusta sic se[o] clamancium ad Deum portat hominum vota, dum negare nescit corde petentibus, dum coelo fert opem aegris mortalibus, splendida stella maris.

Signasti servum, virgo Maria, tuum.

3. Qui cum intra plenilunium sensibilis[p] puericiae venisset, rudisque linguae meatus ad loquelam extenderet, primis elementis inficiendus, presbyterorum datur in manus. Tunc[q] quidam qui cunabulis pueri familiarius adhaesit, arduum desperans iter, parandis litteris se comitem subtraxit, semel et secundo concita fuga ad dulces parentes perrexit. Quo facto[r] pater infrendens, diris ictibus et vitalibus plagis fugam correxit; et cum indignacione sequens, non ab re filium tradidit salutiferis scolis. Nam aperuit Deus puero aurem cordis, et interiecto mensis spacio, tanta gratia perfudit, ut exinde parendo seniori usque ad unguem phylosophiae eius, papas[11] morum et magister sensuum foret.

4. Decursis itaque rudis infanciae balbucientibus annis, Davitico nectare[12] Woiteh
13 potatus, parvoque melle dulce canentis Gregorii[13] pastus, ut partem comedat suam, et[s] ad septem panes sapienciae portatur[t]; traditur inquam ad ingenuam Parthenopolim, Theutonum novam metropolim, liberalibus disciplinis imbuendus; quam[u] urbem rex maximus, primus trium, Otto imperator augustus in magnum archypraesulatum erexit, et ut hodie cernere est, in pulcro littore Albis fluminis[v] sancto Mauricio pulcherrimam domum prope construxit. Urbis tunc erat episcopus Adalbertus, et ipse primus, qui, quem suo nomine Adalbertum vocavit, bonae indolis puerum Woiteh secundo crismate
14 linivit. Haec cum facta essent, non norunt[14]; postea quando finito scolae duello domum

a) boemihcis 1. b) woytiech 2. voicechus 3. c) s. nomine Slawnitz 2. d) M. eius nomine Strziezislawa 2. e) ex genere Bohemorum erat, nobilissima caro, digna 2. f) regum t. lineam 2. g) dante 1. h) pene fit rea castitatis. Nam 2. k) familiaris 2. l) *deest* 1. m) quantum 2. n) ete::ricus 1. o) sic ad se 2. p) sensibus 1. q) T. [impulsus timore] quodam 2. r) scito 2. s) *deest* 2. t) potatur 1. u) quō 1. v) fluminibus 1.

10) S. Mariae V. 11) paedagogus. 12) psalmis. 13) moralibus. 14) scil. Adalbertus archiepiscopus et Woyteh.

rediit[a], recordata est mater pueri, quia Pruzis[b] episcopus gentium positus, cum idem Adalbertus super regnum patris iter[c] ageret, deductum[d] filium cum unguendis pueris tunc primo crismate liniret. Ecce[e] prudens lector, in peccatis agnosce latens mysterium, si non gravat hoc dictum; ut in peccato David et in aliis solet[f] erratibus bonum figurare vetus testamentum. Bis dum presbyter, dum fit pontifex unctus[g], bis dum ignorancia peccat puer unctus, homo mortuus[15] quatuor dies[16] unguento Salvatoris 16
ad vitam suscitatur; baptizatus ter, dum fonte Christum induit, dum mente monachum, dum sanguine martirem facit, summae Trinitati invisibili Deo aptus servus praeparatur: sumo babtisma ter factum, quaternam unctionem semel errantem, et colligam in sacrum septenarium — ubi vivit[h] puer iste, a via currat — invenio hominem Deo plenum, septies Spiritu sancto infusum.

5. Igitur ad frontem scolae hospes processit[i], ianuas timoris intrat, ubi plures epulas[k] cernere erat, quas, prout cuique venae in laevo pectore saliunt[17], amoena 17
turba discipulorum[l] ore carpunt. Scolis tunc praeerat Octricus[m] quidam facundissimus[n] aetate illa quasi Cicero unus, cuius memoriale clarum usque nunc intra Saxoniam habetur; quem, quantus foret, discipulorum facies inspecta sine lingua sonat, et per vicinas urbes circumquaque diffusa sophia[o] digito monstrat. Apponuntur[p] paedagogus et herus ad unum legere, sicut consuetudo erat domi discere; adest puero divina gratia, et currunt divite vena ingenium sensus et racio. Hoc autem asserunt mirabile in eo, si forte magister amoveret pedem, ut est proprium vagis puerorum animis, aliquando prodeunte[q] ludo totum consumpserat diem. Cumque de[r] lecta lectione nec verbum saperet, et bene iratus magister flagellare inchoasset: *Dimitte me*, inquit, *et legam;* et dimissus, ut rem notam, optime legit[1*]. Dicitur[s] etiam tribus linguis[18] pro 18
una locutus[t]: *Domine mi!* magistro clamasse[u], dum[v] scopae tergum verrunt, et ferventia flagella dolentem carnem frangunt. Auditoribus enim[w] usus erat lacialiter fari, nec ausus est quisquam coram magistro lingua barbara loqui.

6. Annos ter ternos in area[x] studii palaestram exercet ingenii; effodiens terrae[y] obrutos sensus, contra ignoranciae densam noctem prendidit[z] scienciae diem. Post Virg.
capella regis magistrum tulit. Scola dixit: *Sat prata biberunt*[*]; discipulorum divisa Ecl. III.
manus certas sedes domosque revisunt[a]. Repatriat novo nomine iam adolescens Adal- 111.
bertus; portat secum dulces sapienciae liquores; dat caris parentibus visus filius gaudium magnum. Hoc toto tum[b] tempore adeo lascivus erat, ut homo incubat[c] terrenis deliciis, vacat puerilibus iocis; quaerens cibum et potum, ut pecus curvat vultum, nescit cernere coelum.

7. Moritur Boemiae provinciae episcopus; et sicut coram astantibus desperata voce 982.
testatur, ab nigris spiritibus ad tartareum chaos incaute portatur. Praesens erat tunc Adalbertus, unus extrema videncium et verba morientis audire audiencium; quem, ut ipse post abbati in monasterio dixit, visionis illius magnus horror invasit, et ad primam salutem direxit. Exinde emendare mores, frena ponere animis, desideria carnis igne divini amoris excoquere coepit.

8. Conveniunt dux terrae et maior populus, et pro elevando[d] pastore varias sen- 983.
tencias ducunt; omnes tamen ad ultimum manus levant, aera clamoribus implent, non habere meliorem nec similem, quem oportet esse episcopum, sicut indigenam Adalbertum, cuius nobilitas, diviciae, alta sciencia, et placabiles mores cum tanto honore concordarent. Ergo in haec verba levatur terrae episcopus, mutata mente pius Adalbertus.

1* Unde admotis urentibus virgis primum: *Mi Domine!* garrit, iam cum increscit dolor qui legem non habet eodem verbo nunc Saxo nunc Sclavus misericordiam clamat 3.

a) redeunt 1. b) pruziis 2. brutiis 3. c) ĩĩ 1. d) d. fuisse f. c. u. p. ut p. c. liniretur 2. e) Ecce — infusum *desunt* 3. f) forte e. b. figurat 2. g) unctus — puer *desunt* 2. h) vult p. i. per avia c. 2. i) precessit 1. k) e. appositas cernebat 2. 3. l) d. avido o. 2. m) Octricius 1. Ottricus 2. Athericus 3. n) famosissimus 1. *alia manu emendatum ut in textu.* o) *deest* 1. p) Apponunt p. et h. legem, sicut 2. q) pereunte 2. r) perlecta 2. s) Dicunt 2. t) locutum 2. u) *deest* 1. v) cum 2. w) e. tunc u. 2. x) arena 2. 3. y) effodiensque terra cordis o. s. 2 z) prodidit 1? *) bibunt 1. a) revisant 2. b) tunc 2. c) incuba 1. d) leuando 2.

15) Adalbertus scilicet, antequam baptizatus esset. 16) ut Lazarus post quatuor dies. 17) cf. Ruotgeri vitam Brunonis cap. 5. 18) bohemica, theutonica, latina.

983. Hac ipsa die ubi erat[a] episcopium, audientibus cunctis[b], locutum est demonium, cum
illud presbyteri sacris imprecacionibus urguerent, ut exiens de homine possesso, daret
honorem Deo vivo: *Quid molesti*, inquit, *estis? Vae satis est michi! Amplius hic stare
non possum, quia hodie electus est populo*[c] *episcopus, quem valde timeo, christicola Adal-
bertus.* Sic ait; et cicius dicto, demon impudens Spiritui sancto locum dedit[d], et, ut
flagello fugatus, exivit ab[e] homine sano. Cui rei qui[f] hora illa praesens erat, Wilico[g]
quidam, bonus et sapiens clericus, visibile testimonium asserebat; nos et legimus, cum
ad nostrum abbatem hoc scriptum folio[h] mandaverat. Ipsum episcopus Adalbertus suae
ecclesiae praepositum habuit; post super cordis arida flante Spiritu sancto, nobilem mo-
nachum mons Cassinus[i] recepit.

9. Igitur electus episcopus auricomam Italiam vadit; quem ob[k] clusae egressum
artas vias prima civitas Verona recepit, quae in fauce regni pulcre levat caput. Ibi
eum pastorali virga investivit Otto secundus, qui tum loco patris rapidis cruribus mon-
tem imperii scandit; set non dextro omine, nec vivo maturove[l] sapienciae signo rem
publicam rexit; et dum omne quod vult regem oportere sequi, non bene, putat,
collectum orbem amisit, et quam terror patris peperit, pacem interfecit. Sensit hoc[m]
Theutonum tellus, mortuum nautam maris; sensit dormientem aurigam orbis, cum quo
prospera Dei cucurrerunt, multa bona christianae religioni accreverunt. Migrans migra-
19 vit Otto pius, Otto rigidus, fluxa gubernare doctus; cuius[n. 19] aurea tempora nunc cum
gemitu memorat, cum pressa malis[o] ecclesia absque ulla requie hostes[p] insurgere dolet.
Duorumque oblita, antiquum Ottonem[q] nominat: *Vere*, inquiens, *meus mundus*[20] *felix
erat, Otto dum sceptra*[r] *gerebat.* Ergo archymandrita Magontinus, gravis homo, Willi-
gisus Adalberto, cui Deus interiore[s] gratia benedixit, venerabile caput[t] unxit, et in
praesencia imperatoris ad sacerdotum[u] altitudinem provexit.

10. Ea tempestate effrena gens Lutici pagani iugum christianitatis deponunt[21], et —
cum quo errore adhuc laborant — post deos alienos erecto collo currunt, et, qui
fugientes fugere nequeunt, christiani multi gladio ceciderunt. Tunc peccato Ottonis multa
mala surrexere, maxima ubique et miserrima emerserunt naufragia, res publica turpi-
tudines passa de solio descendit, christiana religio lacera iram Dei sensit. Actum est
bellum cum Polanis[v]; dux eorum Mesico arte vicit; humiliata Theutonum magna anima
22 terram lambit; Otto pugnax marchio[22] laceris vexillis terga convertit. Alia[1*] hora con-
978. gregatus est[w] optimus populus, et exercitus grandis nimis valde congrediuntur cum
Karolinis Francis; cedunt hostes non durantes[x] virorum forcium impetum fortissimum.
Set dum vino ventrique colla flectunt, regnante Ottonis infortunio, victores in turpem
982. fugam desinunt. Ultimum et lacrimabile bellum confecit cum nudis Sarracenis; quorum
dum ultra incredibilem[y] modum numerus excrevit, caede cadaverum lassa dextera defe-
cit, et bellancium heroum virtus fracta subcubuit. Stratus ferro cecidit[z] flos patriae pur-
pureus, decor flavae Germaniae, plurimum dilectus augusto caesari; qui cum stupentibus
oculis nefas exhorret, tandem pudet quia mulierem audivit, tandem sero poenitet quia
infantilia consilia secutus sentencias maiorum proiecit. Qui putas color, quae facies
cernenti talia erat? Quae tibi[*], magnanime iuvenis, dies illa erat, quando in potesta-
Sap. tem Saracenam[a] populum Dei traditum vidisti, sub pedibus paganorum christianum
12, 15. decus laceratum aspexisti? Vere ut quidam spiritu canens Domino ait: *Cum sis iustus,*

1* Alio tempore, quem rex congregat, optimus populus, et qualem postea videre non contigit, valde grandis exercitus, cum esset melius pugnare zelo cum paganis, sine reverentia fraternae christianitatis congrediuntur cum Carolinis Francis. Expectare non audent, qui in viribus regni iratum imperatorem sciunt; non durantes cedunt 3.

a) acceperat 2. b) multis 2. 3. c) p. terrae e. 2. 3. d) l. d. *desunt* 1. e) *deest* 2. f) quia 1. g) willico 2. h) filius 2. i) casinus 2. k) *deest* 2. obsessae 3. l) maturaeque 2. maturaeve 3. m) *deest* 2. n) cui 1. o) m. sancta e. 2. p) *deest* 1. q) ottone 1. r) ceptra 1. sceptrum 2. s) in-teriorē 1. t) c. oleo u. 2. u) sacerdotis 2. v) polonianis 2. w) et 2. x) ferentes 2. y) innume-rabilem 1. z) occidit 2. *) ubi 1. a) sarracenorum 2.

19) cf. Chronographum Saxonem a. 973. 20) versus hexameter m. f. e. O. d. s. g. 21) cf. Thietmar. III, 10. 11. 22) de eo cf. Ottonis II. annales, auctore Wilh. Giesebrecht p. 148. 149.

iuste omnia disponis; eum quoque, qui non debet puniri[a], *recte condempnas*[1*]. Ergo rex 983. puer, cernens caros ablatos, obtimates occisos, nescius quo se[b] vertat, irato Deo quo vadat, maximam filiam, desperacionem, criminum incurrit[c]. Illud post miseriam Virg. Aen. sequens, quod quidam iacens[d] marmoreis ortis cantat: *Una salus victis, nullam sperare* 11,354. *salutem!* emisso equo dedit se in mare. Nat sonipes; ubi lassus est, cessat. Ipse[f] nandi peritus super undas diu natat, donec obvia navis Graecorum fessum levat, et extra spem carae coniugi et superstiti populo incolomem reddidit[g]. Erat[22] in eo, ut 22 accepimus, vivida virtus, fervida et effrena iuventus, manus prompta bello, set raro umquam cum consilio. Multa bona fecit, set aetas lubrica errare fecit, et plura praecipitacione peccavit. Prope semper perdidit[h], ubi praelium cepit; extra Theutonum consuetudinem, pugnantibus eis, secutum est omne infortunium. Est[i] cuius efficiens causa contra Deum regis tacita offensa.

11. Retro sumit iter sanctus episcopus; venit in terram suam, pulcre regit[k] animam suam[l], et post bene pascens optimis pascuis subditam plebem. Res episcopii in[m] partes partitus, quatuor divisiones fecit; unam clerus, alteram agmen pauperum suis usibus sumpsere; terciam mater ecclesia pro captivorum redempcione et sua restauracione possedit; quartam ipse cum cohaerentibus suis ad necessarios sumptus recepit[2*]. Quid non facit omnipotens Deus, mirabilis in operibus suis, maxime in misericordiis suis! Una nota[n] vertit impium, facit sanctum, in cuius virtute veteres pennas proiecit, novos mores assumpsit coelicola Adalbertus. Acerrimis ieiuniis longos soles ducere, macris vigiliis incentiva carnis domare, continuis genuflexionibus veniam peccatorum

1* Quod si augendae christianitatis gratia, non terrae causa, cecidissent tanti boni, cum aliter nequeat homo natus ad laborem nisi mori debeat, adeo saevum vulnus doloris mater ecclesia pro nihilo putaret. Sed vae nostro miserabili aevo! nemo rex studium adhibet, ut convertat paganum, quasi Deus de caelo iubeat, diligunt honorem suum, o Christe, non lucrum tuum. Post sanctum imperatorem Constantinum, post optimum Carolum, exemplar religionis, ut converterent paganos ad Christum, nomen regale coram Deo et hominibus pauci acceperunt; et est, eheu pro peccatis! qui persequatur christianum, et nullus prope dominus rerum, qui ecclesiam intrare compellat paganum. *addit* 3

2* Cernere erat alium hominem, o qualem, o quantum mutatum ab illo, qui paulo ante post pulchra temporalia equorum cursu cucurrit, aut tota mente in terrenis actibus iacebat, vel in desideriis errare sine magistro docto erat! Rediit ad se, recognovit quamobrem Deus hominem fecerit, mutavit honorem, correxit pedem, divina concupiscens et sola caelestia suspirans. Delicias aegre fert, divitias non vult, aurum ducit pro nihilo, argentum pro luto, et quaecunque humana vanitas usque ad mortem amplectitur et amat, alta mente despexit. Horum vero quicquid est, in pauperum usus et ornamenta ecclesiae, ut dixi, et ad sola utilia convertere cura erat. Noluit regnum dare divitiis; intelligit se illarum non servum, sed dominum esse. Seculum et eius pompam, quam clericus tota mente quaerebat, episcopus tota mente fugere coepit; una cogitatio, unum studium erat, nihil concupiscere, nihil quaerere praeter Christum. Inter haec, o Domine, quam bonus et suavis spiritus tuus in omnibus! Utique non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, cuius nunc spiritu compunctus, laborare coepit episcopus Voicechus; in digito Dei facere et docere episcopalia potuit. Quid non potest omnipotens, cum vult, cum meliora cogitat Deus? qui vult neminem perire, immo suorum neminem patitur perire, pura bonitas, sana aeternitas, una veritas, sola dulcedo, tota pulchritudo, secreta salus et beata praesentia, pulchra charitas et chara aeternitas, et chara misericordia Deus. Quem loqui, quam suave! sedulo meditari, o quam delectabile, felix et insatiabile! Cuius lucis absentes radios nos vere miseri, nos vivae gloriae exules, nos mortui et caeci patienter sustinemus, utique, quia quam suave et incomparabile bonum perdidimus, ad maiorem cumulum miseriae merito ignoramus. Auribus nostris audivimus, quam mirabilis sis in operibus tuis, o maxime Domine, o dulcedo, vita et panis angelorum; agnovimus te in misericordiis tuis, cuius risus et sacer ludus esse solet, una hora vertere impium et facere sanctum, sicut est: *Respexit Dominus Petrum,* ex publicano quoque dedit apostolum, et ex lupo fecit optimum Paulum. Ita cuncta Dei valde bona, misericordia et redemptio salutaris Dei. In cuius nunc virtute 3.

a) iudicari *corr.* puniri 1. b) *deest* 1. c) in m. d. f. c. impegit 2. d) i. in m. hortis 2. f) I. rex n. 2. g) reddit 2. h) p. diebus suis u. 2. p. dies suos: u. 3. i) erat 2. Est c. officiens 1? k) regens 2. l) propriam 2. m) in p. p. q. d. f. u. c. a. *exciderunt in* 1. *extant in* 3. *Codex* 2. *ita legit:* De rebus autem episcopii primam partem in agmina pauperum, secundam pro restauratione matris ecclesiae, tertiam pro captivorum redemptione disposuit, quartam ipse cum suis cohaerentibus ad necessarios sumptus recepit. n) hora 2. 3.

22) cf. Chronograph. Sax. a. 974.

983. impetrare, perdia[a] pernox cura erat. Quomodo sacra lectio in cordis palato sapiat, quantum frequens[b] oracio corde fusa in Deo valeat, experiencia magistra didicit, cottidiano exercicio loquente cognovit. Senciens sentit[c] Deum propicium et[d] intime gustat dulcem[e] Salvatorem. Contra* luctas[f] desideriorum et labia insurgencium viciorum omni studio, omni arte virtutum[g] occurrit, donec malas consuetudines vinceret terrenasque dulcedines evelleret, multa passus, proficuas difficultates ingentesque labores consumpsit. Caro pugnat, anima laborat, Deus adiuvat, homo manus movet, angelus vires ministrat; demon et mundus loquatur sive taceat, nocere[h] praevalet neuter; fervens et fremens[i] aperta et occulta nequicia saevientes hostes debellat, calcans humanas felicitates nec curans transitorios labores. Peius serpente[k] fugiens quo caro trahit, omni annisu festinans sursum quo spiritus vocat. Bene vixit, bene docuit; ab eo quod ore dixit, nusquam ab opere recessit. Populus autem erat durae cervicis; servus libidinum factus, miscebatur cum cognatis et sine lege cum uxoribus multis. Mancipia christiana perfidis et Iudaeis vendebant; dies festos confusa religione observant[l], dies vero ieiuniorum, voluptatibus vacantes, omnino non curant. Ipsi clerici palam uxores ducunt, contradicentem episcopum iniquo odio oderunt, et sub tutela qui fuerunt, contra ipsum maiores terrae excitaverunt. Erat autem labor plurimus, contradictio crescens; et cum emergencia mala superare[m] non posset, ubi piscacio sua nichil cepit, sanctus episcopus locum dare necessarium duxit.

12. Itaque ad sanctam civitatem, ubi memoriale sanctum, ubi sepulcrum Domini est, pedester venire affectans, matrem martyrum, apostolorum domicilium, auream Romam, venit. Ibi tunc pulcrum luctum[n] Graeca imperatrix augusta, quae iam longos dies mortuum flevit, sepulti coniugis memoriam reparat, dulcem Ottonem elemosinis et oracionibus[o] commendat. Non enim diu supervixit, postquam rei publicae talem errorem genuit, christianorum tot mortibus paganorum animas sociavit[p]. Mira res. In tantis adversis illum circumfluentibus non resipiscit[q]; quid contrarium ministro[r] imperatoris
23 gesserit, quid pio Laurencio[23] peccaverit, non recognoscit. Episcopatum, quem pater in suum honorem preciosissimo martyri erexit, ambicione suorum in peccatum ductus filius destruxit; non faciens ordinem[s], quasi qui aquam in mare fundit episcopatum deiecit, ut plenum deliciis archiepiscopatum ditaret. Tulit optimo Laurencio, posuit Parthenopoli archypraesulem sancto[t] Mauricio; factum est scandalum in ecclesia Dei[u], donec novus rex veterem errorem correxit. Post tres Ottones secundus Heinricus christianissimus ecce venit. Propter hoc peccatum[v], velut pugnanti Laurencio pater[w] ubivis gencium victoriam fecit, ita filius laeso Laurencio victoriam perdidit, diebus suis omnem confusionem recepit. Avertente faciem Deo, quae sit tua virtus, o homo, specta nunc in homine uno! Quid prodest bellicus ardor? Quid valet virtus nescia

* *Haec 3. ita effert:* Quantum ad exteriorem hominem, districtiorem et austeriorem vivendi rationem nunc in episcopatu quam prius in monasterio habuit. Refugit non solum quod suave est, sed ipsa etiam naturae necessaria negavit, incurrens in illud beatae memoriae verbum:

O nimium felix, cui parcus sufficit usus.

Contra noxias voluptates et labia insurgentium vitiorum omni arte, omni studio virtutum occurrit, donec desideriorum spinas evelleret, terrenasque delectationes vinceret; multa passus, proficuum ingentemque consumpsit sudorem. - Mirantur fervorem eius omnes, qui eum ante noverant, et qui prope latus vadunt, amatores carnales rigidum vitae genus odio habent; ita fame et siti non sine causa laborat, frigore nimio, vigiliis et hirsuta veste sine misericordia corpus affligit. Desiderium quippe eius in Deo erat, et postpositis cogitationibus malarum curarum, quas amor vanitatis habet, animam semper in manibus habuit, nullum volens habere inimicum nisi Inimicum. Debellat eius apertas et cavet eius occultas insidias, cui utique tot colaphos dedit, quot opera bona fecit. Calcat mundum sub pedibus, subiicit libero animo terrae felicitates, habens spem in caelo, nec sensit transitorios labores.

a) p. et p. 2. b) q. psalmorum nobile carmen 3. c) senciit 1. d) et eius oratio dat spiritum sanctum i 3. e) dominum 1. f) luctamen 2. g) *deest* 2. h) Venter nocere valet 2. i) frequens oratio apertam et occultam nequitiam saevientis hostis debellat. Calcat 2. k) penitus uoluntatum carnis f. 2. l) obseruabant . . . curabant . . . ducebant . . oderant . . excitabant 2. m) emendare 2. n) lutum(!) 2. 3. o) o. coelo c. 2. 3. p) saciauit 2. q) respi:cit 1. r) m. aeterni i. 2. 3. s) ordinate sed q. q. 2. t) nostro 3. u) D. propter hoc peccatum d. 2. v) P. h. p. *desunt* 2. w) *deest* 1. pater Otto 2.

23) Merseburgensis episcopii patrono.

cedere loco? Age fac cuncta cum consilio. Quorsum venis sapiens iniquo a Deo[a]; sicut [989.] scriptum est: *Non est consilium nec racio contra Dominum.* Quapropter audiamus[b] [Prov. 21, 30.] bonum consilium: *Omnes vires et cogitatum tuum iacta in Dominum, ipse te enutriet; et spera in eum, et ipse faciet.* [cf. Ps. 54, 23.] Inspiciamus magnae indolis virum[c], imperatorem augustum. Ecce dum peccat, flagellatur, et non emendat; plenus adversis moritur, vita media[d] iacet nunc[e] inglorius, o! utinam non reprobus, magnae virtutis alumnus! Prius vero quam moreretur, ut ad poenitenciam[f] stimularet, sicut est solus[g] semper clemens Deus, talem visionem cuidam sapienti ostendit, quam ut auditam recolimus, infra notare non absurdum putamus. Nocte intempesta, quando altus sopor solet occupare homines[h], vidit ipsum de quo agimus regem aureo solio sedentem, sub pedibus eius argenteum scabellum; episcoporum et astancium procerum circa ipsum aspexit seriem longam. Intravit autem decora facie ad instar ignis iuvenis incognitus, quem nivea vestis vestivit, purpurea stola in pectore cinxit. Nec stat, via vadit, argenteum scabellum[i] cum indignacione subtraxit, et averso vultu ianuam petit[k]. Quod aegre ferens post illum cucurrit, tale somnium qui cernere meruit. *Quaeso*, inquit, *mi domine, dedecens*[l] *ne facias; suppedaneum reddas; quisquis es qui tanta audes, obsecro, ne confundas regem coram populo.* Haec magna potentis Laurencii aurea persona erat, sicut illi episcopo post agnoscere Deus concesserat. *Inmo*, inquit, *si meum dedecus non emendat, maiora faciam; subtracto scabello, ipsum solio deponam.* Huius visionis terrorem minasque exiciales cum cognovisset rex puer, facinus non correxit; sive amor[m] hominis suasit, sive ira Dei ita iussit*. In medio cursu, cum dulcissima vita et gratissima lux iuvenibus haec est, non adiuvat honor regis, fit victima mortis; pulvis in pulverem redit. Videte, quantum gloriae caesar reliquit! Set peccatum, quod vivens neglexit, mortuo marito superstes uxor emendare instabat; legatos mittit, elemosinas et oraciones multorum, per quos propicium Redemptorem apellaret, peccatorem regem ab incendio liberaret. Haec tum, ubi sanctum virum adesse cognovit Adalbertum, nominatissimum episcopum, et Ierosolimam properare audivit, clam ad se vocat; oransque ut pro anima senioris oraret, massam obtulit argenti ingentem. Accipiens vir Dei onus argenti, suo itineri aut necessitati nil providet, omnia secutura nocte pauperibus expendit.

13. Nec mora, magnam Romam egressus, ad sanctam civitatem Ierusalem praeter spem imperfectum iter assumpsit. Nam ea via ductus montem[n] Cassinum usque pervenit, ubi beatus Benedictus caram sedem[o] posuit, et multos filios Christo generans, pulcram miliciam pulcherrime finivit. Ibi abbatis et fratrum piis monitis castigatur[p]: ne inutili vagacione vitam expenderet; in loco staret; ita melius virtutum fructus congregaret. Deum vero propicium bene vivens omni loco credet[q], ut illud in psalmo: [Ps. 102, 22.] *In*[r] *omni loco dominacionis*[s] *eius benedic anima mea Domino;* et rursus sancti Ieronimi[24] sententia bona: *Non Hierosolimis venisse, set Hierosolimis bene vixisse, laudabile*[t] *est.* Animadvertit divinum[u] animal habens oculos ante et retro, probante munda discrecione, ita esse ut dicunt**; montem festinus descendit, et quem in phylosophya Christi perfectiorem discipulum invenit, patrem Nylum[v] calida[w] spe accensus petivit. Sub quo parvulus factus, iugum Christi ferre et obedienciae aureas litteras parare satagebat. Amplexus genua senis, in hoc firmus haerebat. Non negat pater Nilus. *Ast*, inquit,

* Huic in parvo corpore melior virtus, magnus amor et fides suis, larga manus sine querela cunctis, sapientia maior annis, pia humanitas erga Dei servos, confessio et oratio bona regnum tenuerunt; sed haec pecunia de statuendis episcopis, ut est humanum peccare, in pluribus periculose exercuit iocum iuventutis, cum in pulchro usu super doctrina librorum sola infelicitas bellorum victoriam tulit. *addit* 3.

** nec stetit in suis distinctionibus, dans locum salubribus consiliis. Legerat enim hoc periculosum esse homini, si non maiorum spiritalium acquiesceret consiliis. Nec mora *addit* 3

a) invito Deo 3. aspiciens irato et invito Deo 2. b) audi 2. c) u. ex multo merito i. 3. d) me. v. mo. 2. e) n. ecce i. 2. f) p. hominem st. 2. 3. g) s. bonus s. 2. h) hominem 2. i) sc. de pedibus caesaris c. 3. k) petiit 2. l) dedecus non 2. m) stimulus 2. n) *deest* 2. o) s. postremo p. 2. 3. p) hortabatur 2. q) in o. l. inueniret 2. 3. r) *deest* 2. s) dmnaciones 1. t) laus sive salus est. 2. u) dnm 1. v) Nilum 2. 3. w) callida 1.

24) Epist. 13. ad Paulinum. SURIUS.

989. *homo ego sum Graecus; melius conveniunt tibi, cum quibus haec agas, monachi Latini. Redeas Romam, nutricem sanctorum filiorum. Quaere nobilem abbatem amicum nostrum Leonem; dic, me misisse te rudem discipulum ad talem magistrum. Hoc duce itineris praelia Dei pugnaturus fortiter incipe; ad servitutem Dei fortiter accede. Sub hoc patrono contra adversancia cuncta animae ad Deum progredienti salvus enatabis, et maiore flamma, quae nunc in te ardet, accensus, excrescet tibi cottidie Dei focus.*

14. Fecit ut homo Dei dixit, ad Sanctum Bonifacium monachilem vestem accepit; sub abbate, quo dixit, regula duce militavit. Pedem iunxit obedienciae imperio, tamquam ad epulas, ita ad complectenda[a] iussa festinus, et si quis quid praecepit, adeo[b] laetus quo plus vile[c] erat, servicium omne libens facit; cuncta humilia diligenti studio in se format, ut ad similitudinem Dei propius scandat. Obliviscitur episcopum, factus parvus[d] in medio fratrum. Coquinas purgat, ebdomadas intentissime[e] procurat, scutellas lavat, et ad necessaria cuncta cocorum cursu volat. Manibus fratrum aquarum usus ministrat, mane ad claustra, vespere et meridie ad mensam aquam portat; ut hoc vespere mane[f] et meridie integrae congregacioni servicium serviret, talem obedienciam rogans ab abbate accepit. Cogitacionem tacitam in se regnare numquam permisit; quicquid accedens ad animam diabolus[g] dixit, statim senioribus palam fecit. Acutissime autem interrogavit de scripturis sanctis, sedulo percuntatur de certantibus[h] viciorum vel[i] virtutum naturis. Set ad haec, quod ante nescivit[k], quaerenti illi recte abbas respondit, ut ipse non semel ad nos ait; unde luce clarius constat, quia inspiracio Dei et gratia[l] discipuli haec erat. Iacit[m] in domo animae suae fundamenta profundae humilitatis; facit ex quatuor virtutibus instar crucis; expressit prudenciam, iusticiam, fortitudinem, temperanciam, angulares lapides, ex quibus durabiles parietes erexit, ferro[n] obedienciae exaequatos, calce paciencіae munitos. Dum hinc, quae[o] duplo calamo texit[p], divinae caritatis aurea tecta supra posuit, templum Domini se fecit[q], regale cubile filio regis intra se praeparavit. Oracionum lectionumque studiis eo licencius[r] incubat, quo negocia praepedientis seculi nulla ad aurem venerant, nullae curae vel pericula regendarum animarum vexabant. Ex ore suo numquam contencio, numquam venit amara murmuracio. Et cum abbas eum vellet[s] vehementissime increpare, occurrit benigna paciencia et semper flexa humiliacio. Erat laetus ad omne iniunctum opus, non solum maioribus, set eciam minoribus obedire paratus; quae est prima via virtutis ad summa tendentibus coelicolis viris. Quinquennio pleno[t] miles monasterio erat, dulcedine morum cunctis placens, altitudine virtutum longe antecellens. Si cui forte venit invidia suae sanctitatis, hunc humilitate cito placavit. Proficiebat de die in diem, de virtute in virtutem. Processit in hospicio suo hospes Christus; tamquam gradibus eburneis rex coronatus procedens processit, et usque ad perfectum diem crescere fecit.

994. 15. Post populus terrae episcopum suum revocat; sancti viri papatem[u] sapientem[v] Radlam, et — quia[w] frater carnis suo duci erat — Christianum[x] monachum[26], eloquentem virum, in suum[y] opus eligunt. Hi duo cum litteris metropolitani Romam veniunt, de reditu pastoris papam apellant, populo poenitenti matrem suam[z] quaerunt. Promittunt ex ore populi errata corrigere, quae fecerunt solvere, desinere a malis, studium dare bonis. Abcessus[*] vero sancti viri contrarius erat domno papae; talem margaritam a suo corpore evellere, durum erat magnae Romae. Set facta synodo, racio obtinuit, quia gens sua[a] plenam satisfactionem pollicens vocat, dimissum gregem contra voluntatem[b] repetat. Amborum, papae et abbatis, imperio parens, fracto suo libitu, flens episcopium[c] redit, pro cuius regimine virgam, pro cuius pignore anulum dante apostolico accepit. Dominica die veniens venit domum[d], ad unam civitatem, in qua[e] eadem die erat mercatus magnus; quae visio non parum adduxit tristiciae sancto viro.

a) comprehenda 1. b) eo magis laetus quo plus vile erat servitium omne, libens facit cuncta humilia: diligenti studio se informat ut 2. c) *deest* 1. d) parvulus 2. e) mitissime 1. f) *deest* 2. g) *ita* 2. 3. *deest* 1. h) tractatibus 2. i) vel v. *desunt* 2. k) nesciunt 1? l) gratia o d. 1. m) Iactat 2. n) uerbo 1. erexit. cavo ferro 3. o) Dehinc iis quę 3. Domui quam 2. p) texuit 2. q) facit 1. r) diligentius 2. s) e. vehementissime saepe increparet 2. 3. t) plenus m. in m. 2. u) pappatem 2. *constanter.* v) *deest* 2. w) R. qui 2. x) Ch. Zrahkwaz 2. y) hoc 2. z) patrem suum 2. *cf. infra cap.* 19. *) Abscessus 2. a) suam 2. b) c. u. *desunt* 2. c) episcopus ad episcopatum 2. 3. d) demum 2. e) c. ubi ipsa d. 2.

26) Boleslai, qui S. Wenceslaum trucidaverat, filium.

Ad eos vero qui se portarunt[a] quasi[b] improperando ait: *Haec est vestra promissio bona: poenitentes vestri nec feriantur hac die sacra!* Stetit[c] tamen[d] episcopio suo, pascens macrum populum divino pabulo, et si vellent sumere, potans salutari poculo. Primum novo adventu pastorem verentur, quasi vivi[e] fideles matrem ecclesiam petunt, et parum repressa mala consuetudine, quasi cum christianis actibus Christum adorant. Verum nova religio cito dorsum vertit, antiqua consuetudo superiorem manum tenuit. Spreto Deo, carnalem populum caro traxit, delectata iniquitas desideriorum vias[f] currere fecit. Voluptas pro lege erat; cui[g] servire regnum est, unum Dominum nolunt; ad ignominiam suam, ut multis dominis servicia agant, nectunt sibi funes peccatorum, quibus trahi valeant in aeternum exicium; quia discere nolunt, ubi sit sapiencia, ubi vita, lumen[h] oculorum et pax. 994.

16. Accidit, ut solet humanis erroribus, ut quaedam matrona oblita ingenitam nobilitatem scortum[i] faceret[k], et palam facto peccato, maritus vitam mulieris quaereret. Ipsa autem ad episcopum concita, ala pedum confugit; quam in oratorio sancti Georii[l] retro altare abscondit, ut satisfactionem suaderet et vitam reservaret. Ecce ex improviso adest armata manus; et si non redderet moecham, ambobus episcopo minantur et feminae gladium. Audivit sonitum armorum et minas verborum procaces, audivit episcopus laetus, et si forte semper optatum martyrium nunc miserante Deo inveniat, tacita cogitacione ruminat dubioque gaudio exspectat[m]. Ah mala mens! ah peior vox! Venit malivolus, secretum prodidit, ubi latebat mulier digito monstravit. Quid prodest refugium ad sancta sanctorum? Quis curat regnante barbarismo fas christianum? Frangunt templum, prensis crinibus quam educunt, tremulam mulierem capite truncant. Crescunt culpae, vetera scelera non cadunt, nova cottidie surgunt. Quicquid boni promiserunt, mentitos esse operum voces dicunt. Unde cogitans episcopus, quod nec illis nec sibi cassus labor profuisset, animae vero suae talis stacio obesset, ait papati suo: *Scias certum: aut ubi sum ego venies, aut amplius me numquam videbis.* Ipsi tamen erat labor magnus non praeterire, quominus ammoneret clerum et populum, quod[n] aetas discrecio gradus et qualitas criminis postularunt; nec dabat somnum oculis[o], qua arte, qua virtute compescere posset nascentes errores. Non tacendum, quod iuxta positis Ungariis nunc nuncios suos misit, nunc se ipsum obtulit[27]; quibus et ab errore suo 27 parum mutatis umbram christianitatis impressit.

17. Ergo divinus heros ascendit equos, dulcem Romam revisit, et quasi post maris[p] pericula quassa navis occupat optatum portum, sic[q] secretos monasterii sinus, caram requiem intrat; amplexus pulcram Rachel, libenter obliviscitur laboriosam Lien[r]; utitur sacris deliciis, esurientis animae pulcros pandit rictus, oracionum lectionumque perfruitur felicibus ferculis. Usus vero sibi maximus erat eloquia[s] quaerere spiritalium[t] bonorum, qui crebro illuc pro caritate abbatis plures confluxerant: Graeci inquam optimi veniunt, Latini similes militarunt. Superioribus quatuor pius Basilius, inferioribus[u] magnus Benedictus dux sive rex erat. Inter quos medius incedens Deum siciens Adalbertus, verba vitae sumit et glutit; raptus in altum[v], contemplatur dulcius Deum. O quantociens obortis lacrimis memini dicentem, cum causa aedificacionis aggressus[w] essem Iohannem abbatem: *Ubi sunt*, inquit, *margaritae meae? Ubi sunt cibi animi*[x] *mei?* Dum[y] convenirent sancti viri, pluebant ibi sermones Dei, accensae sentenciae mutuo cursant[z]; arsit ignis supra terram cordis, testatur[*] Deum praesentem unda compunctionis. Hoc Gregorius abbas, hoc erat pater Nilus, hoc Iohannes bonus infirmus, hoc simplex Stratus et super terram angelus unus, hoc ex Romae[a] maioribus Dei sapiens Iohannes, hoc silens Theodorus, hoc Iohannes innocens, hoc simplex Leo, psalmorum amicus et semper praedicare paratus[1*].

1* Ad haec quamvis soleant signa et prodigia ostendere, non facere, sanctum, animum piis moribus

a) rep. 2. b) *deest* 2. c) statim 1. d) t. in e. 2. e) *deest* 2. f) uiam 2. g) [seruire ei recusant] cui 2. *male, quum* cui *ad sequens* Dominum *referendum sit.* h) ubi 1. 2. i) stuprum *intelligit.* k) sc. se f. 2. 3. l) georgii 2. 3. m) exultat 2. n) p. secundum quod 2. o) o. [donec inveniret] q. 2. p) m. p. *desunt* 1. q) portum. Hic 2. r) Liam 2. s) colloquia 2. t) s. et seniorum 2. u) i. quatuor m. 2. 3. *vide infra.* v) raptusque in a. cum fratribus c. dulcem Dominum 2. w) accensus 1. x) amici 1. y) Cum 2. z) cursabant 2. *) testabatur 2. a) donis 2.

27) cf. Hartwici vitam S. Stephani cap. 4. (Acta SS. Sept. I. p. 563.)

996. 18. Igitur purpura natus Otto rex tercius, causa scandendi culmen imperii, ut mos est a Magno Karolo regum Francorum, multo comitatu Romam intravit[a]; optatum diu caput Latinae terrae ostendit, quasi post Deum secunda iusticia veniat. Iniqui omnes tremunt, boni magno gaudio gaudent. Fecit propter quod venit; quem ipsa capella sua tractatum posuit, papa Gregorius[b], benedicere non cessavit; populus kyri-
Mai 21. eleyson celsa voce canunt. Ascendit unctus cum corona imperii imperator augustus, gerens sydereos vultus, et bonae voluntatis bona[c] praecordia ferens. Post haec facta est synodus; zelo[d] iuris tactus Mogontinus archyepiscopus antiquam cantilenam cantat, episcopum sanctum a quiete monasterii ad relictos greges abstrahere parat. Assentit papa Gregorius, et semel susceptum impune non posse dimittere gregem scripturarum voce testatur. *Sive vult, sive non vult, vir Dei eat,* sedentes episcopi inquiunt; *aliter vincula*[e] *anathematis nectunt!* At ille secretum petens[f], ait: *Hostis meae quieti invidet, qui vos suo stimulo instigat, ut eo me redire compellatis, ubi animarum fructum non faciam, detrimenta autem mea in anima*[g] *sumam. Mitiga aerumpnam meam; defectui*[h] *meo pone remedium; tristi abcessui meo da vel solacium unum. Si audiunt meae*[i] *oves quam clamo vocem, vivo et morior cum eis; si non, cum*[k] *licencia tua, apostolice bone,*

coluit ita, quod ex parte, ut et nos cognovimus, Adalbertus signorum operator adhuc in vita claruit. E quibus est illud scilicet, dum fratribus serviret, et offenso crure supra durum marmor satis valide cecidisset, quia vinum nescio an aquam portavit, testudinem cum eo quod intus erat illaesam servavit. Audierunt ex mensa fratres clarum sonum; quod nemo dubitavit fractum, mirantur omnes vas sanum. Solebat prius obedientiam facienti multoties fragile vas frangi, et cum pro peccato negligentiae veniam peteret, angelus superbiae humilitatem eius aegre ferens, ut pro nimia frequentia verecundiam ingereret, mala voluntate testudinem frangere adiuvit; sed quia non cessavit obedientia, nec generavit fastidium maior tristitia, servo suo Deus solatium dedit in gravi ruina, et tunc illaesa testudo apparuit, et postea, puto, nunquam aliam fregit. Dicunt etiam laborantem oculis filiam, nescio cuius, cum manum imponeret, oratione sanasse. Alteri quoque, cum monasterium causa orandi pro medela infirmitatis intraret, quem tribus annis sumere non potuit, sanctus panem pro benedictione obtulit; et primum insueto hoc cibo haesit, sed qui aderant quod vir Dei benedixit manducare cum suasissent, sumpta fidutia, parum gustavit, et ex illo die, quem omnes poscunt qui vivere volunt, sine invidia panem manducare coepit. Hunc episcopum, quo dignum non fuit seculum nostrum, cum sine baculo iter agens Ravennam veniret, cur sine virga pastorali vir tantus incederet, optime cautus Dei servus Durans interrogavit. Respondens verbum memorabile ille homo, qui vere potuit loqui: *Vivit Deus,* inquit, *in cuius conspectu sto; facile est gestare pedum, sed difficile reddere rationem, cum venerit ad iudicium, qui non errat, districtus iudex vivorum et mortuorum, sive in vitam, sive in ignem aeternum mittendorum.* Hunc aliquando sanctimonialis femina, quae tempore adolescentiae sat cognoverat sanctum episcopum, credo, Parthenopoli vidit, cuius schola ad gloriam Dei talem nutrivit alumnum; et admirans, cur, quae dat licentior aetas, a ioco et risum moventibus verbis adeo episcopus iuvenis abstineret, ait sancto viro diversae mentis femina: *Alium Adalbertum video. Cur qui quondam eras homo pulcherrime laetus, nunc severus es et instar Catonis cuiusdam rigidus? Nonne cum magister scholarum sapientiam docturus venit ad nostrum coenobium, nobiscum ludendo duxeras totum diem laetum?* At ille graviter suspirans, proiecit verbum cordis: *Vere scias, domina, quia quicquid eiusmodi feci vobiscum iocando, alto et acerbo vulnere nunc afficit animum meum.*

Astericus eius clericus, contra sanctum virum arguendo, increpando, cum multa inutilia furibundo animo loqueretur, ultra limitem rationis proterva contentione progressus, quasi quem amplius videre nollet, magna cum amaritudine reliquit. Arrepto autem itinere, tota die ipse cum socio homine suo equitans, errare coepit, ut cum viam, haud aliter atque manum suam sibi notam, invenire non posset, ex poena cognosceret, quam grave peccatum cum episcopo contendendo perpetrasset. Porro ad vesperam casso labore reversus in urbem, quod ira dictante ex humana infirmitate deliquisset, poenitere coram Deo toto corde coepit. Similiter vidua quaedam occurrens equitanti, cum nudae penuriae aliquam consolationem quaereret: *Mecum hic nihil habeo,* inquit, *cras veni ad civitatem, sumens a me, tuae necessitati quae dare valeo cum charitate.* Cumque, dimissa muliere, coepto itineri insisteret, meliore tactus cogitatione: *Voca mulierem,* episcopus dixit. *Quis scit, si usque mane vivam? Hodie compleat acceptio datum, ne ego iudicium, illa sentiat damnum.* Et data cappa, qua amictus erat, reliquit exemplum bonum, ut opus non tardet, nescientibus quid futura pariat dies. *addit* 3.

a) F. m. c. R. i. multo comitatu o. 1. b) G. caesarem benedixit: populus 2. c) plena 2. 3. d) celo 1. e) vinculis anathematicis nectimus 2. f) p. ad papam ait 2. g) inmania 1? h) defluctui 1. i) *deest* 2. k) *deest* 2.

vadam ad eas quae nesciunt nomen Domini, exteras et incultas gentes. Acquievit libens 996. voluntati hominis Dei papa Gregorius, ut erat satis bonus, quantum permisit vaga iuventus. Reliquit monasterium non sine planctu magno suo et fratrum, moleste ferens ruptam quietem, set habens de albo[a] martyrio spem vivam, quod in suo pectore ardebat desiderium longum. Homo Dei ne timeas; habens[b] causam, vade securus; stella maris tuum iter praeibit, et dux bonorum Petrus fidelissimus iunctio[c] cohaerebit!

19. Igitur cum puero imperatore Alpium nubila tranans, causa oracionis Turoniam[d] petit pedes[e], ubi corpore iacens beneficia praestat, qui nulli loco clamantibus se negat, baculus pauperum, dulcissima mater peccatorum, benignus Martinus et larga manu dare paratus. Parisium quoque pedester venit, ubi et sanctus et preciosissimus martyr aryopagyta Dyonisius fuso sanguine[f] corpore requiescit, qui Athenis phylosophiae studuit, ubi, quem Paulus praedicat[g], ignoto Deo ara posita erat; qui eciam euangelizandi responsa ad Gallos accepit, quando[h] Clemens Petri sedem tercius sedit, et dum paganis Christum ingereret, pulcherrimo martyrio vitam finivit; cuius inter cetera est hoc gloriosum mirabile, quia post necem religiosus truncus proprium caput manibus portavit et sequens multitudo angelorum laudes Deo cecinerunt; populus coeli, ut ita dicatur, de triumpho terrae exultans iubilat, de carissimo Dyonisio: „Gloria tibi[i] Domine in excelsis" resultat, ad quem misericordiae largum si quis peccator confugerit, numquam sine misericordia vacuus recedit. Huic caput inclinans, ad Floriacum monachorum ingens coenobium avido cursu volat, ubi corpore iacet et miraculis fulget magister mundo moriencium et tota mente coelestia quaerencium, scilicet re et nomine Benedictus*, parvulorum ubique[k] dulcissima nutrix, sub umbra alarum infirmorum medicus bonus. Nec dimisit, ubi corpus discipuli quievit[28], ubi et primus monachorum gregem 28 rexit abba Maurus, signo sanctitatis et miraculorum dulcedine magistro simillimus. Horum[l] sacra domicilia et si qua occurrunt similia, quem desiderium aeternorum afflavit, Adalbertus pedes circumvolat, adiutores ad sua praelia vocat.

20. Hinc ad imperatorem redit, qui hominem Dei[m] dilexit; cuius morem nobilem novimus, quia omnes bonos eo plus amare studuit, quo quemque bonitas[n] maiorem fecit. Cum quo aliquos dies commoratur, nec nocte nisi ante conspectum imperatoris iacere permissus est. Intellige[o], quantum caritate sibi[p] iunctus erat, quamvis puer et errans moribus, caesar tamen benignus, sine comparacione humanus Otto imperator augustus. Horis congruis semper de coelestibus docuit regis pueros, et circapositos proceres suavissime ammonuit, ne, dum[q] in parum fidis miserisque diviciis cor figerent[r], procul a regno Dei proiecti, pro parvo gaudio aeterna tormenta subirent. Noctibus quoque calceos dormiencium clam raptos aqua abluit, discipulus humilitatis manibus suis lutum tulit, loco suo[s] restituit. Ibi nocte sopora parum molli lecto requiescens, vitae suae desiderabilem terminum aspexit; nescius tamen ipse, quid sibi somnium vellet, donec tactus spiritu alienigena hoc revelavit. Putabat in domo fratris maioris duos lectos praeparatos; unus erat suus, alter erat fratri vel fratribus destinatus. Pulcher ille[t] et decorus, set qui debuit esse suus multo pulcrior, purpureus et floribus[u] et incomparabili ornamento preciose vestitus. Erat autem in superiori parte panno capitali aureis litteris scriptum:

Munus hoc autentum[v. 29] *donat tibi filia regis.* 29

Quod somnium coram rege cum quibusdam familiaribus exponeret, quidam, cui vivax ingenium natura dedit, et pulcra facundia insignem[w] fecit, Leo palacii episcopus, pulcre alludens ait: *Homo tibi contrarius, cito invenies quod quaeris; dono Virginis procul dubio martyr eris.* Nec minus quod vidit de lecto fratris vel fratrum, partim ante se, partim hoc anno esse completum, sic collige mecum.

* vino et oleo infirmorum medicus egregius, sub umbra alarum pullorum Dei toto Orbe inclyta mater 3.

a) *deest* 2. illo 3. b) nullam h. c. 2. c) *vox obscura; an* itineri? f. comes itineris c. 2. d) qui romam 1. e) pedester 2. f) *deest* 1. g) praedicabat 2. h) q. optimus C. 3. i) ubi 1. k) *deest* 2. l) Hora 1. m) D. adeo d. 2. 3. n) m. habita b. fecit 2. o) Intellige — augustus *desunt* 3. p) t'ua 1. q) ne infidelibus 2 r) f. ne p. 2. s) lotos 2. 3. t) erat 2. u) et fl. *alia manu* 1. v) *deest* 2. 3. w) signum 1.

28) S. Maur, ad Ligerim. 29) *i. e.* authenticum.

21. Quinque fratres habuit, quorum omnium animas gladius pertransivit. Ex quibus maior frater servicio imperatoris in adiutorium profectus, paganorum expugnaciones adivit, ubi et cum Bolezlavo[a] Polanorum[b] duce amicicias iunxit. Querelas imperatori fecit, quod mala, quae nulla promeruit, dux Boemiorum[c] Bolezlavus sine misericordia sibi suisque fratribus plura ingessisset. Huius usque in adventum et seros reditus relicti domi quatuor fratres pacem impetrarunt, et ex parte ducis securitatem et sacramenta acceperunt. Proh divinam humanamque fidem! Numquit non est catholicus melior pagano[d]? Vae homini, cui in cordis vena malus dolus salit! Heu nostra[e] infelicia tempora! Sapientem vocamus, cui ingenium fallere callet, cui in ore mel, in corde fel latet! Ecce iterum[f] Iudas, qui per pacem didicit facere bellum, promittit vitam, ut inferat mortem; dat Bolezlavus fidem, ut inopinato occidat fratrem[g]. Nec longe quaeras exemplum: in eadem linea sanguinis occidit frater suus sanctissimum Venezlaum[h]. Inter haec quis non deploret squallores[i] miseriae nostrae, quis non horreat[k] caecum natum hominem nostrum? Dum[1*] nescit cavere peccatum currens, cadit in maiorem foveam; dum non vult quaerere oculum[l] ductorem, nascitur de peccato peccatum maximum. Ita et nunc, o homo, dum nescis cavere periurium, incurre[m] homicidium; nec ante desinas[n] — hoc dimitto ad tuam fidem — antequam impleas illut propheticum: [Ps. 68, 28.] *Appone iniquitatem super iniquitatem*, et mox sequatur[o] illut euangelicum: [cf. Matth. 23, 35.] *Sanguis, qui effusus est, sit super te et super filios tuos.* Igitur sacramento fidunt, quod christiani darent; quando christiani[p], fratres christicolae Adalberti, pacem non[q] putarent? Liber populus per campum ambulat; non enim data fide bellum cogitat[r]. Stat proxima periculo secura civitas? Nam et ecce hostes ex improviso veniunt[2*], diffusa multitudine civitatem circumcingunt; feria sexta in vigilia preciosi martyris Venezlay bella incipiunt, nichilominus et ipso festo obpugnare certatim insistunt[3*]. Nec iuvat, quod urbani diem festum[s] venerari petunt; contra quos forenses verba superbiae iactantes[t]: *Si vester est*, inquiunt, *sanctus Venezlaus, noster utique est*[u] *Bolezlaus!* Set[v] quamvis post caperent civitatem, poenas dedit asperum verbum. Civium namque gladio die illo ceciderunt hostium capita multa, et omnes qui in illo consilio fuerunt aut mortui quiescunt, aut caeci et dispersi male vivunt. Cessit civilibus bellis saucia[w] civitas, miserabili exilio familiae distractae, bona in manibus[x] inimicorum cuncta cesserunt. Inundat planctus mulierum, stupet mortua facies[y] puerorum; geminatis dextris virorum, stat silencium spectancium clericorum. Sancti viri fratres quatuor, bello strennui et nescii cedere loco, dum, de[z] quo iam diximus, clericus Radla* consilium dedit, parum valencia arma dimiserunt, et quam praeliando pulcram mortem putarunt, confugiendo ad ecclesiam — ut est in humanis oculis — turpem acceperunt. Nam falso data est spes vivendi; et dum exeuntes ecclesiam sponte in manus hostium vadunt, fefellit dextera[a] senioris, et in conspectu omnium pulcra[b] corpora subierunt capitalem sententiam. Haec tunc; set quando digna indigni scribimus, nunc est mortuus feriente gladio frater maximus. — Completa est autem [1004 Sept. in.] pii Adalberti visio tota, dum ante se bis duorum fratrum, post hoc anno maximi fratris[30] est mors subsecuta; quorum mortibus mors sua quam praestancior foret, quorum lecto lectulus suus quam pulcrior emineret, omnis intelligit, qui ipsum causa Dei, illos[c] causa

1* Dum nescit cavere minus, incurrit peccatum maius; dum quo caeca voluntas ducit, nascitur peccatum de peccato, non habet finem, donec cadat, unde non resurgat, in delictum maximum; et fit misero modo, quia cum potest, non vult, dulce peccatum non valet dimittere post, etiam cum vult. Ita nunc aliud cogitans, aliud loquens, pervenit ad homicidium, et: *Vindica, Domine, sanguinem*, vox clamat de terra ad caelum. Homo, complesti propheticum, apponens iniquitatem super iniquitatem; expecta nunc illud euangelicum: *Sanguis, qui effusus est, super te et super filios tuos.* Itaque sacramento fidit liber populus, per campum ambulat 3.

2* armatus exercitus apertum bellum indicit et diffusa 3.

3* honorare festum diem nesciunt, qui dulcia scelera tanquam epulas amant. *addit* 3.

a) bodezlauo 1. boleslavo 2. *constanter.* b) poloniorum 2. c) bohem. 2. d) christiano 1. e) *deest* 1. f) *deest* 2. g) fratres 2. h) wenceslaum 2. i) squalores 1. k) exh. 2. l) oculorum 2. m) incurris 2. n) desinis hoc dicto 2. o) sequitur 2. p) *deest* 2. q) *deest* 2. r) n. e. d. f. b. c. *desunt* 1. s) sanctum 2. t) iaculantes 2. u) *deest* 2. v) et 2. w) pauida 2. x) manus 2. y) ciuitas *adscripto* facies 1. z) *deest* 1. *) radda 3. a) dexterā 1. b) pulcrā 1. c) *deest* 1.

30) Zebizlovum Thietmarus VI. 9. scribit.

seculi et defendendae vitae cecidisse cognoscit. Vidit etiam in monasterio et aliam 996. visionem, quam non de se, set quasi de alio aliquo, reverentissimis viris[a] exposuit: *Agnosco hominem, cui duos ordines in coelo Deus arridens digito praemonstrat, unum splendoris purpurei, alterum ultra quam dici potest nivei candoris. „Inter hos et illos, blanda vox ait, manet te locus et certa sedes.“*

22. Ergo quem suo labori adiutorem Deus praeparavit, ducem Polanorum, Dei servorum matrem[b] Bolezlavum[c], rerum dubius petit. Cuius auxilio nuncios suos miserat ad insolentem uxorem[31], si vel stuprata[d] amatoribus multis, priorem maritum accipere 31 vellet. Interim in hac[32] regione cum duce nunciorum adventum exspectat. Qui cum redirent[e], qualem episcopus amavit, plenam contumeliis legacionem referunt. *Bene venias,* inquiunt indignantes, *episcopus ad non semel refutatam mulierem. Mira res! Ad uxorem sponte venit*[f], *quem semper invitum vocare et necesse erat tenere. Scimus quae cogitas, o*[g] *homo! Omnino nolumus; nec est tibi locus in populo tuo, qui vis vindicare occisos fratres vulnere magno.* Accipiens ille libellum repudii, et[h] superborum contumeliis non minus laetus efficitur, quam homines, sicubi non sperant, laeta verba et honorum oblaciones accipiunt. *Disrupisti,* inquit ille, *Deus vincula mea! Hoc est quod exspectans exspectavi, desiderio desideravi. Ablatum est meum periculum. Quid*[i] *respondet in faciem, quia*[k] *me non vult? Quomodo possum regere gregem? Euge! non timeo revocantem amplius papam, nec tristia ferentem metropolitae inmitis*[k*] *epistolam. Qui antehac paganicis operibus in fugam vertunt*[l], *ecce palam verbis: „Nolumus te“ dicunt!*

23. Miserat[m] his diebus ad Ungrorum seniorem magnum[33], inmo ad uxorem eius, 33 quae totum regnum[n] manu tenuit, virum[o] et quae erant viri ipsa regebat[p], qua[q] duce erat christianitas coepta, set inmiscebatur cum paganismo polluta religio, et coepit deterior esse barbarismo languidus et trepidus christianismus. Ad quam tunc per venientes illuc nuncios in haec verba epistolam misit: *Papatem meum, si necessitas postulat et usus, tene; si non, propter Deum ad me mitte meum*[r]. Ipsi vero clam cartam alia mente, alia sentencia misit: *Si potes,* inquit, *cum bona licencia, bene; si non, vel fuga fugiens, tempta venire ad eum, qui te desiderio concupiscit, Adalbertum tuum.* Ipse autem venire non potuit, et[s] ut homo noluit; ut enim hodie audis ipsum dicentem, quem nunc, sicut siciens aquam frigidam, totis visceribus flagrat et amat, ardua scandentem tunc semper fugiebat. Ipse tamen iam erat monachus, et ut dicunt, qui tunc temporis norunt[t], pulcher et bonus. Ex[u] huius ore audisse me fateor unam rem, quam satis amo. Ipsum sanctum asserit loquentem: *Numquam aliquid feci propter vanam gloriam. Nam ut non pulset, hoc est ultra hominem. Utrumque*[34] *tamen*[v] *a me miserrimo omnium retro posuit* 34 *pedem, a me minimo gentium longe fugit in*[w] *exilium.* Memoriam vero viri saepe pono, cuius relacione haec scribo, quem servum martyris agnosci volo.

24. Igitur soluto fune liber episcopus, apprehendit circumfluentibus ulnis[x] carum desiderium, quod semper in corde suo arsit, martyrium pulcrum, apostolica ad hoc usus licencia. Duos fratres, quos cogitat forciores sacro bello et aptiores portare[y] euangelium, itineris comites assumpsit. Prius tamen, ut mater regula docet et viva verba patrum lingua monent[z], oracione fratrum voluntatem Dei exquisivit, et consilio fratrum quasi ferrea clamide munitus, ad agonem currere cepit. — Dux itaque Bolezlavus diligebat eum. Quem monet, ut se adiuvet; videns videat, quomodo se in terram Pruzzorum navigio maris exponat, propter quaerere animas et scindere vomere Dei incultas gentes. Complet dux iussa spiritalis patris; quamvis[*], ut secum staret, divitem voluntatem haberet, occurrere[a] sancto proposito non ausus erat. Est in parte regni civitas magna Gnezan[b.35], ubi nunc sacro corpori requiescere placuit, ubi mille miraculis fulget, et si corde veniunt, recta petentibus salutes currunt. Ibi ergo, quia in via sua erat,

a) u. ita e. 2. 3. b) matrem *superscripto* patrem 1. patrem 2. c) boleslaum 2. d) st. ab a. 2. e) redeunt 2. f) venis 2. g) *deest* 2. h) ex 2. i) Quid? resp. 2. k) qui 2. k*) inmittis 1. l) f. me excitauerunt 2. m) *totum caput deest in* 3. n) r. viri m. 2. o) *deest* 2. p) tegebat 1. q) quo 1. r) eum 2. s) vel 2. t) norant 2. u) Et 1. v) tantum 2. w) in aeternum e. 2. x) undis *superscripto* ulnis 1. y) portando 1. z) linguā mouent 1. *) q. enim ut 2. a) o. tamen s. 2. b) gnezdem 2. gnesna 3.

31) ecclesiam Pragensem. 32) Polonia. 33) Geisam; cf. Hartwici episcopi Ratisbonensis Vitam S. Stephani regis circa a. 1110 (1106–1114) conscriptam; quae Stephanum ab Adalberto baptizatum scribit. 34) scilicet gloria et vana gloria? 35) Gnesen.

997. cuius longo tempore silencium exercuit, missam celebrat, sacras hostias oblaturus, viva[a] hostia et ipse mox[b] futurus. Babtizat populum grandem nimis, inde nullas[c] moras nectit, navem ascendit, quam ne prophanus quis tangere audeat[d], dux sollicitus multo milite armaverat. Post non[e] multos dies carina secante terga maris, Deum nescientibus illabuntur Pruzzorum terris. Festinantes vero nautae sanctum onus deponunt; et nocturno auxilio remeantes, securam fugam capiunt. Rapit homo Deo plenus iter, iacturus recia sua super horrisonum mare, si forte inveniat, quod in mensa Dei comedendum reponat; aut si nullum piscem capiat, saltim in nomine[f] filii Dei oblatum calicem bibat. Fervet in eo spes ardua pro Christo moriendi, et in viridi corde vivus ignis vim habet[g] ardendi; tamquam in aureo altari accensa aromata flagrant et fumancia scandunt. Ergo miles Dei cum duobus sociis intraverat parvum locum, qui circumlabente unda fluminis imitatur insulae vultum. Ibi aliquos dies[h] steterunt; et fama volans paganorum auribus adduxit, habere se hospites ex alio orbe, ignoto habitu et inaudito cultu.

25. Primum ex improviso homines[i] numero non plures parva nave veniunt; dant saltum ad terras, barbarum nescio quid frendunt; magna ira fumant, et hospites quae-
35 runt. Ros[k] regis[35], ros mellis tum[l] episcopo in ore fuerat: librum psalmorum ante se sedens tenuit, in quo omnia verba oris Dei, in quo vita hominis[m] et summa salutis clausa consistunt. Ad quem unus ex istis[n] peior[o] pessimus accessit; dirum[p] infremuit, nodosa brachia alte extollit, et cum conto[q], quo navem minavit, coelestia ruminantem episcopum inter scapulas fortissime percussit: *Si non abitis*, inquit, *cicius capite plectemini, vexati diris poenis et mortibus multis.* Evolat e manibus excussum volumen; alia ex parte ipse humi stratus dat oscula luridae[r] terrae, mente extentus et corpore toto. Exterior corrumpitur homo, interior ad vitam novatur; per penetral[s] cordis prorupit vox laeticiae et salutis. *Benedictus*, inquit, *Deus, benedicta misericordia Dei! Si plus non accipiam pro Crucifixo meo, saltim unum preciosum ictum habeo!* — Homo Dei, putasne simplex plaga splendeat in dorso tuo? Aut precium habeat[t] super terram, talia libenter pati in memoriam filii Dei vivi? Utique non sic margaritum in sterquilinio, non purpura regis in populo, nec facies rosae in gremio terrae, adhuc nec aureus sol in coelo, ut est in corde pulcro percussio una, quam habes laetus gloriae[u] pro Christo tuo! — Quid tum? Foris[v] proiecti veniunt in mercatum, ubi confluxerat unda populorum. Circumstant subito coelicolam virum longo agmine capita canum; pandunt cruentos rictus, interrogant, unde? quis[w] esset? quid quaereret? quare venisset, quem nemo vocavit? Lupi siciunt sanguinem, minantur mortem, quia ad eos portat vitam. Donec loquatur, vix exspectant; horrent et derident; melius enim non sciunt; loqui iubent, capita movent. Accinxit vir lumbos, os aperit, et quia multa audire nequeunt, brevi[x] alloquitur: *De terra Polanorum*[y], *quam*[z] *Bolezlawus*[*], *princeps christianissimus, Domino*[a] *procurat, ad vos pro vestra salute venio; servus illius, qui fecit coelum et terram, mare et animancia cuncta. Venio vos tollere a manu diaboli et faucibus inmitis averni, ut cognoscatis creatorem vestrum, ut deponatis sacrilegos ritus, abrenunciantes mortiferas vias cum inmundiciis cunctis*[b], *et ut loti*[c] *balneo salutis, efficiamini christiani*[d] *in Christo, et habeatis in ipso remissionem peccatorum et regnum immortalium seculorum*[e]. Haec sanctus; illi autem contra iam dudum indignantes, coelestia verba irrident, terram baculis percutiunt, aerem mugitibus implent, manus tamen non iniciunt, set furorem dictant, et districtae severitatis nuncium ad aures hospitum[f] mittunt: *Propter tales*, inquiunt, *homines terra nostra non dabit fructum, arbores non parturiunt, nova non nascuntur*[g] *animalia, vetera moriuntur. Exeuntes exite procul de finibus nostris; si cicius non retro ponitis pedes*[h], *crudelibus poenis afflicti, mala morte peribitis.* Illi[i] vero, qui in ingressu regni positus bonos hospites eo loci dimisit, mortem minantur; domum incendere, divisis rebus uxores et filios vendere, spumante ira pollicentur.

a) in uia 1. b) Christo *addunt* 2. 3. c) nimis tn̄ 1. d) praesumat 2. e) *deest* 1. Non post 2. f) nocte 2. g) trahit 2. h) d. uel st. 1. i) *deest* 2. k) Res 3. l) cum 1. m) in q. v. h. *desunt* 1. n) ipsis 2. o) peiorum 2. p) durum 1. q) *deest* 1. r) viridi 2. s) penetralia 2. t) habet 1. u) *deest* 2. v) foras 2. w) quid *corr.* quis 1. x) brevius 2. y) polon. 2. z) quō 1. *) bolezt 2. a) dominus 2. b) c. i. c. *in margine* 1. c) et utiliori 1. d) *deest* 2. e) caelorum 2. f) hospitium 2. g) nascentur a. v. morientur 2. h) pedem 2. i) Illis . . . positi . . dimiserunt 2.

35) Davidis.

26. Videns adleta Christi, nullum fructum animarum sequi et desideratae mortis spem auferri, deiecit animum; tristicia magna affectus, varios curarum aestus in casto pectore versat; dixitque fratribus: *Pressi magnis adversis, quid consilii capiemus? Quo vertamur, nescio. Habitus corporum et horror vestium, ut video, paganis animis non parum nocet; unde, si placet, vestimenta mutemus clericalia, pendentibus capillis surgere sinamus, tonsae barbae truncas comas*[a] *prodire permittamus; forsan non agniti, melius habemus salutem operari; similes eorum effecti, familiarius eo habitamus alloquimur*[b] *et convivimus; laborando quoque manibus propriis, victum quaeremus ad instar apostolorum; absconsa mente revolvimus*[c] *censum psalmorum. Interea, prosperante misericordia Salvatoris, fit aliquid hac arte*[d] *ac fraude, ut*[e] *opinio se fallat; euangelizandi occasio certa venit. Quid*[f]*? quia pius et fidelis Deus, animarum inventarum thesaurum magnum lucrabimur, aut dulcem vitam pro dulcissimo Christo fundentes, desiderata morte morimur*[g]. Ergo [viso consilio[h]] meliora sperans, conceptum moerorem[i] gaudii gladio[k] occidit, egressurus regionem malam, accensis animis movet gressus. — Ad ferocium quidem[l] Liutizorum[m] ydola surda praedicacionis equos flectere placuit, quorum linguam cognovit, et quos necdum visus, mutata veste et habitu fallere potuit. Haec[n] tum hoc ingenio bono dolo cogitavit, aut imperatoris filio reperire novum populum, aut longis desideriis ponere finem. Set o venerabile caput, quid te fatigas implexis cogitacionibus? Prope est quod quaeris. Non necesse est iniciare longam viam; dabit tibi breviore via Deus, quod tanto tempore quaesisti, iecore fideli, amore humili, recto ore, mundo corde et animo toto. Ecce iuxta te pulcritudo tua, ecce in foribus cuius nescit homo precium felix, et incomparabile martyrium, ut nostro etiam aevo angelis habeat similem bonus Virginis ille filius, quia[o] insperato te faciet martyrem suum! O quam pulcre ridet coelum, quando cum corona intrantem videt Sclavum! 997

27. Romae[p] interea in[q] monasterio, quo sanctus iste phylosophya Benedicti patris nutritus erat, revelacio divina haec dicta dedit: Inter plures visiones, quas[r] rapta mente saepe levatus vidit et ita[s] crucifixus mundo, Iohannes monachus et abba, venerunt a coelo usque ad terram descensu delectabili, aspectu pulcro, duo linteamina ut nix candida, absque ruga et macula. Unum ex eis accepit quem quaerere venit[t]; possedit carum[u] pignus, et accepit linteum dulce onus; fruens fruitur suo Adalberto, intrat aureum coelum tramite recto. Quem aliud linteum suo amplexu acciperet et ad Deum portaret, ab eius ore, fateor, numquam excutere potuimus, et ideo, ipsum[36] pro secreto amore coelestis patriae alterum pondus esse, cogitacione cogitamus. Sive autem hic sive alter sit, certa mente nescimus; nec nos hoc fatiget, qui nostrum intercessorem in manibus habemus! Adalbertum, Domine, tuum sancta sanctorum intrasse, cognovimus, veneramur et amantes[v]. Cum numquam sanguinem funderet, quae est prima beatitudo et passi Christi quaedam similitudo, tamen alta morum humilitate et puro Dei amoris intuitu vere esset filius coelorum, et, qui numquam peccaverunt[w], frater angelorum. 36

28. Hac hora pater Nilus ad monasterii illius spiritales fratres verba miserat, dicens: *Notum sit vestrae dilectioni, quia amicus noster viam bonam habet; vere Adalbertus cum Spiritu sancto ambulavit.* Haec in christiana; at in terra pagana tres homines carpunt iter secus littora maris, et fit repente conlisio undarum, quasi quid[x] moveat aliqua ingens bestia maris, et ad aures gradientium fragor ille validus venit. Comites securi audiunt; medius senior atrocissime obstupuit, et velud pavida mulier, consternatus exhorruit. Cui Gaudencius, ex parte patris caro et frater suus, subridens ait: *Pavit fortitudo tua, audacissime miles. Si saliret super nos armata et ad bellum prompta manus, quid tunc ageres, qui nunc inania times?* Respondit: *Nos sumus fragiles, tu fortis; nos imbecilles, tu potens; nos certe et minima timemus; set eo melius Deus noster refugium et virtus, quo est maior*[y] *inopia timentis*[z] *et virium*[*] *parva suppellex.* Eo

a) sinamus tonsae b. t. comas et p. 2. b) cohabitaminus alloquemur et convivemus 2. c) revolvemus 2. d) arte. Hac 2. e) nisi 2. f) quo 2. g) moriemur 2. h) v. c. *desunt* 1. i) minorem 2. k) gaudio 2. l) qui 2. m) lutiz. 2. n) Hoc tamen ingenio hoc bono 2. o) qui 2. p) Ad me 1. q) *deest* 1. r) q. uidet r. 1. s) et i. *desunt* 2. t) U. e. e. a. q. q. v. *desunt* 1. u) carum 1? v) amamus, qui licet n. 2. w) peccauerit 1. x) se 2. y) *deest* 1. z) mentis 2. *) nimium *superscripto* uel uirium 1.

36) Iohannem.

997. *felicius, eo gloriosius diligam te, Domine virtus mea, quo senciens infirmitatem meam, cognoscq te esse meam virtutem!*

29. Vidit[a] sequenti nocte somnium, quod[b] ludentibus verbis irrisit pavescentem episcopum: Ingressus delectabile oratorium, cognovit paratum pontificem celebrasse missam. Commesto autem sacrificio, cum vestimenta plicarent[c], propius accessit ad cornu altaris, cuius in medio stat aureus calix; adclinat collum, os ponit, haurire de aureo calice parat[d]. Volat cursu custos sacri altaris, et unde talia praesumat, insolentem Gaudentium severioribus dictis increpat. *Non licet*, dedignans ait, *fauces tuas de aureo calice sumere pocula vitae. Solus totum bibere debet, qui Christo immolato missam oracione legavit*[e], *ubi sacro*[f] *palato nec gutta remanebit.* Mane facto, Gaudentius infit auribus: *Audi, senior meus, noctis somnium quod vidi. Expleta missa quam celebrasti in templo Dei, accessi potum sumere de aureo calice, qui stetit in medio altari. Prohibuit me minister altaris dicens: „Alii nequaquam licet; pontifex totum sumere debet!“* Respondit filius mulieris passioni propinquus: *Mi frater, iubente Deo somnium tuum prospere vadat; peccans caro peccati*[g] *donum Dei non impediat; misericordia Creatoris victoriam tollat*[h].

Apr. 23. 30. Igitur sexta feria Gaudencius, sancto viro duplex germanus, cum iam scandens sol tres horas prope complesset, missarum sollemnia in laeto gramine celebrat. Post partem obsonii recumbentes accipiunt, ut[i] in fortitudine cibi positum vigorem fessa membra resumerent, et viam longam sine labore reparati pedes cicius minarent. Pulsa
37 fame recreati surgunt, iterare[k. 37] incipiunt, et[l] non longe ab eo loco ubi cibum sumunt[m], invalescente lassitudine, caput ponunt, et fessa corpora somno indulgent. Dormitaverunt omnes et dormierunt: adest sonitus armorum, fulgurans hasta, sonans clyppeus et gladius acutus. Cui frater a Polanis occisus erat, zelo ductus barbarus venit; cum quo, qui exultant in rebus pessimis, conspiravere poenitencia ducti, quia[n] dimiserunt; impetu magno ydolatrae appropinquarunt. Nec mora, equos dimittunt, volatili[o] pedum fuga accurrunt, requiem hospitum turbant, vincula iniciunt[p], tamquam latrones deberent[q], manus et brachia stringunt. Stupent fratres, et non suaviter expergefacti, insperato animo vincula et hostes agnoscunt. Nec minus qui semper hoc spectaculum omnibus votis desideriisque quaesivit accensus, nunc magnus Adalbertus timet; quasi homo amarae mortis gustum exhorret, ultra quam solet consternata mens ignavia laborat; moritura caro colorem mutat, pavor in mente tremula hebet[r]. Nec miretur[s] vel fractum[t] defecisse sanctum[u] cogitet, qui tot annos in temptacionum ventos[v] inconvulsa arbor stetit; maxime nunc quando propinquante termino palmam accipere debet. Nonne maior dominus redempcione nostra[w] Christus propinquante[x] sanguinem sudat[y]; et qui potestatem habet ponendi animam et sumendi, sequentibus discipulis tristem se esse asserit usque ad mortem? Si Deus[z] trepidat, turpe est ut[*] homo paveat, cum carnis mors prope accedit? Purgantur tremore[a] mortis electi, sine quibus non sunt, a levibus peccatis[b], et, si qua vestigia manserunt, criminum raris maculis[c]. Vir bone, quid times? Cur inerti[d] pavore tabescis? Deo[e] tuum sanguinem fundis, quo fuso, securum commeatum et liberum iter habes ad coelum, sine occursu insultancium demonnm, sine obiectione vel minima[f] peccatorum. Martyribus certe non sperans, non occurrit accusans satan, nec verbum opponit, procul fugiens, eo quod Salvatoris umbram imitantur; et sicut Dominus sine peccato propter nos mortuus est, ita et martyres, quamvis criminum rei, quamvis pagani, sine[g] quibus non fuerunt, fuso sanguine propter Deum, omnino cunctis peccatis carebunt.

31. Ceteri sancti quamvis candidam et odoriferam vitam ante oculos Dei habuerint, sine scrupulo de vase peccatorum non recedunt, et circa extremam horam infinita angustia laborant, nescientes, utrum et munda vita ab eo iudicetur digna[h], cuius com-

a) V. et Gaudentius 2. 3. b) quo 2. c) plicarentur 2. d) paratus 2. e) levavit 2. f) tibi sicco 2. 3. g) peccatis 2. h) obtineat 2. i) a. ut *desunt* 1. k) itinerare 2. l) at 2. m) sumpserant 2. n) q. eos d. et i. 2. o) uolati 1. p) mittunt 2. q) haberent 2. r) habet 1. s) m. quis 2. t) f. quis d. 2. u) secum 2. v) ventis 2. w) redemptor noster 2. x) p. ut 1. p. passione 2. y) fundat 1. z) dominus 2. *) si h. non p. 2. a) timore 2. b) *deest* 1. c) miraculis 1. d) inermi 2. e) dm 1. d. tuo 2. f) minimorum 2. g) sine culpis n. fuerant 2. h) digne 1.

37) i. e. iter facere.

paracione inmunda sunt omnia. Martyrio autem stat sua racio restituta[a], singularis gloria, quam accipere dono Dei promeruit felix martyr infelicium Adalbertus nostrorum temporum[1*]. Licet tibi interrogare[b]: *Quid Domino retribuam?* licet respondere: *Calicem salutaris accipiam. Non est quod timeas, quia disrupisti, Domine, vincula mea.* Est quod desideres, quia preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, cum nemo natus effugiat manum mortis. O quam beatum, o quam gloriosum, ita mori, ut non appareant peccata, quae lavantur in babtismo, extinguuntur in martyrio! Iam quanta dignitas, quanta securitas laeticiae, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire statim eosdem, ut Deus videatur ac Christus, pulcri[c] operis pulcherrimus ipse! Ne[d] timeas periculum eo quod est mors amara, mors anxia. Nam si esset nulla mortis molestia, canente mellifluo Gregorio, non esset tanta martyrum gloria. Tam feliciter migrandi o quanta velocitas! Terris repente subtraheris, ut in regnis coelestibus reponaris. Indica nobis, sub coelo non esse pulcrius, non quicquam dulcius, quam pro dulcissimo Christo dulcem dare vitam. Harum sentenciarum habemus te nunc testem clarum, qui[e] hoc mundo positus, morum virtutibus viruisti[f], et in his servata humilitate miraculis[g] claruisti; nunc pro Christo mortuus coelesti beneficio et miraculorum dulcedine clarior, inmo clarissimus innotescis! Palam loqueris, monstrans nimirum, quam bene vivas, ad cuius mortua ossa tot salutes exeunt, tot pia digna[h] prodigia coruscancia currunt[i].

32. Aiunt qui in illo agone fuerunt[k], nec unum verbum fecisset pallidus episcopus, nisi, quando ligatum ad montis supercilium ducunt, ubi septem lanceis pulcra viscera forant, ad[l] illum, cuius tunc lancea debuit primum ictum et[m] torvo aspectu occidendum martyrem loco statuit, hoc unum verbum: *Quid vis pater*[n]? exili voce interrogans fatur. Habes[o] quod semper volebas, morere passus pro desiderato Christo, hac die felix victima functus[p], qua die Salvator pro te et pro mundo crucifixus, ipse tunc sanans mundum languidum, nunc vero magnum te faciens martyrem suum. Septem donis ditavit te Christus virtute multa, fluxit[a] tibi gratia sancti Spiritus; nunc in eius honore septem lanceis confossus, amplectere desiderabilem Christum[2*].

1* *reliqua capitis contrahit* 3. *ita:* O quam beatum, o quam gloriae plenum, ita mori, ut non appareant ulla peccata; quoniam quae secundum fidem lavantur in baptismo, extinguuntur in martyrio. Iam quanta dignitas, quanta securitas laetitiae! O quales opes et divitiae, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire statim interiores, ut videantur angeli et Deus, cuius pulchrum est omne quod fecit, et pulcherrimus ipse. Nec erit iam ullum malum, quia eo pervenitur, ubi adest omne bonum. Ubi quid ignorat, qui omnia scientem novit? quid non habet, qui omnia habentem habet? Ubi quem non potest adiuvare miserum, cui est praemium Deus, ostendens illi se ipsum? Harum sententiarum habemus te testem clarum, qui in hoc mundo positus, morum virtutibus viruisti, et in his servata humilitate, mirabilius claruisti; nunc pro Christo mortuus, caelesti beneficio et miraculorum dulcedine clarior, immo clarissimus innotescis. Palam loquebaris, sub caelo nihil speciosius, nihil quicquam esse suavius, quam pro dulcissimo Iesu Christo dulcem ponere vitam. Et nunc monstras, quam bene et feliciter vivas, quando ad tua ossa mortua tot salutes exeunt, tot signa sine taedio currunt.

2* Quicquid peccasti in hoc tempore, quod volvitur septem diebus, expians et expurgans septem vulneribus, calca abyssum et terram sub pedibus; ultra omnem creaturam scandens, apprehende dulcem Creatorem. Beatus homo, quem possedit gloria paradisi, quem accepit confessio et pulchritudo ante oculos Dei, ut sapiat ex sententia, quae solet dicere: *Quod oculus non vidit,* 1. Cor.
nec auris audivit, nec in cor hominis asscendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. 2, 9.
Vocat nunc te cor contritum, vocat nostrorum temporum infinitus error; clamat tibi, felicissime martyr, nostrarum miseriarum magnus clamor. Tu cum purpureis proceribus in conspectu Dei delectatus, tu cum suavisonis angelorum vocibus intra sancta sanctorum epulatus, ne obliviscaris veros captivos, non sentientes, in quanta tribulatione versemur. Tu qui multa potes ad regis chortem, fac nobis legem et iustitiam de iniquo odio tantorum hostium; quia et nunc cum Christo regnum tenens, necesse est illud satyricum depromas:

O curas hominum, o quantum est in rebus inane. Pers.
Ad grandem miseriam necessarium est magnum adiutorium. 1, 1.
Veniat tecum non unus sanctus; salus hominum quorum est ars, stet tecum angelorum sana pars! O amor, qui regis omnia caelo, respice miseras terras animo benigno, in quibus hoc aevo magna grassatur iniquitas! Fac

a) ratio et statuta est s. 2. b) respondere 1. c) Pulchri o. p. ipse ne 2. d) *haec infra habet* 3. e) q. in h. 2. f) meruisti 2. g) mirabiliter 2. h) *deest* 2. i) corruunt 1. k) f. quod n. 2. l) f. Tunc ad i. c. 2. m) et qui t. 2. n) *deest* 2. o) H. pater q. 2. p) factus 2.

997. Ap. 23. 33. Dux et magister nefariae cohortis primum igneus[b] Sikko forat penetralia cordis, post saliente malicia et currente manu ceteri scelus[c] peragunt. Ut autem ostenderet clemens divinitas, quia soluta erant servo suo carcer seculi, compedes magnae et peccatorum vincula cuncta, postquam sanctum corpus secarunt, nemine solvente ligaturae manuum se solverunt; ipsam[d] vero amicam mortem amplexus, quam semper sequens dilexit, in modum crucis manus expandit. Cadens cadaver matrem [terram[e]] occupat; anima sancta ad vitam feliciter intrat; admirans risum Dei et gaudia canentis coeli. Reliquisti sub pedibus pulcrum hoc quod apparet; experire[f] nunc, quod intrinsecus latet; post fletus hominum transi in beatum numerum angelorum, ubi te vident laeti omnes sancti, maxime martyres Christi! Adhuc ultra angelum[g], martyr, ad martyrum regem ascende cum gloria, ad vivum[h] Salvatorem, ad ipsum a cuius conspectu fugit terra et coelum; loquere facie ad faciem, quasi homo ad amicum suum! Effugisti quod[i] amaritudinis habes, quod non dulcedinis, ubi sunt altae contemplaciones internae refectionis, ubi est cibus et potus laus perpetua Creatoris!

34. Ipsa die dicunt, cum quidam presbyter missas faceret, revelans spiritus ad aurem dixit, ut beati martyris[k] Adalberti suffragia laboranti mundo imploret. Libens paret ille monitis divinis et intra memoriam sanctorum martyrum Adalbertum vocat, ut pro nostris erroribus divinae misericordiae mactata hostia intercedat. Igitur impii viri duos fratres[l] immisericorditer ligatos secum portant, et sancti viri nobile caput a sancto corpore dividunt, et sub fida custodia utramque partem custodiunt. Ne cogites[m], religionem faciant, qui prophanare tantum sapiunt; a duce finitimo Bolezlavo grandem pecuniam accepturos se putant, ut res erat, quando reverentissimum corpus et caput, desiderabilem[n] thesaurum vendunt[1*]. Martyrizatus est autem preciosus martyr[o] Adalbertus, qua die pius Georius[p] est gladio percussus[q]. Bene autem uno[r] die, quia se petentibus ambo boni fulgent[s] crebris miraculis et praesto sunt miseris mortalibus. Ecce[t] iterum ambo boni et estis michi saepe vocandi. Loquimini certe: surgat stella maris! iungat se[u] aequus Petrus! sequatur ad omnes sanctos! Propter Deum loquimini de vivis miseris bonum in conspectu principis; praestante domino Deo propter dilectum filium suum in Spiritu sancto, cui est gloria, salus, honor[v], regnum et imperium, sana[w] civitas[x] angelorum, cui fuere sunt et venient pulcra facie immortalia secula seculorum, Amen.

EXPLICIT PASSIO SANCTISSIMI ADALBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS AMEN.

---

quod fecisti, terra factus propter pietatem, fuso sanguine propter nimiam charitatem! Dic tu ante omnes, dic ex quibus novus martyr enatasti, dic bone Adalberte: „Deus optime, miserare nostrae lunae varios labores!“ Compesce aestuantis avaritiae in immensum crescentes errores; qui meretricis pulchritudine, amorem Dei, maxime hoc aevo, commutare volunt in amorem seculi, bonum dicentes, malum in fine ferentes; promittunt delectare, et faciunt laborare; dicunt se adiuvare, et non nisi nocere noverunt. Quibus convenit illud poetae:

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps;

Luc. 9, 25. immo convenit illud euangelicum: *Qurd proficit homo, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimantum patiatur?* Quod flet in sacro eloquio, qui securus sui, de nostro periculo timidus est; quia stantes inter mille globos nunquam dormientis diaboli, habentes et ingenitae naturae centum pericula, nutrimus adhuc avaritiae saevam pestem, ut res extra nos perdat intus nos. Eheu, inquit, in praesentium rerum voluptatibus positi, quo amplius concupita acquirimus, eo amplius os patens avaritiae in immensum aperimus. Nescio, miseri quid simile patiamur; post expletionem voluptatum amplius esurimns, et adeptis carnalium rerum oblectamentis, nunquam dicimus: Sufficit. Hoc est commune malum omnium, maxime haec est miseria mea, et si qui sunt, mei similium; qui non nisi spiritualia debuimus, prope sola carnalia cogitamus. Si quid potes, immo quia potes, nostris medere vulneribus. Sed ad rem *addit* 3.

1*) 3. *addit:* Vos quidem fecistis pro vestra insania; sed o qualem imprudentes peperistis beatitudinem! Volenti illi vos convertere ad Christum salvatorem, vos nolentes conciliastis immortalem dignitatem.

a) confl. 2. b) ignitis 1. c) zelus 1. d) ipse 2. e) *deest* 1. f) expedire 2. g) angelos 2. h) omnium 2. i) quid a. h.? quid n. d? 2. 3. k) *deest* 2. l) f. eius 2. m) c. quod r. 2. n) desiderabile 1. o) *deest* 2. p) Georgius 2. 3. q) est saxo tritus 3. r) una 2. s) confulgent 2. t) Estis 2. u) se angelus bonus, et propitius Petrus sequatur et omnis sanctus 3. v) hominum 1. w) sancta 2. x) pars 3.

MIRACULA SANCTI ADALBERTI MARTIRIS.

1. Post mortem vero non defuerunt divina prodigia in miraculis eciam inter gentes. Nam digitus[38] eius in aquam decidens et a pisce ipsum rapiente devoratus, de ventre eius ad instar ardentis candele inter fluctus cunctis videntibus rutilabat. Quo miraculo attoniti[a] piscatores, omni studio eum capere cupientes, quocumque se diverteret sequebantur. Nec mora, piscem capiunt et excucerant et ex ventriculo ipsius sacrum digitum sancti pontificis, flammantem in ardentis candele similitudine, extraxerunt.

2. Circa idem tempus Prutenus quidam nobilis ex Pomeranis quorumdam causa negociorum venit in Sambiam terram, scilicet in Pruscie partibus specialem[b], in qua ab incolis beatus martyr Adalbertus martyrium consumavit; ubi cum a dicentibus cognovisset, quod ignotus quidam, cuius loquela ab eis non intelligebatur, apud ipsos fuerat interfectus, ex proposito cognoscendi defunctum, nec dubium quin spiritu Dei agente, pervenit ad locum. Reperiens igitur caput sanctum, audivit id loqui se ac dicere sibi: *Tolle me deferque me in Poloniam in civitatem que Gnesen vocatur, et si illuc[c] usque munde te conservans me detuleris, reverenter gloria et diviciis tu et posteri tui in perpetuum sublimabimini super omnes qui habitant in hiis terris. Si vero pollueris viam tuam, generacio tua ultima non proficiet in melius nec decrescet in deterius, sed mediocri modo conpares vestri similibus persistetis.* Hiis stupefactus homo gentilis tulit illud, reponensque in vase, profectus est versus Poloniam tendens. Cum autem in terram suam prope a domo propria pervenisset, cepit cogitacio pulsare animum eius de videndis pueris suis et uxoribus, quas duas habebat. Victus huiusmodi igitur affectione, caput venerandum cum vase in quadam concava quercu recondens, domum ad suos perrexit cum voluntate quam cicius revertendi. Mandati denique transgressor effectus, cum rediens caput sacrum requireret, in loco ubi illud reposuerat non invenit; cognacio vero hominis supradicti, ut eciam ipsi qui ex ea sunt profitentur, rerum temporalium successu usque hodie in eodem statu permanet, sicut per illud divinum oraculum dudum fuerat declaratum. In loco autem, in quo caput martyris gentilis reposuerat, extitit olim ecclesia in honore ipsius martyris consecrata, et ipsa necnon et locus in reverencia habebatur, illicque facta pulchra miracula referuntur.

3. Legitur eciam, quod in Ungaria Christum predicaret beatus Adalbertus; primum quidem per nuncios suos, deinde per se ipsum, et innumerabilem populum verbo predicacionis atque multis miraculis ad fidem converteret. Accidit eum pervenire ad locum, ubi sedes est principalis tocius regionis. Erat autem ibi ydolum quoddam celebre pre ceteris, ex quo demones frequenter dare manifeste responsa solebant. Hac igitur causa turbe vicinarum urbium ad huius rei spectaculum statutis temporibus illud adorature conveniebant. Maxima itaque multitudine populi ydolum circumstante, sanctus pontifex, fide fortis, paratus pro Christo tradere in mortem animam suam, audacter accessit, et videntibus cunctis face accensa in conspectu sacerdotum ydoli, omnibusque virtute Dei consternatis atque stupentibus, tante auctoritatis constanciam nullo contradicente, illud penitus concremavit.

4. Postmodum vero cum pagani proximi Polonie predicacionem eius recipere nollent, adire voluit metropolim Polonorum, que Gnesen appellatur, devenitque in quandam villam, ubi de via ad civitatem predictam requirebat. Sed homines loci audientes linguam eius a sua plurimum dessonare, aspicientesque habitum ipsius, scilicet monachalem, sibi omnino invisum, risum commoverunt, et loquenti ad eos ac interroganti de itinere non dignabantur respondere. Tunc sanctus Dei spiritu plenus, qui per ipsum signa et prodigia faciebat, ait ad illos: *Quia pro honore Dei loqui non vultis, ad gloriam eius in nomine ipsius iubeo ut taceatis.* Hoc dicto, inde abiit, et rectam viam Christo ducente invenit. Impii illi mox muti effecti, pertriti ac conturbati in eo quod acciderat ipsis, in dolore atque gemitibus sic manebant. Ultra ad aliam villam venit, et pro via inquirens, similiter et contemptui habitus est, ipsosque sicuti primos eodem multavit supplicio, ut quos consimilis culpe reatus obligabat pro pena digne constringeret, in utrisque non iniurie sue vindictam mira expectans, sed in spiritu levitatis occasionem salutis eorum et gloriam christo Christi querens. Deinde ad terciam villam Deo duce deveniens, de itinere sciscitatus est, ac villani benigne respondentes, viam sibi humiliter ostenderunt. Quibus gracias agens, exacto itinere longo brevi tempore, angelo bono comitante, pervenit usque Gnesen urbem, plenam populo, potentissimam ac famosam. Continuo ad forum pergens, multitudini que aderat Christum confidenter predicat, premia vite eterne annunciat[d], Deoque cooperante et sermone confirmante, sequentibus signis plurimis et diversis, Christo domino innumeri crediderunt. Unde factum est, ut fama eius modo per universam regionem percurrens ad illos[e] pertingeret, quos sanctus presul in nomine Christi dudum voce privaverat, non auditu, sicque persisterant nullo prorsus valentes subsidio relevari. Igitur ad virum Dei spe gracie ipsius inveniende unanimiter proficiscuntur, reperiuntque ipsum multo populo predicantem. Recognoscentes autem eum, coram ipsa multitudine pedibus suis provoluti, suspiriis ac fletibus variisque gemitibus delicti sui veniam postulabant. Hoc[f] videns beatus Adalbertus, obmisso interim opere predicacionis, cui toto conamine insistebat, conversus ad illos, ut animo mitissimus erat, placide alloquitur eos, dicens: *Scio, fratres, scio, qui estis. Video, quod manus Domini*

a) ottoniti c. b) spialem c. c) illud c. d) annunciat c. e) i. quos p. q. c. f) Hic c.?

38) cf. libros de vita S. Adalberti apud Dobner Mon. Boh. II. p. 56. 59. et Chron. Bohemiae saec. XIV. apud Mencken SS. Sax. III. p. 1647.

tetigit vos vobisque tribuit intellectum, ut peccatum vestrum cognoscentes ad Deum appropinquetis, qui sanat contritos corde, ac per hoc ipsum misericordem Deum, cuius ego servus sum, denuntio[a] *errori vestro indulgenciam prestitisse. Propter quod servus eius in nomine ipsius Dei et domini nostri Iesu Christi creatoris omni linguae*[b] *officium reddo.* Hiis dictis et signo crucis super eos facto, confestim solutum vinculum linguae ipsorum, et cunctis stupentibus ceperunt loqui, Christumque verum esse deum magnis vocibus conclamare. Baptismi igitur graciam accipere cupientes, prius verbo fidei precatu ipsorum instruens eos, fecit ex aqua et spiritu regenerari[c]. In fide denique confirmati, sanctissimo pontifici alacriter omnes in commune supplicant, dicentes: *Sanctitatem tuam, famule omnipotentis Dei, unanimiter imploramus, ut pro iniquitate, quam quidem*[d] *ceca ac furiosa mente in te commisimus, aliquit magnum nobis in satisfaccionem imponas ad memoriam posterorum.* Ad quos beatus presul: *Laudo vos*, inquit, *filii, quod sub manu Dei pia devocione humiliamini. Verumtamen certissime hoc scitote, quia illuc et cetera peccata vestra omnia vobis in baptismate sunt dimissa, tantummodo mentis vigilanciam observetis, ne ad pristina mala seu alia revertentes perceptam graciam amittatis.* Cumque magis ac magis instarent[e], statuit eis, ut ante quadragesimam a septuagesima, prius quam alii christiani ieiuniam inchoarent, ipsi ab esu carnium usque ad diem cinerum abstinerent. Quod preceptum devote suscipientes, in vita sua fideliter custodierunt ac posteritati sue observandum quasi iure hereditario tradiderunt. Spiritu gracie Dei per beatum Adalbertum predicante multa miracula faciente, fidem christianam tota Polonia suscepit, et fundata est veluti per unum de apostolis super apostolice fidei firmam petram, prefatumque tempus ac modum abstinencie ante pascha pro reverentia sancti Adalberti gratanter et communiter custodiendum acceptans, plurimos annos circiter 230 irrefragabiliter observavit, donec legatus quidam sedis apostolice magne auctoritatis, nolens[f] gentem Polonorum diucius aliis fidelibus in observacione annualis ieiunii fore dissimilem, super prefato statuto circa annum[g] Domini 1247. auctoritate apostolica dispensavit.

5. Eciam legitur, quod volens beatus Adalbertus transire ad terras alias paganorum, socium laboris et itineris sui virum sanctum nomine Gaudencium in Gnesen pro se archiepiscopum constituit, perductusque in Pomeraniam a duce terre honorifice exceptus. Eundem quippe principem iam pridem sanctus Adalbertus in Polonia baptizaverat, cum illuc[h] advenisset pro filia ducis Polonie, ipsam sibi postulans in uxorem; quam illi tradere noluit, antequam ibi ab conpontifice Adalberto baptismi lavachrum percepisset. Proinde convocat dux Pomeranie populum suum, ut a sancto episcopo audiant verbum Dei. Audientes igitur Pomeranii, quod predicaret, quia dii eorum, quos colebant, dii non essent sed demones, nec aliquid prestare boni possent, vehementer indignati sunt contra eum blasphemantes, conveniuntque in unum qui inter eos prudenciores reputabantur, eum super verbis suis redarguere attemptantes[i]. Sed sancto Adalberto verba vite plenius prosequente, se in deceptione devictos confitentur, nec tamen a cultu consueto ac primis tradicionibus se velle recedere pollicentur. Ammirantes igitur valde super prudencia et responsis eius et venerabili persone ipsius reverencia illecti[k], ipsumque super communem statum hominum esse aliquit arbitrantes, petebant, ut cum aliis diis eorum ab ipsis se permitteret adorari. Quo audito, vir Dei nimium contristatus ac tanto errori eorum condolens, graviter ingemuit, lacrimas quoque ubertim profundens[l], sic eis respondet: *Heu miseri, quam ceci estis et quam perditi, quantumque plorandi, qui non solum demonibus pessimis sed eciam homini mortali deitatem vultis ascribere; que nisi soli Deo inesse potest, qui cuncta creavit.*

6. Inde Prusciam mare transiens, adiunxit se cuidam Pruteno, qui Polonicam linguam novit, quem ad fidem cito convertit. Qui hospicio beatum pontificem excipiens, ipsi reverenter sequebatur, et de mandato eius, christianum se esse ad tempus ab aliis occultabat.

7. Legitur et[m], quod imminente passione sua cum missam celebraret beatus Adalbertus, indigni pagani hoc videntes, inter se clamores excitaverunt dicentes: *Ecce hic ad nos venens incantaciones et maleficia sua ad maledicendos nos et morbidandos exercet. Eamus igitur et pro conservancia nostra et patrie salute occidamus eum.* Cum autem velud insani adversus sanctum sacrosancta misteria peragentem[n] concurrerent, unus ex ipsis respiciens post tergum vidit immensam flammam ignis, que totam villam comburere videbatur, et vociferans fortiter sociis indicat; propter quod omnes quam celeriter revertuntur. Nichil itaque dampni sibi accidisse cognoscentes, sed videntes quia illusi sunt, amplus quam antea furentes ad invicem loquebantur: *Fantasticum fuit quod aspeximus, et ex vi incantacionis eius tale quod apparuit nobis.* Secundo igitur contra sanctum Dei atrociter accurrerunt, similique visione ut prius expavefacti, in villam cursu propero redeuntes, domos suas illesas omnino cum omnibus que habebant reperierunt, quas incendio penitus putaverant perisse. O mira potencia Dei! O inscrutabilis altitudo sapiencie et scientie eius, que suaviter disponens omnia, illud divinum ac celeste sacramentum ludibrium estimantes, sic levi ludibrio delusit, ut delusores maligni per hoc corripi et sacrificia sancta cum sanctissimo pontifice assistente conservari illibata valerent.

8. Legitur eciam, quod caput ipsius abscisum super cacumen arboris, sub qua missam celebraverat, suspenderunt, et ut circumquaque ab omnibus a longe videri iniquorum exultacione posset, totam trunci partem proximam vertici desectis ramis totaliter nudaverunt. Cumque corpus sacrum membratim discerptum huc illucque dispersissent, hospes ipsius per angelum Dei divinitus ammonitus[o] est, ut membra sic diligenter colligeret, quatenus nil de ipsis deperiret et mente recondita reverentissime conservaret. At ille celesti visione obediens, in timore sancto studiose peragebat, quod sibi fuerat imperatum. Verumptamen cum[p]

a) denuntcio *c.* b) lingua *c.* c) regenerati *c.* d) qđ *c.* e) instaret *c.* f) uolens *c.* g) annos *c.* h) illud *c.* i) atemptantes *c.* k) illegitti *c.* l) profundentes *c.* m) et quod et *c.* n) concurrentem *c.* o) amonitus *c.* p) *deest c.*

singula frusta solerter coherentibus artubus adaptaret, unius manus deesse sibi digitum deprehendit, quem quidam ex perfidis abscisum propter annulum, abstracto eum, in flumine proiecerat[a]. Hunc itaque sollicitus pluribus diebus hinc inde perquirens, et loca queque perscrutans, minime reperiebat; die autem quadam uxor eius mirata super hoc interrogavit eum, quidnam foret, quod tam anxius tantum queritans circuiret. Qui primo ullo modo revelare noluit[b], sed tandem victus tedio ex inprobitate[b*] coniugis, secretum sibi propalavit; que mox utpote infidelis vicinis prodidit, qualiter apud virum suum sacre exuvie[c] collecte atque recondite haberentur. Cuius prodicionis quia vir auctor fuerat, illico os eius ita inversum est monstruose, ut vix sumere cibum et potum, nullatenus loqui posset. Pagani autem, ex iudicio in virum impetu facto, multis eum verberibus afficiunt, ac in vincula coniectum variis affligunt suppliciis, ut sanctas reliquias eis monstret. Denique relinquens mandatum Dei, derelictus est ab eo; et traditus iniuste potestati impiorum, satisfecit ipsorum voluntati. Traduntur tamen sancta membra prophanis manibus asportanda; que cum disposicione superna reverenter ipsi barbari custodierunt, vel quia si hoc non facerent flagello divino percuti formidabant, aut quia christianis ea vendere cogitabant. Illi vero qui digitum sancti pontificis in piscis ventre reperuerunt, properanter[d], ut legitur, illos, aput quos veneranda membra esse noverant, adierunt, omnesque sancti corporis digitum lumine celesti conspiciunt radiare; ad quod spectandum miraculum tota villa confluens et stupens, corpus beatum tanto clarificatum prodigio[e] deinceps ampliori reverencia confirmabant. Porro scientes Pruteni, reliquias martyris gloriosi principi christianissimo duci Polonie magno Boleslao preciosas existere, mittunt ad eum nuncios dicentes: *Noveris, illum deum tuum, quem interfecimus, apud nos esse. Si vis magnam nobis dare pecuniam, prompti sumus transmittere illum tibi.* Audiens hoc nobilissimus princeps, gavisus est gaudio magno, et mittens precium postulatum, suscepit cum veneracione debita corpus sacrum. Fertur factum mirabile in virtute Dei, quia corpus illud, quod templum atque organum Spiritus sancti extiterat, ex pacto paganorum de pecunia reponderari deberet: positum in statera, levissimum factum est, quod quasi[f] nichil omnino indice equa lance appendere videatur. Cum deferretur[g], ad cenobium quod Gnesna nuncupatur pervenit, ibique de assensu predicti ducis cum congrua veneracione est primitus collocatum. Crebrescentibus igitur et longe lateque circumsonantibus[h] gloriosi pontificis signorum preconiis, vir ille qui hospes in Pruscia fuerat, cui reatus suus os intorserat, ad prefatum monasterium cum devocione venit, et fusis precibus cum lacrimis, in animo contrito ad sanctum Adalbertum continuo usu sermonis sibi reddendo plenissime est curatus, et confirmatus in bono, usque in finem vite sue Deo et hospiti suo sancto martyri in sancta conversacione serviens permansit ibidem. Post aliquantulum vero temporis orto bello inter paganos finitimos et Polonos, metuens princeps memoratus, ne forte aliquo sinistro bellorum eventu tantum thesaurum perdere posset, sacras reliquias cum ingenti gloria 8. Ydus Novembris in Gnesen transtulit, ubi per ipsius martyris gloriosi merita mirabilia multa fiunt[i].

9. Denique Otto imperator, qui beatum Adalbertum in vita sua preceptorem, in iustificacionibus Dei familiarem atque amantissimum habuerat, in gravem egritudinem Rome existens decidit, et spe salutis medicorum[k] iam omnino fuerat destitutus. In extremis igitur positus, apostolos aliosque sanctos patronos Urbis pro vita conservanda suppliciter invocabat. Sed cum nullo[l] modo sibi adesse sentiret auxilium, ad sui pii[m] patris beati Adalberti se convertit patrocinium flagitandum[n], cuius plurima preclara miracula cognoverat, votum vovens, quod si eum liberaret, ipsius vellet limina in persona propria visitare. Mira res, quia mirabilis Deus in sanctis suis. Vix verba finierat, et ecce subito penitus sanus factus est cunctis stupentibus, surgensque in momento papam adiit, miraculum quoque ac votum ipsi ex ordine patefecit. Qui gavisus est, et Dominum, qui sanctos suos ita glorificat, in beato Adalberto glorioso suo martyre benedixit. Cum[39] igitur dictus imperator Otto tercius pro expleto voto in Poloniam advenisset, exceptus est in magnificencia et gloria magna a prefato duce Polonie Boleslao. Stravitque ei viam publicam de baldekinis et sammitis diversisque preciosis sericis ornamentis ad duo magna miliaria usque in Gnesen in templum ad tumbam sancti Adalberti. Videns autem christianissimus augustus circa eundem ducem tantam diviciarum opulenciam frequenciamque et excellenciam regii apparatus in ministeriis, cibis et potibus, vasis aureis ac argenteis aliisque munificenciis, se quoque ab eo tam regali supra modum decencia susceptum et pertractum, dixit ad principes qui secum erant: *Magis decet talem principem esse consortem imperii quam subiectum.* Sumptoque[40] dyademate de capite suo, imposuit super caput ipsius, de consensu principum presencium ipsum regem Polonie coronavit. Sic itaque occasione veneracionis beati Adalberti gloriam regni primum Polonia adepta est, ceperuntque principes eius extunc non esse subiecti regibus Romanorum. Iste[41] rex Polonorum, dictus victoriosus et pius Boleslaus, dilatavit terminos regni et famam celeberrimam gentis sue, a Danubio siquidem, magno flumine regni Ungarie, usque ad Salam, fluvium Saxonie, apud Hallis, et a Kiwe, que est Rusie metropolis, usque ad montes Karinthie, principatus eius dominium tendeba-

a) proicerat *c.* b) uoluit *c.* b*) importunitate? c) eximie *c.* d) properantur *c.*? e) prodigiti *c.* f) quia *c.* g) deferetur *c.* h) circumdon. *c.* i) fuerit *c.* k) *bis scriptum c.* l) ullo *c.* m) piis *c.* n) flagittandum *c.*

39) De sequentibus cf. Martini Galli chronicon, Gedani 1749. fol. p. 60. 61. ubi haec in libro de passione Adalberti legi dicuntur. 40) cf. Vitam S. Stanislai et Voigt hist. Pruss. I. 277. 41) cf. Boguphali chron. in Sommersberg SS. Siles. II. p. 25.

tur. Huic[42] successit filius eius Mesco in regnum.
43 Post quem[a] filius eius Kazmirius ex sorore[43] Ottonis imperatoris predicti cognominatus Karolus tercius regnavit, et post hunc quartus regnum tenuit filius eius Boleslaus dictus bellicosus, sed sceleratissimus, qui sanctum Stanislaum venerabilem virum, episcopum Cracoviensem[b], pro eo quod ipsum pro iniquitatibus suis argueret, interfecit; in quo defecit regnum et usque ad presens tempus deinceps rex in Polonia non surrexit. Dedit ergo in prefata coronacione Otto imperator regi Boleslao pro insigniis regalibus lanceam beati Mauricii et unum ex clavis Domini, filioque eius Mezconi sororem suam despondit in uxorem. Boleslaus[44] autem rex inter plurima excellencia[c] munera brachium sancti Adalberti cesari clarissimo obtulit, quod ille super omnia dona gratissime acceptavit, et gaudens ad propria est reversus, gratias agens Domino, cuius regnum eternum est et imperium super omnes in secula seculorum, amen.

EX VITA SANCTI NILI[1].

89. . . . *Οὕτω δὲ πεποίηκεν[2] καὶ εἰς τὸν συμπολίτην αὐτοῦ Φιλάγαθον τὸν ἀρχιεπίσκοπον. Ἡνίκα*
997. *γὰρ ὁ ῥηθεὶς ἐπέβη τῷ Ῥώμης ἀπλήστως θρόνῳ, μὴ ἀρκεσθεὶς τῇ τοῦ κόσμου μεγαλειότητι, ᾗ Θεὸς παραδόξως αὐτὸν ὑπερύψωσεν· ἐν ἄμφω γὰρ τοῖς βασιλείοις δεδόξαστο· ὁ μὲν οἷα γινώσκων τὸ μέλλον, ἐπέστελλεν αὐτὸν δυσωπῶν παραχωρῆσαι τῇ ἀνθρωπίνῃ δόξῃ, ἅ τε ταύτης εἰς κόρον χρησάμενον, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ πρὸς τὴν μοναχικὴν κατάστασιν ἀνακάμψαι. Ἐκεῖνος δὲ οὐ διέλιπεν συντασσόμενος, ἕως ὅτου ἐξῆλθεν ὁ βασιλεὺς σὺν τῷ ἐκδιωχθέντι προέδρῳ[3], καὶ τῆς αὐτῶν ἀφορή-*
998. *του ὀργῆς ἔργον ἐγενέτο. Στερηθεὶς γὰρ παρ' αὐτῶν τῶν χρειωδεστέρων μελῶν, ὀφθαλμῶν, λέγω, καὶ γλώττης καὶ ῥινὸς, ἔῤῥιπτο εἰς φυλακὴν ἐλεεινός τε καὶ ἀπροστάτευτος. Ταῦτα ἀκούσας ὁ θεοφόρος πατὴρ, καὶ τὴν καρδίαν τῇ θλίψει καταπιεσθεὶς, ἠναγκάσθη ἐν τοιούτῳ γήρᾳ καὶ νόσῳ καὶ καιρῷ· τεσσαρακοστὴ γὰρ ἦν· τὴν Ῥώμην καταλαβεῖν, καὶ τῷ βασιλεῖ μετὰ παρακλήσεως προσελθεῖν. Ὁ δὲ βασιλεὺς σὺν τῷ πατριάρχῃ ἀκούσαντες τὴν ἔλευσιν αὐτοῦ, προϋπήντησαν αὐτῷ· καὶ κρατήσαντες αὐτὸν ἀμφοτέρωθεν τῶν χειρῶν, ἀνήγαγον εἰς τὸ πατριαρχεῖον, καθίσαντες αὐτὸν μέσον· κἀκεῖνοι ἐκ δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν κατεφίλουν τὰς χεῖρας αὐτοῦ.*

90. *Ὁ δὲ ὅσιος, εἰ καὶ σφόδρα ἐβαρύνετο καὶ ἔστενεν ἐπὶ τοῖς οὕτω γινομένοις, ὅμως πάντα ὑπέμενεν, εἴ πως ἐπιτύχοι τοῦ αἰτήματος· καί φησι πρὸς αὐτοὺς· Συγχωρήσατέ μοι διὰ τὸν Κύριον τῷ ἁμαρτωλῷ παρὰ πάντας ἀνθρώπους καὶ ἡμιθνήτῳ γέροντι, ὅτι ἀνάξιος ὑπάρχω τῆς τοιαύτης τιμῆς· μᾶλλον ἐμόν ἐστι τὸ προσκυνεῖν τοὺς τιμίους πόδας ὑμῶν, καὶ σέβεσθαι τὰς τοιαύτας ἀξίας ὑμῶν. Πλὴν ἐλήλυθα πρὸς τὴν ἐνδοξότητα ὑμῶν, οὐ δόξης ὀρεγόμενος, ἢ δωρεῶν, ἢ προσόδων μεγίστων, ἀλλὰ χάριν τοῦ πολλὰ δουλεύσαντος ὑμῖν, καὶ κακῶς διοικηθέντος παρ' ὑμῶν· τοῦ ὑμᾶς ἀμφοτέρους ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος ἀναδεδεγμένου, καὶ παρ' ὑμῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορωρυγμένου. Δέομαι τῆς φιλευσεβείας ὑμῶν δωρήσασθαί μοι αὐτὸν, ἵνα καθίσας μετ' ἐμοῦ, κλαύσωμεν ἀμφότεροι τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Τότε ὁ βασιλεὺς ἐπιδακρύσας μικρὸν· οὐ γὰρ ἦν ἀλη*

Quod idem fecit pro Philagatho archiepiscopo cive suo. Quando enim ille insatiabili aviditate Romanam sedem invasit, non contentus mundano fastigio, ad quod illum Deus praeter opinionem evexerat — nam apud utrumque imperium magnos honores adeptus erat — sanctus pater, quippe qui praevidebat quod futurum erat, scribebat illi rogans, ut humanam non affectaret gloriam, quod ea iam exsatiatus esset, sed ad quietem status monastici remearet. Ille vero dum se ad hoc parare dicit, advenientibus imperatore et praesule eiecto, intolerandam eorum expertus est iram. Orbatus enim per ipsos maxime necessariis membris, oculis, inquam, lingua et naso, coniectusque in carcerem plenus miseriarum et omni ope destitutus iacebat[4]. His auditis, Deo plenus pater, moerore cordis urgente, coactus fuit homo id aetatis, tam gravi morbo affectus et id temporis — quadragesimale enim agebatur ieiunium — Romam proficisci et supplicibus votis adire imperatorem. Imperator autem cum patriarcha, audito eius adventu, prodiere obviam et prehensa hinc inde manu eius, adduxerunt in patriarchium, medium sedere iubentes, illi vero ad dextram et sinistram manus eius deosculabantur.

90. At vir sanctus licet ad haec nimium affligeretur et gemeret, omnia tamen sufferebat, si quo pacto posset obtinere quod petebat, et ait ad illos: „Ignoscite mihi omnium maximo peccatori et semimortuo seni per Dominum, indignus enim sum tanto honore. Meum potius est procumbere ad honorabiles vestros pedes et venerari tam eximias vestras dignitates. Sane accessi ad gloriam vestram non gloriae cupidus, aut largitionum aut maximorum proventuum, sed in beneficii loco petiturus illum, qui multum vobis inservivit et male a vobis tractatus est, qui utrumque vestrum de fonte baptismatis suscepit, et oculorum a vobis erutorum luce privatus est. Obsecro studium pietatis vestrae, ut illum mihi dono detis, quo mecum sedeat, simulque peccata nostra defleamus.“ Tunc imperator paulum collacrymatus — neque enim totum, quod successerat, erat revera de eius con-

a) quam *c.* b) draconiensem *c.* c) excelencia *c.*

42) De sequentibus cf. Martini Galli chron. p. 68. et Boguphalum p. 25. 43) ex Richeza, filia Mathildis, sororis Ottonis III. 44) cf. Martini Galli chr. p. 61. et Boguphal. p. 25. 1) Haec ex Actis SS. Sept. VII. p. 336., ubi M. Caryophili editio Romana a. 1624. repetita est, sumpsimus. Vitae scriptor s. Nilo coaevus erat, fortasse Bartholomaeus abbas Cryptae ferratae tertius post Nilum. 2) Nilus. 3) Gregorio V. cf. Chron. Sagorninum ed. Zanetti p. 93. 4) cf. Petri Dam. Ep. I, 21. et Transl. S. Iustinae Act. SS. Sept. VII. p. 259.

θῶς τὸ πᾶν τῆς αὐτοῦ βουλῆς· ἀπεκρίθη τῷ μακαρίῳ· Πάντα ἐσμὲν ἕτοιμοι τοῦ πληρῶσαι τὰ δοκοῦντα τῇ σῇ ἁγιωσύνῃ, εἴγε καὶ σὺ ἐπακούσῃς τῆς ἡμῶν παρακλήσεως, καὶ καταδέξῃ τοῦ λαβεῖν μοναστήριον ἐν ταύτῃ τῇ πόλει, οἷον ἂν βούλῃ, καὶ εἶναι μεθ᾽ ἡμῶν διὰ παντός. Τοῦ δὲ γέροντος ἀπαναινομένου τὴν ἐν τῇ πόλει διατριβὴν, προέτεινεν αὐτῷ τὸν ἅγιον Ἀναστάσιον, ὡς ἔξω θορύβου ὑπάρχοντα, καὶ ἀεὶ τῷ ἡμετέρῳ γένει προσαναφέροντα. Καὶ δὴ κατεδέξατο σπουδάζων τοῦ ζητουμένου τυχεῖν δωρήματος. Ὁ δὲ ἄγριος πάπας ἐκεῖνος μὴ χορτασθεὶς ἐφ᾽ οἷς ἔπραξεν εἰς τὸν προῤῥηθέντα Φιλάγαθον· ἀγαγών τε αὐτὸν, καὶ τὴν ἱερατικὴν στολὴν διαῤῥήξας ἐπ᾽ αὐτῷ, περιήγαγεν αὐτὸν πᾶσαν τὴν Ῥώμην.

91. Ὅπερ ἀκούσας ὁ ἅγιος γέρων, καὶ πάνυ λυπηθεὶς, οὐκέτι ᾐτήσατο παρὰ τοῦ βασιλέως τὸν ἀρχιεπίσκοπον. Ὡς δὲ ἔγνω τοῦτο ὁ βασιλεὺς, ἀποστέλλει ἕνα τοῦ αὐτοῦ ἀρχιεπισκόπων λίαν στωμύλον πρὸς τὸ δυσωπῆσαι τὸν γέροντα. Πρὸς ὃν εἶπεν ὁ ὅσιος· Ἄπελθε, εἰπὲ τῷ βασιλεῖ καὶ τῷ πάπᾳ· Τάδε λέγει ὁ ἔξηχος γέρων· Ἐχαρίσασθέ μοι τὸν τυφλὸν τοῦτον οὔτε διὰ τὸν ἐμὸν φόβον, οὔτε διὰ τὴν μεγάλην μου δυναστείαν, ἀλλὰ διὰ μόνην τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην. Νῦν οὖν ὅσα αὐτῷ προσεθήκατε, οὐκ αὐτῷ ἀλλ᾽ ἐμοὶ ἐποιήσατε, μᾶλλον δὲ εἰς αὐτὸν τὸν Θεὸν ἐνυβρίσατε. Ἔστε τοίνυν γινώσκοντες, ὅτι καθὼς ὑμεῖς οὐ συνεπαθήσατε, οὔτε ἐνεδείξασθε ἔλεος εἰς τὸν ὑπὸ Θεοῦ παραδοθέντα εἰς τὰς χεῖρας ὑμῶν, οὕτως οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς συμπαθήσει τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν. Ὁ δὲ πολυλόγος ἐκεῖνος ἀρχιεπίσκοπος περιλαλῶν τὸν ὅσιον οὐκ ἐπαύετο, ἀπολογούμενος ὑπὲρ τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ πάπα. Καὶ ὁ γέρων κλίνας τὴν κεφαλὴν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, προσεποιήσατο τοῦ νυστάζειν. Ὡς οὖν εἶδεν αὐτὸν ἐκεῖνος μηδόλως προσέχοντα τοῖς αὐτοῦ λόγοις, ἀναστὰς ἐπορεύθη. Ὁ δὲ ὅσιος παρευθὺς σὺν τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ ἀδελφοῖς ἐπιβὰς τοῖς κτήνεσι, δι᾽ ὅλης τῆς νυκτὸς ἐκείνης κατέλαβε τὸ ἴδιον μοναστήριον, τῇ προσευχῇ καὶ ἑαυτῷ προσανέχων, καὶ τὸν Θεὸν ἀπαύστως ἐξιλεούμενος. Μετ᾽ οὐ πολλὰς οὖν ἡμέρας ὁ μὲν πάπας ὥσπερ τις τύραννος βιαίως τῶν ἔνθεν ἀπήγετο, ὥς τινων λεγόντων ἀκήκοα, τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκβρασθεὶς, καὶ ἐπὶ τῶν παρειῶν αὐτοὺς περιφέρων οὕτω τῷ τάφῳ παρεδίδοτο. Ὁ δὲ βασιλεὺς μετανοεῖν ἐπαγγελλόμενος, πεζοπορῶν ἀπὸ Ῥώμης πρὸς τὸν τοῦ Γαργάνου ἀπῄει ἀσώματον ἀρχιστράτηγον· καὶ ἡ αὐτοῦ ὑποστροφὴ διὰ τῆς ξενίας τοῦ μακαρίου ἐγίγνετο.

92. Ἐλθὼν οὖν ἐπάνωθεν τοῦ μοναστηρίου, καὶ θεασάμενος τὰς καλύβας τῶν ἀδελφῶν περὶ τὸ εὐκτήριον πεπηγμένας, ἔφη· Ἰδοὺ αἱ σκηναὶ τοῦ Ἰσραὴλ ἐν ἐρήμῳ· ἰδοὺ οἱ πολῖται τῆς οὐρανῶν βασιλείας· οὗτοι οὐχ ὡς κάτοικοι, ἀλλ᾽ ὡς παροδῖται ἐνθάδε μένουσιν. Ὁ δὲ μακάριος κελεύσας θυμιατὸν γενέσθαι, ὑπήντησεν αὐτῷ σὺν πάσῃ τῇ ἀδελφότητι· καὶ μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ εὐλαβείας προσεκύνησεν αὐτῷ. Ὁ δὲ βασιλεὺς ὑποθεὶς τὴν χεῖρα καὶ ὑποστηρίζων τὸν γέροντα εἰσῄεσαν ἅμα εἰς τὸ εὐκτήριον. Εἶτα εὐχῆς γενομένης, εἶπεν ὁ βασιλεὺς τῷ ἁγίῳ· Ὁ

silio — respondit beato viro: „Parati sumus ad impendenda omnia, quae tuae pietati placent, si et ipse nostram petitionem audiveris et non dedignatus fueris accipere monasterium in hac urbe, quodcumque volueris, ut nobiscum perpetuo maneas." Recusante sene commorationem in urbe, protulit illi sanctum Anastasium, procul a turba positum et Graecanicae genti semper addictum. Itaque annuit, cupiens sibi donari quod petebat. Verum papa ille immitior non expletus malis, quibus Philagathum, de quo supra memini, affecerat, produxit illum, et sacerdotali habitu super ipsum discisso, circumduxit per totam urbem.

91. Quo audito, sanctus senex vehementer indoluit, nec amplius ab imperatore archiepiscopum petiit. Quod ubi animadvertit imperator, misit quemdam de suis archiepiscopis blando praepotentem eloquio, qui senis animum leniret. Ad quem vir sanctus: „Vade, inquit, dicito imperatori et papae: Haec ait delirus ille senex: Donastis mihi hunc caecum, non ob mei timorem, non ob magnam meam potentiam, sed ob unius Dei amorem. Nunc igitur quaecumque illi mala addidistis, non ipsi, sed mihi fecistis, quin imo in Deum ipsum contumeliosi fuistis. Estote igitur scientes fore, ut quemadmodum vos non doluistis vicem, nec miserti estis eius, quem Deus tradidit manibus vestris, ita vobis quoque pater coelestis peccata nequaquam dimissurus sit." At verbosus ille archiepiscopus sanctum virum sermonibus onerabat, excusando imperatorem et papam. Quare senex, demisso ante illum capite, dormitare se simulabat. Et is cum vidisset, sermones suos prorsus non attendi, recessit. Statim ergo vir sanctus cum sociis fratribus conscensis equis per totam illam noctem confecit iter, pervenitque ad suum monasterium, orationi sibique vacans Deumque iugiter propitians. Non multos post dies papa quidem numero vivorum vi exturbabatur quasi tyrannus, ut dicentes quosdam audivi, et effossis sibi oculis, 999. Febr. quos pendentes ad genas ferebat, ea pompa sepulturae mandabatur[5]. Imperator autem poenitentiae causa susceptum indicans laborem, ab Urbe ad Garganum pedibus iter fecit, veneraturus Michaelem archangelum[6]; in reditu beati viri hospitium invisit.

92. Cum igitur ex editiori loco monasterium conspexisset et fratrum tuguria circa oratorium fixa: „Ecce, inquit, tabernacula Israel in deserto! Ecce regni coelorum cives! Hi non ut habitatores, sed ut viatores hic manent." At sanctus vir iussit thuris suffitum praeparari, quo obviam illi profectus est cum universis fratribus; quem etiam summa cum humilitate et reverentia venerabundus salutavit. Et imperator supposita manu, qua subniteretur senex, una cum illo oratorium ingressus est; et peracta oratione, imperator viro sancto: „Dominus, ait, noster Iesus Christus quamdiu fuit Marc. 6, 8.

5) Haec nimis a vero abhorrent. 6) cf. infra Vitam S. Romualdi.

*Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἕως συμπαρῆν τοῖς
ἀποστόλοις, ἐκέλευεν αὐτοῖς μὴ πήραν, μὴ ῥάβ-
δον, μήτε μὴν δύο χιτῶνας κεκτῆσθαι. Ἐρχόμενος
δὲ πρὸς τὸ πάθος, πάλιν εἶπεν αὐτοῖς· Ἀλλὰ νῦν*
Luc. 22, 36. *ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω καὶ πήραν. Καὶ αὐτὸς
τοίνυν γηράσας, καὶ μέλλων ἀπιέναι πρὸς τὴν
τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, φρόντισον τῶν σῶν γεννη-
μάτων, μήπως στενοχωρηθέντες μετὰ σὲ τῇ δυσκο-
λίᾳ τοῦ τόπου, ἀναχωρήσαντες σκορπισθῶσιν.
Ἡμεῖς δώσομεν μοναστήριον καὶ προσόδους,
ὅπου ἂν κελεύσῃς ἐν ὅλῳ τῷ ἡμετέρῳ κράτει. Ὁ
ὅσιος ἀπεκρίθη· Τοῦ Δαβὶδ ἤκουσα λέγοντος·*
Psalm 11, 2. *Σῶσόν με, Κύριε, ὅτι ἐκλέλοιπεν ὅσιος, ὅτι ὠλι-
γώθησαν αἱ ἀλήθειαι, ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώ-*
13, 3. *πων· καὶ πάλιν· Οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα,
οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.*

93. *Εἰ δὲ καὶ ὅλως εἰσὶ μοναχοὶ οἱ μετ'
ἐμοῦ ἀδελφοί, καὶ φυλάξουσι κατὰ δύναμιν τὰς
ἐντολὰς τοῦ Χριστοῦ, αὐτὸς ὁ οἰκονομήσας αὐτοὺς
ἕως τοῦ νῦν μετ' ἐμοῦ, πολλῷ μᾶλλον φροντίσει
αὐτῶν καὶ ἄνευ ἐμοῦ· ὃς οὐκ ἐν τῇ δυναστείᾳ*
cf. Ps. 146,10. *τοῦ δυνατοῦ, οὐδὲ ἐν ταῖς κνήμαις τοῦ ἀνδρὸς
εὐδοκεῖ, ἀλλ' ἐν τοῖς ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸ ἔλεος
αὐτοῦ. Τούτων καὶ ἑτέρων πολλῶν λαληθέντων
ἀνέστη ὁ βασιλεὺς ἀναχωρῆσαι. Καὶ πάλιν ἐπι-
στραφεὶς πρὸς τὸν γέροντα εἶπεν· Αἴτησόν μοι
ὡς τέκνον σου, εἴ τι ἂν βούλῃ, καὶ μετὰ πάσης
προθυμίας πληρώσω σοι. Ὁ δὲ μακάριος ἐκτεί-
νας τὴν χεῖρα πρὸς τῷ στήθει τοῦ βασιλέως, εἶ-
πεν· Οὐδὲν ἄλλο δέομαι τῆς σῆς βασιλείας, ἀλλ'
ἢ τὴν σωτηρίαν τῆς ψυχῆς σου· κἂν γὰρ βασι-
λεὺς τυγχάνῃς, ἀλλ' ὡς εἷς τῶν ἀνθρώπων τελευ-
τῆσαι ἔχεις, καὶ εἰς κρίσιν παρασταθῆναι, καὶ λό-
γον δοῦναι ὧν ἔπραξας πονηρῶν τε καὶ καλῶν ἔρ-
γων. Καὶ ὁ βασιλεὺς ταῦτα ἀκούων σταγόνας
δακρύων προέχεεν ἀπὸ τῶν ὀμμάτων. Εἶτα τὸν
στέφανον κλίνας ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ ἁγίου, καὶ εὐ-
λογηθεὶς παρ' αὐτοῦ σὺν πᾶσι τοῖς μετ' αὐτοῦ,
ἐπορεύετο τὴν ὁδόν. Ἀλλ' οὐδ' οὕτως ἐξέφυγε
τῶν τοῦ Θεοῦ κριμάτων τὸ πέρας. Εὐθέως γὰρ
ἐλθὼν ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ στάσεως αὐτῷ γενομένης*
1002. *ἀνεχώρησε φεύγων, καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν ἐτελεύτησεν.*
Ian 13. *Οἱ δὲ πατέρες διεγόγγυζον κατὰ τοῦ γέροντος ὡς
μὴ δεξαμένου τὴν πρὸς τοῦ βασιλέως χάριν, μο-
ναστήριον αὐτοῖς δωρήσασθαι βουλομένου. Ὁ δὲ
πατὴρ πρὸς αὐτοὺς ἔφη· Ἐγὼ μὲν ὥσπερ ἄφρων
ἐλάλησα ἅπερ εἶπον, ὑμεῖς δὲ μετ' ὀλίγον γνώ-
σεσθε ἃ φρονεῖτε. Μετὰ ταῦτα γοῦν ἀκούσαντες
τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως, ἐθαύμασαν τὴν τοῦ
μεγάλου οἰκονομίαν.*

cum apostolis, mandabat eis, ne peram, ne virgam, neve duas tunicas possiderent. Cum vero ad passionem ibat, rursus aiebat: „Sed nunc, qui habet sacculum, tollat et peram.“ Ergo tu quoque cum iam senueris et vicina tibi sit migratio ad regnum coelorum, suscipe curam tuorum filiorum, ne forte in angustias redacti, quando non eris, ob loci difficultatem recedentes dispergantur. Nos dabimus monasterium et proventus, ubicumque tibi collibuerit per totam ditionem nostram.“ Ad quae vir sanctus: „Audivi dicentem David: Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum; praeterea: Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.“

93. „Quod si fratres, qui mecum sunt, omnino monachi sunt et mandata Christi pro viribus curaverint, ipse, cui de illis curae fuit usque adhuc me superstite, multo magis et sine me cura eos sua complectetur; cui non in potentia potentis nec in tibiis viri beneplacitum est, sed in eis, qui sperant super misericordia eius.“ Haec et multa alia cum essent collocuti, in viam se imperator dedit, et conversus iterum ad senem dixit: „Pete a me perinde ac filio quicquid volueris, et praestabo cum omni alacritate.“ Et vir sanctus, extensa manu ad pectus imperatoris, dixit: „Nihil aliud rogo ab imperio tuo nisi animae tuae salutem; nam licet imperator sis, tamen ut mortalis homo moriturus es et iudicio sistendus, rationemque redditurus eorum, quae sive bona sive mala egeris.“ Quae imperator audiens, lacrymarum guttas fundebat ex oculis; deinde corona demissa in manus beati viri, et benedictione percepta, cum toto suo comitatu commisit se viae. Nec tamen effugit iudiciorum Dei exitum; nam ubi primum Romam pervenit, seditio in ipsum coorta est, quam fugiens in itinere defunctus est. At vero patres de sene conquerebantur, quod reiecisset munus imperatoris monasterium illis largiri volentis. Et pater ad eos: „Ego quidem, quae dixi, ut insipiens locutus sum; vos autem non multo post intelligetis, quis vester sit sensus.“ Itaque cum audissent de imperatoris morte, admirati sunt eximii viri prudentiam.

EX MIRACULIS S. ALEXII[1]. 1

1. . . . Fratres quidam Teutonici bene religiosi, horum beatissimorum famam audientes, praefatum locum pura caritate iuncti[a] petere ibique vitam finire decreverunt. Quorum votum piissimus Conditor praenoscens, effectui mancipavit. Namque venire permisit, sed in longum eorum vivere non protraxit, ut cito cum eis essent in coelis, quos in terris per iuga montium, per vallium concava indeficienti desiderio quaesierunt. Hi vero servientem quendam Wizolum nomine secum duxerunt, quem abeuntes in monasterio reliquerunt[b] . . . .

2. Non solum qui assiduitate Romam, plus solius Petri potestate quam regum iudicio urbium dominam, incolunt, verum etiam qui a diversis mundi partibus eam expetunt, preciosissimum sciunt templum corporibus sanctorum Christi martyris Bonifacii et confessoris Alexii decoratum. In quo dum fama sacrae religionis cresceret, quidam nobilitate carnis pollens et divitiis affluens, monachicum habitum, abrenuntians quae saeculi sunt, suscepit, Iohannes Canaparius. Qui dum in saeculo esset, multos amicos, propinquos et fideles sincera caritate devinxerat, eundem locum secum petere, eundemque habitum suscipere. Set, ut est hominum, omnes pene declinaverunt retrorsum; et quem colentem mundum diligebant, tollentem crucem suam et sequentem Iesum sequi neglexerant. E quorum numero extitit, de quo dicere volo, convicaneus et compater eius Franco, cognomento Maringus, homo non ignobilis, nec adeo pauper, et saeculari scientia plus iusto refertus. Hic autem ea tempestate, qua Iohannes papa agnomento Gallinâs[2] praesulabat, residens ante venerabilium martyrum aecclesiam Cosmae et Damiani, via sacra, turgente gutture, vicina morte se premi vero omine suspicatus est. Nam innumera multitudo hominum illa clade perierat, quae sibi spem vivendi funditus abstulerat. Mox itaque data dextra cuidam sibi astanti, ad monasterium praedictorum sanctorum Bonifacii et Alexii citissime deduci se petiit, inmemor parentum et horum, quae paulò ante se praepedierant. Ubi adveniens viribus deficientibus et anhelitu intercidente, compatri suo velle se loqui simulatus est. Quod ubi ex more nuntiatum, digna licentia abbatis Leonis, qui tunc eidem monasterio praeerat, introductus est, et deductus est ante aecclesiam sanctorum, quo praestolabatur eum nominatus Iohannes Canaparius, volvens animo, ad hoc illum venire vespertino tempore quod promiserat; nam idem Franco aetate vespertinus erat. Quem videns aegrotus, genibus eius advolutus, rauca voce talia coepit: *Eia compater, eia domine, recipe me fallacem, recipe me infidelem, assigna me tuis dominis Bonifacio et Alexio! Fac me unum servum eorum! quia scio, et veraciter scio, quod nisi eorum patrocinio non liberabor a potestate iniquorum spirituum, quibus ab ipsis cunabulis servivi. Quare moram patior, benignissime? Putasne, despicis me, quod invitus tuos requiro dominos? Et ubi est quod mihi persaepe dicebas, quia et invitis salus praestatur? Sancte Bonifaci, adiuva me! sancte Alexi, succurre mihi!* Talibus denique perculsus praelibatus Iohannes Canaparius, abbatem convocavit et fratres. Quibus rei veritatem ordine narrans, monachum illum fieri rogavit, sine intermissione clamantem: *Sancte Bonifaci, sancte Alexi, servus vester sum, et etiam servus servorum vestrorum.* Cuius desiderium cognoscentes, ante venerandam crucem eum statuerunt, monachumque cum multis lacrimis fecerunt. Postquam igitur haec acta sunt in monasterio, volens Deus ostendere, quantum intercessione horum sanctorum flectatur ad misericordiam, et quam misericorditer liberet peccatores ad eos confugientes: permisit cuneum equestrium armatorum malignorum spirituum per[c] supradictam viam sacram visibiliter descendere, praedictum Franconem requirentem, quem iudiciaria diffinitione servum se vicisseglorianter iactabant. Taliter enim altercando taliterque perquirendo, visi sunt venisse ad portam monasterii. Ubi non invenientes eum, reversi sunt tristes, multa nefanda iactantes in sanctos. Qui dum requisiti fuissent a vicinis monasterii, quid hoc esset, responsum est, Franconem servum eorum tulisse Bonifacium et Alexium. 2 Et mussitando adiciebant, remansisse per quod eum vincere putabant. Quod ubi abbati et fratribus ab audientibus nuntiatum est, subtiliter perquirentes, promissionem regularem non illum fecisse invenerunt. Qua studiosissime facta, anima illa carne soluta est. Ex quo datur intellegi, quod misericordissimus Deus, quem cuncta monachici ordinis implere permisit, meritis sanctorum Bonifacii et Alexii, quorum suffragium toto corde petierat, ab omnibus insidiis inimicorum eripuit ad laudem et gloriam nominis sui.

3. Bonae[d] memoriae tertius Otto Romanorum imperator augustus locum hunc toto mentis diligebat affectu, cui dona multa largitus est, non dubitans, se recepturum recompensationem a iustissimo iudice Deo, suffragantibus meritis sanctorum Christi martiris Bonifacii et confessoris Alexii; inter

a) vincti *ed.* b) *quae praecedunt in* 1. *desiderantur.* c) p. s. v. s. v. d. p. f. r. *desunt* 1. d) Divae 2. 3.

1) Haec scripta sunt ante a. 1012. quo Benedictus Cardinalis cathedram Romanam sub Benedicti VIII. nomine ascendit. Textum dedi ope 1. codicis regii Stuttgardiensis olim Zwifaltensis saec. XII. medii, quocum 2. codex monasterii SS. Alexii et Bonifacii in Actis SS. Iul. IV. p. 258 sqq. concordat. 3. Baronius codici Casinati innixus textum interpolationibus corrupit. 2) Iohannes XVIII. qui et Fasanus, a. 1003—1009.

quae manthum, quo tegebatur coronatus, in quo omnis Apocalipsis[a] erat auro insignita, eis supplex obtulit, et altari sancti Alexii decentissime coaptavit, perpetuo inibi mansurum optans. Cuius votum floccipendens Adelbertus abbas, de quo multa dicere dignum modo non arbitror, ut erat impudens, vestem ipsam, non causa utilitatis monasterii, set nequitia sua cogente, aliquibus dedit in pignore, apud quos mansit, quousque, scelere suo petente, vita privari meruit. Quae denique vestis deinde vendita est[b] ad manus cuiusdam primicerii iudicum nobilissimi et prudentissimi, qui saeculari prudentia potius fervens, non eam agnitam reddidit sanctis, set quasi proprium thesaurum servandam retrusit in archam. Cuius clarissimi confessoris nuditatis et expoliationis Deus miseratus, sicut postea rei probavit eventus, nequissimo ministro flagellandi eum potestatem tribuit. Qui sciens poenitentiam regis pro uxore Abrahae per flagella (Genes. 12) rerum designatam, non a possessis rebus, set ab ipso possessore cepit flagellum; malens illum ex inproviso extinguere, quam flagellatum ad poenitentiam reverti. Namque obviavit sibi iuxta propriam domum, et inter catervas comitantium equitum de equo aspere deposuit, ac elisum paralitica infirmitate attrivit. Fit exsanguis, fit pene exanimis, currit anxia uxor, currunt fratres et tota flebilis domus, mirantur et deflent miserum cadaver; fit strepitus concurrentium, fit luctus maximus; tandem manibus eorum introducitur domum, non ut mederetur, set ut defuncti debitis potiretur. Mox pietas Dei affuit inmensa, volens sibi, cur evenit, clarius ostendere; et vitam sibi servavit, ac oscitare coegit. Fiunt alta silentia, imponitur modus gemitibus; quaeruntur medici, nec inveniuntur qui proficere valeant. Expectabatur itaque sola divina medela per aliquod dies. Cum ecce intempestae noctis silentio, ut firmius haberetur, non uxori, non filiis, non propinquis, set sibi paralitico, sibi muto, sibi omnem cibum fastidienti visi sunt sancti Bonifacius et Alexius, sicut idem retulit, torve in se aspicientes ac agitantes capita et dicentes: *Putabasne te sanum nostra veste uti, nobis expoliatis?* Quos cum requireret tremula voce, qui essent vel unde, aiunt: *Ego Bonifacius sum, iste vero est homo Dei Alexius, quem tu expoliatum habes.* Et conversus, sustentans pallium auro gemmisque insigne, quo tegebatur, ostendit humerum sancti Alexii confitentis verecundiam rubore nudum. Quem cum vidisset vitro puriorem, lacte candidiorem, coepit plus ex ipsa visione quam languore deficere. Iterumque audivit: *E lecto isto valens non surges, priusquam mea veste, pro qua percussus es, induar.* Qua miti voce laetus evigilans, balbutiendo coniugem, qui hactenus nec os aperire poterat, appellat suam: *Kara coniunx, compatrem meum Leonem et spiritalem patrem meum Benedictum episcopum Portuensem ad me venire citissime facito.* Erat enim[c] in divinis et humanis disertissimus. Quibus accersitis, quae audierat seriatim exposuit. Tunc episcopus pia laetitia perfusus, talia cum lacrimis coepit: *Gloria tibi, Christe, gloria tibi, Domine, qui irasceris ut placeris, flagellas ut indulgeas, percutis ut sanes! Gloria tibi, bone Iesu, qui loquentem me audire facis, quem mortuum pene dimisi! Procurator animarum et corporum, tua medicamina non curant creticos[d] dies, non petunt Indica pigmenta.* Et conversus ad aegrotum lacrimis madefactum, dixit: *Fili, redde vestem, ut redderis sanitati, credens, quia infectum non remanebit, quod amici Dei tibi interminati sunt.* Cui aegrotus: *Pater, iam vellem, ut supra corpus domini mei Alexii iaceret. Nam et ipsum tempus, quo fiat, magnum mihi videtur.* Statimque allata est vestis. Quam tollentes, venerunt ad monasterium gallicinio eiusdem noctis, et supra venerabile corpus sancti Alexii eam posuerunt. Sicque revertentes, quem iacentem reliquerant, sedentem et glorificantem viva voce invenerunt.

a) a. opere Phrygio e. 3. b) uenta est 2. uenit 3. c) e. Benedictus in 3. d) criticos 3.

PURCHARDI CARMEN

DE GESTIS WITIGOWONIS ABBATIS.

Witigowo[1] *abbas Augiae diviti post Ruodmannum, Sangallensibus infestum,* 1
annis 985—997. praefuit[2]. *Cuius domi forisque gesta Purchart monachus ex decreto patrum Augiensium scribenda suscepit, et anno 993. aut 994. incepta atque ad hoc tempus usque perducta, anno demum 996. continuatione auxit, qua iter Ottonis III. Romanum verbo attigit. Liber sub forma dialogi inter Poetam et Augiam versibus hexametris scriptus, curas abbatis in colligendis bonis monasterii dispersis, in construendis adornandisque ecclesiis recenset, itinera eius in obsequio regis facta et iter Romanum leviter perstringit, et privilegia inde reportata memorat. Versus quisque, quemadmodum supra in Hrotsuithae operibus vidimus, duabus partibus constat, in eundem fere*[3] *sonum exeuntibus.* 3

Codex unicus ex monasterio Augiae divitis bibliothecae Carlsruhanae illatus, referente socio doctissimo et de re nostra optime merito V. Cl. Molter, consiliario intimo et bibliothecae praefecto, nobis innotuit[4], *et Serenissimi* 4
Principis, Leopoldi Magni Ducis Badensis iussu flagitanti mihi transmissus, iam editione nostra exprimetur. Est membranaceus in 4[to] *autographus, manu saeculi X. exeuntis exaratus, ab auctore ipso hinc inde correctus, et calamo paulo graciliori ad finem perductus. Habetur carmen in codice N. CCV. olim signato, foll. 71—84. post Alcuini quaestiones in Genesim et Capitula propositionum ad acuendos iuvenes, atque interpretationem parabolarum Salomonis praecedit, cuius primae paginae partem adversam explet; sed libro pauca ante saecula denuo compacto, ordo paginarum turbatus est, ita ut quae hodie numeris 71, 72, 73—84. continuis male signantur, ut sententiarum ratio indicat, numeris 71, 72, 79, 80, 81, 82, 77, 78, 73, 74, 75, 76, 83, 84. signandae sint; quarum quidem 71—78. quaternionem, 79—82. duernionem efficiunt, 83. dimidiata est, 84. parte aversa Parabolarum initium exhibet. Iam iusto ordine restituto, poetam nostrum audiamus.*

1) Witego vocatur in catalogo abbatum Augiensium. SS. II. p. 38. 2) Herm. Contr. 3) nam e. g. *felix* et *fidelis*, *opibus* et *beatus*, *faceret* et *notarent*, *laudes* et *clemens*, *refers* et *merens* sibi non plane respondent. 4) Archiv II. 393. — Ex Egonis libro de viris illustribus Augiae divitis cap. 24. laudat nostrum Neugart in Episc. Constantiensi I. p. 321, nec tamen poema ipse vidit.

Reverentissimo Augiensium patrum senatui, spiritalem vitam in Christi dilectione possidenti, Purchart, iuxta tantae sublimitatis velle se ut inferiorem in omnibus obedire.

Cum totius fons sapientiae videatur derivatim e vestri cordium fluentis emanare, atque virentia prata vestrorum secundum apostolicam regenerationem filiorum indaganter irrigare, miror, cur me horum omnium stolidissimum, qui nec flosculo exarescentis foeni ulla ratione possum comparari, ad tam sublime opus scribendum sicut in sequentibus apparet eligere dignaremini. Sed me ut existimo scire, vestra paternitas, semper pietatis visceribus redundans, doluit, me somno pigritiae deditum imis incumbere, ac numquam ad aliorum matura studia me ipsum provocando erigere; ac ob id ut credo, non pro idoneae artis peritia, sed ut otio vacanti alicuius operis preberentur medicamina, iniuncta est mihi a vobis sequentium rerum ad explicandam seriem, licet herilis, mihi tamen minus diserto impossibilis oboedientia. Scripsi enim vestra coactus iussione, quando cepit vel quomodo dominus noster venerabilis abbas Witigowo virtutum studiis in hac floruit potestate, quomodo etiam in suae prelationis initio praedia nostra, tempore Ruodmanni abbatis captivata pace, ab invasoribus direpta penitusque vastata, in integrum adquirendo restituit, et quanto ardore in servitio Dei flagrans, ad ipsa divina officia celebranda qualia vel quanta aecclesiarum templa in quibusdam ad nos pertinentibus locis constituit, suisque de rebus opulentissime dotavit. Quid enim per decem annos huius iam prelationis regimen subeundo, in hoc loco fecerit sub aecclesiarum structuris, et in variis diversi operis arcuum columnarumque celaturis, in altaribus quoque et in crucibus auro atque argento fabrefactis, illis quippe preciosis monilibus mira gemmarum textura insertis, non pretermittit intactum stilus haec omnia scribentis. Et quod per singulos annos fecisse probatur, in uniuscuiusque operis consummatione singulariter declaratur. Igitur sub quadam appellatione loci personam feci meis assertionibus occurrere; scribensque sub exametris versibus in pronum currentibus, omnia studui Deo adiuvante vestrisque orationibus fine tenus perficere. — Sed quia vestro, patres reverentissimi, alligatus imperio, licet me per nullum utilitatis incrementum sciam subsistere, et tamen conatus sim me ad ea quasi audacter obicere, quae etiam alii fortioris ingenii expavescendo neglexere, rogo, ut in tam audacibus ceptis non superbam aestimationem meae protervitatis, sed pocius intueri velitis mei humillimam[a] intentionem oboedientis. Si qua etiam reprehensio, quam multam esse non nego, latitantis vitii in hoc opusculo a vobis possit videri, hanc, ne offendiculo fiat vera cognoscere volentibus, latenter emendare dignamini[b].

Incipit hic textus per dicta poetica scriptus,
Floreat in quantis ornatibus Augia felix
Hac in structura, quam fecit nobilis abba
Dans studium Christo, qui nomen habet Witigowo.

POETA[c]. Inquisita refer, quid plores Augia mater,
Auctrix cunctorum Domino donante bonorum;
Vertice crispantes aut quid divellere crines
Tu conare, genas aut dilaniare tenellas?
Quidve rigans lacrimis malas residere videris,
Vultu summisso, veluti sub carceris antro?
Quid pia mater habes, quod sic tua tempora defles,
Aureolae[d] pacis semper vernantia ramis?
An donis Domini vis sic ingrata videri,
Anne recordaris, niteas quo stemmate lucis?
Ipse tibi talem quoniam concessit honorem,
Semet in orbe locus de quo non iactitat ullus.

a) humillam *c.* b) *finis paginae* 71. *Pagina sequenti pictura ostendit, quomodo „rusticus poaeta" terrae prostratus Augiam alloquitur, praesente S. Maria V. cum infante Christo, adstantibus Witigowone abbate et S. Pirminio episcopo; tum pergit:* Incipit *etc.* c) *vox deest.* d) Auraeolae *deleto a c.*

Nam pietate sua sic disponente, remota
Omnibus e terris spetiali pace quiescis,
Libertate potens, terrena negotia spernens,
Solius Domini tantum sociaris amori,
Quod libertatis laus creditur esse perennis,
Servitioque sacrae fervens devota Mariae,
Dignius in terris eius thorus ipsa vocaris;
Quod speciale decus tibi contulit ipse benignus,
Inspirata sacro genuit quem pneumate Virgo.
Cur non exultas, opibus quae plena redundas?
Quod super astra volat, quicquid maris unda ministrat,
Si quid gignit humus, tis[a] suppeditatur in usus.
AUGIA. Fili, quid loqueris? puer es, puerilia dicis.
Quid me vexari luctu mentiris inani?
Cum me despiciat[b], sponsus solamque relinquat,
Acsi captivam, nullo solamine fultam.
POETA. Ut mos est puero si nunc puerilia dico,
Est mihi dicendum, nulla racione silendum,
Numquam femineis credi debere querelis;
Sed, de quo sperni videaris, prode roganti.
AUGIA. Credo, tui cordis non est presumptio talis;
Nescio sed cuius solamine tutus alius,
Plasphemas audes me contra mittere voces.
Non tamen hoc miror, cum sponso spreta relinquor,
Me vilem precii retinent quo iudice cuncti.
Sed non sum vanis mulier clamosa querelis,
Perfectae fidei volo qui[c] succumbere legi,
Pulcher apostolico quam laudat dogmate sermo
Dicens: „Vir talis qui non datur esse fidelis, 1.Cor. 7, 14
Debet salvari fretus muliere fideli.“
Et veniet tempus, quando devictus amicus
Languet amore meo; remeat, stabilisque manendo
Congaudendo suae sua tollit gaudia sponsae.
Tuque tui similes post foedera tanta, calones,
Non estis ausi me voce lacessere turpi.
POETA. Qui sub iure tuo servili compede vivo,
Debeo, si merui, te precipiente feriri;
Nam decet, ut propriis dicionibus ipsa fruaris
Atque regenda regas tu, non aliena potestas.
AUGIA. Non aliena mihi possunt haec iura videri,
In quibus ipsa potens sum sponsi sceptra capescens,
Tantum si stabilem mecum retinere valerem
Hunc preceptorem, virtutum flore nitentem,
Qui mihi totus amor sacer et moderaminis auctor
Claret, propterea sine quo non est mihi vita;
Nam sitis igne pio magis uror eumque bibendo.
POETA. Cum stultę fusis a me sis lesa loquelis,
Territus inde meus coepit decrescere sensus,
Ac ad quae loqueris mihi surdo non patet auris.
Fac, rogo, quapropter, tibi quod sapientia mater
Suadendo iubeat: sonti tua dextera parcat;
In veniae donis mihi sit correptio dulcis.
AUGIA. Esto securus, quoniam patientia virtus
Me docuit verae[c] convitia spernere queque;
Rebus in adversis nec abessent prospera[d] mentis,

a) *i. e.* tui.
b) *ita c. distinguit*
c) *ita c.*
c) *i. e.* vere.
d) prosera *c.*

Si sponsus solum vellet sibi vivere mecum
Continuus, stabilis, nusquam pergendo localis.
POETA. De pietate tua confidens, obtima domna,
Ex his quae dixi veniam me posse mereri,
Quae nunc ignoro de te perquirere tempto.
Dic mihi, Ruodmanni post funera, patris amandi,
Qui diversorum tibi dotes auxit honorum,
Sed pro morte sua viduatis vestibus usa,
Quid sit quod thalamis iterum sociata fruaris.
Quis vel quantus erit, quem sic tuus ignis adurit,
Aut quando taedas celebrasti, dic, rogo, tantas?
Quae sic obscurae me tunc tenuere latebre,
Quod non me tantis licitum fuit adfore festis?
AUGIA. Haec si nosse velis, penetrale revisere mentis
Te iubeo; pateat tibi, quod mea dictio firmat.
Quod me coniugiis iterato foedere cernis
Innexam, vita postquam privabar amata
Ruodmanni patris, mihi qui largitor honoris
Augebat dotes sub gaza divite pollens,
Ut ne mireris per dicta futura moneris.
Nam me cum solam, nullo custode, relictam
Sentirent homines sub iniqua peste latentes,
In me, nullus erat quia vindex, arma movebant,
Rebus me patriis, eversis funditus arvis,
Privantes, tractu sub predae, flebile dictu!
Aequabatque solo me sternens dira cupido
Illorum, quondam caeli super astra levatam.
Ambicione pari necnon in pectore capti,
Predia sub scripto mihi tradita tempore prisco,
Nil sibi iusticiae servantes, obtinuere.
Talibus in furiis impune furentibus illis,
Sedi deplorans, pectus manibusque cruentans;
Nam fuit augmentum luctus geminata malorum
Sors, funus patris, funestaque preda latronis.
Sed tamen e tanto tractabam plurima damno.
Inter tot casus defensor cum mihi nullus
Staret, quo talem possem superare laborem,
Devenere mei turbato corde coloni
Acciti de me[a], mihi consiliumque dedere
Utile, quod signis ratio firmabat apertis.
Nostrum communem nam me replicante laborem,
Illorumque mei per casus damna videri:
Mater consiliis, dicebant, *utere nostris.*
Exagitent lites si te bellique furores,
Nec tibi nec nobis nullius summa salutis
Adsit, fautoris nec spes solatia dantis,
Te magis obtamus, quod honestius esse probamus,
Huic desponsari, cuius dicione tueri
Possis, raptori maneas quam pastus hianti;
Res etiam nostrae cuius munimine salvae
Tutentur nobis sub pacis flore prioris.
Hunc ego conquirens, has coepi promere voces:
Dicite, filioli, si vir queat unus haberi
Inventus, mundo qui conversetur in isto,
Talis vel tantus, virtutibus undique septus,

a) *ita c. distinguit.*

Ut pacem capiam, cui certo foedere nubam,
Atque fugans hostes nobis hucusque nocentes,
Robur virtutis sponsi gerat ipse prioris.
Tunc monstrabatur, qui nunc superesse videtur,
Vir magni meriti, laudamine congruus omni,
Christo dilectus, domnus Witigowo vocatus,
Utilis in lingua, cui sancta sophya magistra.
Fecerat hunc omni doctorem celitus orbi,
Et bona quae verbis docet, haec colit omnia factis.
Nullius plectrum linguae, non organa vocum,
Nec quae de factis resonat scriptura beatis
Enarrare valet, pietas quam maxima constet.
Huic domino patri, qui templum pneumatis almi
Factus, divinae sedes est atque sophiae.
Hinc quoque consilii capiens munimina tanti,
Per regale datum, per pontificumque senatum,
Talibus electo meritis sum tradita sponso,
Qui decus omne mihi retulit mox dote recenti:
Eius quin totum sub dextro iure sinistrum
Deficiens, in me nullam vim posset habere,
Ipse domi mecum si vellet vivere tantum,
Ut iam precinui, cessans hinc inde vagari.
POETA. Quae modo dicuntur de te, si firma probantur,
Tristibus abiectis decet ut magis ipsa fruaris
Laeticia, munitor cuius manet iste senator,
Tantas vel tales cuius fert actio laudes.
Sed quos flendo canis grandi gemituque revolvis
Motus instabiles eius gressusque vagantes,
Ni fallor credo, dubia nec mente recondo,
Eius pergentis non se res ducit inanis;
Tu, tam continuus quo tendat transitus eius,
Dic inquirenti tantum ratione patenti,
Menteque qua vadit, res protinus ipsa probabit.
AUGIA. Pulsat sepe viam diverso tramite tritam
Circumquaque vagus meus hic per devia sponsus.
Sepius ad regem cursum tenet ecce frequentem;
Quo per multorum morulas tardando dierum
Congaudet regi, quia collaetatur et illi.
Nam cum doctiloquum sapientia conderet ipsum,
Dicitur os regis, populorum lingua salubris,
Inter catholicas primâs rutilando columnas;
Regum rectores, comitum docet atque cohortes.
Rege iubente, suis parent simul omnia dictis.
Contra velle suum se vertit nemo retrorsum;
Esse manum regis nam plebs hunc predicat omnis.
Taliter hic tardans, sceptris regalibus astans,
Ecce domi sponsae non vult memor esse relictae.
Tandem sceptrigeram cum tardus deserit aulam,
Ad patriam rediens, demum venit alter ut hospes,
Mansitat atque meis exosa mente sub alis
Vix unam noctem, quod cogit transitus idem.
Hinc iterum votis capitur mens ire volentis,
Oret apostolicas ut prona mente lucernas;
Ad persolvendum Romam vult visere votum.
Nilque moratur iter, veluti per tristia semper

Me paciens solitis post se clamare querelis.
Cursu continuo tardans hic tempore longo,
Clauso multorum remeat sub fine dierum.
Et veniens ad me, dicit: „Carissima salve"!
Hoc etiam dicto, dicit: „Celer inde valeto"!
Primo fitque Vale, quam signent oscula Salve.
Circuit hinc omnem variis discursibus orbem,
Cautę prospiciens, cuius sit cespitis haeres,
Invenit et de me se predia multa tenere.
Tunc faciendo moras, sedet illic rite gubernans,
Omne quod est fractum dinoscitur atque solutum,
Sedes desertas destructaque tecta reformans.
Colligit et fructus, generat quos herbida tellus,
Nolens incultae[a] sine fructu rura iacere.
Dives possessis ita semper gaudet in arvis;
Ex quorum sumptu desudat divite cultu
Pervigil, aecclesias Domini sub honore dicatas
Gemmis ornari varium per stemma metalli,
Et per structuras studet has augere politas;
Cuius opus studii tibi paucis intimo, fili.
Purchardus ductor[1], summae probitatis amator,
Regalem fiscum, Sleitheim[c] cognomine dictum,
Ad laudem matris nobis dedit Omnicreantis,
Sic tamen hunc tribuens, post eius vivere[d] presens
Coniugis atque suae post nostrum dixerat esse.
Tunc stetit hic multos sine nostris usibus annos;
Nam postquam vitae finem dux clauserat ipse,
Iuxta condictum coniux[2] possederat illum,
Quae post hunc multis in mundo vixerat annis.
At quando domini, superest qui, iura subivi,
Congruit ut, donis promptus servivit in amplis
Matronae tali regali stirpe fluenti,
Quod gessit studio sperans de foenore tanto,
Quatinus haec eadem fraglando[e] sic per amorem,
Hunc sibi continuo sociaret foedere firmo.
Et devicta suis per dona monentia votis,
In sua iura locum propriae[f] dedit ante notatum.
Plurima quid refero? Confestim venerat illo,
Moenibus et cunctis noviter docteque paratis,
In partes varias quae solverat ipsa vetustas,
Aedibus aecclesiam gemuit censuque neglectam.
Quam circumcingens et fundum lacius augens,
Fecit opus clarum, Domino pernobile templum,
Adiungens omnem qui congruit, ecce, decorem.
Rebus et ipsius nunc aeclesiasticus usus
Sufficit, ecce, loco; laudetur Christus in illo. —
Est alterque pagus noster Funginga vocatus.
Pulcher in aspectu, sub cultus fertilis usu,
Quem dedit inprimis mihi certo foedere dotis
Me sed adhuc teneram cum primo flore puellam
Presul Pirminius cepisset amare beatus,
Norma iustitiae sub sobrietatis amore;
Hunc Witigowo meus pro cuius[3] amore maritus
Diligit in tantum, ni fallor, protinus ipsum
Ut mihi preferret, si res fortunaque vellet;

a) *i. e.* inculte.
1) dux Alamanniae.
c) *in marg.* Schleytem *manu sec. XVI.*
d) *i. e.* vitam
2) Hadawiga
e) *ita c.*
f) *i. e.* proprie
3) Pirminii.

Precinui deflens nam me velut ante relinquens,
Perdurare loco non cessat semper in illo.
Ac ibi cum modicum spectaret stare sacellum,
Quod signum tituli vox clamat garrula vulgi
Presulis ob meritum venerandi, qui dedit illum,
Esset ut ad munus mihi dotis in ordine primus,
Has minimas aedes ex cunctis partibus augens
Altę constructum perfecit nobile templum.
Per girumque loci faciens habitacula claustri,
Adiunxit cellas Domino famulantibus aptas,
Hic ut securi vivant sine turbine mundi,
Addens ex opibus quaecumque poposcerat usus.
Tale monasterium Christi sub honore dicatum
Iste meus studio patravit vir Witigowo.
Est tamen hoc operum tenuis velut umbra suorum,
Nam graviora quidem perterrent quemque loquentem;
Sit quamvis sapiens, his est tractatibus expers.
Finibus in multis, qua latus tenditur orbis,
Servitium Domini celebratur corde fideli
In sacris domibus, quas faecerat ipse benignus.
POETA. Mater, mira refers muliebri pectore merens.
Gaudia laetitiae tibi tergant vivere triste;
Convenit hoc pocius sub patris laudibus huius.
Id non contemptus, sed honor tibi dicitur auctus.
Intendit rectę, regum sęcreta tenere,
Ut sit principibus pariter perfectus amicus;
Inde potens vere tuus est defensor ubique.
Dic, si regificis umquam solamina donis
Ille tibi ferret, quando de rege rediret.
AUGIA. Pre tulerat certę; non est mihi posse negare.
Nam testamentum, quod per regale sigillum
Munitum fuerat, dudum redeundo ferebat,
In quo libertas mea firmaturque potestas.
POETA. Per quae debet ei dare grates contio nostri;
Nam sunt communis liberrima scripta salutis.
Hoc ad gaudendum, non tristi more dolendum,
Te, rogo, commoveat; quia sic tua sceptra coruscant.
Dic et, apostolicos cum viseret ille patronos
Romae, post reditum tibi ferret quale dativum.
AUGIA. Quod dedit ipse mihi, licet essem pectore tristi,
Tale fuit donum, quo non preciosius ullum;
In quo ponendo spem, nulla pericla pavesco:
Vas cristallinum, Christi de sanguine plenum.
POETA. Dico laetanter: Gaudę nunc, Augia mater,
Munere pro tali, cum sis felicior omni
Mundo; quam felix est et tuus ille fidelis,
Subtilis talem tibi qui coniunxit honorem,
In quo, domna, vales culparum tergere sordes,
Hostes ac gemini tibi non sunt, crede, timendi.
Et reliquis opibus si te pater ipse beatus
Non claram faceret, tamen haec data dona notarent,
Ut precessores meritis precelleret omnes.
Tantorum laudes operum, Deus, accipe clemens!
Nam quod in his canitur tua gloria lausque probatur,
Es qui per patrem dignatus mittere talem

Augensi matri, quo plaudant munere nati.
Nobis alternis est sermo sed quia dictis,
Horum templorum structuram, quaeso, tuorum
Ad laudem Domini quis fecerit, ede roganti.
Pingitur astrorum vario velut ordine celum,
Sic redimita tuis stellaris et ipsa sacellis.
Hoc decus esse tibi nec prisco tempore vidi,
Cum pater in mundo Ruodmannus vixerat isto,
Quamvis et ipsius stares ditissima rebus.
Moenia tanta virum peragi sic posse per unum,
Miror, bis quinis tam parvi temporis annis,
Ex obitu numerus quos ordine continet eius.
In meliora locum mutavit quis, rogo, totum
Hunc pulchrę renovans gemmisque micantibus ornans?
AUGIA. Pulchrius ut cernis quod fulget in aedibus istis,
Hoc totum fecit, modo qui mihi proximus haesit.
Nam velut ipse canis, domini de morte prioris
Ascendit decimum nunc orbita solis in annum,
Quos me predoctae[a] Witigowo rexerat iste.
Ac ut precinui, licet huc illucque vagari
Numquam cessaret, mihi rarus semper et esset,
Impigrę nullum tamen intermiserat annum,
Hunc operis facto quin claudere vellet in uno;
Et quando cepit vel quando cepta peregit,
Nunc tibi colloquiis a me monstratur apertis.
  Ceperat in primo mihi cum dominarier anno, 985.
Est[1] latus aecclesiae levum genitricis ad almae,
Fundans eximium devota mente sacellum,
Quod Ianuarii voluit sub honore dicari,
Caelestis patriae quem fecit amore subire
Palmam martyrii victrix confessio[b] Christi.
In quo dispositis divinis cultibus aris,
Una beate tibi protomartyr, Stephane, Christi
Est erecta, preces ut clemens ipse receptes,
Quas devotorum tibi fundit contio fratrum;
Altera, Laurenti, tibi cernitur atque dicari,
Tu simul ut votis te rite precantibus adsis.
In medio quarum Witigowo, norma bonorum,
Erexit celsam studiis ferventibus aram,
Hanc ornans tabula gemmis auroque parata,
Qua Ianuarii concluserat ossa beati.
In tali primum studio perduxerat annum.
I[c]. Voces omnigenae dicant: Tibi gloria, Christe!
  Ut cursus anni tunc advenere secundi, 986.
Divini cultus non immemor ille beatus,
Pulchrę formatam cepit fundare capellam,
Porta monasterii qua pandit pervia claustri,
Omnibus aggressum demonstrans atque regressum.
Quam sub Pirminii sacravit honore beati,
Qui pastor primo me rexit amore paterno.
Inde morans operi nil, iunxit moenia claustri,
Hic ubi circuitus fuerat non rite peractus,
Hac Ianuarii supera de parte beati
Culminis aecclesiae, quem tum perfecerat ipse,
Atque gradus saxo fecit post ista polito,

a) *i. e.* praedocte.
1) scil. Witigowo.
b) confesio *c.*
c) *numerus anni exeuntis ab auctore in margine scriptus est.*

Scanditur aecclesiae per quos ad limina portae.
Picta manet muro necnon Genitricis imago,
In gremio Christum gestantis, pignus amorum,
Quam graduum fratres proni super alta iacentes,
Orando tangunt, ac sancta per oscula lambunt.
At latus ad dextrum signat pictura beatum
Euangelistam Marcum, faciemque decoram
Fert Ianuarius levo sub margine pictus,
Orat quos ambos devotio nostra patronos;
Pingi quos ideo voluit domnus Witigowo,
Ut defensores defendant undique tales
Nos ex insidiis his adversantibus hostis.
Iusserat et totum pictores pingere claustrum;
Sunt illae tabulae quae per laquearia pictae,
Signantes patrum facti monimenta priorum;
Vivere quod bellis, quae conversatio pacis
Illis tunc fuerat, totum pictura figurat.
Introitum claustri, quem verbis ante notavi,
Sub forma patrum iussit variare meorum,
Quos mihi prelatos fecit prelatio dignos,
In quocumque loco soliti sunt cernere primo
Qui veniunt, templum Domino sit quale paratum:
„Tu[1] quoque vilescis tanti privata decoris,
Ut non una tibi domus est, quae possit haberi
Apta ministerio Christi, popularis et ordo
Nec teneat spatium, sub quo glomeretur in unum.
Iuxta quod possum, nunc est mihi velle benignum:
Structurae veteri, modo pars quae tota sacelli
Constat, adaequatos forma coniungere muros
Aequalis spatii iunctura circiter omni;
Fiat obumbratum pariter tectumque per unum
Illud opus nostrum, superest et quod modo priscum,
Et sic aecclesiae firmemus culmina magnae.“
Gaudia tunc animo fateor me promere leto,
Eius quod dulci verbo me contigit uti;
Mecum nam raro verbum permusitat ullum. —
„Gratia, domne, tibi! tum flexo poplite dixi,
Miro qui cultu rerum varioque paratu
Me decus esse facis diversis partibus orbis.
Omnia quae placeant, tibi quod sapientia pandat,
Fac, rogo, fac gaudens, ex ipsis nulla relinquens.“ —
Plurima quid refero nimium iam tarda loquendo?
Omnia quae dixit, tribus annis ipse peregit,
Aequali forma faciens compage venusta
Tale Deo templum, quo non spatiosius ullum.
Omni structura diverso stemmate fulta,
Ut domnus voluit, festinans ipse paravit
Huic arcus camyros[2] et subdidit undique sculptos
Gipso, sub variis et verno flore figuris.
Fecerat hos sectas et sustentare columnas
Pulchrę de saxis distinctis atque politis.
Tunc opus omne quidem cum perduxisset ad unguem,
Laetitia grandi templum sollemne dicari
Fecerat in sanctae devotus honore Mariae
Virgineique chori, pro nobis in prece proni,

1) Witigowo Augiam alloquitur.

2) i. e. camuros, curvatos.

Et sub apostolicis Petri Paulique coronis.
Largitor studii talis tibi, Christe[a], volenti
VI. Iura potestatis sex taliter indidit annis.
Mox ut septeni devenit circulus anni, 991.
Altius arrectam sursum construxerat aulam,
Sancte, dicata tibi, Michahel[b] archangele Christi,
Quae micat Otmaro pulchrę pariterque beato.
Quam per utrumque latus firmaverat ille benignus
Cum turri gemina, tereti sub imagine facta,
Fornicibus curvis per circuitumque reductis,
Ad quas ascensum monstrat gradus esse supinum.
Has inter, pretii mercatus pondere magni,
Cymbala signorum suspendit dulce[b] sonantum.
Ante domus sanctae limen post ista Mariae
Excoluit pulchrum, parvi licet aequoris, hortum.
Quem cingens muris ac arcubus undique curvis,
Fecit terrestrem paradysum luce micantem,
Qua longę splendet templi decus atque relucet;
Huc adventanti nova dans spectacula plebi.
Huius in aecclesiae medio, quam fecit et ipse,
In gradibus positam sublimem sustulit aram,
Fronte sub adversa quae respicit ostia contra;
Ut mos est, tabulam cui tunc prefecerat unam
Fulgentem solidis auri de mole talentis.
Per cuius medium speculum patet, ecce, serenum,
Quod pariter viridis vitrei manet atque coloris;
In quo quisque suum valet aptę cernere vultum.
Si quis in aecclesiam graditur vel pervius ipsam
Coram se pronus, naturae poscit ut usus,
Ecce retro positum rutilat spectabile totum.
Talibus in studiis me sic senioris amantis
VII. Hoc pergrande decus se clausit septimus annus.
Auctor tantorum tibi sit laus, Christe[c], bonorum!
Ut sol octavi metam tunc volverat anni, 992.
Hoc paradisyaco coram fundaverat horto
Aeclesiam sancti prepulcram Bartholomei,
Atque salutiferum iuxta sacraria templum
Fecit, Herasme[d], tibi, simul et tibi, martyr Heracli[d].
Hoc statuit causam domnus Witigowo per istam,
Aedibus in sacris prefulgens ut locus omnis
Esset confugium, spes, tuta salusque precantum,
Illorum sordes ut Christus diluat omnes,
Sanctorum meritis intervenientibus ipsis,
Nomen per quorum micat unumquodque sacellum.
VIII. Sic ex octavo florens virtutibus anno
Ascendit nonum, quem cepit ducere totum, 993.
Ornans aureolis altaria singula gemmis.
Ante, Maria, tuam, virgo praenobilis, aram
Una sub ascensu graduum miranda paratu,
Gemmis ac auro vestita nitescit ab illo.
Fecit et argenti plectro tabulata parari,
Cum quibus est laterum precingens undique textum,
Arae quem lecti speciae[e] circumtulit ipsi,
Voceque de nostra Confessio dicitur alma.
Hidria post ipsam Domini stans comminus aram,

a) $\overset{ó}{\overline{xpe}}$ c. = o Christe
b) *addit* ó *c.*
b) *in loco raso.*
c) ó *supra* $\overline{xpe}$ *legitur:* o Christe.
d) ó *supra scripto.*
e) *ita c. i. e.* specie, specię.

Qua fieri vinum fluxum precepit aquosum,
Orantum votis et adhuc fert dona salutis.
Hinc iterum Marco gaudens altare beato
Et simul in sanctae Crucis unum fecit honore,
Pulchrę quae cocto vestivit funditus auro
Et pinxit variae[a] per gemmas atque monile.
POETA[b]. Huius de cura cum sis de stercore fulta,
Dic pocius, vitae sibi sint ut tempora longae,
Talibus in votis apellans iura Tonantis.
Nam tibi cum patrem retinere licentia talem
Constat, reginae semper dominaris in arce;
At, quod non fiat! si te pius ille relinquat,
Turpis semper eris, velut est ancillula vilis.
AUGIA. Cum quis tristatur, qui captus mente tenetur,
Per consolantem sibi quaerit habetque quietem;
Sic ego, crede mihi, tua per solamina, fili,
Tristibus abiectis extollo gaudia mentis;
Nam promissa tui firmat sententia vęri.
Dum me norma regit senioris qui modo vivit,
Florent interea, stant firmiter et mea iura;
Post haec, ni fallor, capitis cum culmine privor
Tanti, continuo vulgaris fabula fio,
Errans sicut ovis tergo prolapsa regentis.
Mecum propterea tua, fili[c], fundere vota
Da studium Christo, ne nos fortuna sinistro
Cum pede prosternat, nobis et gaudia demat
Tanti pastoris, pleni caelestis amoris!
Sancta Dei mater, Virgo, da vota frequenter
Nato, pro nobis, pro vita nosque regentis!
Ac omnes sancti, quorum sub honore dicari
Templa Dei fecit, quae circumquaque paravit,
Eius apud Dominum memores sine fine per evum,
Iura potestatis vernantia flore quietis
Adquirant illi, pro consolamine Christi;
Et post depositam mortalis corporis umbram
Fiat eis socius caelesti sede locatus!
Hoc velit ipse Deus, qui constat trinus et unus,
Ut Witigowo pater valeat iubeatque potenter,
Ac ipsius, Amen, vivat per secula nomen!

Carminis[d] hic finem dat clausula, fertque quietem
Curae scribentis, quia labilis est labor omnis,
Premia sed semper stabunt sine fine potenter[e].

+ Post ut in undecimum venit feliciter annum, 995.
Commissas animas aequo moderamine frenans,
Martyris aecclesiae Christi sub honore dicatae,
Est qui Pelagius, canit ut scriptura, vocatus,
Aedes inclusas ac arto limite septas,
Quas structura prius non congrua sustulit intus,
Lumine quam nemo sapientum viderat aequo,
Dicens, hanc studiis fultam minus esse peritis,
Nunc sic informem pater instauraverat idem,
Aequans pulvereae glomeratum pondus harenae

a) *i. e.* varię.
b) *vox deest.*
c) o *supra scripto.*
d) *Versus hi tres rubro colore scripti sunt.*
e) *Hinc alia manu sed eiusdem aevi pergitur.*

Fecit honorificum spacioso margine templum.
  Haud procul hinc domus est, regali stemmate fulgens,
Rebus et arte sua satis augustissima facta,
Ipsius augusti quoniam construxit honori.
Est nec multorum series revoluta dierum,
Hic quod cum primis, quos nutrit Suevia dulcis, 996
Ad Latium regem primus perduxerat orbem,
Illius hunc iuri frenans terrore minaci.
Romulidas arces audenter et inde petentes
Milite cum multo, quem secum contulit illó,
Accumulans acies latę fuit imperiales.
Dicebant Itali subita formidine laesi:
Tantae virtutis quem vos hunc esse putatis?
Isti sceptrigero non contradicere nemo
Debet, qui tantas hominum veit[a]*, ecce, columnas!*
Hoc ut dixerunt, alii responsa dederunt:
Quam docet atque regit, nobis hunc Augia misit;
Suevorum primas erit hic simul aureus abbas.
Utilitas nostri manet hoc, famulemur ut illi.
Romani proceres tunc se sua cunctaque dantes,
Regi caesaream mox imposuere coronam;
Caesar et augustus post hac est ille vocatus.
His ita transactis, remeavit pastor herilis
XI. Ad gremium sponsae, recreans sua membra quiete.
  Quis vel quantus erit, pietas sua rite probabit;
Quam si scire velis, nunc auribus ebibe cordis.
Vivit enim castę, gemino succensus amore,
Ac euangelico munitus corde sigillo.
Serpentem nivea fovet absque timorę columba,
Omnis et invidiae fugit illum pallor ubique.
Iurgia semper odit, tranquilla silentia poscit;
Sed velut exemplis res est bene cognita multis,
Gloria iustorum, furor est ac ira malorum!
Hunc ita temptari patitur permissio Christi
Rebus in adversis, minima sed parte nocivis.
Nam cum per damnum tulerit quid mente molestum,
Armatur telis quae dat patientia fortis,
Invocat atque Deum, redimit qui protinus illum.
Sepius hunc tanto vidi fluitare periclo,
Ut manus hostilis caneret cum voce iocantis:
Qui sapias gaude! miser est iam perditus ille,
Hostibus et laetis, fit luctus amarus amicis!
Interea Domino clamans de pectore prompto,
Omnia sustinuit, secum patienter et egit.
Post modicum Dominus venit, fit et iste redemptus;
Gloria venit ei, mox erubuere superbi.
Hic est de numero pacientum damna beato,
Cum Domino quorum sunt regna beata polorum.

---

a) *i. e.* vehit.

EPITAPHIUM ADALHEIDAE IMP.

AUCTORE ODILONE.

Odilo quintus Cluniacensium abbas, celeberrimus monasteriorum sui temporis reformator, Arvernis circa a. 962. natus, a. 995. Maiolo in regimine coenobii Cluniacensis successit, et plurimis memoria dignis peractis, a. 1049. obiit. Cuius dum in vita agebat discipulus et comes assiduus Iotsaldus in epitaphio amici inter alia haec de eo tradit[1]*:*

„Erat mediocris in eo statura. Vultus ipse plenus auctoritatis et gratiae; mansuetis hilaris et blandus, superbis vero et offensis, ut vix sufferri posset, terribilis. Macie validus, pallore ornatus, canitie decoratus. Oculi illius veluti quodam splendore fulgentes, intuentibus et terrori erant et admirationi, lacrymis assidui, quia saepius aderat virtus compunctionis. Renitebat etiam in ipsius motu, gestu, incessu, species auctoritatis, pondus gravitatis, tranquillitatisque vestigium. Occursus illius quasi quidam gratissimae iocunditatis radius et insolitae delectationis eventus. Vox illi virilis, et ita plena decoris, ut mentes audientium non mediocriter demulceret dulcedine modulationis. Sermo illius plenus suavitatis et gratiae, prout ratio causarum se habebat, medie temperatus; nec modum progrediens loquendi, nec minus pro tempore improvidus disserendi. Nihil in eo fucatum, nihil affectatum; sed natura mirabiliter reddebat eum corporis positione et ordine vitae quadratum. Et quamvis, secundum beatum Ambrosium, in pulcritudine corporis locum virtutis non ponamus, gratiam tamen non excludimus. His vero omissis, ad compositionem morum eius, quibus per divinam gratiam adornatus exstitit, redeamus.

In quantum humana aestimatio se habet, quatuor in sancto viro principales non mediocriter relucebant virtutes, prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia. Prudentiam philosophi definiunt in veri investigatione consistere et scientiae plenioris cupiditate; quo genere virtutis ita enituit, ut non diebus neque noctibus a veri investigatione cessaret. Semper ei liber divinae contemplationis in manibus, semper ei sermo de scripturis assiduus, et ad aedificationem cunctorum labor continuus. Ut Hieronymus Eustochium instruit, faciem dormientis interdum pagina sancta suscipiebat; evigilantem iterata lectio recreabat. Nihil ei in hac vita dulcius, nihil amabilius fuit. Lectioni oratio iugis succedebat. Qui gemitus, quae suspiria vel affluentia lacrymarum, et praecipue in illo sancto sacrificio agni immaculati erat, Spiritus sanctus auctor ipsius muneris et gratiae novit. Rem miram dicturus sum et certe veram. Cum saepius illum psallentem in stratu somnus exciperet, tamen psalmus ab ore dormientis non recedebat, ut si nescires, vigilare eum putares. Evigilans vero ita psalmum cum festinatione arripiebat, quasi non intermisisset. Loquebatur, credo, tunc cum sponsa in canticis canticorum: *Ego dormio et cor meum vigilat.* In scripturis quam fuerit eruditus, et in ser- Cant. 5, 2.
mone facundus, quamque etiam in recta fide catholicus, testantur sermones eius et multiplices epistolae, quas, tamquam favos dulcedinis pinguissimae, videas redolere odore prudentis eloquentiae decoreque suavitatis et gratiae.

1) c. 5—7.

Iustitia est, ut volunt philosophi, quae suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem aequitatem custodiat. Haec omnia in illo non mediocriter, sed profuse noveris reluxisse. Omnibus enim aetatibus, personis et conditionibus, prout iustitiae fuit, debitum honorem exhibuit; et omnibus ita se gratum praebuit, ut non aliter quam angelus, si ita dicendum est, immo quia ita dicendum est, cunctis carus exstiterit. Principibus et potestatibus christianis, secundum apostolicam sententiam, in nullo restitit, sed ita amicabilem et officiosum se reddidit, ut tamquam alter Ioseph ab omnibus amaretur et celebriter veneraretur. Concurrat in hunc amorem Rotbertus rex Francorum; accedat Adeleida mater Ottonum; veniat Heinricus imperator Romanorum; intersint Conradus et Heinricus, videlicet pater et filius, caesares et ipsi nobiles invicti; quorum omnium amicitiis, officiis et imperialibus muneribus ita magnificatus est, ut sibi et illis cor unum et anima fuerit. Quid etiam Stephanus rex Hungrorum, sive Sancius rex Hesperidum populorum, qui quamvis eum praesentialiter non viderint, tamen ad famam sanctitatis eius intercurrentibus legatis et reciprocis litteris, adstrinxerunt illum sibi beneficiis et copiosis muneribus, commendantes se humiliter orationibus illius et suffragiis. Fuit etiam in remotis partibus occidentalium alter Sancius, Pampulanorum episcopus, qui ita sibi in amicitiis adhaesit et copiosis muneribus deservivit, ut ad eum etiam de tam longinquis regionibus veniret, et monachum se ab eo fieri decerneret; quem in tantum dulcis memoriae Odilo dilexit, ut etiam moriens de eo mentionem faceret, et post mortem suam ad eum visitandum cum exuviis vestimentorum suorum duos fratres mitteret, qui illi finem vitae suae nuntiarent, et antiquam amicitiam sibi mortuo conciliarent, et rursum eandem viventibus renovarent. Non praetereundi sunt etiam illi domini sacerdotes et apostolici viri, Silvester, Benedictus, Iohannes, et in ultimis piae memoriae Clemens, quorum gratiam ita promeruit, ut tamquam ex fratribus unus exstiterit. Quae enim persona undecumque locorum non cuperet habere Odilonem tamquam alterum Salomonem amicum et patrem et pro se apud Deum intercessorem? Gaudebat Italia, cum Odilonis aderat praesentia, et praecipue familiaris sibi Papia, cuius prece et industria, temporibus Heinrici et Conradi imperatorum liberata est ab excidio gladii et periculo incendii. Laetabatur etiam urbs Roma, mundi domina, tanti viri contubernio, frequentata saepius sanctorum apostolorum amore et desiderio. Officiales etiam et clerici sive monachi ita sibi adplaudebant venienti, ut tamquam de suis carissimum fratrem haberent amore vehementi."

Litteris sacris bene eruditus et assiduus librorum Hieronymi lector, Odilo
1 *eius exemplo*[1] *Adalheidi imperatrici, quacum ultimis vitae eius annis intima*
caritate coniunctus fuerat, anno 999. *defunctae epitaphium conscripsit, quo*
beatam eius vitam et praecipua facta succincte exposita oblivioni eximeret, et,
ut ipse fatetur, alium rei exigendae aptiorem ad vitam imperatricis scribendam
incitaret. Non igitur vitae historiam integram et accuratam expectes; sunt
praecipua tantum feminae egregiae fata strictim recensita[2], *opera pia enu-*
3 *merata*[3], *et ultimus vitae annus, quo auctor Adalheidam comitatus esse videtur,*
fusius tractatus[4], *sed a viro, qui omnia ista aut ab Adalheida*[5] *aut praesens*[6]
comperisse censendus est. Liber defuncta imperatrice statim scriptus, ab Odi-
lone Andreae abbati et congregationi Ticinensi, fortasse et reliquis coenobiis
ab Adalheida fundatis, Paterniacensi et Saltzensi, transmissus est. Certe
Saltzenses epitaphium noverant, cui saeculo XI. medio[7] *librum alterum, mi-*
8 *racula S. Adalheidis enarrantem adiecerunt*[8]. *Et quare unum Paterniacum,*

1) Hieronymus epitaphium de Blaesilla et Nepotiano edidit libr. II. epist. 22. 2) capp. 1—8. 3) capp. 9—12. 4) capp. 13—23. 5) c. 2: *Saepe enim inde . . cum familiaribus fidelibus conferebat quanta et qualia t. t. passa fuerit etc.* 6) c. 5: *Haec quae de ea dicimus, non modo auditu sed et visu et experimento cognovimus. Multa ab ea salutis verba audivimus, plurima dona suscepimus etc;* cf. c. 15. 19. 7) a. 1056. ut videtur, scilicet ante annum 1057. Ottonis ducis de Swinvorth, quem auctor vivum celebrat, emortualem. 8) Leopoldum Babenbergensem in libro de veterum principum Germanorum fide et religione librum Odilonis laudasse, Chesnius adnotavit.

ubi ipse cum imperatrice ultimo vitae eius anno moratus fuerat, praetergrederetur? Accedit, quod codices epitaphii, quotquot reperiri potuerunt, textum trifarium praebent, quem ea ratione immutatum fuisse opinor, ut cum Odilo librum suum primo Ticinensibus obtulisset, eum secundis curis recognitum Paterniacum, et aliis parvi momenti correctis Saltziam mitteret. T i c i n e n s i s *igitur codicis apographa extant:*

1) *C. Oxoniensis inter Bodleianos N.* 2690. *(*817. *Bodl. Sup. D. Art.* 91.*) signatus, membranaceus in folio saeculi XI. quo ipse anno* 1827. *usus sum. Complectitur Vitam Odonis abbatis Cluniacensis, credulitatem Odilonis, Odilonis vitam Maioli, Petri Damiani vitam Odilonis, Odilonis vitam Adalheidis, cuius ultimae sententiae octo paginis excisis desiderantur, fragmentum vitae S. Symeonis et sermones sex Odilonis*[9]. *Textus in universum integer et bonus. Cui consentit*

2) *C. olim S. Martini de Campis, quem Martinus Marrier, eius coenobii monachus, tanta diligentia in Bibliotheca Cluniacensi Andreae Duchesnii nomen praeferente p.* 353—362. *expressit, ut ad instar codicis, qui hodie inter libros S. Martini de Campis bibliothecae regiae Parisiensi illatos desideratur, esse videatur. Epitaphium Ottonis I. et Heinrici II. subiicitur. Editioni isti Chesnius notas paucas adspersit.*

3) *C. olim Vallicellensis iam inter regios Bruxellenses N.* 7460. *insignis, et*

3*) *C. olim S. Salvatoris Aquicinensis, iam bibliothecae Duacensis N.* 792, *— uterque Bethmanno referente multas Sanctorum vitas complexus, membr. in fol. maximo saeculi XIII. — ex antiquiore quodam fluxerunt, scripto iubente Attala filia Roberti regis et Constantiae, Flandriae comitissa, quae, monasterio Watinensi prope S. Audomarum constructo et Romae ab Alexandro II. viduae habitu suscepto, Messanae obiit. Versus*[10] *enim in fine vitae Adalheidis hi leguntur:*

Quo vixit more regina Adalaida Romae,
Odilo quae vidit abbas, quae scripta notavit,
Nobis haec Atala scribi iussit comitissa,
Exemplum vita sibi quo captaret in ista,
Nolle malum, sed velle bonum deducere seclum.
Regnet cum Domino semper laudanda virago,
Quae pravos vitat, iustos imitarier optat.

Librum Bruxellensem Bethmannus in usus nostros exscripsit.

Hi quatuor codices paucissimis exceptis inter se consentiunt, et soli omnium litteras Odilonis ad Andream praebent; a quibus reliqui omnes certis locis recedunt. Propius tamen ad Ticinenses libros alii tres, quos P a t e r n i a c e n s e s *vocare liceat, accedunt:*

4) *C. bibl. regiae Parisiensis inter Supplementa Latina N.* 854. *mbr. in fol. longiori saeculi XI. vitas SS. Amalbergae, Hildulfi Trevirorum archiepiscopi, Adalheidae, Odiliae, Liutwini Treverici archipraesulis, Willehadi*[11], *alia-* 11
que manu Albani et Celsi complexus, a Waitzio in usus nostros anno praeterito conversus est.

5) *C. bibl. universitatis Wirtzeburgensis inter Theologos in fol. N.* 34. *mbr. saeculi XI. olim* sancti Petri in Wissenburg, *vitae Adalheidae epitaphium*

9) v. Annales nostros VII. p. 418. 419. 10) *Versus Garini clerici* in Bruxellensi inscribuntur.
11) Textus cum editione nostra SS. II. 379 sqq. consentit.

Ottonis praemittit. Usus sum eo a. 1835. *Eiusdem codicis lectiones docti Bollandiani saeculo XVII. in schedas suas retulerunt, quas in cod. regio Bruxellensi N.* 8978. *hodieque haberi, Bethmannus vidit.*

6) *C. bibl. Palatinae Vindobonensis inter historicos profanos N.* 994., *iam N.* 622. *signatus, mbr. saec. XI. paginis* 1—3. *epitaphium Ottonis,* 3—26. *epitaphium Adalheidae continet, locis aliquibus adrasum, quod in usus nostros converti fecit Chmelius noster.*

Ab his iterum lectionibus nonnullis et libro miraculorum addito codices S a l t z e n s e s recedunt:

7) *C. olim SS. Mauritii et Germani Spirensis, cuius apographum in usum doctorum Bollandianorum sec. XVII. confectum Bethmannus in codice regio Bruxellensi N.* 8976. *reperit, et aeque ac proximum exscripsit. Ultima codicis inde a voce capitis* 22. fulgorem *exciderunt.*

8) *C. olim Bodecensis in Westfalia apographum Bollandianum in bibl. regia Bruxellensi N.* 8977. *signatum, et*

9) *C. olim S. Magni Ratisponensis a Canisio in Lectionibus Antiquis T. V,* 2. *p.* 395. *et edit. alterius T. III,* 1. *p.* 73. *expressus, textum minus purum exhibet, quem Leibnitius in SS. Brunsv. I.* 262 *sqq. repetivit. Ultimo loco nominandus venit*

10) *C. Einsidlensis mbr. sec. XV. ab Hartmanno Annalibus Heremi a.* 1612. *subiectus, qui cum Canisii textu plurimum consentit.*

Breve vitae et miraculorum excerptum sub titulo Vita sancte Adelhaydis 4 *foll. in* 8vo *Durlaci saeculo XV. prodiit.*

Optimis his subsidiis ita usus sum, ut lectione codicum Ticinensium in textu expressa, lectiones Paterniacenses et Saltzenses, quae in omnibus septem extant, singulis capitibus subiicerem, quae vero nonnisi in Saltzensibus aut uno alterove codice occurrunt lectionum varietati inseri facerem. Capitum divisionem in codice Vallicellensi oblatam, reiecta Canisiana, retinui.

EPITAPHIUM OTTONIS MAGNI IMPERATORIS*.

Hoc tegitur loculo divus et maximus Otto [a],
Fortis [b] in imperio, David ut [c] tempore prisco,
Clarus ut ipse sophus Salomon et pacis amicus;
Obtat [d] Ezechiae [1] maiori praeditus hic spe,
Ut pax eveniat, verum per secula [e] crescat.
Phase [f, 2] sat celebre fecisse scribitur, ecce,
Atque suas ferias primus sub sole Iosias;
Illud non solum, sed mystica facta priorum,
Regna prius moderans, legum sacra iura reformans,
Ad lucem celebrat [3], mundum celebrando coronat.
Quod habuit melius umquam Germania tellus,
Felix Italia, tu cum muliere beata [4]
Coepisti. Tumidum studiose rinocerotem [5]
Et mitem reddit, qui plurima regna subęgit.
Sarmatas edomuit, Christo servire coegit,
Pellere demonium, crucis insignire triumphum.
Ungros [g] debellans, victricia signa reportans,
Eripuit fidei sacrae vocitamine dignos,

a) Enituit mundo d. vel m. O. 2. b) Mortis 2. c) in 2.
d) Obta 2. Obtat [scilicet more] ezechie 5. 6.
e) secla clarescat 2.
f) Fase 2.
g) Hungros 2.

1) cf. 4. Reg. 19, 15 sqq. Ies. 38, 10.
2) *i. e.* pafcha. cf. 4. Reg. 23, 22. et 2. Paral. 35. v. 18.
3) Otto.
4) Adalheida.
5) Berengarium?

*) E. maximi O. augusti imperatoris 6.

Innumeros populos, diro[a] discrimine pressos.
Tu quondam domina[b] felix et splendida Roma,
Praestitit Otto tibi pariter cum coniuge sancta,
Ut referas solito sceptrum mundi et diadema.
Tripudiat cunctus[c] tanto sub caesare[d] mundus;
Pax sublata perit, cum maximus Otto recessit.
Dum repetit[e] Maius lugubres ex ordine Nonas,
Caesar ad aethereas rapitur pius Otto catervas,
Mauricio[f] ducente suo sociandus in alto
Ipsi, cui[f] cessit propriam, quam conspicis, aulam.
Coniuge[g] tu celebris, tu namque propagine felix,
Laetatur mundus, cum nascitur Otto secundus.
Tertius imperitat; caelum iubilando resultat.
Sed nunc stemma tuum claro moderamine mundum
Protegit, agustat[h], ditat, sublimat, honorat;
Cui pater ille tuus, HEINRICUS nomine dictus,
Cesserat hoc nomen, cui tu quoque cędis honorem.
Dum[i] stabit rutilus eous et ultima tellus,
Pontus et astra poli, plangent te climata cosmi[k].

EXPLICIT[1].

a) magno 2.
b) dominans 2.
c) cunctis . . . mundis 2.
d) cesare 5.
e) recitat 2. 6.
f) *hi duo versus desunt* 2.
g) Coniunge 2. 6.
h) augustat 2. 6.
i) Cum 2. Qum 6.
k) *totus hic versus littera maiori scribitur in* 5.

INCIPIT[m] PRAEFATIO[n] IN VITA[o] DOMNAE ADALHEIDAE[p].

Domno Andreae[q] venerando abbati, cunctisque fratribus sibi commissis, in suburbio Ticinensis urbis domino et Salvatori nostro devote famulantibus, frater Odilo, Cluniensium[r] pauperum cunctorum peripsima[s, 1], praesentis vitae prospera et sempiterna gaudia. Epitaphium domnae nostrae Adalheidae, imperatricis augustae, descriptum stilo paupere vestrae fraternitati curavi transmittere, ratum fore diiudicans, ut apud vos eius continua recolatur memoria, cuius industria atque prudentia vestri monasterii a fundamentis creverunt aedificia, cuiusque sustentamini[t] larga continuaque[u] munificentia. Non enim ad hoc tam grandem[v] materiem vili brevique sermone perstrinximus, ut ad laudem tantae virtutis atque nobilitatis oratio nostra sufficiat, sed ut aliquis inde vir adeo eruditus occasionem scribendi suscipiat, quatinus res eminens, eminentioribus enucleata sermonibus, imperatricum ac reginarum sonet in auribus, ut dum magna de magnis audierint, et eam[w] de qua loquimur gressibus honestatis sequi studuerint, saltem per eas cura domestica vigeat, sicut per eam res publica longe lateque valebat.

EXPLICIT PRAEFATIO[x]. INCIPIT TEXTUS EIUSDEM LIBRI.

I. In huius igitur aetatis nostrae temporibus cuncta disponens totiusque[y] honoris et honestatis largitor Dominus, primo Ottone in sceptris feliciter agente, Romanae rei publicae in femineo sexu praestitit venerabile decus. Multorum etenim bonorum tunc

l) *vox deest* 2. 5. *In codice* 2. *haec Heinrico II. defuncto addita leguntur:*

Omne quod est plangat, quod posse plangere constat.
Plangere qui nescit Deus est, his planctibus adsit,
Ut releuet casus, patitur quos principe mundus
Heu moriente, preces quem propter fundite fratres!
Caesar Heinricus patrum de nomine dictus
Plangitur, augustus divus celebrisque venustus,
Victor et inuictus, Dei fulgore coruscus.
Clamitet hunc luctus Hieremiae famine fusus,
Commendent domino Dauidica cantica Christo,
Iungant virgineo Salomonis et oscula sponso.
Cuius in obsequio construxit corde benigno
Plurima divinis famulamina cultibus apta.
Ex quibus est templum praeclaro schemate tectum,
Intus et exterius gemino decoramine comptum,
Quem tremuit mundus, iacet in quo carne sepultus.
Spiritus aetherea foelix congaudet in aula.
Suscepturus eam posuit quam tempore glebam,
Ut capiat verae cum sanctis praemia vitae.

m) *tota praefatio deest in* 4—10. n) prologus 3. o) v. A. imperatricis 3. p) Adaleidae *nonnunquam* 1. *scribit.* q) Andrae 1. r) *ita* 1. 2. 3. *et Odilo ipse in charta fundationis coenobii Voltae a.* 1025. *ap. Mabill. Acta SS. O. S. B. VI*, 1. p. 634. s) peripsema 2. t) sustentamine 2. u) continuatim 3. continuat in m. 2. v) magnam 3. w) ea 1. x) prologus. I. vita Adaleidae nobilissimae imperatricis 3. Incipit vita sanctae Adalheidae augustae 4. Epitaphium domnae Adalheidae augustae 5. 6. Incipit prologus in vitam sanctae Adalheidis imperatricis 7. 8. 9. 10. y) totius 7. 8. 9. 10.

1) i. e. immunditiae, ultimus.

accidentium atque virtutum, post Deum, auctrix[a] divae celebrisque[b] memoriae Adalheida extitit imperatrix. Quam cum memoriae succedentium scriptis commendare satagimus, timeo ne digne[c] reprehendamur, ideo quia tantae nobilitatis atque virtutis materiem minus idonei paupere stilo explicare conamur. Quisquis[d] nos reprehenderit, utpote reprehensionis[e] dignos, sive propter incultum sermonem, seu propter rem noviter inceptam, et propter naturalis eloquii simplicitatem, sciat procul dubio, sciat[f], quia non invitavit nos ad hoc humanae laudis appetitus, sed verae et[g] sincerissimae caritatis affectus. Si abhorrere vis, ut quippe merito debes, lector, nostri ingenioli rusticitatem, attende ipsius, quam commendare coepimus[h], mentis et corporis nobilitatem. Si enim vis expectare[i] virum tanta eloquentia vel sapientia praeditum, qui huius feminae possit convenienter describere vitam, necesse est aut Cicero rethor revocetur ab inferis, aut Ieronimus presbiter transmittatur e[k] superis. Si enim ille sanctus et incomparabilis in divina et humana sapientia[l], sacer Ieronimus, fuisset istius augustae temporibus, si Paulam[m] et Eustochiam[n], Marcellam quoque et Melaniam, Fabiolam quoque et Blesillam, Laetam[o] et Demetriadem[p, 2] septiesque[q] percussam commendare curavit libris et epistolis, commendaret utique istam haud voluminibus paucis. Si enim deest talis ut Ieronimus, aut aliquis alius liberalibus disciplinis adeo eruditus, qui possit digne tantae feminae mores et vitam describere, aggrediamur[r] nos indocti, Deo iuvante[s], pro posse[t].

2. Haec, regio ac religioso stemate[3] orta, cum adhuc esset iuvencula et sextum decimum[u] aetatis suae[v] ageret[w] annum, Deo donante adepta est[x] regale matrimonium, iuncta scilicet regi Lothario, Hugonis ditissimi regis Italici filio. Ex cuius contubernio filiam habuit[4], ex qua Lotharius[y], rex Francorum, Ludovicum[z] regem genuit, qui sine liberis mortuus, regio more Compendio dinoscitur fuisse sepultus. Supradicto vero Lothario[*] ante annum circiter tercium postquam domnam[a] Adalheidam duxerat defuncto, remansit ipsa viduata viro, privata regno[b], destituta maritali solatio[c]. Affuit ei persecutio mordax, quae solet purgare electos veluti aurum fornax[*]. Affuit ei, ut vere fatear, nutu divino exterius corporalis[d] afflictio, ne intus cremaret[e] eam, utpote iuvenculam, incentiva[f] carnis libido. Voluit[g] eam Dominus tot verberibus atteri, ne secun-
1.Tim. 5, 6. dum sententiam apostoli Pauli esset vivens vidua in deliciis mortua. Voluit enim eam paterno affectu tot perpeti[h] pericula, ne esset indigna illa filiatione[**], de qua loquitur
Hebr. 12, 6. scriptura: *Castigat Dominus omnem filium quem recipit.* Saepe enim[i] inde gratias Deo referebat, et cum familiaribus fidelibus[k] conferebat[l], quanta et qualia tunc temporis passa fuerit[m], et quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberaverit[n]. Iudicabat enim, oportunius sibi fuisse, ut ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quam vivens in deliciis perpetuae mortis esset subdita legibus.

*) fornax. Non ergo accidit ei tale quid propriis exigentibus culpis[o], sed, ut credimus, potius ex accidentibus divinae providentiae donis. Affuit *codd.* 4—10. **) filiatione divina de *codd* 4—10.

950. 3. Postquam enim mortuus est Lotharius[p], vir eius, honorem regni Italici adeptus est quidam vir nomine Beringarius[q], qui habebat coniugem[r] nomine Willam. A quibus indecenter[s] innocens capta, diversis angustiata cruciatibus, capillis[t] caesarie[u] detractis,
951. Apr. 20. pugnis frequenter agitata[v] et calcibus, una tantum comite famula ad ultimum tetris inclusa carceribus; liberata divinitus, postmodum ordinante Deo imperialibus est sublimata

a) autrix 5. 6. b) celebris 3. c) indigne 3. d) Q. ergo n. 4. e) reprehensioni 4. reprehensione 5. 7. 8. 9. 10. f) *deest* 3. g) ac 4. h) c::pimus *corr.* cupimus 1. cępimus et coepimus *reliqui.* i) exspectare *deleto* s 1. k) ex 7. 8. 9. 10. l) *deest* 7. 8. 9. 10. m) paulum 1. n) eustochium 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. o) lettam 1. p) demedriadete *corr.* demetriadem 1. q) septiesque *deleto* que 1. septies 7. 8. 9. 10. r) adgr. *corr.* aggr. 1. adgr. 2. s) donante 4. t) posse. Explicit Prologus. Incipit vita. Haec 7. 8. 9. 10. u) sextum LEIBN. v) *deest* 4. w) duceret 3. x) *deest* 7. 8. 9. 10. y) hlotharius 4. 5. z) lutho:::uicum 4. ludowigum 7. 8. 9. 10. *) hlothario 4. 5. a) sanctam 7. 8. b) p. r. *desunt* 7. 8. 9. 10. c) consilio 4. 7. 8. 9. 10. consilio et solatio 6. d) corporis 3. e) cremasset 3. f) *deest* 4. g) V. enim e. 7. 8. 9. 10. h) pati 7. 8. 9. 10. i) etenim 7. 8. 9. 10. k) *deest* 4. 5. 6 7. 8. 9. 10. l) referebat *corr.* conf. 1. m) fuerat 2. 7. 8. 9. 10. n) liberauerat *corr.* —rit 1. liberauerat 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. o) meritis 7. 8. 9. 10. p) hlotharius 4. q) berangarius 3. berengarius *corr.* berengerus 4. berengerus 7. r) uxorem 7. 8. 9. 10. s) *deest* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. t) capillorum c. detracta 4. u) caesarię *corr.* —rie 1. caesariei distractis 7. 8. 9. 10. v) exagitata 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

2) De muliere Vercellensi septies icta v. S. Hieron. epist. 49. ad Innocentium. L. III. ep. 7. DUCHESNE. 3) Welforum in Burgundia. 4) Emmam.

culminibus. In ipsa enim[a] nocte qua educebatur de carcere[5], incidit in quandam[*] paludem[c]. (951.) Ubi per dies et noctes sine cibo et potu mansit[d] perseverans, auxilium a Deo sibi subvenire[e] deposcens. Tali cum esset detenta[f] periculo, venit quidam subito (Aug. 20.) piscator navigio,[**] deferens in navicula piscem qui vocatur sturio. Quas cum vidisset[6], interrogavit, quae essent, aut quid ibi agerent. Dederunt sibi responsum, secundum instantem necessitatem satis congruum: *Videsne, quod hic humano consilio peregrinamur*[g] *destitutae, et quod durius est, solitudine periclitamur et fame? Si potes, aliquid nobis victus impende; sin autem*[h]*, solatium*[***] *praebe.* Qui misericordia super eas motus, sicut ipse a quo mittebatur fuerat quondam super pauperes in deserto fame periclitantes Christus, dixit eis: *Nichil nobis adest ad victus necessaria nisi tantum piscis et aqua.* Habebat ignem secum, sicut solent illi qui piscationis exercent negocium. Accensus est ignis, praeparatus est piscis. Sumpsit cibum regina, servivit piscator et famula.

* cuiusdam harundineti pal. *codd.* 4—10. ** piscator cum limbo deferens *codd.* 4—10. *** solatium nobis praebe *codd.* 4—10.

4. Dum haec[i] agerentur, supervenit quidam clericus, qui ei[k] fuerat captivitatis et fugae socius, nuncians adesse exercitum militum armatorum; qui eam cum gaudio accipientes, duxerunt[l] secum ad[m] quoddam inexpugnabile castrum[7]. Postea enim consultu Italicorum principum, praeveniente gratia Dei, de solio regni ad arcem pervenit imperii. (962. Febr. 2.) Haec enim augustarum omnium augustissima nominari et venerari est digna:

Nemo ante illam ita auxit rem publicam.
Cervicosam Germaniam ac fecundam Italiam,
Has cum suis principibus Romanis subdidit[n] arcibus.
Ottonem, regem nobilem, Romae praefecit caesarem,
Ex quo genuit filium, imperio dignissimum.

5. De nobilitate carnis satis dicta sufficiant. Nobilitatem vero mentis quomodo vel qualiter exercuit, mortalium nemo dicere sufficit. Sed ut pro modulo compendiose loquar:

Spe fideque certa, atque[o] gemina pleniter caritate referta[*],
Iusta satis, fortis, prudens nimiumque modesta
Extitit, et vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.

Prolata tamen Salomonis sapientis famine[q], huic sanctissimae conveniunt feminae: (Prov. 31, 20–29.) *Manus suas*, inquit, *aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suae a frigoribus nivis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum*[r] *eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus*[s] *terrae. Fortitudo et decor indumentum eius et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius*[t]. *Consideravit*[u] *semitas domus suae, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt, et vir eius laudavit eam. Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Haec enim quae de ea dicimus, non modo auditu, sed et[v] visu et experimento cognovimus. Multa ab ea salutis verba audivimus, plurima dona suscepimus. Saepe enim[w] indigentes nummo, fecit esse[w*] divites auro; carentes enim[x] aliquando cottidianis sumptibus, fecit esse claros honoribus. Haec[**] ad decorem mundi, primi et maximi Ottonis, toto orbe famosissimi[y] imperatoris[z], coniux, et ad multorum profectum[*] imperatorum genitrix, illa meruit benedictione potiri, quam meruisse perfrui

* Speque fide certa gemina caritate referta *codd.* 4—10. ** Haec enim ad *codd.* 4—10.

a) *deest* 7—10. c) palude 4. 5. 6. paludem cum una ancilla 8. d) permansit 1. e) subuenire *corr.* uenire 1. f) de tanto *corr.* detenta 1. g) *deest* 7—10. h) a. minus s. 10. i) h. ita a. 7—10. k) eius 4—10. l) deduxerunt 4—10. m) in 6—10. n) subdit 6. o) atque gemina pleniter caritate r. *deleto* caritate 1. q) famina 2. 9. 10. r) vestimentum 3. 10. s) senioribus 1. 2. t) eius et caetera. Haec *media desunt* 4. u) considerat 5—10. v) *deest* 4. 5. 6. w) *deest* 4. w*) esse — fecit *desunt* 1. 2. 3. x) *deest* 3. 4. 5. 6. y) famosissima 7—10. z) *deest* 5. 7—10. *) provectum 5. 7-10.

5) castri Gardae. Donnizo. 6) scil. piscator. 7) Canusium Leo Ostiensis et Donnizo nominant.

legimus Tobiam in eiusdem patris volumine, videlicet ut videret filios filiorum usque in terciam[a] generationem.

973. 6. Postquam enim[b] augustissimus Otto universae carnis ingressus est viam, augusta cum filio Romani imperii feliciter diu gubernavit monarchiam. Sed postquam divino nutu ipsius augustae meritis et industria solidatus[c] fuerat Romani imperii[d] principatus, non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt seminare[e] discordiam. Quorum deceptus adulatione, recessit corde caesar a matre. Si commendaremus litteris, quanta et qualia passa fuerit[f] tunc[g] temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stilo, quod cito sedavit humilis satisfactio. Filium diligens,
978. auctores discordiae ferre non valens, secundum apostoli praeceptum dans ad modicum
Rom. 12, 19. irae locum, paternum decrevit expetere regnum. Ubi a fratre, rege scilicet Chuonrado[h], et nobilissima Mahtildę[8] eius coniugę benigne et honorabiliter est suscepta. Tristabatur de absentia eius Germania, laetabatur in adventu eius tota Burgundia[i], exultabat Lugdunus[k] philosophiae quondam mater et nutrix urbs inclita[l], necnon et[m] Vienna nobilis sedes regia.

980. 7. Postmodum vero caesar Otto ductus poenitentia, direxit legationem regi avunculo et sanctae recordationis patri Maiolo, sub celerrima festinatione obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam suis[n] exigentibus culpis[o] perdiderat, eorum interventibus[p] promereri posset; orans iterum eos et[q] obsecrans, ut[r] quantocius possent una cum augusta matre Papiam[s] ei studerent occurrere. Tantorum enim virorum usa con-
Dec. silio, apud Papiam[9] tempore statuto[t] occurrit mater filio. Quo cum mutuo se cernerent, flendo et lacrimando, toto corpore solo prostrati, humiliter se salutare coeperunt. Affuit in filio humilis poenitudo, erat in matre liberalis[u] remissio; permansit in utrisque de caetero perpetuae pacis indivisa[v] conexio.

983. 8. Non post multum[w] vero temporis unico orbata[x] filio, cui successit[y] tercius ex Graeca genitus Otto. Igitur reciduis[z] diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula, quot et qualia post mortem filii sibi successerunt incommoda. Licet illa imperatrix Graeca sibi et aliis fuisset satis utilis et optima, socrui tamen augustae fuit
991. ex parte contraria. Ad postremum vero cuiusdam Graeci[10] aliorumque adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens: *Si integrum annum supervixero, non dominabitur Adalheida in toto mundo, quod non*[*] *possit circumdari palmo*[a] *uno.* Quam sentenciam inconsulte prolatam divina censura fecit esse veracem. Ante
Iun. 15. quattuor ebdomadas Graeca imperatrix ab hac luce discessit; augusta Adalheida superstes felixque remansit. Perseverabat[*] discrimina mundi lugens et deflens, curam tamen Romani imperii necessario gerens. Otto vero tercius, unici sui filius, a primatibus regni felicissime et honestissime educatus, nichil erga illam egit, nisi quod illam et
996. Mai. 21. illum decuit. Iccirco meritis aviae[b] et industria[c] primatum[d], Romanum[**] adeptus est principatum. Ab ipsa enim aetate primaeva iam dicta imperatrix multa ab extraneis
Psalm. 128, 1. sive a[e] domesticis fuerat perpessa, ut posset[f] dicere cum propheta: *Saepe expugnaverunt me a iuventute mea* et[g] caetera. Dicebat enim saepe illud apostoli[h]:
Rom. 8, 18. *Existimo enim, quod non sint*[i] *condignae passiones huius temporis ad superventuram*[k] *gloriam, quae revela-*
2. Tim. 2, 12. *bitur in nobis*[***]. *Si compatimur, et conregnabimus;* et iterum:
2. Cor. 1, 7. *Si fuerimus socii passionum*[l], *erimus et consolationum.* Multis bonum[m] pro malo reddidit, et secundum Domini[n]
Eph. 4, 26. praeceptum, peccantibus in se ante solis occasum dimisit. Nichil ex obiectis iniuriis

* Perseverabat autem discrimina *codd.* 4—10. ** romani imperii *codd.* 4—10. *** nobis. Et alio loco: *Si codd.* 4—10.

a) t. et quartam g. 4. b) *deest* 1. c) solidatum 4? 5—10. d) pr. imperium 4—10. e) disseminare 7—10. f) sit 7—10. g) *deest* 4. h) Conrado *hic* 1. i) burgunnia 1. k) lugdunum 7—10. l) u. i. *desunt* 7—10. m) *deest* 4. n) propriis 7—10. o) meritis 4. p) interuentu 4. interuentionibus 7—10. q) i. atque o. 4. r) et 1. s) pappiam 1. *saepius.* t) constituto 7—10. u) liberaris 5. v) *deest* 6—10. w) multo post 4. x) o. est f. 7—10. y) succedit 3. z) recidiuis 5—10. *est vox eadem.* *) *deest* 4. quin 7—10. a) palino 1. b) auae *constanter* 3. c) industriae 1. d) primarum 4. e) iam 3. f) possit 4. 7—10. g) et c. *desunt* 4. h) apostolicum 4—10. i) sunt 2. k) superfuturam 2. l) passionis — consolationis 4—10. m) bona p. malis 4. n) apostoli 7—10.

8) filia Ludowici IV. Gallorum regis. 9) Otto d. 5. Decembris a. 980. Ticini commoratus est; eum pascha a. 981. cum matre et uxore Romae celebrasse, ex fonte antiquo Halberstadiensi Chronographus Saxo refert. 10) Iohannis Calabritani.

sibi reservabat, sed totum Domino committebat, sciens[a] esse dictum a Domino per pro- Rom. phetam: *Michi vindictam*[b], *ego retribuam.* 12, 9. Parcite, quaeso, quibus pepercit! Et dicamus pro tempore, quibus in adversitatibus quibusve studiis in prosperitatibus inservire contendit. Quot enim in primis cum caesare, deinde[c] cum filio et filii filio, Ottonum[d] videlicet augustorum et caesarum Deo annuente possederat regna, tot ex propriis sumptibus ad honorem Regis regum condidit monasteria.

9. In patris vero, Rodulfi[e] videlicet[f] nobilissimi regis, et domni Chuonradi[g] fratris regno[h], loco videlicet Paterniaco[11], ubi matrem reginam vocabulo[i] Bertham[k][12], Deo in 12 omni humilitate[l] devotam, sepulturae tradidit, in honorem Dei genitricis monasterium 973. condidit, et sanctissimo patri Maiolo suisque successoribus sua munificentia et fratris sui Chuonradi regis praecepto ordinandum, perpetuo commisit[m][13]. Postmodum in Italia iuxta Ticinensem urbem monasterium a fundamentis[n] incepit et ad honorem Salvatoris 981. mundi honorifice imperiali auctoritate et sua largissima[o] donatione perfecit, praediis et ornamentis amplissime ditavit[p], ac iam dicto patri[p*] Maiolo ordinandum regulariter tradidit[14]. In Saxonia vero post discessum[q] iam dicti rei publicae principis, cooperante unica[r] sapientissima et prudentissima filia[15], sanctimonialium coenobiis plurima con- 15 tulit dona.

10. Ante duodecimum circiter obitus sui annum, in loco qui dicitur Salsa[16] urbem 987. decrevit fieri sub libertate Romana[17], quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum. In ipso etiam[s] loco monasterium a fundamentis miro opere condidit, et ad honorem Dei et apostolorum principis, tertio imperante Ottone nepote[*] suo in praesentiarum secum[t] asstante[u], quarto decimo Kalendas Decembris[18] augustissime et devo- 996. tissime a Wideraldo[v] Argentinae civitatis episcopo consecrari[w] iussit. Nov. 18. Et ut maiori auctoritate per succedentia[x] temporum[y] esset ille sacer locus subnixus[z], cum praefato caesare est etiam episcoporum conventus a saepe dicta et saepe dicenda Adalheida augusta, ipsius caesaris avia, convocatus. In ipso vero[*] monasterio claustrum monachis satis aptum praeparavit, et secundum regulam sancti Benedicti ordinare decrevit. Abbatem ibi praefecit nomine Eccemagnum[a][19], boni testimonii virum, humana scientia et divina sapientia doctum, quem in divinis litteris habere voluit assidue praeceptorem. Ipsum vero monasterium[b] adeo ditavit et nobilitavit praediis, aedificiis, auro et gemmis, et[c] vestibus preciosissimis, aliisque variis ornatuum supellectilibus[d], ut nichil deesset illo in loco Deo famulantibus. Quattuor[20] quod[e] supervixerat[f] annos Creatori suo 20 sua seque dando, pauperes Christi et servos sibi adquisivit amicos, ut cum[g] temporalia deficerent, in aeterna tabernacula[h] eam reciperent[i].

* nepote videlicet suo *codd.* 4—10.

11. Cum igitur summis rei publicae fascibus implicata teneretur, variis miserorum et inopum anxietatibus subsidia praebere non dedignabatur. Cumque mirificis, ut impe-

a) siens 1. b) v. et ego 7—10. c) inde 2. 7—10. d) ottonem 1. e) ruotholfi 4. f) v. n. r. et d. C. f. r. loco *desunt* 8. v. et n. 7. 9. 10. g) chunradi 4. h) regni 7. 9. 10. i) nomine 3. k) bertam 1. l) bonitate 2. 4—6. m) o. permisit 1. n) fundamento 3. o) largissimi 1. p) p. et o. a. d. *desunt* 3? 7—10. q) decessum 6. r) u. et s. 7—10. s) enim 10. t) suarum 4. u) adstante 2. v) wilderaldo 10. p*) *deest* 3? 7—10. w) consecrare 7—10. x) succedentium 7—10. y) t. curricula 9. z) subnixius 1. *) etiam 7—10. a) ecce magnum 1. 2. 3. eccmannum 4. 6. ecemagnum 5. essemannum 8. ezemannum 7. ezzemannum 9. 10. b) *deest* 7—10. c) *deest* 4—10. d) suppell. 1. 4. 6. e) *i. q.* quot; — quos 2. 3. 4. 7—10. f) uixerat 5. g) non 10 h) *deest* 1. i) susciperent 7—10.

11) Peterlingen, ab occidente Friburgi Helvetici. Chartas regias inde ab a. 974. in favorem monasterii editas v. in Schoepflini Alsatia dipl. I. Ceterum monasterium anno 961. a Bertha Adalheidae matre fundatum erat; v. chartam in Guichenon Bibl. Sebus. p. 1. sqq. 12) filiam Burchardi, ducis Alamanniae. 13) cf. Ottonis II. chartam d. 25. Iulii a. 979. apud Schoepflinum Als. dipl. I. 124. 14) v. Ottonis II. chartam anno 981. Sept. 30. apud Margarin. Bullar. Casin. II. 53. qua tamen anteriores Ottonis I. et Adalheidae donationes confirmantur, quarum chartae non supersunt. 15) Mahthildis, abbatissa Quedlinburgensis. 16) Seltz in Alsatia; chartas regias a. 992 et sqq. eidem concessas v. apud Schoepflinum l. c. 17) Ex chartis monasterio concessis apparet, locum ab Ottone III. et Heinrico II. immunitate regia donatum, et a Iohanne XVI. iurisdictioni episcopali exemtum, Romanae ecclesiae „non potestate donationis sed libertatis tantum causa subiectum“ fuisse; v. Schoepflin. l. c. p. 139. 145. Libertatem igitur Romanam de immunitate loci regia intelligo. — Cf. et Cl. Eichhorn Staats- und Rechtsgeschichte §. 224. 18) a. 996; nam d. 19. Nov. a. 995. Otto Aquisgrani chartis subscripsit. 19) Ezemannus in charta Heinrici II. audit. 20) tribus potius.

riali dignitati congruebat, valeret[a] corpus decorare indumentis et preciosissimis caput redimire[b] gemmis, talibus nolebat se gravare[c] implicamentis; sed aut pauperibus largienda decernebat, aut dominicae crucis vexilla[d] et Christi euangelia[e] exinde adornari[f] parabat[g]; sedula imitatrix sui existens Redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abiecta perpeti[h] non est dedignatus. Innumeris praeterea tam canonicorum quam etiam monachorum et sanctimonialium coenobiis, circumquaque per diversas orbis partes constitutis, plurima largiebatur beneficia[i], quatinus Deo famulantium agmina eius munifica dapsilitate recreata, liberius sibi reique publicae divinitus conferenda implora-
21 rent suffragia[21].

12. In cunctis enim quae gessit iusticiae formam tenuit, communem liberalitatem servavit; credens, eum procul dubio iudicem futurum, quem et occulta non fallant[k] et indecora offendant et honesta delectent[l]. Quapropter iusticia cernebatur[m] excelsa, liberalitate gratissima, beneficentiae opera locans super[n] Christum, quem beatus apostolus ponit[o] fundamentum[p]; intelligens prudenter, fidem esse fundamentum omnium[q] virtutum. Usa[r] est ergo perfecta liberalitate, ut silentio, quantum valeret, opus suum tegeret[s] et necessitatibus singulorum cuperet subvenire; quatinus eam non labia sua, sed Christi pauperum laudarent ora, ut iam in ea impletum[t] videretur, quod beati Iob
Iob. 29, 13. voce profertur: *Benedictio perituri in me veniebat.* Diligenti illud consideratione per-
Eccli. 29, 12. pendere studebat iuxta ipsius vatis assertionem, ut ab eius tecto nunquam[u] vacuo sinu pauper exiret; ut talibus intenta commerciis adquirere valeret in terra viventium hereditatem supernae sortis[v].

999. 13. Iam iamque ultimo aetatis suae anno, cum[w] non lateret eam, ut credo, exituram de seculo, pacis ut semper amica, pacis[x] caritatisque causa paternum solum[y] adiit, fidelibus nepotis sui Rodulfi[z] regis inter se litigantibus, quibus potuit, pacis foedera contulit, quibus non potuit, more sibi solito Deo totum commisit. De caetero quam studiose, quam devotissime loca sanctorum curavit visitare, non est* facultatis evolvere. In ipso quoque tempore monasterium Paterniacum adiit, quod* ipsa ad honorem Dei genitricis, pro remedio animae suae matris ibi requiescentis, tam ex suis quam ex[a] maternis rebus nobiliter[b] condidit; et quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, ut semper erat solita, manu largissima sumministravit[c].

* est nostrae facultatis *codd.* 4—10.

14. Accidit[d] tunc aliquid novum, quod huic operi iudicavimus inserendum. Fati-
22 gata ex itinere, non potuit more solito manu propria elemosinam dare pauperibus[22], et vocavit unum de fratribus, qui vice sua nummos daret pauperibus. Eius[e] iussu ventum est ad pauperes. Excessit[f] numerus pauperum denariorum numerum. Timuit minister minus habere, quam indigentibus posset sufficere. Quid multa?

Affuit[g] augustae meritis virtus illius, qui
Quinque[h] ex panibus saciavit milia plebis.

Multiplicatis[i] denariis recesserunt pauperes cum munere laeti.

15. Egressa inde, locum Agaunensium petiit, ubi rupes[k] felicissima martyrum milia[l] retinet corpora. Quanta cum devotione, quanta[m] cum reverentia magni martyris Mauricii sociorumque eius expostulavit suffragia? Quot gemitus[n] eius ibi fuerunt? Quot[o] suspiria? Quot luctus? Quot[p] lacrimarum flumina? Nunquam fuerunt, ut reor, ulla peccamina, quae tunc non mererentur aeterna remedia. Si enim respiceres augustae faciem, excedere diceres[q] humanam effigiem; quam[r], si aliud aliquid labiis promeret,
Psalm. 141, 3. nichil aliud crederes, quam ut[s] propheticum illud evolveret[t]: *Effundo in conspectu eius*

a) ualebat 2 b) redi *corr.* radiare 1. c) grauari 4—10. d) *deest* 1. e) euangelica 5. f) adornare 3. g) praeparabat 7—10. h) *deest* 7—10. i) dona 4. k) fallunt 4. l) delectant 1. 3. m) uidebatur 7—10. n) supra 2. 5. o) *deest* 1. 2. 3. p) f. i. p. f. e. *desunt* 7. q) o. dixit v. 3. r) Uersa 5. s) tegere 5—10. t) i. ē. v. 1. u) numquam 2. v) s. s. *desunt* 4. w) c. iam n. 4. x) *deest* 6. 9. 10. y) solun *corr.* sol 1. z) ruotholfi 4. *) q. ab i. 7—10. a) *deest* 7—10. b) *deest* 4? 7—10. c) subm. 2. d) A. autem t. 3. e) Et 3. Ex e. 7—10. f) excedit 7—10. g) Adf. 2. h) quinis 4—10. i) Multiplicati denarii; r. 5. k) rupis 4. 5. l) *desst* 3. m) *deest* 7—10. n) *deest* 7—10. o) *deest* 7—10. p) *deest* 10. q) crederes 7—10. r) Quod 2. s) *deest* 9. 10. t) evolvere 10.

21) cf. Ann. Quedlinb. a. 999. 22) cf. Ann. Quedlinburg. a. 999. SS. III, 76.

orationem meam[a]*; tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quae fuit maxima eius [999.] tribulatio pro cunctis a lege Dei declinantibus caritativa compassio, ut posset dicere[b] [Psalm. 118,53.] cum propheta: *Defectio tenuit me pro peccatoribus*, et cum Paulo: *Quis infirmatur, et* [2 Cor. 11, 29] *ego non*[c] *infirmor**? Ita deplorabat[d] aliorum peccata, qualiter non possunt multi propria deplorare discrimina. Laetabatur in gravitate et profectibus praeteritorum; tristabatur cotidie[e] in defectibus praesentium maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico, prophetiae spiritum procul dubio eam habuisse denuncio. Adesset[f] enim in sermone defectus, si non[g] essem publico documento expertus.

* *infirmor?* et caetera. Ita *codd.* 4—10.

16. Cum enim esset ab illo sacro loco egressura, et secum staret in angulo aecclesiae orationis gratia, quidam nuncius venit ad eam de Italia, Franconem Wangionensem[h] episcopum nuntiavit[i] Romae fuisse defunctum[23]. Et quia vir boni testimonii [23] erat, domna augusta valde illum[k] diligebat, sicut et omnes bonos diligere solita erat. Et statim ut eius obitum audivit, ex familiaribus qui aderant unum vocavit, et ut pro eo[l] Domino preces funderet[l*] humiliter rogavit, et quasi in excessu mentis ita exorsa est dicens: *Quid faciam, Domine, vel quid dicam de illo seniore nostro et*[m] *nepote meo? Peribunt in Italia, ut credo, multi cum eo; peribit post ipsos*[n]*, ut timeo, heu misera! augustae indolis Otto; remanebo omni humano destituta solacio. Absit, o domine rex seculorum*[o]*, ut videam superstes tam lugubre dispendium!* Tunc videres[p] augustam toto corpore solo[q] prostratam, non minus crederes[r] eam toto[s] mentis adnisu coelo intentam, et quasi iam martyris Mauricii vestigia invenisse ac lacrimoso[t] ore perlingere[u]. Post paululum vero ab oratione surrexit; munera martyribus, elemosinam dedit pauperibus.

17. Dehinc Genevensem[v] adiit urbem, desiderans videre victoriosissimi Victoris martyris aulam. Inde Lausonam[w] venit, ibique memoriam Dei genitricis devotissimę adoravit. Quibus in locis a rege et ab episcopis, suis videlicet nepotibus, honorabiliter suscepta, devenit in vicum qui vocatur Urba[24]. In ipso enim[x] vico aliquandiu demo- [24] rata, egenis supervenientibus et miseris quotquot potuit tribuit[y] necessaria. Cum rege et[z] principibus patriae pacis et honestatis conferens negocia; inde etiam sacris locis diversa et varia direxit donaria. Quae enim aecclesia, quae monachorum coenobia, sibi affinitate vel vicinitate coniuncta, quae non mererentur[*] habere[*] donaria vel exenia[b]? Et ut pauca[c] de multis dicam, in[d] ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus[e], beatissimum patrem Benedictum[25], licet exiguis, tamen propriis visitavit muneribus; necnon et beatae recordationis patrem Maiolum, coelesti gloria iam coronatum, quem, dum in hac mortali carne[f] subsisteret, prae cunctis mortalibus in[g] illo ordine diligebat. Non enim[g*] oblita[h] Cluniacum, adeo sibi familiare coenobium. Ad restaurandum igitur beatissimi confessoris Christi Martini[26] monasterium, quod non[i] multo ante[27] fuerat igne [27] combustum, destinavit transmittere[k] non modicum argentum, et ad honorem altaris partem[l] unici filii sui Ottonis augusti clamidis[m].

* habere eius dona *codd.* 4—10.

18. Ut enim ad memoriam reducamus eius dulcissima verba ad eum cuius mittebantur[n] officio, ait inter caetera: *Obsecro, karissime, obsecro, ut ita alloquaris sanctissimum sacerdotem*[o]: „*Meo obsequio accipe, sacerdos Dei, parva munuscula, quae tibi delegavit Adalheida, servorum Dei ancilla, ex se peccatrix, dono Dei imperatrix. Accipe unici mei Ottonis augusti clamidis partem, et ora pro eo ad ipsum, quem veste divisa vestisti in paupere, Christum*“. In illo die, in quo de[p] supradicto loco[q] erat exitura, una eademque hora, nobis peccatoribus asstantibus[r], et exemplum perfectae humilitatis reliquit, et prophetiae spiritum, non arroganter sed humiliter, se habere ostendit.

a) m. et t. 7—10. b) d. domino cum p. 3. c) *deest* 1. d) deplorat 1. e) *deest* 4. f) Id esset 10. g) nisi 7—10. h) ::uangionensem 1. i) nuncians 4. k) eum 10. l) *deest* 10. l*) effunderet 7—10. m) et n. m. *desunt* 3. n) ipsum 3. o) celorum 3. p) uidens 3. q) *deest* 4. r) videres 9. *deest* 10. s) *deest* 4. t) a lymphatico 4—6. ac lymphatico 7—10. u) pertingere 2. v) Geuensem 4. geneuensium 7—10. w) lausoniam 7—10. x) *deest* 4. y) *deest* 9. suppeditavit 10. z) et cum p. 4. *) merentur 4. 5. b) xenia 2. 4—10. c) parva 4. 5. 8. 9. 10. d) *deest* 4? 9. 10. e) suppremus 1. f) hac uita 7—10. g) *deest* 1. 7—9. ex 10. g*) *deest* 4. h) o. est c. 3. i) *deest* 4. k) *deest* 4. l) *deest* 4. m) a. partem cl. 4. n) mittebantur *corr.* mittebatur 1. mittebatur 10. o) a. s. Christi 4. a. s. confessorem 7—10. p) *deest* 10. q) *deest* 4. r) adst. 2.

23) cf. Thietmari chron. IV. 39. 24) Orbe. 25) Casini. 26) Turonis. 27) a. 997. d. 8. Kal. Augusti.

999. 19. Erat quidam ibi in praesentia ipsius monachus, qui licet esset indignus abbas
28 vocitari[a], ab ea tamen putabatur alicuius esse[b] momenti[28]. Quem cum illa respiceret[c], et ipse eam esset intuitus, coepit uterque flere uberius. Dicam eam* plus fecisse, quam si dicerem[d], eam multos infirmos sanasse. Vestem enim satis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, et sanctissimis oculis et serenissimae suae faciei osculando impressit, eique[e] humiliter[f] et cum silentio dixit: *Memento mei, fili*[g], *in contemplativis, et scias, me non amplius te visurum*[h] *corporalibus oculis. Cum enim*[i] *humanis rebus excessero, orationibus fratrum animam meam committo.* Inde per iter, quo venerat, pervenit ad locum[29], ubi ordinante Deo decreverat sibi parare[k] sepulchrum.

* eam tunc plus *codd.* 4—10.

20. In ipso igitur ultimo sui temporalis cursus itinere[l] erigebat se, in quantum valuit, super se, ut divinae contemplationi, spreto secularium turbine, libere posset insistere. Familiaris[m] rei negocium erat sibi etiam importunum. Transegerat iam strenue[n] Liae et Marthae satis laudabilem[o] actum; optabat appetere[p] Rachelis et Mariae desiderabile otium. Itaque[q] lectionibus intenta, assidua[r] orationibus, respuebat terrena, inhians tota mente coelestibus. Et si aliquis eam de secularibus negociis interpellaret, non ad hoc responsum dabat, sed apostolicum illud lugens in corde volvebat: *Misera*
Rom. 7, 24. *ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et secura de spe divinae retributionis aiebat: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Deinde edocta coelesti magisterio, devenit
Dec. 7. ad locum, ubi ultimum[s] spiritum erat redditura Deo. Instabat enim dies, in qua devotio annua agebatur pro filii sui Ottonis augusti memoria. Confluxerat ad eam ex adiacentibus locis, ut semper faciebant, pauperum plebes.

21. Erat ei consuetudo talis, ut in amicorum et familiarium suorum anniversariis spiritale donativum suis spiritalibus erogaret[t] militibus, elemosinam dico Christi pauperibus. Erat autem[u] indigentium[v] multitudo ordinatim constituta in loco[w]. Ad quos ipsa venit, et exemplo Abrahae patriarchae[x] Deum inter illos esse non dubitans, humiliter adoravit; et oblita infirmitatis suae, super vires[y] temptavit[z] aggredi*; singulis manu propria tribuit, et quos miserabiliores vidit, vestimenta[a] vel alia munuscula dedit. Finito
30 isto spiritali negotio, a quodam venerabili archiepiscopo[30] missas fecit[b] celebrari pro filio. In ipsa enim nocte a[c] febre corripitur, et per aliquot dies ingravescente mole infirmitatis, ad extremum usque perducitur[d]. Adhuc autem[e] pro posse intenta erat in oratione, et oculis, desiderantibus Christum, nichil aliud dignabatur aspicere. Resumptis aliquantulum viribus corporis, muniri se rogavit attentius mysteriis ecclesiasticis. Tum sacri olei unctione peruncta, sacramentum dominici corporis humiliter et devotissime adorando percepit, in quem semper speravit et credidit. Talibus deinde[f] fulta praesidiis talique pasta convivio, dixit senioribus qui asstabant[g] et clero, ut psalmos poenitentiales[h] cantarent et nomina sanctorum ecclesiastico more recitarent. Quo facto, cum psallentibus psallebat, cum orantibus orabat, usque ad illum locum, ubi Deum sibi adesse precabatur propitium. Erat autem nesciens[i] cum sorore Moysi tenere tympanum et chorum, cum David chordas et organum; sed assumptis bene sonantibus cymbalis cum[k] sequentibus agnum, tota iam versabatur in iubilum.

22. Anno igitur[l] instante ab incarnatione Domini millesimo, desiderans videre diem unum nescientem occasum in atriis Domini super milia, dicebat saepe cum apostolo:
Philip. 1, 23. *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Praestolans etiam in praesentiarum cum spiritali laetitia eiusdem domini Iesu Christi nativitatis[m] festum, cum sextum decimum diem sol-
Dec. 16. 17. veret December felix[31], et ipsa feliciter deposito carnis onere, evolavit ad purum purissimi aetheris fulgorem[n]. Erat enim ei cum domesticis gravis iocunditas, cum extra-

a) uocari 7. 9. 10 b) *deest* 9. 10. c) cum insp. 7—10. d) dicam m. 7—10. e) itaque 2. f) familiariter 4—10. g) filii 10. h) uisuram 2. 4. 7—10. i) *deest* 1. k) parari 4. 6—10. parari *corr.* parare 5. l) temporis cursu e. 4. m) familius 1. familiarius 2. 3. 7—10. n) st. l. et m. s. l. a. *desunt* 3. o) laudabile 5. 6. p) *deest* 1. q) Et ita 4. r) assidue *corr.* assidua 1. s) *deest* 1. 3. t) *deest* 4. u) *deest* 4. v) indigentibus 10. w) loca 10. x) *deest* 2. y) v. suas t. 9. z) *reliqua codicis* 1. *abscisa sunt.* *) adg. 2. aggredere 5. 6. a) uestimentis induit aliaque 4. b) petit 6—10. c) iam 3. d) deducitur 6—10. e) enim 4. f) *deest* 7—10. g) adst. 2. h) poenitentiae 4. i) Erat enim sciens 4—10. k) *deest* 7—10. l) autem 3. m) *deest* 2. n) *hic desinit* 7.

28) ipse Odilo. 29) Seltz. 30) Willegisus Moguntinus fuerit. 31) igitur ipsa media nocte, qua de causa in necrologiis et annalibus vel diei 16. vel 17. Decembris obitus adscribitur.

neis honestissima gravitas, in pauperibus vero[a] infatigabilis pietas, in honorandis aecclesiis Dei affluentissima largitas, erga bonos perseverans benignitas, contra improbos[b] liberalis severitas, in appetendis timor, in appetitis[c] vigor, in prosperitatibus vera humilitas, in adversitatibus patiens longanimitas, in victu cotidiano sobrietas, in vestitu etiam mediocritas, in[d] lectionibus et orationibus[e] vigiliis et ieiuniis assiduitas, in dandis elemosinis una eademque voluntas. De nobilitate carnis nulla[f] eam praepediebat elatio, nulla de[g] bonitate[h] sibi a Deo concessa ad se trahi[i] poterat humanae laudis cupido. Nulla[k] de virtutibus a Deo sibi concessis praesumptio, nulla de excessibus propriis dominabatur[l] ei suasa[m] desperatio; nulla de honoribus divitiis et deliciis[n] mundi in ea[o] principabatur ambitio; sed comitabatur eam in[o*] omnibus omnium virtutum mater discretio. Eratque ei in fide secura firmitas, in spe firma securitas, in[p] dilectione Dei et proximi radix omnium bonorum principalisque[q] causa virtutum caritas. Sed ut vere fatear, quanta[r] et qualis fuerit eius vita, clarescentibus ad sepulchrum eius miraculorum prodigiis, virtus patefecit divina. Quae[s] si describerentur ex ordine, proprio indigerent volumine; non enim possunt nostro explicari eloquio. Sed ne ex toto remaneant tecta silentio, prolixitatem loquendi vitando, brevi comprehendere placuit capitulo.

23. Ad sepulchrum eius caeci amissa oculorum lumina recipiunt, paralitici valitudinem corporum. Febricitantes sanantur ibi. Ex[t] diversis infirmitatibus multi reparantur infirmi, gratia et miseratione domini nostri Iesu Christi[u].

LIBER MIRACULORUM*.

PROLOGUS IN LIBRUM SECUNDUM.

Quia superiori stylo evidenter patet, quanta sedulitate beatam Martham haec Dei ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua supernae speculationis indicia[v] proferre, quibus sororem eius Mariam perfectius assecutam possimus conicere. Insuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipsa corpus suum iuxta apostoli praeceptum castum et pudicum servando, templum Dei[w] vivi[x] promeruerit pleniter effici. Namque[y] cum per omne vitae tempus regalibus divitiis et dignis suo generi facultatibus abundaret, carnem a primaevo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanae gloriae culmen mentis despectu conculcans, Christo soli, videlicet[z] iustitiae, per coelestis contemplationis desiderium in tantum astare cognoscitur, ut cum suavi voce psalmistae concordaret, qui bonum suum non regni deliciis frui, sed Deo inhaerere conclusit.

EXPLICIT PROLOGUS.

MIRACULA EIUSDEM ADELHEIDIS REGINAE*.

1. Quadam vero die cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam clericorum quam laicorum consideret, tamque[a] purissimae epulae necessitati omnium satisfacerent, uti mos est sanctarum mentium, pro declinando favore alia foris ostendere et alia intus agere, ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit; sicque non ad suam voluptatem, sed ad aliorum voluntatem convivium protraxit, cum[b] subito colore faciei cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam cecidit[c]; atque in hoc non insolentiae notam accidisse, sed mira quaedam per divinam revelationem se[d] sensisse, cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc portenderet, admirante nec quaerere praesumente, illa ad euangelicae perfectionis decorem celavit multitudinem[e] secreti dignitatem, solumque Augustensem episcopum, nomine Dudonem[32], sibi pro vitae 994.

a) *deest* 3. b) impios 8—10. c) a. u. in *desunt* 8—10. d) in 1. et o. v. et i. *desunt* 6. e) o. et 8. 9. o. et in 10. f) *deest* 2. g) ex 10. h) potestate 8—10. i) attrahere 4. trahere 8—10. k) N. d. v. a. D. s. c. p. *desunt* 10. l) denominabatur 2. m) malesuada 4. 8—10. male suasa 5. 6. n) d. huius m. 3. o) eam 4—6. 8—10. o*) *deest* 7. 9. 10. p) in — caritas. Sed *desunt* 8—10. q) principalis 4. r) f. quae et q. 8—10. s) *Reliqua desiderantur in* 8. 9. t) et ex 4—6. u) cui est gloria in secula seculorum amen. 2. cui est honor et gl. in s. s. a. 3. qui regit ambitum caeli per omnia seculorum secula amen 4. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia sęcula sęculorum amen. Explicit uita sanctae Adalheidae imperatricis augustae composita a venerando patre Ottone Cluniacensis loci abbate. v) iudicia 10. w) deo 10. x) *deest* 9. 10. y) Nam 9. 10. z) v. et i. 9. 10. *) *haec desunt* 10. Incipit liber de miraculis 9. a) consederet iamque 10. b) tunc 9. 10. c) decidit 9. 10. d) *deest* 9. 10. e) multitudini 9. 10.

32) i. q. Liutoldus, qui sedit a. 989—996. *) ex cod. Bodecensi, Canisio et Hartmanno.

meritis familiarem iugique obsequio inhaerentem, tali dignata est alloqui[a] praefatione: *Nunc, pater venerabilis, multa opus est[b] consolatione, quia paries[c] vestrae occidentalis matrinae ecclesiae lapsus est divina dispositione. Tanta vero iactura non magis vestrae prudentiae sollicitudinem ad restaurationem sui ingerit, quam pro vestra vexatione sive communi damno ecclesiae nostrae[d] menti moeroris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in divinitatis tranquillitate iubeo et persuadeo, quae sine mutabilitatis vicissitudine sola[e] inaccessibile lumen inhabitans, omnia quodammodo moveri pro nostro reatu permittit, sed plura[f] ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet.* Praesul vero tam praesagio quam rerum damno perturbatus, tempus praefatae ruinae diligenter notavit, nunciumque pro experienda ratione reique veritate Augustam festinanter direxit; cuius relatione, casum contigisse et horam convenisse iuxta Dei famulae praefationem, cognovit.

2. Alio quoque tempore huic praesagio simile prodigium ab ipsa patuit, quod tanto magis admiratione extitit dignum, quanto et loco et tempore rei eventu fuerat diversum. Filius namque illius Romanae rei publicae princeps electus, dum uxorem[g] Graecam in thalami consortium suscepisset, eius pravo ingenio[h], deteriori consilio deceptus, regnum Graecorum conatus est adipisci. Igitur exercitu ex omni copia[i] collecto, fines Italiae
982. excessit, atque ita regi Graecorum patrandi belli occasionem dedit, sibi vero suisque famae ac vitae contulit amissionem. Interim pia mater eius die noctuque[k] divinis cultibus insistens, felicis Annae[l] devotionem[m] procul dubio implevit, et iuxta canonicam regulam omni diligentia exhibuit viduitatis obsequia. Quadam vero die devotionis[n] studio pro unici filii salute totiusque regni statu obnixius intenta, dum se vivam hostiam more solito, stans ante crucifixum, Deo mactaret, rapta in extasi humanis visibus aestimabatur praemortua. Ad se autem post horam reversa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque praefatae pugnae in spirituali visu sibi praemonstratum, non rem dicendo, sed bonorum caedem condolendo innotuit. Ex his quidem signis patenter potest colligi, quali puritate animi fulgeret, immo quanta libertate spiritus Christo serviret occultius, cui cum prophetis futura Dominus revelavit, cum patriarchis fidem roboravit, cum apostolis euangelii perfectionem edocuit, cum martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum sacerdotibus ecclesiae curam indidit, cum virginibus sacris sanctissimae mentis sinceritatem auxit, familiarem sui praesentiam cum monachis ostendit[o], cum apostolicis discipulabus, dico viduis a Petro et Paulo electis et religionis officio deputatis, in terris devotione praeditavit[p], in aeterna gloria sublimavit. Curationum vero in tantam gratiam per benevolentiae meruit operam[q], ut sicut egenorum inopiam elemosinarum largitate sublevavit, ita etiam infirmorum et debilium sospitatem potenti munere restauraret. Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandae insolentiae causa fugiens, tanti[r] muneris[s] largitori secreto mentis placere gestiens, aut[t] omnino[u] furtiva celeritate signorum efficaciam rapuit, aut si qua suorum scientiam praeterire non potuit, edicto egit[v], ne usquam levi sermocinatione dilatarent, illam nimirum sententiam gentium doctoris vigili sub corde revolvens[w] [33]: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Et quod ipse Dominus dextrae opus a sinistra celari praecepit [34], simplici prudentia in omni conversatione adimplevit. Tamen urbs super montem posita haud potuit esse omnibus[x] occultata [35]. Unius namque signi flagrantia ad nostram pervenit notitiam, cuius patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur existere causam.

3. Quodam vero tempore cum coelesti meditatione occupata in conclavi resideret[y] omnisque arbiter[z] excepto claudo abesset, villicus nomine Hicemannus[*] fide et taciturnitate illi acceptus, pulchrorum malorum attulit munus. Quod serenissimo[a] vultu, ut hilaritatis amica erat[b], accipiens, unum ex multis excepit, caeteros servatori huiusmodi rerum praesentari praecepit. Sed casu accidente pomum a manu longius prolapsum est; quod statim claudus reportare iussus, obsequium renuebat, quia scabella, quibus gressum[c] simulabat, domina[d] retinebat. Illo vero reluctante rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddente, tandem sanctorum domestica[e] ante venerabiles reliquias, quas[f] in conspectu suo iugiter positas habebat[g], caput reverenter inclinavit, suosque dominos secum velle, ut claudus ambularet, affirmavit.

Mox citius dicto surrexit claudus ab imo;
Parens obsequio, fit sanus corpore toto;
Et iussus tanti retinere silentia signi,
Gaudia prodebat; nec gratia tanta latebat.

4. Igitur eo tempore quo beata migravit a seculo, Herimannus dux Sueviae, qui fratris illius Chuonradi filiam in coniugium acceperat, hereditario iure res ancillae Dei ad monasterium [36] pertinentes occupare volebat. Sed ipsa illi et cunctis in circuitu degentibus manifestis indiciis comprobat, quod nullum heredem praeter apostolos et eis servientes monachos relinquebat. Erat tunc temporis forte apud eundem ducem quidam recenter visu privatus, qui olim arte flebotomandi edoctus, et ea causa beatae reginae gratia largius est usus. Quia vero illius beneficentiae nimietatem sanctitatisque claritatem experimento[h] didicerat,

a) *deest* 9. 10. b) e. vobis c. 9. 10. c) q. p. *desunt* 10. d) *iunge* nostrae menti —. vestrae 9. 10. e) solus 9. 10. f) plena 10. g) illam 9. 10. h) i. et d. 10. i) c. ac conatu c. 10. k) nocteque 9. 10. l) anne *superscripto* id est animae 8. A. viduae d. 9. 10. m) deuotione 8. n) orationis 9. 10 o) o. et c. 9. 10. p) praedicauit 10. q) opera 9. 10. r) tantique 9. 10. s) muneri 10. t) ut 8. u) omnimodo 9. 10. v) edidit *corr.* egit 8. e. e. *desunt* 9. 10. w) volvens 10. x) e. in o. 9. 10. y) sederet 9. 10. z) arbitrio e. a. 8. *) huozemannus 9. 10. a) sinceriss. 8. b) fuit 10. c) ingressum 9. 10. d) dona 8. e) domestici 8. f) *deest* 9. g) p. adorare solebat c. 9. h) experimentis 10.

33) 2. Cor. 1, 12. 34) Matth. 6, 3. 35) cf. Matth. 5, 14. 36) Salsense.

orandi studio ad sepulchrum eius veniens, in adiutorium suum precibus et fletibus eam invitaverat. Cumque per omnem septimanam sacri corporis locum obsecrationis instantia frequentaret, una vice fessus et tristis super pavimentum residens, prae taedio languentis animae perfusus est somni humore. Tum illi sancta Adalheidis per somnium, admodum reverendo vultu ultra humanam speciem decora, manifesta apparuit; quare dominus eius Herimannus privatas res apostolorum suae iniustae dicioni[a] usurparet, terribili voce quaesivit. Illo autem ignorantiam confitente, vel potius tyrannidem ducis adnectente: *Vide*, inquit, *ut, si nostris meritis sanitatem oculorum recipias, nostrae etiam legationis fidus interpres principem adeas, planoque sermone huiusmodi pravitatem omnino deponere cum signo edoceas. Sin autem*[b], *me meosque dominos bissenos apostolos, totius scilicet iudices orbis, proprium ius persequi, sciat, ultionisque inevitabili ictu sese cum suis flagellandum praediscat.* His[c] dictis, statim homo evigilans, visionis et allocutionis memoria laetificatus, pedes recedentis usque ad sepulchrum est prosecutus; ubi toto corpore prostratus, tamdiu orationi deditus iacuit, quousque chorus monachorum missae officia celebravit. Ut vero primum cantor introitum inchoavit, caecus lumen recepit atque gaudia sua cantantibus commiscuit. Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato, ab omni populo concurritur, homo recognitus inde miratur[d], Dei famula veneratur, lucisque repertor, immo[e] facturae confirmator[f], ab omni sexu et conditione conlaudatur. Post haec luminis adeptor testimonii legationisque iniunctae non immemor, dominum suum gratulanti cursu revisit, quid in somno praemonitus foret[g] explicuit, suique inluminationem testabatur[h] divini examinis esse argumentum; si ipse aut aliquis potentum sive quaelibet persona ulterius in ecclesiastica beneficia gloriosae in Domino feminae praesumeret damnum inferre. Ita dux timore perculsus, quidquid iniusto incepto contra Dei voluntatem in Dei famulae rebus desipuit, emendare curavit, addiditque praedicto monasterio praedium ad conficiendum sal utile, situm videlicet ad oppidum Marsile[37].

5. Dignum vero relatione nobis videtur, quomodo Heinricus[i] rex, sancti[k] Georgii martyris singularis cultor, huius sanctissimae etiam viduae supplex fuerit[l] adorator. Nam cum ad praefatum locum adepto imperio venisset, forte contigit, ut ibi posito lecto pausaret, ubi sanctissima anima carnis ergastulo soluta est. Itaque imperator tantae infirmitatis mole perculsus est, ut lecto surgere non valens, suorum diversa ingenia conquireret, quid de tanti tamque subiti doloris casu sentirent. Omnes quidem in[m] una voce dicebant illius sacri loci reverentiam talis incommodi causam. Haec ipse secum diu volutans, et si quo 1002.
alio modo venerandam augustam offenderet retractans, et poenitentia ductus, ad sepulchri sacellum se portari iussit. Et quia illius merita sine apostolici decreto clerique consensu celebrari non licuit, praedicto in loco beatae Mariae oratorium se constructurum promisit, atque abbatem illius coenobii, sicut ipsa[n] constituit, ab imperatoria servitute absolvit[38].

6. Sub idem tempus venit ad eundem locum quidam eques temerarius; qui dum pauperis cuiusdam bene receptus hospitio esset, parvam eius supellectilem diaboli instinctu male tractare aggressus est. Inter alias quidem iniurias, quas hospiti suo ingessit, aves domesticas[o] occidit, alienaque substantia fecit sibi praeparari[p] cibaria. Magister vero domus in preces fletusque cum uxore profusus, rogavit in primis hominem parcere sibi per abbatem dominum suum; prostremo per sanctae Adalheidis reverentiam imploravit deponere tantam proterviam. Ille procacitatis incepto perdurans, immo maiora mala accumulans: *Ego*, inquit, *vivus in hac nocte tui tuorumque dominor*[q]; *Adalheida vero mortua impotens est tibi praestare tutamina.* Nec mora, pro tanta calumnia superne flagellatus, dum male partum cibum festinaret sumere, coepit etiam manus et caetera membra mandere. Statim pro sui impotentia et furoris noxa ligatus, per eiusdem noctis spatium mentis et corporis durum pertulit vinculum. Sed cum prima luce manibus trahentium ad sepulchrum Christi famulae invite adductus, sanitatem sensuum in fratrum praesentia recepit, quia illa piissima offensionem, quam vindicabat potenter, postmodum poenituro indulsit liberaliter.

7. Quaedam sanctimonialis femina vocabulo Frowessa[r] cum a prima aetate claudicaret utroque pede, in proximo anno memorabilis transitus augustae sera laetificata est salute. Et quia huius virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conventus effectus est admodum laetus, ac usque[s] illius manibus crucem et cereum imponens, per diversas discurrendo ecclesias laudes celebravit deificas.

8. Nec hoc taciturnitate praetereundum esse videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigisse dinoscitur. Qui dum per sylvam iter haberet quae rustico vocabulo nuncupatur Biwalt[t], forte ab equo iuxta pascente usque ad oppidum Salsense comitatus est. Quam ob rem apud quendam potentem nomine Heimonem[u] furti accusatus est, qui eodem tempore cum praedicto imperatore Heinrico illuc venerat. Ille de incertis certam sententiam proferens, iussit hominem miseris modis flagellari, spoliari, excaecari. Mox advena caecatus, levans ad coelum mentem et manus: *Si ego*, ait, *furti dolique innocens im-*

a) iustitio d. (*fortasse* iurisdictioni) 8. b) aliter 9. 10. c) p. Cum h. 9. 10. d) h. r. i. m. *desunt* 9. 10. e) primo facturiae 8. f) reformator 9. 10. g) esset 10. h) testatur 10. i) henricus 9. 10. k) *deest* 9. 10. l) fieret 9. 10. m) *deest* 9. 10. n) *deest* 8. o) *deest* 9. p) parari 9. 10. q) dominorum 8. r) Eruowela 9. 10. al. Eruovveza. *Can.* (9.) *in margine.* s) anusque ipsius 10. t) ingens silva ultra Lutram fluvium, Luterburgum inter et Weisseburgum, hodie dicta Bienwald. *glossa codicis* 8. biwald 10. u) hermonem 10.

37) Marsal in Lotharingia, salinis iam tunc celebre. 38) Fortasse charta Heinrici 3. Kal. Oct. a. 1002. Spirae edita huc pertinet.

merito tanta mala perpessus sum, tu sancta Adalheida, redde mihi tuis precibus et meritis visum! Post haec cuiusdam viri nomine Bennonis domo et cura receptus, post paucos dies lenito dolore ad pretiosi thesauri thecam accessit, testificansque sui innocentiam, oculorum sanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillae divisa, verae caecitatis postmodum ostendit vestigia.

9. Inter caetera vero donaria, quae sancto Petro[39] contulit haec sanctorum domestica, existebat quaedam familia[a], pagi Northgowe nuncupati accola[b]. Quam dum quidam proterva praesumptione sibi suisque posteris mancipare temptaret, nulloque pacto repugnantem quis[c] edomare sufficeret, unum istiusmodi generis Benzonem[d] dictum incautius excaecavit apprehensum. Quem post aliquantos dies quiddam videre resciscens, denuo captivans, tandem altius omnem eruit visum. Nec mora, caecus cruento miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, dominae suae venerabile sepulchrum petiit, rituque rusticae simplicitatis exprobrare coepit illi causam tantae calamitatis. Ergo non ante a fletu et planctu eam incusando cessavit, quam integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non inusitatum sed potius rarum a sanctis scimus, recepit.

10. Venit etiam de territorio Mettensi aliqua[e]
1038? femina, cui divino nutu caecitatis increvit calumnia. Haec cum per diversa loca adipiscendae salutis appetitu discurreret, istius sanctae quaerere subsidia, per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem, gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit, Chuonradum Romani imperii gloriosum principem cum thori regnique consorte Gisila advenisse. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in praesentiarum cerneret, Deum bonorum auctorem dignis laudibus magnificans, sibique[f] consanguineae augustae sanctitati congratulans, personam a beatitudine eius lumine visitatam in suae liberalitatis suscepit curam.

11. Fuit etiam in partibus Galliae potens comitissa, muti filii mater tristis effecta. Pro hac ergo causa dum plura circuiret devote monasteria, tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petiit, trium dierum spatio inibi orationibus operam dedit. Post haec a dono curationis[g] prolixitate temporis desperata, cum ad propria redire disponeret, semet ipsam cum puero ante altare prostravit, quod ad caput vivifici corporis consecratum est. Mater vero lacrimabili prece intenta, se solam indignam et expertem fatetur, spe laetam venisse, sed tristem redire narrat. Puer autem[h] interim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta hora sponte sua evigilans, laetus surrexit, matrem veste apprehendit, si hoc sepulchrum sanctae Adalheidae esset, prima voce quaesivit, quae sibi in somno apparens linguae vinculum resolverit. Eo modo matrona prae desperatione discessura, reliquum diei duxit illic in laetitia, et pro sospitate filii devota et grata, fratribus in sanctis suis Deum collaudantibus obtulit munuscula.

12. Quidam homo de Burgundia progenitus, ab utero matris ita extitit claudus et curvus, ut plantae pedum ad nates, manus vero ad genua conglutinatae viderentur. Qui dum ab hoc infirmitatis incommodo per sancti Sulpitii[40] meritum liberaretur, idem alia calumnia divino nutu vexari permissus est, ut dum huius piissimae atque sanctissimae feminae precibus curaretur, virtus praeclarissimi confessoris aequaretur. Contigit vero[i], huiusmodi hominem apud praefati loci abbatem Gerbertum, piae memoriae virum, cum reliquorum egenorum turba degere, matutinisque laudibus in festivitate beati Petri apostoli vano auditu interesse. Namque malorum et bonorum immemor, etiam temporis et loci venerandi contemptor, coepit cum viris et feminis miscere verba turpitudinis, sicque cum stultorum conventiculis fecit impedimenta divinae laudis. Tum subito mira celeritate utraque brachia strictim in terga resilierunt, ambaeque manus eius tanta vi in se reflexae sunt, ut disruptis digitorum nodulis, astantes maderent aspergine sanguinis. Nec tamen minori intus percussus est supplicio, utpote arreptus daemone pessimo, sicque duplici poena devinctus, miserabili spectaculo totius populi movit fletus[k] et planctus. Sed dum chorus monachorum Dei laudes per missam celebraret, omnisque plebs moestis modis sanctae Adalheidae merita precibus provocaret, tandem nodis brachiorum solutis, adeptus est integritatem mentis et corporis. Ipse tamen post aliquantos dies mutus effectus, ad sepulchrum eiusdem beatissimae matris, linguae recepit usus.

13. Temporibus vero tercii Heinrici[l] imperatoris unius signi mirificus claruit eventus, per quem in sanctorum numero spiritalem potentiam illam verissima argumentatione agnovimus. Quidam vir nomine Burchardus[m], in ministerio Liudpoldi[n] Maguncieusis archiepiscopi[41] fideliter degens, parentelae suae servili conditione cedit dominio venerabilis augustae. Cuius liberalissima[o] benignitate donatum maioribus suis praedium hereditario iure absque ambigua lite possidebat, ideoque summa devotione donatricem dominam omnimodis venerari solebat. Accidit autem, ut dux Alamannorum Otto de Swinvorth[42], licet iustitiae aliarumque virtutum quam plurima exempla sectaretur, tamen insaciatae cupiditatis facibus accensus, praedictum praediolum, suae latissimae possessioni[p] contiguum forte, more Achab vel potius Iezabelis, propriae ditioni iniuste vendicare est aggressus. Ergo homo talem iacturam agrorum violenter, non legaliter[q] perpessus, dum humanum

a) famula 8. b) nuncupata 8. c) *deest* 9. 10. d) Bezonem 8. Penzonem 9. 10. e) quaedam 10. f) s. et c. 10. g) domino curatione 8. h) *deest* 10. i) ergo 9. *deest* 10. k) fletum 9. 10. l) henrici 9. m) burcardus 10. n) liudolfi 8. o) uberissima 9. 10. p) possessionis 10. q) l. est p. 10.

39) in Seltz; coenobium SS. Petro et Paulo dedicatum erat. 40) Bituricensis. 41) sedit a. 1051—1060. 42) dux annis 1048—1057.

praesidium contra tantae potentiae culmen desperaret, recolens animo liberalis doni privilegium, ad donantis dominae fideliter accessit patrocinium, cartulam quoque in praefatam possessionem conscriptam miserabili cultu afferens, sacratae tumbae imposuit; commodo sonitu campanarum querulosaque[a] adclamatione dominam suam sibi dormientem excitare se rustico more asseruit, fratrumque congregationem suum casum misereri[b] ob[c] solatium[d] patronae piae incitavit. Igitur fraternae consolationis promissis delibutus, anchora spei in tantae adversitatis fluctuationibus domum rediit roboratus. Post haec vero praedicto duci gravissimae infirmitatis plaga percusso, beata Adalheida, tam severo quam honesto vultu, nocturno silentio apparens, horribiles minas infernalis incendii potenter indixit, nisi famulo suo iniuste ablatum citius restitueret praedium. Princeps vero, tam sensatus quam venerabilis personae invectiva comminatione tremefactus, iniuriam patientem calumniamque intolerabilem sustinentem festina legatione adduxit, eique amissae possessionis ius, exposita prius miranda visione et admodum tremenda minitatione subitae mortis et perennis supplicii, prompto animo redonavit. Extemplo homo tanta damna expertus et talia[e] commoda consecutus, domino Deo et sanctae Adalheidae condignas grates referens, ad eius monasterium gratulabundus festinavit, complura donativa ecclesiasticis ornamentis vel[f] necessitatibus fratrum accommoda contulit, et relata causa vel modo restitutae rei, nunquam cessavit a laude sanctae Adalheidae et omnipotentis Dei[g].

a) querelosaque 9. 10. b) miserari 8. c) et 9. 10. d) sola cui p. 8. e) tanta 10. f) et 10. g) *hic* 8. *desinit.* Explicit vita sanctae Adalheidae imperatricis augustae. 9. — *In* 9. *et* 10. *haec sequuntur:* Hymnus ad vesperam:

Anni voluto tempore,
Festiva lux Adalheidae
Nobis beatae claruit,
Qua[a] seculum iam respuit.
Apostolici dogmatis
Instructa didascalicis,
Sic utitur regalibus,
Ut usa non sit fascibus.
Fudit opes largissimas,
Donis replens ecclesias;
Regni facultas maxima
Dispersa pavit agmina.
Martham sequi decreverat,
Opus[b] manu compleverat;
Amat Mariam pectore,
Secura Christum cernere.
Summo Tonanti gloria
Aeterna sit per secula,
Qui nos sacris solenniis
Iungat polorum gaudiis, Amen.

a) quam 10. b) o. m. c. *desunt* 10.

Sequitur officium Missae B. Adalheidis et in 10. *etiam officia in vesperis, in nocturnis etc.*

EX VITIS MAIOLI ET WILLELMI ABBATUM

EDENTE G. WAITZ PH. D.

Adelheidae imperatrici et utrique Ottoni, marito eius et filio, familiaritate valde coniunctus erat Maiolus abbas Cluniacensis, qui ab anno c. 950—994. *coenobium hoc celeberrimum rexit. Inter vitae eius scriptores Syrus monachus*[1] *praecellit, qui Odiloni abbati, illius successori, librum comprobandum direxit. Sermone nimis fuso, florido, versibus et sententiis simili exitu sibi respondentibus exornato res ab illo gestas memoriae tradidit, neque tamen patronis suis satisfecisse videtur, quum mox Aldebaldus monachus Cluniacensis librum illum variis additamentis, amplioribus carminibus aliisque augendum susceperit, et postea breve encomium ipse Odilo, alteram vitam scripserit Nalgodus*[2]. *His tamen praetermissis, quae in Syri opere historiam Germanicam quodammodo illustrare videntur hoc potissimum loco exhibenda duximus, duorum codicum ope emendata:*

1) *C. bibl. regiae Parisiensis N.* 5611. *olim S. Martialis Lemovicensis, mbr. s. XI. XII.* 4°, *qui f.* 2′—49′. *Syri librum nullis interpolationibus deformatum, f.* 50—83. *Miracula S. Maioli, f.* 83′ *sqq. Odilonis vitam S. Maioli,*

1) ita ipse; Nalgodus eum „abbatem cuiusdam monasterii“ dicit. 2) cf. Mabillon Act. V. p. 760. sqq.

in fine vero missam et hymnos de sancto illo continet. Ex hoc codice, in quo folii 3. pars avulsa est, Mabillonius hanc vitam (Acta V. p. 786.) satis negligenter edidit.

2) C. bibl. regiae Parisiensis inter libros S. Martini N. 109. mbr. s. XI. XII. 8vo, qui vitam quibusdam Aldebaldi additionibus auctam habet, neque tamen cum huius editione, qualem Act. SS. Mai. II. p. 669. legimus, convenit, sed breviorem praebet textum, qui raro tantum a codice 1. recedit.

Adiecimus etiam locos quosdam ex Vita S. Willelmi Divionensis, qui a Maiolo Cluniaci receptus est et instructus[3]*, Odiloni vero ut coenobium intraret persuasit*[4]*, selectos. Hanc a Rodulfo Glabro, celebre illo historiographo, scriptam ediderunt Bollandus (Act. SS. Ian. I. p. 58.) et ex codice S. Benigni Divionensi Mabillonius (Acta SS. Or. S. B. VI, 1. p. 322.); quos secuti sumus.*

EX SYRI VITA S. MAIOLI.

EPISTOLA DOMNI SIRI AD DOMNUM ODILONEM ABBATEM DIRECTA.

Spirituali patri domno Odiloni abbati, Syrus monachorum infimus, quicquid in Christo felicius. Saepe michi multumque cunctanti beati Maioli venerabiles actus stili prosequi offitio, cum ad id operis sanctae recordationis Warnerii[a] *importuna perurgeret peticio, multa se obiciebant, quae ne id conarer non modica me formidine deterrebant. Vir quippe ille, qui divulgari petebatur, sic virtutes sectantium extitit imitator, ut earum omnium indefessus esset operator. Unde eius gesta digerere absque cunctarum virtutum coniectura quempiam est impossibile. Recte vero disputare non praevalet de virtutibus, quisquis his fuerit vacuus; quoniam mens cuius caret intelligentia, id discere*[b] *nequit scientia. Haec idcirco aggredi cunctabar, quibus me nulla virtute dignabar. Rerum denique magnitudo laborque difficilis me rursus movebat, quod multiplices miraculorum actusque virtutum dum mens contemplabatur, suamque scientiam scrutabatur, veritatis territa sententia incipere non audebat, quae ingenii parvitate consummare*[c] *diffidebat. Temeritatis insuper non inmerito argui verebar, si audacter praesumerem, quae me perspicacioribus et ingeniosioribus committenda fore non ignorabam. Sed haec michi de me cognita praefato quamlibet viro saepius pro excusatione forent opposita, ille tamen*[d] *nullo modo cessans, assiduis perurgebat precibus, ut quae petebat aggrederer intrepidus. Et quoniam omnia me perficere quae petebantur posse caritate credebat, sua ipsius postulatione devictus, opus tam difficile arripui licet invitus. Cumque sub eodem temporis articulo me ad Italiam illumque vobis dirigere placuisset ad Alsatiam, opus quod relinquebam imperfectum secum ipse detulit per scedas dispersum. Post eiusdemque lacrimabilem transitum, cum vestrae praesentiae in Morbacensi coenobio fuisset oblatum, iniunctum michi est ex vestra sententia, quo studerem, quae deerant addere, et scriptorum vitio depravata ad statum pristinum relegendo corrigere. Quod inchoans*[e]*, ut potui pro vestra iussione perficere studui, et utinam tam efficaciter quam libenter. Et quia, ut debui, vestro imperio parui, ideo nostrae*[f] *parvitatis praesumptio contra redarguentes se vestro confidit praecepto.*

EX LIBRO II.

17. Aliquando vero iter illud cum ageret et Coriam per Apenninas Alpes transiret, praedictae civitatis episcopus virtute venerabilis Arpertus[5], gravi peste percussus, acerrimis indesinenter cruciabatur doloribus. Qui viri Dei adventum populi rumore ut comperit, ut ad se visitandum pergeret, precibus obtinuit; qui morbo ingravescente iam desperatus de vita, sua ei studuit confiteri delicta, in multis se confitens offendisse, maxime in elatione; et quod boni egerat, per inanem gloriam se perdidisse timebat. Dum haec et alia eidem confiteretur maximo[g] *cum moerore, ab inmenso quo torquebatur dolore aliquantulum sublevari se sensit beati viri visitatione, et ideo per eius meritum se sanitati credidit reddendum. Et quoniam paschalis dies iam appropinquaverat et dies qua sanctum chrisma conficitur iam imminebat, cum ad altare non posset accedere et debitum obsequium persolvere: ideo Dei famuli clementiam obnixius coepit deposcere, quatinus tantum sibi virtutis ab

a) guarnerii 2. b) discernere 2. c) consumare 2. d) tamen — invitus. Cumque *in* 1. *avulsa sunt, vocabulis* cessans *et litteris* pet *exceptis.* e) incoans 2. f) n. p. *et mox* entes se v. c. p. *avulsa sunt* 1. g) maxime 1.

3) c. 9. 4) c. 18. 5) sedit a. 949— c. 970.

omnipotente Domino sua ipsius deposceret deprecatio, quantum ea die sufficeret, qua more ecclesiastico sanctum chrisma conficeret. Sed totus qui possidebatur a pietate, quod iuste petebatur, nescivit negare. Oratorium mox oppetiit, seseque cum lacrimis in orationem dedit; et oratione in brevi completa, ut exiit, antistitem aegritudo deserere coepit. Praefata nimirum die pro qua petebatur, se laetatus est tantam virtutis sumpsisse constantiam, ut aegritudinis in se nullam sentiret molestiam. Gaudere denique coepit, quod Maioli precibus ex infirmitate convaluit, sed ex hoc plus, quod praescripto vitio, sicut ipse fatebatur, magna ex parte caruit. Unde datur intellegi[a], non tam pro corporis sospitate, quam pro salute animae beatum virum libentius Dominum exorasse. . . . . .

20. Huius igitur sanctitatis opinio, mira per eundem patrante omnipotente Deo, cum apud hominum noticiam magis ac magis inolesceret, eiusque nominis fama longe lateque se spargeret, magnus Otto, qui tunc temporis strenue rem publicam gubernabat, tanti viri plurimorum relatione comperta, eius praesentiam ardentius cupiebat. Hic enim vir licet imperiali potiretur fastigio, magna tamen erat illi circa monasteria devotio; quia nequaquam se feliciter imperium sperabat tenere, nisi summo Regi studeret non displicere. Et ideo saepius ingemiscebat, dum qui per religionis habitum se Deo devoverant, seculari intentos negotio ire per abrupta cernebat. Nam regiminis ad cultum ita videbatur idoneus, quatinus nulli non modo secundus, sed, ut planius dicatur, primis et summis conferendus videretur. Nichil leve moliebatur, quia gravitatis eum modestia comitabatur. Verum quicquid incipiebat, efficatia nullo modo Deo auctore carebat. Huic coniux Adeleidis inhaerebat, quae Deo amabilis et hominibus diligibilis, ita regali copulabatur thoro, ut mentem castam omni custodia Regi servaret superno. Pauperibus subveniebat, aegrotos et debiles sine intermissione fovebat. Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus. Spes miserorum, solamen lugentium, quo regali nobilis stemmate, eo per omnia pollebat nobilior sanctitate.

21. Virtutum in culmine posita, cum superbiendi non defuisset matheria, ita se humilitatis protexit custodia, quatinus nullius iactantiae exemplum ex sua deprehenderetur continentia; illud mente pertractans quod Salomonis loquitur sapientia[5]: *Rectorem te constituerunt? Noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* Si enim iuxta apostolum vir infidelis per mulierem fidelem (1. Cor 7, 14) et infidelis mulier per virum fidelem alternato fidei bono salvabuntur, multo magis hi in Christo copulati, qui sunt per fidem iusticiam operati, ipsius testimonio repromissiones, quas repromisit qui non mentitur Deus, sunt sine dubio adepti. Ambo enim euangelii[b] auditores, et quia auditores ideo operatores, quoniam quidem ex euangelio didicerant: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem* (Matth. 10, 41) *iusti accipiet*, ideo quos in Dei famulamine cernebant devotiores, eos sibi habebant cariores. Sed illi prae ceteris diligebantur, qui falsa mundi abrenunciantes gaudia, beati Benedicti sectabantur vestigia, devotione promptissima.

22. Itaque, ut praelibatum est, beati Maioli fama plurimorum relatione comperta, haud secus ac perfrui vita eius potiri delectabantur noticia. Quorum adimplere non distulit desiderium, qui fide pulsantibus beatae vitae pandit ingressum. Enimvero Heldricus, cuius supra meminimus[6], in laicali potentia praecipuus, qui quondam[c] in Italia inter ceteros palatinos extitit honorabilis, uxori cum magna rerum temporalium copia abrenuntians, deposito cingulo, Cluniaco se conferens, beati Benedicti se subdidit proposito. Huius quippe familiaritas gignere diffamatur causam, qua Romanus princeps habuit sancti viri noticiam. Per hunc enim eum sibi accersivit. Quem adeo pro salutari dilexit doctrina, ut quae sibi in Italia subdebantur et Germania, eius ordinationi committere vellet monasteria. Imperatrix vero, acsi ancillarum ultima, impendere cupiebat ei devotionis obsequia, quoniam beati Maioli per preces abundantiori se visitari divinae praesentiae sperabat gratia. Cuncti eum venerabantur optimates, cunctique diligebant principes. Hunc imperator habebat auricularium, hunc a secretis fidum internuntium. Si quis apud imperatorem aliquod haberet negotium, mediatorem beatum quaerebat Maiolum.

23. Per idem tempus beati Apollinaris coenobium, quod per viginti quatuor stadiorum spatium a Ravennate urbe fertur sepositum, ad beati Benedicti instituit tramitem, ibique suum ordinavit abbatem. Praeterea imperatricis non contempnendae peticionis tunc exoratus instantia, iuxta Ticinensem urbem sancti Salvatoris desudare coepit in fabrica[7]. Interim vero iam debitum finem secundus hic liber postulat, ut ea quae restant, tercius signis evidentibus ad finem usque perducat.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

1. Vir itaque Domini, ut supra diximus, imperatricis animis satisfaciendo, longo temporis spacio iam evoluto, cum Cluniensi deesset monasterio, accessit libitum, quo fratres pergeret visitatum. Cunctis igitur in via necessariis praeparatis, laborem aggreditur itineris[8]. (973. Mai.) Magna tandem cum difficultate laboriosi itineris cum iam cacumina Alpinae praeterissent altitudinis, ad villam

a) intelligi 2. b) euuang. 2. *semper.* c) condam 2.

5) Eccli. 32, 1. 6) I, 15; postea fuit abbas Altissiodorensis. 7) cf. Odilo c. 9. Maiolus a. 967. Iulio mense fuit Ticini; cf. Mabill. V. p. 769. 8) cf. infra c. 10.

973. Iul. usque descendunt, quae prope Dranci[8] fluvii decursum posita, Pons-Ursarii quondam vocitari erat solita. Nam rivulus, qui decidit e montibus, cum fluxuosos revolvendo per globos inter Alpes decurrit, sua ibi revolutione tantum planiciei porrigit, quantum praedictae villae occupare positio possit. Multi enim ex diversis regionibus beatum Maiolum tunc comitabantur[a], quia eius sanctitate se liberari posse arbitrabantur. Ad hunc igitur locum cum sine discrimine pervenissent, eundemque[b] rivulum transissent, mox inter ipsos artae viae difficiles reflexus, qui parvo intervallo se praebent descendentibus, subito eos invasit perfidae gentis Sarracenorum exercitus[9]. Subita itaque incursione turbati, et conantes plurima frustra, omnique spe meliori deposita, fugae consulunt. Sed nequicquam[c]. Vesana enim impiorum turba calle citato hos persequens, omnes quos comprehendere potuit in vinculis coniecit. Cumque unus ex illa impiorum turba ab alta rupe unum ex viri Dei famulis[d] telo appeteret: ut famulus eriperetur, vir Dei venienti iaculo caritativam manum[e] opposuit; in qua, quamdiu postea vixit, inflicti vulneris cicatrix apparuit. Nichil vero de sua morte formidans, pro reliquis tamen exaestuans, altius tunc ingemiscebat, dum his, quos impiorum crudelitas turbabat, subvenire nequibat. Evadendi itaque cum non deesset facultas, hunc tamen immobilem mentis tenebat caritas; quia eos, pro quorum dilectione animam optabat ponere, etsi non poterat ab impiorum manibus eripere, magno tamen dolore convictus nolebat relinquere. Apostoli (Act. 27.) interim reversus ad exemplum, qui dum pateretur naufragium oratione salvavit animas omnium secum navigantium, cum eos humano auxilio ab imminente nequiret liberare periculo, hoc suis apud Deum promeruit precibus, ut ex illa miserabili turba nemo moreretur inter hostium tela. Feroces itaque barbari, peracto scelere, ad suas latebras dum redirent cum captivorum multitudine, beatum Maiolum cernunt a longe solum sedentem in lapide. Celeres ad eum tunc pedes accesserunt, et sceleratas manus in sanctum iniecerunt; eumque tenentes, cum ceteris captivis duxerunt. Tunc beatum Maiolum, qui ceteris habebantur praestantiores, honorare, qui vero leviores, illudere christianaeque fidei coeperunt detrahere.

2. Protinus ergo beatus Maiolus, belligerator optimus, scutum fidei arripiens, cuspide verbi Dei perfodiebat inimicos Christi, christianae religionis cultum approbans, et eum quem Deum colebant nec se a supplicio liberare nec illos in aliquo posse adiuvare, certis et evidentissimis aggressus est rationibus demonstrare. Quo audito, barbarorum iactantia furore inflammata vesano, sanctos pedes compede constringentes ferreo, absciso rupis sub antro horrendo claudunt ergastulo. Sanctus itaque Domini ut eos
In sui perniciem conspicit dira frementes:
Marthyr ut emeritam certamine sumeret palmam,
Utque sui posset perfundi fonte cruoris,
Optat, et intrepido profundit talia vultu:
Quod satis est supraque satis, huc viximus usque,
Nunc faciem penetrare cupit cum spiritus ardens,
Christe, tuam, taedetque viae, taedetque laboris.
Qua breviora patent recti compendia callis,
Ire iuvat, via sit trepidis nimis ardua quamquam;
Sidereos propere dabitur contingere campos.
Sanguinis effusi si nos vestigia ducant,
Marthyrii titulum tensis complectimur ulnis,
Et sponte expetimus pulchram per vulnera mortem.
Tu modo nos dignare tuo pro nomine testes!
Haec dicens, animumque neci collumque parabat
Carnifici. Stat fixa viro sententia mortis
Intrepido. Sed, Christe, tuis mundissima castris
Lilia cum rosis pariter candentia vernant,
Nec te marthyrii constantia sola meretur,
Nec fuso quisquam tantum fit sanguine marthyr.
Saepe etiam multis peperit pia vita coronam,
Estque sacerdotum confessio munda tuorum
Grata tibi, quos iusticiae perfectio vestit.

3. Ergo, ut praelibavimus, vir Domini ferreis adstrictus vinculis, horrendo in antro tenebrosi carceris pro confitendo nomine Deitatis suffragia est expertus divinae pietatis. Nocte igitur subsecuta, cum sopori dedisset membra nimio moerore confecta, talis sibi visio divinitus est ostensa. Apostolicis insignitus vestibus Romanus antistes videbatur adstare circa se, cum odore thimiamatis[f] turibulum deferens. Hac denique visione certior redditus, per apostolorum interventum ab impiorum manibus se intellexit liberandum. Ad hoc itaque quod vidit per somnium, aliud accessit magis evidens inditium. Pro dilectione matris misericordiae libellum, quem de eius assumptione beatus edidit Hieronimus[10], saepius gestare sanctis solebat manibus. Hunc, dum ceteros sacros codices cum omnibus quae hic habebat perdidit, virginis, ut fatebatur, tuicione sibi salvari meruit. Quem vestis sub tegmine dum se sentiret habere, quot dies superessent abhinc ad eandem assumptionem matris misericordiae, sollicita nisus est mente discutere. Qui numero subputati viginti quatuor sunt inventi[11]. Tunc eam sua interventione hoc apud suum filium orat obtinere, ut ipse eripiatur ab hac licebit[g] captivitate, quatenus divina sibi pietas inter christianos concedat cum suis concaptivis tantae sollempnitatis potiri celebritate. Hac finita oratione, ut ad rupem caput convexit[h], e vestigio prae moerore sopor irrepsit. Post paululum vero expergefactus, se ferreis repperit solutum compedibus. Mane autem facto, hoc barbari stupentes miraculo, quod eum cernebant compede divino solutum numine, ulterius ut vinciretur[i] ausi sunt nullo modo praesumere[k], sed ferocitate paulisper mitigata, venerari deinceps coeperunt, quem prius in derisum habuerunt[l].

a) committabantur 2. b) eum denique 1. c) nec quicquam 1. nequiquam 2. d) *deest* 1. e) manu 2. f) thiamatis 2. g) *ita* 1. 2. h) conquexit 1, *in* 2. *locus rasus.* i) uincieretur 1. k) presummere 1. l) habuerant 2.

8) an la Durance? 9) cf. Rodulfi Glabri hist. I, 4. 10) Hunc libellum non Hieronymi sed tamen pervetusti auctoris esse eruditi norunt. MAB. 11) Dies igitur fuit Iulii 22. vel 23.

4. Tunc vir Domini, annuentibus sibi barbaris, per monachum, qui secum captus fuerat, epistolam manu propria conscriptam direxit fratribus. Textus autem epistolae haec continebat: *Dominis et fratribus Cluniensibus Maiolus miser captus et cathenatus. Torrentes Belial circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis. Redemptionis pretium, si placet, mittite pro me et his qui una mecum capti tenentur.* Haec epistola Cluniensi perlecta in capitulo omnem illam stirpem, quae eius doctrina et exemplo hactenus laeta fructificaverat in Christo, moesticia extemplo suo confecit auditorio. Exprimere valet nullus, quantus tunc ibi omnium gemitus. Ubique inter eos luctus, una vox omnium plangentium, unus audiebatur clamor moerentium atque dicentium: *Versa est in luctum cithara nostra et gaudium nostrum in moerorem, quia iuxta illud Hieremiae lamentum*[12], *Christus dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: „In lumine tuo vivemus". Ecce enim prophanae gentis irretitus est laqueo, cuius in Deo gloriabamur documento.* Cuius interea isti afficiebantur de vinculis, hunc Dei dignatio magnificabat miraculis. Eorum namque, quos ad Christi cultum viri Dei persuasit disputatio, postquam christianae professioni a ritu se contulerunt barbarico, sicut iureiurando protestabatur assertio, dum quiescerent immites nocturno tempore milites, et vir Dei debitas Regi regum redderet laudes, multorum secum canentium saepius audiebant voces. Quas quidem, quia nemo sibi hominum familiare tunc praestabat contubernium, ipsi procul dubio angelorum fore asserebant cum eo psallentium. Itaque ut erat statutum[a], infiniti ponderis pecunia, vel ex his quae ad usum necessaria vel quae monasterii hactenus ad decorem servabantur insignia, sive bonorum virorum largitate, in unum congesta, ceteris qui praestantiores videbantur fratres, cum multorum thesaurorum copia, die accurrerunt statuta. Quibus omnia, quae solerti congesserant indagine, praebuerunt, omnesque, prius vinculis qui trudebantur, novissime posthac quem diligebant ab impiorum manibus traxerunt. Factumque est, superna gratia disponente, ut unius captivitate multi donarentur libertate. Et sicut superni Regis a piissima matre petiit, ita inter fidei domesticos ipsius virginis interventu assumptionis festivitatem celebrare promeruit.

5. Enimvero quia nichil in terra sine causa fit, scriptura teste[13], divinae providentiae non ab re credimus placuisse, quatinus vir sanctitate praecipuus ideo volveretur tot casibus, ut exinde et vir Dei pressura attritus proficeret, et mortalibus beneficium divino munere concessum proveniret. Vitae namque huius in conversatione, licet humanis contraheret ex affectibus, unde diceret: *Dimitte nobis debita nostra* — si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus · ab hoc tamen seculo, prout potuit, immaculatum se custodire studuit. Sed totus quamlibet videretur mundus, iuxta dominicam tamen sententiam 973.
illud fateri cogimur, quod negare non audemus, quia adhuc indigebat, quo summus sibi magister pedes lavaret, ut eo illud impleretur quod dicitur: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Propterea haec viro Dei tribulatio pacientiae fuit probatio; Apoc. 22, 11.
quoniam, ut ait Augustinus, „nullus hominum est tanta iusticia praeditus, cui non sit necessaria tribulatio temptationis, vel ad perficiendam vel ad confirmandam vel ad probandam virtutem". Sed iusto Dei iudicio, unde venerabilem patrem probatio, inde se tribulantes iusta consecuta est dampnatio. Augustos namque inter Alpes obsidentes aditus, insperato insidiabantur apostolorum limina petentibus. Sed ab eisdem dum capitur qui ab Omnipotente quam plurimum diligebatur, eius sanctitatis ex merito comminus super eos divina se contulit ultio.

6. Pro ulciscenda siquidem iniuria viri Dei clade inter eos surgente, paulatim coeperunt viribus deficere, adeo ut divino se puniri verbere ore proprio faterentur intelligere. Verum nobillimis viri Dei ditati spoliis, magis ac magis cotidie dum laborarent incommodis, ad Fraxinetum per consueta devia expetere propria aggressi sunt cubilia. Tum vero a christianis[14] itinere eorum explorato, iter securi per Alpes dum more tenerent solito, super se cum impetu venientium auribus a longe exceperunt sonitum. A clamoribus venientium et clangore tubarum

Consonat omne nemus, strepitu collesque resultant.
Extemplo barbaris gelidus per dura cucurrit
Ossa tremor.

Qui divina perculsi formidine, nullum sibi senserunt auxilium praeter fugae praesidium. Certamen tunc magnum erat christianis cum barbaris fugientibus. Et ideo resistendi mente divinitus absente secedentibus post principia, certabant nuda praetendere terga. Fugam tamen dum facerent, multi capti, perplures vero sunt neci mandati. Hi vero qui effugerunt ad tempus dilatam mortem, cuiusdam promunctorii supercilium tutaminis sibi elegerunt praesidium. Sed decentius occumberent, si hostium inter tela ruerent. Illud itaque promunctorium ita vastis rupibus circumcirca videtur subductum, ut praeter unam partem lateris devexi facultatem undique deneget commeandi. Hanc denique partem christianis obsidentibus, cum nullus eis adesset fugiendi aditus, nulloque nostrates munere a sui obsidione quivissent avertere, humilem locum explorant, quo ad ima se saltibus deponant. Consequens enim erat, ut ipsi peterent ima, super quos superna incubuerat ira.

7. Vertitur interea caelum et ruit oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque. Virg. Aen. II, 1.
Conticuere omnes.

Sed nulla miseris quies; otius accelerare cupiunt negotium. Denique impediente se sathana locum sibi exploratum minime adierunt; sed ab eminentis rupis vertice in imum se profundum

a) statum 2.

12) Thren. 4, 20. 13) Iob. 5, 6. 14) Willelmus comes Provinciae eos devicit; cf. Rod. Glaber l. l. et Odilo in vita Maioli: *Dominus... per Willelmum illustrissimum virum et christianissimum principem meritis beati Maioli iugum Saracenorum ab humeris christianorum deposuit.*

tota nocte praecipitaverunt. Nostrates autem, iam die lucescente, caelestis victoriae stupentes magnitudine, ei gratias libuit referre, cuius forti numine prostratum cernebant agmen hostile. Quosdam tamen eorum, qui demersioni se subtraxerunt, in remotiori quodam montis latere offendentes comprehenderunt. Qui salutari se ablui deposcentes lavacro — hos enim, sicut superius diximus, vir Dei de Christo verbis edocuit salutaribus —, corpori matris uniti aecclesiae, quanta inter barbaros gratia servum suum Omnipotens illustravit, soliti erant referre. Opima tunc spolia colliguntur, aequasque per partes inter christicolas distribuuntur. Ast beatum Maiolum, corpore licet absentem, meritis tamen in fugandis hostibus praesentem, huius distributionis cuncti qui aderant expertem fore dignum nullatenus iudicant. Huius namque pro ulciscenda iniuria hostes pessumdatum iri caelesti testabantur victoria. Propterea sacros codices, quos barbari rapuerunt, beato viro sua pro parte miserunt. Sic Omnipotens sui famuli meritis, praecipitatis impiis, deliberavit cunctis viam Romani itineris.

8. Non longo vero post tempore Romana
983? sede proprio viduata pastore, idem Dei famulus, Ottonis secundi iuncta cum matris prece, Italiam repetere [15] a partibus est coactus Galliae. A matre tunc et filio honore susceptus dignissimo, ad culmen apostolicae dignitatis precibus impelli coepit continuatis. Sed cui magis abiectio quam expeteretur exaltatio, nullatenus ad se promovere potuit sublimitatis ambitio. Pusillum gregem nolebat dimittere, quem Christo placuit sibi committere. Ei cum ipso volebat in paupertate vivere, qui in paupertatem descendit a caelesti culmine. Sed ab utraque cum cogeretur potestate, excogitandi dilationem studuit postulare. Tunc ad orationis se contulit praesidium, quo sibi concederetur divinitus, quid agendum, quidve tantae potestati esset respondendum. Ab oratione ut surrexit, apostolicae lectionis codex casu sub oculis tunc affuit.
16 Quo aperto, illa se in prima marginis fronte obtulit lectio, cuius se divinitus instrui credidit documento. Insertum quoque quod repperit, sibi
Col. 2, 8. adhaerentibus legere coepit: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Agere se oportere fatetur suis omni studio, quod divina suggerit lectio. Imperatoris et sanctae matris iterum precibus alternis ad ipsum flagitatur successibus. Cum nobilibus qui aderant antistites insistebant; imperialis quo fieret peticio, supplicabant. Ast ille divina illustratus gratia, sollerti se studuit excusare prudentia. *Ea*, inquit, *mihi abesse cognosco, quae viro conveniunt apostolico. Nec videor idoneus, ferre quo possim tantae magnitudinis pondus; nec decet quemquam hanc praesumere sarcinam, cuius non potest vitare ruinam. Postremo ego et Romani, sicut divertimur regionibus, ita minime convenimus moribus. Et si ipsi morigerabor, monastica professione privabor. Ideoque alium vos adquirite, quia indubitanter potestis scire, me ad culmen apostolicum hac in vita non accessurum, gregemque mihi commissum numquam dimissurum.* Hac quidem ex re liquido possumus colligere, hunc Dei famulum multae humilitatis fuisse, qui rogatus a summo terrenorum principe, ad culmen apostolicum distulit ascendere. Sed quod ille distulit rogatus, multi longe inferiores, quos nec litteratoria professio nec honestae vitae provehebat conversatio, se, si possent, ultro ingererent, omni se despectui multiplicatis precibus subderent, postremo, tantae dignitatis quo sublimarentur culmine, magno promisso munere se dampnari sua sponte simoniaca non spernerent peste. Ast vir Dei, quem interius virtutum magistra docebat humilitas, in cuius spiritu euangelica regnabat paupertas, quamquam polleret eximiae conversationis praeconio, ideo tamen sublimari refugit temporali fastigio, quo saeculari remotus negotio, firmius [a] insisteret Omnipotentis obsequio, et longinquus mundo, proximus semper fieret Deo.

Secreti cupidus sancto vir numine plenus,
Non magis externos doctus vitare favores
Quamque ministrorum solacia crebra [b] suorum,
Voto detulerat latebramque fovere perhennem,
Immunemque aurae quam longa est ducere vitam.
Inconvulsa manet magni sed sponsio Ihesu,
Montibus impositam non abdi visibus urbem;
Quemque tegit meritis absistens gloria pulchris,
Indicat egregiis illustrans gratia signis;
Et quaqua tulerat facilem per compita gressum [c],
Urbibus et vicis raptim promiscua sese
Obvia turba dabat, praeclaris excita factis,
Et quamquam longi facile [d] secura laboris.

9. Sub eodem tempore praedictus imperator matrem zelabatur, quia apud se falso crimine deferebatur [16]. In eam tunc quasi rei publicae dilapidatricem et sui ab ea expulsatricem per falsos delatores tali stimulabatur iurgio, ut eam versa vice propellere minaretur regno. Suorum principum nullus eum convenire falsumque crimen a sanctissima matre temptabat avertere. Ipsi eam defendere neglegebant [e] a crimine falsitatis, quos illa extulerat ad summos gradus dignitatis. Hanc omnes excusationem praetendebant, quod imperiali maiestati contradicere non audebant. Ecce ferebantur precibus mandata coactis cunctorum, quiqui fuerant ex parte piorum: iret quantocius ac dilectissimae sibi imperatrici succurreret; nullam iam illi restare salutem, nisi ut rebus amissis [f] etiam regno discederet, periculo vitae indubio. His vocibus iras

a) firmus 2. b) creba 2. c) gressuum 2. d) *deest* 2. e) neglig. 1. f) ammissis 2.

15) Dum Otto II. in Italia morabatur sedem Romanam non vacasse, Mabillonius p. 779. monuit, et haec in a. 974. aut 975. quo Benedictus VII. electus est, cadere putavit. Sed a. 983. Otto Romae Iohannem XIV. instituit papam (Chron. Saxo h. a.), quo tempore quum etiam Maiolus in Italia moraretur (infra c. 10), fortasse tunc ipsum Otto imperator summum pontificem designaverat. Certe Syrus temporum ordinem vix servat. 16) cf. Odilo c. 6. 7.

Excitat, impaciensque morae mox arma reposcit,
Arma celer, notisque artus inducitur armis.
Voverat ille suum fidei pro nomine pectus,
In quamcumque daret casus incumbere mortem.

Ast ubi venit, mox imperatori in faciem restitit, et eum publice coram omnibus increpavit: *Apice*, inquit, *sublimatus transitoriae dignitatis, cur praecepta aspernaris veritatis? Potens est te redigere ad minima, qui ad mortalium te sublimavit fastigia.* Tunc imperator, hac audita comminatione, subito contremuit, ei supplici sermone respondit, et in quo praecepta veritatis contempneret, humiliter requisivit. Cui vir Dei: *Parentes*, inquit, *honorare illius est iussio, qui, cum Deus esset, virgineo editus ex utero, matri se subicere dignatur in euangelio. Sic enim ait euangelista*[17]: *„Descendit cum illis Nazaret, et erat subditus illis." Si matri se subiecit, qui per potentiam divinitatis omnia fecit, te, ab illo vili formatum ex luto, in matrem superbire, cur elata persuasit praesumptio?* Ad hanc imperator vocem irarum flammas temperans, immanissimum furorem deposuit, patrisque Maioli per omnia se obtemperaturum iussis perhibuit. Pro iussione tandem sanctissimi patris ante matrem ut venit, suis se vestigiis proiecit, et ei obsequens ut matri filius, in nullo eam offendisse deinceps est inventus. Hunc itaque, qui inter mortales summus princeps eminebat, quem ad matris concordiam convenire nullus audebat, ab hoc scelere, quod facile potuit, compescere, matrique satisfacere, et ei, ut consequebatur, obedire, solo iussu coegit; liquido claret, hunc magno mentis culmine potestati inhaerere supernae, qua praeditus[a] illud facere potuit sola iussione, quod nullus aggredi ausus est supplicatione. Quod enim illi inhaeserat, cui nichil est impossibile, ideo ab eo meruit accipere, ut huius sui dominaretur iussio, cuius terrarum principes subiciebantur dominio.

10. Inter cetera siquidem miracula, quae Dominus operabatur ad ostendenda servi sui merita, spiritu prophetiae dignatus est erudire, ut ventura saepius praediceret, et absentia praesentibus quasi praesentia denunciaret. Quodam tempore dum 973. Mai.
Roma rediret, fratribus, cum quibus iter carpebat, suspirans cum lacrimis dixit: *Hac nocte per somnium leonem videbam immanissimum, qui clausus in cavea cathena constringebatur ferrea. Et ideo indubitanter sciatis, quia Otto imperator hoc anno rebus excedet humanis.* Quod ita rei probavit eventus. In proximo enim Provinciam reversus, ibique in quadam sua cellula paucis diebus commorans, legatus ex Alemaniae partibus advenit, qui praefatum imperatorem ab hac vita migrasse detulit. Sed sicut vir Dei absentem rem tamquam praesentem tunc fratribus retulit, quoniam imperatoris magni, licet longe positi, mortem innotuit: ita postea ipsius filio, cuius supra retulimus, sicut 983. Iuni.
contigit, Veronae de suo obitu praedixit. Nam manus imperatoris utrasque suis amplectens manibus tenuit, eiusque vultum contemplans, ait: *Fratris Maioli consilio si aurem praeberes, hinc unde venis retro redires. Pro certo enim scias, quia si Romam*[b] *perrexeris, quo ire disponis, nativitatis regnum numquam amplius videbis, sed Romae, quo pergis, sepulchrum habebis.* Hoc quoque, quod Dei praedixit famulus, rei postea probavit eventus.

11. In Alemanniae partibus quodam tempore cum moraretur, eius adventus rumore diffamato, ad eum cuiusdam comitis concita pervenit legatio. Ex longo namque tempore praedictus comes nimia deprimebatur aegritudine . . . .

17) Luc. 2, 51.

EX RODULFI GLABRI VITA S. WILLELMI DIVIONENSIS.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Dulcedine sancti Spiritus praeditis patribus venerandis ac diligendis fratribus, ubique ecclesiarum Dei universalis documentis in caritatiua spe servientibus, monachorum infimus Rodulphus tantillam obeditionis exhibitionem. Placere denique unanimitati vestrae non diffidimus, si de vita vel conversatione vestri omnium dilectoris, domni videlicet sacerdotis atque abbatis Willelmi, prout divina pietas largiri dignata fuerit, posteris mandare studuerimus. Plura siquidem a nobis visa, plurima tamen a veracissimis relatoribus comperta, huius narrationis informabunt seriem. Idcirco communem fidelium virtutigenûm[c] *obsecramus caritatem, ne simplex contemptui habeatur sermo, neve pro vili canistro purae respuatur similaginis offa; cuius si prudenti manu exercitaretur materia, omnem valeret excludere inopiam et sospitatem conferre perennem.*

INCIPIT VITA.

2. Vir igitur religiosus domnus Willelmus, quem pius Dominus ecclesiae suae filiis pastorem ac iuris suae legis propagatorem constituit, natione quidem Italus, avus tamen eius, Vibo nomine, militari industria clarus, gente Suevus fuit. Qui scilicet ob inimicitiarum ultionem nativam relinquens provinciam, perrexit habitaturus Italiam, ibique copiose locupletatus opum gratia, feliciter deguit. Hic ergo extitit genitor Rotberti, qui accipiens sibi uxorem ex Longobardorum nobilioribus, nomine Perinzam[1], quae foecunda prole filiorum genuit

a) predictus 2. b) roma 2. c) *ita Bolland., cuius edit. 2. signo.* virtutigenam *MAB.*

1) Eius obitus ad Calendas Novembris notatur in Necrologio S. Germani a Pratis, his verbis: *Obiit Perenza nostra amica, mater domni Willelmi abbatis. MAB.*

ei etiam prae cunctis optabilem Willelmum. Contigit namque sub ipso tempore illius nativitatis, Berengario Longobardorum rege defuncto [2], ut Otto imperatorum maximus hostili manu omnem sibi
961. subiugandam peteret Italiam. Qui comperiens, praedicti Berengarii uxorem in quoddam castrum,
962. situm in lacu urbis Novariae[a], fecisse confugium [3], atque cum ea viros, quorum conspiratio rebellis foret eidem imperatori. Ad quod ilico divertens, cinxit illud ferocis obsidione exercitus. Erat enim praedictus Rotbertus in eodem castro cum propria uxore et liberis, cui etiam quique[b] illorum cum sua domina curam atque tutelam commiserant sui. Cumque diutius ab utrisque partibus acerrime decertatum fuisset, cernens imperator differri sibi victoriam, temptans[c] largitionibus munerum clam inflectere suorum hostium signiferum. Nam spopondit ei cum maximis donis etiam apud sublimitatem suam celsitudinis locum, si suos deserens illius parti faveret. Ille vero minime adquievit, utpote miles adiuratus, respondens, sibi optabiliorem fore proprii interitum corporis, quam sacramentis assertae fidei desertor haberi. Post aliquot vero dies, habito invicem pacis consilio, in deditionem gratis devenere imperatoris. Tunc quoque isdem Rotbertus, ut erat vir prudens ac strenuus, suggessit imperatori, ut filium, quem ei uxor sua intra ipsius obsidionem castri pepererat, catechumenum fieri per manum imperialem praeciperet[d]. Quod ille libentissime annuens, ut monitus fuerat, impleri mandavit, ac propria puerum sustulit dextera, eique nomen indixit Willelmum, quem scilicet postmodum regina, coniunx illius, ex sacro fonte suscepit baptismatis.

16. Omnipotentis etenim Dei gratia in ipso cooperante, coepit illius fama sanctitatis circum adiacentes seu longinquas penetrare provincias. Nam praesul [4] Mettensium Adalbero reverenter satis illum evocans, commisit eidem sancti Arnulfi confessoris regendum ac meliorandum, ut agere consueverat, monasterium. Suscipiens ergo
996. illud, brevi tempore reddidit emendatum. Tunc [5] enim devota concepit mente, ut apostolorum principis Petri sanctissimi limina visitaturus adiret. Stabiliens nempe coenobia sibi commissa idoneis praepositorum seu ceterorum officiorum personis, ut decreverat, Romam orandi gratia perrexit. Visitatis quoque sanctorum sepulchris vel oratoriis, sacris etiam missarum per semet celebratis sollemniis — nam praefatus Bruno episcopus [6] sacerdotium illi imposuerat —, cum apostolica benedictione consolatus regreditur ad patriam, coepit febricitans aegrotare. Iam iamque ad coenobium sanctae virginis Christinae [7] perveniens, in lectum decubuit. Qui paululum convalescens, Vercellis devenit, rursusque ibidem gravius[e] periclitari coepit. Tunc quoque, ut idem referre erat solitus, et etiam bonae memoriae Gerbaldus, almi patris Maioli monachus ac praedicti coenobii sanctae Christinae abbas, perhibebat, dum in ecclesia sancti iaceret Eusebii praesulis, per quatuor vel quinque horarum spatia ita factus est exanimis, ut nullum omnino spiramen in ipso cognosceretur. Sed tamen ignoratur, quid tunc divinitatis praesenserit[f]; quoniam paululum in se reversus, voce qua poterat, lingua palpitans, haec personabat verba: *Domine Iesu Christe, rex aeternae gloriae, suscipe me, si placet, quoniam bonus es; non dubito, ad te ex hoc corpore transire.* Sciendum vero est, quoniam istius mora aegritudinis, ut eventus rei subsequentis demonstrat, non fuit impedimentum tantum quam gratia spiritalis lucri.

17. Occurrentes ei denique illuc tres ipsius germani fratres, levi evectione deduxerunt illum ad sui iuris praedia confovendum; ardenter enim desiderabant videre illum, quoniam compungebat corda eorundem divinae absentia pietatis. Convalescente quoque eo ab aegritudine, post aliquot dierum spatium convenere ad illum quique suorum ac plures domini civitatum vicinarum, et suadere illi coeperunt, promittentes, se plura largituros, si in nativa patria coenobium sibi, sicut in externa audiverant illum fecisse, aedificare inciperet. Tunc etiam, quod potissimum fuit, duo ipsius germani [8], videlicet Godefredus atque Nitardus, viri spectabiles, secretius illum cum comite maximae partis Burgundiae Willelmo, qui etiam eiusdem patris, de quo sermo est, extiterat affinitate propinquus, adeuntes, spoponderunt, se saecularem relicturos militiam, ac se suaque omnia in omnipotentis Dei peculiare dominium devenire. His auditis, Dei cultor ilico fiducialiter coepit tractare de coenobii, unde rogabatur, constructione. Qui pariter communi consilio et voluntate locum quaerentes, rei huiusmodi aptum repperere in rure paterno a Pado distantem flumine quaterno miliario solitarium, cognomento Fructuariensem. Ibi namque collocari praecepit basilicam, quam praesente Arduino rege cum aliquibus episcopis sacrari iussit in honore genitricis Dei Mariae sanctique Benigni martyris atque omnium sanctorum. In qua etiam isdem rex cum sua coniuge [9] et filiis humatus quiescit. Ad quam nihilominus tam a Romana urbe quam a diversis partibus plurima congregavit sanctorum martyrum corpora. Brevi namque in spatio temporis collecta est ibidem numerosa fratrum congregatio Deum timentium, instituta beati Benedicti abbatis praecipue[g] servantes, quae isdem pater Willelmus a sancto Maiolo Cluniaci didicerat.

18. Revertens igitur post haec ab Italia, omni studio satagebat e diversis partibus terrarum colligere viros servituti Christi idoneos, suadendo eis vitae caelestis gloriam, pariterque comminans inferorum supplicia. Tantam enim ei Dominus cum ceteris virtutibus virtutem salutaris verbi concessit, ut quibusque doctrinam illius suscipientibus sum-

a) novitiae 2. *est lacus Ortanus, in agro Novariae urbis.* b) quinque 2. c) tentans *ed. Eiusmodi verba correxi.* d) praecepit 2. e) pravius 2. f) persens. 2. g) praecipui 2.

2) Nondum mortuus erat. 3) cf. Cont. Reg. a. 962. 4) cf. Chron. S. Benigni ap. Dacher. Spicil. ed. 2. II. p. 385. 5) *Anno sexto suae ordinationis*, Chron. S. Benigni l. l. p. 382. 6) Lingonensis. 7) prope Ollonam. MAB. 8) cf. Chron. S. Benigni l. l. p. 385. et Mabillon Acta VI, 1. p. 346—351. ubi Willelmi carta fundationis aliaque edita sunt. 9) Bertha.

mam conferret fidei firmitatem bonarumque virtutum augmentum ac vitiorum emendationem. Omnibus enim, sicuti expedire noverat, sive leniter seu asperrime, caritative tamen huiusmodi exhibebat. Contigit ergo, illum aliquando cum viro per omnia desiderabili, domno scilicet Odilone, adhuc illo in canonicali habitu degente, de vera animarum salute habuisse colloquium. Intelligens vero illum niti ad sanctitatis culmina, coepit illi attentius suadere, ut quod potissimum fore creditur, quantocius explere satageret; negotiis videlicet saeculi istius abiectis, Christum Iesum sequi liceret expeditius. Compunctus ilico vir clarus, libenter se facturum promisit, quod pater suaserat Willelmus. Nam post paululum ad coenobium nominatissimum honorifice deveniens Cluniacum, ibique a sancto Maiolo est devote susceptus, atque in habitu sanctae conversationis monachus ex more sacratus est. Cuius etiam conversatio in tantum extitit cara Deo et dulcis Deum diligentibus, ut isdem sanctissimus Maiolus sibi commisso gregi allegans illum in vita, qualiter post ipsius obitum haberent patrem atque pastorem. Quod ita manifestissime et utiliter fieri contigit. Quam enim praemaximam exinde, dum adviverent, dilectionem inter se habuere, dum alter eorundem alterum sibi utcumque praeferens, exprimi non valet.

19. Praeterea pontificibus Romanis pater Willelmus, qui suo tempore praefuere, in tanta veneratione ac reverentia est habitus, ut quidquid illis suggessisset, sive per se sive per aliquam legationem, libentissime implere studebant. Nam et Iohannem papam spiritualia dona per orbem, maxime Italicum, auri vel argenti pretio distracta minus curantem, tali invectione monere studuit per epistolam, haec continentem: *Parcite, quaeso, parcite, qui dicimini sal terrae et lux mundi. Sufficiat hominibus, iam semel Christum fuisse venditum pro communi salute universorum. Iam enim refugae veri luminis, solo nomine pastores, ovile Christi, immo membra illius, videte post vos quo eunt. Si iuxta fontem tepet rivus, in longinquum foetere nulli dubium est. Idcirco cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos pastores ac pontifices omnes in commune iudicis securim gestantis, ante*[a] *ianuam assistentis, memores.* Quam epistolam papa libenter amplectens, grates ac benedictiones tanto patri retulit, Deumque in illo glorificavit.

20. Sed et illud denique in eodem patre fuit valde memorabile, quod multi tum etiam nobiles venenatis infecti verbis malorum, dum adversus illum contumeliarum verba dicenda concepissent seu iurgia ultionis vice referenda, ut ad conspectum illius ventum fuisset, statim mirabantur, semet ab his quae intenderant exprimere alienatos fuisse; amissaque ferocitate rei praeteritae, quidquid id erat, totum procedebat ex mansuetudine. Heinrico siquidem imperatori de eo suggestum fuerat, quod illi derogans illumque contemnendum adiudicans, Arduini quoque parti, qui sibi Italiae regnum praeripuerat, faveret, illumque pro posse defensitaret. Ex hoc quippe viro Dei, quamvis ab[b] re, iratus fuerat. Ille vero ut comperit, ad illum pergens, rei veritatem sese purgando pandit, atque si quid erat odii a corde illius detersit. In tantum etiam isdem imperator postmodum illum dilexit, ut illi dona largiretur plurima, et quidquid ab eodem vellet fieri, continuo impetraret[10].

21. Pari namque ratione Rotberto Francorum regi de ipso indicatum fuerat, quod Brunoni praedicto Lingonum episcopo, qui regi minus adquiescebat, talia suaderet, quae regali iuri nimium resisterent. Ille vero simul et regina coniux illius propter hoc illi irati, comminati sunt aliquotiens coenobiis eius damnum inferre maximum. Adiens ergo intrepidus amborum praesentiam, ita illorum divini verbi virtute iram compescuit, ut etiam summam dignitatis gratiam apud illos obtineret. Nam cum illorum filius, qui pro suae iuventutis elegantia ac liberalitate Hugo Magnus cognominabatur, 1026. iam in regem unctus obiisset[11], ac parens uterque pro morte ipsius pene usque in suimet necem cordis dolore et luctu affligerentur, tunc accessit ad eos spiritalis medicus, et ait: *Non infelices enim vos putare debetis, quod talem amisistis; quin potius felices valde, quia talem habere meruistis. Ego*, inquiens, *ex ullo hominum gradu non tam paucissimos salvos futuros aestimo sicut de regum.* Qui cum attoniti responderent: *Quid hoc dicis, pater?* respondit: *Non audistis*, inquit, *sacer canon quomodo refert, vix tres de triginta regibus bonos extitisse? Idcirco cessate, quaeso, hunc iuvenem flere mortuum, sed potius congratulamini ei, sicuti requiei datum et a malis liberatum.* His dictis ita consolans illos placabiles fecit, ut viderentur non habere quod plangerent, et Deum dicerent visitasse illos per sanctum virum.

22. Quorumdam etenim nomina aliquando interpretabatur sive ad profectum sive ad detrimentum ipsorum. Cum igitur post mortem Bertoaldi Tullensis pontificis, qui ei monasterium sancti Apri 1018 confessoris commiserat, eidem episcopatui quidam Hermannus[c] praesul datus fuisset, ita coepit exosos huius patris habere monachos cum sua institutione, ut etiam honestissimum fratrem, Widricum[12] nomine, qui post illum eiusdem loci pater devotus extitit, cui tunc ceterorum cura imminebat, baculo verberaturus eum impegerit. Quod dum patri relatum fuisset, ad nomen illius alludens, ait: *Secundum suum nomen*, inquiens, *facit episcopus iste.* Nam lingua barbara Herman[d] in nostra homo errans dicitur. Ac deinde: *Si enim Christi pastor fuisset, illius oviculas minime laceraret. Sinite illum; verus pastor novit, et ipse quae sua sunt colliget.* Non multo post denique pergens in longinquum saecularia exacturus negotia, crudeliter obiit, peregrina potius sepultura[13]. 1026.

23. Simili invidia quoque Leo Vercellensis episcopus ad actus universos istius patris exti-

a) apud 2. b) abs 2. c) Ermannus 2. d) Erman 2.

10) Confirmationem coenobii Fructuariensis obtinebat. Böhmer Reg. n. 1245. 11) Hugo Roberti filius anno 1017. in regem unctus, obiit anno 1026. die 17. Septembris. MAB. 12) cf. supra p. 485. praef. in Widrici vitam S. Gerardi. 13) Coloniae.

terat infestus. De quo etiam talia narrare solitus: *Hic ergo crudelissimus Leo totus est sine Deo; quia si fuisset Deus cum eo, quae illius sunt amaret pro illo.* Affirmabat autem, post mortem et aeternaliter illum esse damnatum. Manifestissime siquidem in multis claruit, quoniam quisquis illum odio habuit, exinde poenas luit; sicuti vice versa, si quis illum dilexit, mercedem a Christo percepit illius auctore sanctitatis.

VITA

ADALBERONIS II. METTENSIS EP.

AUCTORE CONSTANTINO ABBATE.

Adalberone II., qui annis 984—1005. *Mettis sederat, defuncto, Theodericus dux*
filium Adalberonem III. fratri successorem instituit, parvulumque adhuc curae
Theoderici, fratris Kunegundae reginae, commisit. Qui potestate sua abusus
cathedram episcopalem ipse invasit, et potestate fratris sui, Heinrici ducis,
fisus, quum a. 1008. *Trevirensis quoque cathedra Liudulfo mortuo vacasset, eius*
occupandae causa contra Megingozum archiepiscopum a rege institutum et Theo-
dericum ducem bellum iniit, quod vario rerum eventu usque ad a. 1012. *pro-*
cessit, et nonnisi a. 1017. *vera pace compositum esse videtur. Medias igitur*
1 *inter turbas, quibus tota Lotharingia devastabatur, Constantinus*[1], *monasterii*
S. Symphoriani extra muros Mettenses abbas, vitam Adalberonis II. scribendam
suscepit. Impellebat eum recordatio melioris aevi et gratus in defunctum
animus, quem monasterii sui restauratorem venerabatur, cui ipse quondam
comes assiduus tam ad mensam[2] *quam in morbis pauperum curandis*[3] *adhae-*
serat, cuius beneficio anno 1004. *monasterio S. Symphoriani abbas praefectus*
erat[4], *cui aegrotanti et morienti Numeniaci*[5] *et Mettis adstiterat, cuius defuncti*
cilicium et stamineam pro magnis thesauris adquisita religiosissime servabat[6],
7 *quem denique in ecclesia S. Symphoriaui sepultum*[7] *precibus assiduis Deo*
commendandum susceperat. Opus magna devotione sed stilo nonnunquam
diffusiori exactum, plura continet memoria dignissima, et rerum potius quam
temporis ordinem sequitur. Scripsit auctor aliquot post Adalberonis et Liudulfi
Trevirensis[8] *obitum annis peractis*[9], *superstite Immone abbate Gorziensi*[10],
12 *necdum firma pace regionis composita*[11], *Heinrico II. rege, non imperatore*[12];
igitur anno circiter 1012. *et exemplo suo paulo post Alpertum, monasterii S.*
Symphoriani tunc monachum, ad scribenda gesta pontificum Mettensium, Con-

1) c. 26. praedecessores suos Fingenium et Siriaudum nominat. 2) c. 8. 3) c. 14. — Praeterea se tacente alios de elemosinis loqui iubet. 4) c. 26. 5) c. 31. 6) c. 22. 7) c. 36. 8) qui a. 1008. obiit. 9) c. 27. *arida iam utriusque membra* dicit. 10) Quo anno obierit, non constat. 11) c. 27. 12) c. 15.

stantino nostro dicata, accendit[13]. *Quo anno bonus abbas obierit, non plane constat*[14].

Tres libri codices supersunt:

1) *C. bibl. regiae Parisiensis Nro.* 5673. *mbr. in* 4*to minori saec. XI. Constantini manu scriptus aut dictante eo exceptus, paucisque in locis correctus, quem Parisiis anno* 1839. *evolvi, et editione nostra exprimendum curavi. Continet nihil praeter vitam et epistolam Hildewardi Halberstatensis episcopi ad Adalberonem scriptam.*

2) *C. bibl. eiusdem Nro.* 5294, *mbr. saec. XI. in fol., liber olim Sancti Simphoriani Mettensis coenobii, Constantini nostri iussu Bettonis harundine exaratus; unde supra SS. T. II. p.* 260—271. *Gesta et catalogum episcoporum Mettensium edidimus, et vita cum epistola Hildewardi in Labbei Bibl. Mss. I.* 670. *prodierat. Vita hic ex priore codice transscripta et manu alia passim correcta, aeque ac illa Constantini auctoritatem praeferre videtur. Cui plurimum consentit:*

3) *C. bibl. ducalis Guelferbytanae inter Augusteos* 76, 14. *signatus, mbr. saec. XI. in fol. de quo supra pag.* 253. *monuimus; quem aeque ac regium Nro.* 5294. *Waitzius noster cum editis contulit.*

Quibus subsidiis ita usus sum, ut codicem primum ad litteram expressum nonnisi rarissime reliquorum ope corrigerem. Hildewardi litterae in collectione nostra Epistolarum edendae reponuntur.

In fine epitaphium Adalberonis *a Kuonrado, S. Naboris ut videtur monacho, compositum, quod Baluzius olim in Miscell. IV.* 554. *ex codice Colbertino Nro.* 1682. *auctoris nomine celato ediderat, ex eodem codice in bibl. regia Parisiensi Nro.* 8088. *signato saec. XI. in folio una cum ineditis Kuonradi carminibus, quibus epitaphium Ratramno abbati offert et sacram ipsius vitam exponit, proferimus.*

1. Adalbero[a] sanctae Mettis venerabilis praesul, magni Adalberonis fratruelis[15], licet tempore inferior, licet post natus, merito et gratiae privilegio, vere fatemur, non impar, gloria luxque decusque cum suorum — nostrûm dicimus — tum totius patriae, ad hoc omnium quaqua orbis degentium, genus ab attavis[b] et supra nobillimum[c], seque suoque praemio omnino perornans, omnino perlustrans, dum vixit splendor gaudiumque et, ad conservandas res publicas, spes salutis et vitae, nonodecimo Kalendas Ianuarii dum decessit, luctus qui dici non possunt reliquit his, quibus abscessus eius tenebrae aeternae caligoque perpetua abhinc, pro dolor! perseverat. Hic nomine et vitae gratia magnus ad mundi provectum et aecclesiae stabilimentum procreatus, patre Friderico, qui Galliae medianae dux, generositatis excellentia et sapientiae praeminentia multos praedecessorum in id officii superavit, matre Beatrice, quae Magni Hugonis filia fuit, progenitus est, et tantam tamque inclitam lineam[d] generis non modo non infamavit, verum ultra quam est dicere, ultra quam est digne meditari, decoram reddidit et insignem, dum Adalberonis vita purissima et gloriosa, prout fert instantia temporis, populis enarratur, gentibus ad Dei et Christi eius domini nostri gloriam pronuntiatur.

2. Quid autem egerit, ad quid natus sit, qualis vixerit, paucis dicere cupientes, intimamus audire volenti, amatorem eum ex cordis integritate ac animi maxima alacritate sui ex cunis fuisse conditoris, proximum ex divino praecepto omnino dilexisse,

a) Incipit vita beati Adelberonis episcopi. Igitur Adelbero 2. 3. b) *ita* 1. 2. 3. c) *ita* 1. nobilumum *corr.* nobilissimum 2. d) linea 3.

13) v. ea infra typis edita. 14) V. Gall. christ. XIII. p. 846, ubi usque ad a. 1046. vixisse dicitur. Rivet Hist. liter. VII. pag. 248, nescio quo testimonio nisus, eum 10. Sept. 1024. obiisse dicit. 15) fratris Friderici filius, v. supra pag. 348.

infirmantium corpore sive corde usibus, ut sibi ipsi, semper condescendisse, mortuorum
sepulturis assidue, dum necesse erat, astitisse, et ut succincte multa dicam, eam sibi
legem beatus statuerat, ut, quocumque veniret, lux quedam venisse et spes salutis
videretur, semperque ad divina mandata conservanda et fratribus utilia praevidenda se
animumque suum intentissime piissimus praeparabat. Scolaribus disciplinis apud Gurgi-
983. tenses[16] castissime detritus et institutus, dum post mortem secundi Ottonis divi imperatoris,
et casu patris et orbitate immatura filii, post creati caesaris, totus occidens
dissensione minorum, maiorum autem cupiditate ad regnandum, omnino langueret,
984. defuncto memorandae vitae viro Deoderico pontifice, ad reformandam in populis pacem
totius pacis amator Adalbero genere et mente nobilissimus[a], procurante et procurrente
matre Beatrice, favente domina Adelheidę augusta, prolis adhuc tenerrimae avia, quod
autem primum bonarum rerum postremumque est, Deo omnino annuente, votis populorum
et seculorum famosissime Metti praesul elevatur et constituitur die 17. Kal.
Oct. 16. Novemb. anno dominicae incarnationis 984.[b] indictione 12[c].

3. Mira vero Dei et domini nostri gratia, et potentiae antiqua virtute, quod est
dictu mirabile, principum illa discordia, quam putabant non sine magnis periculis nec
sanguinis[d] multa effusione umquam evadendam, sic sedata, sic ad nichil redacta est,
ut res iam in armis constituta, ad unitatem electi principis et ad diuturnitatem verae
pacis, quae quamdiu vixit princeps idem duravit, perfectissima rediit, dum votis fidelium
Adalbero in hunc dignitatis pontificalis gradum felix ascendit. Acta sunt haec
c. Oct. 20. felicibus auspiciis Wormaciae, quondam Vangio dictae, quo exercitus Galliarum Germanieque
pars ad favendum puero principi, pars ut resisteret, concesserat[17]. Sed Adelberone
baculi pastoralis donato honore, regi, quem Deus elegerat ut erat videre, qui
paulo ante restiterant magis, huius beati meritis post plus pronos ad serviendum sese
inpingere festinabant, et fideles fore abhinc in posterum devovebant. Quid amplius?
Pacatis rebus regiis, tranquillatis cunctis regis novi negotiis, Beatrix, quae huius pacis
propagatrix Deo annuente extiterat, et cuius industria tam subita militum et principum
in regem confederatio facta fuerat, cum sua felicissima prole felix et ipsa, et cum
nobili illo Mettensium exercitu, ad urbem filio datam ire properat, gestibus cordis et
corporis quibus poterat, quibus noverat, Deum et Dei antiquam clementiam et summam
bonitatem ac notam gentibus virtutem magnificans atque collaudans. Fit concursus
virorum ac mulierum, fit inaudita populorum irruptio, fit admirabilis monachorum ac[e]
virginum et sanctorum omnium votivus ac dulcis applausus, dum veniunt, dum diu
praestolata gaudia affore cernuntur et suscipiuntur. Quanta piis gratulatio, quanta cordium
praeconia, dum a populis laudes Deo resonantur[f], dum clerus non tantum urbis
unius modos dulcissimos et hos altissimos inter cantandum facit, dum sacrarum[g] mulierum
turba voces Deo dignas efferunt in excelsis.

4. Interim benedictio sacerdotalis usque in Christi domini natalem differtur; et
Dec. 28. quia dominicus dies ad hoc sacramentum peragendum a patribus est institutus, 5. Kal.
Ianuarii, quo natalis Innocentum celebris veneratur, dominicalis resurrectione Domini
sacratus ac sanctus dies affuit; et ecce antistites vicinarum civitatum Trevirim, quae
est metropolis antiqua, confluentes, cui domnus Ecbertus venerabilis archiepiscopus praeerat,
paribus votis parique assensu dominum Adelberonem in sedem Mettensis urbis
praesulem consecrant atque benedicunt. Hinc iam pastoralibus curis et ovium dominicarum
registris susceptis, totum se ut forma commissi gregis fieret accinxit, totum in
Dei opere corpus et animam praeparare deliberans, exemplum subditorum et specimen
ad virtutes fore studio summo curavit.

5. Affabilis etiam aetate aut paupertate inferioribus, ultra quam credi hoc tempore
possit, humilis sic, ut a pravis in hoc et a superbis quasi nimis deiectus notaretur,
mitis prae omnibus sui temporis, ire[18] omnino expers, ita ut se mirari diceret, ad quid
aut quomodo in homines vitium iracundiae assurgeret, cum ipse disciplinas erga male
facientes exercere gestiens, irasci non posset.

a) nobillimus 2. 3. b) DCCCC 1. 2. *addito in* 2. *atramento fusco:* LXXXIIII. c) *locus erasus in* 1. *numerus atramento fusco additus in* 2. d) nec sine s. 2. 3. e) et virginum ac 2. 3. f) resonant 2. 3. g) sacrum 3.

16) *i. e.* Gorzienses. 17) Rex ibi 20. Oct. erat; Böhmer Reg. N. 625. 18) *i. e.* irac.

6. Servorum Dei et praecipue monachorum amator ferventissimus, adeo ut a laicis assidue laceratus ac corrosus, nihil preter monachos curare infamaretur; Christi domini certe imitator fieri exoptans et vere cupiens, dum Dominum suum, quod cum publicanis et peccatoribus convivaretur, conviciari legeret, et a Iudeis pessimis vini potatorem vocatum audiret, se improperia huiusmodi aut forte graviora pro eiusdem Domini sui quo multum fervebat amore perpeti, divitias inestimabiles et grata sibi munera iudicabat.

7. Conviviis virorum sanctorum et monachorum maxime sic delectabatur, ut felicem se eo die faterelur, quo cum his ei prandére contingeret, quibus mundus crucifixus est et ipsi mundo, quibus et accumbens sepe dicebat: *Venite, ut sedeatis a dextris filii matris aecclesiae.*

8. Haec vere dico, vere fateor, quia hoc et verbo et pastu, licet immeritus, licet abiectissimus suorum, dextere ipsius domini mei primus assidens, sepe usus sum, participatusque eius sacris colloquiis, et inter convivandum frequentissime delectatus. Miscebantur etiam sacrae exhortationis ac correptionis dulcissimi sermones cibis, quos summa cura sibi erat monachis semper dilectis accurate satis parare.

9. Ergo[a] beatus vir, cum quo, ut vere credimus, Deus erat, vere apostolicus omnibus[b] omnia factus, ut omnes lucrifaceret, universis non modo clericis sed et laicis, Iudaeis etiam dilectissimus erat, ita ut usque hodie, praetermittam christianos, ab ipsis nostrae[c] etiam religionis infestissimis Iudaeis cotidianis luctibus et gravibus suspiriis defleatur. Hunc omnis sexus et aetas, hunc omnis ordo et conditio, hunc incolae et advenae, hunc infra et[d] hunc extra positi, hunc noti hunc ignoti, miro affectu mentis venerabantur ac diligebant.

10. Erat igitur corpore plus cunctis sui temporis venustus, statura decorus, forma elegans, oculis amantissimus, nasu mediocris, capillis albus et ipsis raris et planis, ex genere corpulentus, manibus pedibusque et toto quod erat mirabilem Deum in omnibus operibus suis ostendebat, et quam decorus Factor in sua natura sit, cuius tam decora opera habeantur, se cernentibus indicabat. Primordia ac primitiae actuum ipsius ad divinos usus et ad exercendos animos in his quae pietatis sunt, sancti Symphoriani locus extitit, qui licet antiquitate nihil praeter ruinas et casus praetenderet, et in nigerrimam faciem eius magna nobilitas decidisset, situs amoenissimus vineisque uberrimus ac urbis vicinio honorabilis, sanctorum multiplicitate, et quod est decentius, sedis pontificum numerosis corporibus famosissimus, cor beati et[e] dulcissimi domini nostri Adelberonis et mentem, ut in hanc quae est videre decoris spetiosissimi venustatem reduceret, induxit, et in redivivam ut assurgeret formositatis gratiam, devotissimus elaboravit; nec destitit, donec ad id quod coeperat felici Dei dono votis beatissimis[f] adimpleret. Et quia parietum et maceriarum proceritas, tectorum culmina, columnarum honesta rotunditas, rutilantium metallorum splendor, casso labore adquiritur et inani studio congeritur, si non, semota omni mundani favoris cupiditate et transeuntis laudis cuncto appetitu abiecto, pro solo divinae remunerationis respectu totum congestum corrasumque fuerit, et ut divinas aeternasque mansiones sibi fidelis ac devota Deo praepararet[g] anima, haec terrena aedificia construere apparareque totis studiis debet: hic beatus id praevidens, loco, quem Deo paraverat, servorum Dei, qui institutis sancti Benedicti bene parere docti ad perfectum noverant, collegio decentissimo exornat, et ut pro salute perpetua cum sua praedecessorumque suorum, tum pro totius orbis, cuius magna erant pericula, Deum exorarent, sollertissimus aggregavit.

11. Postquam vero locum hunc digne Deo stabilitum reddiderat, et monachorum copia pulcherrima, quos undecumque collegerat, honestissimum fecerat, id deliberans, ut semper suus non solum spiritus sed et anima et corpus Deo et Christo eius serviens, nulla sui pars vel ad momentum quidem a divino pietatis opere otiosa consisteret, sed impigra et utilis, laboris assidua, multimodo etiam sanctorum exercitiorum genere sese deterere cupiens, Romanum iter aggreditur, limina apostolorum adit, et suos subditorumque excessus fletibus, quibus supra mortales abundabat, deplorans deponit. Papa Iohannes[17] sanctae sedi praesidebat, et vices beati Petri dignissime administrabat; qui 17

a) Vir 2. 3. b) omnia omnibus 2. 3. c) e. n. 3 d) *deest* 2. 3. e) d. et 3. f) deuotissimis 3. g) praeparet 2.

17) Iohannes XVI. annis 985—996. sedit.

domnum Adalberonem tanto honore suscepit tantaque reverentia habuit, ut hominem huiusmodi generis et nobilitatis decebat, et quod magis est, tantae sanctitatis et pietatis viro competere novit, ac sanctorum reliquiis honestissime muneravit. Quam durum, quam asperum beato viro hoc iter fuerit, quanto labore quantisque sudoribus iuga et devia montium rupium et silvarum arripuerit, qui nosti quantae teneritudinis et gravedinis fuerit, qui scis eum robore corporis et membrorum viribus omnino cum natura nobilitatis tum animi imbecillitate debilem ac invalidum fuisse, perpendere ac diiudicare valebis. Rediens autem totum se divino operi[a] mancipavit, laudibus sui Creatoris assidue insistere curavit, elemosinis, vigiliarum et orationum laboribus se corpusque maceravit, infirmorum necessitatibus, mortuorum sepulturis assistere praecipuum faciebat, peregrinorum diversae professionis et diversi ordinis nuditati et paupertati subveniebat, sic indefesse, sic sedule, ut cotidiano usu receptos, pedes eorum manusque lavans, diversis ciborum generibus recreans, in commeaudo etiam muneribus donans, hos relaxaret, mox alios suscepturus pari amoris fervore, pari pietatis dilectione, ea quae Dei mandato ut fratribus impendantur instituta cognoverat impensurus.

12. Xenodochium quidam locellus infra urbem Mettensem habebatur antiquissimus, pauperculus, vilissimus, preter id quod beatae Mariae semper virginis nomini erat dicatus; quem amore Christi et matris Christi domini, in quem aedificiorum splendorem reerexit, quantis divitiarum opibus aggregatas ibidem ancillas Dei ad laudes perpetuo Creatori omnium cęlebrandas ditaverit, res acta inditio est.

18 13. Domnus Adventius sanctae Mettis venerabilis praesul in Blisacensi pago[18] loculum quendam in sanctae et individuae Trinitatis honore coeperat, quem praeventus morte perstruere non valuit; quem domnus Rotbertus, eiusdem sedis pontifex, prout erat parvus coeptus, parvum perfecit. Hunc dominus noster Adalbero cernens sanctae religionis cultibus aptissimum, quia et silvarum vastis sitibus heremum praetendebat et aquarum gratia amoenitatem circummanentibus conferebat, quod autem maxime sanctum virum permulcebat, quia et consecratus in honore summae et individuae Trinitatis, ut diximus, et corpore sancti Terentii confessoris et pontificis eiusdem Mettensis sedis erat insignis, multum delectatus, item feminas Deo dicatas coadunans inibi collocavit, et sumptus amplissimos ad vivendum condonavit.

14. Domnus Deodericus item Mettensis urbis antistes gloriosus, cui hic dominus noster Adelbero successerat praesul, in pago Calvomontense locum quendam inter Mosellam et montem, qui in divexo sui castrum habens ex accidenti rusticorum lingua 19 Spinal[19] vocatur, divino famulatui aptum repperiens, monasterium construxit, consecrans illud Deo et sancto Goerico, cuius sacratissima ossa ab urbe Mettensi transferens, digna veneratione collocavit, et patriae patrocinium felicissimum praeparavit. Domnus Adalbero huius successor, ad salutem christianitatis et ad votum commissorum praesul effectus, perpendens murorum alta fastigia non valere, si non sint servi Dei qui incolant edificiorum constructiones, neque prodesse terrena ubi coelestia defuerint, primo quidem clericorum conventum ad omnipotentis Dei honorem coadunavit, post gloriam divinitatis, quantum in homine est, ampliare totis viribus omnique conamine gestiens, ancillas Christi, sub regulari vita et sub institutione patris nostri, beati scilicet Benedicti, bene edoctas, Deo et sancto Goerico pontifici servire destinavit, dans praedia et possessiones, quibus sine inopia et sine indigentia vivere possent. Quantae vero humilitatis et hospitalitatis, quantae patientiae et largitatis erga peregrinos et cunctos pauperes fuerit, res in eodem loco acta indicio est. Sanctus confessor Christi Goericus, quid in vita sua promeruerit, quid apud Deum valuerit, multis miraculorum signis et prodigiis declarans, fama sui longe lateque crebrescente populis gentibusque innotuit. Ut ergo gloria Dei nota fieret et magnificentia bonitatis eius plus plusque nostris temporibus manifesta claresceret, in Burgundiae cunctis finibus cladis pessima multitudinem magnam populorum invasit, qua manibus pedibusque ardentes miserabili poena, hic perdito uno, hic utroque truncatus pede, hic medio adustus, aliquis tunc primum aduri incipiens, non multum sero veniens, audito sancto pontificis rumorę, innitentes baculis, aut carrio-

a) opere *post corr.* operi 2.

18) pays de Blois prope S. Mihiel ad Mosam. 19) Epinal; cf. Sigeberti Vitam Deoderici c. 12. supra pag. 469.

tis devecti, undecumque confluebant. Dum haec fierent, domnus Adalbero, dum viveret lux gaudiumque suorum, quia castrum imminens monasterio sedes est episcopalis, sepissime aderat, et huiusmodi viros cotidie ad convivandum suscipiens[a], propriis manibus vulnera illa contrectans et lavans, ore et oculis demulcens, Deum in omnibus suis operibus laudare et benedicere non desinebat. Vere loquar, septem diebus huic divino servitio cooperator interfui, et propriis manibus aut lavabam aut detergebam, dum non minus centum aut octoginta[b], ut diximus, cotidie lavaret et cibo recrearet. Nam dum vulnera ipsa aqua perfunderentur, tantus vapor tantaque nebula domum in qua id fiebat replebat, ut vix alter alterum videre praevaleret[c], fetor etiam intolerabilis erat, sulphur et quicquid in odoribus importabile est exsuperans et vincens. Haec, ut dixi, beatus vir sine despectu et cum magna cordis devotione peragebat. Quae idcirco diximus, ut in una eademque re duorum sacerdotum duo facta memoriae dignissima praedicaremus et posteris imitanda vel admiranda traderemus, dum in beato Goerico virtutum insignia, et in domno Adalberone humilitatis et abiectionis[d] omnisque vilitatis[e] humanae appetentiam et summum amorem demonstraremus. Sane hunc tantum et talem virum nimiae humilitatis et omnium virtutum, quas sancta mater humilitas pio uberum lactę enutrit, cultorem praedicantes, et in eiusmodi rebus probabilem enarrantes[f], ne id ei a posteris, quod a praesentibus sui temporis, ad hoc a familiaribus, imputabatur, imputetur, fuisse scilicet eum nimium humilem nimiumque deiectum: quaedam huic operi subnectenda decrevimus, quibus certis temporibus certaque ratione bonis humilitate subditum, malis autem fidei constantia ac censura iustitiae, temporis etiam conibentia repugnantem, et vitiis vitiosisque resistentem ostendamus.

15. Domnus Heinricus rex, qui tertio Ottoni divo[g] imperatori ad regnandum quidem, necdum autem ad imperandum, in tota Germania, quae citra Hrenum est, et in Lotharii regno, quod cis Rhenum est, successerat, colloquium synodumque[20] conscivit. 1005.
Ubi omnes pene regni sui summos sacerdotes coadunans, et ex diversis diversa disputans, inter disputandum ipsos eosdem sacerdotes acerrime congreditur, cur videlicet in suis diocesis et diocesianis ea quae synodali ac per hoc spirituali falce secanda erant non resecarent, ac gladio Spiritus sancti putrida et male sana a membris fidelium abscidere supersederent. Mirantibus omnibus, quid sibi verba regis tam districtissima vellent quove tenderent, rex ammiratione eos absolvere curavit, quidve praetenderet palam fecit.

16. *Inter multa*, inquit, *quae in regno nostro vestrisque barrochiis corrigenda sunt, parentes sic sibi proxime coniugio copulantur, ut Deum non timentes et homines non reverentes, etiam tertii loci consanguinitatem, quod dictu[h] nefas est, ad copulam asscissere non refugiant, et lineam, quae ad septimam usque generationem sacris canonum institutionibus illibata conservari iubetur, Iudaeis paganisque infeliciores in ipsis sui exordiis abrumpere non formidant.* Episcopis hinc inde sedentibus diuque silentibus, pars de quo diceretur nesciens, pars personam de quo dicebatur multum vel amans vel timens, quid dictis regalibus responderet, prorsus ignorabat. Mens enim male sibi conscia, dum ea quae non vult audire compellitur, fit stupida, vox réfugit, verba dilabúntur, et sapienti coram positus honestius ei videtur silere quam loqui. Rex, quem fallere nemo poterat, quia erat homo litteris adprime imbutus, eloquentia facundissimus, ad regendum Dei timore vivacissime astrictus, motum cordis pacientiae frenis restringens, sacrae scripturae exemplis eos aggredi honestius esse iudicans: *Ecce*, inquit, *ecce, vos estis loca quidem sanctorum sacerdotum tenentes, et in meliori cathedra quam sedisset Moyses sedentes, utpote vices Domini possidentes, qui et boni canes et sancti arietes pro vitae merito dici debueratis, contraria vice inversoque ordine canes muti non valentes latrare estis effecti, ipsique cecitate multati dum subditis ducatum praebere cogimini, et ductor et sequens ambo in foveam praecipitamini. Ecce*, inquit, *Conradus dux Austrasiorum, consanguinitate nobis et quicumque in tota patria nobiliores sunt cunctis affinitate coniunctus, uxorem duxit sic sibi propinquam, sic proximam, ut, sicut timemus, non modo ipsi, verum*

a) recipiens 2 3. b) LXX. 3. c) pualeret 1. d) adiectionis 2. 3. e) utilitatis *corr.* uilitatis 1. uilitatis 2. 3. f) praedicantes *corr.* enarrantes 2. g) uiuo 1. 2. diuino *corr.* diuo 3. h) nefas dictu 2. 3.
20) cf. Thietmar. VI. 21. SS. III. p. 113.

1005. *omni patriae offensa Dei citissime et, ut dicitur, pro foribus adesse videatur, parumque minus crimen nobis tacentibus indicitur, quam ei qui idem scelus audacter et sine peccati estimatione perpetrare cernitur.*

17. Domnus Adalbero Mettensium venerabilis praesul, sanguine et affinitate regi assidenti et cunctis qui ex magni Heinrici linea descenderant adprime coniunctus, huic sacro synodo intersedebat, et ut erat cunctis consacerdotibus nobilior excelsiorque, sic nobiliori celsiorique sella inter suos prominebat. Hic regis obiurgationem ultra ferre non valens, et tacere amplius inhonestum iudicans: *Interim,* inquit, *aetatis sanctitatis et scientiae praerogativa, locum quidem loquendi cum fratribus nostris dantes, et honorem*
Levit. 19, 32. *canis senectutique divino praecepto exibentes, quo dicitur: „Coram cano capite consurgas", quia maiestatis vestrae potentiam, domine mi rex, ad dedecus nostri ordinis obiurgationi et invectioni plus plusque videmus verba augere: tacere ultra, vere fatemur, et quae recta sunt non dicere, non solum stultitiae, sed, quod maius est, magnae verecundiae deputamus. Domnus Otto dux, pater istius venerabilis Conradi ducis nobis consedentis, natus ex filia est*[a] *magni Ottonis, cuius soror Girbergia*[b] *dedit filiam suam Conrado Burgundionum regi. Ex Conradi autem filia nata est domina Mathildis*[c], *huius Conradi*[d] *assidentis uxor. Hoc ergo genealogiae ordine, quia frater sororque in supputatione non admittuntur, consanguinitas horum non plus quam secundo loco elongari praevalet.* Haec beato viro retexente, tantae irae tantaeque simultates in ipsa synodo exurgere coepit, ut nisi esset ea nobilitas qua coelo terra marique ultraque mare inclitus effulgebat, Conradus dux, de quo res[e] agebatur, et quicumque suae partis erant, neque Deum neque regiam maiestatem reverentes, neque sacerdotibus, quorum maxima et honestissima multitudo praesens aderat, aliquid honoris exibentes, arma furoremque corripuissent, et ad insaniam exsaciandam, quicquid mali manus roburque inferre posset, non omisisset.

18. Aderat huic magis seditioni quam synodo domnus Teodericus, frater quidem huius domini nostri Adalberonis pontificis, dux autem eorum qui cis[f] citraque Mosam Mosellamque[g] resident, et haec quae agebantur queque iuste disponebantur, sua auctoritate firmabat atque corroborabat, nuptiasque illicitas cum reliquis ducibus, comitibus, et, quod maius est, sacerdotibus Deo et rectitudini ac regiae iustitiae faventibus dampnans, et humanas iras non formidans, aequitatis lance quae Dei erant liberrime decernebat. Aderant etiam in hac venerabili synodo primi et praecipui sacerdotes
21 Willigisus Maguntinus praesul, Heribertus Coloniensis itidem praesul, [ille Warmacensis[21], ille Argentensis, 2. 3.] Walterius[h] Spirensis, Notgerius[i] Leodicensis, Hezel Wiziburgensis[22], Haimo Virdunensis, Bertaldus Leucensis, aliique quam plures non solum ex Lotharii regno verum ex omni Germania, quorum pars favore, pars timore nobilis personae, hinc inde agitati, hinc inde defluentes, pauci admodum, et ipsi inter suos praecipui, Deo dilectissimo Adalberoni et dictis eius iustissimis testimonium veritatis exhibentes, egerunt, ut inter verum falsumque discidii et discordiae non modica disceptatio fieret, quam etiam ipse rex omnino sedare non potuit; verum nisi esset domini et pontificis nostri Adalberonis incomparabilis nobilitas, furor cecus et insania misera arma etiam telaque corripuisset, et ad homicidium usque irae commotionem pertingere contigisset.

19. Hac igitur simultatione, his odiis infestissimis discessum est, et unusquisque ad propria redire festinabat. Sed domnus pontifex, dum ex propria[k] patria recedens ad regale colloquium perrexerat, nihil horum metuens, nihil horum estimans, quia erat omnium sui temporis mitissimus atque pacificus, non multa militari manu, set clericorum et honestissimorum laicorum dulcissimo comitatu usus est, et propter id in redeundo, verens ne forte in via hostis insidias pateretur, ab itinere parum quid declinare dignum duxit, et cedere magis ad horam quam vesaniae[l] furentis principis locum caedis aut alicuius alterius malignitatis dare voluit. Dei autem omnipotentis et Christi eius ineffabilis pietas et aeterna clementia, aliter quam domnus pontifex crediderat, rei eventum miserando disposuit et disponendo praeordinavit, dum spiritum furoris et malignitatis, dum vim bachantis[m] et turbulenti vertigines[n] in eum pavorem in eumque

a) m. o. e. 2. 3. b) gibergia *corr.* girbergia 1. c) matthildis 2. d) conradis 1. e) rex 1. 2. 3. f) scis 3. g) mossellamque 2. h) vualterus 2. 3. i) notgerus 2. 3. k) patria propriá 2. 3. l) uexanię 3. m) uachantis 3. n) *ita* 1. 2. 3.

21) Wormatiensis tunc Burchardus, Argentinensis Werinharius erat. 22) i. e. Wirziburgensis.

timorem commutavit, ut eo impetu eaque virtute, qua Dei virum[a] ante persequi moliebatur, nunc fugere ac retro ire viribus quibus poterat aggrederetur, ac magis capi timeret quam capere elaboraret. 1005.

20. Duobus igitur diebus fuge fidem committens, donec in tuto se esse credidit, semper se a domno pontifice et fratre eius duce Teoderico insequi existimabat memoratus Conradus; nostri vero nichil aliud quam patriam repetere, et id summa festinatione conabantur; et quia id tempus poscebat praeter pacem et ea quae pacis sunt, videlicet metere, curis domesticis utilia administrare, domnus autem episcopus[b] consueta repetere, monasteria videlicet vel nova construere vel vetera restruere, procurabat. Haec dixi propter hos, qui beati viri innocentiam et pietatem in stultitiam et stoliditatem vertebant, et Iudaeorum sequaces, qui caput nostrum et principium mordacibus verbis persequentes, vini potatorem et daemonio plenum, quod nefas est etiam recordari, semper inclamabant — horum, inquam, similes servum Dei et honestissimum summi capitis menbrum, quia ad quaeque convitia ad irascendum non insanibat[c], hebetem et vecordem dicebant. Hic autem beatus et ad sibi illatas iniurias patiens esse didicerat, et subditorum kalamitatibus sic semper adesse festinabat, ut rerum oportunitatem praestolans, omnibus omnia factus, sanctis semper subditus, erga malos ut converterentur ad corrigendum et exortandum assidue praeparatus, frequenter sua benignitate fructus sibi ex pravorum conversione adquirebat, et lucrum ex pecunia sibi credita fecisse multum gaudebat. Exortabatur quos exortari debere videbat, increpabat duros et perfidos, obsecrabat pios et benignos ad meliora conscendere; quos vero mentis duritia incorrigibiles efficiebat, hos gladio et armis divinae animadversionis telisque spiritalibus persequi diu per patientiam expectatos, legibus etiam adiudicatos festinabat. Aliquando res eorum et facultates depopulans, aliquando castra eorum subvertens et terre coaequans, quia haec aecclesiasticae familiae[d] nimis vicina[e], quicquid praedari poterant his inferebant, et continuum pauperum clamorem ad aures piissimi pontificis pervenire faciebant. Alteriacum namque Teoderici infelicissimi castrum, Lantfridi-curtis[23] etiam dictam turrem, 23 cui Everelmus[f] pravissimus insidebat, et Vendoperam[24] Beraldi comitis in Calvomontense pago situm, subversione dampnavit. Noverit sane quisquis haec legerit, iniurias sibi specialiter illatas numquam vindicasse, sed pro Christo et pro tanti nominis amore equis animis cuncta tollerasse, et per patientiae virtutem sibi ingenitam Domini sui imitatorem extitisse, *qui*, ut beatus apostolus dicit, *cum pateretur non comminabatur, cum maledi-* 1. Petr. 2, 23.
ceretur non maledicebat. Recordabatur, quia traditus idem Dominus omnem patientiam exhibuit. Non contendit, non clamavit, nec in plateis audita est vox eius. Recordabatur, quia insultantium ille sputa suscepit, qui sputo suo oculos ceci nati aperire dignatus est; coronatus est spinis, qui sanctos martires floribus coronat aeternis; palmis in fatiem caesus est, qui veras palmas vincentibus tribuit; spoliatus est vestibus, qui indumento immortalitatis ceteros vestit; flagellatus est, cuius nomine sancti et servi eius diabolum et angelos apostatas flagellant. Cibatus est felle, qui cybum celestem fidelibus dedit et semper dat, et qui panis sanctorum est[g] angelorum. Aceto potatus est, qui salutari poculo fidei christianis cotidie propinat. Ille innocens, ille iustus, immo innocentia ipse et ipse iusticia inter peccatores et iniquos deputatur, et testimoniis falsis veritas pręmitur, iudicatur iudicaturus, et Dei verbum Deique sermo ad victimam tacens ducitur; ad ultimum mortem crucis patitur et moritur, qui vitam praestat mundo, qui resurgens spem resurrectionis fidelibus dat, et ascendens in celum, quia cum eo ascensuri sumus, si capiti nostro compacti et conglutinati bonis operibus et actibus sancti[h] inveniamur, menbra effecti Christi domini, qui est caput principiumque non solum nostri, verum omnium creaturarum.

21. Haec cuncta Dei[i] filius, in sua natura impassibilis, in nostra effectus passibilis, virtute pacientiae pro nobis perferre dignatus, patientes nos esse non modo verbis verum exemplis suasit. Quae et hic beatus sic sequi, sic imitari studuit, ut iniurias sibi a quocumque etiam infimo illatas numquam vindicarit, numquam ultus fuerit, sed firmo

a) seruum 2. 3. b) pontifex 2. fontifex 3. c) insaniebat *corr.* insanibat 1. insanibat *corr.* insaniebat 2. d) famlię 1. e) ucina 1. f) euerelinus 1. euerelinus *corr.* euerelmus 2. euerelmus 3. g) est s. 3. h) sanctis 2. 3. i) deus filius dei 2. 3.

23) Lantfrocourt ad Saliam. 24) Vendoeuvre.

Matth. 18, 22. pectore praecepti dominici executor[a], quo beatum Petrum instruxerat: *Non dico tibi, Petre, dimittendi septies, sed usque septuagies septies,* quicquid in se umquam aliquis delinquere poterat, pacientissime ignoscere poterat, et iniuriarum immemor, magis beneficia pro malis quam vindictam recompensabat. Rapinas vero aecclesiarum et quae filiis aecclesiae inferebantur, diu quidem per patientiam sustinens, iam tandem vel malorum enormitate vel pauperum nimiis assiduisque clamoribus tediatus, quia id censura officii expetebat, Matth. 18, 15—17. et id dominicum praeceptum fieri mandat, dicens corripiendum pravum primo solo Deo teste, secundo adhiberi unum aut duos testes, tertio debere dici aecclesiae, deinceps si aecclesiam non audierit, deputari inter ethnicos et publicanos; his omnibus ei qui incorrigibilis existebat exibitis, aliquando vinculo anathematis eum astringere, aliquando prava eius domicilia subvertere, multoties rebus propriis subvertere, non cupiditate actus, sed pro correctione pravorum et requie[b] bonorum id agere compulsus. Quia vero pietate magis quam avaricia haec faciebat, ea res indicio erat, dum ab aliquo maligno quippiam lege accipiebat, suis usibus exinde nihil umquam miscere voluit, sed aut pauperibus ea statim distribuenda, aut restaurandarum[c] aecclesiarum usibus largienda dispertiebatur.

22. Dum enim ea quae sibi vel ex patris matrisque patrimonio[d] vel ex commissae aecclesiae thesauris et magnis divitiis iure competebant, non reservare, non congregare umquam volebat, sed pauperibus, viduis, orphanis et praecipue monachis, qui erant sua cura, qui erant suus summus amor, cuncta impendebat, cuncta largiebatur, credi fas non est, quod is bona alicuius, etiam legibus adquisita, sibi servare[e] aut marsubiis aecclesiasticis includere concupisset. Vere beatus, vere vir in quo dolus nullus erat, nullum circumveniens, nulli fraudem inferens, quin potius sua libenter impertiens, in crastinum aut nulla aut pauca retinens; apostolici praecepti devotissimus et continuus executor, habens victum et vestitum, his contentus erat: *Nihil*, inquiens, *intulimus in hunc mundum, verum nec auferre aliquid possumus.* Erat ei humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iusticia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere nescius, illatam ferre sciens. Cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo omnino nihil praeponere, quia nec nobis quicquam ille praeposuit. Karitati eius inseparabiliter adherere noverat, cruci eius fortiter ac fidenter assistebat, quia hoc[f] didicerat coheredem Christi existere; hoc esse praeceptum Dei facere, hoc esse voluntatem Patris implere. Quae autem dicam, his[g] qui eum exterius noverant incredibilia forte videbuntur, quia et nobilitate carnis et natura supra mortales cunctos tener et delicatus erat, et ad perferenda[h] quae dura sunt omnino imbecillis. Missas et sacramenta divina sine cilicio numquam celebravit, panem coelestis misterii intimis lacrimis irrorabat, potum itidem divinum cum fletu semper temperabat. Vigilias natalis dominici et sanctae[i] paschae sanctique pentecostes et omnium sanctorum apostolorum et praecipuorum martyrum sine aliquo cibo semper transigebat, et in occulto cubiculo conscientiae et cordis Deum exorans faciebat. Quadragesimae dies sine monachis, si in patria demorari poterat, numquam cęlebrabat; quod praecipuę apud Gurgitenses facere consueverat, quia locus idem et sacrae religionis districtione insignis et divitiis opulentus et situ amoenitateque gratissimus, ad divinos usus et ad divinum servitium perficiendum placidum quietumque otium exhibebat. Nam duabus quadragesimis iter Romanum pro solo Dei amore cęlebrans iteravit, et sacrosanctas apostolorum memorias liminaque orationibus et muneribus honoravit. Si quis autem ad credendum tardus, beatum virum cilicio usum refragatus 25 fuerit aut negaverit, ad nos veniat, et viso quo utebatur cilicio, et staminea[25] lanea qua omni quadragesima induebatur, quae nos ab his qui secretorum intime conscii erant, quae et nos pro magnis thesauris[k] adquisivimus et servamus, quia Deo nihil est impossibile, quod oculis cernere est, credulitati cor fidele necesse est comitetur.

23. O quam facilis aditus ad colloquendum, ad convivandum, ad queque commoda perquirenda, omni ordini, omni aetati, omni professioni, pauperi, debili, personae

a) executo 3. b) b. r. 2. 3. c) restruendarum 2. 3. d) matrimonio 3. e) reseruare 2. 3. f) hunc 3. g) *deest* 3. h) praeferenda 3. i) sancti 2. 3. k) thesauri 3.

25) interula, camisia.

vilissimae, iusto, peccatori, erga beatum virum semper erat! Nulli praesentia eius deerat, secretarium eius cunctis patens, fores eius nulli clausae, subsidia eius omnibus aderant, eius dulce consilium nulli deerat. Anniversaria priorum pontificum quo sumptu, quam magnis elemosinis, quanta devotione venerabatur ac recolebat, me tacente hi qui in missis agendis, in pauperibus recreandis et reliquis pietatis usibus sancto pontifici cooperatores frequentissime extiterunt, referant, et iustum digna laude pro divino cultu divinoque servitio extollant, recollentes scriptum: *Omnis laus in fine decantatur*, et Eccli. Sapientem dixisse memoretur: *Ne laudes hominem in vita sua*, quoniam quidem in vita 11, 30. hac nihil veri constat, sed cuncta mendatio plena, cuncta caduca, nec potest esse certa laus ubi finis certus non est, dum quisque beatus beatae vitae inseritur, et ei coniungitur, qui est via veritas et vita; tum vere laudatur, tum vere in memoria[a] hominum vertitur, quia laus et pax et gaudium et honor omnium sanctorum est, quem laudare et benedicere hic quisque incipiens, bono fine consumatur[b], hincque transiens, quem vere videt facie ad faciem, vere laudat et vere benedicit.

24. Episcopi sui temporis aliqui fastu superbiae, aliqui simplicitate cordis, filios secularium sacerdotum ad sacros ordines admittere dedignabantur, nec ad clericatum eos recipere volentes; hic vero beatus neminem despiciens, neminem spernens, passim cunctos recipiebat, neque personam neque genus eligens aut praeiudicans, sed id mente fixa retinens: *Quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et* Act. 10, 34. 35. *operatur iusticiam, acceptus est illi.* Vix in omni tempore sui pontificatus annus transiit[c], quo vel ante diem natalis dominici vel quadragesimae tempore statuto[d] antiquitus ieiuniorum sabbato, presbiteros, diacones et reliquos aecclesiastici iuris ministros non ordinaret, et se eorum precibus subnixe non committeret, in tantum ut sacerdotum ab eo ordinatorum numerus ultra mille fere procedat, et reliquorum graduum numerositas comprehendi nequaquam possit. Qualis frequentia, quale Dei et omnium sanctorum decus, quanta populi tociusque cleri leticia, quocienscumque beatus pontifex vel missas publice dicebat, vel aliquarum novarum aecclesiarum novam dedicationem exercebat, vel benedictiones divinorum graduum adimplebat, quis dicere, quis valeat enarrare? Ipse autem ad tanta officia peragenda in hominum faciebus et in publico, auro cunctisque praeciosis margaritis, gemmis et lapidibus circumamictus ac decoratus, intrinsecus induebatur occulte, ut supra diximus, durissimo asperrimoque cilicio, videlicet interiori homini interiora et spiritualia exhibens, ut in eo posset Christus per fidem habitare, exteriori vero ea quae ad cultum consuetum pertinent sine typo superbiae et sine inanis gloriae elatione perficiens.

25. Tertius Otto, divus imperator, usque ad ultima fere tempora domni Adalberonis Mettensium beati pontificis imperavit, et in Romana urbe totum pene vitae suae tempus exegit; unde sic imperii sui regna et patriae devastabantur, quo vix subsistere aut vivere ipsis etiam primatibus, pontificibus, et maioribus regnorum facultas esse posset. Cuius periculosissimos procinctus et miseranda rapinarum discrimina hic beatus et semper memorandus Adalbero data sibi a Deo sapientia datoque animi ingenio semper et ipse evasit, et commissam plebem eripere maximi habuit, dum, quantulocumque adiutorio a filiis aecclesiae accepto, plurima autem et pene cuncta pecuniae patrimoniorumque suorum redibitione distracta, per omnes fere annos huic vix ferendo servitio et inportabilibus ferendis[e] xeniis undecumque compilata transmittere[26]; iustius leviusque 26 iudicans, minora tradere et pauca mittere, quam ipse delicatus et nobilis expeditioni sese committens, et queque ardua itinera aggrediens, plus suae viae sumptu quam regalis famulatus expensa et nulli indulta pecunia praegravaret. Noverat et sapienti ingenio praevidebat, quoniam quidem, licet esset genere et sanguine nulli mortalium inferior, licet posset, non debere resistere[f] potestati, dicente Domino ac iubente: *Reddite* Matth. 22, 21. *caesaris caesari*, videlicet caesari tributum, vectigal, censum, Deo autem pietatis opera, orationum munia, elemosinarum fructum. Sciebat[g] apostolum imperare ac suadere:

a) memoriam 2. 3. b) consummatus 2. consummatur *corr.* consummatus 3. c) pertransiit *corr.* transiit 1. pertransiit 2. 3. d) statuo 3. e) *deest* 2. 3. f) restitere 2. 3. g) Sciebatque 2. 3.

26) Exemplum memorabile pecuniae loco militiae imperatori praestitae; v. Chuonradi II. capitulum de ostandiciis Leg. T. II. 38** cap. 2. cum glossa.

Rom. 13, 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;* idcirco utilius animae suae subditorumque fore praevidebat, sua quam se pessumdare, terrena distrahere quam spiritualia, Matth. 16, 26. meminitque Dominum dixisse, homini nihil prodesse, si totum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Anima enim perdita, nihil deest ad perdendum; salva anima, etiamsi census carnalis defuerit, non deerunt divitiae, quas fur minuere non poterit, tinea non demolietur, erugo non consumet, egestasque eius ditissima locupletabit; erit etiam tamqam nihil habens, et omnia possidens, eritque ei Deus omnia in omnibus, ut in omnibus adimpleatur.

Matth. 10, 8. 26. Mandatum dominicum: *Gratis accepistis, gratis date*, praesul venerabilis perfectissime adimplens et dum vixit verissime custodiens, numquam pro aecclesiasticis officiis, numquam pro ordinandis sui claustri ministris, nedum abbatibus monasteriorum, quos usque ad quadragenarium ęene numerum consecravit, pecuniam aut quippiam[a] munus suscepit, symoniacamque heresim ut venenum mortiferum mortemque venenatam semper exhorruit et aufugit. Si quis sane est qui putet in numero ordinatorum ab eo abbatum fidem dictorum nos in scribendo excessisse, dum non tot sint in Mettensi diocesi monasteria, ducat memoriae, in aliquo eorum duos, in aliquo tres viros patris loco et nomine et dignitate promovisse, ut est indicio hic sacer locus, cui Deo auctore licet indignissimi praesidemus, dum praecedentibus duobus sanctis et venerabilibus patribus, Fingenio ex Hibernia — nam Scotti et reliqui sancti peregrini semper sibi 27 dulcissimi habebantur — et domno Siriaudo ex Gorziae ferulis ad regendum abducto[27], nos, qui haec scribimus, benedictione huius beati pontificis tertio loco regimini succedere compulsi sumus. Sancto Trudoni duos, Sancto Adelfo duos, Sancto Felici itidem duos, Sancto Martino ultra fluvium[28] duos; nec adiacet sanctae urbi monasterium, cui benedictionis gratiam datis patribus non contulerit, aut etiam bis terque, viam patrum illo ingrediente, hoc succedente, repetierit, praeter felicem locum Gorziae; felicem autem non minus ex eo qui in praesentiarum praeest et sanctissimę dulcissiméque prodest, quam ex his qui iam beati ad coelestia transmigrarunt[b], quorum vita inclita et gloriosa proprios libros expetunt, et gesta vere memoranda otium satis longum ad scribendum requirunt. De huius viri multum honorandi gestis honestissimis ad augendum nostrae materiae decus plurima inserenda iudicaremus, et ex actibus eius satis magnificis venustatem paginae inderemus, sed quia ad votum utilitatemque patriae[c] adhuc Dei gratia superest, adulationis nota inuri timentes, alii tempori vel personae id reservamus. Hic certe domnus[d] et multum venerabilis Immo, post decessum patris Odelberti a domno Teoderico, sacro pontifice, Gurgitensibus pastor et abbas constitutus, ex omnibus primoribus domus sancti Stephani abbatibus et abbatissis, quos domnus Adalbero praeesse invenit, solus hunc eundem sanctum antistitem supervixit, et interim — quo multum gaudemus — supervivit.

27. Consecravit etiam noster beatus et electus Deo sacerdos Adalbero Liudulfum Trevirensibus archiepiscopum[29], vitae magna simplicitate et morum maturitate insignem, quibus viventibus et proprias aecclesias gubernantibus, pacis tempora, vere fatemur, extiterunt, quibus decedentibus, etiam dies in noctium nigerrimam faciem transmutatae, nihil praeter mortem et mortis discrimina, non dicam viventibus, sed morientibus et vere mortuis praetendunt. Et quos plangere nimia divitiarum opulentia et pacis ingenti et diuturna insolentia noviter defunctos et, ut est in ore vulgi, virides mundus non novit, aridis iam menbris et in cinerem iam redactis, continuis lamentis et lacrimis 30 kalamitate et omni miseria plenissimis deflentur ac deplorantur[30]. Iam certe in haec nostra, pro dolor! tempora; et utinam ista ipsa tempora nostra non essent! Nam vita odio est, mors vere optatur ut assit, quoniam quidem cui tollitur unde vivat, quomodo vivere velit ignorat, et cui sumptus viae deesse contingit, viam arripere omnino abhorret. Urbes certe depopulatae, vici et villae incensae omnes, viri omnes et feminae et totum

a) qđpiam 2. 3. b) transmigrauit 3. c) patria 3 d) dominus 2. 3

27) Siriaudus obiit a. 1004. 28) Mosellam; S. Symphorianus in dextra fluvii situs erat, S. Martini monasterium in sinistra. 29) sedit a. 994—1008. 30) Scribit de bellis Theoderici II. episcopi et Heinrici ducis fratrum contra Heinricum regem et Megingaudum Trevirensem archiepiscopum et Theodoricum ducem a. 1009—1012. gestis et nonnisi a. 1017. plane compositis.

promiscuum vulgus ferro, fame, igne pestilentiaque consumtum; multi etiam nobiles in paupertatem et magnam miseriam devoluti, multi gladio perempti, ita ut hodie vere dici possit: *Pervenit gladius usque ad animam.* Nam vineae eradicatae, arbores et arbusta excisa, monasteria depopulata; et iam in proximo est, ut, effugatis habitatoribus, servorum et ancillarum Dei habitacula in solitudinem et heremum vastissimam devenire cogantur. Verum dum adhuc res in dubio est, nec inter compugnantes ac litigantes alicui victoria data est, dum etiam pars parti cedere nescit, trenas has et lamenta tam ingentia alteri scribenda committimus, nosque cuncta pacifica, cuncta dulcissima paginae nostrae indere aggressi, illa tristia et posteris nostris in dies deploranda, ut elegiaco planctu, non dicam cantu, aliquis describat, relinquimus. Ier. 4, 10.

28. Cum igitur, beatus vir et Deo dignus sacerdos Adalbero pro meritorum magna praerogativa ut remuneraretur, tempus adveniret, ac bono fine et bonae perseverantiae termino consummaretur, et qui bene vixerat melius et moreretur, licet decessus sanctorum verius transitus de morte ad vitam dicatur, et non possit male mori qui bene vivit: forte fuit, ut Teodericus, frater ipsius nostri pontificis, res quasdam Deo et sancto Arnulfo auferens, diu et multum precibus et legibus tediatus, condictum diem constituit, ut decreto[a] sapientum, cuius ius aut iniustitia esset, patesceret ac manifestaretur. Advenit assignata dies, et dies illa tota rei ventilandae necessitate consumpta est, quae nimio aestatis fervore omnes qui advenerant adurens, quia hic beatus pontifex, ut sepe diximus, ex genere et nobilitate, ad hoc ex proprii corporis nimia imbecillitate, ultra quam dici posset delicatus et tener habebatur, impaciensque erat omnium laborum: quod pro omni huius vitae commodo numquam ferre aggredi aut vellet aut posset, pro Dei et Christi amore et pro credite sibi aecclesiae utilitatibus subiit, videlicet pondus diei et aestus portare, diei utique illius, cuius caloris nimietas sic intolerabilis[b] extitit, ut nemo recordari posset, se tantum fervorem aut ardorem vidisse per tota temporum vel annorum curricula, et quod gravius erat, hac tanta importunitate usque in summa vespera consumpta et diducta est. 1005. Mai.

29. Quid amplius[c]? Discessum est post colloquium, et tribus aut quattuor miliariis peracta iam die itineri insistere compulsus, Numeniacum[31] usque sine cybo medii Madii 31 tempore pene media nocte devenit, quando dies noctem[d] plus minus triplo magnitudine vincit, et tandem cum ingenti militum manu fesso multum corpore refectioni indulget. Ut vero erat homo cui parcitas victus et cyborum semper contraria extitit, liberalitas et affluentia ab ineunte aetate amica et familiaris, diu multumque et pene usque in lucem sessum est, ingentique letitia inter convivandum usus est cum clericis, quorum frequentia sibi dum vixit continua et dulcissima erat, cum laicis diversarum dignitatum, nimieque morae, ut post patuit et ut accidere solet, magni et per cuncta tempora dolendi detrimenti causa fuerunt. Nam dum nimis et plus nimis, quod alterius temporis erat, exercitio sé dant, tandem ad hospitia propria pergentes discedunt, atque se sopori tardius iusto dederunt; reliqui quidem quod deerat noctis in diem sequentem somno dediti restituerunt. Sed quia dici solet, non esse mortem sine occasione, venerabilis pontifex consuetum morem praeterire nolens, quin debitum munus noctis Deo exiberet, vix caput ad dormiendum demiserat, vix sopori aliquantulo membra tradiderat tenerrima, et ecce surgit ad confitendum Deo super iudicia iustitiae eius, devoteque plus solito expensas officii nocturnalis Deo persolvebat; cum subito — merorem suorum abhinc in evum permansurum referam! — sic subito, sic de repente membra beati viri cuncta paralisi resolvuntur, ut nullum ex his suum officium peragere praevalens, terrae totum corpus darent, tantaque velocitas ipsius pessimi morbi in arripiendo extitit, ut nullus casui illius succurrere ex astantibus clericis posset, antequam beati viri corpus solo prosterneretur.

30. Accessum est ergo quam citius potuerunt, et ecce sub tanta velocitate neque os neque pes, non manus aut lingua, aliquid sui officii implere praevalebat. Deportatus est ad lectum manibus[e] discipulorum, perstititque triduo non loquens nec ad aliquem intendens, donec tertio die pulsatus Dominus suorum precibus — nam non solum ex

a) secreto 1. b) intollerabilis *altero* l *eraso* 2. c) *post* amplius *vocabulum erasum* 2. d) nocte 1. 2. 3. e) discipulorum brachiis 2. 3.

31) Nomeny ad Saliam.

1005. proprio episcopio, verum ex multarum regionum angulis viri et feminae, monachi et monachae, etiam ipsi solitarii et heremitae propositum nimiis doloribus et inedicibilibus meroribus frangentes accurrerunt, et ut suo fideli vocem et sermonem Deus omnipotens redderet optinuerunt. Accurrit et dux Teodericus, frater ipsius pontificis; affuerunt et comites primariique militum suorum, nobiles et ignobiles; cuncti ex urbe, suburbiis, agris, villis et oppidis irruentes clamabant se miseros, se omni felicitate indignos, qui tali pastore orbati destituebantur; lupos omnesque malas bestias adesse pro foribus, quorum morsibus usque ad ipsam necem dilaniandi paterent, vocibus intolerabilibus[a] ingeminabant.

31. Praesul venerabilis, auditis his animo quidem et spiritu conturbatus, et ad pietatem sibi ingenitam commotus, in multas lacrimas resolvebatur, et quod multae adversitates populum post mortem suam insecuturae essent, sicut sepe incolumis praedixerat, nunc infirmus et transitui suo satis, heu nobis! proximus praedicebat. Dicebat, suas magis infelicitates ut deflerent, se magis lamentarentur, nihil novi adesse, debitum primi parentis nulli indulgendum, dum his qui nullius debiti obnoxius erat, Christus deus et dominus noster, ipsa mortis acerrima discrimina experiri et pati non refugisset. Ipsa ergo infirmitate oppressus, per aliquot dies in eodem vico Numeniaco iacuit, donec invento communicatoque in invicem consilio, a clero plebeque ad urbem propriam deportatus, a multis quidem devectus, a plurioribus susceptus, dicere possibile non est, quantae voces, quanti clamores, viduarum, orphanorum, virorum clarissimorum, honestissimarum feminarum, ad alta aera protendebantur. Monachorum et sanctimonialium[b], quorum fruges maxima in manipulos perplures et non numerandos ipsius eiusdem pastoris diutino continuoque labore et sudore exurrexerat, pudore ordini suo debito nimiis doloribus postposito, omnis sexus et aetas accurrens, et ut verius dicam irrumpens: *Heu!* inquiunt, *heu! quid tanto patre orbati, quid tanto pastore destituti, plebs, clerus, ordo monachilis utriusque sexus, tibi omne quod sapiebas quod vivebas magis dilectus, quid aget, quo se vertet, cui subiciendus relinquitur?*

32. Ipse vero dilectus Deo pontifex consueto semper[c] sibi more extensa manu signo crucis omnes non semel, non bis tantum, sed quousque sancti Stephani prothomartiris aecclesiam deportatus intromitteretur, Deo commissam plebem commendare non desinebat. Iusserat autem, ut primo ante sancti Stephani altare, post cunctis oratoriis domus diductus deveheretur, ibi se suumque populum Deo orationibusque sanctorum precibus depositis committere, prout poterat, prout virium possibilitas aut imbecillitas permittebat, studuit. Hinc baiulorum manibus episcopalibus tectis introductus, lecto deponitur, et ut competebat infirmitati eius, subsidium necessarium familiareque ei impenditur. Elemosinas ex propriis rebus Numeniaco expendere coepit, sed Metti sic complevit, ut quicquid se habere recordabatur nihil reservaverit, si quid vero remansit, avaritia potius suorum quam pii pastoris incuriae deputandum est. Quicquid auri argentique, palliorum, vestium preciosarum habere poterat, non modo proximis et vicinis, verum servis Dei longe manentibus mittere curavit, et ut pro remedio animae suae proque cotidianis excessibus, sine quibus vix aliquis aut nullus vivit, exorarent et apud pias Divinitatis aures interventores fierent, deprecabatur.

33. Nam beato Martino Turonis, sancto Dionisio Parisius, sancto Remigio Remis, sanctae Mariae Virduni, sancto Petro Coloniae, multisque aliis per Franciam superiorem inferioremque sanctis xenia honorificentissima mittens, patronos sui itineris quo pergebat adquirere, prout poterat, festinabat, et de mammona[d] iniquitatis amicos, qui se in tabernacula aeterna reciperent, lucrari maturabat. In hac denique tanta infirmitate constitutus, hoc egritudinis onère praegravatus, coelum ac coelestia suspiriis continuis petere, oculis ipsis et spiritu sedulo non cessans, multo maiora se promeruisse ore et
Rom. corde semper fatebatur, dum etiam secundum apostoli dulcissimum adhortatum ipsis
8, 18. sanctis pro gloria aeterna et perpetua corona certantibus non sint condignae passiones huius temporis, ad futuram eandem gloriam, quae revelabitur in eisdem sanctis, et utinam in nobis, licet indignis et non merentibus. Sancti Iob et Tobiae venerabilis patientiam, sufferentiam, reliquorumque sanctorum patrum veteris novique testamenti reminiscens,

a) intoller. 2. b) sanctimonalium 2. c) sibi semper 3. d) mamona 3.

qui ludibria et verbera experti, insuper et[a] vincula et carceres, distenti etiam sunt non 1005 suscipientes redemptionem, ut invenirent[b] meliorem resurrectionem. Beati etiam servuli recordabatur et semper merita praedicabat, qui ea qua is idem noster felix defixus infirmitate, infirmitati virtutes adnectens, ipsius Iesu Christi domini nostri, in ipsius beati obitus articulo, meruit visitatione consolari, et ymnidicorum angelorum voces in coelo resonare audiens, quid virtus in infirmitate perfecta, quid patientiae lenitas adipiscatur, posteris imitanda dereliquit[c]. Nam beatus vir et venerandus sacerdos Adelbero, ut acervus meritorum eius etiam per infirmitatis pondus in perfectionem usque deveniret, et in virum perfectum plenissime succrescens exurgeret, qui temptationes illatas semper pie sufferens, ut acciperet vitae coronam, quam repromisit Deus diligentibus se, aegritudine hac tam valida, tam ingenti depressus iacuit a[d]! omnibus dextrae partis membris gravissima paralysi resolutus, nullius officii vigore aliquo modo compos existens, solius linguae ministerio nactus, laudes creatori suo deo Patri et redemptori suo deo Filio et illuminatori suo deo Spiritui sancto indefessa sedulitate referebat.

34. His ergo bonorum actuum fructibus, his beatae conversationis studiis[e] commerciis Dec. 14. Deo diu commendatus spiritus, coelo repetita anima 19. Kalendarum Ianuariarum die, felix migravit ad eum, quem devotissime sitiens diebus quibus umquam vixerat adesse sibi concupierat, et cui iungi indefessis precibus et vocibus indefessa bonorum operum assiduitate elaboraverat. Erat prima hora sextae feriae, quando civitatis omnis populus et pro fidei[f] consueta reverentia et pro adventus Domini dignitate ad aecclesias sanctorum sacro et honesto more concurrerant, et orationum ac missarum ritui et obsequio insistebant. Fit ecce strepitus concurrentium, fit clamor ad alta decessu pii pastoris, lacrimosis suspiriis plebs omnino gemebunda et mestissima Deo commendare festinat, atque transitum eius digna veneratione et digno culto prosequitur. Dantur Deo preces et laudes pro debito, dantur patri piissimo luctus et fletus pro pietate, quia et patri debent, ut orent pro animae[g] absolutione et commendatione, et sibi debent, ut lugeant pro dilecti et multum dilecti recessu proque detrimento absentiae et discessus eius; qui licet hinc abiens coelestia diu petita promeruerit, hos quos relinquebat, quia ex magna cotidianorum colloquiorum dulcedine ac mutuae affabilitatis consuetudine in nimios luctus amarissimosque dies se deventuros clamoribus quibus plus poterant ingeminabant.

35. Interim circa beati viri corpus exuviis rite peractis, lotis ex more sacris iusti membris, indutó pontificalibus vestibus et ipsis pretiosis, ut nullus umquam sic pretiosis, clericorum, abbatum, monachorum, laicorum diversarum dignitatum et etatum prosecutione lamentabili lugubrique ad aecclesiam matrem devehitur, atque sancti Stephani, prothomartiris pretiosissimi levitarumque praecipui, ante altare deponitur. Ibi tota quae supererat parte diei, tota etiam sequenti nocte a clericis non urbanis et regularibus stipendiariisque domus tantum, verum suburbanis et ex forensibus, quorum magna et copiosa multitudo undecumque convenerat, vigiliis consuetudinariis et psalmis magna devotione cęlebratis, obsequiis sanctissimis frequentabatur.

36. Sequenti die, quae sabbati dies dicebatur, cęlebratis missis oblationibusque Dec. 15. Deo magna reverentia datis, et usque in horam nonam pro commendatione felicis animae officiosissime exhibitis votis et precibus, elevantes venerabile corpus, per mediam urbem versus meridiem extra murum devehunt ad locum, quem ipse a fundamentis construens, inicium suorum operum, mox ut episcopus est effectus, iniciaverat, quem et Deo et sancto[h] Symphoriano praeparaverat, quo et se sepulturae tradi iusserat; qui etiam locus multis sanctorum praedecessorum suorum pontificum Mettensium corporibus insignis et cęlebris habebatur et habetur. Nam sanctus Aeplicius[i] sanctitate et antiquitate inter suos coepiscopos satis clarus, nostris etiam temporibus multis et multorum revelationibus cuius meriti sit manifestatus, ibidem requiescit. Domnus Papolus, cui sanctus Arnulfus in episcopatu successit, qui eidem loco multa praediorum beneficia contulit, et beatus Goericus, nostris temporibus mirabilis miraculorum operator, et sanctus

a) deest 3. b) m. i. 2. 3. c) dereliq̃t 1. d) post a in 1. 2. spatium vacuum relictum. e) deest 2. 3. f) diei 2. 3. g) abs. an. 3. h) d. sanctoque 2. 3. i) aepletius 2. 3.

1005. Godo, germanus eiusdem pontificis Goerici, qui sancti Arnulfi etiam sanguine et carne affines in episcopatu successerant, domnus Aptatus, domnus Felix, reliquique quam plurimi sacerdotes eiusdem urbis honorabiliter ibidem humati venerantur. Quorum amore et loci amoenitate hic beatus pontifex illectus, sepeliri[a] eó loci[b] mandavit.

Dec. 16. 37. Denique depositum corpus ante sancti Symphoriani martyris altare, etiam dominica quae advenerat nocte ac die, et usque in vespertinam pene horam quarti a transitu diei, quae secunda feria habebatur, magno concursu fidelium multaque devotione frequentabatur, ita ut noctu et interdiu congregationes sanctorum se invicem praevenire dulci invidia pro cęlebrandis vigiliis et summis studiis festinarent. Dec. 17. Tandem adveniente fratre eius Teoderico, et detrimenta sua ex morte germani mox futura quasi praesentia multum deplorante, accurrente etiam domno Bertaldo Leuchorum venerabili pontifice, qui quod sic leniter dulcissimeque ab eodem enutritus sit, donec ad apicem pontificatus[c] proveheretur, satis vocibus et fletibus recolens et revolvens, cęlebratis missarum sollempniis, sepulturae dilecti sibi corpus tradidit, et spiritum animamque Deo datori multa satis sollertia et devotione commendavit. Sepultus est iuxta altare sancti Symphoriani martyris venerandi ad levam, sicut iusserat; videlicet ut sapiens utilia semper cogitans salubriaque pertractans, haec aliaque quae sancta erant et sunt adinveniens, hoc inter reliqua mandavit et constituit, ut sic proximum sanctis sanctorum sepultura eius fieret, quo sacerdos ad celebranda sacrosancta mysteria mensae adstans divinae, eius iugiter memoretur, cuius tumulus corporis prae oculis venerandus habetur et cernitur. Suscepit episcopale officium, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi 984. 17[c*]. Kalendas Novembris; ordinatus est eodem anno 5. Kalend. Ianuarii. Transiit ex hac luce ad beatam vitam et veram lucem anno dominice incarnationis millesimo quinto[d], indictione 3.[d] regnante Heinrico rege, anno regni sui 6.[d] coelo autem terra marique regnante et imperante deo et domino nostro Iesu Christo, cui cum aeterno deo Patre et aeterno deo Spiritu sancto est laus perpetua, honor indeficiens, iugis gloria, ineffabilis claritas, incomparabilis magnitudo, dignitas infinita; qui est beatitudo omnium sanctorum, qui est salus infirmorum, qui est remissio peccatorum, qui est salus viventium, qui est resurrectio mortuorum, et nunc et semper et per omnia saecula saeculorum[e], Amen.

EPITAPHIUM ADALBERONIS.

Lector, fige gradum, qui voto tendis in altum,
  Istic et caute scribta notando lege,
Taliter ut vitam studeas servare quietam,
  Qualiter hic gessit, quem brevis urna capit.
Hic civis[f] egregius, regali stirpe decorus,
  Servatur tumulo, usque resurgat humo.
Hic pater et pastor mitisque per omnia doctor
  Nomine Adalbero fulserat eximio.
Annis hic binis feliciter atque vicenis
  Mettensi dominae prefuit ecclesiae,
Sectator legum, rectissima norma minorum,
  Precessit facto, suasit et eloquio.
Gemmis virtutum discretus duxerat aevum,
  Tractavit cunctos ut proprios genitos.
Virgineos coetus monachorum hic pater almus
  Dilexit, lubricis praetulit et laicis.
Pes fuerat claudo, lucens et semita caeco,
  Consolans tristes et refovens inopes;

a) se s. 2. 3. b) loci *post corr.* loco 2. c) *add. sed delevit* eum 2. c*) DCCCC . . . . . . VII. Kl. 1.
d) *harum vocum loco spatium relictum est* 1. e) soeculorum 2. f) cinis c.

Nulli difficilis, nisi forte per avia pronis;
  Hos tamen ipse pius rexerat in melius.
In Domini laudem sibi mercedemque perhennem
  Erexit multas struxit et aecclesias.
Hoc templum fundans multo et sudore laborans,
  Servitium Domini hic statuit peragi,
Sed non ut voluit, quia mordax finis ademit.
  Heu sors dira necis, quae tulit hunc superis!
Quem plangit populus, quem luxit multa iuventus,
  Patres et nati, servulus et domini.
Hic quartodecimo mensis sub sole Decembris
  Decedens mundo, se dedit Altithrono.
Lector: *Huius culpae Deus auctor*, dic, *miserere!* —
  Vivat et in Christo! clamitet omnis homo.

O Ratramne pater, venerabilis ore magister,
Dulcis, care, decens, facunde, benigneque, prudens,
Signifer in castris, civium dux tempore pacis,
Virtutum fama vulgate per avia cuncta,
Aspice[a] nunc oculo quae sunt hic scribta sereno.
Scribsi tantorum tibimet formas numerorum;
Elige de multis, quos ad tumbam senioris
Dilecti vobis et cunctis scribere possis.
Si qua sonant lepide, placeant[b], pater alme;
Dure quod resonant, hoc clausa silentia condant.
O senior dulcis super omnia nectara mellis,
Memet Cuonradum[c] celso tibi sterno pusillum,
Et rogo, sancte pater, quo non est sanctior alter,
Ut cum finieris versus non valde politos,
Dicas corde bono: *Qui fecit vivat in almo. Amen.*

a) Espice *c.*
b) *vocabulum deest.*
c) *κουωνραδουμ codex.*

VERBA LIBRI:

Cum iuvenis splendens fueram, mutuatus adibam
Coenobium sanctum celso Nabore sacratum,
In quo praeclari multa et virtute probati
Insignesque viri desudant laude perhenni;
In quo pax radiat magna et sapientia regnat,
Moribus et sanctis concordia fulget in illis.
Illuc cum veni, felicem me reputavi;
Namque capite et cauda portavi tergora nuda,
Undique nudus eram; sed mox vestitus abibam.
Non te sicut me decoratum credo, Lucane,
Nec te Constantinus habens vestivit honore,
Ut me Cuonradus[c], qui sit semper benedictus;
Cuius sic studiis signis fulgesco novellis,
Margine deque meo nunc plura problemata pango;
Quae quicumque legis, dic: *Vivant semper in altis*
Sancto Nabori famulantes sorte perhenni.
O quicumque libens versus aspexeris istos
Undique et adpositos, utiles, et iure legendos,
Dic: *Cuonrado[d] sit vita salusque misello.*

c) cxpnrbdxs *codex.*
d) *Κουωνραδω cod.*

PASSIO S. CHOLOMANNI

EDENTE G. WAITZ PH. DR.

Cholomannum peregrinum in marchia orientali[1] *occisum miraculis claruisse, ideoque corpus eius in Medilicensem*[2] *urbem ab Heinrico*
3 *marchione translatum esse, Thietmarus*[3]*, rebus a.* 1117. *narratis, in fine libri septimi refert. Cuius rei brevem habemus narrationem, quae cum illo in plurimis ita convenit, ut alter alterum exscripsisse videatur. Vitae auctor se suo tempore et in sua regione acta narraturum esse dicit*[4]*, et in ipsa vita quamvis leviora tantum tradat errores tamen nullos commisit graviores. In miraculorum vero narratione tempora valde sunt conturbata, et quae-*
5 *dam posterioris temporis facta relata*[5]*. Quae cum ita sint, non integrum opus Erchenfrido, qui a.* 1121—1163. *abbas Mellicensi coenobio praefuit, et necrologio monasterii referente*[6] *„historiam S. Cholomanni dictasse dicitur*[7]*", tribui posse, iam I. Bueus*[8] *monuit, vitamque antiquiorem ab illo esse interpolatam suspicatus est. Quod iam ex*

9 *1) codice Admontensi, mbr. s. XI. qui dicitur*[9]*, probatur, qui f.* 15'—18'. *vitam interpolationibus vacuam et miraculis destitutam continet. Hanc igitur auctori tempore suppari deberi putarim*[10]*, saeculo vero sequenti sive ab Erchenfrido sive ab alio monacho mutatam et miraculorum libro auctam. Genuino illo textu, quem V. Cl. Chmel curante exscriptum accepimus, expresso, varias lectiones*

11 *2) codicum Mellicensium a Pezio mutuatus sum, qui post Lambecium*[11] *(Comm. II. p.* 611. *Kollar Anal. I. p.* 843.*) et Schramb (Chron. Mellicense) tum singulari opere (a.* 1713.*) tum SS. R. Austriacarum volumine (I. p.* 97.*), pluribus adiutus libris manuscriptis, „quorum unum saeculo XIV, reliquos saec. XV. scriptos constat*[12]*", hanc edidit vitam. Textum ab ipso receptum et a Byeo (Acta SS. Oct. VI. p.* 357.*) repetitum* 2.*, varias codicum lectiones* 2*.
13 *notavi*[13]*; divisionem quoque capitum ab illo institutam retinui.*

G. WAITZ.

1) Austria. 2) Mölk. 3) VII, 54. 4) praef. 5) abbas qui c. 18. memoratur, non ante a. 1089. erat, quo monachi in loco Medilicensi sunt constituti. 6) manu s. XIV. haec scripta sunt. 7) 16. Kal. Iun. Pez SS. I. p. 306. Idem in hist. fund. coenob. Mellic. Pez I. p. 301. dicitur, quam auctoritatem Lambecius Comm. II. p. 611. aliique secuti sunt. Pez tamen de ea re dubitavit. 8) Acta SS. Oct. VI. p. 343. 344. 9) v. Archiv VI. p. 175. De altero eiusdem monasterii codice v. ibid. p. 180. Praeterea Garstensis, Cremifanensis, Windbergensis a Pezio (SS. I. p. 96.), Zwettlensis, Vindobonensis (n. 9.), Bunnensis (Arch. VII. p. 557.) aliique afferuntur. 10) Verba c. 2: *Harum nationes regionum Noricae telluri admodum tunc temporis erant molestae* ut aliter statuamus vix persuadere possunt, quamvis annos aliquot post sancti mortem praeteriisse innuere videantur, ita ut hunc librum iam Thietmaro innotuisse non contenderim. 11) Usus est cod. Vindobonensi, iam N. 3256*. notato (Hist. eccl. 153. olim Ambras. 273.), V. Cl. Chmel monente, s. XVI. chart. in 4to. 12) Pez l. l. p. 96. 13) Attamen quae ex recentiori quodam codice afferuntur et cum Lambecio (n. 9.) ubique conveniunt tamquam posterioris aevi glossas omisi.

PRAEFATIO.

Princeps apostolorum Petrus audiens a Domino, mundi contemptores centuplo remunerandos[a] hic emolumento et in futuro vitam eternam possessuros cum Christo, multas asseclarum copias sue conversionis acquisivit exemplo. Considerantes enim, que et qualia sunt que promisit[b] Deus diligentibus se, spreverunt ea que in mundo habere[c] poterant, vite perennis possessione ut mererentur ditescere. Horum quorundam conversionem conversationemque nobis commendat fidelis hystoria, ut illorum apud superstites semper[d] per secula vivat memoria. Quocirca nos quidem stili[e] officio posteris commendare dignum duximus, que in nostra regione et nostris quoque gratulamur acta temporibus.

INCIPIT VITA[f].

1. Regnante gloriosissimo imperatore Heinrico, qui tertio Ottone mortuo Romanorum potiebatur[g] imperio, plures pro nomine Christi peregrinantes iter direxerunt per regna eius ditioni subdita, quia tanta fuit prefati iam[h] pietas imperatoris, ut in illo situm esset grande solamen[i], pacis presidium refugiumque miseris.

2. Accidit autem, quendam, Cholomannum nomine, Scotice gentis oriundum, pere- 1012? grinationis iter arripere, terrestrem[k] celestis amore Ierusalem cum aliis currens[l] quibus eadem mens erat[m]. Venit itaque in orientalem Norice regionem, cui a plaga orientali Pannonia, ab aquilonari confinis adiacet Poemia[n]. Harum nationes regionum Norice[o] telluri admodum tunc temporis erant moleste, eo quod ab illis sepe numero sint turpiter humiliate, devicte multisque modis miserabiliter afflicte. Inde contra virum Dei orta est falsa suspicio, tanquam veniret missus a predictis nationibus, causa explorationis ac prodende regionis. Hac suspicione furiose plebis[1] animi adeo incanduerunt adversus famulum Dei, ut scopis atrociter castigatum traderent ad custodiendum, postera die iudici presentandum. Set invictus Christi miles parvipendens breve labentis vite spacium, mentis sue constantiam viriliter corroborando preparavit ad supplicium, cupiens adipisci coronam legitime certantibus promissam, quia, sicut ait apostolus: *Nemo coro-* 2.Tim. 2, 5. *nabitur nisi qui legitime certaverit.*

3. Ut autem ventum est ante iudicem, modestiam quam in animo habuit, sermone vultu et habitu demonstravit. Interrogatus itineris[p] sui[q] causam veraciter exposuit, aliud quicquam confiteri quam quod res erat compelli nequaquam[r] potuit. Tunc iudicis edicto asperis horrendisque cedebatur verberibus, ut si explorator esset saltem confiteretur victus penarum doloribus. Set fortissimus athleta Cholomannus, qui solvi et esse cum Christo cupiebat, acria tortorum flagra, lapides ovaque fortiter ignita, candentem quoque forcipem, qua quidam malleator[s] corpus eius miserabiliter vellendo cruciavit, serram quoque[t] qua ossa eius lacerabantur constanter innixus presidio Christi nullificavit. Carnifices vero videntes[u] invictam viri Dei constantiam, animam eius tormentis sicut aurum quod per ignem[v] probatur excoctum[w] tandem extorsere suspendio, duobus latronibus suspensis cum eo. Horum carnibus frequenti morsu dilaniatis avium[x] et bestiarum et[y] putredine consumptis, sancti viri corpus[z], unguibus cum barba cesarieque crescentibus, materiali corruptione procul remota floruit; insuper et[*] torta in qua pendebat fronduit[a], Psalm. impleta prophetia psalmigraphi, que ait: *Iustus ut palma florebit.* 91, 13.

4. Incolis autem regionis eiusdem novo et inaudito stupidis miraculo, contigit 1013? cuiusdam Rumaldi filium morbo debilitari podagrico. Patre vero super hac re graviter anxio et quid ageret dubio, quadam nocte sibi revelabatur in somnis, filium suum pri-

a) h. r. 2. b) repromisit 2. c) p. h. 2. d) *deest* 2. e) o. sterili 2. f) *rubra deest* 1. g) praeponebatur 2. h) *deest* 2. i) s. peregrinis pr. p. 2. k) t. *corr.* ad t. 1. l) *deest* 2. m) e. expetens invisere 2. n) Boemia 2. o) populis N. telluris 2. p) *e corr.* 1. q) sue 1. r) ne unquam 2. nunquam 2*. s) q. perversus m. 2. t) etiam 2. u) cernentes 2. v) in fornace 2. w) *deest* 1. x) a. bestiarumque dil. 2. y) ac 2. z) corpusculum 2. *) *deest* 2. a) *ita* 1. 2*. floruit 2.

1) urbis Stocchaerowe (Stockerau), ut dicunt Ann. Mellicenses Pez I. p. 221; cf. Ann. Salisb. ib. p. 340.

1013? stine sanitati restituendum, si locus morbi oblinirctur carne strangulati videlicet hominis. Igitur expergefactus[a] ac tali visione solito quidem hilarior effectus, accuratissime queri et afferri medicinam precepit[b], misso festinanter nuncio, quam sibi[c] predicta revelavit visio. Profectus ergo nuncius postquam devenit ad locum ubi venerabile pendebat corpus, infixa lancea frustum carnis de sura pendentis, ut iussus erat, abstulit. Mox[d] mirum in modum magna sequebatur cruoris copia tam calidi[e], acsi[f] anima adhuc observaretur in corpore[g]. Hoc viso, legatus velut attonitus expavit; tamen deferenda ad dominum suum proferens[h], rem ut gesta est pleniter enarravit. At puer, cuius causa hec fiebant, allate carnis medicamine tertio illitus[i] surrexit incolomis, viribus[k] propriis innitens, qui prius ad surgendum vix utebatur alienis. Tali modo ipse sibi redditus, grates[l] retulit Deo ac[m] beato Cholomanno[m*], per cuius[n] merita pristina sanitas ei[o] est restituta.

5. His ita gestis, idem Rumaldus iter faciens divertit ad patibulum, ubi sancti viri erat[p] corpus pendens. Intuitus vero[q] diligentius tam ipse quam omnes qui secum advenerant, et ille potissimum qui causa abscidende[r] carnis missus fuerat — nam et is in comitatu[s] eodem aderat —, ammirabantur non solum non factum vulnus set nec cicatricem vulneris apparere[t] in corpore pendentis. Ita etenim[u] divina prestante gratia diminutio illa fuit redintegrata, ut nullum omnino cicatricis vestigium repperiri possit[v] in illo.

6. Quidam[w] venator, cuius precordia frigore obriguerunt perfidie: *Si verum est,* inquit, *quod asseritur, ut de isto corpore*[x] *cruor decurreret calidus, hoc ego iam sum comprobaturus.* Arrepto itaque venabulo, venerabilis viri latus perforavit; unde confestim sanguis profluens ipsum et cui insidebat iumentum sacris imbuit reliquiis. Rumaldus et qui cum eo aderant vise rei formidine trepidi, non parva[y] multitudine cleri ac[z] populi coadunata, decreverunt beate memorie viri corpus sepeliendum deponi. Si quis vero[*] nosse velit, quantum temporis spacium pendendo impleverit, integrum annum computet et dimidium.

7. Est prope Danubium quedam speciosa et delectabilis augia, in qua nova[a] fabricata fuit ecclesia; illuc predictus Dei famulus utriusque sexus tripudio et plausu deferebatur humandus. Sequenti igitur anno Danubius effreni licentia littorum curva itinera devagatus[b. 2], pleraque edificia suis viribus eruta funditus ingurgitavit, et queque loca sibi contigua estuantis diluvii copiis inebriavit; atrium autem basilice, iuxta quam beati Cholomanni cadaver[c] requievit, tanta diluvies replevit, ut medietas ecclesie vix[d] appareret. Set omnipotentis Dei clementia per famuli sui merita ostendit[e] miracula, nostris[f] quoque temporibus inaudita. Nam tumulus quo claudebatur corpus ipsius, aquarum diluvio[g] non attingebatur penitus[h].

8. Quidam autem piscator, quem vacui ventris furor et rerum habendarum repulit inopia[i] vagari per Danubium, aquarum violentia compulsus[k] ad eundem pervenit locum; vidensque insoliti miraculi prodigium, gubernaculo[l] paululum dimisso[m], obstupuit. Set mox ad se reversus, sue aliarumque villarum civibus rem[n] visam predicavit. Illi autem correptis[o] navibus properabant[p] videre magnalia Dei. Et videntes, ammirati sunt dicentes: *Sicut audivimus sic vidimus.* Deinde omnipotentiam Dei his glorificabant vocibus: *Benedictus Deus*[q], *qui facit mirabilia magna*[r]*!*

9. Huius tam stupendi[s] miraculi fama pervenit[t] ad aures Heinrici marchionis. Qui statim, missis clericorum ordinibus et quibusdam militie sue primatibus, precepit, ut in

a) experrectus 2. b) m. f. p. n. 2. c) p. s. 2. d) et mox 2. e) candidi 1. copia t. c. cr. 2. f) ac sic 1. g) hospitio corporis 2. h) perferens 2. i) oblinitus 2, oblitus 2*. k) v. fortiter i. p. 2. l) indefessas g. 2. m) et 2. m*) cholamanno 1. n) c. per 2. o) est ei 2. p) c. e. 2. q) autem 2. r) abscindendae 2. s) e. c. 2. t) in c. p. a. 2. u) et iam 1. v) posset 2. w) Q. autem 2. x) cadavere c. decurrat 2. y) non m. p. 1. z) et 2. *) autem 2. a) noviter 2. b) curvitates evagatus 2. c) c. venerandum quievit 2. d) praevalentibus aquis vix 2. e) nova o. 2. f) et n. q. saeculis 2. g) diluvie 2. h) fluctibus etenim undique saevientibus locus sepulchri aprica viriditate fruebatur quasi muri validi fuisset munimine circumdatus *add.* 2. i) i. compulit 2. k) impulsus 2. l) prorae g. 2. m) demisso vehementer o. 2. n) ipsam rem iterum attonitus p. 2. o) arreptis 2. p) festinabant 2. q) dominus deus Israel 2. r) solus 2. s) praeclari stupendique 2 t) ad a. H. m. p. rumoribus allata 2.

2) Inundationem aquarum a. 1013. vergente factam esse, Ann. Quedlinburg. SS. III. p. 82. testantur.

civitatem[a] suam honorifice transferrent[b] sancti viri corpus. Venerunt autem ad sepulchrum; set priusquam[c] tangerent sarcophagum, tanti odoris occurrit eis fragrantia[d], ut omnes qui aderant lacrimis maduissent[e] pre gaudio. Aperto itaque sarcophago, invenerunt sanctum[f] corpus ab omni corruptione illesum. Consideremus ergo, quanti meriti sanctus iste sit apud Deum[g], qui tantum temporis in tumulo quievit, quantum in patibulo pendens adimplevit, et tamen corruptionis detrimenta non novit. Nam a die suspensionis usque ad diem translationis totum triennium transiit temporis.

10. Elevato igitur desiderabili thesauro et linteis[h] palliisque[i] ad hoc paratis[k] involuto, optatum iter arripuere diluculo, fugiente procul adversitatis infortunio. Non[l] parvam multitudinem sequi et occurrere visa auditaque compellebant miracula; laudes ymnosque referentes[l*] viventi et regnanti in secula. Instante autem iam[m] noctis crepusculo, diverterunt ad ecclesiam non longe a via positam, cupientes noctem[o] illam in divinis laudibus posito transigere corpusculo. Cumque[p] omnes preterite[q] noctis vigiliis ac lassitudine itineris victos languor opprimeret soporis, quidam adventicius clericus, ceteris dormientibus, leniter arrepens[r], beati videlicet martiris[s] pedem, resecto poblite[t], mutilavit[u]; unde vix sedandi sanguinis ubertas profluens pavimenta irrigavit.

11. Orto autem die cum elevato corpore dirigerentur in itinere, occurrit quidam infirmus[v], singulorum menbrorum officio paralysi privatus; adductusque ad feretrum, sue infirmitatis imploravit remedium. Cumque oratione completa surrexisset, unumquodque[w] menbrorum proprio[x] tam pleniter innitebatur officio, ut suis[y] gressibus ad propria laudans ac glorificans Deum rediret. Clerici vero qui sacras reliquias[z] deferebant hec cernentes, cum ceteris[*] qui sequebantur laudabant Dei magnalia et sanctum[a] Cholomannum, per cuius merita fiebant talia. Hac iocunditate tandem[3] pervenerunt ad civitatem nomine Medelicham[b], in qua preciosi thesauri pignora predicti[c] marchionis iussu fuerant reponenda. Tunc[d] optimatum consilio posuerunt eum in ecclesia principis[e] apostolorum honore dedicata, australi parte[f]; ubi plurima per illum[g] iugiter operatur Dei virtus et Dei sapientia, que cum Deo[h] Patre et Spiritu sancto vivit et regnat[i] per omnia[k] secula seculorum, Amen[l].

DE MIRACULIS SANCTI CHOLOMANNI MARTYRIS
AUCTORE UT VIDETUR ERCHENFRIDO ABBATE.

12. Ex multis mirabilibus, quae Dei clementia per suum fidelem famulum ostendit, pauca quae nobis videndo cognita sunt perstringimus, ut fideles animentur et corroborentur, infideles vero convertantur et meliorentur. Posito igitur in ecclesia corpore, multi cotidie veniebant, et secundum quod unicuique copia erat, oblationes deferebant[m]; quas quidam, nomine Huzo, stimulo sathanae incitatus, ad furandum nocte per fenestram intravit. Cumque super sepulchrum viri Dei staret et ea quae ad laudem sancti suspensa pendebant diriperet, ut dudum mentem humanam, ita demum faciem suam amisit, et caninam accepit, et pro verbis latratum fudit. Quem cum aedituus regrediens latrantem in ecclesia audisset, expavit, et non audens accedere, donec cives villae vocaret, eorumque congregatione confortatus, ostium aperuit et intravit. Ignorantibus autem caeteris quid esset, hominis dominus, nomine Wilhelmus — nam et ipse aderat — vestibus fuisse servum suum cognovit; et quid agerent ignorantibus hoc consilium placuit potissimum, ut ad sepulchrum viri Dei traderet illum. Quod cum factum fuisset, et, multitudine circumstantium orante, pristinum recepit vultum, et oris officium; ac ita usque ad finem vitae suae in servitio degebat fratrum; cuius adhuc filia in nostro est servitio.

a) s. c. 2. b) t. miraculis glorificatum c. 2. c) p. impresso sarcophagum tangeretur fossorio tanta miri et insoliti odoris 2. d) flagrantia 1. e) manduissent 1. f) sacri viri corpusculum 2. g) Dominum 2. h) linteis *corr.* lintheis 1. i) paliisque 1. k) praeparatis 2. l) Non autem 2. l*) referrentes 1. m) n. iam 2. o) in illa n. d. l. 2. p) Cunque 1. *et infra.* q) v. p. n. 2. r) arripiens 2. s) hominis 2. t) pollice 2. u) mutulauit 1? v) infirmus nomine Adalgerus adductusque 2. w) unicuique 2. x) p. o. t. p. i. 2. y) s. fortiter g. insistens et manibus crucem portans ante feretrum usque ad locum sepulchri tripudians ac Deum glorificans graderetur 2. z) d. r. 2. *) cetera multitudine laudibus extulerunt Dei 2. a) s. eius C. c. per m. signa f. 2. b) medlicham 2. c) *deest* 2. d) Ubi in Nonis Octobris dominicae incarnationis millesimo quinto decimo anno 2. *quae interpolatoris esse iam l. Bueus p. 351. suspicatus est.* e) honori p. a. 2. f) a. in abside 2. g) i. mirabilia 2. h) *deest* 2. i) dominatur 2. k) infinita 2 l) *ita finit* 1. m) ad sanctum *add.* 2. *des.* 2*.

3) Ann. Mellicenses l. l. haec in a. 1014. collocant eumque a Megingaudo Eichstadensi episcopo sepultum dicunt.

14. Hac igitur fama magis magisque crebrescente, Petrus rex Ungarorum est accensus, quali modo posset hoc acquirere et in suum regnum traducere[a] corpus. Haec eo meditante, Treverorum archiepiscopus Poppo, marchionis frater[4], ab 1028? Hierosolyma rediens, venit in regnum eius. Quod rex ut audivit, magno gavisus gaudio, ad se vocavit, sperans effectum sui desiderii per eum se inventurum; quod ita est etiam factum. Cum enim vocatus veniret, sicut utrumque decuit, regem videlicet et archiepiscopum, honorifice eum suscepit, magnifice habuit, gloriose tractavit. His, ut saepe fit inter bonos, archipraesul vicissitudinem cupiens rependere, quidquid ab eo desideraret, magna pollicebatur et bona se voluntate facturum. His auditis rex factus multum hilaris, quod diu animo volvebat, optimo praesuli verbis exponebat. Sed quanto rex ex verbis pontificis fuit laetior, tanto pontifex ex verbis regis factus est tristior. Anxius enim haerebat animo, quid ageret. Promittere non audebat, veritus se non posse apud fratrem impetrare; timuit vero negare; nam formidavit, si negaret, ut vi, sicut factum est, cogeretur. Postquam enim rex vidit illum stupentem, minatus est, si non faceret, vincula et carcerem. His minis victus episcopus cum promitteret, constrinxit eum sacramento, ut quod promisit sine dubio fieret. Veniens itaque ad fratrem[b], magna afflictione cordis aperuit et lacrimis, quod violentia compulit regis. Marchio autem, ut semper fuit vir bonus et prudens, ne qua macula optimum suum genus fuscaret, quamvis invitus, decrevit tamen facere, ut rex coegit suum fratrem iurare. At postquam delata sunt ossa regi, retrolapsa est res eius; nam aeris siccitas, terrae sterilitas, fames et mortalitas regnum eius in tantum urgebant, ut penitus interire se crederent. Miserunt tandem ad praedictum marchionem, postulantes legatos mitti, qui digne sancti reportarent ossa viri. Missis itaque religiosis viris, videlicet clericis et laicis, sacra ossa receperunt, et regi suisque veniam pro delictis dantes, ad laudem et gloriam nominis Dei in praedictum locum Medlicham reportaverunt.

14. Nec praetereundum est, qualis vindicta Dei persequebatur eos, qui sepulchrum fregerunt et ossa extulerunt. Clericus paralysi morbo percussus, linguae officio est privatus. Faber vero ferrarius, qui primus fregit sarcofagum et aperuit, hac ultione est divina percussus, ut maxilla eius per integrum annum penderet super lectum, in quo ipse iacebat infirmus. Nec hoc silebimus, quod quidam pictor, nomine Ludwicus, dum sederet iuxta sepulchrum beati Cholomanni causa pingendi, elevatis palliis sepulchri, introspexit, et confestim omni destitutus est membrorum officio, donec publica voce confessus est, qua de causa hoc meruisset. Et veniam petens, promisit, quoadusque viveret sancto Cholomanno se esse serviturum, quantum posset; et ita Dei gratia periculum evadens, sanitatem recepit.

15. Quadam nocte inter matutinales laudes quidam, nomine Gnanno, qui mutus quinquennio in servitio erat fratrum, cum de monte descenderet pro deferenda aqua ad suum ministerium, visum est sibi, quasi quidam, lineo fune ligato circa brachium, vi eum traheret ad sepulchrum[c]. Qui cum a circumstantibus quid quaereret interrogaretur, manibus innuit, orandi spatium petiit; et sic inter orandum loquendi facultatem accepit.

16. Filia quoque comitis Wolfradi muta et curva eodem modo est allata, sed gratia Dei per merita beati viri loquens et erecta, crucem de sepulchro ad maius altare sancti Petri portavit. Alia quaedam puella, cuiusdam Hermanni filia adhuc superstitis, caeca, muta, curva, a matre est illuc adducta, quae oratione fratrum per merita beati martyris Cholomanni et visum loquendique usum cum integritate aliorum membrorum recepit. Tertia puella venit, manibus genibusque repens, crura pedes humo traxit, quae inter missarum sollemnia surrexit, et a sepulchro ad maius altare progrediens, gratias Deo suae sanitatis retulit.

17. Vir quidam tanta infirmitate est correptus, ut uno oculorum eius in modum crater ae extra locum tumore eiecto, magna spe recuperandae sanitatis a beato viro auxilium flagitavit. Sed cum, consumptis longis precibus et multis effusis lacrimis, nihil sentiret sospitatis, recessit flens et eiulans atque dicens: *Heu, heu! o beate martyr Cholomanne, unde hoc merui, quod ego solus omnium, quorum tu misertus es, nullam gratiam apud te inveni?* His et aliis quae dolor dictat vocibus multiplicatis, in ipsa qua pergebat via, quam desperabat salus sibi subito est concessa. Percepta igitur hac gratia, flexis in terra genibus, tanta perfusus laetitia quanta prius moestitia, regressus est, magnificans et laudans Deum ac salutis suae impetratorem Cholomannum.

18. Aliud quoque miraculum in quodam Rudolfo accidit. Hic[d] omnium praeter oculorum et linguae membrorum officio destitutus, vehiculo ad ianuam ecclesiae ductus, et ad sepulchrum famuli Dei manibus in sella deportatus est. Domino itaque abbate cum fratribus orante, clementiam Dei tam velocem sensit, quod sine mora propriis viribus innitens surrexit; et gratiarum actiones Deo persolvens, qui prius alienis utebatur viribus, equum ascendit, et hilaris repatriavit.

19. Haec pauca ex multis, quae Dei clementia ad laudem et gloriam nominis sui et honorem beati Cholomanni operata est et cotidie operatur, digessimus ad fidelium corroborationem et infidelium conversionem, ne quis id, quo indignus est, praesumat, neque illud, quod gratia Dei valet consequi, pertimescat. Amen.

a) eius *add.* 2*. b) suum marchionem *add.* 2*. c) viri Dei *add.* 2. *sed ex cod. posterioris temporis.* d) His 2.

4) Poppo, Heinrici marchionis frater a. 1028. Hierosolimis reversus est. Heinricus vero iam a. 1018. obiit, Petrus non ante a. 1037. regnum suscepit.

VITA HEINRICI II. IMPERATORIS,
AUCTORE ADALBOLDO
EDENTE G. WAITZ PH. D.

Adalboldus, Ultraiectensis episcopus, Alperto teste[1], *res ab Heinrico II. impe-* 1
ratore gestas uno volumine luculento sermone comprehendit. Haec vero historia
per medium aevum plerosque latuisse videtur[2]*; et qui postea vitam Heinrici*
a Bambergensi quodam conscriptam Adalboldo tribuerunt, a vero longe aber-
rarunt[3]. *Alius vitae fragmentum Gretser edidit*[4] *ex codice Vindobonensi; cuius*
nota marginalis haec continebat: Vita Henrici primi imperatoris ab Adelboldo
episcopo Traiectensi ut creditur conscripta. *Qua auctoritate fretus Gretser*
non sine haesitatione quadam, qui vero postea hac de re disputati sunt, tam-
quam re extra dubium posita, hunc Adalboldo adscripserunt[5] *librum, quem* 5
omnes summis laudibus extulerunt et quam preciosissimum antiquitatis monu-
mentum habuerunt.

Verum enimvero re accuratius perspecta, integrum fere opus ex Thietmaro
descriptum reperimus; id quod primus, nisi fallor, Stenzel monuit[6]. *Thietmari*
narrationem dico descriptam, non ita quidem, ut verbum verbum exprimat, sed ut
res tantum non omnes ex illo sint haustae, eodem modo, ordine et sensu relatae;
quod cuique ut sit apertum, Thietmari locos in margine notavi. Quaedam vitae
auctor omisit, sed ne unam quidem rem graviorem de suo adiecit[7]*; multis* 7
locis vero Thietmari narrationem ampliavit, ornavit et ut sibi videbatur illustra-
vit; sed hoc studio illectus errores non leves et interdum satis ridiculos com-
misit[8], *multa, nisi valde fallor, ut historiam redderet elegantiorem et arte qua-*
dam componeret, ex ingenio finxit. Nam dicendi genere usus est culto atque
ornato, antithetis, dictis moralibus et philosophicis narrationem variavit, et cum
res negligeret, orationem quam maxime curavit. In praefatione quidem utili-
tatem et veritatem a rerum scriptore esse poscendas noster dixit: utilitatem,
ut lectores rebus erudiantur; veritatem, ne auctor adulando vera taceat, falsa

1) de div. temporum I, 5. 2) Quae Sigebertus de SS. eccl. c. 138. et Chron. a. 1024. refert ex Alperto hausit; Sigebertum vero tam Albericus aliique chronographi quam Trithemius secuti sunt. De Annalista Saxone v. infra. 3) Vossius de hist. L. II, 42. p. 359. aliique multi. 4) V. infra. 5) Leibnitz SS. R. Br. I. Praef. n. XX. Sollerius Acta SS. Iuli III. p. 723. Rivet Hist. liter. VII. p. 252. alii. 6) Quae in contrariam sententiam Contzen (Geschichtschreiber p. 145.) attulit nullius esse momenti, iam alibi dixi. 7) Ea tantum quae de Ottonis III. corpore in Germaniam reportato narrantur et quaedam minoris momenti apud Thietmarum frustra quaesieris. 8) cf. quae notavi c. 26. 30. 35. 46. Leviores res praetermisi.

proferat. Sed ipsum magis illam sectatum esse, facile est intellectu. Heinri-
cum ubique laudibus nimis extollit, eius electionem non sine partium studio
9 *narrat, postea quoque multa in eius exornat favorem*[9]. *Ideo etiam quae hic*
illic tamquam de suo, quamvis non magni momenti, adiecit[10], *sublestioris esse*
fidei mihi videntur.

Quae quum ita sint, an hic liber Adalboldo, viro sui temporis summo,
11 *qui ab Heinrico in rebus publicis non raro est adhibitus*[11], *tribui possit, non*
sine causa dubitari posse videtur. Accedit, quod quomodo Adalboldus, cuius
opus iam Alperto c. a. 1021. *notum erat, Thietmari historiam a.* 1018. *abso-*
lutam et ne tunc quidem ut videtur ad exteros translatam, acceperit, non facile
est intellectu. Nota ex codice supra allata recentiori manu scripta non ma-
gnam habebit auctoritatem, nisi dicas, quum Adalboldus Heinrici vitam scripse-
rit, hanc, quae sola praeter Bambergensem illam exstat, ipsi potissimum esse
tribuendam. Cui, si caetera repugnant, saltem dicendi genus optime convenire
videtur.

Adalboldus enim in monasterio Laubiensi, quod tunc praecipuo litterarum
12 *studio excellebat, sub Notgero episcopo Leodiensi*[12] *atque abbate celeberrimo*
Herigero, qui „sub sua et Adalboldi persona dialogum de dissonantia ecclesiae
de adventu Domini scripsit“[13], *educatus, scientia, doctrina litterisque, quae tunc*
in Lotharingia florebant, grammaticis, philosophicis, mathematicis, valde ex-
celluit. Scholasticus Romam profectus est, ibique, ut videtur, Gerberto iam
14 *papae electo epistolam de crassitudine sphaerae direxit*[14], *et scriptis Bernonis*
Augiensis excitatus, quo tempore festum adventus Domini celebrandum sit,

9) E. gr. c. 7. verba quae regi tribuit, c. 13. de Hermanni subiectione, c. 38. de regis animo. 10) E. gr. c. 17. numerus utriusque exercitus, c. 34. quae de Helmigero capellano inseruntur. 11) Thietmarus VI, 50. Alpertus II, 3. 10. 13. 21. Balderici chron. Cam. III, 14. 17. Sigebertus a. 1004. cf. infra n. 31. Adalboldum Heinrici cancellarium fuisse, quod Trithemius dicit (Chron. Hirs. I. p. 150.), aperte falsum est. Beka chron. Ultrai. (ed. Ultr. 1643. p. 37.) ipsum Heinrici dicit proconsulem, Chron. magnum Belg. (Pistor. III. p. 105.) eximium imperatoris consiliarium. 12) Gesta epp. Leod. II, 26. ap. Martene Coll. IV. p. 865. — Sigebertus de SS. eccl. c. 138. Adalboldum clericum Laubiensem dicit. 13) Sigeb. l. l. c. 137. 14) Pez Thes. III, 2. p. 87. Praefationem tamquam ingenii stylique documentum hic inserendam duxi:

Domino Sylvestro summo et pontifici et philosopho Adelboldus scholasticus vitae et felicitatis perpetuitatem. Valde peccare est, publicis intentum utilitatibus privatis inquietare conventionibus. Sed hoc ingenio vestro confido, ut simul et rei publicae possit sufficere, et mihi ex hoc quod quaero satisfacere. Et tamen temere ago, et non ignoranter pecco, quod tantum virum quasi conscholasticum iuvenis convenio. Sed confessio peccati veniam, non tantum dico quaerit, sed exigit. Fortasse cogitatis, ut sic peccem, ut me peccasse poenitere nolim, ac ideo sine fructu poenitentiae confessio nec veniam debeat quaerere, nec remissionem aliquam exigere. Ad haec respondebo, quia si benignitatem vestram in hac conventione ostendero, ultra quam credere possitis, me vos convenisse dolebo; ac ideo dolenti et poenitenti, simulque se peccasse fatenti, et deinceps ab eiusmodi peccato se abstinere volenti, veniam concedendam esse censebo, ab eo maxime, qui vicem illius tenet, cui dictum est: „Non dico tibi: usque septies, sed usque septuagies septies.“ Si autem non offendero, sed id quaesiero, quod cum benevolentia vestra adeptus fuero, utpote quia in adeptione mea et mihi et multis prodesse gaudebo, quaestiones, quas iam auctoritati vestrae transmisi, quia non resolvuntur, me in eis aut vos offendisse timeo, aut pro dilatione solutionis aliquid grande futurum spero. Sed non aliud quoddam proponam, ut aut ex hoc quod timeo magis doleam et doloris magnitudo vos flectat ad veniam, aut ex hoc quod spero magis gaudeam et gaudii mei plenitudo remunerationem vobis imploret futuram. Et hoc quidem, quod nunc proponere volo, quibus rationibus discuti et ad intellectum usque deduci possit, videor videre, sed ad determinandum diligentiam vestram expecto, ut tanti viri auctoritas praeceptionis meae fiat aut correctio aut integritas. Quid ergo sit, quibusque imaginationibus circa illud et delusus habear et certus tenear, iam nunc aperiam, ut vulnere aperto haesitationis a vobis praesto sit medicamentum certitudinis.

Gerbertus ad ipsum de quaestione quadam mathematica scripsit (Pez III, 2. p. 85; cod. Paris. 7377. C.): *Adelboldo nunc usque dilecto semperque diligendo fidei integritatem integritatisque constantiam.*

inquisivit[15]. *Anno* 1010. *episcopus Ultraiectensis electus*[16], *rebus publicis incubuit, bella plurima et gravissima gessit*[17], *ecclesias et monasteria restauravit, et magnam sibi famam per totum regnum conciliavit*[18]. *Ultimis vitae annis monachicum habitum induit, et per aliquod tempus etiam dioceseos administratione se abdicavit, quam tamen postea recepit*[19]. *Obiit a.* 1027. *die* 27. *Novembris*[20].

Praeter vitam Heinrici eum „in utraque litteratura plura monumenta reliquisse", tradit Sigebertus[21]; *ex quibus cantum nocturnalem in laudem S. Martini, cui principalis ecclesia Ultraiectina fuit dedicata, et librum de triumpho ab eodem sancto de Danis reportato Guibertus Gemblacensis refert*[22], *libros de laudibus S. Crucis et de laudibus S. Mariae Trithemius recenset*[23]. *Opusculum quod scripsit mathematicum iam attuli*[24], *aliud philosophicum in bibliotheca Parisiensi ineditum exstat*[25]. *Vitam vero sanctae Walburgis breviorem sine causa*[26] *ipsi tribuit Heda*[27], *qui etiam chartam, qua Adalboldus episcopii vasallos recensere dicitur, sed aperte falsam, ex chartulario Traiectensi edidit*[28].

Si vero genuina opera cum vita quam manu terimus Heinrici comparamus, idem sane dicendi genus, eandem sententiarum artificiose connectendarum rationem, idem prorsus auctoris ingenium, immo non semel eadem fere verba

15) Bernonis epist. ad Aribonem (Martene Coll. I. p. 387.) 16) Ann. Hild. SS. III. p. 93. 17) Haec Alpertus fusius narravit; cf. Thietmar. VIII, 13. 15, Balderici chron. Cam. III, 7. 14. 15. 18) Luculentum eius rei testimonium exstat in epistola monachi Tielensis ad Adalboldum scripta (Acta SS. Febr. III. p. 546.): *Cum scribere cogitarem quaedam miracula, quibus dominus noster Iesus Christus per merita sanctae Walburgae ecclesiam suam misericorditer nostris temporibus illustrare dignatus est, tu, praesulum spectatissime Adalbolde, menti meae occurrebas, dignus eo munere ut tuo nomini scripta sacrarem, quia numquam quidquam tam commode facere aut dici vel scribi potest, quin*[a] *id omnium opinione propria virtute superes. Nota est enim cunctis tua excellens sapientia, summaeque vir virtutis et consilii ubique praedicaris Omnium quoque iudicio non solum domi, sed etiam in castris imperialibus praestantissimi et solertissimi hominis officia exercere comprobaris. Si cui tamen haec quae de te dicimus dubia fortasse videntur, respiciat Traiectum diversis operibus a te auctam et ornatam, ibidemque novum monasterium sancti Martini miro ingenio a te fundatum et ordinatum et mira celeritate paucis annis pene ad perfectionem perductum, ut haec non videantur aedificando constructa esse, sed quasi optando subito ibi constitisse; sciatque de te nihil omnino assentationis proferri posse. Unde, si quid imperite dilatavi, sub tuam correctionem et defensionem conferre decrevi, credens illud tua auctoritate defendi et nobilitari. Sed si adhuc quisquam est, qui tuae amplissimae prudentiae derogare conetur, videat etiam locum nostrum in Tiele, iam divinis rebus florentem, et de quo me loquuturum promisi, a superioribus episcopis omnibus solatiis destitutum, a te uno pia consideratione pene ad pristinum statum restitutum. Praedia quoque ab invasoribus diu retenta, quae religiosi viri ad cultum Dei illic tradiderant, restituisti. Ex quibus rebus facile colligitur, quia terrena commoda non quaeris, sed soli Deo placere studeas.* 19) Vita Popponis Stabul. c. 33. ap. Mabill. Acta VI, 1. p. 585. 20) Chron. Egmundanum ap. Kluit hist. com. Holl. I, 1. p. 45. 21) de SS. eccl. c. 138. 22) Eius verba affert Heda Hist. Ultrai. p. 109. 23) SS. eccl. c. 312. de viris ill. ord. S. Ben. II, 164. Chron. Hirsaug. I. p. 150. 24) Ex eodem quo Pez usus est codice Tegernseensi Gerbertus opus quoddam de musica sub Adalboldi nomine edidit (SS. de musica p. 304 312.), quod an ipsi tribui possit dubitarim. In codice eius nomen recentiori manu adscriptum est. 25) Nr. 7361. *Incipit opusculum Adalboldi episcopi Traiectensis super illud Boetii: „O qui perpetua mundum ratione gubernas"; quod nec Hermes nec Plato dissolvere quivit, qui nimium philosophi erant.* Hoc opus, quod a Bethmanno nostro exscriptum penes me est, praefatione caret. — Idem vel similis argumenti liber in aliis bibliothecis invenitur; cf. Rivet hist. liter. VII. p. 257. 258. 26) Hoc neque stylus neque res suadent, neque codices dicunt. 27) p. 110. Epistola ad Adalboldum de S. Walburge scripta (n. 18.) in errorem ductus esse videtur. Qua male intellecta, episcopi fratrem prope Tielam habitasse dicit. Utrumque errorem Rivet Hist. liter. VII. p. 253. 256. recepit. 28) Neque episcopi qui subscripsisse dicuntur, Anno Coloniensis, Eberhardus Trevirensis, Adelbertus Hamburgensis, Adalboldi tempore sederunt, neque qui scribuntur vasalli dux Brabantiae, comes Gelriae, comes Clivensis, comes de Benthem etc. saeculo XI. incipiente fuerunt.

a) quando *ed.*

29 deprehendamus[29], necesse est[30]. Quod pene me movet, ut rationibus supra
prolatis ipse derogem et Adalboldum vitae esse auctorem quamvis non certo
contenderim, nec tamen negaverim. Episcopus Traiectensis his annis Saxoniam
saepius adiit[31], ubi Thietmari historiam sibi comparasse credi potest. Quod
vero hunc librum, sive ab ipso Thietmaro[32] sive ab alio secum communica-
33 tum, tamquam „certum relatorem“[33] secutus sit, et primis Heinrici temporibus
de suo nihil fere addiderit, inde debet explicari, quod illis annis in monasterio
vixit studio deditus et a rebus publicis procul amotus. Neque mirandum est,
hominem philosophicis et poeticis disciplinis instructum in historia scribenda
magis verborum ornatui et lectorum studuisse oblectationi quam nudae et
simplici veritati, quum idem etiam nostris temporibus quotidie factum videa-
mus. Certe de rebus postea in provinciis Rhenanis gestis, quibus ipse magnam
partem interfuit, accuratius et ex propria cognitione scripsisse putandus est;
id quod etiam Alpertus innuere videtur, quum Mettis urbis obsidionem, a Thiet-
34 maro praetermissam, ab Adalboldo fusius descriptam dicat[34]. Quae deperdita
esse[35], non possumus quin doleamus.

Annalista Saxo, qui solus, quod sciam, medio aevo hac vita usus est, utrum integriorem habuerit textum an nonnisi simile fragmentum, non tam facile est perspectu, quum inter Thietmari verba ab illo exscripta vix aliam narrationem ex eodem fonte haustam agnoscere liceat. Attamen nihil eiusmodi inveniri, Annalistae libro diligenter perlecto, affirmaverim; certe neque de Mettensi illa obsidione, neque de rebus postea in Lotharingia vel a Theoderico episcopo vel ab ipso Adalboldo gestis quidquam apud illum legitur, quod ex Adalboldo repeti posset. Cuius librum has res tractantem si habuisset, diligens et copiosus ille rerum scriptor sane non neglexisset. Hanc igitur Heinrici vitam iam tunc temporis fine destitutam habuisse videtur; quam an Adalboldi, cuius ne mortem quidem indicat, nomine inscriptam legerit, licet dubitare.

Unicum vitae quod iam exstat exemplum est

1) Codex Vindobonensis N. 9020. (Hist. prof. CLII. et CLIII.) chart.
s. XVI. XVII. inc., quem non sine emolumento cum editis conferendum
curavit V. Cl. Chmel. Vita tertio codicis loco (CLIII.) scripta 10 folia explet.
36 Ex eodem procul dubio libro[36] apographum desumtum est, quod a Tengnagelio
transmissum

2) Gretser primus luci dedit (Divi Bambergenses. Ingolstadii 1611. 4. p. 430—454.), cuius editionem Ludewig (SS. Bamberg. I. p. 790.), Leibnitz (SS. R. Br. I. p. 430.) et Sollerius (Act. SS. Iuli VII. p. 744.) secuti sunt, sed pluribus adsperserunt mendis.

29) cf. c. 2: *nec mihi fastidiosum est dicere, nec ceteris superfluum audire;* ad Gerbertum §. 4: *si vobis non sit fastidiosum audire, mihi non erit onerosum dicere.* 30) Etiam in brevi fragmento a Guiberto Gemblacensi allato hoc agnoveris: *Gemma* (de S. Martino loquitur) *ista fulget in coelo, in terra coruscat, ubique honoratur, ubique diligitur. En qui eam mercatus fuerit, perenni gaudebit thesauro. Si quis possederit, non deficiet omni bono. O filii hominum, hanc vobis lucramini et lucem perennem hanc possidete, et nihil vobis deerit.* 31) *Tunc temporis vero Albaldus episcopus apud imperatorem Heinricum in Saxonia morabatur,* Balderic. III, 17. — Anno 1013. Gruonae fuit (Vita Meinwerci c. 21.), a. 1016. Dortmanniae (ibid. c. 134, dipl. ap. Schaten Ann. Paderb. I. p. 417. 418), a. 1018. Paderbornae (V. Meinw. c. 164, Schaten I. p. 429.), a. 1019. Goslariae (V. Meinw. c. 165, Schaten p. 432.), postea Ermeneswerethe (Vita Meinw. c. 173.). 32) Qui se cum Adalboldo convenisse nusquam indicavit. 33) Adalboldi praef. 34) I, 5. Econtra quae de expeditione Burgundica a. 1016. Alpertus II, 14. narrat ab Adalboldo praetermissa fuisse videri possunt. 35) cf. Leibnitz SS. R. Br. II. Praef. p. 19. 36) Titulus quem supra ex Gretsero attuli etiamnum in cod. Vindob. legitur, his additis verbis: *Iste Heinricus successit Ottoni tertio imperatori.*

Quibus editionis principis et codicis fide sublatis, etiam alibi lectionem corruptam emendare conatus sum, tum locis ab Annalista Saxone exscriptis usus, tum Thietmari historia, praesertim in nominibus restituendis adhibita. Praeterea scribendi rationem eam induxi, quam saeculo XI. in usu fuisse satis constat[37], *capitum vero divisionem a Leibnitio institutam hinc inde correctam retinui.* 37

G. WAITZ.

PRAEFATIO.

In gestis scribendis duo sunt videnda: ut et scriptor veritatem in prolatione teneat, et lector fructum in lectione capiat. Sed scriptor veritatem tenere nequit, nisi haec quatuor aut potenter devitaverit aut aliquatenus a mente deposuerit: odium et carnalem dilectionem, invidiam et infernalem adulationem. Odium enim et invidia bene gesta aut omnino tacent aut dicendo transcurrunt aut calumniose transmutant, econtra male gesta dicunt, dilatant et amplificant. Carnalis autem dilectio et infernalis adulatio quae male gesta sunt scientes ignorant, et ignorantiam simulantes, veritatem occultant, bene gesta autem, placere quaerentes, spatiose dicunt et plus iusto magnificant. Sic per haec quatuor aut in bene gestis aut in male gestis veritas evanescit, falsitas superducto colore nitescit. Spiritualis autem dilectio, veritatis amica, nec male gesta celat, nec bene gesta pompose dilatat; sciens, quia et male gesta saepe prosunt ad correctionem, et bene gesta frequenter obsunt, dum ducuntur in elationem. Melius est enim, adversitate mentem refrenari quam prosperitate contumaciter inflari. Lector autem fructum capere non poterit, nisi aut diligenter attenderit aut penitus intellexerit, cur bona bonis, mala malis, bona malis, mala bonis eveniant. Cur bona bonis concedantur, dupliciter intelligi potest: aut enim sic boni sunt, ut per temptationes huius seculi nec probatione nec purgatione indigeant, aut eo modo boni, ut, si per temptationes pulsarentur, fortassis pro modulo simplicitatis suae deteriorarentur. Taliter[a] ergo nec in luto huius mundi conversatione foedantur, nec[b] adversitatum verberibus fatigantur. Mala autem malis conceduntur, ut per ea quae patiuntur aut ad correctionem invitentur, aut, si resipiscere nolunt, intelligant, quia et hic et in futurum mala sustinendo damnari debeant. Mala autem bonis aliquando[c], non ut mereantur, sed ut per tormentum augeatur eis meritum, per meritum amplificetur praemium. Aliquando vero levis culpa subest, pro qua hic leviter castigantur, ne in futuro deterius crucientur. Bona vero malis conceduntur, ut aut sic pietatem Dei recognoscant et a perversitate sua resipiscant, aut reservetur eis in improperium, quod recognoscere noluerunt largitorem bonorum. Haec quae praescripsimus in omnibus gestis et scriptori et lectori non inutilia esse, putamus. Scimus insuper, et saepissime audivimus, quia in omnibus scriptis antiquitas delitiose veneratur, novitas fastidiose repudiatur. Sed quae recipiuntur ut antiqua, nisi primitus essent nová, non essent antiqua. Quare praecedit novitas, ut sequatur antiquitas. Stultum est ergo, quod praecedit spernere, et quod sequitur, quodque a praecedenti habet ut sit, recipere. Raro enim a sitiente rivus quaeritur, dum fons habetur. Dicimus haec, non ut abiciatur antiquitas, sed ut recipiatur novitas. In omnibus quippe scripturis, si est veritas et utilitas, aeque valet novitas et antiquitas. Fortassis est qui dicat, quae utilitas in gestis legendis esse valeat. Huic respondemus, quia quisquis alterius gesta legit, si bona sunt, invenit quod sequatur, si mala, habet unde exterreatur. Gesta namque alterius legere, in speculum est respicere[38]. Si quid in eo vides quod tibi displiceat, in te corrige; si quid quod placeat, imitare. Cesset praelocutio, praelocutionis causa sequatur. 38

1. Millesimo secundo anno ab incarnatione Domini, indictione 15[d]. Otto tertius 1002.

a) Tales 2. *in marg.* b) nec — conceduntur *desunt* 2. c) *scilicet* conceduntur. d) duodecima 1. 2.

37) Quae correxi haec fere sunt: *tentare, solennitas, opportunus, Ioannes, benevolentia, obiicere, lachryma, sylva* etc. 38) cf. Terent. Adelph. III, 4, 53.

1002. imperator augustus, Paternae, quod est castellum Romaniae, moritur; vir dum vixit[a] corporis speciositate floridus, morum probitate modestus, aetate quidem iuvenis, sed ingenua capacitate senilis, benignitate mirabilis. In cuius gestis scribendis satis avidus essem, si aut memoriter tenerem aut relatorem certum haberem. Hoc tantum scio, quia, quamvis in primaeva aetate plurima pueriliter egisset, in supremis irreprehensibiliter vivebat. Deum amabat, amando timebat; omnibus placebat, nemini displicebat, nisi forte infidelibus, quia innatum est bonis, malis displicere et bonis placere. Tandem qualis eius ante acta vita fuisset, in morte ipsius qui affuerunt videre potuerunt. Quicumque enim interfuit, in devotione eius intelligere potuit, quia non obiit, sed ad desiderium suum singulare migravit. Ad Creatorem creatura fidelis ex voto redire properavit. Cuius non obitus, sed transitus, omnium, qui sanae mentis erant, luctus mirabilis, planctus erat incredibilis. Dolor esset etiam insanabilis, nisi superstes ei extitisset Heinricus, dux gloriosus et vir ad regnum suscipiendum strenuus. Is tunc temporis ducatum in Bavariensi regno tenebat, populum pacifice regebat, pacem amplificabat, ecclesiarum facultates augebat, leges et religiones magnificabat. Tandem sic in ducatu vixit, quod omnibus placuit, ut de ducatu transduceretur ad regnum, de vexillo extolleretur in solium hereditarium. Hereditarium dicimus, quia, ut ab his, qui genealogias computare noverant[b], audivimus, a Karolo Magno ex parte patris decimam septimam, ex
39 parte matris decimam sextam lineam propagationis tenebat[39]. Insuper tertius Otto, post cuius[c] obitum in regem eligebatur, et ipse[d] tertium ad invicem consanguinitatis gradum tenebant. Mater autem sua Conradi regis fuit filia[40].

2. His antecessoribus exortus, successor ingenuus eligitur, et ut rex fiat, ab omnibus desideratur. Sed qualiter ad regnum ab his, qui sanae mentis erant, invitatus fuerit, qualiter etiam invidia, virorum bonorum comitatrix, per suos satellites id impedire temptaverit, nec mihi fastidiosum est dicere, nec ceteris superfluum audire. Invidiam bonorum comitatricem me dixisse, ne mireris, quia ubi abundant strenue gesta, abundat et invidia. Unde quidam philosophus interrogatus a discipulo suo, qualiter vivere posset, ut invidorum corrosiones devitare valeret, respondit: *Nil bene, nil strenue, nil prudenter agas, et ita te posse detractiones invidorum declinare scias. Aut igitur stultus esto, et invidiam declinato; aut prudenter agito, et inbidiam sustineto.*

3. Ottone ergo gloriosissimo imperatore defuncto, Cisalpini qui cum eo erant, archiepiscopus Coloniensis, episcopi Leodicensis, Augustensis et Constantiensis, Otto filius Caroli, Heinricus[e] et Wicmannus[f] comites, et ceteri quam plures, fideliter agentes,
Thiet. cum maxima difficultate et periculis pluribus per Veronam, per Bavariam, cadaver ipsius
IV, 31. reportabant. Quibus dux nobilissimus cum Bavaricis episcopis et comitibus obviam venit, corpus senioris et consanguinei sui qua decuit veneratione suscepit, totum exercitum qua debuit liberalitate recepit[g], per terram suam qua oportuit commoditate conduxit. Tandem Nuveborg[h, 41] perveniens, ipse suis humeris corpus imperatoris in civitatem subvexit, pietatis exemplum et humanitatis exhibens debitum; exercitum diurnare fecit, ut et ipsi de utilitate et consolatione regni colloquerentur, et equi itineris longitudine fessi recrearentur. Ibi quibusque melioribus regia dona faciens, iunxit sibi per amicitiam, quos postmodum suscepturus erat in militiam.

IV, 31. 4. Deinde cum corpore usque Augustam veniens, in basilica sanctae Afrae iuxta sepulcrum sancti Othelrici decentissime sepeliri imperatoris interiora fecit, et pro anima eius eidem ecclesiae centum mansos ex propria hereditate concessit. Ibi valedicens
IV, 33. ceteris, ipse ad propria remeavit. Corpus vero imperatoris Aquisgrani transvectum, honorifice, ut adhuc videri potest, in medio ecclesiae sanctae Mariae sepultum est; quam ecclesiam isdem benignissimus imperator et unice dilexit et plurima facultate ditavit.

5. Tunc temporis post Heinricum ducem magnificum maiores erant in regno, Benno dux in Saxonia, Herimannus dux in Alemannia, Theodericus[i] in Lothariensi regno

a) *ita correxi;* iuxta 1. 2. b) noverunt didicimus *A. S.* c) *supplevi hoc vocabulum. Gretser locum corruptum esse recte monuit. Coniecturam meam A. S. firmavit.* d) ipsi 1. 2. e) henricus 1. 2. f) iuncmannus 1. 2. g) *fort.* refecit *GR.* h) muneborg 1. 2. i) theoricus 1.

39) Hoc aperte falsum est, cum septimum vel octavum post Karolum haberet locum. 40) Gisela, regis Burgundiae filia. 41) *Nuveborg* est Neuburg ad Danubium, quam Thietmarus l. l. Novam dicit urbem; Heinricum primo Augustam venisse, postea illam accessisse urbem, recte tradens. Adalboldus vero, hoc ordine perverso, etiam quae ille Pollingun accidisse dicit, ad Neuburg retulit, et ita has res quam foedissime perturbavit.

Ekehardus marchio in Toringia. Benno, ut sapiens, non animabatur ad regnum, sciens, 1002. Heinricum vigere prae ceteris ad obtinendum. Sapientis enim est, spernere in his appetitionem, in quibus scit fieri non posse consecutionem. Theodericus quoque Heinri- Thiet. V, 2. cum ducem in regno esse sciens heredem, noluit incipere quod non posset finire. Herimannus vero, homo potens et in ceteris prudens, in hoc tamen non sapiens, se posse credidit, quod postmodum se non posse probavit. Ekehardus autem, nescio an in adipiscendo regno spem tenens, an rebellionem meditans, in regia corte, quae Poleda dici- V, 4. tur, per noctem ab inimicis suis egreditur, viriliter pugnans interficitur. Remansit contentio inter Heinricum ducem gloriosissimum et Herimannum virum potentissimum, sed brevis et cito finem habitura. Erat namque alter alteri dissimilis nobilitate et sapientia, facultate et corporis elegantia.

6. Intrante igitur Iunio dux Heinricus rex cito futurus, de Bavaria et orientali V, 7. Francia collecta multitudine non modica, super Rhenum Wormatiae venit, cupiens ibi transire et Moguntiam ad regalem benedictionem percipiendam venire. Sed dux Herimannus, adunatis Alemannis[a*] et quibusdam Francis et Alsatiensibus, Wormatiam ad contradicendum transitum festinavit, ibique transire nec unum permisit. Et facile resistere poterat, qui Rhenum adiutorem habebat. Erant[41] autem cum duce Heinrico viri illustres 41 et sapientissimi, archiepiscopus Moguntinus, archiepiscopus Salzburgensis, episcopus Brixensis, episcopus Wirzeburgensis[a], episcopus Regenesburgensis, episcopus Strasburgensis, episcopus Bataviensis, episcopus Frisiensis[42], abbas Vuldensis, ceteri abbates et comites plurimi. Cum his dux habito consilio, reditum in Bavariam simulavit, et quasi transitum desperans, Loreshem[b] venit. Inde Moguntiam festinans, sine impedimento transivit. Ibi octava Idus Iunii in regem eligitur, acclamatur, benedicitur, coronatur. Ibi Franci Iun. 6. et Musellenses conveniunt, regis efficiuntur, et maiestatem eius ex debito venerantur.

7. Celebratis igitur diebus ordinationis suae, et quibusque venientibus in militiam V, 7. susceptis, rex Rhenum iterum transiit, cum maxima multitudine per orientalem Franciam in Alemanniam ire properavit, ut Herimannus, audita devastatione terrae suae, a coepta rebellione desisteret et caput ut ceteri regiae maiestati subderet. In Alemanniis igitur rex pluribus diebus moratur, nolens et volens terram depopulatur. At Herimannus, durae mentis et protervae cervicis, iratus super episcopum Strasburgensem, eo quod sapienter egerit et partem meliorem elegerit, iuncto sibi Cunone genero suo, Argentinam adivit, et militibus episcopi non fideliter resistentibus, muros civitatis fregit, spolia non modica cepit, ecclesiam violenter intravit et impie violavit.

8. Interea rex, qui erat in Alemannia, Augiae nativitatem sancti Iohannis celebrabat, V, 8. et neminem timens se potenter habebat; cum nunciatum esset ei, quod Herimannus obvius venire vellet et pugnae termino litem finire; sententia haec regi placuit; ab Augia discessit, in quaedam prata amplissima et ad decertandum oportuna pervenit. Ibi adventum ducis expectans, et pugnae iudicio[c] subire non refutans, solemnitatem aposto- Iun. 29. lorum celebravit. Sed Herimannus salubri consilio usus, occurrere regi renuit, et sibi suisque salubrius esse, ut latitaret quam obviam veniret, credidit. Regi ergo sic praestolanti quidam non providae mentis dabant consilium, ut Constantiam iret, et ibi Herimanno, quod in Argentina commeruerat, recompensaret. Episcopi enim Curiensis et Constantiensis cum Herimanno erant, non tantum illum ex corde ad regnum eligentes, quantum vicinitatem eius timentes et de termino litigii dubitantes. Sed rex, ut erat providus et de dominio eiusdem civitatis securus, illis leniter et blande respondit: *Absit, ut pro Herimanni insania in illum retorqueatur vindicta, a quo mihi regni est concessa corona. Fortassis et si pro Argentina Constantiam vastarem, non mihi damnum minuerem sed duplicarem. Insuper male comparat regnum, qui in eius adeptione animae postponit detrimentum. Coronavit me Deus non ad violationes ecclesiarum, sed ad puniendos violatores earum.* Diu igitur in pratis expectans, et ad ultimum sciens non venturum, inde discessit, et per Alemanniam cortes ducis ubique vastando ire coepit. Tandem pauperum clamor nimius excrevit, et usque ad regis aures pervenit. Quem rex diu ferre

a*) alemanis 1. *saepius.* a) wircezeburgensis 1. b) luresheim *A. S.* c) *forte* iudicium *GR.* aleam *SOL.*

41) *Erant — plurimi* addit Adalboldus. 42) *i. e.* Frisingensis.

1002. non potuit, sciens, eos nihil in duritia ducis deliquisse et ob hoc plus iusto passos fuisse. Quapropter pietate motus, ab Alemannia recessit, et in Franciam terram unice sibi dilectam venit, certus de duce, quia vellet nollet cervicem flectere et iugum pati quandoque deberet.

Thiet. V, 8. 9. Praetereundum non existimo[a], quod antequam rex ab Alemannia exiret, Hezelo, Bertoldi filius, quem tempore ducatus sui ultra omnes comites regni huius ditaverat, legatos, quos in ipso exercitu meliores eligere poterat, ad ipsum transmisit, ut Bavariensem ducatum sibi concederet, inconsulte rogavit. Sed inconsultae quaestioni consulta paratur responsio, et festinanti petitioni ponderata monstratur deliberatio. Patienter enim audita legatione, ait: *Quos semper praecipuos inter omnes gentes habui, quosque semper toto mentis affectu amavi, hos, adepta benedictione regali, in lege sua nec deteriorare volo, nec deteriorari patiar dum vixero. Legem habent, et ducem eligendi potestatem ex lege tenent; hanc nedum ego frangam, quicumque frangere temptaverit, me inimicum habebit. In hac etiam expeditione male*[b.41] *promeruerunt, ut cuilibet eos absque eorundem electione concedam. Adhuc mecum sub ancipiti fine militant, et ego eos nolentes cuilibet mortalium traderem? Expectet, ut in Bavariam redeant; ibi si illum elegerint, eligo et laudo; si renuerint, renuo. Nec etiam existimo, illum esse tantae insipientiae, ut ex meo dedecore honorem suum quaerat amplificare.* Hezelo, accepto huiusmodi responso, fomitem rebellionis concepit, quem post annum monstrando in dolorem sui peperit.

V, 9. 10. Rex igitur non multis diebus in Francia moratus, in Toringiam ivit. Ibi absque mora Guilhelmus princeps Toringorum cum exteris[c] occurrens, regis efficitur. Inde rex procedens in Saxoniam, pervenit Meresborg. Benno dux Saxonum, Bulizlavus[d] dux Sclavorum, Liebezo archiepiscopus Bremensis, Benno episcopus Hildenensis, Retharius[e] episcopus Pavebronnensis, Arnulphus Halverstetensis, ceteri episcopi de Saxonia et
Iul. 25. comites plurimi in festivitate sancti Iacobi regi occurrunt, acclamatum suscipiunt, collaudant, collaudato manus singuli per ordinem reddunt, redditis manibus fidem suam per sacramenta promittunt, fide promissa regem coronant, coronatum in solio regio locant, locatum debita congratulatione venerantur.

V, 10. 11. His strenue peractis, Bulizlavus inde discedens, ab ipsa die, qua fidem promiserat et promissam sacramento firmaverat, perversa meditari, et meditata, prout potuit, coepit machinari. Ipse enim et Hezelo, collocutione in invicem habita, alter alterius venenatis consiliis tactus, uterque coepit, quod utrumque male finisse puduit.

V, 11. 12. Interea regi a Saxonia in regnum Lothariense properanti Gruonae occurrit uxor sua, domina Kunigunda[f] nomine iam extans, sed re cito regina futura. Inde enim
Aug. 10. Paverbronam veniens, in festo sancti Laurentii acclamatur, benedicitur, coronatur, et fit Kunigunda kuninga, quod latine interpretari potest regia regina. Sed ut numquam serenitas, quam non sequatur nubilositas, sic raro iocunditas, quam non comitetur adversitas. Nam in benedictione reginae cunctis exultantibus, Bavarii — quorum mos est in aliena terra velle, quod in sua nolunt — circa civitatem fruges colligere, et agricolas sua defendere volentes inrationabiliter coeperunt tractare. Quae res indigenas commovit et ad resistendum etiam fortiter animavit. Domestici igitur regis et indigenae, invalescente contentione, confluunt, concurrunt, conveniunt. Pugna gravis oritur; ex
42 domesticis regis iuvenis unus interficitur, frater scilicet domni[g] Eilberti[h], qui[42] tunc temporis erat cancellarius, postmodum vero Frisiensis factus est episcopus. Huius interfectione omnes regis fideles commoti graviter, cives coeperunt persequi, et eos persequendo insatiabiliter grassari. Et nisi regia potestate retinerentur, omnes usque ad interniciem prosequerentur. Cum plurima igitur difficultate sedato tumultu, castigatisque illis, quorum stultitia causa seditionis extitit, inde rex Diusborg[i] properat, et illic Lotha-
V, 12. riensium adventum expectat. Occurrunt primi Leodicensis et Cameracensis episcopi, nil de regis prudentia dubitantes, nil de fide eius haesitantes. Occurrit etiam Coloniensis archiepiscopus, sed quanto ditior, tanto morosius. Erat insuper causa dilationis Mogun-

a) extimo 1. *fortasse* aestimo *legendum.* b) nil *suppl.* 2. c) caeteris *corr. Leibn.* d) bulizolaunus 1. e) ratherius 1. 2. f) cunigunda 1. 2. g) domini 1. 2. *saepius.* h) Filberti 1. 2. i) duisborg 1. 2

41) *i. e.* non. 42) *qui — episcopus* add. Adalboldus.

tiae accepta corona benedictionis. Hi simul regis efficiuntur, fidem promittunt, promissam [1002.] sacramento concludunt. Cum his rex Aquasgrani perveniens, ceteris Lothariensibus convenientibus, in nativitate post partum[a*] Virginis eligitur, collaudatur, in regiam sedem [Sept. 8.] extollitur, glorificatur. Sed sub ea glorificatione quidam palmas, quidam lacrimas fundebant. Lacrimantes namque Ottonem dolebant amissum, Heinricum non cognoscebant susceptum.

13. Sic igitur rex in regnis singulis antecessoris sui, praeter Italiam et Alemaniam, [Thiet. V, 12.] receptus, et ab omnibus unanimiter collaudatus, in Franciam revertitur, ut ibi hiemis asperitate transacta, vere amoenitatem reducente, in Alemanniam exercitum duceret, et Herimannum, qui consiliis prudentium uti nolebat, diversis vastationibus afflictum, pati iugum doceret. Sed Herimannus, qui consilia iuvenum sequendo et spem [V, 14.] vacuam tenendo extra se positus erat, se in semet ipsum recollegit, et in solemnitate sancti Remigii Brusellae regi obviam venit, sciens melius esse ante damnum non fecisse quam[a] poenitere. [Oct. 1.] Nudis[43] igitur pedibus cum fidis intercessoribus regi se repraesentat, [43] pro male commissis veniam petit, pro bonis suis per regium donum possidendis gratiam quaerit, pro his impetrandis humo tenus genua flectit. Ilico benigne recipitur, et ei, quod quaerebat cum omni humilitate, conceditur. Tantum cuiusdam conditionis internectitur ratio, quae, quamvis ad praesens gravis, in futuro tamen ei erat salubris. Eo enim tenore in gratiam recipitur, ut Argentinensis ecclesia ad pristinum statum ex detrimentis suis per illum reformetur. Quod ille non renuit, sed iussu et consultu regis dictae ecclesiae abbatiam sancti Stephani[44] in recompensationem detrimenti a se illati tradidit. Hac conditione firmata, per manus et sacramenta regis efficitur, et sic se contentionem male coeptam finisse laetatur.

14. His expletis, in Bavariam, nativam terram suam, rex redire decrevit, nolens [V, 14.] novos sic frequentare fideles, ut postponendo dementicaret[b] veteres. Regensborg igitur sancti Martini solemnia celebrans, Blademario cuidam Sclavo ducatum Boemiensem largitur, [Nov. 11.] et ut ceteris acceptabilior existat, illum plus iusto verbis et rebus honorat. Pluribus [V, 15.] igitur diebus in Bavaria moratur, quaerentibus legem iustitiam faciens, et visitandi gratia venientibus honorem, prout quisque dignus erat, exhibens.

15. Eodem tempore quidam episcopicida, Harduinus nomine, non regnabat, sed vitiis in se regnantibus subserviebat in Italia. Audita enim morte imperatoris Ottonis, [IV, 34.] Langobardi surdi et caeci et de futuro non providi, hunc elegerunt, et ad poenitentiam festinantes, in regem sibi coronaverunt. Is tunc, ut dixi, subserviens dominabatur, et [V, 16.] adventum regis Heinrici semper expectans, introitus Langobardiae[b*], quos clusas indigenae vocant, cum cautela satis provida tuebatur. Quod etiam verum Dei erat iudicium, episcopos, qui in electione illius prae ceteris omnibus aestuantes et sitientes fuerunt, honorabat ut bubulcos, tractabat ut subulcos[c]. Quadam namque die episcopum Brixiensem ad se venientem, et nescio quid ratiocinari volentem, ut coepit ei ratiocinatio displicere, per capillos arripuit et humo tenus quasi bubulcum vilissimum deiecit. Cum maioribus nihil tractabat, cum iunioribus omnia disponebat. Quod etiam erat gravissimum, sub eo praevaricatores, violatores, depopulatores dominabantur, legum amatores, Dei cultores deprimebantur. Cupiditas in eo erat consiliaria, avaritia cameraria, pecunia domina et regina. His pedissequis adulterina sceptra tenebat. Quapropter quidam pro coronatione illius poenitentia ducti, regi Heinrico, alii legatos, alii litteras transmittunt; ut terrae oneri gravissimo subiacenti subveniat, humillima prece deposcunt. Mandant etiam, ut si ipse idem in aliquibus occupatus teneretur, saltem eis suorum principem aliquem cum paucis transmitteret. In[45] voluntate huiusmodi aliqui manifesti, alii erant occulti. [45] Tietoldus namque marchio, et archiepiscopus Ravennas, et episcopi[d] Mutinensis, Veronensis et Vercellensis aperte in regis Heinrici fidelitate manebant. Archiepiscopus autem Mediolanensis, et episcopi Cremonensis, Placentinus, Papiensis, Brixiensis, Cumensis quod volebant [non[e]] manifestabant. Omnes tamen in commune regem Heinricum desiderabant, precibus per legatos et litteras invitabant.

a*) *verba* post partum *abundant.* a) *deest* 1. 2. b) demembraret 2. b*) *sic ubique scripsi;* 1. *et* 2. *modo* Lang. *modo* Long. c) subbulcos 1. d) episcopus 1. 2. e) *deest* 1. 2.

43) Hic valde Thietmari verba ampliavit Adalboldus. 44) Hanc Thietmarus non nominavit. 45) Reliqua huius cap. addit Adalboldus.

1002. 16. Tandem a rege Otto dux Carentanorum, qui etiam Veronensem comitatum
Thiet. tenebat, ad petitionem Langobardorum explendam eligitur, et cum paucis, propter
V, 16. fiduciam superius nominatorum, in Italiam dirigitur. Cui etiam Otto, filius Heriberti, cum
46 Ernesto, filio Liutboldi[a] marchionis, adiungitur. His[46] inter montana, quae Bavariam et Carinthiam ab Italia seiungunt, super aquam quae Brentha vocatur convenientibus, Carentani et Foriiulienses cum paucis occurrunt, veluti de promissis Italicorum fiduciam habentes et de pugna nil cogitantes. Interea archiepiscopus Ravennas et Tietoldus[b] marchio cum ceteris manifestis fidelibus Heinrici regis suos congregaverant, volentes occurrere Teotonicis et eos in Italiam cum securitate recipere. Haec Harduinus praesciens, Veronam cum maxima multitudine venire festinavit, ut et ibi Italicis in adiutorium Teotonicorum festinantibus viam interciperet, et clusas, quae ab episcopo Veronensi servabantur, expugnaret; quod et fecit.

V, 16. 17. Clusis igitur expugnatis, audiens Teotonicos in Tridentensem planitiem convenisse, illo cum omnibus suis festinavit. Sed ibi Teotonicis non inventis, se in
Dec. campaniam Veronensem reduxit, ibique in quodam castellulo nativitatem Domini cele-
25. bravit. Sed ab huiusmodi homine celebratio rectius celebrationis dicetur abusio. Interim Teotonici iuxta montem quendam, qui Ungarius, nescio qua de causa, vocatur, praevenientes, et Harduinum iam clusas occupasse scientes, ipsi Harduino legatos suos transmittunt, et ut aut eis cedat donec transeant, aut sibi cedentibus veniat, rogant. Harduinus[c], audita legatione, sese in fraudem deceptionis convertens, ait: *Nobiscum nocte maneatis; crastina die, cum nostris fidelibus inito consilio, vobis respondere poterimus.* Legatis igitur insidias non intelligentibus, ipse per totam noctem castra suorum circuit, ut in crastino parati sint[d] ad congrediendum Teotonicis, monet. Die lucente, legati venientes ad accipiendum responsum, Langobardos omnes loricatos et ad praelium paratos vident; quid hoc significet, Harduinum interrogant. Ille consilium iniquitatis evomens, ait: *Fortassis unius temporis erit renuntiatio vestra.* Inde promovens exercitum,
47 media die ad Ungaricum montem pervenit. Exercitus autem ille existimabatur 1015[e. 47] esse virorum. De Teotonicis vero vix erant quingenti, et hi partim per fodrum divisi, partim ad vias custodiendas transmissi. Qui Harduini adventum percipientes, repente armantur, et prout possunt, ad resistendum parantur, virtutis eligentes famam et postponentes vitam. Interea Harduinus cum Langobardis supervenit. Otto cum Teotonicis obviam venit. Fit congressio, fit pugna, fit caedes ex utraque parte gravissima; et pene Teotonicorum, quamvis paucissimorum, esset victoria, si non impediret Ottonis, fratris Regensburgensis episcopi, fuga. Illo enim fugiente, Teotonicorum acies minuitur, et iterum a multis congressa, devincitur. Langobardorum tandem extitit victoria, sed plurima suorum caede comparata. Revertuntur Teotonici, etsi[f] tunc confusi, quandoque tamen talionem reddituri.

V, 17. 18. Interea rex a Bavaria in Franciam reversus, Frankevort nativitatem Domini celebrat, multorum legationes suscipit, legatos cum muneribus et responsis dignis remittit. Herimannus etiam, iam ante iugum pati nescius, eidem celebrationi interfuit, et ut oportuit, per omnia regiae maiestati obediens fuit.

1003. 19. Anno ab incarnatione Domini 1003. indictione prima, rex Heinricus in Mu-
V, 17. selensem pagum, in quem nondum intraverat, ire decrevit, sciens, quod terra, quam rex non frequentat, saepissime pauperum clamoribus et gemitibus abundat. Theodonisvillam igitur venit, et ibi cum omnibus Musellensibus[g] generale colloquium tenuit. In quo colloquio duces Herimannus et Theodericus, qui defensores et coadiutores legum esse debebant, conscii sibi ipsi, impugnatores erant, et expugnatores esse volebant. Sed rex ut hoc cognovit, quanto eos adversus iustitiam pertinaciores vidit, tanto ardentius institit, et quibusque super ipsos etiam duces clamantibus legem faciendo sategit. Tandem inter diversos clamores castellum unum ducis, quod Mulsberg vocabatur, in detrimentum pagensium esse comperiens, diruere iubet; ut non restruatur, commonitione[h] potentissima monet.

a) Tietboldi 1. 2. b) tietoboldus 1. c) Barduinus 1. d) *ita Leibn.* sit 1. 2. e) MXV 2. *an* XVM? f) et sic 1. 2. g) Mosellensibus 1? 2. h) communitione 1. 2.

46) Hoc quoque loco Adalboldus Thietmari narrationem ampliavit. 47) Adalboldus hos numeros apud Thietmarum haud invenit.

20. Colloquio potenter habito, Aquasgrani ire decrevit, ut ibi et anniversarium 1003. imperatoris debita devotione recoleret, et Lotharienses ad se confluentes ad fidelitatem Thiet. V, 17. sui et ad utilitatem regni corroboraret[a]. Interim infirmitate gravissima tangitur, et rex cum sit, homo esse monetur. Iter tamen coeptum finivit, et Aquas usque pervenit. Ibi commemoratione consanguinei et senioris sui[48] devotissime habita, plurima de sanctitate Ian. 24. sancti Servatii audiens, Traiectum ivit, ut et sanctorum ibi quiescentium sibi intercessiones imploraret, et ad servitium Dei locum et vitam canonicorum ordinaret. Ibi primum de bello inter Italicos et Teotonicos habito audivit, et, quod sapientis est, aequanimiter tulit; sciens, nec coelum semper posse serenari, nec res humanas sine intermissione prosperari.

21. Inde, sancti Lamberti merita non parvipendens, Leodium venit. Ibi colicam V, 17. infirmitatem ab antecessoribus suis sibi ingenitam gravissime patitur; et qui per regalem potentiam usu humanae fragilitatis extollitur, per corporalem molestiam paterna castigatione reprimitur. Aquasgrani iterum revertitur, purificationem sanctae Dei genitricis Febr. 2. celeberrima devotione veneratur. Lothariensibus data licentia, inde discessit, et Noviomagum venit. Ibi pluribus diebus quadragesimae moratur, Deo quae Dei sunt reddens, et hominibus quae sua sunt faciens.

22. Interea Blademarius[b] dux Boemensis moritur, et Bulizlavus infidelitatis venenum V, 18. ex propriae iniquitatis fonte potatum in contrarietatem regis evomere nititur. Nam Pragam, quae caput est Boemiae, per pecuniae deceptiones, per falsas promissiones, per astutissimas fraudes invadit. Milzaviam quoque, Saxoniae et Poloniae interiacentem V, 10. marchiam, insidiis, quibus edoctus erat, suae infelicitati subicit. Quod cum regi nunciatum esset, non inflammabatur, non stomachabatur, non ad vindictam repentinis V, 19. motibus animabatur; sciens, quia ira et festinatio semper inimicae sunt consilio. Sed notitiam dictae invasionis dissimulans, mandavit ei per legatos sapientes et eloquentes, ut terram suam, quae principe noviter erat viduata, non invaderet, quam, si vellet, cum gratia sua et dono voluntario adquirere posset. Huiusmodi legationem Bulizlavus audiens, infelix mandata sprevit dulcia, amara quandoque passurus verbera. Erat enim Hezelo cum eo, puteum fodiens rebellionis, de quo infidae[c] bibiturus erat aquam confusionis; laqueos quoque connectens, casurus in ipsos. Quadragesima finita, rex Quiteleborg[d] pascha celebrat, et Bulizlavi violentiam ut sapiens scienter ignorat. Mart. 28. Ottonem quoque et Ernestionem, tunc sibi obviam ab Italico praelio venientes, pro vulnerum susceptione, pro necessariae fugae confusione, donis regiis honorat et debita consolatione relevat. [Rederarios et Liuticos[e]] quoque, tunc usque Saxonibus infestos, ultro venientes suscipit, et sub benignitatis discretione sibi fidelissimos reddidit.

23. Post haec in diebus rogationum Meresborg moratur, ibique ei de Bulizlavi V, 20. et Hezelonis contumacia renunciatur. Ipse credere dissimulans, inde discessit, et ad celebrandam pentecosten Halberstete venit. Mai. 16. Deinde in Bavariam tendit, scire volens, an quae de Hezelone dicebantur vera essent. Quo cum pervenisset et Hezelonis furorem circa loca sibi finitima irrationabiliter accensum comperisset ac Bulizlavi adiutorio illum fretum esse novisset, Bulizlavo talionem in futuro[f] reservans, a sinu regni sui insitae pestis radicem primum extirpare decrevit, ut, interioribus quieti et paci restitutis, exteriores inquietationes facilius postmodum extingueret, non ignorans, quoniam insipientis est, in vulnere repente cutem sanare et contusionem carnis sub sanatione cutis occultare. Vulneris enim curatio, si ab interioribus ad exteriora deducitur, firmior in superficie concluditur.

24. Interea et Ernesto eidem rebellioni adiungitur, nulla laesione coactus, sed vel V, 20. iuventutis fervore vel per eum commoda sua amplificare quaerentium suggestione seductus. Domnus Bruno[g] etiam, frater regis Heinrici et episcopus, associatur, aetate iuvenis, et per iuventutem ad seducendum facilis. Et hoc infidelium erat gloriatio, quod in partibus suis fratrem regis habebant. Haec ergo conspiratio, quanto iuniores et insipientiores collegit, tanto turpius et enervius defecit. Dicitur enim: *Insipientium glomeratio consilii est dissipatio, et consilii dissipatio actuum est enervatio.*

a) *ita Leibn.* corroborat 1. 2. b) Baldemarius 1? c) in fine *corr.* L. d) qui Teleborg 2. e) *Haec ex Thietmaro supplevi; in codice lacuna est.* f) futura 2. g) pruno 1. 48) Ottonis tertii.

1003. Aug. Thiet. V,20. 25. Rex igitur quosdam Lotharienses et Francos ac Bavarios colligens, intrante Augusto in Franciam exercitum super Hezelonem duxit; bona eius devastavit, ipsum cum domno Brunone et Ernestone per silvas latitare coegit. Tandem se ad castellorum munimenta[a] contulit, quae capi posse, nec Hezelo timebat, nec aliorum quisquam credebat. V,21. In primo igitur impetu Mertala[b] diruitur, et Hezelonis milites in ea capti per intercessionem principum sani et salvi permittuntur abire. Sclavi autem, a Bulizlavo[c] in adiutorium missi, in servitutem exercitui distribuuntur.

V,21. 26. Post haec rex Crusinam obsedit, ubi uxor Hezelonis ac filii erant et quaeque illi cariora esse poterant. In qua obsessione in primis post annonam[d] incaute exeuntes ab Hezelone ceterisque suis coadiutoribus vulnerabantur, capiebantur, occidebantur. Rex hoc cognito, cotidie quadringentos custodes exeuntibus adhibuit, ut et hos custodirent, et insidias insidiantibus pararent. Hoc Hezelo cum sociis audiens, se in vallem quandam recepit, in[49] quam nulli nisi per semitam unam patebat introitus; ibi tentoria fixit, ibi noctibus, nescio an tribus aut duabus, quasi tutus de rapina pauperum vixit. Hoc custodes per rusticum unum comperientes, circa horam sextam, in qua illi se pro aestu diei remissius habebant, in vallem latenter descenderant, loca plurima circumeuntes et diligenter Heinrici castra quaerentes. Tandem unus eorum tentoria videns, nimis festinus ad invitandum socios kyrie eleison coepit clamare et hoc, ut citius veniant, frequenter iterare. Haec Hezelo percipiens, relictis tentoriis, armis etiam, fugam inivit, et a manibus supervenientium se vix liberavit. Domnus[50] Bruno quoque, parmula non bene relicta, qua extra se positus utebatur, hos, quibus imperare posset si cum fratre maneret, turpiter fugit, et fit risus, qui honor esse debebat et decus. Sed haec iuventutis erant. Dicitur enim: *Qui sine freno scientiae a iuventute ducitur, in dedecoris angustias saepe praecipitatur.* Et haec iuventutis fuisse, aetas postmodum monstravit adulta, quae illum reddidit et utiliorem sibi ipsi et fideliorem fratri. Ernesto capitur et ante regis praesentiam ducitur. Quidam ilico regi suggerebant, ut hunc capitali sententia feriri iuberet, quatenus per eum posteri castigarentur, ne regis offensam incurrere sine causa niterentur. Sed Moguntinus archiepiscopus, qui summum locum impetrandi quaelibet apud regem tenebat, intercessor accessit, et iuvenem legi surripuit mortique subtraxit. Tandem a rege Crusina capitur, diruitur, incenditur. Uxor Hezelonis cum suis abire permittitur, et hoc ei per intercessionem fratris suis Ottonis conceditur.

(Hor. Od. III, 7, 10.)

V,23. 27. Hezelo captam esse Crusinam audiens, ad quandam suam munitionem, quae Crana[e] vocabatur, fugiendo pervenit, et ibi Sigefridum quendam Saxonem, perversae conspirationis participem, obvium habuit. Sed nec illic spem resistendi regiae irae habens, eandem munitionem idem ipse succendit, et miseriam suam celare nesciens, quantae desperationis esset, monstravit. Haec Sigefridus Saxo perspiciens, a spe coeptae rebellionis cecidit, et qui per alienam fiduciam contra regiam maiestatem intumuit, alienae confusionis acredine tactus crepuit. Illuc igitur eum venisse puduit, et quanto citius potuit, ad propria remeavit. Hezelo vero cum domno Brunone ad Bulizlavum quasi refugium unicum fugit, et quod cuique est gravissimum, quasi mendicus alieno pane vivere discit. Interea rex Cranam perveniens, causam sui adventus per manus hostis invenit expletam. Venit enim, ut destrueret; sed hostis destruxit, ne ipse destruendam inveniret.

V,23. 28. Hezelone igitur fugato, et castellis eius dirutis, rex Paveberg locum unice sibi dilectum rediit, ibique exercitui data licentia, nativitatem sanctae Dei genitricis celebravit. (Sept. 8.) Inde in silvam Speicheshart, quae Bavariam a Francia dividit, veniens, post laborem expeditionis delectationem exercuit venationis. Ibi autumnavit, ibi ad recreationem sibi suisque iocunditatem plenam exhibuit. Inde per Franciam morose transiens, in Saxoniam venit, et Toringis ac Saxonibus in Milzaviam[f] expeditionem futuram indixit. Exinde Poledae nativitatem Domini celebravit.

a) munimina? b) Amardela *Thiet.* c) autem buzislao 1. 2. d) annona 1? 2. e) Erana 1. 2. *et infra.* f) milsaviam 1.

49) Nota, quomodo Thietmari verba ampliaverit et perverterit, qui tantum dicit: *hostemque secretiora cuiusdam vallis petere loca coegit. Quem ibi castra metantem rustici etc.* 50) Haec de suo noster.

29. Anno ab incarnatione Domini millesimo quarto, indictione secunda, ab archiepiscopo [1004. Thiet. V, 24.] Magdeburgensi[a], Giselario nomine, qui pluribus annis paralysi tactus a metropolitana civitate exire non poterat, rex invitatur. Ductus pietatis affectu, obediens extat, et ad visitandum archiepiscopum Magdeborg tendit. Quo cum pervenisset, archiepiscopus iam viam universae carnis iniit; et qui regem expectabat, ad Regis regum praecepta migravit. In cuius successionem Tageno regis capellanus ilico eligitur, et in sedem episcopalem, clero et populo collaudante, extollitur. Inde rex Meresborg progreditur, [Feb. 2] et ibi purificatiônem sanctae Dei genetricis debita reverentia veneratur. Ibi [VI, 1.] etiam Tageno archiepiscopus a suis suffraganeis consecratur.

30. Post haec collectis Toringis et Saxonibus, rex in Milzaviam intrat, munitiones, [VI, 2.] quas Bulizlavus occuparat, expugnare volens; sed huiusmodi dispositum hiemis asperitas intercepit, et effectum, qui expleri leviter in aestate posset, regiae voluntati denegavit. Omissis igitur munitionibus, terram devastat, hanc incolis deputans culpam, quod pecunia corrupti, ex fide Bulizlavo non restiterint. Inde Meresborg revertitur, iuxta decursum Albis marchiones statuens[51], qui et Saxoniam et[b] Bulizlavi incursum latrocinandi [51] custodiant, et ipsi Bulizlavo assiduae inquietationis molestias inferant.

31. Interea Hezelonem[c] coepti poenitet, et sub alieno pane diutius vivere pudet, [VI, 2] solivagum etiam inter alienos exulari taedet. Eligit ergo potius periculum mortis inire quam sic vitam ducere. Tandem revertitur, et fidis quaesitis intercessoribus, Meresborg se maiestati regiae reddit. Sic contra stimulum calcitrans, bis aculeum sensit, quia et sua perdidit et semet ipsum alienae potestati tradidit. Domnus Bruno autem apud Bulizlavum consolationem non inveniens, ad sororem suam Ungaricam reginam confugit, et etiam semet ipsum recognoscens, intercessionem eius imploravit.

32. Rex interea iniuriae, quam Teotonicis Itali intulerant, non immemor, a Saxonia [VI, 3.] discedens in Bavariam venit. Ibi Heinrico, fratri reginae, in festivitate sancti Benedicti [Mart. 21.] ducatum Bavariensem concessit. Tandem illi Augustam venienti, quae in confiniis Bavariae et Alemanniae sita est, Lotharienses, Franci et Alemanni obviam veniunt, ad ulciscendam iniuriam Teotonicis illatam voluntarii, et regio honori per omnia deservire parati. Cum his inde progrediens, ut congregaretur exercitus, in loco, qui dicitur Tinga[d], substitit. Ibi ei domnus Bruno, cum legatis Ungarici regis, qui ad intercedendum pro eo veniebant, ad se reversus, obviam venit, et veniam pro commissis humiliter postulans, fratris viscera movet et celeriter ad ignoscendum inflexit. Nam in proverbio dicitur: *Cuique modesto fratris lacrima cito movet viscera, et proximi calamitas propria fit anxietas.* Qua decuit ergo pietate recepit, et receptum qua debuit familiaritate sibi colligavit.

33. Inde promovens exercitum per loca sterilia, per montana aspera, per silvas [VI, 4.] spatiosas, per vias lubricas, ad Tridentinam civitatem pervenit. Ibi in die palmarum [Apr. 9.] qua oportuit celebritate suos diurnare fecit. Huius adventum Harduinus rex adulterinus praesentiens, ad clusas quos sibi fidelissimos existimabat custodes transmisit, et quantumcumque potuit exercitum coadunare festinavit. Deinde in planitiem Veronensem venit, eventui primo similem in futuris exitum sperans.

34. Haec Heinricus rex percipiens, ad alias vias se contulit, non ut declinaret [VI, 4.] praelium, sed ut faciliorem sibi quaereret introitum. Erat enim impossibile, per clusas iuxta Athesim, quas Harduinus cum plurima multitudine tuebatur, transire. Interea capellanum quendam suum[52], Helmigerum nomine, ad Carentanos praemittit; ut clusas [52] longe a via recta sepositas, quae ab Harduino minus caute tuebantur, praeoccuparent[e], mandat. Non enim quisquam credere poterat, ut regalis exercitus per vias tam difficiles et angustas transire vel vellet vel posset. Carentani regiis mandatis obediunt, et Helmigero suadente, in duas turmas dividuntur. Una ante lucis ortum, omissis equis, latenter clusis superpositum montem occupat, altera lucescente iam die, signo ab his qui in monte erant audito, ad clusas expugnandas festinat[f]. Custodes nihil de his, qui

a) magdesburgensi 1. b) contra? c) Helizonem 1. d) *ita Thietm.* Omuga 1. 2. Ottinga *Leibn. voluit.* e) praeoccuparet 1. 2. f) festinant 1? 2.

51) Thietmari verba male interpretatus, rem sane inauditam et prorsus falsam noster tradit. 52) Helmigerum apud Thietmarum frustra quaesieris.

1004. montem occupaverant, scientes, ad resistendum clusas impugnantibus accedunt. Repente in monte latentes exsiliunt clusasque defendentibus a dorso infeste superveniunt. Custodes se deceptos esse percipientes, alii se in fugam miserunt, alii in praecipitium, alii in Brentam aquam subcurrentem. Hac expugnatione Carentani clusas tenentes, regem expectant. Haec rex per capellanum suum, quem praemiserat, resciens, festinavit ad clusas; et impedienta relinquens ac secum ad pugnam expeditos sumens, cum maxima difficultate transivit.

Thiet. VI, 4. 35. Deinde in planitiem veniens, super aquam Brentam tentoria figere iussit, ut ibi dies solemnes maioris hebdomadae digna devotione veneraretur. Non enim ei bonum esse videbatur, ut in illis diebus, in quibus Conditor pro conditis, Creator pro creatis, Dominus pro servis capi, flagellari, crucifigi, sepeliri in agnitionem suae caritatis voluit, indiceretur aliqua congressio, ex qua violenta christiani sanguinis fieret effusio. Ibi ergo ab archiepiscopo Coloniensi chrismatis fit consecratio, illis partibus tunc valde 53 necessaria[53]. In duodecim enim episcopatibus circa introitum Italiae illo die pro confusione praesenti nec episcopus erat nec chrisma sacratum. Ibi a toto exercitu coena Apr. 13–16. Domini devotissime ad memoriam reducitur. Ibi parasceue, ibi sabbatum sanctum piis affectibus colitur. Insuper pascha Domini et digna veneratione celebratur et pia celebratione veneratur. Post haec rex palatino comiti praecepit, ut per bannum regale exercitui toti fuga interminaretur; adderet etiam, ut, si quis fugere praesumeret, plectendum se capitali sententia sciret. Huiusmodi banno per exercitum audito, rex aquam in Apr. 18. tertia feria paschalis hebdomadae transivit, ibique tentoria iterum figere iussit, expectans nuncios, quos ad explorandum locum, in quo Harduinus cum suis hospitabatur, praemiserat.

VI, 5. 36. Interea, qua ratione nescio, Langobardorum unanimitas seiungitur, et ad resistendum discordes, omnes ad propria redire festinant. Sive hoc timor egisset, sive amor regis Heinrici, seu Harduini execratio, illorum qui interfuerunt scientiae relinquo. Hoc tantum scio, quia illius providentia non abfuit, cuius benivolentia et cuique quod vult sine lite concedit, et quod vult occultis iudicii causis per pugnam discerni consentit. Patet igitur Heinrico regi introitus, qui per laborem sperabatur, per quietem a vera quiete concessus. Venit ergo Veronam, recipitur a civibus, acclamatur, collaudatur, coronatur. Occurrit ei obviam Tietoldus marchio, occurrunt et ceteri plures, a faucibus erepti furoris et spei redditi libertatis. Inde Brixiam progreditur, et ab episcopo civibusque cum omni alacritate recipitur. Ibi archiepiscopus Ravennas cum suis et sibi finitimis ei obviam venit, et manus nondum dominio adulterino pollutas seniori diu expectato reddit. Inde rex Pergamum venit, et Mediolanensem archiepiscopum per manus et sacramenta recepit. Inde Papiam. Ibi a multitudine maxima nobilium Langobardorum, qui ad suscipiendum eum congregati erant, per dignos applausus recipitur, et cum exultatione totius civitatis ad sancti Michaelis ecclesiam ducitur. Ibi clerus, ibi nobilium coetus, ibi pleps utriusque sexus, omnes unanimes uno ore Heinricum regem acclamant, collaudant, collaudatum per manuum elationem designant. Collaudatus igitur coronatur, coronatus ex debito ab omnibus honoratur. Ad palatium deinde cum omni iocunditate reducitur.

VI, 6. 37. Tandem, declinante iam die, diabolus, pacis invidus, concordiae inimicus, discordiae seminator fervidus, quo post mysterium corporis et sanguinis dominici Iudas ad perpetrandum nefas infandissimum suscepto intumuit eodemque suadente in supplicium perpetuitatis crepuit — is et cives post manuum redditionem, post fidei promissionem, post sacramenti securitatem, nulla, quae in rationem digne deduci posset, laesione coactos, adversus regiam maiestatem, veneno ebrietatis immisso, commovit. Hoc itaque suasore armantur, hoc stimulatore incitantur, hoc ductore ad palatium properant, hoc ordinatore moenia cingunt. Quidam etiam intererant instigatores, qui per propriam conscientiam turbidi, sub Harduino malebant per illicitas rapinas vagari, quam sub Heinrico freno iustitiae ac legis adstringi. Fit strepitus, exsurgit sonitus; in palatio statim auditur, sed quia nemo talia post fidem eodem die promissam credere poterat, non cito

53) Valde Thietmari verba ampliata et satis male sunt explicata.

intelligitur. Rex tamen, quid sit, explorari iubet. Renunciatur civitatis furor, renunciatur 1004. plebeiae animositatis insania. Hanc Coloniensis archiepiscopus, qui cum rege erat, compescere se posse sperans, per fenestram suspexit, causasque tanti furoris inquirere coepit; sed lapidibus et sagittis supervenientibus, vix eum coeptum finire sermonem licuit. Animositas enim Langobardorum nimium fervebat, et ex eventu bellico contra Ottonem ducem adhuc contumaciae vires habebat.

38. Instant ergo palatium perrumpere Langobardi, resistunt regis domestici, quamvis Thiet. VI, 6. pauci. Erant enim Teotonici partim cum equis, partim per hospitia, partim per castella illi comitatui finitima. Rex[54] ilico per indignationem in iram efferbuit, et cum his quos secum habebat armatus exire voluit, numerum militum suorum spe supernae gratiae supplens. At Coloniensis archiepiscopus toto quo poterat nisu cum his, qui sanae mentis erant, regem retinebat, sciens, quia capite perdito nulla spes evasionis superesset in membris. Interea invalescente clamore, Teotonici congregantur, complicibus iunctis, ad palatium tendunt, Langobardos ab effrenato furore paulisper compescunt. Tandem noctis densantur tenebrae, et lapidum ac sagittarum iacula Teotonicis fiunt infestissima. Necessitas rapit consilium, et ad providenda iacula citissime facit incendium. Cum multo igitur sudore Teotonici muros civitatis impugnant, cum multo timore Langobardi pro vita repugnant.

39. Tunc iuvenis quidam, frater reginae, Gislebertus nomine, a Langobardis vulneratur. VI, 6. Pro cuius lethali vulnere Teotonici irritantur, et prae furore contra iacula caeci, muros civitatis expugnant, ac inrumpentes, sanguinem iuvenis, stimulum scilicet furoris, vindicare festinant. Quorum quidam animo ceteris ardentior, Volvrannus nomine, se iniecit in media Langobardorum agmina, et gladium, quo accinctus erat, extractum, uni eorum prae ceteris insanienti ab acumine galeae usque in iugulum viriliter infixit, ac dicto citius inter suos se illaesum recepit. Per totam igitur noctem pugna gravis habetur, et ancipiti termino suspensa, modo hos, modo illos sub victoriae spe audaciores et expeditiores reddit. Aliquando etiam Teotonici, testudine ex clypeis composita, eorum irrumpebant agmina, et quosdam vivos ex eis captos regi repraesentabant.

40. Interea palatium[55], quod Teotonicis aliquando fessis unicum erat refugium, VI, 6. accenditur et incenditur casumque minatur. Sed spe sublata refugii, magis animus eorum accenditur, et ad congrediendum iterum Italis ferventius incitatur. Clara itaque iam die, Alemannis, qui tardius huiusmodi negotia resciverant, longe a palatio muros civitatis frangentibus, Lotharienses et Franci Langobardos iterum ante palatium graviter persequi coeperunt, et eos fugere usque in moenia propria compulerunt. Sed iaculorum a tectis venientium densitatem diutius sustinere non valentes, ignem coacti domibus immittunt, et ferro et flamma stragem civium miserabilem faciunt. Tandem Teotonicorum ira, facile expleri nescia, satiatur caede plurima, et postmodum, nullo iam resistente, se confert ad spolia. Sed iam incendio nimium invalescente, rex a rigiditate mentis suae flectitur, suisque, ut a coepto desistant, pietate motus imperat. Quos vix compescens, diutiusque concremationis foetorem ferre non valens, ad munitiunculam quandam, quae sancti Petri Cella aurea vocatur, se contulit. Cives autem vix respirantes, regem sequuntur, et ut indulgeat ebrietati, obnixe precantur. Fit eis remissio, fit eis indulgentia. Sed facilis est indulgentia, postquam culpam excedit poena. Sic igitur quos bellum adversus Ottonem effecit turgidos, noviter induta humilitas supplices reddidit atque subiectos.

41. Domita ergo Papia, tota concutitur Italia, ac indigenae omnes ad regem non VI, 7. invitati confluunt et per omnia praeceptis eius obediunt. Civitates etiam, ad quas rex nondum venerat, obsides ultro transmittunt fidemque debitam per sacramenta promittunt. His expletis, rex in quendam locum, qui Pons longus vocatur, venit; ibique Langobardorum innumerabilis multitudo accessit, seseque ad obsequendum per omnia regiae maiestati subiecit. Ibi habito colloquio, regnique depositis[a] negotiis, amore sancti Am-

a) *fort.* dispositis. GR.

54) Haec sibi Adalboldus excogitavit. 55) *una domus* Thietm.

1004. brosii ductus, Mediolanum divertit, cuius linguae libertatem et morum eximietatem amabat. Huius ceterorumque quiescentium intercessione implorata, in prata Pontis longi revertitur, ibique Langobardos de repentino discessu eius conquerentes, festini reditus
Iun. 4. solatur promissione. Inde Chromo perveniens, pentecosten sanctam pia animi devotione celebravit. Inde discedenti Tusci ei occurrunt, et manus per ordinem singuli reddunt.

42. Post haec rex, iniuriam a Bulizlavo sibi illatam tenens mente repositam, repa-
Thiet. VI, 7. triare festinat; et per montem Cenerem[a. 56] in Alemanniam properat; sciens, quia terra puerili subiecta regimini laxis persaepe habenis utitur et ex proprii arbitrii tumultuaria diversitate per diversa praecipitia rapitur. Iam enim dux Herimannus obierat, et filius suus ducatui a rege substitutus erat; qui nimiae iuventutis adhuc nec semet ipsum regere sciebat. In[57] loco ergo qui Turegum dicitur rex colloquium tenuit, omnesque pro pace tuenda, pro latrociniis non consentiendis a minimo usque ad maximum iurare compulit. Sic tota Alemannia sub pacis quiete statuta, in Alsatiam venit, et in Argen-
Iun.23. tina civitate, dum in vigilia sancti Iohannis colloquium cum Alsatiensibus haberet, domus, in qua ad legem et iustitiam faciendam sedebat, repente corruit, unique presbytero, qui cum domina una anathematizata manere solitus erat, cruris ossa confregit. Ille solus obiit, alii nihil praeter timorem passi sunt; sed in illius interitu didicerunt,
Psalm. 17, 27. quod saepe per psalmistam audierunt: *Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.* Post haec rex Moguntiam venit, ibique solito pietatis affectu apostolorum solem-
Iun.29. nia celebriter peregit.

VI, 8. 43. Tum per orientalem Franciam transiens, in Saxoniam festinat, cor suum indignationis pondere gravatum super Bulizlavum vindicta potenti relevare disponens. Indicitur Saxonibus, Bavaris, Francis orientalibus expeditio; in medio Augusto terminus datur promotionis, ut, frugibus inde praecollectis, abundantia comes exercitui esset.
Aug. Mediante igitur Augusto Meresborg Saxonum fit congregatio. Rex autem nemini suorum familiarium fateri volebat, sive in Poloniam sive in Boemiam vellet, cognoscens Bulizlavi flexuosas versutias, quibus per quosdam sibi occultos amicos etiam secreta regia rescire solebat. Sed naves a Magdeborg usque Citizam congregari iubens, quasi in Poloniam velit, transitum futurum simulat. Id omnibus sperantibus, repente in Boemiam exercitum ducit, quaerens inprimis propria recipere, deinde pro vindicta aliena invadere, non tamen penitus aliena, quae regni sui pati iuga dēbebant.

44. Interserere libet quiddam, quo audito datur intelligi, raro esse culpam, quam non sequatur vindicta, nisi praemunierit eam poenitentia. Mortuo Bulizlavo seniore, Boemiensi scilicet duce et istius Bulizlavi de quo nunc agitur avunculo, tres filii super-
V, 15. stites ei remanserunt. Quorum primogenitus, Bulizlavus nomine, adepto post patrem ducatu, crudelius coepit vivere quam terra illa pati vel vellet vel posset. Indigenis igitur illum pro nimia crudelitate execrantibus, timere coepit, ne a fratrum suorum aliquo, Pragensibus id instigantibus, extruderetur. Ex mala ergo conscientia concepta suspicio instigavit eum ad scelus nefandissimum, perduxit etiam ad facinus execrandum. Nam fratrum suorum unum eunuchizavit, alterum in thermis suffocare temptavit. At illi, unus eunuchus, alter semivivus, in Bavariam, a paterna hereditate exclusi, fugerunt. Rex Heinricus hac impietate commotus, Blademario, de quo iam diximus, ducatum Boemiensem dedit.

V, 18. 45. Illo mortuo, Bulizlavus, Bulizlavi filius, Bulizlavo, Meseconis filio, in societatem conspirationis adscito, ducatum contra regis voluntatem tenere temptabat. Inter illos ergo duos Bulizlavos fit amicitia ficta, fit societas subdola. Saepe alter ab altero invitatur, saepe alterius sumptibus iocunde convivantur, latente tamen igni sub cinere. Tandem Bulizlavus, Meseconis filius, iocunditatem Pragae et amoenitatem Boemiae promissae praeponit amicitiae, et ut, nepote suo qualibet ratione eiecto, tantae terrae principatu potiri possit, fraudum suarum intima scrutatur. Invitat eum ad convivia, et diversa praebet ciborum genera, amara demum propinaturus pocula. Satiatum enim illum militibus suis commisit, et ut eductus excaecaretur, oculorum nutibus ad similia

a) celerem 1. 2.

56) Haec solus Adalboldus. 57) Haec non Thietmarus.

edoctis innuit. Implentur impietatis iussa, et committuntur iniquitatis opera. Sic, qui fratrem eunuchizavit, a consanguineo et socio suo deductus periit, quique fratrem in consortio principatus parem habere noluit[a], per supplicium passionis factus est suppar et inutilior. Hoc ergo excaecato, Bulizlavus, Meseconis filius, ut superius dixi, per fraudes flexuosas, per versutias sibi semper pedissequas, per promissiones infinitas, Pragam et totam Boemiam invadit; ac dominio taliter adepto, turgidus per loca regio exercitui pervia castella firmissima munit. 1004.

46. Interea rex cum Saxonibus veniens per montem quendam, in quo iam Bulizlavus munitionem quandam ad contradicendum introitum firmaverat, praemissis in nocte marchionibus[58], cum maxima difficultate in Boemiam intrat. Cuius introitum ut Boemienses senserunt, quidam pavore regiae praesentiae exanimati, castellum unum cum semet ipsis regi reddiderunt. Illud ilico rex Iarameri[b] eunucho, fratri caeci Bulizlavi, quem secum nativam in terram pro pietate reducebat, cum summa benivolentia concessit. Deinde iter suum protelando per terram illam progreditur, expectans Bavarios, quibus non idem qui et Saxonibus in Boemiam erat introitus. Thiet. VI, 8.

47. Sed cum illi adventum suum protraherent, rex ad quandam civitatem quae Satiza vocatur cum Saxonibus tantum pervenit. Cuius potentia visa, cives non mediocriter turbantur, et statim de pace quaerenda ac regis gratia impetranda meditantur, portas ilico civitatis aperiunt, et conditione adipiscendae gratiae intersita, Polonos, quos Bulizlavus eis ad tuitionem eiusdem loci adiecerat, eiciunt; et eiciendo quosdam membrorum abscisione deturpant, quosdam ab locis altissimis praecipitant, quosdam etiam interimunt, ut et iniurias ab eis sibi illatas ulciscantur et honori regio per omnia satisfaciant. Tandem huius crudelitatis fervor regis animum perculit et ad contradicendas eiusmodi insanias insita pietate inclinavit. Iam vivi educuntur et regi repraesentati in ecclesia. Post haec civitas tota se regi reddidit, et quia debuit, fidei promissione per sacramenta, per obsides obligavit. Interea fama volitat, Bulizlavum a Pragensibus conspirationis vinculo colligatis esse interemptum, et quamvis mendax, fideles tamen Bulizlavi exterritat[c] . . . . VI, 8.

a) *ita Leibn.* voluit 1? 2. b) Larameri 1. 2. c) *ita codex desinit.*

58) *loricatis militibus* Thietmarus.

ALPERTI OPERA.

Alpertus, Sigeberto auctore[1] *sancti Symphoriani Mettensis monachus, saeculo* 1 *XI. ineunte duos libellos composuit, alterum de episcopis Mettensibus Constantino abbati*[2] *inscriptum, cuius quod unum extat fragmentum*[3] *de Deoderico praecipue agit, alterum, quem de diversitate temporum vocavit, ad Burchardum Wormatiensem episcopum*[4]. *Priore quaedam memoratu dignissima ad historiam annorum* 978—984. *facientia tradit, quae a viro in obsequiis Deoderici I. episcopi quondam assiduo compererat*[5]*; de Adalberone II. et Theoderico II. pauca tantum addit, quae nostrum ex partibus Adalberonis III. et Theoderici ducis contra Theodericum episcopum stetisse, ideoque ante annum* 1017. *scripsisse indigitant. Liber, catalogum episcoporum Mettensium sancto Clementi ostensum secutus, Alpertum aliquando in Mettensi diocesi versatum cleroque* 6 *Mettensi adscriptum fuisse probat*[6]*, nec tamen Mettis conscriptus est, quum Constantino abbati directus*[7] *non autem oblatus esse dicatur. Certe libros de diversitate temporum Alpertus minime Mettis*[8]*, sed in diocesi Traiectensi, cuius clero sub Ansfrido et Adalboldo episcopis adscriptus fuerat*[9]*, in ecclesia aut monasterio e sinistra Rheni*[10] *sito, Traiecti fortasse*[11] *aut Noviomagi praesens, composuit; et quum Adalboldi episcopi librum de gestis Heinrici II. imperatoris ante oculos haberet*[12]*, res potius provinciae quam imperii enarrandas sibi proposuit. Narravit igitur quae aut ipse expertus fuerat*[13] *aut a viris qui ipsi fide digni videbantur audierat*[14]*, res tempore Ansfridi et Adalboldi in diocesi Traiectensi gestas, nullo partium studio*[15] *ductus, at in homines improbos et nefarios acriter invectus. Libro primo de rebus Ansfridi, secundo de rebus Adalboldi episcopi agit. Scripsit anno* 1021.[16] *aut* 1022*, defuncto iam Balde-* 18 *rico*[17]*, sed ecclesia cathedrali Traiectensi nondum consecrata*[18].

Liber ad intelligendam terrae illius historiam valde utilis, una cum historia episcoporum Mettensium saeculo XI. in manus Sigeberti Gemblacensis,

1) De SS. eccl. cap. 143. 2) de eo v. supra pag. 658. 3) Ad deperditam operis partem pertinere videntur, quae Hugo Flaviniacensis libro II. tradit: *domnus Fingenius Scottorum progenie oriundus . . . . Cuius adventum peregrinationem et conversionem qui plenius nosse desiderat, in vita Theoderici eximii Metensis episcopi sciri potest.* 4) ad Theodericum II. Mettensem episcopum, scribit Meurisse in hist. epp. Mettensium p. 349, eo fortasse in errorem ductus, quod ultimum codicis unici caput de Theoderico II. agit. 5) cap. 1. 6) Deodericum vocat „nostrum praesulem“, cap. 1. 7) igitur missus, haud a praesente oblatus. 8) vocat eam „Mettim in Belgis“ I. 5. 9) clericos Traiectenses nostros vocat I. 8, 12, 13; cf. et narrationem de Ansfrido I. 11—18, de mercatoribus Tielensibus et bello contra Frisiones II. 20 sqq. 10) II. 1. 9. 11) I. 14: „Est collis sex milibus a Traiecto“. 12) I. 5. cf. Adalboldi laudes II. 2. 13) e. g. I. 15: „Audivi quendam“ etc. 14) I. 18, 12. II. 14. 15) cf. II. 14. Balderici res Thietmarus eodem fere modo exponit. 16) Initium scribendi fecit Heinrico II. iam imperatore (I. 7.) et postquam Adalboldi liber de Heinrico II. prodierat; opus suum usque a. 1021. produxit, II. 16, 17. 17) a. 1021. 18) Consecratio solemnis ecclesiae cathedralis Traiectensis per Adalboldum episcopum d. 6. Kal. Iulii a. 1023. praesente Heinrico II. imperatore et duodecim archiepiscopis et episcopis facta est; quam certe noster non silentio praeteriisset, si ea peracta scripsisset. Scripsit etiam dum Heinricus II. in vivis erat.

in monasterio S. Vincentii Mettis morati, devenit et ab ipso exscriptus[19] *est.* 19 *Usus est Sigebertus fortasse eodem codice, quem iam manibus tero, unico saltem qui supersit et quem a Roberto Verboeckhorst praeposito S. Ludgeri Helmstadiensis sibi traditum Eccardus in Corpore SS. medii aevi T. I. p.* 91—132. *paucis locis emendavit sed compluribus male expressit. At pars operis, scilicet libri I. capita* 11—15, *Eccardo ignorante iam anno* 1680. *sub titulo* Vitae S. Aufridi episcopi Ultraiectini pars, auctore monacho Ultraiectino S. Pauli, *Tomo I. Maii p.* 431. 432. *in Actis SS. Antwerpiensibus prodierat, ex codice membranaceo vetusto S. Pauli Traiectensis descripta, quem ex codice Hannoverano haud fluxisse apparet, quare eius quoque ratio habenda erat. Editioni igitur nostrae inservierunt:*

1) *C. regius, de quo iam supra pag.* 253. *monui. Constat foliis sex membranaceis in fol. et binis per paginam columnis littera exigua gracilique saeculo XI. exaratus est. Scribam librum non intellexisse, multa loca probant, aut ipsius postea manu aut ab altero eiusdem saeculi scriptore, fortasse Sigeberto, quem numero*

2) *signavi, sed nec ipso interdum verae sententiae callido, correcta.*

3) *Editio capitum* 11—15. *libri primi, in Actis SS. l. c.*

Quibus adhibitis, textum, quantum fieri potuit, pristinae integritati restitutum proponimus.

DE EPISCOPIS METTENSIBUS LIBELLUS.

1[a]. . . . Huius[20] itaque temporibus Lotharius rex Francorum in partem Belgarum regni, 978.
quod[b] sub imperio Ottonis caesaris erat, animum intendit, ut suae ditioni Hrenum usque sibi subiugaret. Nam dum forte Aquis Otto caesar[c] ad conventus agendos tutus et omni timore sublato consisteret, et id per exploratores Lothario regi enuntiatum esset, magnis itineribus ad eum contendit, et de improviso prope castra accessit, ut imperatori vix facultas sui recipiendi relinqueretur, atque in fuga acceleranda emolumenta essent multa relicta, quae omnia praedae hostibus fuerant. Hac felicitate rex sublevatus, spem suis augere et audatius crebras incursiones agere, Mettimque usque proficiscitur; set nulla re navefacta probrosus rediit. Et sicut ex felicitate obrepit insolentia, sic item ex eadem aliquando desidia mentis oriri solet. Praesul itaque Deodericus, quamvis inanes incursus regis forent, tamen eius ineptiae ut reprimerentur statuit. Unde litteris cum legatis ad Ottonem caesarem missis, de his rebus eum certiorem facit, dicitque in tanto suo imperio non debere eum hanc contumeliam diutius pati sibi populisque eius fieri. Quibus auditis, sibi eam rem imperator curae necessario aestimavit esse. Consuesse enim Francos regno eius impetus et rapinas facere, detrimenti et contumeliae illi esse iudicavit. Convocatis itaque cunctis principibus, de illatis sibi iniuriis a rege conquestus est. Hii[d] omnes, consilio dato, armis illi obviandum esse dicebant. Quorum omnium consensu suscipit negotium, et ex omni parte imperii sui, etiam ex Italia, innumerabilis multitudinis cogit exercitum, usque Parisius perrexit, et vastata regione, sine ullius congressione rediit. Erat tum temporis in Francia vir sanctitate et spiritu talis[e], cui divinitus revelatum est, omnes, consilio quorum actum est, ut exercitus in Franciam duceretur, infra septem annorum circulos esse morituros. Cuius prophetiam ita completam colligimus. Nam dum Francia reversus est, mox in secundo anno post imperator in 982.
Calabria contra Graecos duxit exercitum. Ubi dum inconsulte et nimia celeritate, neque

a) *numeros adieci.* b) regnique *c.* c) cesar *nonnumquam c. et alia eiusmodi e. g.* regine, letus, edificia, eger, cepit, presul, cenobium, equavi, *sed plurimum* ę, ae, oe *scribit.* d) Hi 2. e) spiritalis *c.*

19) ad a. 978, 982—984, 997, 1003, 1005, 1006, 1009, 1010, 1020; a. 1018. Baldericum antehabet.
20) scilicet Deoderici episcopi.

982. ut res praelii exposcit, pugnam commisit, omnis nobilitas nostri exercitus gladio et aestu nimii caloris et siti periit, nec unus quidem ex eis superfuit, qui facta posteris
21 nuntiaret. Quo rumore ad aures reginae Theuphanu perlato, quae ab imperatore Rohsan[21] relicta fuerat, statim procaci locutione, ut fert levitas mulierum, conterrales suos — erat enim de Graecia — ad coelum extollere exitumque adversi praelii cum summo probro ad derogationem imperatoris intorquere, qui tanta frequenter virtute[a] laudatus, a suis tam facile sit superatus. Praesul Deodericus, auditis reginae contumeliarum verbis, multum, ut dignum erat, contra eam movetur; et cum de amicissimi ac reverentissimi domini adversitatibus, tum suorum dilectorum[b] militum, et ceterorum amicorum qui occubuerant, maximo dolore affligitur, tamen procacitatem et contumeliam reginae oblivioni non dedit. Hoc ultione divina actum, secundum praedictum sancti illius hominis, a multis credebatur, ut qui in vastationem regni Francorum consilium dederant, ipsi in peregrinis terris sepultura et omnium amicorum solatiis carerent. Ipse vero Otto caesar temerario cursu cum paucis ad naves Graecorum pugnaturus advolavit; a quibus circumseptus — et nullus ei locus evadendi patuit — in mare cum equo insilivit. Super quem tam diu sedit, donec indumenta omnia quibus indutus erat gladio discideret, ut se ad natandum expeditiorem aptaret. A longe vero aspiciens navim, ad quam summo conatu — erat enim peritissimus natatu — tendere cupiebat. Quem nautae natantem cernentes, captum traxerunt in navim. Erat enim quidam in navi cum eis ex natione Sclavorum notus imperatori, qui mox paludamentum quo erat indutus exuens[c], ut eo indueretur et nuda membra obtegeret, tradidit, et nutu quo poterat innuit, suspicionem nautis adimeret, ne animadverterent[d], ipsum, qui esset, esse. Is etiam, adprime persuasionis[e] eloquio idoneus, ait, si monitis suis aurem praeberent et consiliis obsecundarent, fortunatissimos in brevi futuros; non longe hinc abesse Rohsan[f] civitatem: *in qua omnes thesauri Ottonis caesaris sub istius, qui cubicularius eius est, custodia retinentur; quorum maximam partem vobis dandam profecto noveritis, hunc si illuc duxeritis et libertatem frui permiseritis.* His auditis, et invicem se circumspicientibus et multa ad haec inter se conferentibus, tandem, ut est mos humanae cupiditatis, spe pecuniae illecti: *Si, quae pollicitaveris,* aiunt, *re perpetraveris, hortationem consilii tui sine dilatione aggredimur! — Huic pollicitationi,* inquit, *me ipsum et fidem interpono.* Nautae videntes constantiam promissoris, de cuius ore pendebant, semet ipsos cohortabantur, dicentes, extremae dementiae esse, ea quae iure ab eis pro redemptione captivi accipienda essent e manibus amittere. Mox inpulsa navi, venerunt ad praedictum locum Rohsan civitatem, et applicuerunt[g]. Ductor vero eorum cernens omnia sub animi sui voluntate esse convoluta, laetus surgit et paucis cohortatur nautas: ut securi eius reditum expectarent praecepit; se iturum, et celeriter subsecuturos captivi cum pecunia, quam promiserat, adducturum[h]. Qui festinus ingressus civitatem, Deodericum pontificem repperit, qui imperatore proficiscente ad praelium ibi cum regina Theophanu relictus erat, illique omnem rei ordinem expromit, et id cum summo silentio supprimat monet, et ad eum mox veniat; nullum secum, si imperatorem salvum recipere cupit, praeter duos virtute probatos milites sumat. Episcopus gavisus de incolomitate regis domini sui, Liuponi et Richizoni militibus suis, secum pergant[i], iussit; se foras muros civitatis, situs locorum et aedificia domorum visendi gratia, procedere velle. Et exiens altitudinem navis conspexerat — erat enim miro opere secundum Graecorum morem constructa —, et subtili intuitu introitum eius exploravit, et tandem nisu quo potuit, difficilem eius ascensum superavit. Conspicatur ergo dominum longe ab honore regio sedentem, et manibus applosis elevata voce clamavit, rexque ilico haud segniter foras exiluit. Nautae vero primum familiares captivi pecuniam portantes arbitrati; set cum aliter ac rati erant accidisset, arma capere hostibusque resistere temptabant. Milites vero praedicti Liupo et Richezo episcopum, ut celerrime exiret, ammonebant, cunctantem ob timorem submersionis, vi etiam veste scissa de navi eiecerunt, magnoque impetu strictis gladiis in nautas facto, alios interficiunt, alios sauciant; alii sub transtra delituunt, alii certatim

a) *manu* 2. b) delictorum c. c) exiens *corr.* exuens c. d) animauerterent c. e) *ita E.* persuasioris c. f) rohtsan 2. g) apl. 1. h) aduenturum 1. i) peragant 1.

21) Rossano.

se de navi eiciunt, et cum periculo vitae pelago se crediderunt. Rex vero innectens 982. nudis pedibus calcaria et ascenso equo, omnes traxit ad terram. Quibus necessariis liberalitate regia sufficienter attributis et copiosissima pecunia ditatos abire cum pace permisit. Ipse autem cum Deoderico praesule Romam rediit, ibique aeger non post 983. Dec. 6 multos dies moritur; apud Sanctum Petrum in paradyso iuxta oratorium sanctae Mariae honorifice cum maximo fletu tocius urbis sepelitur. His ita gestis, Deodericus praesul, parata profectione, iter domum proficiscendi arripuit, et memor reginae improperii 984 adversus caesarem prolati, secum volvere coepit, qualiter illi sub occasione filii regnandi iura subtraheret. Haec cogitanti res oportuna, ut sibi videbatur, set absque praedestinatione Dei accidit. Erat quidam Noricus nomine Heinricus, vir magnarum opum, desiderio regnandi inductus; quoscumque potuit, adit[a], persuadetque, communem cum eo causam statuant. Multis largitionibus datis, facile eos ad suam sententiam perduxit. Plurimi his persuasionibus illecti se ei dediderunt, et eum super[b] se regem[c] nominaverunt. Ubi haec a narrantibus praesuli nuntiata sunt, divertens ab itinere ad eum profectus est, a quo et[d] magnifice suscipitur, et causa inter eos diu agitata, dolis pseudoregis — erat enim astutus eloquio — praesul circumvenitur; oblatis donis eximiis[e] et pluriora cum maxima potestate regni pollicens, electionem et deditionem fecit, et ad coeptum iter reversus est. Cumque hoc factum late per populos percrebresceret, prorsus[f] erat nullus summus neque minimus, qui eius acta non detestaretur: cum eum locum gratiae apud imperatorem teneret, ut nemo in omni regno potentia, consilio et familiaritate regis eum praecederet, non debere eum tantum facinus[g] contra omnium opinionem adversus filium regis committere. Sicque factum est, ut dum repentinae suae temeritati consulere noluit, multorum ad sui derogationem ora aperuit[h]. Denique cum plurimis principibus eius consilium displicere comperit, quia his insciis haec omnia egerat, magno dolore affectus, domi se continuit, et nusquam digrediens, transgressionem suam occulte secum miserebatur. Post non multum temporis aegritudine superatus in lectum decidit, et circa quintum praedictorum septem annorum decessit, et in coenobio sancti Vincentii, quod ipse construxit et innumeris atque amplissimis accumulavit ornamentis, tumulatus est[i]. Haec in extrema nostri praesulis aetate acta, ab eo qui in eius erat assidue obsequiis cognita, confeci, non comparantia eius superioribus gestis ab illo gloriosissime peractis, quae quia pleniter nota non erant, a nobis praeterita sunt. Verum aliqui quadam miseratione animi mirari solent, quomodo vir talis ac tot virtutibus praeditus ab statu suae auctoritatis tam facile deviare potuisset, ut regi praedicto tam repente sine consilio suorum se subderet. Huic ammirationi responsio nostra hac excusatione facile medebitur. Recenti enim calamitate, atque dolore vehementi quo premebatur ex amicissimi et coniunctissimi viri morte, destitutus et afflictus, et reginae obprobriis stimulatus, simulque regis praedicti assertationibus[k] seductus[l], paene obliviscitur[m] sui, et animo in diversa distracto, quid ageret incertus erat. Set tamen non deerat ei verissimi scientia et ratio consilii, quibus semper prae omnibus pollebat; quin id in brevi resarciri et ad suam pristinam perducere posset dignitatem, illi diutius si vivere licuisset. Verum dum omnium virorum nostrorum causas sublimium considero, nihil in eis repperio, quod non eius vitae eligantia superet; et hoc quisque etiam crimen arrogantiae subit, si existimet, se vitae Deoderici cuiusque iudicio posse comparari. Multi namque non a se ipsis, set ex aliorum beneficiis vel etiam rapinis, locupletes et clari[n] effecti; Deodericus vero longe aliter generositate parentum et excellentia maiorum, ex innata quoque copia magna praediorum clarissimus habetur. Aliter enim, vires eius magnitudinis ab ineunte aetate secum crescere et suae gloriam potentiae usque in finem vitae apud se consistere, impossibile esset. Quam frequens et sedulus circa suae salutem animae fuerit, testimonium est oratorium sancti Vincentii, de quo supra dictum est, in insula Mosellae fluminis foras muros Mettis civitatis opere magnifico ab eo constructum, in quod etiam plurimorum corpora sanctorum ex[o] longinquis regionibus pio studio advecta congessit. Quicquid etiam facultatis coenobio et congregationi

a) adiit 2. b) sub c. c) rege c. d) te 1. e) eximis c. f) prosus 1. g) facnus 1. h) apperuit 1. i) *vocem E. supplevit.* k) asert. c. l) set ductus c. m) obliviscetur 1. n) dari c. o) et c.

divinis sibi obsequiis insistentibus contulit, papae Romanae sedis, praesente caesare Ottone secundo, auctoritate sub anathemate stabilivit. Denique de his omnibus papa privilegium conscribi iussit, et praesule rogante dalmaticam et sandalia abbati sancti Vincentii misit, ut semper abbas loci illius, absente episcopo, divinum officium vice sua in sede episcopali in domo sancti Stephani prothomartyris peregisset.

Hoc opusculum ego Alpertus, nec inter servos Dei nominandus, de praesule nostro digessi, tibique, sancte pater Constantine, ad corrigendum direxi[a], ne aemulus, si quis est qui dormitando sacri vigilantia abhorret studii amplectiturque aegri torporem otii, aliquid in eis ad detrahendum reperiat. Sin autem adhuc post emendationem pertinatiam[a*] deponere noluerit, sumat sibi solatio tua licentia et meo affectu caninam litteram, ut vel sic inconvenienti sono deditus, ridiculum praebeat legentibus.

984. Oct 16. | 1005. Dec. 14. 2. „Item Adalbero annis 22.“ Verba sancti angeli brevia et obscura solent esse, ut in his indagandis piae mentes delectabiliter exerceantur. Ecce etenim dicit: „Item Adalbero“: quasi diceret, istum superiori[22] esse similem et nomine et vita, ut qui concordabit nomine, non discrepabit operatione. Dicitur autem, utrosque[23] episcopos devotissimos in curis pauperum extitisse, et in extruendis et regendis ecclesiis sine defectu perseverasse, unde et nomine et vita merito ab angelo coaequari meruerunt.

1006 | 1047. 3. Haec littera[24] illius[25] nomini, qui in sede nunc substitutus est, minime, ut perspicuum est, congruit; unde et multi opinantur, illum in numero pontificum non computandum, set propter transgressionem populi subpositum, et tamdiu quoad ille venerit qui litteram praenotatam portaverit, episcopatum cessare dicunt. Set nos etiam ad nostram opinionem mittamus manum. Nam existimamus A positam quasi Alter Deodericus, in quo nos quaestio obscura eo angustat, cur non angelus dixerit[b]: „Item Deodericus“; sicut de superioribus dixerat. Denique huius sermonis occulta dum enodare cupimus, occurrit animo, quasi ob duas significationes alterum posuisse, aut ex computatione numeri, qua dicimus[c] „unus“, „alter“, „tercius“, aut ex discretione alterius vitae, ut[d] nomine aequivocos set vita dissimiles futuros innotesceret. Nemo tamen nostrûm vitam illorum discutere poterit, quia solus Deus corda mortalium intuetur, et actus etiam sublimium, qui a nobis aliquando vel adulatione vel amore vel etiam ignorantia venerantur, coram oculis Dei districtioris iudicii sententia examinantur. Illius namque nomen Redemptor noster novit, quem omni cura ovibus commissis factis laudabilis conversationis et virtutum exemplis secundum dignitatem apostolicam praesidere cognovit.

DE DIVERSITATE TEMPORUM LIBRI II.

INCIPIT PROLOGUS.

26 *Frater Immo[26] causa amoris ad me venit; tua sancta studia, venerande praesul Burcharde, fidem, sanctitatem et honestatem morum retulit, et quanta auctoritate construeres et regeres ecclesiam tibi a Deo commissam, ostendit. Eius relationibus, fateor, admodum non solum congaudebam, set etiam condigna admiratione, gratias Deo toto corde rependens, exultabam. Cumque adhuc de tua bonitate pluriora scire desiderarem, quanta meditatione in sanctis scripturis, labore ieiuniorum et vigiliarum, et in caeteris Christi operibus esses occupatus, exposuit. Denique quanto amplius tui mentionem apud nos egerat[e], tanto gratiorem nobis diem et iocundiorem effecerat. Et quia in tam laudabili vita agni-*

a) dirig. correxi 1. a*) pertinantiam c. b) dixerit. dixit c. c) dimſ c. d) uo 1. e) egerit 1. egerat 2.

22) scil. Adalberoni I. 23) Adalberones. 24) A. 25) Theoderici II. 26) Immonem, abbatem Gorziensem, Prumiensem et Augiensem, fratrem Alperti fuisse suspicatur Eccardus; sed Immo diaconus Wormatiensis fuisse videtur, ad quem monachus Tielensis epistolam de miraculis S. Walburgis scripsit, Act. SS. Febr. III. p. 548. Ibi etiam de Immonis fratre sermo est: *Si testem huius signi habere cupis, fratrem tuum, an ita se res habeat, interrogabis, qui hanc, marito suo in illa miserabili caede Frisiorum interfecto, duxit uxorem.* Quem tamen ab Alperto, clerico ut videtur, diversum habuerim.

tus es, quamquam et ante plurimis et praestantibus viris referentibus multa praeclara et illustria de te sint audita, secundum dicta Salvatoris nostri unici filii Dei: „Non potest[a] *civitas abscondi super montem posita, neque lucerna supra candelabrum missa"; tamen* Matth. 5, 14. 15. *interior tua conversatio apertius manifestata, memoriam tui, sigillo caritatis Christi pectori meo arcius impressam, perpetua conglutinatione, si praesumo confiteri, mihi copulabit. Et si angustia familiaris rei in administrandis obsequiis copiam mihi negabit, tamen piae mentis affectus in Christo tibi semper aderit, fulcitus testimonio scripturae, dicentis: „Voluntas bona sufficit omnia". Caeterum nomini tuo istum consecravi libellum de nostrorum dierum hominibus compositum, cui nomen est de diversitate temporum, quia in eo diversa collecta videntur. Non enim pleniter omnia quae de proposita materia scribenda erant collegi, ne verbosior quam debuerim viderer. Et ut propter tuas occupationes sanctissimas fastidium vitarem, brevitati animum in omnibus dedi. At si aemulus quis forte ex adverso emerserit, et livido oculo his inspectis ob invidiam rugam contraxerit, et in hoc me reprehendere temptaverit*[b]*, quod superflue nova et inpudenter inpolito sermone ediderim, eo quod sufficiant libri quos studiosi recipiant, nedum etiam istis imperitis scriptis, quasi inutili fasce, onerentur, et ea causa libellum repulerit: is sciat, eum tuae cognitioni solummodo esse missum, ut tuo iudicio aut aboleatur, aut legendus servetur. Nam spe gratiae tuae confisus, ab hac intentione mentis meae non facile quisquam retraxerit, quin quicquid sentencia tua probaverit, absque ambiguitate id aliorum etiam examinatione sit stabiliendum. Et si demum haec obicientur et arguar, quod omnibus cognita scripserim, tuo consilio perpendant, me hac responsione uti: nota delectabiliter saepius audiri, ut solet fieri in cantilenis, quod, veteribus ex assiduitate fastiditis, novae frequentius in dies repetitae, delectabilius audiuntur. Inter haec noverit tua dignitas, quod etiam ad evitandam ociositatem et desidiam cordis res istas scribendas susceperim; et quia ad opus Dei sive ad alicuius virtutis profectus idoneus non sum, in hoc saltim opusculo miserum animum ab inani curiositate cohiberem. Quod etiam ideo sine nomine auctoris positum est, ut, si displicet, sicut praedixi superius, reseces, sive fossa facta humo operiri iubeas; si vero placet, adposito nomine causa exercicii feliciter legas.*

INCIPIT EPISTOLA DOMNI BURCHARDI EPISCOPI.

Burchardus, sanctae Wormaciensis aecclesiae provisor humillimus, Alperto, speciali suo, gratiae integritatem et plurimam salutem.

Literas tuas, quas nomine meo tibi multum incognito misisti, hilariter accepi, quas etiam per dilectionem pariterque tuam peticionem et ipse legi, et coram me legere praecepi; in quibus studii[c] *ac voluntatis tuae devotionem satis superque cognovi. Set has quociens revolvi, tociens per singula pene verba commotus, nostris pueris praesentibus super hoc dolui, scilicet quod his temporibus sunt nulli, vel vix paucissimi, qui ad studendum inveniantur idonei, vel quibus voluntas sufficiat studendi, cum et hoc negotio unusquisque reficeretur, ac labilis animus a variis tumultuantis seculi commissis interim suspenderetur, necnon cata cautione posteritati sequacium laudabile traderetur exemplum. Omnes autem dilectamento mundanorum illusi et ad deteriora pronissimi, miseris huius seculi vanitatibus inserviunt, et tam delectabiles animarum epulas exercere aut quaerere nesciunt ac penitus neglegunt, sicut scriptum est: „Omnes declinaverunt, simul inutiles facti* Rom. *sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum". Igitur studii tui devotio non* 3, 12. *est inanis apud me, nec videtur vituperanda, set multum laudanda. Nam in dictaminis tui filo, haud segniter tornato, magnas et auctorales causas non titubantibus vestigiis cautissime conservasti. In omni enim expositione auctorali, et in quolibet libro, diversas sex causas quaeri convenit atque expediri oportet, sicut in proemio editionis primae ysagogarum Porphirii Severinus*[d]*, prudentissimus doctor, Fabio exhortante, dicendo instituit: „Primum inquit, docent, quae sit cuiusque operis intentio, secundo quae utilitas, tercio qui ordo; quarto si eius, cuius opus esse dicitur, germanus propriusque*[e] *liber est; quinto quae sit eius inscriptio; sextum est id dicere, ad quam partem philosophiae cuiuscumque*

a) pote 1. b) taemptauerit c. c) studui 1. d) pudentibus *deletum* c. e) propriisque c.

libri ducatur intentio". Haec omnia in libro tuo caute conservasti, set nominis tui inscriptionem non apposuisti. Quoniam autem meo arbitrio hoc iudicandum[a] *reliquisti, ideo sic iudico necnon et iubeo: Titulum libro apponas, nomen tuum fiducialiter inscribas, et unicuique legere volenti liber pateat, ac stabilis inconvulsusque meo iudicio permaneat. Si quis vero, invidia stimulante, detractionis murmure nos nostraque vituperet, huic respondeo, et confusum his verbis obmutescere facio:*

„Invidus es nostris, quoniam tu talia nescis".

EXPLICIT EPISTOLA DOMNI BURCHARDI WORMACIENSIS EPISCOPI.

INCIPIT ALPERTUS DE DIVERSITATE TEMPORUM[b].

LIBER I[c].

27 1[d]. Apud Germanos qui circa Rhenum incolunt duo ditissimi, Wicmannus[27] et Baldericus, summis opibus inter se de potentatu contendebant. Set Wicmannus gratia et amicicia regis multorumque Germanorum nitebatur; alter Coloniensis sacerdotis itemque Gerhardi Mosellensis, potentis viri, auxilia sibi concibat. His rebus confirmati[e], contumeliosum existimabant, nec alter alteri in ullo[f] negotio cederet. Interdum etiam pace inter eos facta, dolo pocius, quam ut ullius verae amiciciae fidem servarent, studebant. Set Baldericus ditissimi et longe nobilissimi Wicmanni[28], cuius maiores magnam partem Germaniae, et maxime circa littora oceani imperia tenebant, filiam duxit uxorem; Wicmannus vero aliquos annos post praefecti Godefridi[29], avunculi Balderici, filiam in matrimonium sumpserat. His rebus et hic in Gallia, et ille in Germania, praedia et aedificia multa ex dotis iure sibi adquisierant.

2. *De castello Adelae*[g] *incenso, et eiusdem moribus.*

Erat antea tempus, cum Baldericus suae uxoris ullam spem pociundi ne quidem existimaret, propterea quod habebat[30] sororem nomine Liutgardam, abbatissam Eltnen-
31 sis montis[31], qua nolente, nullam contumeliam suo generi degeneri conubio inferre audebat. Videbatur enim ille secundum quorumdam opinionem, quamvis loco nobilitatus[h], genere tamen...[i]; is etiam et quidam Godizo, Richizonis filius, vir magnarum opum, qui inter se in illo spacio temporis societatem et fidem firmaverant, in clientelam Liutgardae se devoverant, eiusque obsequiis et inperiis obtemperarant. Erat enim Godizo consanguineus harum sororum, et primum ad amiciciam alterius se addicavit, eique studium suum et auxilium praestiterat. Set cum animi eius levitatem et mores faciles animadverteret, ab eius familiaritate se removit, et ad domnae Liutgardae clientelam se contulit. Qui post hinc biennium, ob plerasque iniurias quas Adela sorori domnae Liutgardae inrogabat, adiuncto sibi Balderico, castellum illius subito inrumpens, praeda et incendio consumpsit. Ipsa vero, comperto eorum adventu, paulo ante mediam noctem cum paucis profugit. Set praeterea res ista vehementer est admiranda, has sorores[k], parentibus clarissimis ortas, tam diversas a se esse potuisse, ut quot reprehensiones in una notarentur, tot in altera virtutes praedicarentur, nisi hoc cogitationibus nostris opponamus, mirum non fuisse, eo quod et primus parens noster itidem dissimiles filios genuerit, quorum alter, crudelissimus parricida, alterum mitissimum invidia occidit. Nostro vero silentio illa praetermittenda sunt, quae de Adela dicebantur, quod erat clamosa in voce, lasciva in verbis, veste composita, animo dissoluta, et quod instabilitatem mentis nutibus oculorum praeferebat. Nos vero scimus, eam ad opera multa esse sollertem, magno ingenio, et numerosas cubicularias ad varietatem textrilium rerum instructas habere, et in preciosis vestibus conficiendis pene omnes nostrarum regionum
32 mulieres superare[32]; haec sola humanitas in ea nota est.

a) iudicastum 1. b) MORVM 1. c) LIBER I. *desunt in c.* d) *numeros addidit Eckhart.* e) confirmata 1. f) illo 1. g) Addelae 2. h) nobilitatis 1. i) vilis *supplet Eckh. fortasse* mediocris *v. infra II.* 8. *pag.* 713. k) sopores 1.

27) De cuius genere cf. Cl. Wedekind Noten II. 60 sqq. 28) comitis pagi Hamalant. 29) comitis Hattuariorum; cf. II. 6. 30) scilicet uxor. 31) Elten ad Rhenum, a Wicmanno Liutgardae patre fundatum. 32) Eadem fere verba de sorore Burchardi episcopi Wormat. in eius vita leguntur c. 12.

3. *De moribus Liutgardae.*

At vero Liutgardis longe dissimilis huic. Nam moribus honestis erat celeberrima, virtutibus omnibus ultra quam credi potest praeclarissima, hospitalitate ita adsueta, ut in adventu hospitum maxime delectaretur, itidemque si quando abessent, quod tamen raro contigit, quandam quasi moesticiam in vultu praeferebat. Prudentiam in ea laudari non est necesse, cum non solum ex palatio ad eam, set etiam ex longinquis regionibus magnus numerus hominum ad suarum rerum capiendum consilium confluxisset. Erat enim in ea cum summa scientia, tum verissima facultas suorum consiliorum expediendorum. Omnibus affabilis, omnibus extitit benigna, multa etiam dando maximam gloriam adepta est; unde et contigit, ut omnes eam maximo honore celebrarent. Pauperes eam quasi matrem etiam ex peregrinis locis sine intervallo frequentabant, quorum neminem sine solatio a se abire permisit. Mira res, ut fragilitas feminei sexus tantis vexationibus ne quidem ad horam gravaretur, set potius, quod est mirabilius, ut dixi, delectaretur. Unde frequenter inter nos collocuti[a], dum in eius gloria aestimaremus tantam humilitatem, fateor nos iam tunc divinasse, id quod verum erat, illa[b] extincta nullam in his regionibus sui consimilem tam illustri vita esse futuram. Patrimonium quoque omne, quod sibi hereditatis parte[c] successerat, ecclesiae cui ipsa praeerat contulit. Id soror[d] eius factum graviter ferens, traditionem illam saepius rescindere moliebatur. Set cum id efficere non posset, in vitae illius necem cogitabat, et consilio cum quibusdam pestiferis inito, illam veneno, ut fertur, extinxerunt. Nos eam rem, pro magnitudine sceleris parum nobis compertam, existimationi vulgi ruminandam relinquimus. Set illi qui venenum confecerant, capti[e] atque oculis dampnati sunt. Post mortem eius cum omnes ubique orbitatem[f] tantae mulieris cum luctu et planctu deplorarent, soror illius locum furibunda invadit, et omne patrimonium, quod soror pia intentione ecclesiae contulit, ad suam potestatem retorsit[g]. Set non multo post ex praecepto Ottonis tertii[h] imperatoris cum dedecore expulsa, his adversitatibus praevideri cogitabat; et consilio cum suis accepto, cum post virum priorem sine occultatione turpiter vixisset et cupienti sui copiam non negasset, postquam vidua lasciva[i] secundum dictum sancti apostoli diu 1. Tim. 1, 5. luxuriata fuisset, illum de quo supra diximus Baltericum duxit maritum, cum vivente sorore neuter copulam alterius ne mente quidem concipere auderet. Nec multo post, instigante illa, cum armata manu montem Eltnae[k] subito occupat. Cum opidani repentino metu perculsi fuga salutem quaererent, in monasterio se abdiderunt. Expugnatoque monasterio, et iaculis altaribus traiectis, unum, quem sibi inimicum existimari voluit, captivum duxit. Set cum id regi compertum foret, graviterque factum hoc ferret, delictum Balterici deprecatorum auxilio pecunia expiatum est. Rex vero altiori consilio in posterum loci illius stabilitatem praevidere volens, Noviomago[l] concilio indicto, cum 997. Mai. 18. undique frequentissimi illuc convenirent, tractandum de praedicto loco statuit. Aderat cum sua coniuge Baltericus, eo quod sententiae senatorum processerant, ut ille convictus secundum legem in perpetuum ab illius expostulatione ecclesiae se eximeret, sicque karta et privilegio loci stabilitatem firmaverunt[33]. 33

4. *De obitu Ottonis et dolis Baldrici.*

Post haec vero imperator tercius Otto, bonae indolis adolescens, in Italia moritur, 1002. corpusque eius ad Aquasgrani effertur, et ibi cum regio honore sepelitur. Post cuius mortem Baltericus rupit fidem, et hostili manu adgressus ad montem Eltnae, vallum qui ecclesiam ad instar castelli ambiebat scidit, familiamque omnem sibi servire coegit.

5. *De Heinrico[m] rege.*

Ubi vero Heinricus summa rerum potitus est, iterum locum illum in priorem statum reduxit. Multa praeclara de hoc viro nobis scribenda sufficiunt: quam facile gratia Dei donante[n] ad apicem[o] regni pervenerit, qualiter illustres viros et summae potentiae, bella adversum se concitantes, celeri victoria in deditionem venire coegerit, qualiter

a) *ita Eckh.* — collocati *c.* b) illu *corr.* illa *c.* c) patre *corr.* parte *c.* d) sororor *corr.* soror *c.* e) capiti *corr.* capti *c.* f) *ita correxi;* sobrietatem *c.* g) retrorsit *corr.* retorsit *c.* h) tercii 2. i) *ita E.* lascua *c.* k) etnę 1. eltnę 2. l) nouio magno 1. m) HENRICO *c. hoc loco.* n) donantē *c.* o) ipicem *c.*

33) Cf. ea de re chartam imperatoris ap. Schaten Ann. Paderb. I. 343.

reges in[a] interioribus Germaniae partibus, qui sunt Winidi vocati, suae dicioni tributarios effecerit, et Mettim in Belgis diu contra se male cogitantem, et compluribus annis
1012? obsessam, pene ad internitionem[b] vastaverit, et tandem multis incommodis illatis sibi subegerit; set quia domnus Adelboldus Traiectensis episcopus haec omnia pleniter in uno volumine luculento sermone comprehendit, a nobis pars quae aliquando nostris scriptis necessario occurrit praetereunda visa est, ne historia tantis et tam venustis documentis edita a nobis tanquam ab insipientis latratu obfuscaretur.

6. *De viso comete, et fame, et mortalitate.*

Post hinc triennium quam rex in solium regni sublimatus est, commetes horribili specie flammas hac illacque iactans, in australi parte coeli visus est. Sequenti anno fames et
1005. mortalitas gravissima per totum orbem factae sunt, ita ut in multis locis prae multitudine mortuorum et taedio sepelientium vivi adhuc spiritum trahentes, vi qua poterant renitentes[c], cum mortuis obruerentur.

7. *De Wecelino apostata.*

Istis etiam diebus, videlicet Heinrici regis, qui postea benedictione apostolica imperator effectus est, quidam Wecelinus, qui fuerat Cuonradi ducis clericus, illusione diabolica seductus, errori Iudeorum consensit. Hoc audiens rex, nimia, ut iustum fuit, conturbatione commotus est, atque illius iussione unus discipulorum suorum nomine Heinricus, aequivocus regis, praedictum apostatam veracissimis sacrae scripturae testimoniis, ut eius epistola affirmat, falsa verba in Christum eiusque sanctos dixisse devicit; et
II. 22. 23. quia haec longiusculo sermone protracta sunt, in fine istius libelli ea ponere decrevimus.

8. *De adventu Nordmannorum*[d].

Wicmannus, sortita coniuge, ut supra diximus, praefecti filia, sibi in omnibus obtemperare fidemque illi et amicitiam[e] servare constituit, et frequenter alter ab altero adscitus[f] convivio, communem sibi causam fecerant. Cumque iam senio confectus et aegritudine ita deprehensus esset praefectus[g], ut vix pedibus incederet, pyratae ex diver-
1006. sis insulis[h] oceani cum magna multitudine navium emersi, per flumen Meriwido[i] [34] magna celeritate vecti, usque ad portum Tylae[35] pervenerunt. Populus vero qui circa littora Wal fluminis habitaverunt, comperto tantae multitudinis adventu, spem omnem salutis in fuga ponentes, sua pene omnia praeter pecuniam, quia mercatores erant, alienissimis reliquerunt. Praefectus vero prudens consilio, veritus ne agri hominibus destituti hostibus facilior pateret ingressus, vi qua poterat ascenso equo fugientem vix retinuit populum. Hostes usque Thylae venientes, vela deposuerunt, et portum nullo resistente ingressi, copiam victus magnam repererunt. Qua celeriter exportata, vicum incendio vastaverunt. Monasterium quoque sanctae Walburgae irrumpentes[k], vestesque sanctas a quodam comite Waltgero, constructore ipsius loci, et sua coniuge Deo digna[k*] Alberada ibidem collocatas auferentes, et altare spoliato[l], et praeterea quam plurimis rebus ecclesiasticis exportatis, ecclesiam quidem incolomem relinquentes, ad classem se recipiunt; statimque nunciis a praefecto in omnes partes dimissis, postero die summo mane maxima multitudo convenit. Et quia praefectus exercitui praeesse non poterat, Balterico, de quo supra diximus, itemque Unruocho[m] comiti, strenuo viro, qui in exercitu tercii Ottonis imperatoris Italia in re militari opinatissimus habebatur, bellum committitur. Nostris visis et celeri eorum adventu hostes perterriti, naves quam citius solventes recedebant, adeo ut similis fugae recessus videretur. Nostri insequentes, et ex utraque parte fluminis levibus praeliis factis, et utrimque[n] paucis aut[o] vulneratis aut occisis, ne cupiditate praedae a ripa longius hostes vagarentur, prohibebant. Vicis vero iuxta littus[p] quos adire poterant exustis, nona hora diei omnes de navibus desilierunt, aciem confertissimam[q] instruxerunt, nostris[r] potestatem pugnandi praebuerunt. At nostri loco se continuerunt, et quia plurimi ex agris coacti convenerant, cum his ad usum belli imperitis et superioris anni propter sterilitatem inopia familiaris rei vexatis, praelium committere non audebant. Ubi barbari neminem ad pugnam procedere con-

a) *deest in c. sed adest apud Sigebertum* a. 1003. b) internitio *c.* c) remittentes *c.* d) NORMANNORUM 1. e) amiticiam *c.* f) adsitus *c.* g) pfectus *c.* h) locis *corr.* insulis *c.* i) meri uuido *c.* k) irrupentes *c.* k*) digne *c.* l) spoliate *c.* m) *ita E. recte ex cap.* 16. *emendavit; in c. locus syllabae* un *vacat.* n) *ita E.* utrique *c.* o) ac *c.* p) litus 2. q) confestiss. *c.* r) nostram 1.

34) hodie de Merwede, Rheni sive Vahalis brachium. 35) in dextra Vahalis; cf. Ann. Colon. SS. I. p. 99.

spicerent, satis ad ostentationem suae audatiae factum existimantes, ad naves se recipiunt, et nullo prohibente regressi sunt.

9. *De secundo adventu Nordmannorum.*

Sequenti anno iterum quidam pyratarum cum nonaginta longis navibus per flumen 1007.
Laicam[36] veniebant. Nostri, extimplo coacta magna multitudine equitum et peditum et[a] 36
paucarum navium, per ripam instructi armis adventum hostium expectabant. At primi barbarorum visa tanta multitudine perturbantur, et in medio fluminis alveo anchoris naves statuentes, reliquos expectare disponunt. Postquam in unum conveniebant, et sententiis inter eos conlatis, invitis nostris transire diffidebant, legatos ad eos miserant, ut ipsos per fines eorum transportari paterentur; sibi esse in animo sine iniuria et maleficio ire velle, et ut id eorum pace et licentia liceret precari. Et impetrato[b], eo die pace usi sunt. Sequenti die cum classem movissent, iamque primi Hrenum essent ingressi, nostri cum paucis navibus clamore magno novissimos adhorti, bello lacessere[c] coeperunt. Quo clamore ab aliis audito, celeriter accurrunt, et armatis circa littus dispositis, nostros ne adpropinquare auderent perterrent. Intermisso noctis spacio et omnibus nostris flumen transportatis, et[d] diluculo ad nostros qui in navibus erant falsa fama pervenisset[e], equites cum hostibus magno certamine conflixisse iamque quasdam naves direptas esse, nihil reliqui ad celeritatem sibi fecerunt. Tumultu et clamore omnia complentes, nullo duce, nullo certo ordine, ut quique sibi celeriores videbantur, hostibus appropinquabant. Quibus visis, in unum hostes conglobati occurrerunt. At nostri qui in navibus erant, ut viderunt Nordmannos integris viribus occurrisse, relictis navibus praecipites se fugae dederunt. Quos hostes consectati, tot in ea fuga peremerunt, quot cursu consequi potuerunt.

10. *De portu Traiectensi incenso.*

Traiectenses[f] de adventu barbarorum cerciores facti, ne hostibus commodi aut usui ad obsidionem castelli foret, portum omnem ipsi incenderunt. Portu exusto, conquesti sunt barbari, cur tantum incommodum esset admissum, se nullum malum adversus locum moliri, praesertim cum Ansfridus tantae sanctitatis vir eidem praeesset episcopus. Religionis tamen causa ut in castellum intromitterentur, orabant; ecclesias oblationibus suis venerari se velle, dicebant. Quibus oppidani, assumpto vultu et constantia, respondent, se aditum armatis praebere non posse. Et quamvis[g] facillima expugnatio esset, tamen cognoscentes, sanctum locum et tantum sacerdotem suis fortunis alias obsistere posse, nullam laesionem civitati inferentes abierunt. Quis hoc meritis sancti episcopi non adscribat, oppidanos contra spem metu liberatos, et periculum evasisse, et locum illum inviolatum permansisse? Quia vir iste sanctus scriptis nostris intervenit, libet pauca de vita eius huic operi nostro inserere.

11. *De beato Ansfrido comite.*

Erat[h] igitur Ansfridus in Bratuspantium finibus[37] comes summae iusticiae, ut neque 37
muneribus neque donis[i] a rectitudinis calle reflecti posset. Frequenter in conciliis et conventibus sententiae ab eo inprimis exquisitae, ab ore eius omnes erant pendentes, et quae ipse legum decreta statuit, his nulli contradicere fas fuit. Sermo eius ita mediocritate et discretione temperatus, ut non comici nostri dictum: *Ne quid nimis*, (Ter. Andr. 1,1,34.) supergrederetur. Set et hoc adnectendum, quia ex moderatione suorum verborum facile compositio et honestas eius occulti cordis ab audientibus intellegi potuit. Quicquid vero[k] in iugi et cotidiana confabulatione loquebatur, hoc divinarum scripturarum exemplis blande leniterque condiebat; et si quando contigit ut a secularibus negotiis quietus esse poterat, aut iusta iudicia[l] tractabat, aut lectioni tanto studio insistebat, ut a quibusdam insipientibus monachicam vitam illum agere derideretur. Quod ideo minus sit mirum necesse est, quia quanto avidiori meditatione sancti divinis operibus invigilant, tanto amplius viliores mundo fiunt, et ut patientia eorum probetur, a pravis hominibus ex

a) ac 1. b) impetrata *E.* c) lascercere 1. lassescere 2. d) *verborum constructio nostro propria.* e) peruenissent c. f) Traiectense c. g) quanuis c. h) Anno tertio Henrici imperatoris, Ottonis tertii beatae memoriae caesaris augusti successoris, erat apud Brachbantium comes Aufridus *etc. incipit* 3. (*Vita S. Ansfridi.*) i) d. transitoriis ullo modo a 3. k) *deest* 1. l) i. i. legum t. 3.

36) Lek. 37) Brabant.

permissione Dei plerumque dehonestantur, teste notario Spiritus sancti, dicente: *Obpro-*
Psal. 38, 9. *brium insipienti dedisti me.* Summi etiam et illustres viri, dum in iure dicendo gravius[a] quid disceptandum erat, et ut solet fieri diversi diversa sentirent, et variari sententiae viderentur, ad eum gratia discendi et interrogandi recurrebant[b]. Imperialibus quoque secretis saepissime intererat, et quociens de maioribus rebus tractandum erat, tanta auctoritate et dignitate[c] habebatur, ut sine ipsius consilio raro aliquid statueretur. Hoc sibi in omni aetate decretum, hoc sibi propositum, non sicut quosdam[d] nostri temporis, quos plerumque aut misericordia aut invidia a[e] iudicio labi conspicimus, de iuris et legis veritate nihil diminuerat[f]. Ob haec[g] ab rege frequenter adscitus, et carus prae caeteris habitus, eius oratione et pravos[h] cohercebat et rem publicam[i] cum pace gubernabat. Praedonibus, quibus regio Bratuspantium[k] maxime alebatur, infestissimus erat, et crebris occursionibus eorum conata[l] impediebat. Principem quoque eorum, desperatum hominem, cuius nomen ne[m] dici quidem opus est, sanguine civium[n] et praeda adultum, frequenti fuga se vix eripientem, vehementer premebat; cum ille aut[o] saltibus aut paludibus densissimis arboribus consitis, praesens periculum evadere cupiens, sese occultaret. Multi praeterea triumphi, multa bella feliciter gesta non ad perniciem civium, set ad reprimendam audaciam improborum. Haec quidem laicus gerebat.

12. *Quomodo Ansfridus comes episcopus efficitur.*

995. Cum[38] vero Baltuvinus[p] sacerdos Traiectensis vita decederet, nunciusque in castra venisset, rex Ansfridum seorsum manu ducens, sacerdotium illud ei offerre coepit. Cumque ille reniteretur, iamque se senem, in militaribus armis omni tempore vitae suae versatum, clericatus officia suscipere omnino absurdum videri contenderet, et rex vehementer instans, vi ad suscipiendum compelleret, perspiciens[q] quia regi resistere non posset, ut cum suis rem deliberaret, exposcit. Qua re impetrata et ab suis oratione accepta, quae rex imperaret se facturum pollicetur. Et accepto gladio quo erat accinctus, super altare sanctae Mariae posuit, dicens: *Hactenus hoc[s] honorem terrenum obtinui, et hostes pauperum Christi et viduarum expuli; nunc deinceps huic dominae meae sanctae Mariae, qua[t] virtute honorem et salutem animae[u] optineam, commendo.* Hoc cum diceret, omnium obortis lacrimis, applausu[v] omnium qui aderant dignis eius meritis tribuitur infula pontificalis. Versiculos quidam e nostris de his rebus cecinit, quos etiam huic opusculo intexere[w] libuit, ut et[x] alium in nostra narratione testem haberemus.

13. *Versus de eadem re.*

O bona Traiectum, mater praeelecta locorum,
Nunc retines dominum generali laude potitum[y].
Ansfrid pro meritis decus[z] est tibi pontificalis,
Est et praelectus Domino confessor et almus;
Qui prius in bello firmabat regna popello,
Ecclesiae custos nunc est sanctusque sacerdos.
Vertitur in melius sic sic certaminis usus:
Quondam bellator, nunc autem pacis amator;
Tunc pars bellorum, nunc autem dux animarum;
Quondam pugnabat, populi nunc corda gubernat;
Militis officium precis obmutavit in usum.
Veste sacerdotis nunc prorsus liber ab armis,
Accepit calicem manibus, liquitque mucronem.
Deposuit parmam, coepitque[*] levare[a] patenam;
Sprevit vexillam[b], voluit quia psallere missam;
Nunc missam cantat precibusque fideliter instat.
Ista sub exemplo Petri facit indubitando,

a) grauis c. b) requirebant 1. veniebant 3. c) tantae auctoritatis habebatur 3. d) quidam 3. e) aut c. f) diminuere 3. g) hoc 3. h) primos 3. i) c. et regnum per eum in pace g. 3. k) brachbant 3. l) conatus 3. m) nec 3. n) civili adultum 3. *media desunt.* o) *deest* 3. p) balduinus 3. q) prospiciens 3. s) hunc 3. t) *ita c. et* 3. u) a. meae o. 3. v) ac plausu 3. w) annectere 3. x) quo etiam 3. y) *ita* 3. potiuum c. *an* votivum? z) datus 3. *) coepit 3. a) lauare c. b) vexillum 3.

38) cf. Thietmari l. IV. c. 22. sqq.

Qui primus cecinit missam barbamque totondit.
Quae vult ut veniant Deus, omnia protinus adstant[a];
De cane fecit ovem Deus hic, ut fecerat olim,
Ad se cum Paulum rapuit de sorte luporum,
Quem post ecclesiae doctorem iusserat esse.
Nunc est albatus[b], cum stemate glorificatus,
Atque stolam portat, virtutis et arma ministrat,
Qui prius in multis valuit per bella periclis.
Gloria pastoris sonat in sermone suavis!

14. *De caecitate et monachica vita et elemosina Ansfridi.*

Sumpto episcopatu, aliquandiu canonicis vestibus utebatur, non quidem elationis causa, set ne dedignationis suspicione a caeterorum moribus sacerdotum videretur[c] dissentire. Set quia pius Dominus iam illum ad suam servitutem advocavit iamque illi curam ecclesiae commisit, adhuc[d] plenius sua consueta pietate sibi adiungere disposuit. Nam quamvis impossibile sit vitam ullius[e] sancti sine peccatis transire, cum[f] tamen illa, quae fragilitate carnis incaute contracta sunt, largissima Dei[g] misericordia in hoc seculo aliqua molestia corporali soleant purgari, attestante scriptura quae dicit: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit*, Ansfridus lumen harum tenebrarum amisit, taliter quodammodo manente integritate oculorum, ut nihil minus quam aspicienti[h] videns videretur. Hebr. 12, 6. Defectum quidem visus[i] sustinuit, set deformitas faciem viri nulla dehonestavit. Hoc ex benignitate Salvatoris nostri credo actum esse, ut extincto oculorum desiderio et exclusa occasione peccandi, et vultus dignitatem episcopi servaret, et ulterius non haberet unde concupisceret. Neque hoc incommodo accepto umquam superatus aut animo deiectus est; set eodem vultu, eadem hilaritate, eadem iocunditate, cum summa patientia permanserat. Igitur[k] respectu Dei in se propensius rediens, salutifera cogitatio sibi incidit, flores huius mundi sordes apud Deum videri, et ea quae multo sumptu ad ornatum putrescendae carnis captarentur, non solum ad[l] detrimentum set etiam[m] ad perpetuam ruinam animae pertinere; vestem delicatiorem deposuit, indumenta, ne dicam[n] vilia, set potius angelica, ad institutionem sancti Benedicti sumpsit. Est collis[o. 39] sex 39 milibus a Traiecto distans, undique circumcisus[p], una ex parte flumen limosum, reliquum spacium perpetua palus eademque latissima ambiendo omnem aditum[q] excludit. Huc adacta navicula, trans flumen illud se ferri iubet, et quia orationis causa tumultus hominum vitare cupiebat, verticem collis, succisis arboribus et fruticibus, in planitiem deduxit, inprimis oratorium, dein sibi cellam, post aliis constructis et claustro effecto, conventiculam[r] monachorum ibidem collocavit, et abbatem[s] praefecit[40]. Huc se post colloquia regis, post synodum, post diversos conventus recipere solebat; hic miseram curam secularis negocii a se removit, viribus totis laudibus Dei et obsequiis instituit, orationibus, vigiliis, elemosinis ita intentus, ut nemo nostra aetate sibi possit adsimilari. Unam ex eius innumeris liberalitatem in pauperes Christi exibitam referemus. In ipsa cella quam diximus positus, consueto[t] opere Dei expleto, post terciam vigiliam unum ex suis ministris ad se vocat, quid fieri velit ostendit, et ut nemo id cognoscat summopere interdicit. Sumit situlam, immittit vectem, seque simul portando ministrum ad regendos gressus suos usque ad flumen praecedere iubet. Aqua hausta redit[u], igne calefacit, dolium ipse infudit, leprosum, cuius corpus miserabilis sanies totum obduxerat, pannis exutum in balneum deposuit, putrescentia membra manibus perlustrans diligentissime[v] lavit, lotum in lectulum[w] ipsius collocavit, et vestibus novis vestitum antelucanum sub testatione ne quis id sciret abeunti[x] praecepit. Hic si quaeras, cur iste tantus vir, tot virtutibus praeditus, Spiritus sancti gratia inroratus, leproso illi solacium curationis non inpenderit, facili has cogitationes obvius hac responsione excipiam.

a) assunt 3. b) ablatus 3. c) *bis scriptum in c.* d) ad haec 3. e) *ita* 3. illius c. f) *deest in c; adest* 3. g) *deest* 3. h) aspiciens et v. putaretur 3. i) in se 3. k) I. ex hoc r. 3. l) *deest* 3. m) *deest* 3. n) non dixerim 3. o) c. Heilgenberg tribus m. 3. p) circumclusus 3. q) additum c. r) conventicula 3. s) a. eis p. 3. t) c. o. D. e. *desunt* 3. u) rediit . . calefecit 3. v) diligenter 3. w) lectum 3. x) abire 3.

39) Hohorst, postea Heiligenberg, prope Amersford. 40) Fundationis chartam v. in Actis SS. Mai I. 430.

15. *Cur Ansfridus infirmos non curaret.*

1. Cor. 14, 22. Legimus namque, quod signa infidelibus, non fidelibus, data sint[a], ut in initio nascentis ecclesiae corda gentilium, longissima[b] consuetudine idolorum indurata, visis tot prodigiis ad credendum[b*] emollirentur. Quis enim tunc temporis, mundo in florentissimis rebus posito, praedicanti aliam vitam crederet, nisi ea exiberentur quae antea nec[c] visa nec audita fuerant? Et quae necessitas fuit, istis novissimis[d] temporibus ecclesiam Dei signis illustrari, cum nullus sit locus quovis gentium, non mons, non vallis, non silva infinita, non palus inmensa, non insula ab orbe terrae remota[e], quae non sint[f] domini nostri Iesu Christi confessione repleta[g]? Vir Dei namque inanibus favoribus hominum extolli noluit, qui semper intra conscientiam quod boni egit soli Deo cognoscendum contegere studuit[h]. Et fortasse leproso illi infirmitas utilis fuit, ut quae humana fragilitate illicite commisit, ad haec iteranda illum debilitas[i] corporis impediret. Neque ulli de istius viri sanctitate dubitandum est, quem demones etiam confitebantur. Audivi quendam energuminum inter diversorum criminum confessionem haec etiam adiecisse, se frequenter sancto illi episcopo sine causa detraxisse, multa inhonesta de eo dixisse, cum illum sancta religio implicatum teneret; se autem nihil rei adversus eum habere, nisi solam invidiam ipsius maliciae exercendae. Qui tamen miser paucis diebus post, caeteris dormientibus, suspendio mortem sibi conscivit. Haec breviter perstrinxi, ne quis in corde suo existimet, propter defectionem probatae vitae servo suo dominum nostrum Iesum Christum virtutem signorum concedere noluisse, qui multo maiora et longe his feliciora, id est vitam aeternam in coelesti regno, concessit.

16. *De obitu Ansfridi episcopi.*

1010. Igitur cum illi virium imbecillitas adcresceret et languore corpus ad occasum vergere intellegeret, ad supradictum collem transferri iubet. Cumque illic aliquanto tempore vi aegritudinis premeretur, Redemtori nostro, cui servivit, spiritum reddidit. Aderat in exequiis eius filia ipsius venerabilis, abbatissa Tornensis[41] monasterii, consanguineusque
c. 8. eius, de quo supra diximus, Unruoch comes; corpusculumque in oratorio positum, a fratribus solitis frequentabatur officiis, futurum ut postero die in ipsa ecclesia, ut ipsi animo firmaverant, tumularetur. Interim Traiectenses quam frequentissimi convenerant, corpus examine[k] Traiectum deferendum auferre moliebantur. Ad haec peragenda, Deum adiutorem, in ecclesia iusta feretrum prostrati, totis gemitibus precabantur. Tum subito ex uno latere collis officina quaedam sive casu seu iussu Dei igne correpta est, omnibusque ad restinguendum ignem concurrentibus et omnino in ea re occupatis, feretrum Traiectenses in quo corpus viri Dei positum est leviter levantes, ad flumen usque progrediebantur, et positum in naviculam, flumen transire coeperunt. Et quia navicula paucos capere poterat, caeteri quamdiu vadum[l] permiserat, deinde natatu, sequebantur. At hi qui ad submovendum ignem concurrerant, cum non prius consilium eorum animadverterent, quamvis brevissimum spacium interesset quam illi naviculam ad aliud litus subducerent, sumptis armis eorum conata advertere parabant. Ibi abbatissa, de qua praefati sumus, passis manibus soloque prostrata, ne recedentes insequerentur, vix precibus obtinuit. Quis etiam hoc meritis beati viri non adscribat, armatos furenti animo facillime sedatos, et rusticam multitudinem in flumine transeundo impeditam et periculum et necem evasisse? Sicque isti et illi cum summa tranquillitate invicem coniuncti, cum psalmis et ymnis levissimum onus Hrenum usque deportantes, in navim ad hoc ibi paratam constituerunt, et Traiectum pervenerunt. Cumque in litus exponeretur, concursu populi magnis oblationibus honorabatur, et sequenti die in ecclesia sancti Martini, ubi ipse sedem episcopalem habebat, religiose sepelitur. Haec de beato viro quae dicerem habui, non ut pleniter de illo omnia quae digne commendanda memoriae fuerant colligerem, set ut istud opusculum materia eius vitae, quamvis insipienter edita, quasi sol illustraret.

16. *De obtrectatoribus Ansfridi episcopi.*

Set libet adhuc percontari, ubinam nunc sunt, qui vitam Ansfridi venenatis linguis

a) sunt, quo in 3. b) longa 3. b*) *ita* 3. crescendum *c.* c) non 3. d) nostris 3. e) *ita correxi;* arbore terre mota *c.* ab orbe remota terrae 3. adeo remota *Eckhart coni.* f) sunt 3. g) re repleta 1. h) noluit *corr.* studuit *c.* — *In hac voce desinit* 3. i) *ita E.* debitas *c.* k) *ita c. i. e.* processione facta. — exanime *E.* l) *ita E.* uasum 1.

41) Thorn in sinistra Mosae, supra Ruremonde.

1010. carpere solebant, qui fame se ipsum afflixisse, impie calumpniabantur, et nec umquam eius aridum corpus in tanta sui episcopatus opulentia vel modico cybo refectum esse, pestiferis invectionibus[*] dicebant? Ó profanos sola ventris plenitudine gloriantes! Ó neminem illorum in tali studio vitae occupatum[a] inveniri posse! Ó steriles omnis pietatis, qui nullius in se virtutis conscii, sanctis hominibus invident, quod ipsi assequi nequeunt! Vere fateor illum ieiunio, non fame, sicut obtrectatores sui per officinas oblatrant, saepius laborasse, ipsumque totis animis ad Deum conversum pestiferos syrenarum sibilos surda aure transisse. Set cum plures ex his obtrectatoribus videmus divino iudicio domo expulsos, praedia, vicos, aedificia cultore destituto amisisse, iamque diu per aliena limina mendicasse, sive furto seu latrocinio sibi victum turpiter adquisisse, cognovimus.

17. *Item de quodam obtrectatore.*

Audivi fidelem nostrum referentem, quendam ex his miseris, cum in tabernis vino aestuans derisisset sanctum hominem, ad hanc etiam miserabilem vocem erupisse, animam hominis nihil esse et in ultimo flatu in auras penitus evanescere. Et quia in noticia Deum habere noluit, insuper etiam servos Dei obscenis verbis impetere non timuit, tradidit eum Deus in reprobum sensum, ut faceret et loqueretur ea quae non convenirent. Unde et contigit, ut illius potestati traderetur, cuius ista instinctu agebat. Nam aliquo spatio sibi ad poenitentiam post dato, nec tamen resipisceret, die quadam sicut semper cum gulae deserviret, iam sub solis occasum domum reversus quasi redivivam esuriem sedaturus, usque in multam noctem convivium protraxit[a*], tandemque optato cybo onustus in lectulum se collocavit, et somnum subitae morti sociavit. Qui ad sepeliendum eicitur, et in magno sepulchro intruditur, set ventrem admodum porrectum cum lapis superior superpositus compressu suo stringeret, per labra sepulcri in giro adeps pinguissimus, integra tamen cute, proh pudor! diffusus est. Nimirum si adesses, foetorem ferre non valens, nares veste obclusisses. Set quorsum ista tam multa de illo, cuius memoria praetereunda potius est quam commemoranda? Quia profecto vides, miserum illum fuisse hominem, qui nec in ultima sua aetate linguam ab obtrectatione sancti viri compescere voluit. Cuius etiam gloriam in fine mundi conspecturus, dicet: *Hic est, quem aliquando habui in derisu et in similitudine improperii. Ego insensatus vitam eius aestimabam insaniam et finem eius sine honore. Ecce quomodo computatus est inter filios Dei et inter sanctos sors illius est.* Audiant ista, qui soli carnali cupiditati inserviunt et consimili invidia virum Dei insequebantur, et utrorumque fine conspecto, quem pocius imitari debeant, exemplum accipiant; et meminerint[b], alterum non ita magnis opibus locupletem, set cotidie per domos discurrentem, nunc minis, nunc misera subsannatione alvum implentem, et tandem veluti pecus saginato cadavere salutem suam seculo spemque sepulcro dedisse; item alterum, cum illi omnis boni copia suppeteret et sibi pene omnia ad usus pauperum subtraheret, fructuosum laborem gratia Dei largiente ad calcem usque perduxisse. Cui, quamdiu vixit, vivere Christus erat, et mori lucrum. Nos vero in nostrae narrationis itinere amoena prata conspicati, non inutiliter a via divertimus, et per loca pulcherrima oculos circumferentes, aliquantulum demorati sumus, et necdum odore dulcissimorum florum saciati, saepius respectantes, coeptum iter perficere conabimur.

EXPLICIT LIBER I. INCIPIT II.

1. *De simultate Baldrici et Wicmanni.*[c]

Postquam praefecti Godefridi et item Wigmanni[d] res in amicitiae[e] foedus convenerant, eamque rem utrisque in posterum satis sibi praesidii futuram existimarent, praefectus moritur, filioque suo propter probitatem patris, et summam consilii diligentiam qua semper viguit, praefectura traditur. Set quia[e*] iners et nullius consilii nulliusque paene valitudinis erat, amicitiae tamen conventionem, quam patri Wicmannus[f] devoverat, consulto ipsi conservare constituit, sperans, si eum sibi adiunctum[g] haberet, facile se suorum omnium dominari posse. Ex eo tempore inter ipsum et Baldricum simultates[h]

*) *bis scriptum c.* a) ocupatum *c.* a*) ptraxit *c.* b) meminert̄ *c.* c) uuincmani *c.* d) uuigmani *c.* e) amiciç *c.* e*) *ita c.* f) wincmannus *ita saepius c.* g) adiunctu *c.* h) simultantes *c.*

1011. c. nascebantur. Et cum neuter alterum sibi superiorem esse pateretur, conventu tamen saepius inter se facto, suspecta amicitia[a] utebantur. Set res illa conatui Wicmanni obstabat, quod eandem copiam agrorum in Gallia quam Baldricus non habuerat, quamvis et ipse latos fines in Germania teneret, et nihil quam quod cum uxore acceperat cis 42 Hrenum[42] haberet; quod tamen alterius copiis aequari non poterat. Unde quibusdam Cisrenanis familiaritate ad se vinctis, eis quid sui sit consilii proponit[43].

2. *De castello Wicmanni[b] a Baldrico expugnato, et de Munna[c] munita.*

Est stagnum palustrę a Mosa flumine ducentis passibus distans, infra quod erat collis exiguus, difficilis aditu — nam nisi navi propter altitudinem stagni et impeditionem paludis nequaquam adiri poterat —, studenti novis rebus castellum efficiendum promittebat. Hunc locum per amicos cognitum, advectis navibus adiit. Quo explorato, extimplo coegit magnam[d] multitudinem armatorum, et rusticis undique evocatis, et fossa in circuitu facta, editiorem admodum fecit. Quem vallo circumdedit, et turribus excitatis, munitionem satis firmam perfecit. Dein finitimis non sine arrogantia imperare, ut commeatus ad oppidum apportarent. Custodes, ipsos qui ei consilium dederant, munitioni adponit. Quem locum in reliquum tempus ad optinendam praefecturam, et Baldricum si quid conaretur facilius reprimendum, satis idoneum existimabat. Qua re audita, Baldricus vehementer perturbatur, suisque fortunis difficillimam credidit, et nisi his adversitatibus summa cura non prospiceret, maximum suae dignitatis honorem se amissurum non dubitabat. Itaque convocatis clientibus suis, quorum magnum numerum habebat, et legatis circumquaque missis, Lantbertum[d*], cuius supra mentionem fecimus, et Gerhardum, cuius singulari amicitia usus est, et caeteros amicos in unum coegit, ipsisque praesentibus, quidnam contra se pararetur, exponit. Et causa cognita[e], sese in eam partem futuros quam ille constituisset, dixerunt. Quibus cum magnifice gratias egisset, ipsis hortantibus atque cupientibus, ad munitionem accessit[f], eamque, in quantum situs paludis permisit, obsedit. Nam natura loci totum[g] circumvallare, sinu stagni longius porrecto, non sinebat. Oppidani vero certi quod telum in tanto spatio ad se adigi neque remitti posset, vallo tuto sese continebant et eventum rei expectabant. At hostes experti, quod in nullis omnino locis vado transire possent, pontem facere instituunt. Set cum diu in hoc opere insisterent, et effectum nullum labor operantium propter inmensitatem aquae dare poterat, incepto destiterunt[h]. Denique adductis onerariis navibus, adiungunt animalia et in stagnum trahere parant, ut super naves machinis exstructis ad munitionem adpropinquarent et pugnam committerent. Cumque cum plures dies in his operibus versarentur, illi qui infra oppidum erant, desperantes ne obsessione a suo domino liberarentur, et timentes ne victi inclementius tenerentur, iamque illis victus deficere coepisset, legatos de deditione ad Baldricum miserunt. Cognitis eorum postulatis, ut munitionem ipsam quam fecerant suis manibus ipsi incenderent atque destruerent, iussit. Quod ut factum est, illaesos cum suis omnibus abire permisit. His rebus confectis, cum vires hostium Wicmannus sustinere diffideret, Hrenum clam transiens, Munnam castellum aggere et turribus edicius extulit, et quia supra montem erat positum, tam facile illud munivit, ut nisi obsidione expugnari non potuerit. Hostes vero vicos et vicina loca crebris incursionibus, ne castellanis usui forent, rapinis et plerumque caede vastarunt. Adiuvabat etiam res Baldrici, quod adhuc gratia imperatoris multa utebatur[i], et Coloniensis sacerdotis et domni Adelboldi episcopi, qui celebri fama omnium nostrae aetatis sapientissimus et Laciali lingua longe facundissimus et maximi vir ingenii est habitus, auxilia sibi adscivit. Gerhardus quoque Mosellensis, et Lantbertus, de quibus supra mentionem fecimus, quascumque acerbitates et pericula cum eo se laturos dixerunt. Hi enim duo semper ad omnes motus et seditiones concitandas erant parati.

44 3. *De Aspola[44] ab Adelboldo episcopo obsessa.*

Post haec causa extitit, qua domnus Adelboldus Traiectensis sacerdos castra imperatoris adiit, et his propter quae venerat peractis, navi per Hrenum reportatus est. Equi vero eius per ripam eiusdem fluminis iuxta Aspolam a suis reducuntur. Quos clientes

a) amiticia *c. saepius.* b) WINCMANNI *c.* c) *vox deest spatio relicto.* d) magna *c.* d*) lanttbertum *c.* e) incognita 1. cognita 2. f) accedit 1. accessit 2. g) tantum *corr.* totum *c.* h) destituerunt *c.* i) utebantur *corr.* utebatur *c.*

42) in sinistra Rheni. 43) scil. Wicmannus. 44) an Spel, ad confluentes Rheni et Lippiae?

Godizonis, propterea quod favebant partibus Wicmanni, interceperant atque inter se distribuerant. Qua de re episcopus necessario commotus, et his iniuriis quam citius mederi cupiens, omnibus suis* copiis cum Baldrico adscitis, de improviso veniens, Aspolam ex una parte obsedit. Nam ex altera palude et stagno interiecto inaccessibilis erat. Cumque aliquot diebus acriter ab utrisque pugnaretur, et omnia studio obpugnandi experirentur, propter firmitatem loci et altitudinem turrium nihil proficere poterant. Set cum frustra laborem se sumere viderent, et spes pociundi opidi a se discederet, simul etiam quia dicebatur[a], hostes cum exercitu adventasse, obpugnatione destiterunt, et in suas sedes se receperunt. Episcopus vero his de causis, quod ante obsidionem castelli Godizo ad se in petenda pace legatos miserat, et de iniuriis a suis sibi inlatis omnibus rationibus satisfacturum promiserat, quamvis illum dolo loqui suspicaretur, et ideo nullam conditionem pacis dare voluisset, et suum dolorem iam satis expiatum esse populatione agrorum et vicorum, et hostes iam ad sanitatem reverti arbitraretur, ab hac procella seditionis se subtraxit, et quem exitum res esset habitura, interim quietus expectare coepit. Baldrico tamen studium suum et auxilium semper praestitit. 1011. c.

4. *De pace inter Baldricum et Wicmannum facta.*

Munna exstructa et firmata, Wicmannus audacius resistere et spem suis augere, plerumque hostibus inprovisus adveniens eos in fugam coniecit. Set cum diu inimicitiae inter eos exercerentur, et homicidia fierent, et insidiae ab utrisque ponerentur, et invicem alter ab altero fugaretur, tandem utrique a rege in castra sunt vocati. Et cum diu causae eorum discuterentur, et rex sine offensione multorum neutrum familiariorem in reconciliando[b] habere posset, inter se regia potestate pacem habere iussit. Qua sacramento firmata, discesserunt. Wicmannus cum rem in commodiorem statum collocatam existimaret, et nihil mali dehinc suspicaretur, ut rupto foedere aliqua seditio rursus oriretur, orationis causa limina sancti Petri adire parabat, et comparatis his quae sibi in itinere necessaria erant, profectus est ad Urbem. In eo itinere dum esset, uxor Baldrici quietis inpaciens et semper prona ad res novas excitandas, hac oratione interpellat maritum:

5. *Oratio Adelae uxoris Baldrici.*

Saxonem istum in tanta propinquitate aedificiorum vicinum nostrum pati non possum; et quem parem tibi esse ferre non valeo, si superiorem conspexero, vivere nolo. Proinde quaeso, utere consiliis meis, et verba mea, caeteris curis postpositis, menti tuae reconde; ex hoc enim fortunatissimum te fore licebit. Ecce iste hostis noster, videns nepotem tuum esse sine scientia ullius consilii, falsis adulationibus in dies deludit, et dignitatem suam te invito iam invasit. Denique ille stolidus existimat, illum vera affinitate adductum, sincere suis rebus favere, et non potius ob hoc, ut illum in proximo principatu deiciat et ipse locum eius nimia sua calliditate arripiat. Et cui dubium est, illum iam pridem adversum te prava moliri? Egone, si vir essem, eum in his regionibus consistere sinerem? Et si nunc, pace facta, iusta occasio nulla intercedit, qua[c] cum eo palam contendere possis, hoc saltim facito: regem adito, et praefecturam, quae iustius ex linea consanguinitatis et prosapia maiorum tuorum tibi obtingit, postulato. Si propter hoc aliquis tumultus ab hoste adversum te concitabitur, ipse tibi prius peccabit, tuque sacramento adstrictus non teneberis. Quid tibi obsistit? Quid impedit? Amplissima domus, latissima praedia, milites numerosi vires tibi et favorem adtribuent[d], neminem quam te hoc honore esse digniorem. Muneribus quoque dandis, auri, argenti, preciosae vestis, non deerit tibi copia; incunctanter omnia tribuam. Persuadet facile cupido, et more hominum qui honoribus expleri nesciunt, suscipit negotium, non solum ad suae familiaris rei damnum, set etiam ad perpetuam ruinam suae salutis. Et quamvis graves causae irarum inter eos antecessissent, tamen haec fomes et initium utriusque extitit exitii; et sicut Hiezabel Achab, ita et ista hunc ad flagitia semper concitavit, dans ei consilia, quibus ad perniciem suam uteretur, donec abhominabilis et odiosus omnibus fieret.

6. *De praefectura Baldrico tradita.*

Parata profectione, venit ad regem, a quo et benigne suscipitur; oblatis his quae attulerat, causas adventus sui exponit, et regem ad voluntatem sententiae suae perduxit.

*) *bis scriptum* 1. a) dicebantur 1. b) reciliando c. c) quam c. d) adtribuunt *corr.* adtribuent c.

1011. c. Denique tradita est ei praefectura, et ne ob hoc civiles dissensiones, unde arma excitari possent, nascantur, summopere interdictum est. Qui mox ut rediit Ganipae[45] municiunculam praefecti propinqui sui occupavit, et per servum fugitivum, qui se iam pridem his qui in turri erant devoverat et studium suum promiserat, dolo introductus est, et eos quos propinquus suus ad tuendam turrim reliquerat expulit, praesidiaque sua ibi ponit.

7. *De reconciliatione Adelboldi episcopi et Wicmanni.*

Ubi in vulgus populi elatum est, Baldricum regem adisse, praefecturam sibi usurpasse, Ganipae turrim invasisse, tanta subito omnium commutatio facta est, ut mentes non solum finitimorum set etiam domesticorum ab eo in tantum averterentur[*], ut pauci reliqui essent qui eius facta non detestarentur[a]. Inter Alpes Wicmanno redeunti res gesta nuntiatur, magnaque cura afficiebatur, quod remedium huic incommodo repperire posset. Nam publice armis rem incipere, metus imperatoris prohibebat; unde ab animi virtute consilium et rationem quaerendam esse statuit. Talia sollicitanti res oportunissima ad capiendum consilium accidit. Audierat namque, omnem populum contra Baldricum murmurasse et omnibus precibus eius facta detestari; ideo primum in his elaborandum esse decrevit, ut etiam auxilia episcopi domni Adelboldi ab eo detraheret, et spem ad illum se recipiendi ulterius non haberet, amicitiam eius sibi adiungeret, eius auctoritate et subsidio hostem ab incepto deterreri posse existimavit. Set quia nondum bono animo in ipsum ex his iniuriis quas Godizo illi inferebat videbatur, primum per legatos hominem temptare disposuit. Cumque aditum in eius amicitiam patere cognovisset, eo quod Baldrico ex his rebus de quibus supra demonstratum est amicus non erat[b], venit ad eum, et cum[c] de his iniustitiis[d] quae episcopus questus[e] est a se et a suis amicis sibi inlatis, satisfaciendum in potestatem eius promitteret[f], pro temporis oportunitate fidem et amicitiam inter se sanxerunt. Quamvis de conventione illorum Baldricus parum moveretur, tamen potestate episcopi in locis qui ad praefecturam pertinebant ius dicere prohibitus est. Episcopus videns, adcrescere dissensiones et in dies lites augeri, metuens, ne temeritate eorum plebs laberetur, et sperans, controversias sua auctoritate minui posse, diem colloquio constituit eosque ad hanc venire fecit.

8. *De sententiis inter eos collatis.*

Postquam eo conventum est, episcopus hoc initium orationis habuit: se aegre ferre, tot motus in dies inrationabiliter adcrescere, oportere ad cognitionem suam et omnium qui iusta decernere velint referre, et has improbas seditiones, quibus plebs laeditur, agri depopulantur, debere comprimi. Si vero pertinatia desistere nollent, imperatoris potestate et suis copiis vi coacturos, ut ab incepto tumultu absistant, demonstrat. Ad haec Wicmannus respondit: intellegere sese, quae commemoraret de horto tumultu esse vera[g], nec quemquam[h] plus doloris quam ipsum exinde capere, et se in potestatem suam dediturum, et omnibus rationibus, si qua culpa criminatur, satisfacturum promittit; sese tamen permoveri, quod Baldricus post amicitiam inter eos firmatam belli initia primus concitaverit, praefectum propinquum illius, cui fide et consilio prodesse debuit, omni honore ab eo spoliatum et á principatu deiectum, ipsi et omnibus nationibus, ad quas fama tantae inhumanitatis pervenire potuit, detestabile videri. Qui nisi ab his iniuriis discedat et liberam facultatem illi in suis legibus uti permittat, ex illa saltim affinitate,
46 quod sororem suam[46] in coniugium duxerat, eius iniurias non neglecturum, neque haec faciendo quicquam maleficii adversus gratiam imperatoris se acturum, praesertim cum omnibus, unde lites augentur, studio pacis summopere se interponere et ea submovere velle confirmat. Baldricus huic sententiae haec retulit: non a se fidem laesam, neque a se commissum, unde amicitia dissolvi debuisset; scire se quidem, propinquum suum non illa[i] scientia aut prudentia esse, ut sibi commissae dignitati curam habere posset; ideo se illius rebus intermisisse, ut ei potius prodesset quam obesset, et id sua voluntate iam pridem agere voluisse, si[k] ipse copiam cum eo colloquendi habere potuisset; set ita illum, quasi sub quadam custodia, semper a Wicmanno devinctum et tali disciplina con-

*) euerterentur *c.* a) *ita Eckh.* detarentur *c.* b) *ita E.* nouerat *c.* c) *vox excidit.* d) iniustit' *c.* e) gestus 1. f) pmitteret *c.* g) uerā *c.* h) quemq; 1. i) illi *c.* k) se *c.*

45) Gennep, ad confluentem Niersae et Mosae, in pago Hattuariorum. 46) praefecti.

strictum, ut neque ad momentum ab latere eius discedere auderet. Si praecepta quoque imperatoris servari deberent, hoc, quod sibi propria manu dederat, iniustum esse ab ullo interdici. Quod vero diceret, ex affinitate iniurias eius non neglecturum, se ipsum illi propiorem esse consanguinitate, qui avunculi ipsius existeret filius, et ideo illam dignitatem ex parte maiorum ipsi iustius praeter nepotem quam alteri obvenire. Quod vero se dixerit ad lites sedandas interponere velle, neminem quam se ipsum in communi salute civium consulenda studiosiorem; testimonium esse eius rei, quod non ex ipsius arbitrio, set imperatore largiente negotium susceperit[a]. Talia et multa alia cum iam in longum diem ab utrisque proferrentur, episcopus tandem, litibus eorum plenius cognitis, in alios conventus rem deferre placuit, et interim pacem inter eos firmari constituit. Baldricus vero, quod memoria tenebat, sororis suae domum paucis diebus ante quosdam ex parte Wicmanni invasisse, et quibusdam interfectis, filium illius alterum intra ecclesiam vix necem aufugisse, et item alterum ab indignis captum et abductum esse, et ideo cum his, a quibus tanta contumelia sibi et suis illata fuisset, nullam pacis amicitiam sine satisfactione habere posse demonstravit. Ad haec Wicmannus: *Si conferri*, inquit, *iniuriae debent*, unam harum hanc esse iniquissimam, quod a sororis suae filiis nondum adultis servili agmine congregato, praefectum cum paucis iter secure agentem et nihil mali á quoquam suspicantem, magna insolentia de inproviso adortum, et in fugam coniectum, et in sacra aede contutatum, vix morte subtractum; neminem fore tam pacientem, qui talem actam periculosam contumeliam inultam transire pati potuisset[b]. Baldricus ubi manifestius intellexit sibi resisti, dixit, nequaquam rem exitum illum, quem illi existimarent, esse habituram. Et cum ex hoc tumultus pene excitaretur, accessit ad eum quidam dicens, et id clariori voce ut magna pars suorum audiret, illum ex eo agro vivum non exiturum, nisi hoc faceret quod episcopus et Wicmannus constituissent. Qua voce perterritus, annuit ut pax fieret, quae ab utrisque ad certam diem sacramento firmata est.

1012. c.

9. *De dolis Wicmanni.*

Set praeter ea dum mecum reputo, tot sacramenta perfido animo perpetrata, mirandumne sit an dolendum dubito, eo quod illi qui summo honore et dignitate praediti ad tantam perfidiam sint devoluti, ut talia contra iusticiam christianae fidei agerent, qualia nec vile vulgus cogitatione quidem concipere praesumeret; unde etiam secundum notarium Spiritus sancti dicentem: *Non loquatur os meum opera hominum*, Psal. 16, 4.
timeo referre perversissimos nostrae mores aetatis, et pene nulla fide stabilitos[c], set caeca cupiditate miseri honoris et falsae potentiae adductos, omnis humanitatis et bonitatis esse oblitos[d]. Set sunt nonnulli qui Wicmannum in his litibus iniquiorem esse contendunt, hoc in praesidium suae opinionis assumentes, quod ea, quae cis Hrenum minus in possessionibus habuerat, quacumque celeritate consilii, opibus Baldrici adaequare niteretur. Quod ex eventu hic sequentium facile cognosci potest. Nam postero die ad sororem suam colloquendam Baldricus cum paucis Hrenum transivit. Compertoque eius per exploratores adventu, illi de quibus praediximus, qui domum sororis suae impetiverant, ex Munna egressi, cum magno equitatu per ripam Hreni latenter descendentes, ei adpropinquarunt. Nec antea visi sunt, quam propius vicum accessissent. At isti, equis[e] in pastum per segetes dimissis, et nihil timentes, propterea quod pridie eius diei pax esset inter eos constituta et firmata, remissius[f] sese agebant. Set cum hostes obstinacius[g] cursu impetum in eos facere cernerent, celeriter revocatis equis, et bipertito equitatu diviso, et pro angustia temporis acie instructa, eos exceperunt. Cumque acriter ab utrisque pugnaretur, et iam res in eo esset, ut superiorem manum Baldricus habere debuisset, propter opinionem omnium subito converso equo fugae se dedit, et ad ripam naviculam nactus, ea profugit. Quod ceteri conspicientes, itidem fugam hác et illac inierunt, plures in ecclesia se concluserunt. Wicmannus, qui tunc forte ab illo loco non longe aberat, praelio per legatum accepto, celeriter accurrit, ecclesiam inrumpit, eosque qui in ea se abdiderant cępit, graviusque retineri iussit, et Munnam adductos, in vincula coniecit. Ex eo enim iterum redivivae inter eos quae antea[h] seditiones

a) susciperit 1. b) potuisse *c.* c) stabilitas *corr.* stabilitos *c.* d) oblutos *c.* e) *manu* 2. f) remisius 1. g) obtinacius *c.* h) *ita corrigo;* que quiinea *linea subductum c.*

1012. ortae sunt; et quamvis Baldrico causae iustiores in hac, ut praediximus, lite existerent,
c. tamen in hoc inferiorari, quod milites sui crebris expeditionibus defatigati, pro tanto
labore parva praemia consecuti sunt, et uxor sua dedignanter eos appellando et ignaviam et socordiam improperando, a suo obsequio eos dissuevit et multo infideliores
quam antea essent effecit. Domesticis etiam ita gravis extitit, ut pro levi culpa quosdam in exilium mitteret, quosdam autem, naso aut auribus desectis, deformes aspicientibus
redderet, et odiosam vitam illis praesentem efficeret. Nobilitas generis et omnium
Iuv. opulentia rerum pernimium eam extulit, in tantum ut etiam illius satyrici versu non
VI, immerito notari possit: *Intolerabilius nihil est quam femina dives.* Talibus et aliis
460. huiuscemodi rebus corda non paucorum a mariti amicitia et familiaritate avertit[a].

10. *De exercitu in Bratuspantes misso et capto Baldrico.*

In dissensione vero quae nunc orta est quia neuter eorum in tanta propinquitate
agrorum tuto sese ab altero cavere posset, concordia iterum inter eos ad certam diem
1012. condicta est. In quo spatio temporis extitit causa, qua ab imperatore exercitus in
Bratuspancium fines mitteretur[b] — audierat enim, a quibusdam importunis et seditiosis
hominibus regionem frequentibus incursionibus devastari —; cui exercitui Adelboldus episcopus et dux Godefridus et Wicmannus praeerant. Baldricum, quia his adversus quos
exercitus ducebatur amicus erat, secum habere nolebant. His profectis, Baldricus dabat
operam Gerhardo, de quo supra diximus, qui iam multis diebus municiunculam Hengi-
47 bach[47] obsedit. In altissimis namque rupibus sita, inexpugnabilis erat. Set tamen
diutissima obsidione oppidani fatigati, et omnibus quae secum habebant consumptis, se dediderunt. Itineribus Baldrici exploratis, Gevehardus, qui domum sororis
suae viduae praedictae invaserat, omnes vias obsedit et summa diligentia, si eum inparatum aliquatenus adire posset, cum suis omnibus invigilabat. Nec fefellit fortuna
consilium hominis. Nam Baldricus, clientibus suis in sua loca hac et illac dimissis, cum
paucis Coloniam versus iter incautius adgressus est. Quem mox hostis conspicit et
celeri cursu insequitur, cum ille de inproviso perterritus et viribus dissolutus, ut nec
quidem ascensum equi accurtatoris[c] qui iuxta eum ducebatur temptaret, captus est, et
ab indignis, barba ex parte exvulsa et colafis infractis, omni indignitate est habitus. Ad
Munnam, castellum Wicmanni, cum summo probro deductus est, ibique minis et nimia
furia victorum, ut Aspolam traderet nisi capite maluisset plecti, compellebatur. Ille
vero legatum, quem illuc mitteret, expostulat. Quo impetrato[d], aliqui ex[e] suis ad eum
venerunt, et ex casu eius multo dolore et gemitibus affectis, munitionem tradi iussit.

11. *De Gevehardo, et Baldrici redemptione.*

1. 2. Godizo is, de quo supra diximus, propinquus venerabilis Liutgardae et uxoris
Baldrici, moriens Hengibach et Aspolam in Gerhardi[f] fidem, quia propinquus erat, ut
uxorem et filias eius parvulas nutriret, tradidit. Gerhardus vero Aspolam, quia proxima
erat, Baldrico commisit, et Hengibach viduae, suis custodiis adhibitis[g], tueri iussit. Quae
muliebribus[h] rebus agitata, accitum Gevehardum ad se admisit, et sibi in coniugium
copulavit. Hic miles primum Baldrici fuerat; set quia haec omnia eo insciente et sine
eius consilio peregerat, et Aspolam, quae sub sua potestate erat, ex parte uxoris
appetiturum cognoverat, qua carere nolebat, amicitiam eius repulit et militem abdicavit.
Qui cum eius potentiae resistere non posset, Wicmanno se devovit eiusque imperiis se
subdidit. Haec erat causa, quae Gevehardum contra Baldricum accenderat et inter eos
discidium fecerat. Aliquot diebus Baldricus cum in vinculis teneretur, postulavit, ut
accepta pecunia quantam voluisset dimitteretur. Cumque, ut ille hoc laudare vellet,
vix cogeretur, constituit, ut intra brevissimum spacium temporis duo milia librarum
argenti profiteretur. Ea quidem ratione dimissus est, et ille obsidibus de pecunia
cavebat. Cumque haec conquireretur et conferretur[i], et iam pars quaedam data esset,
episcopus et Wicmannus cum exercitu redierunt, rem gestam a referentibus cognoverunt,
48 et eventum, tantis infortuniis suis exigentibus, ex nimia[k] obtemperantia uxoris[48] commiserati sunt. Et indicto conventu, simul[l] conveniunt, Gevehardum abhibuerunt, et ut

a) advertit c. b) mitterentur *corr.* mitteretur c. c) *ita* 1. (*i. q.* spadonis?) accuratioris 2. d) imperato c. e) ex 1. e 2. f) gehardi c. g) adhibitus c. h) mulieribus c. i) conferreretur c. k) exnimi a *iam* exn imi a c. l) simu 1. 47) Heimbach in Eiflia. 48) Adelae.

illam pecuniam praeter quadringentas libras argenti Baldrico indulgeret, perfecerunt; et ille, de his omnibus quae in eum commissa sunt nullam umquam ultionem expeteret, sacramento firmavit.

12. *De nece Wicmanni*[49].

Non multo tempore post haec familiaribus amicisque Baldrici et Wicmanni com- 1016. placuit, ut deinceps, omni simultate postposita, pax stabilis et fides firma inter eos sanciretur. Quod cum omnes uno animo collaudarent, ad constitutam diem iterum omnes conveniunt. Post multa colloquia transierunt undecim cum Baldrico et totidem cum Wicmanno, iuramento, inter ipsos habituram pacem et fidem et dilectionem, summa alacritate omnium se obligaverunt. Quod ut factum est, satis fida amicitia sine ulla suspicione, ut quibusdam videbatur, postea usi sunt. Set cum procederet iam non multum spacium temporis, scilicet nondum peracto anno, Wicmannus ad convivium Oct. Baldricum invitavit. Quo peracto et amplissimis donis oblatis et benigne his susceptis, dimisit eum et cum abeunte comitatus est. Quibus euntibus, Baldricus postulavit Wicmannum, ut vicem illi rependeret, ad domum suam veniret, epulasque sibi decenti apparatu exibere liceret. Atque primum renitebatur; set cum tantam amicitiam et dilectionem inter eos conflatam recoleret, ut nefas putaret, si non voluntati eius adquiesceret, suis militibus dissuadentibus et quasi iam casum eius divinantibus, tamen annuit, et deducentem subsecutus est. Et cum iam ante introitum castelli nomine Upladii[50] venissent, Wicmannus conversus dixit ad alterum: *Ecce contra voluntatem meorum militum hoc castellum ingredior, in eo quid mihi sit eventurum ignorans, set Deo et vestrae fidei me medium interpono.* Cumque ille, vehementer admirans super verbo hoc, dixisset, nihil incommodi Deo disponente aut aversitatis, set omnia quae suae saluti et honori congruerent, sibi eventura, ingressus est. Uxorque Baldrici solo corpore, non animo, procedens, plurimis verbis, ut mos est adulantium, illum suscepit. Sane quidem pene in singulis sententiis contra eam bellum suscipere videor, dum invitus, quae de illa referuntur, necessario ordine exponere cogor. Illa, statim ut ingressus est, de morte hominis tractare coepit, et primum venenis extinguere temptavit. Set cum hoc nihil se proficere animadvertit, insciente marito, consilio cum duobus inito, uno ex militibus et altero[a] servo ipsius, perditis hominibus, promissione firmata, datis dextris, ut eum quomodocumque interficerent, obtinuit. Tercio die, finito convivio, magno comitatu cum laeticia et iocunditate Baldricus deducit abeuntem. Quibus proficiscentibus[b], quidam Oct. 6. ex parte uxoris Baldrici, intuens Wicmanni elegantiam et honestatem hominis, dixit ad socium: *Tam prudentem virum et tam probis moribus decoratum et tot virtutibus praeclarum non facile quisquam repperiet.* Cui alter respondit: *Expecta paulisper, et videbis istius invidissimi hominis gloriam in brevi perituram.* Ex qua re colligitur, vere contra eum factam conspirationem fuisse. Set cum non longius miliario ab oppido progrederentur, et Wicmannus cum uno de sua re familiari secum agenti paululum praecederet, et sui ante eum per agrum sparsi, nullam opinionem timoris habentes, praecessissent, illi nefarii homines de improviso eum adgressi subito interficiunt, et rapido cursu se inde proripiunt. Cumque concursus fieret, et alius alium, quidnam tumultus significaret, clamosis vocibus percontaretur, et nemo quicquam certi, nondum re cognita, respondere potuisset, tandem caede conperta, et cadaver sanguine conspersum iuxta viam iacens cernerent, clamore et planctu magno sublato hoc scelus unanimiter in Baldricum conferebant; tale eius et consilium et fidem esse. Et quamvis innocens huius consilii esset, nullus tamen ex omnibus ad hoc adduci potuit, ut illum culpa non teneri arbitraretur; ita propter maliciam uxoris in odium eius omnium fama consentiens erat. Baldricus vero ut audivit comitem esse occisum, animo consternebatur, lacrimis et multis gemitibus deflens interitum viri; et metuens ne contra se ex recenti dolore tumultus excitaretur, celeriter se recipit in opidum.

13. *De Ubladio destructa.*

Hac re ubique divulgata, statim ab domno Adelboldo episcopo et duce et caeteris

a) alter 1. b) profiscicentibus 1.

49) cf. Thietmari chron. VII. 33. 34. Ann. Hild. Lamb. Quedl. a. 1016. 50) haud procul Noviomago et Eltena.

1016. amicis eorum legationes ad imperatorem mittuntur, qui tunc cum exercitu in Burgundia morabatur, ab his de Wicmanni caede cognoscat. Qui de morte amicissimi et familiarissimi viri vehementer commotus, auctorem caedis ut persequantur et bona eius diripiant iussit, seque ilico venturum denuntiat. Baldricus vero intellegens, neminem aliter existimaturum quam suo consilio hominem interemptum, propterea quod ab ipso domi invitatus fuerat, et oppido receperat, et abeuntem deduxerat, et in praesentia sua necatus fuerat, gravi dolore afficiebatur et quid huic rei opponeret excogitabat. Quem dolore moerentem uxor accedens, multis increpationibus arguebat, et ut constantiam et vires sumeret et desidiam deponeret hortabatur. Hanc molliciem animi vili mancipio potius quam illi congruere dicebat, hocque aequiore animo ferendum docet, quod nullo remedio recuperari possit. Neque etiam dubitandum, quin sua ratione et voluntate comitem occisum illos arbitrandos, et idcirco procul dubio credendum, ultionem ab eis esse expetendam. Proinde opus esse, ut suae suorumque saluti prospiceret et rebus suis tuendis summa cura invigilaret. His et aliis huiuscemodi verbis coniugis permotus et in maiores angustias adductus, commeatum in oppidum conportari iubet, ut si quid facto opus esset, sibi facultas resistendi non defuisset. Mittit nuntios Coloniam ad archipraesulem, in cuius clientela erat et eius largitate beneficia multa tenebat, illi rem gestam proponit. At ille auxilia sua sibi non defutura pollicitus est. Traiectum quoque mittens, supplementa episcopi exposcit; qui eius adiutorem et amicum fore non posse demonstrat, nisi domino suo imperatori augusto de admisso scelere inculpabilem esse fida satisfactione se expurgaret. Hac spe deiectus, omnes, á quibus fidem et familiaritatem sperabat, ad suum auxilium convocat; et priusquam id efficeret, propinqui et omnes amici Wicmanni, et maxime Adelboldus Traiectensis episcopus, qui illi ex hac re omnium infestissimus factus est, hostem iudicaverunt et bona sua publicaverunt. Summa quoque diligentia clam, ne id ad cognitionem eius perveniat, legationes inter se mittere coeperunt, et quisque prout possit copias cogat, et ad constitutam noctem et certum locum conveniant, et intra munitionem Baldricum, si fieri posset, obsideant. Quod cum a cupientibus celeriter administraretur[a], hostis consuetudine sua ante primam confectam vigiliam, timens periculum obsessionis, oppido cum paucis egressus est. Qui in tenebris, conspectu adempto[b], hostes videre non potuit; set exaudito tumultu adventantium perterritus, celeri fuga evasit. Castellum obsidetur[c], omnes vici et privata aedificia ad se pertinentia ubique vastantur, et magno numero pecoris et ceterarum rerum pociuntur. Dein quae ad pugnam praeparaverant, expediunt. Summa vi ab utrisque certatur. Set oppidanos in hoc superari, quia, cum multi accessissent et defatigatis alii successissent, propter paucitatem defendentium ex his nihil ab eis fieri potuit. Mulieres quoque galeis capitibus superpositis per murum disposuerunt, et per eas speciem pugnantium praebuerunt, ut visa quasi copia armatorum desperationem oppidi potiundi hostibus darent. Talibus incommodis fatigati, aliquot diebus aegre obpugnationem sustinent. Set haec sola res remedio illis erat, quod locus ex planicie natura paululum adclivis, et aggere aegregie elevatus, et muro, quod in illis locis rarissimum est, circundatus erat. Huic firmitati pocius quam sibi ipsis confidebant. Set cum imperatorem adpropinquasse cognoscerent et eius castra procul extrui animadverterent, desperata salute, de deditione ad hostes legatos miserunt. Quibus Adelboldus episcopus et Bernhardus dux veniam dederunt, et uxorem Baldrici cum suis rebus omnibus abire permiserunt. Castellum vero, muro diruto et subverso, incendio consumpserunt.

14. *De Ruodoldo rege Burgundionum.*

Imperator illis diebus in Burgundia, ut praedixi, cum exercitu hac de causa morabatur. Nam Ruodoldus rex Burgundiae propter mansuetudinem et innocentiam vitae a quibusdam principibus suis contemptus est, unde et de regno eum expellere temptaverunt. Qua necessitate compulsus ad imperatorem venit, illique causam omnem ordine exponit, et quia laborem et negotia regni diutius ferre non poterat, quia iam aetate provectus fuerat, regnum imperatori tradidit, et amplissimis donis acceptis, in patriam regressus est. Post haec imperator in Burgundiam profectus, conventus quos constituit peregit, obsides accepit, et rebus necessariis imperatis, rediit. Hii[d] vero qui

a) *ita* E. administretur c. b) adepto c. c) obsiditur c. d) Hic c.

antea rebellionem fecerant, cum viderent regem a negotiis regni alienatum, et se a priori potestate submotos, et auctoritatem et gratiam inter civitates in quibus dominari solebant esse diminutam, venerunt ad regem, et eius pedibus provoluti se dediderunt, et omnibus rationibus de comtemptu satisfacturos promiserunt, neque se umquam ab hoc animo revocari, quin semper suis imperiis sint obedientes; unum illud specialiter deprecari, ne alterius gentis regem super populum suum dominari pateretur; legem hanc perpetuam Burgundionum esse, ut hunc regem haberent, quem ipsi eligerent atque constituerent. Horum oratione placatus et satisfactione accepta, rex legatos ad imperatorem mittit, dicens, adversarios suos ad se venisse, veniam de his quae in eum commiserant postulasse, sibique dehinc sine ulla suspicione fore obedientes confirmasse. Petit ut hanc gratiam sibi concedat, regni sui pristina potestate pro sua clementia[a] se uti permittat. Imperator vero, quamvis sibi hoc videretur incommodum, tamen recolens, propinquum suum summa necessitate coactum ad se venisse et regnum non tam voluntate quam necessitate adductum sibi tradidisse, ne nimis inhumane contra eum egisse existimaretur, peticioni regis annuit, sibique regnum reddidit, et principibus suis ut illi in omnibus obsecundantes essent imperavit. Set si quis in his, quae nunc diximus, propter honorem imperatoris in paucis verbis ab historiae veritate me declinasse contenderit, quamvis ego nihil falsi mea conscientia, set quae plurimorum relatu didici, scripsissem, is profecto sciat, hoc tamen omnium testimonio verum esse, Burgundiones imperatoris timore perterritos, regi pristinam servitutem deinceps exhibuisse. Heinricus Burgundia rediens, Munnam et omnia quae Wicmanni erant Bernhardo[a*] duci, ut filium suum parvulum nutriret donec adolesceret, commisit. 1016.

15. *De Munna clam tradita.*

In Munna erat servus cuiusdam partium Baldrici, ad fallendum valde callidus; hic nescio quo de crimine reus, domino suo multis diebus fugitivus erat. Qui, excogitato consilio, posse domino suo in hoc reconciliari si castellum illi traderet, clam venit ad eum, certissime promittens, si eum sequi vellet, in medium Munnae absque ullo periculo deducturum. Ille autem, ut est consuetudo adolescentium, nimium in pollicitatione eius exultans, magna ei promittit munera, et ut quam celeriter id efficiat hortatur. Ille vero fidem dat se ita facturum, et ad constitutum tempus reseratis portis summo mane dominum suum intromisit. Oppidani in lectulis adhuc somno gravati, inopinato clamore hostium subito excitantur. Cumque per hospicia hac et illac discurrerent et quo se reciperent ignorarent, inermes capiuntur, uno tantum in prima concursione interfecto, caeteri omnes de castello expelluntur.

16. *De expulsione Baldrici, et Munna destructa.*

Baldricus domo expulsus et omnibus fortunis amissis, ad sacerdotem Coloniensem 1018 abiit. Qui eius recentes calamitates commiserans, sedem in civitate delegavit stipendiumque constituit. Gerhardus quoque Mosellensis Hengibach illi accommodavit, ut, quo se recipiat, habeat et tutus ab hostibus existat. Munna vero, ut supra diximus, a suis capta, augebatur illi spes, sperans se[b] per hanc[c] casum suum et dolorem expiaturum et pristinam salutem recuperaturum. Set longe aliter res accidit. Nam Noviomago concilio indicto, cum multi advenissent, imperator Munnam, ne aliquod incommodum Mart. 16. aut praeda ex ea regioni fieret, destrui iussit. Ad eius destructionem Heribertum archiepiscopum et Gerhardum Mosellensem et alios multos misit[d], qui funditus aedificia omnia subruentes, ignem immiserunt, et spem omnibus ibi ulterius constituendae munitionis ademerunt.

17. *De quaestione habita cum Baldrico de morte Wicmanni.*

His actis rebus, de nece Wicmanni cum Baldrico quaestionem habere instituit. Cumque ad hunc conventum multi adessent, imperator Baldricum, publica data fide, advenire iussit. In quem cum acerrimae sententiae proferrentur, et ille summo conatu se inculpabilem per omnes iusticias, quas imperator constitueret, demonstrare cuperet, dux Godefridus et Bernhardus[e] omnem purgationem sui faciendam legibus interdixerunt, propterea quod saepius inter illum et Wicmannum fides et pax sacramento firmata, semper ille prior discidium fecerit, et ideo eius satisfactionem ulterius non recipiendam

a) potentia *corr.* clementia c. a*) berhardo 1. bernardo 2. b) *manu* 2. c) hunc 1. d) multos *corr.* misit c. e) berhardus c.

1018. esse, qui convictus tam manifestis indiciis periurus[a] existeret. Cumque loqui conantem, vocem eius, ne causam suam diceret, interciperent et in eum frenderent, saevientes ob innocentis mortem, et vix conspectum eius ferrent, res iam pene in eo erat, ut militum manibus discerperetur. Cumque videret se in arto positum et evadere posse diffideret, voce magna clamavit petens auxilium regis. Clamore eius audito, surrexit rex, et extensa manu, ne publicam datam fidem laederet, ex manibus saevientium eripuit, et iam disperatum abire a facie eius iussit. Quem archiepiscopus suscipiens, magna cura
1021. tuebatur, et ab hostibus vix ereptum, Coloniam remisit. Qui post hinc triennium aeger factus in Hengibach moritur, corpusque eius in possessionem[b] suam Sefluche[51] defertur et ibi sepelitur.

18. *Quomodo Gevehardus in mortem[c] ductus est.*

Post cuius mortem servus isdem qui Munnam tradidit, venit ad Gevehardum, de
c. 11. quo supra diximus, promittens illi, si eius consilio adquiescere et se sequi vellet, beatum facturum, ad suum castellum Hengibach, quod ei ex parte uxoris iure successit, deducturum, et sine vulnere liberam facultatem sibi pociundi daturum. Qui ad suam infelicitatem, nimium credulus verbis servi, sine mora subsequitur euntem. Et cum per exploratores eum adpropinquasse cognitum est, Gerhardus, ut condictum erat, magnam multitudinem armatorum per officinas et conclavia oppidi abscondit, et quid sui sit consilii illis ostendit, et ipse in circuitu castelli in silva cum aliis copiis delituit. Et cum Gevehardus in medium munitionis quasi bos ad victimam deductus esset, subito omnes de turribus et habitaculis exilientes, portas obsistunt. Paucis primo concursu viso evasis, caeteri sunt occisi. Set ille, non segniter muro ascenso, insidias de foris nesciens, se praecipitavit et aegre membris collisus est. Gerhardus quoque accurrens, porrecta manu collum eius graviter ferit, his verbis: *Seniorem tuum eodem modo cecidisti; en, habes quod egisti!* Dein ab illo a quo Wicmannus caesus est, adiuncto quodam servo Baldrici, confoditur atque interficitur. Sicque dum plus appetit, illud quod habuit cum vita amisit.

19. *De eclipsi lunae et solis, et viso comete.*

1017. Anno uno antequam concilium Noviomago indictum esset, luna post mediam
1018. noctem hiberno tempore defecit, et rege sequenti anno in eodem loco consistente, in
1019. paschali ebdomada solis eclipsis facta est. Tercio quoque anno cometes in aquilonari parte coeli longissimis crinibus et pallida specie visus est. Sequuntur hoc signum multa bella, et in plurimis nationibus maximus sanguis hominum per praelia fusus est.

20. *De Meriwido a Frisiis obtenta, et de Tielensibus.*

1018. Antequam hoc prodigium in coelo appareret, circa litus oceani bellum coortum est. Huius belli haec causa fuit. Pars Frisiorum, sedibus suis relictis, in silva Meriwido,
I. 8. de qua supra diximus, habitacula construentes consederunt, et adiunctis sibi praedonibus magna mercatoribus dampna intulerunt. Praedones vero, eis postea subiugatis, singulis ad modum uniuscuiusque culturae ad extirpanda novalia terram diviserunt, eamque colere iusserunt, et sibi vectigales fecerunt. Unde mercatores Tielenses, qui etiam specialiter prae caeteris facile ad quascumque querimonias excitandas accenduntur[d], crebro regem interpellabant, ut pro sua gratia eos ab his iniuriis defendat. Si id non faciat,
52 neque se causa negotiandi in insulam[52] venire, neque ad se Britannos commeari posse, et ideo vectigalia sibi, ut oportebat, plenius provenire non posse, dicebant. Set libet pauca, non detrahendo, set ex intimo corde condolendo[e], hic inserere, quibus moribus et institutis isti Tielenses ab aliis viris[f] differant. Homines sunt duri, et pene nulla
53 disciplina adsuefacti, iudicia[53] non secundum legem set secundum voluntatem decernentes, et hoc ab imperatore karta[g] traditum et confirmatum dicunt. Si quis quicquam ab alio mutuum sive accommodatum acceperit, et ille ad constitutas inducias rem suam repetit, constanti animo inficias it, et sine mora se nihil ab illo accepisse iurat. Et si quis deprehensus fuerit publice peiurasse, a nullo posse[h] redargui confirmant. Si rem quo-

a) peiurus 2. b) possionem c. c) montem *corr.* mortem c. d) acceduntur 1. e) detrahendo *corr.* condolendo c. f) *ita corrigo;* ist *corr.* uicis c. g) *ne quis* Karolo *legi suspicetur, codicem* karta *habere moneo.* h) pose 1.

51) fortasse Sefferen, ditionis olim Prumiensis. 52) Britanniam. 53) cf. quae ea de re duce V. Cl. Birnbaum D. Io. Heinricus Beucker Andreae in specimine de origine iuris municipalis Frisici p. 369 sqq. nuperrime disputavit.

que una manu tenuerit, si tantilla est ut pugno includi possit, cum altera iuramento denegabit. Si quis Dei fidelium apud imperatorem intercedat, ut haec scelera interdicat ne tot animae cotidie pereant, magnam profecto a Deo remunerationem sibi donandam sperare poterit. Adulterium in culpam non ducunt. Quamdiu uxor tacuerit, virum per nefaria scelera sordescere licitum habent, et talia agentem neminem praeter uxorem in synodo interpellare debere. Summo mane potationibus student, et quisquis ibi altiori voce turpes sermones ad excitandum risum et ad vinum indocile vulgus provocandum protulerit, magnam apud eos fert laudem. Siquidem ob hoc pecuniam simul conferunt, et hanc partitam singulis ad lucra distribuunt, et ex his quoscumque potus[a] certis temporibus in anno cernunt[b], et in celebrioribus festis quasi sollempniter ebrietati[c] inserviunt.

21. *De bello contra Frisios adhibito.*

Imperator vias mercatorum patefieri volens, Adelbaldum[d] episcopum et ducem Gode- 1018.
fridum ad se vocans[54], mandat, ut Frisios adeant, eosque ab his sedibus quas iniuste occuparant propellant et praedones submoveant. His mandatis acceptis, immensam multitudinem cogunt, clarissimos quoque viros et adprime in re militari instructos, qui tamen equitatui omni vita studebant, navi nihil poterant, secum adsciscunt[d*]. Cumque in unum convenissent, omnem exercitum in navibus collocant, eoque ubi Frisios cum coactis copiis audierant esse contendunt. At illi qui silvam occupabant, ut compererunt per exploratores de adventu exercitus, reliquerunt domos, et ad eos, inter quos praedones municiunculam construxerant, fuga se receperunt. At nostri cum tota classe pleno aestu accesserunt ad Flaridingun; sic enim haec regio[55] Frisiorum vocatur. In cuius litus cum exponerentur milites, dux ceteram omnem multitudinem egredi iussit, paucis relictis qui naves in altum reducerent, ne iterum commutato aestu in arido consisterent, ut si quid opus esset eis libere uti potuissent. Frisii ubi eos campum audaciter[e] suis agminibus complere cernerent, et neque ab his qui in munitione erant ullum praesidium sperarent, eo quod et illi circumiecta tanta multitudine nullum effugium haberent, editioribus[f] locis in stationibus Frisii coadunati, quid consilii hostes caperent, expectabant. Haec tamen res in loco eos continuerat, eo quod illos sine equis advenisse cognoverant, se autem labore cotidiano et rustica exercitatione pedibus plurimum posse confidebant; et si ab hostibus premantur, stabant ad fugam praeparati atque expediti. Una res erat illis magno usui, quod campum omnem fossis praefoderant, sive ad defendendum maiorem aestum maris, qui in plenilunio validior solet fieri, sive ad impediendum iter hostium. Quas cum duci videretur difficile cum multitudine transeundas,
iussit, ut qui signa ferebant redirent, et circutatis[g] fossis in locis planis consisterent, ut Iul. 29.
si Frisii[h] dimicare vellent, eos excipiendi expeditior facultas esset. Et cum exercitus ducis[i] signa referre coepissent, ortus est inter novissimos eorum clamor a quodam scelestissimo, propinquo praedonum, dicens, ut quisque vitae suae consuleret, ducem in prima acie impetu Frisiorum pressum fuga praelio cessisse. Hac falsa fama per exercitum perlata, omnes in fugam versi sunt, et tanto timore sunt perterriti, ut nemine urguente in flumen se praecipitarent. Multi confisi viribus ad naves transnatare cupiebant. Quas cum prehendissent, et in eas summo studio ascendere conarentur, multitudine circumstipante naves dimersae sunt. Et eo modo plures perierunt, quod quisque carum suum et propinquum in mortis natatu periclitasse conspiciens, dum subvenire illi vellet, circumfunditur innumerabile vulgus, navesque in profundum trahunt, et sic pariter omnes suffocati sunt. Pauci videntes haec et timentes periculum submersionis, et ut solet fieri, quod plerique in tali perturbatione non recipiunt miserationem, ne simili modo perirent incitatis remis fugam accelerant. Cum plures[k] vero metu et lassitudine et pondere armorum pressi sicuti cursu intrabant, ita sub aqua recti et exanimati stabant. At hi qui in munitione erant, cum viderent concursum fieri, et certatim se de littore in aquam praecipitari, animadverterant eos perturbatos fugam inisse, et mox nutu et vocibus de fuga eorum Frisiis significare coeperunt. Dux vero videns fugam multi-

a) pot' c. *an* potos? b) cernt c. c) *ita* 2. ebriati 1. d) adebbaldum c. d*) adciscunt c. e) audacter 1. f) editionibus 1. g) circutriis c. circuitis *Eckh.* — circutare *i. q.* circare. h) frisi c. i) duos 1. k) *i. q.* Complures.

54) cf. Thietmar. VIII. 13. 55) hodie tantum eius nominis vicus extat Vlaerdingen, quem ab Oceano Mosam invectus, a sinistra infra Roterdamum conspicis.

1018. tudinis, cum suis stabat stupefactus; fortissimi quoque, quorum cor ut leonum erat, ita pavore solutum est, ut loco in quo constiterant se movere non possent. Acciditque — nescio quod divino iudicio — quasi inauditum miraculum, adeo[a] ut Frisii ex significatione oppidanorum evocati accurrerent et eos quasi saxi immobiles stantes interficerent; et ita Dei iussu sunt in suis membris obligati, ut nemo ex tanta copia clarissimorum virorum manum stricto gladio ad resistendum erigeret, vel scutum ad se protegendum opponeret. Quibus peremptis, celeri cursu pervenerunt ad litus, et cum plures, qui per crepidinem littoris in aqua manibus reptabant, iaculis confodiunt. Alii namque, dum ducem solum stare conspicerent, circumsistunt; set ille, consumpto spiritu, fortiter restitit, et missa pila excipit, unum tantum[b] a tergo se inpetentem aversa hasta traicit. Quo exanimato, reliquorum impetum paululum repressit. Interim praedones ex oppido iam laeti de victoria subito erumpunt, omnia cadavera mortuorum perequitant, illuc ubi ducem a multitudine circumdatum cernebant contendunt. Quem cognitum, et iam in adversum os vulneratum et pene desperatum, statim ex periculo eripiunt, et cum paucis captis in castellum perducunt, pedibusque eius provolvuntur, eique se dedunt, obsecrant, ut rebus suis consulat et apud imperatorem et episcopum Adelbaldum pro eis de negotio confecto interveniat. Quibus cum dixisset, omnia quae ab eo postularent sese facturum, tantum ut ipsum et ceteros qui superessent et capti erant illaesos abire permitterent, responderunt, magnas inimicitias parentum et propinquorum illorum qui occubuerant ipsos incurrisse; si impunitatem illius facti iuramento sibi confirment, ut nullam umquam vindictam ab ipsis exigant, sese facturos, quae postularet, ostenderunt. Cumque dux haec laudaret, constituunt diem et locum, quando haec omnia fieri debeant. Illos autem qui capti fuerant usque ad inducias condictas in vinculis retinent; ducem abire permittunt. Quo abeunte, irruerunt super occisos, et obliti omnis humanitatis, omnia corpora vestimentis exuerunt, ut nec pannum quidem relinquerent quo verenda tegerentur. De his quoque haec feruntur, quod quaedam corpora horum longe in altum ab incolis propter foetorem expulsa, ab avibus et bestiis et marinis feris, quae cupidissimae humanorum cadaverum sunt, illaesa et intacta permanserint. Et dum iterum ad litus per aestum proicerentur, per duo miliaria aut amplius candor eorum visus est, quasi litus candidissimis linteis esset expansum. Hoc quoque in eius rei testimonium dicatur, quod
Dec. 1. novem corpora illorum Kalendis Decembris, simul adhuc conligata, in quadam ripa sunt reperta, ita integra ut pene nulla putredo in eis investigari posset, quamvis caedes 4. Kal. Augusti facta fuisset.

22. *De clerico Iudeo facto.*

Lib. I. cap. 7. Superius me promisi relaturum de illo apostata, qui relicta religione clericatus in perfidorum voraginem incidit Iudeorum. Set in ipsa promissione exsolvenda totus contremesco, et horrentibus pilis capitis terrore concutior, diabolum potuisse homini persuadere, ut tantas sordes ausus esset contra Christum et sanctos eius iactasse. Scripserat enim funestis litteris infelicissimus ille:

23. *Scripta ipsius apostatae.*

Quid contradicis iusto insipiens? Lege Abacuc prophetam, in quo Deus dixit: „Ego
Mal. 3, 6. *sum Deus et non mutor.“ Si ille secundum vestram maledictam fidem mutaretur et mulieri commisceretur, principium verborum suorum non esset veritas. Dixit Dominus ad*
Exod. 33, 20. *Moysen: „Non enim videbit me homo et vivere potest.“ Quem filium hominis praetermisit?*
Ps. 145, 3. *Dicit enim David propheta: „Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus;“ et Ezechiel: „Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem*
Ier. 17, 5. 6. *brachium suum, erit enim quasi miricae in deserto, et non videbit fructum, cum venerit bonum.“ Quid contra hiscis animal? Quem filium hominis praetermisit? Num Petrum et Iohannem atque Martynum et alios demones, quos sanctos vocatis? In omnibus locis*
Ps. 104, 8. 9. *legitur Deus Israel, et non est Deus gentium. Ubi est vester sensus? Dicit David: „Memor erit Dominus in seculum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, et iuramenti sui ad Ysaac,“ hoc est lex sua sancta et circuncisio, quam dedit Moysi servo suo.*

a) *ita E.* a dn̄o *c.* b) tm̄ *c.*

24. *Heinrici epistola ad Wecelinum.*[a]

Respondere calumpniae tuae, o Iudee incredule, quam ex blasphemo ore in Christum eiusque sanctos nunc noviter evomuisti, cuique in militia christiana instructo facile esset, si non facilius esset, saxa in mollitiem posse converti, quam corda vestra ad recipiendam veritatem discindi. Quippe cum et illa auctorem suum morientem scissa recognoverunt[b], *et tamen adhuc insensibilitas cordis vestri, quamvis elisa, quamvis prostrata, in duricia inveteratae iniquitatis perseveret, et licet per coaeternam Dei sapientiam, qua mundus et mirabiliter est conditus et mirabilius reformatus, obstructum est os loquentium iniqua, et iniquitas vestra mentita sit sibi, toto seculo verbisque prophetarum et exemplis sanctorum eluceat, quam sit dampnata infidelitatis vestrae caeca impietas, et quam glorificata assumptae in Christo mortalitatis infirmitas: tamen, quoniam adhuc non desperat de machinationibus suis Iudaicae malignitatis obstinata improbitas, et ad confutandam christianam religionem scelerato fastu inmurmurat, et per exempla patrum dictaque prophetarum stantem florentemque ecclesiam ipsa iam tociens devicta et omnino prostrata iterum ad certamen provocat, aggrediamur*[c] *eos, dante et iuvante ipsa Dei sapientia, verbo Dei, Dei filio, eoque primum lapide lapidea corda feriamus, quem Daniel propheta, ut dicitis vester, immo* Dan. 2, 34. *noster, vidit sine manibus de monte concidi et implere universum mundum. De quo etiam* Psal. 44, 2. *et David dicit: „Eructavit cor meum verbum bonum.“ Idemque: „Dominus dixit ad me:* 2, 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*[c*]*.“ Idemque: „Omnia in sapientia fecisti.“ Et Salomon:* 103,24. *„Dominus possedit me initio viarum suarum.“ Set quoniam non de aeterna Christi nativitate,* Prov. 8, 22 *in qua semper fuit patri aequalis, set de temporali, in qua, sicut David clamat, minoratus est paulo minus ab angelis,* Psal. 8, 6. *cum Iudeo nobis sermo est, audiamus quid dicat, et obiectioni eius consequenter respondeamus. Dicis Iudee: „Quare contradicis iusto insipiens?“ Primum velim mihi respondeas, quem dicis iustum, te aut prophetam? Si prophetam, assentior, tamen in eo, quod illi me non contradicere ostendam, te mentitum esse iure convincam. Si vero te dicis iustum, quem constat prius esse mentitum, nescio quo pacto obtinebis iusticiam, quem mendacii polluit macula. Neque legis tuae congruenter simul poteris esse assertor et praevaricator dicentis: „Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.“* Exod. 20, 16. *Quod si, uti praemisi, prophetae non contradicam, cum ipse pro me dicat, et quae tu tibi contra me comparaveris arma, his tibi lętalia infligam vulnera; quoniam intulisti proximo tuo falsum testimonium contra legis praeceptum, legis incurres reatum; reatus autem trahet te ad poenam; poena vero perducet te usque ad mortem. Set videamus sequentia. Infelix Iudee*[d], *quem vocas insipientem? Non nos credentes in Crucifixum, qui factus quidem est vobis lapis offensionis et petra*[e] *scandali? Quoniam quidem „lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.“* Math. 21, 42. *Ergo nos insipientes, et vos sapientes estis? Tamen per stulticiam praedicationis iam mundi superbia*[f] *cecidit, et in frontibus regum crucis videtis tropheum. Quia quae stulta mundi sunt, elegit Deus, ut confundat fortia.* 1. Cor. 1, 27. *Ac per hoc libenter amplectimur stulticiam crucis Christi, quoniam credimus nos perventuros ad gloriam Christi. Set quid surdo narro fabulam? aut quid caeco appono lumen? vel Iudeo euangelium praedico? Redeamus ad sequentia. Inquis: „Lege Abacuc prophetam,“ non in quo, ut tu dicis, set per quem ipse Deus dicit: „Ego sum Deus et non mutor.“ Praemisi tibi, Iudee, testimonio Abacuc nullatenus me contradicere, et non solum Abacuc, set et omnium prophetarum et legis documenta me dico suscipere; quia eum colo, qui non venit legem solvere set adimplere. Dixit Deus per Abacuc: „Ego sum Deus et non mutor;“ et hoc firmiter credit christiana religio. Quod vero subsecutus es: „Si ille secundum vestram maledictam fidem mutaretur et mulieri commisceretur, principium verborum suorum non esset veritas;“ quid*[g] *mirum est, cum caecus sis, si non vides lucem illam, quam non vident, nisi qui mundo sunt corde; immo cum etiam more frenetici contra medicum resilias, et sanare te volenti maledicta et convitia*[h] *obponas? Tam enim excelsa et profunda sunt incarnationis Christi misteria, quomodo Verbum Dei incommutabiliter apud Deum Patrem semper manens, carnem de virgine sumpsit naturamque nostram suae univit, quod nemo haec capit, nisi qui spiritualiter sapit; nemo sapit, nisi Deo donante*

a) *rubricam adieci; v. supra I. 7.* b) recognouert c. c) Agrediamur c. c*) *Hic alique plures versus nonnisi prima cuiusque vocis littera scripti sunt.* d) iudex 1. e) petri c. f) sapientia *corr.* superbia c. g) qđ c. h) cumuitia c.

Isa. *capiat; quo donante credit qui nondum capit. „Nisi enim credideritis", inquit propheta,*
7, 9. *„non intellegetis." Ergo credenti colligitur meritum, videnti reddetur praemium; quoniam*
si vides, non est fides; quamdiu enim peregrinamur in huius mundi tenebris, fide mundantur
corda eorum, qui Deum visuri sunt. Hac itaque fide, qua Dei filius etiam hominis filius
praedicatur, quosdam vestrorum mundandos longe ante Deus praedixerat per prophetam
Act. 2, 17. *Ezechiel, dicens: „Et erit in novissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem*
carnem, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis
Ezec. 36. 25. *vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos, et dabo vobis cor novum, et spiritum*
26. *novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis*
cor carneum", et caetera; quibus evidenter ostenditur, in quibusdam vestrûm abstulisse Deus
de cordibus velamen, ut spiritu Dei agente fide praepararentur corda multorum ad susci-
piendam aquam salutarem, in emundationem omnium peccatorum; quosdam vero obcaecari,
et infidelitatis errore remansuros; sicut per alium prophetam scriptum est: „Excaecans
Isa. 6, 10. *excaecabo corda eorum, ne videant lumen." Unde, ó Iudee, cum tú palpabilibus tenebris*
obcaecatus sis, quomodo te putas posse advertere, qualiter Deus sine ulla sui commutatione
mulieri, non ut tu, perfide, garris, commisceretur, set de carne mulieris corpus sibi fabri-
caret, quoniam divinitas verbi Dei in unitatem sibi personae assumeret, ita ut nec divinitas
in carnis passibilitatem, nec humanitas in divinitatem transiret, essetque tamen et filius
Dei homo propter assumptum hominem, et filius hominis deus propter assumentem Deum.
Praedixerit tibi propheta: „Nisi credideritis, non intellegetis." Crede, et intellegis; et roga
Deum, ut tollat velamen, ut auferat cor lapideum. Rogamus etiam et nos pro vobis,
invitis vobis. Set quoniam Iudeus nec rationem recipit nec praedicationem, nisi Deus[a]
tollat velamen — scio enim eius cervicem durissimam —, occurramus ei oraculis
prophetarum, ut vel sic credat, vel sic confusus recedat. Quod[b] *carnem Christus*[c] *de virgine*
esset sumpturus, praedixit Esaias: „Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium, et
Isa. 7, 14. *vocabitur nomen eius Emmanuel," id est nobiscum Deus. Quod de tribu Iuda esset*
nasciturus et spiritu Dei replendus, idem ipse ait: „Exiet virga de radice Iesse et flos de
11, 1. 2. *radice eius ascendet, et requiescet super eam spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,*
spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit[d] *eam spiritus timoris*
Domini." Quod inter homines conversari deberet, praedixit Iheremias: „Hic Deus noster
Bar. 3, 36. *et non aestimabitur alius praeter eum", et post pauca: „Post haec in terris visus est, et*
38. *cum hominibus conversatus est." Quod pro nobis pati deberet, item Esaias: „Vulneratus*
Isa. 53, 5. *est propter iniquitates nostras." Et multa alia de illo protulerunt, quibus aperte edocetur,*
omnem dominicam conversationem inter nos a tempore incarnationis usque ad ascensionis
concordare testimoniis illorum. Quod contra haec dicis, sceleste? nisi forte opponas mendacium,
quod ex patre tuo diabolo est; sicut idem dominus noster Iesus Christus dixit: „Vos ex patre dia-
Ioh. 8, 44. *bolo estis, et opera patris vestri facitis." Ecce quoniam ratione et exemplis responsum est tibi bre-*
viter, quod Deus inmutabilis permanet, et tamen carnem sumpsit ex virgine. Nunc ad sequentia
redeamus. „Dixit Deus ad Moysen: „Non enim videbit me homo et vivere potest." Hic inter-
rogo, Iudee, qui semper sequeris occidentem litteram et non vivificantem spiritum, quomodo
putas posse hominem videre Deum, an non posse putas? Si posse, utrum corporalibus
oculis, an mente? Si corporalibus[e] *oculis, absurdum satis videtur; siquidem cum ille*
incircumscriptus spiritus nec mole distenditur, nec loco continetur, nec tempore movetur,
atque omnia late patet, quam infirmus sit humanus intuitus. Si mente, non videtur impossi-
bile, si tamen munda. Promissum nobis enim est: „Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum
Matth. 5, 8. *videbunt." Si non posse, quomodo erit verum, quia dictante veritate David dixit: „Quae-*
Ps. 104, 4 *rite Dominum et confirmamini, quaerite faciem eius semper." Num non hominibus loque-*
batur David, quorum mentes ad exquirendam Domini faciem excitabat? Num quidnam
veritas et praeco veritatis dissentient? Non plane quidem intellegentibus. Item quaero, si
videre homo Deum possit et vivere, annon? Si videre potest et vivere, quomodo erit verum,
quod Deus dixit: „Non enim videbit me homo et vivere potest." Si vero non potest, ut
hoc verum esse possit, quomodo erit verum, quod Iacob dixit: „Vidi Dominum facie ad
Gen. 32, 20. *faciem, et salva facta est anima mea;" et Esaias: „Vidi Dominum Sabaoth oculis meis."*
Isa. 6, 5. *Quomodo praedicabunt contraria et veritas et prophetae veritatis? Set quoniam stoliditas*

a) n. D. *bis scripta c.* b) Qd *c.* c) xpo *c.* d) repleuit *c.* e) *manu* 2.

vestra in vetustate litterae et non in novitate spiritus ambulabat, ex eo caeci incurritis offendiculum, unde luminis possetis habere ducatum. Ac per hoc nos, qui aeterni luminis suscepimus veritatem, Iudaicae caecitatis discindamus errorem, ut et fidelibus mentibus propositae quaestionis pateat veritas, et illi audientes non intellegant, et videntes[a] *caeci fiant. Dixit Deus ad Moysen: „Non enim videbit me homo et vivere potest", quod ita intellegi potest: Quamdiu homo in isto mortali corpore, quod corrumpitur et aggravat animam, vivit, Deum videre non potest sicuti est in natura divinitatis, nec corporeis oculis nec ipsa etiam mente, quamvis munda et ab omni pene vitiorum labe purgata. Quae etsi in divina iam sit contemplatione, minus tamen habet ad summam, quod aliquam maculam contrahit ex mortalitate, et ideo homo Deum non potest videre et vivere, quousque secundum hominem vivit, et secundum Deum*[b] *minime, et sibi non moritur, ut vivat Deo. Set quomodo in regione mortis, ut ita dicam, mortaliter vivens, Deum, qui vera vita est, et homo videret aut quaereret, nisi misericorditer inclinata vita ad mortuos descendisset? Mortui enim eramus, ex quo a facie Dei ex illa prima praevaricatione in Adam omnes cecidimus. Quapropter, miserata mortalitatem nostram*[c] *diabolica fraude deceptam, ad nos vita velata carne descendit, quia non aliter inaccessibilem lucem infirmitas carnis ferre valeret, nisi eadem vita carne sę velaret, per oppositionem carnis monstraret nobis lucem Deitatis, quod quasi iam factum Esaias*[c*] *ante praedixit: „Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta* Isa. 9, 2. *est eis." Hanc ergo lucem uterque Iacob et Esaias non corporalibus oculis, set spiritualibus vidit. Atque ex hac visione in vocem exultationis alter*[d] *eorum prorumpit, dicens: „Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea." Intellexerat enim, Deum dixisse ad Moysen: „Non enim videbit me homo et vivere potest"; quasi de salute animae suae desperasset, si non per prophetiae misterium*[e] *Deum, qui ab homine videri non poterat, per assumptionem carnis videri posse cognosceret. Unde quia vidit, clamavit: „Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea", et inde spem salutis assumpsit; unde per assumptae mortalitatis speciem salutem, exspectationem mundi, per carnis suae probationem venturam mundo cognovit. Quod etiam in benedictione filiorum praedicendo expressit, dicens: „Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femoribus eius, donec veniat,* Gen. 49, 10. *qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium." De quo etiam Esaias ait: „Super quem con-* Isa. 52, 15. *tinebunt reges os suum; ipsum gentes deprecabuntur." Nunc quid*[f] *contradicis, Iudee, cur* 11, 10. *vocas nos animalia? Ecce nos animalia eius, de quo dixit Abacuc: „In medio duûm animalium cognosceris." Non, ut tu improperas, hiscimus, set ut rationabilia animalia respondemus. Quod vero prosecutus es, dixisse David: „Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus," ac per hoc nullum filium hominis praetermisisse, ut ex prophetae testimonio iniuriam clam videaris facere Christo — set aperte servos eius blasphemas, quasi non iniuria servi ad contemptum respiciat Domini —, respondemus ad haec dicentes cum propheta: „Muta fiant labia dolosa, quae locuntur adversus iustum* Ps. 30, 19. 20. *iniquitatem in superbia et in abusione." Et spem nostram in hominem non ponimus set in Deum et in Christum eius, quem Deum et hominem veraciter credimus, eumque Deum et Dei filium esse, prophetarum vestrorum*[g] *testimoniis comprobavimus*[h]. *Petrum vero et Iohannem atque Martinum non demones, set expulsores demonum fideliter confitemur, et hoc verum esse certis indiciis usque hodie cernimus, non in eis spem nostram ponentes, set spem nostram apud Deum eorum intercessionibus commendantes. Quod vero dixisti: „In omnibus locis legitur Deus Israel et non Deus gentium," refellit te Deus per David, dicens ad filium: „Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam* Ps. 2, 8. *terminos terrae"; idemque ad Abraham: „In semine tuo benedicentur omnes tribus terrae."* Gen. 22, 18. *Si vero gentes hereditas Dei sunt, nescio, qualiter non sit Deus earum, cuius hereditas sunt. In hoc namque, quod sub requisitione nostri sensus innectis, memorem fieri dominum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, propinquius tuo noster sensus veritati concordat. Quomodo hic intellegis: „in mille generationes?" Si replices generationes ab exordio mundi, non invenies mille. Set quia in scripturis sacris saepe finitum pro infinito ponitur, mille generationes omnes generationes accipiendae sunt, ut consequenter verum sit iuramentum ad Abraham dispositum: „Quod in semine tuo benedicentur omnes gentes," id est in Christo.*

a) uidentibus *corr.* uidentes *c.* b) *vox ab Eckh. inserta.* c) nra. c c*) easaias c. d) aliter 1. e) testimonium 1. f) qđ *c.* g) uestrarum *c.* h) cum prob. *c.*

VITA BALDERICI EP. LEODIENSIS

AUCTORE MONACHO S. IACOBI LEODIENSIS.

Olbertus abbas, quem Gemblaci insignem discipulum Sigêbertum nutrivisse
1 *iam supra vidimus*[1], *in altero quoque cui praefuit monasterio, sancti Iacobi*
Leodiensis, prout liber de vita Balderici episcopi ibi scriptus fidem facit,
litteris excolendis et monachis erudiendis non inutilem operam dedit. Siqui-
dem[2] *ipse, Lobiensis coenobii monachus eruditione insignis, Burchardo canonico*
Leodiensi magisterii gratia a Balderico episcopo concessus, discipulum suum
cathedrae Wormatiensi impositum comitatus, re bene peracta cum litteris eius
commendatitiis Leodium rediit, et primo abbas Gemblacensis institutus, propter
3 *virtutem insignem a Balderico*[3] *etiam monasterio sancti Iacobi Leodiensi*
praefectus est. Cuius administrationem sub Balderici successoribus Wol-
bodone, Durando, Reginardo, Nithardo et Wazone tam in spiritualibus
quam in temporalibus strenue gessit, et anno 1048, *septem tantum diebus ut*
ipse voverat egregio amico Wazoni superstes factus, in monasterio S. Iacobi
vita cessit: „Alter, *Anselmus ait,* nobiscum corona clericorum, alter decus mo-
nachorum.“ *Cuius post obitum aliquot annis praeterlapsis*[4], *monachorum quos*
5 *pietate et doctrina imbuerat unus*[5], *qui tamen nomen suum latere voluit, grato*
animo in fundatorem loci, „cuius in hoc vitae salo non fictam karitatem ex-
pertus erat, cuiusque oblatione ad peragendum officium servitutis divinae se
subsistere“ praedicat[6], *Balderici episcopi vitam scribendam suscepit, et opus*
pia mente et veritatis studio inceptum circa annum 1053. *absolvit*[8]. *Auctor*
Baldericum vivum novisse non videtur, sed incertis neglectis, ea tantum quae
certis et idoneis testibus ad suam aetatem pervenissent litteris mandanda censuit[9].
9 *De pugna Huguardensi ea scribit, quae vera relatione didicerat quaeque anti-*
quiores qui adhuc supererant viva voce protestati erant, sed de eorum veritate
ambigens, oppositas relationes dirimendas Deo committit[10]. *Iohannis episcopi*
et pictoris historiam ab his qui in eam inquisierant compertam, ad eorum
11 *auctoritatem et testimonium refert, et alio loco*[11] *Hugonem, priorem loci,*„ virum
magnae karitatis et sobrietatis, qui ex his quae partim sancti Lamberti cano-

1) p. 461. 2) Continuatio Gestorum abbatum Lobiensium. 3) Continuator Folcuini et Aegidius Aureae vallis monachus Olbertum a Balderico monasterio praefectum esse scribunt, Reinerus Leodiensis rem a Wolbodone Balderici successore peractam refert, et noster etiam monasterii constructionem nonnisi sub Wolbodone perfectam dicit. 4) post Olberti obitum, quum cap. 29. *abbatum qui huic praefuerunt aecclesiae* mentionem faciat. 5) cap. 10. in fine, 13, 19, 29. 6) cap. 26. 8) fervente rebellione Balduini Lovaniensis, cap. 25. at ante annum 1056. quo Anselmus nostrum exscripsit. 9) cap. 1. 10) c. 10. 11) c. 20.

nicus oculis viderat, partim audierat, referente avunculo suo Godescalco maioris ecclesiae praeposito, quosdam de senioribus monasterii qui adhuc supersunt aedificare solebat", *praecipuum rerum quas narrat auctorem indicare videtur. Genus scribendi succinctum, varium; sententiis, ut plurimum hoc aevo factum videmus, modo quodam et eodem exitus sono connexis.*

Liber iam anno 1056. *ab Anselmo in gestis Balderici exscriptus*[12], *du-* 12
centis post annis multo ampliorem Aegidio Aureaevallis monacho messem praebuit[13], *qui integra eius capita operi suo inseruit. Codex unicus membranaceus in* 4[to] *littera minori exaratus, quem autographon habere licebit, diu in monasterio S. Iacobi servatus Chapeavillio innotuit, anno* 1826. *mihi codices bibliothecae universitatis Leodiensis, tunc temporis ad terram prostratos et pulvere obsitos, perlustranti in manus venit, iamque exscriptus, loco suo inter rerum Germanicarum scriptores restituitur.*

1. Quorum[a] studia in augendis aecclesiarum rebus vel ceteris pietatis operibus dum viverent egregie claruerunt opitulante Dei gratia, digne posteris clara et insignis est eorum memoria. Quae ut omnium seculorum testimonio integra et illibata permaneat, non incongrue historiis et annalibus annotatur; sicut usque in hodiernum diem maiores nostros fecisse comprobatur. Quorum diligentia grata et iocunda ad nostram quae non vidimus sunt translata memoriam, ut discamus, quid laudi, quid vicio datur, quod genus his debeatur praemii qui totam suarum rerum portionem, spe bona, fide illibata ad divinam contulerunt servitutem. Unde causa pari recordantes egregii et amantissimi patris Baldrici episcopi, eius memoriam tam praesentibus quam futuris declarandam litteris annotamus; qui huic Leodicensi aecclesiae non minus decori fuit quam ceteri qui in hac civitate ante eum quasi quaedam luminaria splenduerunt. De cuius vita quia incertum habetur, illud primo praetermittimus, quod dicitur, antequam episcopi fungeretur officio pro responsis aecclesiae frequenter eum vacasse curiae, ac pro suae merito legationis, tum pro morum claritudine vel generis, familiaritatem meruisse imperatoris, et non solum eius sed et domus regiae in se gratiam et affectum transfudisse, quasi pro huiusmodi obsequiis et non divina dispositione ad honorem episcopatus fuerit provectus. Tantum illa litteris imprimimus, quae ad nostram pervenerunt aetatem certis et idoneis testibus.

2. Hic nimirum favente Deo succedens Notgero, magnae sobriętatis et modestiae 1008.
viro, nobilitatem terrenam generis honestis moribus illustravit. Advertebat enim, quia clarius et praestantius sapientiae officium tractatur, cum in subiectos probitas regentis transfertur, nec virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus, honorem accedere. Unde patris praedicti industriam, probitatem summa ope ambiebat emulari, qui hanc civitatem nostram muro, edificiis gloriose dilatavit, et quod erat his praestancius, bonorum grege clericorum adornavit. Quam pia ei inerat sollicitudo pro augendis aecclesiarum rebus, quibus laudibus efferemus, quibus studiis prosequemur, qua benivolentia complectemur? Non enim in adquirendis municipiis vel grege militum operam adhibebat, ut plerisque episcopis est consuetudo, licet et in his quaedam utilitas et tam privatarum quam puplicarum rerum videatur esse defensio, sed totum ad aecclesiastica commoda contulerat studium.

3. Unde sua hereditate, quam testamento dispositionis paternae ut melior et felicior heres possederat, non fratrum auxit opes, set aecclesiarum sublevavit necessitates. Quod monasterium, quae aecclesia in episcopatu suo sita, non liberalitatis suae sensit beneficia? Aut enim aliquas agrorum possessiones contulit, aut decimam alicuius rei partem larga manu indulsit. Ab huius officio karitatis non est exclusa maior aec-

a) Incipit liber qualiter Deo donante locus hic fundatus sit. *Inscriptio manu posteriori adiecta est.*

12) Anselmus capp. 3, 4, 5, 6, 29, 27. usus est. 13) usus est capp. 6—19, 21, 22—24, 26—28, 29, 30, 29, et in vita Wolbodonis capp. 31—33.

clesia, non parva praediorum eius portione ditata. Nam optimum allodium suum Pannardum sine contradictione cognati vel fraterni sanguinis, iure perpetuo fratrum usibus deputavit. Unde pro illius anima debent merito indesinenter Deo offerre placationis libamina. Nec minori erga indigentes compassione movebatur; quorum penuriam ad suam transferebat ignaviam, quorum susceptione divinam amplectebatur praesentiam. De quorum multitudine competenti usus discretione 24 elegit, et ad cotidianam eorum refectionem unius aecclesiae bonum deputavit.

4. Saluti etiam cognatorum, quorum animos opes, nobilitas, gloria militaris et
14 potentia extollebat consularis[14], in quantum poterat, oportune monendo consulebat, et de bonis eorum paupertatem sublevabat aecclesiarum. Cuius rei gratia persuasit comiti Arnulfo[15] cum Leutgarda uxore sua, ut si fructu liberorum caruissent, aecclesiam Dei suarum heredem rerum facerent. Quibus etiam proponebat pro terreni contemptu patrimonii domos aureas habituras, togas candidas, agros carentes frigoribus, perpetuis vernantes floribus, aliam praefecturam, aliam castrorum miliciam, aliam decori gregis familiam.

5. Nec illud debet praetermitti, quod eadem animi karitate quam cetera Florinensis[16] aecclesiae abbatiam sua beato Lamberto adquisivit industria. Quam suo sumtu Cameracensis aecclesiae antistes Gerardus, praestantissimi viri functus officio, fratre suo
17 opitulante Godefrido[17], et inchoavit, et pro voto egregie consummavit, et beati Iohannis babtistae oraculo dedicavit. Cuius societatem ob excellentis vitae claritudinem noster episcopus expetiverat, sicut omnium bonorum consueverat, qua nihil carius, nihil iocundius apud se possidebat. Quamvis autem locus utriusque episcopatus satis foret disparatus, tamen sepe conveniebant dulcedinis gratia et communis consilii, quia nullum spacium longum videbatur karitati. Ambo graves et honorabiles personae, ambo digni sacerdotio, ambo karitate ferventes et erga Dei cultum non minus devocione quam religione certantes. Praeter hec pro sanctiendis inter utrosque amicitiarum maioribus vinculis, pro collatis tam puplice quam privatim beneficiis quae episcopali congruunt dignitati, ad hoc est perventum, ut idem Gerardus sanctae Mariae[18] iure perpetuo praedictum traderet cenobium. Cui loco sicut ceteris aecclesiis suo episcopio subiacentibus consuetum diffusae karitatis indulsit beneficium. Duas enim non parvi praecii adiecit
19 aecclesias[19], ne alicuius rei penuria tranquillo monachorum gregi peccandi gigneretur materia.

6. Iam ad singularem illius venire delectat felicitatem. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne ille dies gloriosus quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum sancti Lamberti basilicam, a venerabili Notgero venusto opere constructam, sub frequentia patrum, sub alacritate plebis, et circumfusae multitudinis exspectatione meruit dedicare? Cuius diei cumulavit leticiam vir reverentissimus Heribertus Coloniensis archiepiscopus, invitatus ab illo et pro sanctitatis merito et karitatis officio, quem tota plebs civitatis ad imaginem quandam venerabatur divinae
Oct. 28. virtutis. Quae nimirum consecratio 5. Kal. Novembris in ymnis, in iubilatione, cum summo honore est celebrata, quando duarum olivarum, id est Symonis et Iudae mundus agens memoriam, eorum promptis mentibus implorabat suffragia. Post diem vero tercium non minori devotione, non minori sexus et aetatis conditione, pene in extremo civitatis nostrae sitam uterque dedicavit aecclesiam, quae apostoli Bartholomei se gaudet patrocinium habere et memoriam; quam vir nobilis Godescalcus, aecclesiae maioris praepositus, edificavit, et in eadem, sicut usque in praesentem diem cernitur, tumulari meruit, in usus etiam duodecim fratrum quos ibi aggregavit, quorum numerus apostolico congruebat ordini, sua alodia deputavit. Nec illud arbitror subprimendum silentio, quod amore virtutis et religionis idem episcopus domnum Guazonem, decus et insignem
20 huius civitatis columnam[20], sua etate scolasticum, decani honestavit officio. Multociens etiam superbiae potentium ivit obviam, et bona defensando ecclesiae, episcopali auctoritate eorum repressit audaciam. Quibus rebus felices aliquando, et non semper, eventus

14) i. e. comitum munere fungebantur. 15) Lossensi. 16) Florennes. 17) duce. 18) id est ecclesiae Leodiensi. 19) ecclesias de Liers iuxta Leodium et S. Mariae in Rovera, ex nota Aegidii p. 226. 20) episcopus sedit a. 1041—1048.

habuit: quia probo viro non semper eveniunt optata licet contra hostes pacis videatur pugnare pro iusticia, immo pro meritorum augmentis gravibus huius vitae obruitur pressuris.

7. Sed iam ad ipsas causas veniamus, et non breve pietatis ac crudelitatis cer- 1010.
tamen breviter explicemus. Praedictus nimirum episcopus pro salute et munimento aecclesiarum quae suae subiacebant potestati, super alodium suum quod Huardis[21] erat situm, disponebat edificare castrum. Cuius opus mature instituens, primo ad tutelam eiusdem castri optimum praecepit fossatum fieri. Quod adhuc, ut illius villae attestantur incolae, perseverat, et inanes fuisse conatus episcopi designat. Huic incepto comes Lowaniensis Lambertus[22], vir profanae mentis et moribus barbarus, ob consulatus vel 22
opum potentiam[a] sive situm oppidi suique castri naturaliter munitum, vehementer obsistit, episcopum offendit, et ne fieri debeat directa legatione contradicit; fatetur etiam, illud castrum quod intendebat construere, multum oppido suo officere. Benigne respondet episcopus, pro salute et tutela aecclesiarum se illud opus instituisse, nihil oppido suo officere; nec sibi nec suis rebus bene consulere, si huic negocio contumaci obviaret animo et fidelitatem quam sibi fecerat et sancto Lamberto irritam faceret; se ab incepto nullo modo velle desistere; ut id fieret sine suorum impedimento militum, suppliciter orare. Ille ad hec fremere, a nullo dicto quod foret ambiciosum abstinere, suae potestatis minari tirannidem, pauperum oppressionem, aecclesiarum rapinam. Quid plura? Quod minatus fuerat, ad effectum perducit; in bona aecclesiae manus extendit, nullo obstante invadit, inde suos milites, magis rapinae aptos quam miliciae, ditatos ad maius episcopii detrimentum hortatur et accendit. Cuius tempestati ne primo inconsulte obviam iret episcopus, supplices legatos missitare; monere et postulare, ut audaciae parceret, a puplicis aecclesiae detrimentis manum cohiberet, ne cogeretur suum exerere gladium et anathematis intorquere iaculum. Ille obstinato animo preces episcopi cum legatis respuere, pacem refutare, nec Deum nec hominem revereri, parum de futura excommunicationis censura timere. Ubi advertit episcopus, cruentum hominem ex industria insanire, nec racione nec tempore posse sedari, ad sua prosiliens arma, virga utitur pastoralis curae, huncque anathematis vinculo ligat, ut saltem improbitatem illius tali catena coherceat. At ille, quasi maiorem nactus furendi occasionem, magis infestus esse, modum crudelitatis excedere, madere sanguine, villas et agros vastare. Inest enim pertinaci harum potestatum generi hec miseria, omni lacrimarum fonte plangenda, ut cum subiacent excommunicationi, soleant magis votiva rabie grassari, sediciones et certamina movere; quid melius, quid peius, quid prosit, quid obsit, parum curare: quasi ista gerere ad tempus sint irae refrigerium, ceterum saluti animarum valde inimicum.

8. Proclamationes interim ad episcopum super hoc negocio perferuntur plurimae, graves tam pauperum quam aecclesiarum in dies fiunt quaerimoniae. Hi paternas hereditates cum vitae periculo deplorant amisisse, pecora direpta, domos incendio consumptas, ac diversa miseriarum genera; isti eandem canentes cantilenam, bona, unde Deo servire debuerant, in usus non militum sed praedonum queruntur cessisse. Tot infinitae et confusae voces flectunt episcopum ad clementiam, nec sine gravi gemitu suorum filiorum luctuosam valet audire historiam. Inter maxima piae mentis suspiria animadvertit, huic malo aliquod praesidii genus conferendum, non esse alium defensorem praeter Deum et se ipsum; aecclesiae dampnis, orphanorum lamentis consulendum, potenciae insani hominis, ne magis insolesceret per licentiam, fortiter ocurrendum. Rursus tamen ad molliendum superbi principis spiritum legati diriguntur, qui obsecrant, ne pacientia episcopi abuteretur; sed iterum, sicut prius, cum minis et turbida animi indignatione respuuntur. At episcopus veritus, ne ultionis dilatio maior fieret filiorum Dei desolatio, decernit pro aecclesiarum defensione huic pesti mature occurrere, et quasi ferrum e manibus extorquere. Talem enim illum cruentum expertus fuerat, ut nec pudor a scelere, nec pacientia ab impietate, nec racio revocaret a furore.

9. Ne tamen aliquid invidiae super hunc redundaret, et suae mentis sequendo 1013.
impetum, aliquid moliretur sine consilio comitum, penes quos erat ob factam fidelitatem, nostram civitatem et totum tueri episcopatum, advocata eorum contione, ac nobili suo-

a) potentia c. 21) Huguard, prope Thienen seu Tirlemont. 22) Barbatus.

1013. rum fratrum senatu, causas exponit, contumacem illius bestiae audaciam, rapinas, viduarum lacrimas, suae legationis contemptum, auctoritatem suam nihil valuisse, ulcionis dilationem, pacientiae modum, pro componendae pacis studio iam fluxisse triennium. Querit senatus consultum, uniuscuiusque adtendit sententiam et in tali scelere censuram. Pro huiusmodi pernicie depellenda, secundum militaria sacramenta, quibus quasi quadam catena obligati tenebantur, omnium exorat suffragia, et ne aberrarent a communi utilitate partim studiis, partim consilio, militari donat stipendio. Auditis querimoniarum causis, pari voto, pari sententia, favet episcopo patricia turba, suadet praesumptioni obviam ire: in tali negocio non esse utendum clementia aut lenitate, sed austeritate, arcu et gladio; spondet suas ad supplementum militaris manus copias. Praeterea profitetur nullam de triumpho futuram difficultatem, cum pars sua iustiori causa uteretur, cum hoc certamine vitae et saluti plurimorum consuleretur.

10. Sponsione tali et spe episcopus animatur; quamvis sciret, pro huiusmodi calamitate magis utendum esse orationis clipeo quam visibili gladio, gravissima circumventus necessitate, paratis militum copiis, ad conserendam procedit cum hostibus manum. Oct. 10. Videres ad hanc profectionem totam nostrae urbis immutatam faciem; ubique merorem et silentium, afflictionem et ieiunium, viros cum matronarum grege sacco et cilicio obvolvi et pulvere capita eorum aspergi, orare indesinenter Dominum, optimum fieri episcopo et eius comitatui exitum. Ad communem enim omnium talis congressio spectabat salutem. Nec ab hoc karitatis officio vacabat ecclesia; in qua pro salute bellatorum fiebant in dies placationes hostiarum. Sed declaravit evidenter rei exitus, ob commune populi nefas Deum nolle aecclesiarum exaudire preces et gemitus. Nam victoria ad alteram transiens partem, luctuosum nostris divino favore nudatis repente contulit exicium, hostibus vero preter triumphi gloriam insultationem et gaudium. Nec profuit ex hac parte fidem, pietatem, honestatem certasse, parumque obfuit illinc fraudem, scelus, inhonestatem, manum conseruisse. Sed ut vera relatione didicimus, et qui ad- 23 huc supersunt[23] antiquiores viva voce protestantur, congressione prima nostrae cessit parti victoria. Deinde comes Namucensis, turpi motus fuga sui nepotis, paratis militum suffragiis, se ad aciem quam ocissime contulit, et facto gravi impetu, redeunte cum suis Lowaniense comite, episcopi fugam militibus, nihil tale suspicantibus, incussit. Peribetur etiam, in illa congressione praeter vulneratos et captos trecentos homines vita caruisse. Nos tamen quid horum verius censeatur ambigimus, totumque Dei iudicio quicquid ibi gestum est reservamus. Huius tamen luctuosus belli exitus evenit Huardis 6. Idus[a] Octobris, quando sextum[b] sui episcopatus agebat annum. Quam nimirum diem[c] singulis annis observantes, his quorum corpora ibi sunt prostrata consulimus, et pro redemptione eorum hostiam placationis offerimus; quia eorum maxime causa huius basilicae sunt locata fundamenta. Hoc discordiae malum duravit per triennium; et quasi nubes tenebrosa lucem obscuravit aecclesiarum. Sed quem finem habuerit talis iactura, docebunt sequentia.

11. Iam partes adversae satis elatum pro secundis rebus gerentes animum, obtemperabant victoriae; iam nostri iustam divinae ultionis excipientes sententiam, partim occisi, partim vulneribus confecti, repentinae tempestatis experti erant seviciam. Perlata est ad urbem nostram tantae calamitatis cognitio, triumphus hostium, episcopi fuga, sui ruina exercitus, occultum sed nunquam iniustum Dei iudicium. Quis luctus, quae mesticia, quae vulgi opinio, quis civium erat motus? Amor nimirum singularis pii pastoris quasdam pietatis lacrimas extorquebat, modumque in dolore habere nesciebat. Successit pietati compassio, timori stupor, stupori silentium, silentio suspirium; pro timphano et choro, pro cithara et psalterio, quaedam inordinatae vocis confusio. Vertebatur in luctum chorus iuvencularum timpanistriarum. Si armata hostium manus urbi obsidionem minaretur, si virginum ac matronarum pudor eriperetur, vel praeceps incendium tecta consumeret edium, aut parvuli karissimo matrum abstraerentur gremio, strepitus non fieret maior vel commotio. Quorum existimatio in diversam videbatur

a) *manu saec. XV. in loco raso; antea* Kal. *scriptum fuisse videtur, ut Aegidius habet; sed cf. Ann. Lobienses et Leodienses supra pag.* 18. b) *manu saec. XV. in loco raso; Aegidius* tertium *habet.* c) *manu saec. XV. in loco raso.*

23) anno 1048. circiter 35 annis elapsis.

cadere sententiam. Mirabantur enim, supra modum exaltari quemque flagiciosum et elevari sicut cedros Libani, bonum vero, benigne causis viduarum vel orphanorum consulentem Deumque ad sui praesidium certaminis precibus invitantem, effectu privari. Unde affirmabant, fortuitis et temerariis casibus, non divina mundum gubernari providentia. Nec minus conquerebantur, orationes, quas pro salute eorum fuderant qui in acie ciderant, nihil profuisse.

12. At episcopus his erumnis pulsatus, tenensque in dolore modum, tam sevae tempestati pacientiae obponit clipeum, Deo gracias agit, fideique suae probationem auro, quod per ignem probatur, reddit puriorem. Inde sine integro suorum numero, nec laureatus, nec circumfusae multitudinis frequentia delectatus, ad gloriosa beati Lamberti martiris inglorius redit limina. Nullum ibi leticiae canticum, nulla praeconia, ambicio triumphi nulla, nullus sonus timpanorum, ut animadverteres, pari mente pios cives sui cladibus pontificis condolere. Quos oculi eius aquarum deduxerunt exitus, cum possit credi, non potest exprimi, cum praesertim suis imputaret sceleribus, se suis terga dedisse hostibus, et adversus aecclesiam baculum impiorum magis invaluisse et dominantium virgam. Pro his tamen, quorum cruor peregrina infecerat arva, quorum carnes silvarum feras celique aves pascebant, non parum movebatur, se protestatus homicidam et barbarum et humani sanguinis reum. Unde conversus ad Dominum: *Scio*, aiebat, *o bone Iesu, ob mea scelera talem evenisse iacturam, nec brachii robur extenti, nec angelicae virtutis meruisse praesentiam. Sed cur indiscreta cede, unius delicto, tot perierunt animae? Quare inter hostes tuti non fuerunt, qui devocione miliciae, sacramentum, fidem patriae servaverunt? Ego, ego huius ruinae causa, ego homicida, me vox sanguinis horum accusat, me partium arguunt studia. Gregis enim desolatio ad pastoris refertur ignaviam, cuius vita et meritum robur suis et defectus debet esse hostium. Succedit huic calamitati aliud miseriae genus, unde nisi tua clementia vix potest emergi, contemptus, obprobrium, mala plurimorum existimatio, furor impiorum et contumacia, fandi et nefandi confusio, bonorum proscriptio. Iam, o dominator, qua orbem moderaris benivolentia, nobis est consulendum; sub tuas enim alas confugimus; iam tuum est, nos expugnantes impugnare, arma et clipeum apprehendere, et in defensionem humilium exsurgere!*

13. Hac nimirum tempestate vir erat venerabilis, Iohannes nomine, natione et lingua Italus, episcopus officio, qui sui gratiam nominis moribus illustrabat candidatis et pietatis studio. Huius enim erat opus praecipuum, iugi custodia tueri animum, asperos carni labores indicere, ad profectum virtutis semet ipsum in dies excitare. Amor divinae servitutis, quo fervebat plurimum, excludebat ab illo amorem rerum, nihilque commodius sibi aut carius, quam frequenter orare, frequenter psallere, pati inediam, amplecti vigilias, usque bene vivendi diversas patrum gratias promereri. Preter occultos interioris vitae actus, quid de dominicae crucis vexillo quo pectus armaverat, quid de felici pudiciciae[a] loquar titulo, cum bonorum exemplo, ad cohibendum carnis et sanguinis aculeum, uteretur cilicio? Nec scientiae claritudo per litteras deerat, nec acumen ingenii; habituque ipso honoris videbatur angelici, hisque rebus honestatus, quae maxime officio congruunt episcopi. Peribetur etiam satis egregie in arte picturae illis temporibus claruisse. Cuius rei experimentum si quis exigit, Aquis eum dirigimus, ubi palmam adhuc optinet tanti artificis opus, licet vetustate temporis ut res cetere ex magna parte decorem suum amiserit. Quis autem imperator eundem a patriae sustulerit gremio, brevi in eadem pictura declaravit hoc versiculo: *A patriae nido rapuit me tercius Otto.* Alter etiam versus ibidem appositus, breviter huius artificis pandit titulum; qui se habet in hunc modum: *Claret Aquis sane, tua qua valeat manus arte.* In loco etiam nostro, quem plurimum dilexit, ubi et tumulari meruit, suae monumenta picturae dereliquit. Cancellum enim nostrum honeste depinxit. Cuius pars quedam adhuc perseverat, sed iam senescit et caligat; pars altera, nova superveniente, est deleta.

14. Quae autem causa adventus huius viri ab Italia in Gallias fuerit, vel quo ordine gradu sacerdocii sit perfunctus, ut his qui super hac re fuere curiosi est compertum, per eos nobis est significatum, silentio non transibimus. Quod si frivolum quibusdam esse videbitur et falsitatis arguimur, illis magis imputandum, quorum aucto-

a) pudiciç *cod.*

ritate et testimonio sumus usi et ad scribendum compulsi. Otto tercius imperator, de quo dubium fuit, iusticia an validis armis foret potentior, quodam tempore in partes deveniens Galliarum, mansionem accepit in Aquensi palacio, ut in regia sede et puplicae rei domicilio. Ubi aliquandiu commoratus, eiusdem loci capellam studio devocionis regiis muneribus et bonis honoravit, et quod deerat ad decorem ipsius capellae supplere animum intendit. Necdum enim color alicuius picturae eandem decorabat. Unde praedictum Iohannem preciosum artificem missa legacione ab Italia accersivit, et ut doctas manus huic applicaret negocio, oravit et imperavit. Paruit ille regali imperio, et quid valeret in hac arte, declaravit magnifice. At imperator in huius operis remunerationem, infra Italiam quodam ab hac vita decedente episcopo, eiusdem cathedrae donavit officio. Cuius rei gratia dum patriam repeteret, ut collati honoris potiretur baculo, dux eiusdem provinciae ibidem commorandi illius avertit arbitrium, dum missis nunciis de suae filiae interpellavit coniugio, dicens in eadem patria cuius rector habebatur honore et fructu episcopatus privari, nisi animum subiceret huic condicioni. Ille magis favens castitati, qua nihil erat ei praestantius, quam tale officium maculare copula carnali, respuit huiusmodi pactum, sponte sua elegit exilium, et a finibus decedens Italiae, regali se reddit praesentiae. Quem pro suae vitae merito idem Otto imperator non minus se ipso diligebat, eumque inter primos regiae domus habebat, et honeste tractabat. Ammonicionem quoque illius salutarem, qua increpabat regiam potestatem de iusticia tenenda, de utilibus rei puplicae causis, de lenitate erga subiectos, libenter excipiebat; eoque audito, animum ab effrenata licentia frequenter cohibebat. Ne ergo vir tantus ob varias occupationes intra curiam suam aliquam sustineret penuriam, eumdem episcopo nostro commendavit, et ut humane tractaret, foveret, monuit et oravit.

15. Amplexus est episcopus virum egregium, quasi a Deo oblatum, et ob sobrietatem vite eius ac modestiam, maximam ei exibebat reverentiam. Fit in brevi de ignoto notus, civis de peregrino, de extraneo domesticus et privatus. Inter utrosque accessu temporis non carnis set spiritus crevit vinculum, ingens fidei et dilectionis augmentum, ut duos homines, lingua, racione, patria dispares, pares officio, karitate indivisos, unius cordis et anime esse putares. Regebatur alter ab altero, ille his quae corporali congruebant humanitati peregrinationis causa, iste istius consilio et sapientia. De tam felici utriusque amicicia utilitas procedit maxima; quae et saluti animarum valde consuluit, et eternam claritudinem utrisque adquisivit. Nam inter assiduas sermonum collationes, quibus ad invicem pro mutuae karitatis vinculo fruebantur, repente cum gemitu gravi lacrimae per ora volvuntur episcopi, dolorque acrius innovatur, dum praeteritae calamitatis recordatur. De strage suorum cruenta, de hostibus ecclesiae quorum felix evenerat exitus in certamine, querimoniam facit, merore contabescit; linguaque faucibus herente, sicut prius animam eius transverberat gladius. Pro eventu tali contestatur, contra officii sui dignitatem, mentis amisisse serenitatem, per singulos dies quasi vecordia perurgeri, per noctes somniorum fantasmata pati; iam tempus esse, oportunam huic morbo querere et invenire medicinam.

16. Vir reverentissimus Iohannes Pauline recordatus sententiae, quae flere imperat
Rom. 12, 15. cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, quod fraterne congruebat karitati, primo concordat dolori; deinde virga usus et baculo, hinc incutit terrorem, illinc consolatione animum erigit fluctuantem; postremo salutare consilii adhibet genus, omni medicina praestantius. Primo quidem fatetur, non debere sapientem adversis moveri, cum res humanas constaret volubili rota versari, cum videret summa infimis, infima summis misceri, licet subita mutacio rerum non sine quodam fluctu fieri posset animorum. Deinde refert, grande crimen esse, sacerdotem Christi more terrenae potestatis exercitum ductare, humano sanguini interesse, tot homines pro unius salute capitis perire; adversus hostilem cuneum oratione non gladio pugnandum. Pro his omnibus corpus humiliandum, saccus induendus, in cinere sedendum, capiti pulvis imponendus, et cetera agenda que pertinerent ad planctum, ad dolorem, ad lamentum. Tali ordine placandam suadet Dei viventis iram, qui superbi caput Goliae per David puerum novit detruncare, qui per Iudith viduam de contumaci Holoferne dedit victoriam. Preter hanc honestam de construendo templo immittit persuasionem; voces occisorum humanam non

querere ultionem, set aliquam hostiarum placationem. Proponit regium sancti David 1016
exemplum, qui post acerrimam cladem gentis Hebraicae, quam ad Dei imperium pro communi delicto gladius bis acutus ac limatus virtutis intulerat angelicae, est arbitratus optimum, construendi altaris adhibere studium, ut Domini furor verteretur in clementiam, possetque mereri populus indulgentiam.

17. Benigne huiusmodi ammonitio in pectus episcopi descendit, et pro tanti hominis consilio, quasi Deum consuluisset, letatur et gratias agit. Iam pro salute animae suae, et occisorum vel cognati sanguinis, libenter spondet se id facturum, tantummodo Deus, qui per os eius dederat consilium, largiri dignaretur effectum. Ille confirmat, cum Dei auxilio non esse opus nisi incepto, cum profecto, qui cepisset, dimidium faciendae rei haberet; voluntati bonae, qua nihil est dicius, dilationem multum obesse. Tali exhortationis modo sanctus amor diminutionem non capit, set augmentum; non quietem, set stimulum; fervorem, non refrigerium; operisque concepti dilacio maioris desiderii fiebat occasio. Unde ad hoc opus deputatis mature sumtibus, cum suis habet consilium, quo loco basilicae fiat fundamentum.

18. Quorundam fuit sententia, hanc posse construi mansionem in curte Amerina, eo quod ille locus par solitudini esse videretur et ab urbanae plebis segregatus frequentia. Monachorum enim ordini, advertebant, hunc locum dedicari, quorum milicia quietem expetebat et silentium, nullumque cum humanis rebus consortium, quorum studia tunc primum in hac civitate erant inicianda. At voluntas Dei, quae nunquam valet immutari, aliorum sentenciam ad suum traxit imperium, locumque habitationis gloriae suae elegit insulam, tantum duorum apostolorum Iohannis euangelistae et beati Pauli apostoli memoria inclitam; quorum unam Everaclus episcopus condidit, qui primus in hac urbe studium et religionem iniciavit; alterius fuit fundator Nothgerus venerabilis, totus ex sapientia virtutibusque conpositus, qui pro suae mentis industria, qua plurimum claruit, omnem in se cleri vel civium affectum transfudit, quem urbs nostra diutius habere non meruit. Ut ergo binario succederet ternarius quidem[a] sacramenti numerus, tresque insignes lucernae sua insulam illustrarent claritudine, his duobus tabernaculis, Iesu bone, es dignatus addere tercium, in quo gloriosi tui fratris[24] ac incliti Andraeae indesinenter 24
celebre fieret meritum, licet ab horum societate ceterorum merita non sint exclusa apostolorum.

19. Locus autem huic operi destinatus, situ erat horridus, incultus, nullis humanis aptus usibus, tantum ferarum gregi cognitus, ut nihil differre videretur a deserto, multosque deterreret ab hoc negocio. Sed qui in desertum ponit flumina, et in aquarum exitus terram sine aqua, ad excidendam tantae densitatis silvam eorum suscitavit spiritum, quibus iniunctum huius providentiae erat officium, vires indulsit et animum, operisque laborem ad faciliorem quam sperabant direxit eventum. Emundato ergo summa cum diligentia loco, nigredo transit in candorem, tenebrae in splendorem, horror in reverentiam, frutecta transformantur in cedrum et mirtum et olivae lignum, ac 7. Apr 25.
Kal. Mai inchoatur cenobium; domus Dei fit desertum, ubi honestas et angelicae vitae ageretur mundicia, fieretque Deo iocunda laudatio et decora. Cuius criptam idem domnus antistes, praesente Iohanne episcopo, cuius optimo in re huiusmodi perfunctus erat consilio, cum magna alacritate in honore beati Andraeae 7. Idus[b] Septembris Sept.7.
dedicavit, ibique preciosas eiusdem apostoli reliquias, quas ei imperator Henricus thesauris praelatas regiis in beneficio dederat, modeste et reverenter collocavit. Cuius consecrationis Kalendam per singulos adhuc celebramus annos, ad Dei et eius apostoli honorem et gloriam, et ipsius qui condidit et dedicavit reverentiam.

20. Huic etiam operi annectendum illud arbitror, quod affirmatur a quibusdam monitu et precibus cuiusdam comitis Hezelonis primo ad altare sancti Laurentii accessisse, vota vovisse, praedia sua cum ecclesiis obtulisse, et ad ordinandam novam ecclesiam vetere destructa animum intendisse. Postea autem praedictum Iohannem episcopum, ubi id comperisset, ad eum venisse, et ne hoc faceret suo consilio, quo nihil ei erat carius, desuasisse, suggerendo eius karitati, congruentius esse aliam in alio loco ecclesiam

a) quem c? b) Kal. *manus prior; recentior manus huic voci substituit* idus. VIII. Idus *Aegidius legit; ita et Annales Lamberti Parvi.* 24) Iacobi.

ordiri, quae eius dedicaretur nomini, quam in aliorum labores introire et alienae laudis titulum obscurare. Sed hoc a nobis ignoratur, nihilque per tot etates super hac re a maioribus nostris accepimus, maximeque a domno Hugone huius loci priore, magnae karitatis et sobrietatis viro, qui ex his quae partim sancti Lamberti canonicus oculis viderat, partim audierat referente avunculo suo Godescalco, maioris ecclesiae praeposito, quosdam de senioribus nostris, qui adhuc supersunt, edificare solebat. Nos ergo hanc opinionem, quia incerti sumus, omittamus, et ad presens negocium revertamur.

25 21. Post hec comes Arnulfus[43], de quo superius mentionem fecimus, adeo gravem incurrit egritudinem, ut de vita diffidens suum quibusdam signis sentiret et testaretur imminere exitum. Cuius mors suis quidem leticia hostibus, puplicum vero suis militibus vel natalibus futura erat detrimentum. Optimi ergo et salutaris consilii in extremis recordatus, quod ei olim sano ac valido causa affinitatis vel amicitiae dederat domnus Baldricus, videlicet ut de alodiis suis, si heredę caruisset, pro salute animae suae aliquid ecclesiis Dei largiretur, missa ad eum legatione, obsecrat, ut venire suumque orando tueri exitum dignaretur. Paratus enim erat res suas suae potestati committere, suum quoque castrum sine refutatione coniugis vel propinquorum sancto Lamberto adtitulare. Audita huius legationis causa, non distulit episcopus patricio homini, ac unico suae cognationis flori, in tali necessitate ferre suffragium, sed minorem quam debuit et oportuit habuit comitatum, quamvis comitem adhuc Lowaniensem dilatione pacis haberet infensum. Vehementer est gavisus comes eger de adventu pontificis, sed egerrime tulit, quod tam paucis satellitum copiis advenerit. Unde post mutuae salutationis officium, post humanitatis obsequium, conversus ad episcopum, qui suo assidebat lectulo: *Gratias* inquit, *magnas vestrae agimus dignationi, quod venire non distulistis, quod nos visitastis; sed ferimus moleste, tam exiguis militum copiis vos advenisse. Disponebam nimirum, iure propinquitatis vel assidua vestrae sanctitatis provocatus ammonitione, res meas vestrae paternitati commendare, meumque castrum per manus vestras cum idoneis testibus sancto Lamberto oblatum et traditum, vestra tueri defensione. Sed parva ad hoc opus parata video esse presidia, nec horum impetu et virtute hostiles cunei poterunt arceri ab obsidione. Non enim ignoratis, huius castri causa inter me et Flandrensem comitem excitata plerumque certamina aperte profiteri męae adversum felicitati; illo pertinaci astruente animo, idem castrum a finibus suis vi et fraudulenter abstractum, ad suam et heredis potentiam armis postremo redigendum ut victoriae spolium; me defendente, legitimam patrum fore hereditatem, tueri debere usque ad mortem, et pro meo arbitrio in alterius redigere potestatem. Succedit huic timori aliud formidinis genus, effrenata humanae condicionis dominatio, sollicitatis militum animis repentina coniuracio, quorum fides mutatur cum fortuna, ac neglectis miliciae sacramentis, novis favent ducibus ad promerenda humanae vitae stipendia. Preter hoc non est ambiguum, infirmam esse feminae virtutem ad repellendam huius mali calamitatem. Ne ergo vestrae fiat detrimentum ecclesiae, maiori est opus militum presidio, quorum fides et industria invictum adversus avariciam gerant animum, quorum virtus non formidolosa, sed grata et spectata ducibus, terror et laqueus sit hostium. Iam nunc, karissime, affectu frater et cognatione, parens dignitate, quoniam natura finem mihi facit vivendi, solitum in extremis constituto karitatis officium non negetis, ac miliciae graviter sordibus implicitum, vestrae orationis benivolentia absolvatis. Preter hoc obsecro per indivisum inter nos usque in hanc horam mutuae familiaritatis vinculum, per veteris amicitiae societatem, et gravissimam huius horae necessitatem, ut de vestro pectore candido mei non recedat memoria, meamque post mortem vestrae orationis valeam sentire suffragia.*

22. Inter extrema colloquia cari amici, gemitum affectus a pectore extorquebat episcopi; et pro recordatione sobrietatis, modestiae, vel dignitatis patriciae, qua non superbe sed temperate fuerat usus, vel puplico aecclesiarum detrimento piis vincebatur fletibus. Consummatis ergo benigne quae egro congruebant iuxta[a] morem ecclesiasticum, facit absolutionem, divinae miserationis pollicetur gratiam, eiusque pro salute spondet se oblaturum Deo salutarem hostiam. Ille pro tali officio gratias agit, spe bona fluctuantem animum erigit, gaudetque, non rerum ac familiae, set preciosum heredem et patronum meruisse animae. At domnus episcopus, eodem obsecrante, ut diutius suam

a) iuxa *cod.*

25) *de Los* addit Aegidius.

eidem indulgeret presentiam, non consensit, immo varias curarum occasiones quibus 1016. urgebatur benigne pretendit. Deinde pro defensione castri rursum ammonitus, ne videretur communibus ecclesiae nolle consulere commodis, ad augendas copias militum mature redit versus Leodium. Statimque brevi temporis intervallo predicti consulis succedit dormicio. Que res maximam suis natalibus intulit mesticiam, totamque patriciae domus concussit familiam. Clementi enim animo erga suos usus fuerat, hosque modeste tuendo, quibus ob terrenae meritum dignitatis praeerat, adeo in suarum favorem parcium adduxerat, ut carus esset et timeretur ab omnibus. Augebat hunc dolorem aliud calamitatis infortunium, sediciones inter oppidanos et certamina, iuris et pacis mutacio, predonum rapinae, bonorum oppressio, hostium metus, et tocius oppidi eversio. Quod malum solet frequenter evenire, quando vicus principe, urbs rectore, patria privatur rege, quando pro suo quisque vivit arbitrio, quia nullius regitur imperio. Ad quod incommodum coercendum vix idoneum inveniri poterat consilium. Unde comitissa Leugardis, uxor eiusdem comitis, praeter luctum et dolorem, quem temperate de viri exitu habebat, quid ageret, quo se verteret, nesciebat. Advertebat enim, parvam et contemptibilem esse virtutem feminae; ad regendum oppidum, ad castri defensionem, oportere plurimum laborare, vigilias ordinare, stipendia militibus larga manu erogare. Considerans ergo se minus tanto labori sufficere, oblita matronalis pompae, ac modico contenta comitatu, duxit esse optimum, in tali periculo episcopi implorare suffragium.

23. At comes Lowaniensis perpendens esse impium et arduum, tam diu calcitrare adversus stimulum, ratusque tempus oportunum, sibi suisque rebus consulere, et in gratiam episcopi redire, quem tociens offenderat cum puplicis detrimentis ecclesiae, statuit hoc modo fortunam temptare. Compertum sane habebat, predictam patriciam, viro orbatam, ob sterilitatem liberorum caruisse pignoribus, eandem praeter morum et ingenuae mentis probitatem, genere insignem, alodiis sufficienter divitem, et pro sui libertate oppidi vel tutela rerum iter instituisse ad episcopum. In spem ergo adductus componendae pacis cum episcopo huius matronae suffragio, ipsius iter collecta equitum turma summa cum diligentia explorat, insidias parat, viarum exitus occupat; inde facta velut hostili incursione, arcet transitum, captamque intra suum conclusit oppidum, non sine maximo comitum timore, qui suam non iam dominam set captivam barbaricae servitutis dolebant incurrisse iacturam. At comes, ut temperaret quam fecerat iniuriam, possetque mereri, non difficile, set facile veniae materiam, liberalissimus extitit erga eius obsequium, nihilque pretermisit quod ad humanitatis et honoris pertineret officium. Deinde placide causas exponit, quibus aperit, se non hostili animo aut odii causa vel iniuriae id egisse, immo necessitati suae, que maxima erat, hoc pacto consuluisse. *Non,* ait, *o domina, vestra mihi debet indignari excellentia super hoc negocio, cum id sit actum piae mentis studio et componendae pacis beneficio. Quae res vestrae omnino congruit dignitati, cum profecto apud domnum episcopum tum familiaritatis*[a] *gratia, tum cognationis societate valeatis plurimum. Ut autem huius pacis conventio honesta stabilis et grata possit provenire, aliquod donum, quod ad profectum pertineat aecclesiae, episcopali est offerendum reverentiae. Ad vestram ergo egregiam spectat liberalitatem hec largitio, honoris huius claritudo, vos in hac partę nobis consulite, et de vestris aliquam largiendo portionem alodiis, inter me et episcopum mediatrix federa pacis conponitę. Iam enim nostrae opes sunt contuse tam ferali seditione; iam militum defecerunt stipendia, quorum virtute protracta sunt usque modo hec certamina. Nulla in hoc suffragio potest oriri occasio, cum preter militum turmam, quibus ob castri tutelam vel oppidi donativum oportet impertiri, vel familiae gregem, nulla heredum incumbat sollicitudo. Hec, mi domina, facere non cogimus, sed oramus, non imperamus, sed obsecramus; vobis congruit, vestrum velle, vestrum nolle nobis significare.*

24. Hic modus precandi, sed servata precantis magestate, comitissae mentem inpellit ad pietatem; et quod videbatur spectare ad iniuriam et inhonestatem, totum transfertur ad gloriam ipsius matronae et honorem; et quod poterat si vellet negare, cum summa animi prebuit assensum alacritate. Ne tamen aliquid sine sui comitatus ageret consulto, minusque pro collato dampnum pateretur beneficio, fidelis usa clientelae

a) familiaritis c.

1016. consilio, tradit ei Hanretium[44] alodium valde bonum, et quod erat optatius et proficuum, a potestate alicuius non patroni sed predonis[45] liberum. Quae largicio quadam amicitiarum ac benivolentiae catena utrosque colligavit, finemque in brevi puplicis ecclesiarum detrimentis imposuit. Nam post huius beneficii felicitatem, sine mora annitente comite, plures ad episcopum nobiles diriguntur de equestri ordine; quorum supplicatio, paratis potentum suffragiis, gratia obtinende pacis, pretendebat comitis satisfactionem, quod legis erat, quod iusticiae, quod ad congruam tanti sacerdotis pertineret dignitatem. At episcopus, quia facilis apud ipsum veniae erat locus, quamvis forent contusae his diuturnis seditionibus orphanorum opes, tamen benigno accepit animo hanc legationem, ac respondet, se semper malle pacem quam bellum, spondet suum redditurum gratiam et amorem et sanctae matris ecclesiae, qua segregatus fuerat, societatem. Nullae huic conditioni intercedunt induciae. Habita contione, coram candidata patricii generis turba de pace, de concordia consulitur, ac eorum consulto pax rata inter utrosque conponitur. Transeunt contumeliae in gloriam, sediciones et motus in concordiam, et de certamine crudelitatis et pietatis materia nascitur illibati amoris et honestatis. Idem comes ad huius pacis commendationem de alodio, quod a comitissa Leugarde acceperat, facit honestam episcopo donationem. Quod pignus quasi quoddam in posterum bonae spei principium, suae immo nostrae quam construebat dedicavit ecclesiae.

25. Pro qua re multiplici fungebatur leticia, tum pro pace orphanorum et viduarum, vel maxime quia huic operi, quod plantabat et rigabat, Deus incrementum dabat, tum pro sedata barbari hominis insolentia, cuius arundineam virgam repente divina contriverat potentia. Cuius tamen adhuc genus ut videmus in praesentiarum est infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum, ut illud non sit ambiguum, a prosapia descendisse Numidarum. Solet etiam plerumque episcopo repugnare, in Dei ecclesias grassari, agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum predas certatim agere. Preter has rerum miserias, quod valde est monstruosum, in suorum estuat nepotum
46 sanguinem, bellis alitur civilibus, nec debitam imperatori servat fidelitatem[46]. Ob hoc plerosque huius generis sub anathemate vitam constat terminasse, aut in bello infeliciter occubuisse. Ex quorum obstinato grege dum quidam olim potestati repugnasset regiae, post insanas debachationes, quibus bestiali furuit rabie, ad satisfaciendum imperatori Aquis, communi principum decreto,* canem suis fertur vexisse humeris[47]. Tali nimirum ignominiae genere meruit illius dehonestari superbia sub alacritate patrum et circumfusae plebis frequentia, quem ante nec precibus nec excommunicatione poterat coercere sancta mater aecclesia.

1018. 26. Sed iam, quis finis vitae domni episcopi fuerit, monet tempus expedire, et ad felices eius cineres articulum flectere. Quod sine dolore aggredi nec possumus nec valemus, praesertim cum affectus de pietatis fonte descendens, gemitum extorqueat, lingua metu hereat, manus cum calamo tremat. Quis enim lilii candorem, flante austro, amissa odoris fraglantia[a], absque gemitu videat transire in pallorem? Quis illius siccis oculis facit mentionem, cuius in hoc vitae salo non fictam est expertus karitatem,* cuius subsistit oblatione ad peragendum officium servitutis divine? Nec tamen ideo hec dicimus, ut velimus astruere, pro amissione carorum lacrimis et dolore esse vacandum, cum pudeat planctus impendisse in alicuius egregii viri funere, sed quandam ostendimus compassionem carnis et naturae. Qua etiam parte Iesus Lazarum flevit, quem pro sororum dilectione suae virtutis potentia suscitavit; ubi semel hominem posse nasci et bis mori designavit. Succedunt huic dominici corporis exemplo mille patrum exempla, quorum pectus robustum frequenter vicit pietas et communis naturae infirmitas. Sed cur nostrum his sententiis temperamus dolorem, et quasi inviti narrandi differimus ordinem, cum totus orbis tam sevam non possit vitare necessitatem? Dicatur ergo cum pacientiae modo, quod fuit necessarium ut subiret, ut civis fieret de peregrino, angelus ex homine, dives de paupere et modico, ut etiam in celis mutatae dignitatis non careret officio.

27. In quo exitu quam semper tenuit fidelitatem terrenae potestati servavit, qua suum magnifice transitum decoravit. Ea nimirum tempestate Teodericus, comes Fresoniae,

a) *ita c.* 44) *Horrentium* Aegidius vocat; an Hanut? 45) *i. e.* advocati. 46) cf. Ann. Lobienses et Leodienses ad a. 1049, 1050, 1051, 1053, 1054. 47) anno 1049; cf. Ann. Lobienses et Leodienses.

bellis et seditionibus regnum exagitabat Galliae, et ob sui firmitatem loci vel difficultatem, vel opum potentiam, quietem perturbabat serenitatis imperatoriae. Cuius audaciam cum puplicis detrimentis regni non est passus imperator Henricus[a] diutius impune bachari. Unde Gozeloni, duci Lothariensis regni, mandat, ut paratis militum copiis illius insaniae obviam iret, eiusque insolentiam manu valida comprimeret: se conqueri et irasci vehementer de ipsius ignavia, cum profecto bellicosa iuventus illi non deesset, quae barbaras nationes subiugare et Romani magnitudine nominis valeret etiam extenuare. Ille fideli animo regiae magestatis paret imperio, ostendit ducis industria, suos scribit ad milicia, nec episcopos Galliae ab hac excludit profectione. Suggerit episcopo nostro sicut ceteris coepiscopis, ut communibus rei puplicae ferat auxilium negociis. A societate huius belli primo suam benigne antistes verbis excludit praesentiam; praetendit corporis qua iam laborabat molestiam; sibi hac vice fore parcendum ob praeteritae fidelitatis studium; barbaras et remotas esse nationes ad quas ductare intendebat exercitum, locos difficiles; gravissimo militum labori et irrito consulendum. Dux Gothelo[48] his auditis vehementer ira accendi, infidelem vocare, regii contemptum precepti obicere, non causa morbi sed simulationis ab hoc comitatu se velle subtrahere. Preter hoc aliam calumpniae inpingit notam, videlicet ob societatem cognati sanguinis illum favere partibus inimici; illi victoriam, sibi fugam votis optare; parum curare de augusti cesaris vel honore vel salute. Ad hec episcopus, ut a se harum occasionum removeret suspicionem et alia quae studio maliciae fingi poterant, faceretque palam se nunquam infidelitatis subisse flagicium, licet corporis in dies augeretur incommodum, tamen secundum virium quantitatem suam mature paravit profectionem. Sed tu, o Christe, bellatoris tui, ut toto ambiebat desiderio, cursum terminasti, ipsoque die eademque hora qua utreque acies apud Flandebergen[49] conflixerunt, sustulisti a facie gladii imminentis[b], a facie arcus extenti, a facie gravis praelii. Nec sibi melius alia via potuit consuli, quam ut laureatus siderea mansione fungeretur, ubi sui ordinis sed alterius dignitatis intueretur episcopos, purpureis togis indutos; ubi alium haberet imperatorem, cuius castra forent candida et fortia, tentoria palliata, dona aurea, cuius currus igneus, equi ignei, cui in vocis exultatione liber et serenus posset iubilare: *Tu meus imperator, Domine, in tua iuravi sacramenta, tibi devovi miliciam, tibi virtute qua potui, te suadente, te iuvante, fidelitatem servavi. Iam finita milicia, non ob meum meritum, sed tua gratia promissum largire donativum!*

1018. — 48 — Iul. 29.

28. O quam crudele et amarum dies illa prebuit spectaculum, quando urbs nostra lugubri consternata nuncio, pii pastoris agnovit et expavit occasum! Relictis nimirum civilibus studiis, quasi communi orbitatis vulnere accepto, pars trepidare, corpori obviam ire, pars scissis vestibus pectus tundere, suumque dolorem clamore, lacrimis, suspiriis augmentare. Nonnulli aiebant, Deum abstulisse a Iuda et Iherusalem validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquae, fortem et virum bellatorem, iudicem et prophetam. Preterea proponebant morum eius elegantiam, nobilitatem generis, honestam et aptam tali personam officio, clementem in civibus, animum pium, et continuum laborem pro exaltatione ecclesiarum. At pauperum greges, lurida facie, amaro animo, in dolore non habebant modum, vitaeque praesentis querebantur se amisisse suffragium. *Abstulisti*[c], aiebant, *o dominator, nobis paupertatis nostrae baculum, qui nos pascebat, vestes praebebat, frequenter visitabat, vulneribus nostris studium adhibebat! Quae spes, que nobis restat consolatio; cuius deinceps innitemur auxilio? Non fuit digna urbs Leodicensis diu talem habere episcopum, cuius probitate, industria regeretur; non fuimus digni talem diu habere patronum. O tempora confusione plena, o dies non serena, sed tenebrosa, nec in diebus anni conputanda, nec in mensibus numeranda! Considera afflictionem nostram, Iesu bone, intuere lacrimas et miseriam, non dissimili rectore nostram releva inopiam! Huic redde, quaeso, que nobis fecit, qui te in nobis visitavit, pedes tuos lavit, lacrimis rigavit, cibos ministravit, te nostris vestibus contexit!* Isti ergo tanti viri prosequuntur exequias, et de fonte pietatis sub mira plebis et cleri exspectatione amaras producunt lacrimas. O felices exequiae, quas non hominum deformat supersticio, sed pietas illustrat et religio, quas pauperum contio, qui Christi funguntur officio, ordine

a) H. c. b) iminentis c. c) Abstulisse c.

48) i. q. *Gozelo*, *th* fere ut hodie apud Anglos fit pronuntiato. 49) cf. Alpertum II. 21.

ambit candidato! Cuius servat cineres cripta, quam condidit et in honore beati Andraeae apostoli dedicavit; cuius meritis et suffragio in terra viventium sit illius portio, ubi sunt flores rosarum et lilia convallium.

29. Opus autem nostrae ecclesiae quia consummare non potuit, imperfectum et non altius quam usque ad fenestras reliquid, pauca praedia in usus fratrum deputavit.
50 Que tamen cumulavit divina clementia, abbatum, qui huic praefuerunt[50] ecclesiae, pio labore et industria. Huic Leodicensi aecclesiae undecim annis praefuit et 4. Kal. August. ut dictum est, hominem exuit. Cuius exitu, ob nostre detrimentum ecclesiae que sentimus, diuturnis vacandum erat lamentis, nisi modum racio imperaret, dolorem temperaret, docens sane, huiussce planctus officium praestancius gregi congruere impiorum, quorum fructus cum vita terminatur, quorum stridori et inclementi supplicio nulla modum ponit condicio, nullus finis, nulla succedit remissio. Unde felicitati et gloriae tanti pastoris satis congratulandum, quem divina virtus ad verum traxit decus, cuius miliciae successit triumphus, et cum torque aurea gemmis redimita corona. Quae nimirum usu bene vivendi et meditacione mortis in hac peregrina domo studuit egregie promereri, et quod est valde gloriosum, non in humana gloria sed fructum virtutis posuit in conscientia. Ad sui etiam augmentum meriti, praeter aliarum dona gratiarum, pietatem coluit et iusticiam, adiuvit et suis opibus, ecclesiae dilatavit gloriam, candidato pauperum gregi, larga manu, hilari animo, se prebuit munificum, ita ut nesciret sinistra, quid illius ageret dextera. Cuius recordatio venerabilis, vino iocundior, melle et favo dulcior, nunquam de nostris debet excludi pectoribus, quos loco filiorum sanctae affectu paternitatis adoptavit ac felici testamento suarum heredes facultatum fecit et reliquid.

30. Christe, tui testis Baldrici, quem pia vestis
Virtutum texit, et ad aurea sydera vexit,
Non statuae plumbi, sculpti non ere triumphi,
Hoc audi carmen, quod supplicis ordinis agmen
Promit, et alarum da velamenta tuarum!
Quando dies ire veniet, ferventior igne,
Fletus, stridoris, nebulae, vel plena timoris,
Cum dicio regum cessabit, iuraque legum,
Iugi vexillo sanctae crucis aufer ab illo
Ignis carbones! Non inferni legiones,
Non Caron occurset, hunc qui formidine pulset,
Non Gorgon, non anguicomae vis seva Meduse;
Huncque profundarum puteus non mergat aquarum.
Da sibi stellatum super astra videre senatum,
Sanctaque sanctorum, vel distinctas meritorum
Sedes purpureas, Syon exaudire choreas,
Quas eius natae celebrant lauro decoratae!
Ipse tuos christos indefessosque ministros
Pugna fulminea, referentes ampla trophea,
Albatas meruisse togas, meruisse coronas,
Miretur, quarum conserto flore rosarum
Consors effectus, et te tribuente refectus
Celesti manna, iocundum pangat osanna,
Et iubilum cordis notet huius carmine laudis;
Est ubi nil triste quam pulcra domus tua, Christe,
Imbre carens, ventis, nive, grandine, nubibus atris,
Casibus, erumnis, quia septem nixa columnis.
O quam letantes in eadem sunt habitantes!
Qua semper solvent laudes tibi, quando revolvent
Quae tua sit pietas, qua mundi permanet aetas.
Res miranda satis, meritumque tue bonitatis:

50) Olberti, et Alberti qui a. 1066. obiit.

Hic reus est nullus, non femina, masculus ullus,
Non Scita[51], non dominus, non servus, non peregrinus,
Non personarum distinctio christicolarum,
Si non splendoris, tamen una corona decoris.
Fontibus eternis satiati, sole, lucernis — Apocal. 22, 5.
Non opus est illis, quia tu lux omnibus illis.
Hic cytharae cum psalterio, carmenque perenne,
Quo delectatur quicumque Deo famulatur.
Hic sunt cantores Iditon et Asaph meliores.
Hic sunt levitae recinentes cantica vitae.
Hic aeternalis manet infula pontificalis.
Mira namque domum, quo cedrus, quo cynamomum,
Quo laurus florem, quo mirtus servat odorem!
„Per vexilla crucis, per summae dona salutis,
Qua mundo tristi clementer consuluisti,
Obsecro te, Christe, sedes mea sit locus iste,
In qua discumbam sine fine sequendo columbam,
Quae vitando Nothos, insano turbine motos,
Ad requiem tendit, quam fessa gemensque prehendit,
Illinc pennarum plaudens stridore suarum.
Quod si peccavi, nec toto corde vacavi
Vitae mandatis, et ob hoc sedem pietatis
Non mereor, iungique rosis lectisque coronis:
Adiuvet Andreas sanctus quem stravit Egeas,
Olim piscator, celi nunc arce senator,
Cuius praescriptam titulavi nomine criptam,
Et pariles Iacobi, vis quorum consulit orbi,
Queso, beatorum prece subveniant meritorum!"

31. Post cuius decessum multo tempore locus noster patuit negligentiae, nec erat qui artem imperfectam consummaret, animum ad beneficium conferendum applicaret, qui consilium et auxilium preberet. Fratres quoque ipsius, utrique consulari dignitate pollentes, praeter continuum amantissimi fratris luctum pro contemptu loci satis dolebant, et alodia, quae frater eorum huic ecclesiae dedicaverat, subtrahere et in usus suos redigere cogitabant, animumque nunc huc nunc illuc dividentes, quo remedii genere sibi consulerent ignorabant. Sed Deus Israhel, qui bonum optimo fine concludit exordium, locum sine consolatione non reliquit, immo hoc ordine suae respectu clementiae iacentem et pene nullius momenti parum et parum exaltando erexit. Quodam namque tempore imperator Henricus pasca Leodii celebravit[52] magnifice. Illis diebus pontificii fungebatur officio venerabilis Vulbodo, vir, quo nemo melior, nemo praestantior probitate, elemosinis, preter aliarum dona gratiarum, quae a Deo consecutus fuerat, quibus se et civitatem nostram quasi quibusdam gemmis illustrabat. Hic pro suae sanctitatis merito valde carus erat augusto, et inter regiae domus praecipuos eminentior habebatur et clarior. Praedicti ergo fratres episcopi, nacti oportunum tempus quo eorum curis et deserto loco consuleretur, post consummatum regii apparatus convivium imperatorem adeunt, eiusque affusi genibus, regiae magestatis implorant suffragium, suae etiam fidelitatis, quam sepe erat expertus in bellicis rebus, proponunt obsequium. Dolor nimirum et impacientia modum et ordinem nesciebat; et ante preces compositas, ante causarum seriem, quoddam consilii genus flagitabat. Mirari cepit imperator, quid vellent, quid peterent, cuius rei gratia tam repente ante eum flexissent genua. At illi: *Recordari*, aiunt, *debes, o domne imperator, qua fidelitate hactenus tibi servivimus, nec umquam rei puplicae hostes fuimus, nec umquam ignaviae flagicium subire meruimus. Ad mentem etiam vestram serenitas vestra debet revocare fratris nostri obsequia, qui eadem* — 1020?

51) i. e. Sclavus, servus. 52) Wolbodonis tempore, qui a. 1018—1021. 11. Kal. Mai sedit, Heinricus pascha Leodii non celebrasse videtur, sed fortasse initio a. 1020. ibi fuit. — Vitam Wolbodonis in Act. SS. April. II. p. 855. editam nonnisi Anselmi esse fragmentum, hic monere iuvat.

devotione qua nos vobis servivit, et in eadem fidelitate usque ad diem mortis extremum permansit. Huius, ut tibi est notum, o imperator, licet inviti consortio caremus, et pro eo, quem revocare non possumus, amaras lacrimas fundimus, et graviter in dies et noctes suspiramus. Pro salute animae suae et affinium in insula monasterium inchoavit, in cuius constructione dum viveret plurimum laboravit, set morte praeventus consummare non potuit. In usus ibi Deo servientium sua deputavit alodia; locus consolatione viduatus sicut prius cedit in vepres et frutecta. Non est qui laboris huius velit amplecti consortium, non est qui porrigat manum et opus perficiat imperfectum. Hec est doloris nostri materia, hec tristiciae causa, hec gravia nostrae mentis vulnera. Ad te, o imperator, pro hac re venimus, ut des consilium, feras auxilium, et aliquod, si tuae placet pietati, huic loco beneficium. Alioquin iure propinquitatis ad nos predicta hereditas transibit, ea erit militaris laboris stipendium, ea utemur ad tuendam libertatem Romani imperii, et post nos heredes nostri.

32. Ad hec imperator: *Si praeter salutem animarum, o egregii consules, vestra foret petitio, vestris tamen votis erat consulendum, et quod suppliciter petitis, pro grata fidei vestrae virtute ultro et benigne concedendum. Nunc autem quia ad summi regis et eius fidelium honorem vestrae spectant preces, nefarium valde est eas fieri irritas, quia earum contemptus non ad alicuius terrenae potestatis sed ad Dei refertur iniuriam, qui non est invalidus ad ultionem quam voluerit inferendam. Unde obsecramus, ut hunc timorem deponatis, et dolorem quem pro fratre egregio habetis moderando temperetis. Huic enim acerbae necessitati et reges subiacent et episcopi et diversus ordo totius officii. Praedictus vero locus, pro quo querelam fecistis, diu Altissimi non carebit suffragio, nec fratris vestri labor erit irritus, qui huic operi devotas applicuit manus, praesertim cum ille, qui dedit voluntatem, faciendi subtraxerit facultatem, et iam, ut speramus, pro hoc opere virtutum sit insertus coronae. Eamus ergo ad locum, intueamur ipsius loci speciem, et situm; ut postulastis, favente Deo dabimus consilium, dato consilio conferemus praesidium.*

33. Ut dixerat, imperator ad locum cum maxima plebis et comitum frequentia vadit, criptam intrat, et ante altare beati Andraeae genua flectit, cuius etiam implorat patrocinium, et in regiae praesentiae testimonium super idem altare non parvi precii ponit pallium. Deinde conversus ad Vulbodonem episcopum: *Tibi*, ait, *huius pauperis loci committo negotium, ut eundem paternitate et clementia foveas, ac vice Iosedech magni sacerdotis manum adhibeas, de reditibus quos tuus antecessor reliquid opus imperfectum perficias.* — *Gravem*, ait episcopus, *o imperator, mihi iniungis provinciam; ultra vires meas est negocium, non enim aliquem fructuosum locum set mihi committis desertum.* — *Non*, ait imperator, *tibi committo desertum, sed preciosa Andraeae apostoli pignora, que huic qui hic iacet dedi in dono pro suae fidelitatis obsequio, et ut ea in qualicumque loco honore illustraret magnifico.* Post haec imperator redit, ille, quantum valuit et potuit, de obedientia sollicitus fuit, set parum huic loco consuluit.

V I T A
HERIBERTI ARCHIEP. COLONIENSIS
AUCTORE LANTBERTO.

Liber satis ieiunus, anno circiter 1050. *Coloniensis ecclesiae nomine ecclesiae Romanae omnibusque christianis oblatus, auctorem suum Lantbertum, coenobii Tuitiensis ab Heriberto constructi monachum, prodit, qui Heinrico III. imperante, sub Hermanno Coloniensi archiepiscopo et Werinboldo abbate Tuitiensi scripserit. Vir hoc tantum opere notus*[1], *nihil ei illatum esse dicit, nisi quod* 1 *Coloniae visum aut a fidelibus auditum sit, eoque titulo fidem aliquam libro conciliat, quum viginti vel triginta post obitum Heriberti annis exactis, res ab eo gestae compluribus, praecipue in monasterio Tuitiensi conversantibus, notae esse possent. Sed liber, miracula a patrono monasterii perpetrata celebraturus*[2], *historiae illustrandae minus quam speraretur confert, et auctorem* 2 *scribendi haud valde peritum, prolixum et modulationi sententiarum nimis addictum ostendit. Prodiit primum in Actis SS. Bolland. d.* 16. *Martii p.* 467 *sqq. ope quatuor codicum, a Papebrochio praefatione, annotationibus et adiecto Ruperti Tuitiensis libro instructus; iam secundo ope codicum trium recognitus evulgatur. Subsidia nostra fuerunt:*

1) *C. S. Laurentii Leodiensis, quem in bibliotheca universitatis Leodiensis a.* 1826. *evolvi, membranaceus in* 4to *sec. XII. scriptus*[3], *a Papebrochio olim* 3 *ut „noster" laudatus. Textum praebet sanum, in lectiones duodecim distributum, addito in fine miraculorum libro, quem ut nullius momenti praetermitti placuit*[4]*. Codicem aeque ac sequentem Bethmannus in usus nostros convertit.*

2) *C. regius Bruxellensis N.* 207. 8. *mbr. in fol. maximo sec. XIII. binis columnis exaratus, ubi vita fol.* 147. *sqq. exstat, parumper a primo recedit.*

1) Trithemius in Chron. Hirsaugiensi I. p. 180. haec de eo tradit: *Claruit hisdem quoque temporibus Lampertus, monachus coenobii sancti Laurentii Leodiensis nostri ordinis, sub norma domini patris Benedicti, in scripturis eruditus, nec minus vitae merito reverendus; qui magister scholae monachorum praelatus bene docuit et plura scripsit. In quibus se virum egregie doctum ostendit, et utilem ac notum posteritati fecit. Hic Adelmanni praeceptoris ac postea Brixinensis episcopi quondam fuit discipulus, a quo magnis effertur praeconiis. Vitam sancti Heriberti Coloniensis episcopi pulchro ordine et diserto admodum eloquio lib.* 1. *De eiusdem sancti miraculis lib.* 1. *Hymnorum varii generis carminum lib.* 1. *Epigrammaton lib.* 1. *Officium nocturnum de sancto Heriberto scripsit, quod pulchra et regulari modulatione composuit. Alia etiam multa lucubrasse dicitur, quae ad manus nostras non pervenerunt.* Quae omnia ex codicibus Vitae Heriberti Leodiensi et Tuitiensi hausta fuisse videntur; et Lantbertum male Leodiensem dictum, iam Papebrochius animadvertit. 2) ea statim post obitum archiepiscopi inclaruerunt. cf. Ann. Quedl. a. 1021; et Ann. Hildesh. qui Heribertum mortalem vitam in angelicam mutasse scribunt. 3) v. Archiv p. VII. 430. 4) Inde fluxit Epponis Babenbergensis episcopi visio a Ruperto cap. 9. prolata (Acta SS. l. c. p. 488. 489) quam ab auctore Vitae Meinwerci exscriptam videsis.

5 3) *C. Musei Britannici inter Harleianos N.* 2800. *signatus*[5] *membr. sec. XII. proxime ad anteriorem accedit, et a D. Gustavo Oehler Francofurtano cum editis collatus est. Quibus addi possunt lectiones codicum in editione Papebrochiana enotatae, scilicet*

4) *C. S. Maximini Trevirensis,*

5) *C. Rubeae Vallis prope Bruxellas et*

6) *C. Tuitiensis, vitam Heriberti adiectis tribus hymnis cum reliquis antiphonis et responsoriis pro sacro officio et sequentia, quae in missae sacrificio* 6 *posset recitari, complexi*[6],

quorum fata ulteriora ignoramus.

Saeculo XII. ineunte Marcwardus, abbas Tuitiensis, a Ruperto, quem postea a. 1117—1135. *successorem habiturus erat, ut Lantberti librum „styli rubigine subobscurum novo stylo rescriberet", obtinuit. Altera haec Vita*[7] *priori paucis in locis illustrandae conducit, aliaque parvae vel nullius auctoritatis addit, quae Lantberti textui subiicienda curavi.*

Excerpta Lantberti in codice regio Bruxellensi N. 8515. *olim domus S. Albani prope Treverim, membr. sec. XV. habentur, adiecta relatione miraculi in regione Saxonum in villa Colovize facti tempore S. Heriberti anno* 1021. *indict.* 4., *quam in codice alio Bruxellensi iam saeculo XII.* 8 *scriptam offendi*[8].

Heriberti corpus a. 1147. *ind.* 12. *ab Arnoldo archiepiscopo translatum esse, Papebrochius tradit.*

INCIPIT PROLOGUS VITAE SANCTI HERIBERTI[a].

Matri aecclesiarum sanctae Romanae aecclesiae, et in universo orbe terrarum universis filiis universalis aecclesiae, metropolis Agrippina Colonia, Deo opifice, omne datum optimum et omne donum perfectum a patre luminum. Operatus est Deus, o[b] *membra Christi, et operatur apud nos sua gratia magna et*[c] *mirabilia; quae licet iam dudum agnoverit christiana militia — nam multiplex claret gestorum materia —, futuris tamen ea occulere periculum censuimus de anima. Exaltavit apud nos oriens ex alto sacerdotem excelsum suum Heribertum, de plebe sua electum; qui quoniam habuit bene vivendi summam, indeptus est bene viventium gloriam. Sepultus est autem in coenobio suo, quod ipse a fundamento fundavit perfecit et dedicavit; ubi tot et tanta per eum, donante Deo, acta sunt mirifica, ut immensa requirerent*[d] *volumina, si describerentur singula*[e]. *Curam scribendi communi consensu uni ipsius monasterii fratri commisimus, qui ministra*[f] *obedientia nihil aliud scripsit, quam quod vidimus aut a fidelibus audivimus. Nam per eum quam plura facta sunt in externis et longe positis gentibus, quae solo auditu ab idoneis*[g] *comperimus. Scripsimus haec ad utilitatem legentium, ut in omni terra nobiscum gauderent, congaudentes transcriberent, et septima decima*[h] *Kalendas Aprilis in perpetuum diem festum haberent. Scripta sunt autem imperante Heinrico tertio, Herimanno metropolis nostrae archiepiscopo*[9], *coenobii ipsius, in quo requiescit, abbate Werinboldo*[i]. *Ne vero suppresso dictantis nomine causetur muta pagina, tituletur obsecundantis nobis fratris nostri Lantberti*[k] *nomine et memoria.*

EXPLICIT PROLOGUS[l].

a) *codex* 1. *saepius* Herebertus *scribit.* b) *erasum* 1. c) *deest* 2. 3. d) requirerentur *Bollandiani.* e) universa 5. 6. f) ministri 5. g) i. testibus *B.* h) XVII° 2. 3. i) Werinbaldo 2. 3. Werimboldo 5. k) Lamberti 2. l) e. p *desunt* 1. 2.

5) cf. Archiv T. VII. p. 430. 6) Acta SS. l. c. p. 465. 475. 7) edita inter Opera Ruperti, apud Surium II. p. 246. (ed. 2. p. 279.), et in Actis SS. Bolland. post Lantberti librum pag. 475 sqq. 8) Archiv VII. p. 431. Exstat etiam in cod. Lipsiensi, Arch. VI. p. 208. et regio Parisiensi N. 5129., Arch. VII. p. 56. 9) sedit a. 1036—1056.

INCIPIT VITA SANCTI HERIBERTI ARCHIEPISCOPI.

1. Electissimus[a] itaque archiantistes Creatori rerum Heribertus, ante tempora secularia in sapientia Dei praeelectus, clarissima Wormacensium progenie mundo editus, natales suos, Deo auspice, meritis illustravit et moribus. Pater eius Hugo in dicta urbe Germaniae multo celebris nomine, mater vero Tietwidis[b], alto Alemanniae comitum insignis profluxit a sanguine, habens et ipsa genitricem Immam[11], generatam ab inge- 11 nuo Regimbaldo[c] comite; quae[d] cum sororibus forti genitoris sui munita praesidio, iudicio Dei ab Hungris[e] captiva abducitur, facto castri ipsius excidio; quibus Wormaciae oras attingentibus, et, ut in chronicis legitur, absque misericordia cuncta diripientibus, pusiola lugubris venalis exposita, a probo quodam et spectabili viro redimitur, et post tot discrimina diligenti cura reficitur. Nulla eam deinceps recuperandi spes maioribus eius erat, et pater eiusdem ad palatium primi Ottonis pro re publica descendebat; cum honesto praelibati viri utens domicilio, inter morandum[f] filiam agnoscit causa[g] specie et colloquio. Exoritur ingens utrinque tripudium; magnificatur supernae clementiae beneficium, quae moerentes piis consolationibus attollit, ne abundantior tristitia eiusmodi absorbere possit. Statim conseritur secundum apostolum casti cubilis et immaculati thori (Hebr 13, 4.) legitimum coniugium; datur a patre filia eidem patrifamilias in matrimonium, congeritur dos, census, familia et patrimonium, sicque cum laetitia perficitur omne bonum. His maioribus praetitulata Tietwidis exoritur, et felicibus adulta successibus, legitimis sponsalibus et dote domno Hugoni contraditur et iungitur.

2. Post dies felicis sobolis futura puerpera dispensatione divina fit gravida. Incedebant ambo maritus et coniux in mandatis et iustificationibus Domini sine querela, (Luc. 1, 6.) quemadmodum euangelizatur de Zacharia et Elizabeth sancta; insistentes in[h] recreandis egenis, insudantes refovendis miseris et[i] aegris[k]. Orationibus et fructuosis operibus vacabant, altaria donis et honore cumulabant, quatinus de germine ventris sui sibi et posteris fieret gaudium, et id clementer operaretur salus omnium. Instabat partus evolutis mensibus, quem praecedunt revelationes per fideles[12] congruis visionibus, quibus 12 videbatur plus solis radiis infundi praegnantis cubiculum, editurae eodem ictu et momento salutiferum terrae subsidium. Nec defuit visioni rata veritas, cum enixa beata mater benedicibile puerperium, erumpit in laudem Dei et gratias. Obstetrices quoque perfruuntur luce melliflua, utpote ubi iure amministratio credebatur angelica. Procedunt stupentes et perterritae ancillae domino suo obviam, et intimant[l] tantam iucunditatem et inexpertam laetitiam. Domus tota vocibus et plausu concrepat; insitum[m] nomen Heriberti ingeminando concelebrat. Festus dies in iubilo ducitur; omne onus et opus servile remittitur; mensa copiosior peregrinis pro rudimentis pueri exstruitur et apponitur. Nec tardatur abhinc per manus sacerdotum lavacro sanctificationis innovari; in quo tanta Spiritus sancti meruit multiplicitate repleri et consecrari, ut numquam in reliquum ab eo offensus recederet, sed inviolabile pectus eius protegens in aeternum et ultra in eo quiesceret. Suscipitur de fonte a viris aecclesiasticis et religiosis, et ab auctoratis et Deum timentibus matronis, ne quid ominum coelesti deesset consilio, quae in eo commendari voluit semper vivens et regnans dignatio. Tum[n] dominicae mancipandus scolae plurima educatur sinceritate et munditia, quae fieri habebat in sancta sanctorum vivens sancta et Deo bene[o] placens hostia.

3. Amoto eo ab ubere, parentum augebatur desiderium et devotio, qui dilectissimam prolem provehi ardebant aetate et litterali[p] studio; ac pro[q] hoc Wormaciae idoneis personis contradunt eum in domo apostolorum principis, ubi cum exteriori disciplina utriusque testamenti imbueretur paginis. Patent illi perpropere, quaecumque obscure[r] geruntur in poemate; nec latent eum fugae et nodosi amfractus in Socrate et

a) Dilect. *B.* b) thyetwidis 2. thietwidis 3. *ita et infra.* c) reinboldo 3. d) scilicet imma *superscr.* 1. *eadem manu.* e) ungris 3. f) memorandum 2. 3. g) casu *B.* h) *deest* 3. i) m. et *desunt* 3. k) egenis *B.* l) i. ei *B.* m) iustum 3. n) Tunc *B.* o) *deest* 2. p) litterari 1. q) per 1. 2.? *B.* r) obscura 2. 3.

11) Emmam scribit Rupertus. 12) quos inter Iudaeus, patris amicus, qui pro colloquio sive negotio advenerat, ut Rupertus scribit.

Aristotile et[a] quolibet alio sinuoso rethore. Quibus interim sinistrorsum postpositis, adeo emicuit in sacro dogmate collato divinitus aecclesiae, ut propemodum totum agnum valeret comedere, et parum restaret, quod ignem oporteret[b] absumere. Iam adulto non sufficiebat natalis regio, in qua sitienter[c] haurire posset, quae divinitatis consonant servitio, sed via regia et angusta animabatur ad ardua, donec, iuvenili attrita[d] infantia, triumphali virtutum potiretur victoria. Florebat iam dudum in Gorzia districtus coenobitarum fervor, et ab eis ubivis terrarum diffundebatur boni odoris dulcis vapor, quod essent caritate et religione ceteris praestantes et honestae peritiae auditorio redundantes. Quod ubi fidelis adolescentis aures serio attigit, omni instantia eo pervenire satagit, nec desistit donec votum effectu perficit. Mox in suo habitu eorum admittitur collegio, componendus ab eis, ut diadema floribus, exemplo et imitando proposito. Perpendebat in eis, quomodo Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore accenditur. Mirabatur in illis rebus impleri, quod sola lectione tenebat, quomodo alter alterum vigiliis et abstinentia praecedebat, utque ille hunc humilitate et obedientia praecurrebat, et cum, ut dictum est, in eis florerent divisiones gratiarum, in uno spiritu absque invidia consummatum perfectionis conficiebant gradum. Universa haec mirabilis Heribertus ut prudens apes[e] in se opere congerebat, et superior cunctis inferiorem se aliis protestans, omnes sibi indissolubili familiaritate devinciebat. Carnis curam in desideriis penitus calcaverat, mundo praeminens eius concupiscentias subegerat; et brevi discrimine a servis Dei non amplius, coenobitam mox professus, reverteretur, nisi ad revisendum patrem missis legatis expeteretur. Qui iuxta sententiam apostoli dicentis:
Col. 3, 20. *Obedite parentibus per omnia*, praepositorum benedictione et subditorum regreditur licentia. Statim comperto eius reditu, Hildebaldus Wormacensis episcopus, in agendis
995? canonicae sanctionis tunc praecipuus, continuo eum caeteris sui praefecit[13] obsequii[f]; disponens ipsum post se insignibus sublimari pontificii. Verum quoniam non est in
998. Aug. 4. homine via eius, brevi post defungitur, et praeter opinionem suam alter in loco suo substituitur.

4. Otto iunior, idem et tertius, in fascibus monarchiam regebat, et ultra annos servos Dei passim requirebat, requisitos amplectebatur et excolebat, et iuxta traditionem canonum dignitatibus extollebat. Is pretiosiorem carbunculo Heribertum ad se accersitum, archicancellarium[14] et secreti sui voluit esse primum. Nec mora, promovetur
15 consecratione presbiterii[15], ut, quantum ab homine, sine offensa tanti tractaret commemorationem mysterii, et ut coelitus sibi salutis illaberentur consilia, quibus facto[g] augustus acquiesceret cum Romana curia. Vacabat eo tempore Wirzeburgensis[h] aecclesia, perfuncta sui pastoris[16] sorte vidua, et caesar hunc sanctum eidem exoptabat praefici; sed enixius renitens, germanum Heinricum se iuniorem optinuit eligi, inungi, sanctificari magni vice sacerdotii. Ipse vero lateri principis indesinens[i] adherebat, et clero et primoribus et plebi acceptissimus strenue commissa gerebat *. Quotiens cum imperatore Romam ierit et redierit, utque augustus arcem imperii, res Italiae moderando, disposuerit, potius regiae videtur inscribendum chronicae, quam in laudem sancti violenter inflectere. Illum aliquando imperator Ravennae reliquerat ad[k] reconciliandos sibi industria sua discordes; ipse Romam contenderat ad comprimendos vi et armis rebelles et hostes. Hic superabat adversantia mansuetudine modificante et iustitia; illi potestas

* *Rupertus addit:* Interea Romano pontifice defuncto, iam dictus Bruno sedem sortitur apostolicam, agnominatus Gregorius, vixitque in ea annos ferme duos et menses novem, undecimus supra Brunonem alterum, qui et nonus Leo dictus est. De isto, qualiter a Romanis imperatori rebellantibus primo expulsus, ac deinde veneno peremptus sit, quoniam ad rem praesentem minus attinet, nunc omittentes, potius propositum prosequamur.

a) et in 3? *B.* b) oportet 3. c) scienter 2. 3. d) detrita 2. 3. e) apis *B.* f) suo p. obsequio 2. g) factis *B.* h) werzeb. 1. wierzeburg. 3. i) indesinenter 2. k) ob 3.

13) praepositum ecclesiae factum esse Heribertum, Rupertus scribit, de studio eius Gorziae tacens. 14) primus in diplomate pro fratre suo Heinrico Wirzburgensi ab Ottone III. edito 17. Kal. Oct. a. 996. deinde Hildibaldo defuncto plurimis chartis a. 998—1002. cancellarius vice archicancellariorum Germaniae et Italiae, Willigisi scilicet et Petri Cumani episcopi, subscripsit. A. 996. in Annalibus Quedlinburg. *clarissimus cancellarius* audit. 15) ut Rupertus vult, comite Brunone, modeste renitente, postea papa Gregorio V. 16) Berenwardus iam a. 995. obierat, et eodem anno Heinricus successerat.

nulla restabat, contraria maiestate perterrita[17]. Inter haec Coloniae metropolitanus[18] a seculo migrat; et post exequias clerus et populus de substituendo vestigat, nec omnino secundum causam Dei per scita maiorum et tradita; et iccirco utrinque his[19] et illis[20] parti suae faventibus dividitur aecclesia. Tum eiusdem sedis apostolicae praepositus[21], et ipse a suis electus, medium se offert in utroque scismate, immeritum se et inutilem protestans tanto regimine. Sic sedatis omnibus, sanam, ait, sibi videri et approbandam sententiam, domnum Heribertum archicancellarium eligendum et ab augusto expetendum per eandem concordiam; cuius vitae munditia singularis sapientia radiaret et virtutum luce omnium prae cunctis huius mortalitatis. Necdum peroraverat, cum ab ore loquentis universa multitudo coniubilat, attollens in excelsis voces, Deo gratias, Deo laudes, qui respexerit plebem suam et visitaverit, si praesulem talem ab eo promeruerit. Ordinantur maiorum[a] meliores ex clericis, qui commune decretum Italiam cum pastorali baculo perferant ad solium caesaris; cum quibus pro totius in id ipsum assensu militiae destinatur comes Herimannus, vir probus et nobilis. Nulla fit dilatio properantium, ne quis malignantium fraude praeoccupet salutem civium exspectantium, et quia moris est principum, accusare moras tardantium talia portantium. Post tot igitur emensos viae labores, tandem ad augustum iam pridem Roma egressum perveniunt; insignia praesulatus ipsi prostrati exerunt[b], legationem suam et suorum clementer expetunt acceptari, quam sine vitio et integra fide constabat ordinari. Relevat eos imperator benigna consolatione, et in spem suae petitionis inducit fixa promissione, et si qui essent qui obviare pertemptarent huic unanimitati, procul dubio repellerentur importunitate sua[c] iure repudiati. Taliter a conspectu eius egressi, succedunt[d] hospitio, iter suum et causam committentes indivisae Trinitatis arbitrio. 999.

5. Imperator* subtristis quidem pro morte prioris, gratulabatur in desiderata sibi restitutione Heriberti mox futuri successoris, qui, ut dictum est, Ravennae positus pro cohibendis seditiosis, totam regionem tranquillam effecerat forma et moderamine suae conversationis. Ad eum propria manu scribit epistolam in haec verba, dono[e] pollicens cum[f] pallio Coloniam: *Ottô imperator[g] sola Dei gratia, Heriberto archilogotetae gratiam et Coloniam ac pallii cubitum unum.* Obstupuit repente cor viri Dei super[h] inopinata Dei providentia, et extemplo domum Domini ingressus, prona reverentia terrae procumbens, nomen eius benedicebat, et superexaltabat laudabile et gloriosum in sua magnificentia. Deinde in crastinum assumptis suis, cum episcopo loci[22] pergit ad palatium, et in oculis suis solito humilior, nulli contiguae suae exaltationis prodit mysterium, comitibus dumtaxat aperiens praesulis Agrippinensis recentem obitum. Perveniens itaque ad principem, infinito excipitur amore, amplectitur, exosculatur familiarissima devotione, utpote de cuius integerrima fide paene totus pendebat, et cui specialius animae suae salutem ulterius committere habebat. Educuntur ad medium legati civium, et in consessu[i] pontificum et magnatorum consonam electionem fatentur suam et suorum, servum Domini[k] Heribertum donari et transmitti expetentium beati Petri in sede ipsius vicarium. Annuit augustus eorum preci votiva clementia; favet in id ipsum tota curia una consequentia, prudentissimum hunc et emeritum inculcans animarum pontificio[l]; in quem distillari iure deberet a Spiritu paraclyto Patris et Filii benedictio. Vir autem sanctus e diverso actus suos accusare, nota sibi conscientia; nil eorum in se, quae oportet episcopum commendare; onus vitae suae sibi gravissimum; vereri se propter se populi Dei lapsum et scandalum. O pia humilitatis defensio, quae alto evehitur alarum remigio! Evincitur ab omnibus obiecta sibi oboedientia, qua neglecta contrahitur offensa, et qua perfecta reatus omnis aboletur et poena**.

* *Rupertus:* cum pecunia tentaretur ab alio, quem acclamaverat dissensio populi, ipse responsum differens contemptumque oblatae pecuniae dissimulans, haec interim a territorio Beneventano, ubi tunc temporis commanebat, manu propria beato viro scripsit etc.

** *Rupertus addit:* Iam de ambitionis vitio, quam liber ab illo fuerit, cum tota eius vita inditio

a) maiores 2. b) prostrauerunt 2. 3. 4. 6. c) sue 2. d) secedunt 3. e) *deest* 2. f) eum 1. g) i. augustus *Rupertus.* h) s. i. D. *desunt* 1. i) consensu 2. 3. k) domni 1. l) pontificium *B.*

17) cf. Thietmar. VI. 30 sqq. 18) Evergerus. 19) clero. 20) populo. 21) Wezelinus, S. Petri praepositus, ex Ruperto. 22) Leo.

999. 6. Defertur[a] ob id a Roma ipse Petri baculus, et praesente papa[23] per eum[24] vas electionis Heribertus Agrippinae Coloniae creatur episcopus[b]; et decenter matres aecclesiae, quae unius erant patrocinii, mirabili unius confoederabantur tenore participii. Inde paulo plus duobus mensibus agit cum caesare; post ab eo absolvitur cum multo mutuae caritatis foedere. Tum ad confessionem coelestis hostiarii ascendit; a domno apostolico pallium exposcit et accipit; et sic cum auctoritate eius ad sedem suam gressum dirigit. Expletur brevi prolixum viae spatium; prosperum facit ei iter Deus salutarium; cum compatriotae pontifices, comperto ipsius introitu, longe illi occurrunt cum plurimo obsequentium ambitu. Iam in proximo erat metropolis suae vicinia, cum praemittit pallii insigne et reliqua sacerdotalia; ipse procul ab urbe nudis procedit pedibus in asperrima hieme, et illo igne accensus, quem Dominus misit in terris, prorsus carebat frigore. Mens eius omnimodo supernis infixa flagrabat; os ymnis psalmis et orationi vacabat; transfigurans in se, quas executurus erat vices Christi, quantam sacerdotem curam habere deceat gregis sui. Hoc actu, hoc scemate a circumlatero[c] praesulum agmine perducitur fidelis Samuhel ad Petri limina, ubi excipitur cum processione plenaria, et eo modo inductus in domum Domini[d], sublimatur in sua cathedra, ipsa natalis Domini [Dec. 24.] vigilia. Laudatur Deus secundum multitudinem misericordiae suae in choro et organo, coronis, lampadibus et omni decore suo ornato sanctuario. Non fuit similis laetitia in Coloniensium populo; nec frustra, qui tali rectore protegi habet perpetuo. Inungitur a suffraganeis chrismate principalis olei; redimitur aecclesiasticis sponsalibus in dotem catholicae fidei; stigmata Iesu in eius corpore universa canonice perficiuntur, chorus et reliqua multitudo letaniis et supplicationibus accinguntur. Consonabant* et indicia boni testimonii, ut, cum ab episcopis aperiretur textus euangelii, ultro ingereretur lectio [Isa. 61, 1.] Isaici vaticinii: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; euangelizare pauperibus misit me.* Quis expediat, qualis post consecrationem vixerit, quantum pro conservandis in pace subditis praedicationi invigilaverit, ut pauperum hospitum subvenerit inopiae, [Iob 29, 15. 16. 31, 32.] ut de longe et de prope moestorum et egentium consolandae institerit penuriae. Vigebat in eo viva lectio[e]: *Oculus fui caeco et pes claudo, pater eram pauperum; ostium meum viatori patuit;* sinistrorum opus et eorum declinans coetum, ut dextris uniretur, quibus promittitur et cum[f] benedictione datur regnum. Erat interim Lia lippa et Martha laboriosa, ut per has postmodum fieret Rachel pulcra et Maria parte quae non auferetur electa. Meriti et virtutum eius nullus finis, praesertim cum soli Deo placere desiderans, vitam suam absconderit[g] et amicis; timens ne oleum peccatoris inpinguaret caput eius, et lingua adulantium immutaret gloriam conscientiae eius. Ac per

sit, illud quoque est memorabile testimonium, quod 8. Idus Iulii, quae dies sancti Kiliani martyrio erat celebris, cum creari deberet archiepiscopus, differri in crastinum praeoptavit, 25 propter praesentes exequias lugubres, quae ibidem agebantur Strasburgensis episcopi[25], videlicet ne aliis lugentibus et flentibus, ipse ridere videretur cum suis, memor scripturae dicentis: [Prov. 20, 21.] *Hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimis suis benedictione carebit.* Et revera dolendum erat pro exitu eiusdem episcopi, quia videlicet terribiliter acciderat, praeeunte signo non bonae aestimationis. Nam cum ille mitra redimitus missarum solennia celebrare ingrederetur, ubi se ad populum vertit, dicturus de more: *Pax vobiscum,* imperatorem intendens, tanto risu solutus est, ut funditus oblitus esse videretur, ad quid se convertisset. Ut vero ad prandium ventum est, cunctis pariter considentibus, percutitur morbo pleuretico, interque manus ad proprium delatus hospitium, die decimoquarto reddidit spiritum. Viderat autem ante annos septem, ut solitus erat narrare, visionem: videlicet adstitisse sibi senem quemdam, veste purpurea pontificalique redimitum infula, qui se profitens esse Kilianum: *Tale,* inquit ille, *mihi profudit oraculum: ,,Age per hos septem annos, qualia episcopum decent opera, quia non longius tibi a Domino vitae spatium positum est.“* . . . . . . Et quidem Beneventi pontificalis ei honor datus est 7. Idus Iulii[h].

* *Rupertus:* Denique dum in consecrando illum episcopi duo codicem euangeliorum super caput cervicemque eius tenerent, revoluto mox eodem codice versiculus iste primus occurrit: *Spiritus etc.*

a) refertur 2. b) archiepiscopus 3. c) circumlatere 2. d) eo m. i. i. d. D. *desunt* 1. e) l. Iob *B.* f) *deest* 3. g) absconderet *B.* h) Iunii *ed.*

23) Silvestro II. 24) *i. e.* baculum. 25) Wideroldus a. 1000. obiit.

hoc, ut beata Cecilia, etsi auratis et mollibus desuper tegebatur, intus ad carnem cilicio utebatur; et si necessario occupabatur exterioribus, semper circumspectus et sui bene memor, non dimovebatur a spiritualibus[a].

7. Novissime augustus Italiam non rediturus ingreditur, et undique valida collecta 1000. Iun. manu, iterum insurgentes in se irrumpere et conterere nititur. Virum Dei ad eundem comitatum secum invitat, quod, ut dictum est, de salute sua in eum cunctis uberius confidat, ut, si quando armis deficeret, consultu huius et prece proficeret. Inter viandum uterque de communi animae commodo ad invicem pertractat, quid memorabile secundum Deum post se posteris relinquat. Placet ambobus, ut quilibet eorum sospes reverteretur, quocumque casu alter detineretur, de rebus hereditariis aedificaret decens coenobium, titulatum Dei genitrici, matri et virgini virginum. Protinus ad id operis eidem archipraesuli contradit caesar optima maiorum suorum praedia, legibus[b] rem carta et atramento roborans sub assignatis testibus. Deinde Romae proximans, et diviso exercitu adversantes sternens et populans, non multo post in Patirna castro per mulierem veneno 1002. Ian.24 perit*, quod in gestis eius, si qua sint, plenius inveniet, si quis addiscere velit. Inter optimates statim de subrogando exoritur controversia; unde et Heinricum tunc Baioariorum ducem** eligunt et substituunt rata concordia. Servus Domini Heribertus huic aberat Iun. 6. consilio, quoniam et speciali moerore turbabatur pro priore domino, et quod vivens eum adiuraverat, ut Aquas[c] delatus ibidem sepeliretur; ac per hoc super ipso occupabatur, quemadmodum id efficeretur. Verum dedit ei Deus virtutem et fortitudinem, et invitis et insequentibus Romanis, transfert cadaver senioris[d] per ferrum et hostium sanguinem, donec Aquas[e] delatum ut voluit, in choro sanctae Mariae, ut in promptu est, terram terrae reddidit. Imperialia, quae penes se erant, recens electo principi contulit, et optimatum in hoc unanimitati resistere, etsi ad modicum voluit, omnino non valuit[26]. 26 Laborabat exoccupari ulterius curis vitae huius, quibus eum salubriter occupabat Ottonis amor profusus, ac per hoc solis aecclesiarum intendebat causis, in eis destructa reformans de redditibus suis, de residuo pauperes recreans visceribus piis. Periclitabatur 1005. fame depressa Gallia et Germania; et[f] Domini servus magnopere instabat, ut eorum medicaretur inopia, adeo ut Colonia infinito talium repleretur populo, et omnes eius viderentur compassionis oculo, et per fideles ipsius alerentur vestitu cibo et poculo. Seorsum eis hospitia disposuit, et pro varietate languorum annonam instituit, et ut singulis competebat sollicitudinem adhibuit. Ipse secreto privatus ad eos descendebat, et pedes eorum abluens et extergens[g], imbecillitati eorum vehementer condolebat, dominos et fratres eos[h] nominans; si quo indigerent, ab eis prudenti astutia perquirebat; et sic erga ipsos exercitatiores eorum ministros faciebat. Per alias etiam urbes familiarissimos animae suae clericos idoneos habebat, quibus et certae pecuniae quantitatem clam dirigebat, ut in similes usus ab eis fideliter expenderetur, et ea exposita identidem ab eo alia repeteretur. Cumque sequentibus annis, emendata terra, in sua qui possent redirent, rogabantur a benigno patre, ut ab eo quod vellent peterent et invenirent.

8. Factum est et alia tempestate, ut messis omnino deperiret prae siccitate, et alter Helias, salvo Iohanne baptista, ad nota praesidia confugiens, a Deo monuit esse quaerendum, et clerum et populum hortatur tridui afflictione secum adterendum, et ut pariter cotidie votivi sanctorum frequentarent patrocinia, et[i] conculcatos et humiles eorum adiuvarent merita. Sic pastor emeritus greges suos ante se ducebat, ipse subsequens

* *Rupertus:* Imperator . . incidit in insidias mulieris malae, videlicet eius, cuius virum Crescentium, sibi rebellantem, captum iusserat capitalem subire sententiam; et ab illa non praecavens, quamvis a sancto viro saepius esset commonitus, veneno intra cubiculum dormiens infectus est. Obiit itaque Romae anno post ordinationem beati viri tertio. Ierat autem tunc quoque sanctus idem cum illo, utpote ad disponenda maxima regni negotia pernecessarius. Cui cum die sequenti confessus fuisset pestem quam perceperat, seque mori persentiret, id quoque supremum ab eo postulavit, quatenus corpus eius Aquisgrani sepeliendum transferret.

** *Rupertus addit:* secundum seculi dignitatem locupletissimum et litterarum studiis non tenuiter instructum.

a) spiritibus *B.* b) regibus 3. c) aquis 3. d) cesaris 2 3. e) aquis 3 f) *deest* 3. g) abstergens *B.* h) eo 3. i) ut 3.

26) cf. Thietmar. IV. 31, 33.

sua et eorum peccata deflebat, obsecrans ut ab Altissimo impetrarent misericordiam et miserationes, et ne despicerentur tot gemitus et orationes. Secundo processionis die a Sancto Severino egredientibus et ad egregium Pantaleonem martyrem divertentibus, sacerdos magnus in timore Domini, ut moris est, sequebatur, et columba capiti eius crebrius imminens candidissima a quibusdam videbatur, quibus a Deo dabatur. Ut autem eo perventum est, ubi sanctus Severinus beati Martini vidit ascensum et angelorum pro
26 exaltatione[a] eius audivit concentum[26], ter verticem ipsius circumvolans apparuit, et alta repetens denuo non comparuit. Credebatur et ferebatur in hoc ingens figurari misterium, ut familiari sibi alite Spiritus sanctus hominibus suum proderet sacrarium. Tum missas illa sua nobili assiduitate cum eis tenens, et eis finitis frequentiam cum benedictione dimittens, domum regressus, cum domesticis ad mensam discumbit; et inter prandendum totus eius et suorum sermo de enormitate peccati incumbit, soli sibi imputans, quod non exaudiuntur alii, et intemperiem aeris suo adscribebat reatui. Ergo manus inserens digitis, caput[b] in mensa posuit, et ad Deum conversus, sufficienter ingemuit; sed quid eius spiritus cum Deo locutus sit, nemo unquam scire potuit. Mox a mensa cum sancta Scolastica capite levato, inundantia pluviae erupit, et eiusdem anni frugum fertilitas immensa fuit. Horum nunquam laudem appetiit nec recepit, sed in omnibus his Creatoris nomen magnificari praedicavit et fecit. Praeterea recordans pactae cum Ottone augusto fidei pro fabrica coenobii, diligenti instantia perscrutabatur situm in loco habili. Fiebat res molesta et in scandalum quaerenti et non invenienti, cum ei visa est ipsa mater Domini post[c] protensas excubias parum quid ante diluculum quiescenti, dicens, preces eius super hoc admissas intra sacrarium exauditionis, ac per hoc iubens in
27 Divitensi castro[27] monasterium exstrui[d], designato ordine cuiusque habitationis. Continuo venerandus paterfamilias somno excutitur; Dei filius et eius genitrix ab eo adoratur et benedicitur; et accersitis officialibus, locus idem mundari praecipitur; et everso publico horreo, spatium complanatur et in largum[e] distenditur; ut ubi antiquitus colebatur area daemonum, decus exurgeret Dei et sanctorum omnium. Iacta locantur fundamenta; proficit in altum operosa maceria, et otius quam quisquam ratus erat, opus ipsum plurimo cultu condecoratur, sed infelicibus[f] auspiciis consummatur. In uno dominicae crucis expoliendo patibulo quaedam difficultas erat, et in quocumque ligno[g] dolarent artifices, non procedebat; ut et in hoc meritum sancti proderetur, dum per eum congruum inveniretur. Suae dioceseos quosdam fratres visitandi gratia processerat aliquo, non multum a suae sedis confinio; cum, ad mensam recumbente eo in pomerio, annosa pirus oculis eius obicitur, a cuius trunco extensis in directum brachiis figurata ungue tenus crux emittitur. Qua curiosius inspecta, in gratiam Dei erumpit pro omnibus quae sibi tribuit, et amputatam dolatoribus compositę formandam dirigit. Quae, ut in palam est, ultra non defecit, et omni sua compage perfecta provenit. Praeterea in eadem aecclesia cumulatis sanctorum pignoribus altare dedicatur, ut profectui murorum consecratio adhibeatur[h] et honor Deo pronior habeatur. Archisacerdos Domini primum abbatem Wolpertum[i] loco praeponit, coenobitas animae tertii Ottonis et suae fideiussores ibidem ponit, et in usus quadraginta fratrum abundantem omni tempore stipem disponit. Verum sive quoniam invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, seu quoniam in hac rerum mutabilitate nihil est immutatum, nocte una, finitis matutinis et egressis fratribus, eadem fabrica in unum ruit acervum eversa funditus. Quod sacerdos egregius certa relatione comperiens, et adversos casus aequanimiter tolerare praesciens, a primordio repetens, eidem animatur operi; et priores a loco lapides efferens, extruendis destinat officinis monasterii. Inde ad modum navalis mali in altum effossa terra, fundamenta firmat in solida petra, primis peritiores architectos ab externis finibus exquirens, et eis disciplinam totius structurae committens. Quapropter mirabili velocitate perfecit, propitio
Mai 3. creaturarum opifice, et quinto Nonas Maii dedicavit in laetitiae et exultationis plenitudine. In muris illis et in domo illa omni tempore trinus et unus Deus sollemniter honoratur, sancta Virgo virginum cum sanctis omnibus veneratur, ut eis intercedentibus perveniamus

a) exult. 3. b) c. suum in *B.* c) *erasum* 1. d) extrui 1. e) longum 3. 4. f) felicibus *B.* g) loco 3. h) adhiberetur *B.* i) fůlbertum 2. *constanter;* folbertum *aut* fulbertum 3. *constanter.*

26) cf. Greg. Tur. de mir. S. Martini I. 4. 27) Deutz contra Coloniam in dextra Rheni.

ad societatem eorum, ubi perpetuo laudemus Dominum[a] viventem et regnantem[b] in secula seculorum.

Possessus a daemone per sanctum Domini liberatur.

9. De virtutibus sancti, quas in vita sua per eum Deus operatus est, aliqua sunt praelibanda, quarum attestatione non scripta comprobanda sunt et commendanda. Dominica sancta Palmarum, clero praevio et sequente populo, ad basilicam sanctae Mariae devenerat; ubi in eminenti stans, disputare gregi suo decreverat de perditissima prothoplasti inobedientia et de spe resurrectionis et gloria, cum[c] a longe in plebe catenatum videt daemoniacum, qui suorum ducatu diu per terram lustratis sanctorum patrociniis, nullum admisit solatium. Intendebat in miserum hominem totus affluens pietatis visceribus, et praedicationem interrumpens, solvebatur in planctum et gemitus, cum idem vinculatus custodes exorare coepit, ut ferro et nexibus enodaretur et sermone sancti liber pasceretur et recrearetur. Expertum est ab eis, et optentu Heriberti in reliquum vixit sanae mentis. Notata fideliter est hora compunctionis, et ipsa inventa est momentum liberationis.

Abbas Wolpertus sanatur.

Memoratus abbas Wolpertus Divitensis aecclesiae capitis et oculorum molestia laborabat incommode. Is ipso dolore compulsus, ingreditur[d] ad archiepiscopum, simpliciter profitens, se per eum consequi posse remedium, asserens se per visum ammonitum, si aqua manibus eius elapsa caput infunderetur, qua in sacramentis uteretur. Repellit a se hominem cum iniuria, improperans eum[e], non beatum virum respicientem in insanias falsas et inania; sufficeret totius corporis lavachro pleno Rhenus alveo. Sic quippe ut scriptum est, metuebat humilitatis suae securitatem perdere, quemadmodum solent avari divites perituras divitias custodire. Repulsam suam patienter ferens abbas, etsi ad modicum erubuit, tamen aquam clam a ministris obsequii optinuit, lavit, convaluit.

Mulier caeca illuminatur.

Simile quid et mulieri caecae contigit, quae dum se vino manuum eius post sacramenta medicandam in visu conspicit, videt mox ut experimentum facit.

Mulier paralitica curatur.

Paralitica quaedam omni membrorum compage soluta, officio vitae et utilitate destituta, sanari[f] se sancti benedictione dormiens videt; et somno excusso, per amicos salutis suae negotium explet. Transeunti praesuli facit se obici, et auras clamore replens, ingeminat se ab eo respici, sicut beata Chananea rogabat Dominum pro filia, donec intercessoribus apostolis exclusa est diaboli nequitia. Praeterierat, non despiciens orantem, sed turbam evitans sibi pro talibus faventem. Unde et a pedissequis exquirens, quid petat, quid velit, agnita causa eminus signum crucis edit; et sic aegra veniens sospes erigitur, et nullo opitulante alacris regreditur.

Capellanus per eum sanatur.

Persona nobilis, quidam clericus ipsius[g] vicedominus, cum eo gradiebatur ad palatium*, cum repente acerrime occupatur a vi febrium[h]. Erat languor fortissimus, ut non remaneret in eo halitus et omnimodo vita eius desperaretur et de funere et exequiis tractaretur. Ingreditur ad visitandum eum sacerdos Altissimi, superponit manum ex mandato iacentis capiti, munit eum vivificae crucis signaculo, et potat eum aquae salubri poculo; et mox egrediens, accingitur pro eo missarum mysterio. Quibus finitis, intime compatiendo ei revertitur, et meliuscule valentem inveniens[i], consolatione attollitur, atque iterum egressus, et paratae mensae accumbens, transmittit ei de sibi appositis. Quibus uberrime refectus, lectum relinquit aegritudinis**, et praecurrens ex more vices sui exequebatur ministerii in agendis, quae tanto debebantur pontifici. Privilegium humilitatis eius et praerogativa cuius, ut dignum est, exprimetur lingua?

Puer mendicus a sancto baptizatur.

Egenus erat peculio, pagano onustus infantulo, quem per totam urbem baiulans[k], a nullo sacerdotum poterat exigere, ut aquae salutis eum dignaretur immergere, quod hi sui pompa penuriae huius non attenderent, isti dissimularent, nisi questum acciperent. Mirum, quod qui intendere deberet expellendae suae necessitudini, eius oblitus fideliter

* *Rupertus addit:* Erat autem tunc sanctus pontifex cum imperatore in profectione, et de Vangionum civitate cum illo Moguntiam proficiscebatur.

** *Rupertus:* convaluit, ut proxima die cum aliis proposito itinere Moguntiam praeiret, et episcopalis obsequii munia ex integro, ut erat solitus, adimpleret. Idem familiaris clericus, postmodum domus sancti Petri praepositus, plurima de eodem patre magna et magnifica noverat et narrare consueverat.

a) deum 3. b) v. et r. *deest* 1. c) *deest* 3. d) ingressus est 2. e) *deest B.* f) sanatur 3. g) ipse 1. *corr. postea ut videtur* ipsius. h) frebrium 1. i) reperiens *B.* k) baiolans 3.

filio fontem exquirebat lavachri; et qui pro sui despectu primo aditu poterat deficere, importune instabat a se non renati culpam avellere. Videtur ergo sibi, non succurrentibus aliis, speciale, procedenti Heriberto, omnibus omnia facto, obviare, difficultatem qua premebatur intimare; solum eum qui sibi subveniret restare. Ventum est, dictum est. Descendit promtissime ad fontes[a], dat futuro per baptismum filio albarum vestes, immergit eum baptisterio, et eundem suscipit a baptisterio; delegat ambobus stipendium, et dum uni subvenitur, fit duorum solatium; et ut totum super eodem concludatur, praeteriens de mensula eiusdem pauperis, se invitantis, coram omnibus libare non dedignatur. Sic mundi Redemptor ad filium reguli non descendebat, ad servum centurionis ire paratus erat.

Clericus per eum* a morte liberatur.

Item Gallia diebus huius secunda artabatur famis angustia, et per turmas dispergebantur, quocumque audiebatur sua foecundior patria, praecipue ad paternum Heriberti gremium, iam pridem expertum sibi familiarem et domesticum. Super hoc in omni terra celebre nomen eius innotuit, ac per hoc nudus famelicus et sitiens ad eum confugere disposuit; cum quibus et clericus mendicans venit Coloniam, ut per eum suam exhauriret inopiam. Ammiscetur agapen quaerentibus — nec enim quaestio aut mora fiebat ingredi volentibus —, sed despectui sibi erat, et quod abundabat in turba populosiore, et quod privato non excipiebatur honore. Quocirca in ulteriorem impellitur Saxoniam, Heriberti nihili habens elemosinam; et tendens in altum cadit ab alto, et nullo se curante fit pessimus latro, sanctuaria violat, sacrilegium perpetrat, et dum pretiosam margaritam fugit, praeda daemonum mare subit. Noctu cum furatis sarcinulis fugam iniit; non dormitat, non loco quiescit; fugere, tanquam calce tenus prosequatur, non desistit, ut dum male usurpatas
28 distraheret rescellas[28], quasi iam non quicquam petens ad fores pulsaret externas. Sed dum evadere nititur vindicem, incurrit in iudicem, et contiguus Coloniae deprehenditur[c] a quodam negotiatorum[d] praeposito, et statim custodiae mancipatur publicae, sublato latrocinio. Insequuntur amissorum possessores pervasoris vestigia, nec quovis subsistunt, donec ad nervum catenati veniunt per indicia. Expositae res agnoscuntur, agnitae repetuntur, repetitae redduntur, redditae referuntur. De sola cruce versabatur iudicium, nec erat spes evadendi periculum; dilatio nulla in crastinum, quin deficeret per suspendium. Notitia gestorum domnum adierat metropolitanum, cum sibi iubet sisti iudices et iudicatum, animadversionem suam simulans se in eum intendere, aliud corde praetendens veritatis facie. Adducitur, sistitur, de arte disquiritur, disquisitus scriptorem se fatetur, et inter verba pro venia exorat, ut sui misereretur. *Non*, inquit, *ultio sinit te vivere, qui foedissimę te subegeris infamiae, et clericale decus ad dedecus violentus intorseris, qui modo tuo contentus superflua appetere non debueris*[e]. Tradit igitur eum servandum egenorum procuratori, ipse iusta hora ad mensam discumbit, quid reo faceret secum consilio pertractans altiori; cum, ut moris est, in ea frequentia alia curantibus, accito custode, clam mandat, ut copiose reficiatur clericus, inde data ei argenti libra ambulatorio episcopi eum imponat, ipse comitans, donec eum tutae libertatis viae reponat. Sic Dei filius clausos inferis solvebat a tenebris, sic perditum hominem cruce[f] redemptum restituebat superis; unde et is qui iure mori poterat pro iniquitate, poenitentiae servatus est abundanti caritate.

10. *Quomodo*[g] *Heinrico augusto ad ultimum reconciliatur.* Dicendum abhinc, quamobrem Heinricus augustus Christi militem diu suspectum et infensum habuerit, videlicet, ut aiunt, quod primo electionis suae tempore imperii insignia ei cum dilatione concesserit, et quod in alterum diadema transferre temptaverit[29].
30 Mansit inter servos Dei simulatae pacis longa discordia[h. 30], et maior a minore plus iusto

a) fratres *B.* *) p. e. *desunt* 3. c) compreh. 3. *B.* d) negociorum 3. e) debueras 3. *B.* f) *deest* 3. g) Qualiter 3. h) concordia 2. 3.

28) parvas res. 29) cf. Thietmar. IV. 31. 30) Interim S. Heribertus mansit adhuc cancellarius S. Heinrici imperatoris, et recognovit anno 1007. donationem huius, factam Thorensi virginum nobilium canonicarum collegio, apud Miraeum lib. 2 Donationum Belg. c. 21. Item S. Heriberti archiepiscopi Coloniensis interventu atque petitione donavit S. Heinricus 1007. Erluino episcopo Cameracensi comitatum Cameracensem, et anno 1008. Balderico episcopo Leodiensi et Balderico comiti bannum bestiarum in silvis, quas possidebant; idem Miraeus in Notitia eccl. Belg. cap. 78 et 79. Idem S. Heinricus ut S. Popponem, constituendum abbatem Stabulensem, impetraret a

portabatur inveterata patientia, quod ab eo crebra premeretur contumelia, imponendo dona et mandata ad rem non attinentia. Ad ultimum Coloniam eidem iratus nimium devenit*; quem officiosissima vir Dei assumptione excepit. Proposuerat namque severius 1020. eum arguendum et, ut sibi videbatur, certae infidelitatis causa affligendum; cum imminente nocte per spiritum[a] soporato caesari persona sacerdotalibus infulata terribilis apparuit, et eum cum auctoritate, ne quidquam sinistri ulterius in servum suum Heribertum moliretur, interminando exterruit. Petrum[b] hunc fuisse conicio, etsi neque dictum neque scriptum invenio. Sic Alexander Magnus cum Hierusalem conaretur (Iosephi Ant. Iud. XI, 8.) irrumpere, territus est a simili pontificii veteris imagine, prohibente, ne quam vim suis inferret civibus, nisi gratus sibi esset praesens vitae exitus. Sequenti die cum procederet ei Iadus pontifex cum stola, de curru exiliens adoravit eum reverentia prona, dicens: *Non hunc adoro, sed eum, qui mihi per visum visus est eodem modo.* In crastinum igitur sedit augustus ex industria gravi facie, et per internuntios exigens immensam pecuniam a beato praesule, Deum corde laudabat, quod ab ignorantia sua et indiscretione meruerit liberari et condignum coelis sacerdotem didicerit venerari. Stabant qui in multis falsis instanter accusarent eum, et vir Dei non amplius ferens persecutionis huius flagellum, suffusus lacrimis ingreditur ad principem, coram conquerens passionis suae morosam intemperiem. Delictum suum in eum se nescire, neminem id sibi posse obicere et ex vero diffinire, satius sibi de reliquo praesulatu abstinere, quam tot malis urgeri et numquam requiem habere. Ad haec augustus de throno prorumpit, et in amplexus ipsius exosculando reverenter incumbit, se reum depravatum[c] iniquorum consilio confitens, et commissi veniam suppliciter expetens. Non erat iste labor in Heriberto sicut nec in Martino difficilis, et euangelico more ex corde indulget omnibus offensis. Tum trino foederantur osculo sub Trinitatis testimonio, adversariis suis erubescentibus et per prona fuga delitescentibus. Deinde viri Dei suo iuxta se componuntur solio, utiliter summa tractantes super statu et imperii negotio. Eadem nocte expletis matutinorum vigiliis, viva Dei hostia solus pernoctabat in psalmorum et orationum excubiis**; cum imperator clerico uno comite oratorii ostium pulsat, et aperto sibi, silenter solus subintrat. Duobus in unum ita positis, imperator clamidem abicit, remotis arbitris pedibus sancti advolvitur, se peccasse, se reum prosequitur: erroris memoriam remittat, serio sciens, quod neque[d] in eum deinceps aliquam suspicionem habeat, neque alicuius accusationem admittat. Erigit perpropere praesul a terra dominum, stupet humilitatis eius animum et habitum, protestans, hesternam reconciliationem suffecisse, vestigia in se praeteritae offensionis nulla resedisse. Addit etiam, post discessionem ab invicem ulterius se non visuros, ut in eo adverteres prophetiae oculos futurorum scios. Haec ut acta vere credantur, ab eodem relata sunt, ut vere dicantur. Mirum quod sancti ab alterutro aliquotiens dissen-

* *Rupertus:* Causa propter quam tali cum animo imperator Coloniam properabat, huiusmodi extiterat: Imperator, exercitu commoto, comitem quemdam Ottonem, seculi dignitate praepollentem, in castro quod dicitur Hamerstein, sito supra Rheni littus, obsederat. Is namque Otto episcopatum Moguntinum multa infestatione saepius pervagans, ferro et igne populabatur, odio magno contra eiusdem civitatis praesulem vehementer inflammatus; fuerat namque ab illo propter illicitum connubium iudicio generalis concilii anathematizatus. Cum ergo quaerimonia eiusdem praesulis excitatus imperator praedicto in castro illum obsedisset, venerabili huic viro demandavit, quatenus et ipse cum suis ad hoc negotium festinus adveniret. At ipse tunc immensis vexabatur febribus, et idcirco adimplere non valuit quod imperabatur. Quam impossibilitatem eius causantem ut audivit imperator, non credidit, videlicet antiqua suspicione praeoccupatus, et putans illum semper exosa sui habere tempora imperii. Respondens igitur cum furore magnoque spiritu iracundiae: *Si,* inquit, *ad me dedignatur venire, ipse eum, quia aegrotat, habeo visitare;* atque cum hac iracundia, mox ubi hostem expugnavit, Coloniam, ut iam dictum est, properabat, imminentibus nimiumque sese ingerentibus invidis supra memoratis, qui satis ardentem furoris eius ignem magis ac magis perflabant, linguis malevolis detrahendo innocenti viro Dei[33].

** *Rupertus addit:* in proximo sancti Iohannis oratorio.

a) n. periculo 2. 3. b) sanctum P. 3. *B.* c) r. ac d. *B.* d) nec 3 *B.*

Richardo abbate Wasloensi, „S. Heribertum Agrippinae Coloniae episcopum evocavit, eoque sibi adiuncto, apud praedictum abbatem preces adhuc admittere curavit;“ uti ea scripsit Everhelmus abbas in vita S. Popponis a nobis edita 25. Ianuarii cap. 8. num 28. PAPEBROCH. 33) Imperator a. 1020 d. Febr. 18 Coloniae versatus, mensibus Sept. Oct. Nov. Dec. eiusdem anni Hamerstein obsedit, quo capto, incertum an per Coloniam, Paderbornam adiit.

Act. 15. tiunt, sicut in actis[a] apostolorum Paulus et Barnabas, et sanctorum in scripturis quam plures faciunt. De perversis et iustis nihil mirabile, si uni non inferantur concordiae, quoniam nulla conventio Christi ad Belial, nec societas luci ad tenebras, neque pars fideli cum infidele. Verum haec sunt incomprehensibilia Dei iudicia et investigabiles viae eius et occulta consilia; non enim quis novit sensum Domini, et consiliarius eius fuit, et ostendit ei, et prior dedit ei, et retribuetur illi; quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.

11[b]. Non multum in sancto hoc exteriora sunt attendenda miracula, magis Aegypti et operariis iniquitatis communia exclusis a regno, dicentibus: *Domine, in nomine tuo* Matth. 7, 22. *prophetavimus, demonia eiecimus, et virtutes multas fecimus.* Et fatuae virgines a beatitudinis aula secluduntur, quae et virgines dicuntur et tamen non recipiuntur. Tot et tanta scripta sunt, ut ad fidem meriti eius sufficiant, quae, si singula visa et audita de eo scribantur, modum excedant. Erat ei, ut nihil supra, familiare et sollemne in commemorationem dominicae crucis[c] missas tenere, ut eo licentius interior optutus eius infigeretur, quo a beatis mundo corde contemplatio divina videtur; ubi aliquotiens adeo interiori rapiebatur Spiritus sancti subtilitate, ut, quod numquam aut raro auditum est a paucis, vix exterius perspici posset in ipsa faciei suae humanitate. Beato Martino sacramenta offerente, globus igneus super caput eius videbatur, et fragor gemmarum ad invicem collidentium in digitis eius audiebatur; sed de facie eius non visa simile quid non recitatur. Et quoniam utcumque eum contulimus Martino, considerandum, quemadmodum conferendus sit magno Laurentio, cuius iustitia manet in seculum seculi, quod dispersit et dedit pauperibus et per eum aecclesiae facultates in coelestes thesauros deportaverunt pauperum manus. Quis moerens et desolatus, Heriberti levamine non est consolatus? Quis quolibet indigens necessario, ipsius promtissimo non est fultus subsidio? Famosissimus nominis altitudine, stipatus obsequentium condensa multitudine, descendebat uno contentus puero clam ad salutandam egenorum matriculam, sicut craticulatus Laurentius Lucillum nocte illuminatum visitabat et Ciriacam[d] viduam, et pauperum pedes, qui in domo eius convenerant, cum lacrimis abluebat, et aecclesiasticum censum eis uberrime expendebat. Ita lux mundi et sal terrae Heribertus, contentus praesentibus, iuris sui reditus et victuum sumptus liberalissime in non habentium dispergebat usus. Ardebant coram eo, credente in lucem et filio lucis, per noctem clara luminaria; quiescebantque cum eo clerici viri probi in omni castitate et munditia, qui eius ineffabilia virtutum viderunt et agnoverunt, et per eos mundo innotuerunt. Contigit aliquando negligentia, ut eadem[e] casu extingueretur lucerna, et cubiculum et dormientes remanerent in tenebris, sed vir Dei in circuitu suo claritatis perfunderetur radiis, et in stratu suo recubans Deum profusis exoraret precibus, defixis in coelum oculis et erectis manibus. Quod unus eorum qui intererant somno excitus vidit, et expalluit, et vera dicens testimonium perhibuit, id non semel protestans accidisse, quod multotiens constabat eum vidisse. Sic archilevita Vincentius, victorioso magnificus martyrio, tenebris horrendo clausus ergastulo, coelitus emissa luce illustrabatur a Domino, et venerando angelorum fovebatur obsequio et mulcebatur alloquio. Sic Benedictus pater, substratis sibi transitoriis, speculatione evectus in alta, machinam universam habuit sub oculis, quando et 34 Servandum diaconum[34], magnae professionis[f] virum, mirae visionis testem adhibuit, et Germani animam in spaera ignea ab angelis in coelum deferri videre promeruit. Quorum virtutibus et conversatione in terra positus non effulgeret, qui sic Omnipotenti et eius militiae placeret? Non exceptioni quorumdam quisquam eum comparaverit, qui spiritu omnium iustorum plenus fuerit. Aequiperandus, inquam, est patriarchis et prophetis, iustis etiam ante legem sive sub umbra legis, qui licet futura praeviderent in figuris et aenigmate, tamen ignorabant, quando veniret et appareret incarnata veritas manifesta facie. Beati huius oculi, qui videbat, quod illi videre non potuerunt, et consummatum audiebat, quod illi non audierunt; ac propter[g] hoc non immolabat in columba et turture, hircis usque ad tempus correctionis impositis, sed in labiorum vitulis et

a) actibus 3. b) De virtutibus eius *add.* 2. 3. c) passionis 3. d) Cyriacam 3. e) eodem 2. *e corr.* f) perfectionis *B.* g) per 3.

34) Servandus diaconus et abbas in Campania, uti dicitur in vita S. Benedicti 21. Martii, ex qua haec sunt excerpta. PAPEBROCH.

cordis contriti sacrificiis. Ininterpretabilis[a], inquam, est sermo ad dicendum, ut perfectus vixerit secundum utrumque testamentum; unum in eo complendum erat, ut iustus adhuc iustificaretur et sanctus sanctificaretur, quod et[b] ipse crebrius suspirando in sua inculcabat dicens oratione: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo* Psalm. 22, 6. *Domini omnibus diebus vitae meae;* et: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam* 41, 3. *et parebo ante faciem Dei et videbo eum;* et cum Paulo: *Cupio dissolvi et cum* Phil. 1, 23. *Christo esse; multo enim melius; quoniam conversatio nostra in coelis est.* Appetebat 3, 20. ardenter veram repromissionis terram, terram viventium, non eam quam Moyses Aaron et Maria non acceperunt per sortis suae funiculum, salvo quod filii eorum levitae et sacerdotes deservierint in foederis tabernaculo, et ipse Deus hereditas eorum fuerit et possessio. Ergo priusquam inseratur felix eius obitus, de sepulcro eius memoretur, quod traditum tenetur a maioribus[c]. Primis temporibus ibidem excreverat tumulus, vivo semper cespite gramineus et ab omni prorsus foeditate mundissimus, ut olim in eo illius aperiretur sepulcrum, qui in coelis praemitteret aeterni germinis fructum. Nonne eius semper virent herbidi odores et gratissimi cum varietate repraesentantur flores, cum in aecclesia ad aedificationem audientium recitantur vita eius, actus[d] et mores, dum fideles populi beneficia reportant per ipsius orationes, quando et tot aegri sanitati donantur[e], et ab obsessis daemonia fugantur? Et plane patribus diligens fuit sepulturae cura, et filiis suis super ea imperiose mandaverunt, sicut testatur ubique scriptura, et legitur de Abraham Isaac et Sara, et Iacob exhorruit recondi in Aegypti terra, Ioseph quoque adiuravit fratres suos, efferri ossa sua ab ea; nec brevi claudi potest testium numerositas tantorum, quando et frequenter legimus: *Sepelies me, et sepultus est ille et ille in sepulcro maiorum;* et non ab re commendatur de Domino, quod sepultus sit in monumento novo et lapide exciso, in quo nondum quisquam positus fuerit, quomodo et beata Maria post partum semper virgo permanserit. Poterat longa series intexi sanctitatis tuae, o venerande pater Heriberte, in comparatione beatorum ante legem, sub lege, sub gratia in mandatis Domini detritorum, nisi iure vitaretur fastidiosa incommoditas auditorum; verumtamen bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; in reliquo reposita est tibi corona iustitiae, qua iam perfrueris perfectae requiei plenitudine et perfrueris in[f] immensa dierum longitudine.

12[g]. Sacerdos itaque Domini Heribertus, gloria et honore reverendus, sciens sibi 1021. transitus sui diem imminere, consummationis suae opera voluit augere. Sancta loca circuiens, sanctorum corpora et eorum patrocinia requisivit, oves suas circumquaque revisit, adversus luporum insidias armavit eas praedicatione, discedens sacerdotali munivit benedictione. Praeoccupabat sibi sumptus abiturus peregre, ut et sufficerent in itinere et abundarent in perventione. Applicuerat portum Nussiae[35], celebrem beati[h] Quirini 35 martyris[36] merito et nomine, cum importuna febrium vi sensim coepit pulsari, et invalescente molestia in dies, acri dolore fatigari. Stratu suo recubans, coelo totus inhiabat, et indeficientem ab oratione spiritum non relaxabat. Sentiens autem se corporis viribus repente destitui, inflexibilem retinebat vigorem animi, asserens exemplum peccati filiis relinqui a metropolitano, si quid sibi deesset, quod aecclesia omni debet christiano. Unde et legatos festinanter Coloniam mittit, servum Dei praecipuum, domnum abbatem Helyam[37], ad visitandum se properare deposcit, a fratribus urbis precis suae implorat 37 auxilium, ut tali propugnaculo suum tuerentur exitum. Adveniens dictus pater iacentis cubiculum ingreditur, sermo spiritualis ad invicem de consolatione animae conseritur: quod si princeps mundi ad filium Dei venit et suum in eo nihil invenit, cavendum est viam universae carnis ingressuris, ne eius obstaculo fructu suae priventur salutis. Additur etiam, quod Iohannes euangelista, dilectus et[i] electus a Domino, virgo et in aevum permanens virgo, in ipsa dormitionis suae assumptione, ne princeps tenebrarum sibi occurreret, imprecatus sit cum oratione. Sanctus quoque Severinus in transitu

a) interpretabilis 1. 2. Inptabilis 3. b) et q. 3. c) De tumulo eius *superscribit novo capiti* 2. d) e. et a. et 3. e) sanantur 3. f) *deest* 3. g) De transitu eius *inscribit* 2. h) *deest* 3. i) est 3? *B.*

35) Neus. 36) tribuni, cuius corpus Roma Novesium delatum fuit; cf. Acta SS. 30. Martii. PAPEBROCH. 37) Helias, tertius S. Martini maioris et quintus S. Pantaleonis abbas, habetur monasticis martyrologiis ad diem 12. Aprilis inscriptus. PAPEBROCH.

1021. sancti Martini comitanti archidiacono exposuit quid viderit, quod inimica pars illi
obstando obviare temptaverit, et nihil suum inveniens confusa recesserit. Pro his omni-
bus praevidendum, quantum sinit hoc mortalis infirmitas, ut ante horam obstruatur
Matth. 24, 43. cuique aditus adversus illius versutias, et ideo crebro per euangelium monuerit Dominus
vigilare, ne dormiente patrefamilias effodientes fures domum possent[a] intrare. Proinde
Iac. 5, 14 15. hortatur epistola Iacobi apostoli, ut ad infirmum inducantur aecclesiae presbyteri et
orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et salvabit infirmum oratio fidei,
et si in peccatis sit, dimittentur ei. *Quapropter*, inquit archipraesul, *tu pater mihi a
Deo destinatus, perfice in me huius auctoritatem unctionis exoratus, ut quidquid nocivi*[b]
contractum est a meis sensibus, his sacris evacuetur dono sancti Spiritus. Induitur abba
vestibus huic aptis officio, defertur oleum cum honore debito; more suo conficitur in
corpore sancti Dei salutaris unctio, et in conclusione ipsius officii participatur corpore et
sanguine dominico. Deinde navi invectus Hreno Coloniam transportatur, et in multa sera
perveniens iubet, ut domui sancti Petri cum grabatto ante crucifixum inferatur. Ibi diutis-
sime causam animae suae Deo commendavit, et commissum sibi[c] gregem ipsi et Petro
saepenumero committendo peroravit. Quanta in altum per excessum raptus fuerit
subtilitate, cuius mens excogitare, cuius lingua valet sonare? Refertur post haec in
cubilis sui secretorium, meliori spe temperat moerorem circumstantium. Memoratum
abbatem et alios fideles[d], vere filios aecclesiae, non patitur se deserere*, suadens eis
pro consolatione sua de scripturis sanctis et patrum testimoniis sermonem conserere, et
aliquotiens pro se orationi incumbere. Corruptionem hanc despiciens, terram iam
dedignabatur respicere, unum habens desiderium, tibi, omnium Conditor, assistere.
Intimantur certae servis Dei revelationes, propediem assumendum eum inter superorum
congregationes, nec celantur ei visa caritate votiva. Unde et mox exponitur ad medium,
quod thesauri eius erat reliquum, distribuiturque in oculis eius ad Dei servitium, ne
post se alicuius avaritia male usurpando haberet in eo dominium. Dantur quaedam
sanctis in aecclesiae suae ornamentum; nonnulla conferuntur parentibus et amicis in
ultimum familiaritatis et amicitiae monimentum; illa domesticis heiulantibus attribuuntur,
1. Tim. 6, 7. ampliora Christo et pauperibus suis seponuntur. Recordabatur apostoli dicentis: *Nihil*
Iob. 1, 21. *in mundum intulimus, sed nec auferre quid possumus;* et Iob: *Nudus egressus sum de*

* *Rupertus refert:* Praedictus abbas ab eodem pro consolatione retentus, continuis duabus noctibus, ubi parum quid somni percepisset, visionibus clarissimis instruebatur, quod eadem infirmitate sine dubio idem foret e corpore migraturus. Erat autem huiusmodi una visio, quam mox hora matutina beato viro, carnis suae solutionem desideranti, hoc modo retulit: *Videbam,* inquit, *me beati Petri oratorium introisse, et ecce illud erat quasi magna et solenni frequentia plenum, splendidis clericorum atque sanctimonialium choris consistentibus, et quasi ad procedendum paratis obriam cuidam magnae personae, ut ab ipsis honorifice susciperetur;* quo videlicet honore sacras illustresque personas in tempore praevenire, ecclesiasticae consuetudinis est. *Nesciebam,* inquit, *quae illa deberet esse persona, veruntamen magnam aliquam atque insignis reverentiae suscipiendam fore personam, meus somniantis sensus habebat. Ergo, licet tremebundus, in gradu meo consistens immotus, eum, qui primus inter eos videbatur, accivi, et quisnam ab ipsis suscipiendus foret, percontatus sum. Ille respondens: „Deo, ait, sanctisque omnibus dilectum, videlicet archiepiscopum Herebertum venimus susceptum". Ego vehementer admirans tanti tamque splendidi occursus festivitatem, haec audivi ab eodem protinus: „Si scires, qualiter vel a quibus postmodum suscipiendus est, nequaquam admirareris super hoc processu nostro, qui re ipsa longe minor est".* Huiusmodi visum is qui viderat beato viro confestim diluculo referens, vere tamquam bono nuntio sanctam laetificabat animam, dissolvi et cum Christo cupientem esse. Nam expectationi desiderioque eius anhelanti celerem adesse pollicebatur effectum, et eam, de qua iam supradictum est, discessus sui confirmabat praescientiam. Denique et ante visionem hanc aliud quiddam iam dictus vir venerandus Elias viderat, quod procul dubio ad eiusdem rei significationem pertinebat. Fuerat autem huiusmodi somnium, eumdem pontificem, sacris atque festivis indumentis perornatum, procedere quasi ad celebranda solennia missarum, solum tamen atque incomitatum, clero expectante taciturno, cuius idem pontifex, quasi Romam peregre profecturus, benedictionem flagitaret; qui et solus, ut videbatur, declinavit, et nusquam repertus est. Talia, non dubiam interpretationem habentia, cum ille tristis referret, vir beatus in abundantia laetitiae suscipiebat, quippe qui iam dudum finem suum habens praecognitum, praesentibus adhuc iuvabatur documentis, ut diceret: *Disrumpe vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

a) possint 3. *B.* b) nociuum 3. *B.* c) *deest* 3. d) *deest* 3.

utero matris meae, et[a] *nudus revertar illuc.* Erat moeror et luctus omnium, vox una plangentium; inter quos germanus eius iunior[38], et ipse comes, inconsolabili moestitia torquebatur, et praecavens in futurum et tactus dolore cordis intrinsecus, intolerabiliter affligebatur. Audierat et viderat fratri et suis augustum semper infestum, et iccirco metuebat, ne amisso hoc clipeo, in se ultionis retorqueret ictum. Hinc geminatus dolor amarissimos emittebat fletus, quibus intuentium compatiendo moverentur affectus. Tum senior motus eius lacrimis: *Declina*, inquit, *frater mi, a malis, et de his quae tibi a Deo collata sunt bonis honestis et egenis esto liberalis, et non formidabis horrorem potestatis, maxime cum non multo post, facto eo de medio, alterum maneat honor principalis.* Stantem quoque respiciens et dispensatorem egentium rogat, an aliquo domini sui et amici indigerent propter occupationem sibi inservientium. *Defecit*, ait, *pater mi, eorum horreum et pecunia, nec est residui, quod ab hodierna die detur in explenda eorum penuria.* Obtestatur ilico maiores, quibus curam committebat episcopii, ne quid eis deesset prospicerent usque ad subrogationem alterius domini[b]; nec quicquam secus actum est ab eius mandato, quolibet iussionis suae verbo immutato. Cumque a[c] quibusdam propositis[d] requireretur, quis eorum sibi substitueretur: *Nullus*, ait, *horum mihi succedet, sed Piligrimus*[e] *Coloniae post me non*[f] *in longum praesidere habet.* His ita ordine suo compositis[g], apponendus populo suo erat, exspectantibus angelis. Ergo astantibus paterna benignitate salutatis[h] et de his quae Dei sunt plenius informatis, ultimum vale faciens eis, ingreditur officium egressionis, moras iam perosus dilationis, quibus remorabatur ab aspectu divinae visionis. Sic sancta illa anima carnis solvitur ergastulo, in multitudine pacis obdormiens in Domino. Assumpta est igitur margarita quae iacebat in sterquilinio, et posita in coelestis regis ornamento; sterquilinium hanc ipsam corruptibilitatem carnis appello, et abiectionem humanae infirmitatis nomino. Iam inter supernos cives emicat, iam inter ignitos illos[i] lapides aeterni diadematis coruscat. Descenderat Maria ei obviam cum choro virgineo, ut eum in aeterna tabernacula excipiens, repraesentaret filio. Sollemniter sanctis ammixtus est omnibus, quorum enituit vita et virtutibus; patriarcharum et prophetarum exultat collegio, apostolorum medio locatur numero, victoriosa martyrum insignitur laurea, confessorum in mandatis Domini fidelium tripudiat iustitia, et perpetua virginum floret munditia; agnum sequens quocumque ierit, et in calculo candido nomen novum scriptum sciens, quod nemo scit nisi qui accipit. O quam beata sanctorum sunt agmina, quibus, o sanctissime pater Heriberte, tua beata sociatur anima in aeterna gloria! Migravit ad Dominum 17. Kal. Aprilis, ordinationis suae anno vicesimo tertio, ab incarnatione vero Domini anno millesimo vicesimo primo. Ipsa nocte suae assumptionis longe positis episcopis et viris religiosis manifestata est veritas suae dormitionis. Translatum est autem Hreno corpus eius et illatum[k] sanctae Dei genitricis, quod ipse fundavit, coenobio, et cum maximo cleri et plebis honore[l] humatum ante altare in eodem oratorio, ubi quid vivens eius spiritus egerit, testatur caro mortua, dum per eum ibidem tot miranda fiunt et miracula. Nam mox ad sepulcrum eius trahebantur languida diversorum corpora, et saluti redintegrata, virtutem a defuncto accipientia redibant sanissima. Unde et consuetudinem fecit civitas, per totam tricesimam cotidie eum adire, et eius frequentare memoriam, et pro mirabilibus Dei celebrem innovare laetitiam. Pro quibus omnibus benedictus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui facit mirabilia magna solus; cuius regnum aeternum, salus perpes, honor perennis, virtus permanens, benedictio indesinens, gloria perpetua; cuius essentia nec incipit nec desinit in secula, Amen[m].

1021.

Mart 16.

a) *deest* 3. b) dominii 3. c) *deest* 1. d) praepositis *B.* e) peligrimus 3. f) *deest* 4. 6. g) His i. c. in o. s. 2. 3. h) salutis 1. i) *deest* 3. k) i. est s. 3. *B.* l) et h. 1. m) *Hic desinunt* 1. 2. 3. 4. *Codex* 1. *in 23 foliis miracula subiicit inscripta:* Prooemium in miracula S. Heriberti. Necessario prefatiunculas huius opusculi prefero — predicavit secundum votum amen. — Finit vita sancti Heriberti Coloniensis archiepiscopi 3. *Codd.* 5 *et* 6. *haec addunt:* Virtutes sancti et miracula, quae per eum Deus post obitum eius operatus est, intacta deserui, quod et scripta sufficerent lectioni simplici, et ea ad leporem venustatis inflectere, vacantioris temporis et operosioris erat otii. Visum est mihi post haec, ut ex corde meo in laudem viri Dei musicae symphoniae quiddam adderem, et si non ad quemlibet ecclesiae usum, saltem votum animi mei sancto impenderem. Quaedam etiam alia necessaria, ut videbatur, apposui, quae ut in palam est disposui, quae etiam singula, sicut digessi, ita manu propria scripturae impressi; unde etsi olim cuiquam grata erunt, peccatoris Lamberti memoriam tenebunt; et haec et prior epistola precatu meo semper in capite opusculi mei claves erunt.

38) „nomine Gezemannus“ Rupertus.

VITA BERNWARDI

EPISCOPI HILDESHEIMENSIS

AUCTORE THANGMARO.

1 *Thangmarus, natione Saxo*[1], *exeunte saeculo decimo et undecimo ineunte pres-
byter ecclesiae cathedralis Hildesheimensis*[2] *et primicerius scholae puerorum,
et saeculo undecimo ecclesiae decanus, Bernwardum litteris imbuendum moribus-
que instruendum sibi traditum tanta dilectione fovit, ut per totam deinde vitam
quasi filium patri sibi devinciret*[3]. *Bernwardo ad episcopatum Hildesheimen-
sem provecto, ipse decanus*[4], *bibliothecarius et notarius*[5] *rebus gerendis plurimum
interfuit, et in negotio Gandersheimensi anno* 1000. *ad Willegisum archiepi-
scopum*[6] *cum aliis legatus, eodem anno episcopum suum Romam comitatus*[7]
et cum eo ex Italia reversus, mense Augusto anni 1001. *una cum Eggehardo*
8 *synodo Francofurtanae interfuit*[8], *tum solus ad Ottonem III. et Silvestrum II.
legatus, Italiam revisit*[9], *in concilio Tudertino res ecclesiae suae egit, ab impe-
ratore mox morituro largissime remuneratus anno* 1002. *domum rediit, et per
reliquum vitae tempus Bernwardo convixit*[10]. *Quum autem summa cum episcopo
familiaritate viveret, immo confessor*[11] *eius fuisse videatur, magnifica eius gesta
colligere aggressus*[12], *eodem aegre vix tandem consentiente compegit, et post
obitum dilecti viri absolvit*[13]. *Convenit liber in locis haud paucis cum Anna-
libus Hildenesheimensibus, quos ideo a nostro scriptos videri supra memoravi*[14]*;
et omnia fere quae narrat aut ab ipso praesente visa aut ei saltem bene nota
lector facile animadvertet. De veritatis studio in tali viro minime dubita-
veris. Opere absoluto, haud diu vixisse videtur; saltem anno iam* 1027.
15 *Tadilonem decanum memorari legimus*[15]. *Liber magno historiae commodo in
ecclesia Hildesheimensi adservatus, saeculo XII. ineunte miraculis beati episcopi*

1) „claro nostrae gentis sanguine" cap. 1. 2) vocat eam *nostrum monasterium*; e. g. anno 1000. cap. 18, anno 1007. cap. 43. 3) Bennonem etiam, postea Misnensem episcopum, erudiisse legitur in Chron. S. Michaelis Hildesh. Leibn. II. p. 400. 4) c. 33. 5) prologus. 6) c. 18. „per nos mandant". 7) cap. 25. „presbyter", cf. cap. 34. 8) cap. 33. 9) cap. 34—37. 10) prologus in fine. 11) quisnam nisi confessor haec diceret: *nec aliquid in omni studio eius vitae meam conscientiam fraudare potuit, quin plenissime scirem.* 12) prolog. 13) de Heinrico II. cap. 22. ita loquitur, ut eum tunc superstitem fuisse videas; liber igitur ante annum 1024. finitus est. 14) SS. III. p. 20. Thangmarus anno 1022. in obitu Bernwardi scribendo finem dedisse statuendus erit; ibi in narratione dedicationis monasterii S. Michaelis (p. 95 lin. 49) alia manus orditur. Annales etiam antiquos Halberstadenses novisse videtur, quorum pars in Hildesheimensibus et Quedlinburgensibus extat; cf. cap. 12. 15) Vita Godehardi cap. 32.

1. Alpertus.

Cod. regius Hannoveranus

fol. 2' inglumate uiuce cuncti cupidinis ... nauis teutissimi ... usque deportarentur in naui ad hoc ibi parata. Et mandavit ut recte pervenerit cumque illud exponeret, concursu populi magnis oblationibus honorabatur, et sequenti die in ecclesia sancti martini ubi ipse sedem episcopalem habebat religiose sepelitur. Hec de beato uiro quae dicere habui, non tamen plenitudinem de illo omnia quae

DE CASTELLO UUICMANNI A BALDRICO EXPUGNATO ET DE ... UNITA

Est stagnum paludibus a mosa flumine ducentis passibus distans, infra quod erat collis exiguus difficilis aditu nam non nisi propter altitudinem stagni et impeditionem paludis neque adiri poterat. Studentes nouis rebus castellum

2. Vita S. Bernwardi.

Cod. regius Hannoveranus

fol. 2. puer Bernwardus claro nostri genitus sanguine
ex filia athelberonis palatini comitis tradi
tur domno Osdago nostro episcopo a suo auunculo re
ligioso diacono folcmaro. post quoque traiec

fol. 41 Quedam etiam puella in uico Hanouere tan
to cruciabatur oculorum dolore. ut penitus
elici orbibus suis ipsi oculi putarentur ui dolo
ris. Promissa igitur oblatione ad tumbam sancti presulis.
ilico sospitate redeunte caruit uis dolorum.

3. Vita Bernwardi et Godehardi.

Cod. regius Dresdensis

fol. 10' Quid sanctitas fratris de sinodo. Semi concilium
respondit. In aliena aecclesia et ab aliis possessa
nil iuris habuit neque canonice ibi sinodum ha
bere. aut aliquid constituere sine consensu
proprii episcopi potuit. nec omnimodis sinodus cano
nice dici poterit. Sapientissimus papa dixit.
Ergo quo nomine rite uocari potest. Semi
concilium respondit. Scisma conciliaris discor

fol. 20 cia post fefellit. In ipsa enim promotione sui domnum
B episcopum ficta pace per legatum suum conuenit. et per
falsa salutaria querimoniam super gandesheim temp
tauit. Cui domnus episcopus B diuina inspiratione doctus.
non eius uaniloquio attendens. obligationis sue ana
thema illi retexit. dicens sibi nil commune esse si bene

virtuti adscriptis auctus, et anno 1193. *Coelestino III. oblatus, Bernwardum in numerum Sanctorum referri effecit*[16]*; sed nostro quoque aevo lectoribus valde acceptum se reddet, quod plurima scitu digna de Ottone III, cuius Bernwardum praeceptorem et amicum fuisse discimus, et de Heinrici II. regno oblivioni praeripuit. Litis quoque Gandersheimensis, cui dirimendae imperatorem et episcopos per plures annos laborasse novimus, telam ab exordio expandit. Scriptus est stilo simplici et perspicuo. Anni initium cum annalibus Hildenesheimensibus a nativitate Domini inchoat*[17].

Opere, paulo postquam prodierat, usus est Wolfherius in vita duplici Godehardi episcopi, et plurima inde decerpta scripto suo inseruit; saeculo duodecimo ineunte auctori chronicae episcoporum Hildesheimensium, exeunte auctori historiae translationis S. Bernwardi innotuit. Arte typographica inventa, primus excerpta codicis cuiusdam Hildesheimensis dedit Surius in Actis SS. die 20. *Novembris, at Browerus in Sideribus Germaniae libros de vita obitu et translatione S. Bernwardi, et de translatione S. Epiphanii cum scholiis edidit, codice usus saeculi XV*[18]*, sed interpolato, ordine narrationis inverso et sermone depravato. Broweri textum Mabillonius in Actis SS. O. S. B. Saec. VI. I. p.* 202, *et Leibnitius in SS. Brunsv. I.* 441, *hic tamen adiectis paucis codicis Guelferbytani et versionis Saxonicae, quae ad textum Browerianum accedit, lectionibus, repetiverunt. Editio nostra nititur*

1) *C. regio, olim monasterii S. Michaelis Hildesheimensis, a Bernwardo conditi; qui saeculo XI. exaratus in fol. auro argento diversisque coloribus pictus, et lapidibus preciosis olim ornatus, magnaque veneratione in coenobio habitus est. Ipsa vita quinque quaternionibus absolvitur. Sextus manu saeculi XII. ineuntis miracula, septimus eadem manu Revelationem sancti Michaelis et lectiones nonnullas, octavus manu saeculi XII. chartas Benedicti VIII, Heinrici II. et Bodonis praepositi in favorem coenobii S. Michaelis datas et nonnulla posterioris aevi exhibet. Liber magnae auctoritatis et optimae simul notae, ad litteram pene a me expressus est; scripturae specimen in tabula adiecta habes. Cui plurimum consentit:*

2) *C. regius bibl. Dresdensis mbr. in* 4to *duabus saeculi XI. manibus exaratus, sed a Wolfherio, auctore Vitae Godehardi, iisdem haud raro sententiis, quas in Vita prima offendimus, interpolatus et notitiis de Godehardo episcopo auctus, quae cum vita eius prima usque ad cap.* 26. *consentiunt. Complura econtra capita in medio libro omittuntur. Initio mancus est. Librum in usum nostrum cum editis contulit V. Cl. Mauritius Haupt, in academia Lipsiensi professor, qui his verbis ea de re ad nos retulit: „Codex, anno* 1832. *ex tabulario regni Saxoniae secretiore in bibliothecam regiam Dresdensem translatus, folia continet viginti tria formae quadratae, modicae magnitudinis. Singulae paginae versus continent viginti quinque. Scriptus est liber a manibus duabus, quarum prima pertinet usque ad finem folii decimi noni, recti. Folio eodem averso altera manus incipit his verbis* „His ita se habentibus“, *quae leguntur apud Leibnitium capite* 41 *(iam* 44.*); utraque manus saeculi undecimi est, nec multo recentior tertia quae hic illic nominum compendia supra versus explevit et in margine saepius* ꝧ (nota) *et hic illic summaria sive annota-*

16) Hist. canonisationis S. B. Leibn. I. 469. 474.
17) e. g. cap. 36.
18) nam capite ultimo miraculum habet, ubi de *ducatu* Mekelenborch sermo fit, quem nonnisi anno 1348. institutum fuisse constat.

tiones ascripsit non neglectas a me in codicis collatione. Contuli autem hunc librum, et ita quidem ut praeter æ ę e *litterarum promiscuum usum ne orthographicas quidem minutias praeterirem, cum editione Leibnitii. Mutilus est codex Dresdensis, incipit folio* 1. *verso post detritas nonnullas syllabas his verbis* loci et congregationis, *quae leguntur apud Leibnitium cap.* 13, *versu* 14, *Scri. rer. Brunsv. t. I. pag.* 447. *(iam c.* 12). *Prima huius folii pagina agglutinata papyro obducta est". Alterum codicis apographum sua manu confectum nuperrime V. Cl. Gersdorf, bibliothecae universitatis Lipsiensis praefectus, summa cum benevolentia obtulit.*

Circa exitum saeculi XIII. aut initium saeculi XIV. Thangmari liber in 19 *usum Sifridi II. episcopi Hildesheimensis iterum transscriptus est*[19], *sed stilo*

19) En praefationem libelli: *Incipit epistola in legendam beati Bernwardi episcopi et confessoris. Reverendo patri ac domino suo Sifrido, Dei gratia Hildensemensi episcopo, omnium servorum Dei vilissimus, sanctissimi viri Bernwardi vestigiis adherere, ut valeat secum serena anima beatorum gaudia possidere. Fons sapientie Dei patris, verbum in corde cuius est genitum, ab eterno sic semper generatur; cuius natura bonitas, opus misericordia, redimens quos creavit, proprio humero imponens oviculas errabundas ad ovile angelorum usque perduxit. Qui vineam, quam de Egipto transtulit, usque ad seculi consummacionem non relinquit. Que vinea est gens Saxonica, quam longo tempore in tenebris infidelitatis excecatam et sine pastore errantem, ipse qui est bonus pastor ad fidei transvexit claritatem. In quo sue bonitati naturali non suffecit, quin prefatam vineam pre multis regionibus, quibus est circumdata, beate prolis fetu fecundaret; et prophetam eis de suis fratribus, beatum dico Bernwardum, suscitavit, qui solus de Saxonum populo sanctorum cathalogo est asscriptus, quod nulla regio circumposita potest de suo sanguine demonstrare. Hic vir Dei Bernwardus, a puericia cor gerens senile, omnis vite quesivit auctorem. Qui sedulum circa sancta Samuelis imitatus obsequium, et ita in castitatis desiderii sancti Danielis piissimum continuavit affectum; iusticie semitas ac sanctorum vias currens, a Domini tabernaculo, id est militantis ecclesie magisterio, non discedens, et carnem spiritui et sensualitatem subiciens racioni, factus unus cum Deo spiritus, in eum per mentis excessum pergere studuit, et sobrie compassionis studiis a caritate proximi non recessit. Hic pastor divini gregis non solum sibi gregem commissum sancte gubernavit, ymmo totam sanctam universalem ecclesiam meritis ditavit et exemplis, et raris et miris signis debilium fidem confirmavit. Nam preter opera sanctitatis eius, quibus in carne positus redolebat, et preter multa miracula, que ipsa die translacionis contingebant, multos curavit languores corporum et animarum. Non solum in arida set et in mari desperatis omnibus, ablatis gubernaculis et instrumentis, cum lacrimis tamen ad eius patrocinium convolantibus, plus quam semel potenter liberavit. Et quamvis eius multa miracula per negligenciam sint sepulta, tamen quedam, videlicet quinquaginta quatuor satis pulchra, in eius legenda refulgent. Quia vero istius veri Ioseph heu beneficia corporalia et spiritualia Egiptus tenebrosa parvipendet, mater omnium viciorum ingratitudo, que exsiccat fontem divine pietatis, in hoc sancto tanta repe共riuntur, quod vix in tota Germania similia valeant inveniri. Quia, ut de parrochiis Hildensemensis ecclesie taceam, quam multe ecclesie conventuales sunt, que nec unicum verbum in suis libris omnibus de eius sanctissima vita poterunt demonstrare, cum Deus tamen vulgo dicat: „Interroga patrem tuum, scilicet spiritualem, et indicabit tibi" etc. Heu iam villanus de suis parentibus multa signa et magnalia de beato Bernwardo per relacionem didicit, que in eius gestis ex negligenciis quorumdam non habentur! O si gens Ytalica* [„dat volck der Walen" translatio theutonica] *de sua carne hunc sanctum progenitum haberet, vel altera gens Anglicana, nonne totam universalem matrem nostram ecclesiam secum ad ipsum collaudandum studiose provocaret? O si dura corda Saxonica omnia verba sancti euangelii sic servarent sicut istud: „Nemo propheta est sine honore nisi in patria sua"! Si ergo mente revolvere diversas regiones, vix ita crudelis invenitur homo, quin magis diligat suam gentem quam alienam; unde non modicum quemlibet vere Saxonem debet conturbare, quod multi sancti in tanta reverencia habentur, et hic iam sit sublatus et non est qui id corde percipiat. Quia igitur sanctus Dei Bernwardus semper proximis suis beneficia multa impendebat in terris, et nunc in celis pro suis dilectoribus districtum iudicem semper interpellat, vestra igitur reverenda paternitas, que cum naturali vigeat ingenio et moralibus polleat virtutibus et exemplis, et ecclesiam Hildensemensem cinxerit municionibus* [„bevestiget myt borgen un̄ steden" transl. theut.] *multis et castris,* [cf. Chronicon episcoporum Hildesh. apud Leibnit. SS. Brunsv. I. 757. et 774.], *que nisi Dominus custodierit, frustra vigilat qui custodit eam: nunc intendat, ut sanctissimum virum Bernwardum novis laudibus provocemus, ut nos cum sua ecclesia custodiat in vita pariter et in morte. Interpretatur enim nomen suum Bernwardus quasi „bene custodiens". Ut ergo secum valeamus semper vultum Dei contemplari, in eius laudem tepidos animemus, ut nos nunc in vita a lapsu preservet et in morte suis oracionibus a malignis hostibus liberet et sua iocunda presencia nos letificet in eternum. Suscipiat igitur vestra paternitas legendam hanc, que*

immutato, sententiis vocibusque plurimis additis, resectis vel mutatis, miraculorum quoque ad ea usque tempora continuatione adiecta. Cuius textus ab authentico valde recedentis rationem nonnisi in iis quae addita sunt habendam esse, liquet. Legitur in codicibus tribus, scilicet:

3) C. olim S. Michaelis, iam Viri Cl. Hermanni Adolfi Lüntzel, cuius supra pag. 248. *mentionem fecimus, exhibet etiam narrationem de translatione S. Bernwardi, et a Browero in Sideribus Germaniae typis est expressus. Ad quem prope accedit*

4) C. ducalis Guelferbytanus, olim Heiningensis, iam Nro. 353. *insignis, chartaceus saec. XV. in folio, cuius in fine etiam miracula historiae translationis addita, neque tamen omnia quae in* 3, *habentur, et*

5) C. ducalis Guelferbytanus inter Augustenses Nro. 19, 26. 7. *chartaceus in* 4*to saec. XV, quem anno* 1470. *monialibus in Frankenberg Henninghus Papetranus, Goslariensis plebanus, dono dedit. Hoc libro Ill. Leibnitius T. I. SS. Brunswic. in edendis vita Bernwardi et historia translationis eius usus est; nos eum aeque ac alterum Guelferbytanum beneficio V. Cl. Schoenemann, bibliothecae eius praefecti, evolvimus.*

Conversio textus huius, magis etiam interpolata et dialecto Saxonica instituta, anno 1540. *in* 4*to typis Iaspari van Gennep prodiit, qua Leibnitius in annotationibus suae editionis usus est.*

6) Bruxellis in bibliotheca regia Nro. 8950. *apographum codicis Bodecensis membranacei extat, quod Bethmanno referente nonnisi excerpta libri, omissis e. g. capp. Leibnitianis* 11—42, 46—48, 50, 52—58, 60—65, 67 *rel., exhibet.*

Quibus subsidiis ita usus sum, ut codice regio exscripto[20], *lectiones* 20 *Dresdensis omnes indicarem, reliquorum nonnisi in paucis locis, ubi id commodum aliquod afferre posse videbatur, ratione habita. Divisionem operis codicem regium secutus, numeris tantum additis, ab anterioribus diversam institui. Historiam translationis Bernwardi a Browero ex codice* 3. *primum adiectam alii loco reservare, vitam brevissimam*[21] *a Leibnitio editam ut multo posterioris aevi omittere placuit.*

Miracula Bernwardi in coenobio S. Michaelis saeculo duodecimo ineunte conscripta[22], *per decursum temporis aucta sunt, prout in codice* 3. *conspicitur.* 22

PROLOGUS THANGMARI[a] PRESBITERI IN VITAM SANCTI BERNWARDI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Divinae providentiae sapientem ammirabilemque dispositionem ratio humana nec liquide intueri, nec digne suppetit ammirari. Miris enim divinae clementiae beneficiis, cottidianis successibus sustentamur; ut gravis culpa videatur Dei laudes tacere, cum manifestissime scriptum sit: „Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et Tob. 12, 7. *confiteri honorificum est". His itaque angelicis oraculis persuasus, immo compulsus, ego peccator et indignus presbiter Thangmarus, humillimus quoque sanctae nostrae ecclesiae bibliothecarius et notarius, magnifica gesta memorabilis viri, domni scilicet Bernwardi*

a) Tanmari 1.

vitam suam compendiose valde conplectitur, que et in se ipsa est valde longa, et eam cum devocione revolvatis, ut exinde ad maiorem devocionem pervenire valeatis. 20) diphthongum tamen, in: prae, saepe, quae, laetus, moerens, aestimo rel. nonnunquam simplici e scriptam, restitui. 21) Haec praeter notitias spurias, Heinricum II. a Bernwardo nutritum et iubente eo in ecclesia Hildesheimensi litteris sacris imbutum esse, et Ottonem II. morientem Bernwardo filium uxorem et regnum curanda reliquisse, nihil quod non in Thangmari vita extet continet. 21) *a quodam fratre nostro* c. 10; c. 12. abbas Conradus memoratur.

nostri episcopi, colligere aggressus sum, non vanitatis fastu provocatus, Deo teste, sed si quid imitabile Dei clementia in illis eluceret, divinae pietatis gratiam, de cuius rore fluxit, posteris praedicarem, et illos tali exemplo ad provectum virtutum incitarem. Et quia hoc ipso ignorante subire temerarium scivi, diu cunctatus haec publice cum illo confabulari, tandem oportunitate nacta, aditum temptavi. Primo itaque forti auctoritate adversabatur michi; nam in cunctis iactantiam et popularem favorem ceu mortiferum venenum vitabat. Tandem cum saepius ingererem, grave peccatum esse, bona opera cęlare, ne alii exemplo Matth. 5, 16. *tali proficiant, cum Dominus dicat: „Luceat lux vestra coram hominibus“ et caetera, cessit, meo arbitratu quae compingerem relinquens, quia a puero mecum usque ad iuvenilem aetatem obversatus, quasi filius patri familiarius adhaesit et convixit, nec aliquid in omni studio eius vitae meam conscientiam fraudare potuit, quin plenissime scirem.*

INCIPIT VITA BEATI BERNWARDI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

1 **1.** Ortus igitur egregiae indolis puer Bernwardus claro nostrae gentis sanguine[1], ex filia Athelberonis palatini comitis, traditur domno Osdago, nostro episcopo[2], a suo avunculo religioso diacono[3] Folcmaro, post quoque[4] Traiectensi episcopo; et amborum diligentia meae parvitati, qui primicerius scolae puerorum praeeram, literis imbuendus, moribus etiam instituendus deputatur. Quem omni devotione susceptum, intellectus illius capacitatem primo divinae paginae leviore lacte temptandam aestimavi. Mox itaque, Dan. 1, 20. ut de sancto Daniele legitur, inveni in illo decuplum in omni intelligentia super coaevos eius. Mirum namque in modum tenera aetas caelesti irradiata lumine, subtili meditatione interiora divini sophismatis iugi studio rimabatur, nunc communi lectione cum aliis, nunc quos diligentiores in sancto meditamine cernebat, seorsim familiarius assumens, propositis quaestionibus scrupulosa quaeque ad medullam eventilabat, more prudentissimae apis singulas lectiones, quas in scolis in diversis libris exponebam, remotiori loco sedens intento auditu captabat, quas tamen postea pueris considens felici furto perfecte docebat et illorum scientiae inprimebat. Gratanti denique affectu amplectebar felici furto lectionis puerum[a] insudare, multoque vigilantius deinde[b] institi ingenium illius ad scientiam veri sophismatis excitare. Nichilominus ergo venerabilis domnus Osdagus quodam meriti praesagio magnum quid futurum in illo praevidens, exorcistam ordinavit, diligentius me adhortatus item itemque curam illius agere. Quem etiam mecum interdum in servitium domni episcopi extra monasterium excedens ducebam, ut illius ingenium, quod in multitudine epheborum discernere et ad votum meum discutere non potui, illis remotis singulari studio subtilius diligentiusque eventilarem, mirumque in modum vario virtutum pigmentario ultra id aetatis respersum repperi. Nam saepe totum diem inter equitatum studendo attrivimus, nunc legendo non minus prolixam lectionem quam si in scolis ad hanc vacaremus, nunc poetizando per viam metro collusimus, inde ad prosaicam palaestram exercitium alternantes, interdum simplici contextu rationem contulimus, saepe syllogisticis cavillationibus desudavimus. Ipse quoque crebro me, etsi verecunde, acutis tamen et ex intimo aditu phylosophiae prolatis quaestionibus sollicitabat. Tanta ergo facilitate cupitum eius ingenium michi applaudebat; pene enim nulla hora, nec refectionis quidem, desidiae illum arguebat. Et quamquam vivacissimo igne animi in omni liberali scientia deflagraret, nichilominus tamen in levioribus artibus quas mechanicas vocant studium impertivit. In scribendo vero adprime enituit, picturam etiam limate exercuit, fabrili quoque scientia et arte clusoria omnique structura mirifice excelluit, ut in plerisque aedificiis, quae pompatico decore composuit, post quoque claruit. In negociis vero domesticis et ad usum rei familiaris pertinentibus vivacissimus executor acsi a puero his nutritus calluit. Huiusmodi Deo gratae et hominibus acceptae indolis gratia domno episcopo, apud quem versabatur, omnique congregationi dignus et familiaris efficiebatur, propinquorumque dilectioni probatissimus habebatur. Avus quippe eius Athelbero palatinus comes, vir plurima virtutum laude insignis,

a) *deest* 1. b) *deest* 3.

1) patrem Theodericum comitem de Sommerschenburg vocat translatio theutonica. 2) annis 985—989. episcopo; igitur aut Otwinus, qui a. 954—984. sedit hoc loco intelligendus, aut — quod magis placet — puer Osdago nondum episcopo, aut a Folcmaro iam episcopo traditus est. 3) scil. Hildesheimensi. 4) annis 977—990.

qui commissae sibi praefecturae exactionem magis ex debito quam ex intentione gerebat, cum prole utriusque sexus felicissime habundaret, hunc praeclarum adolescentem, primis auspiciis pubescentis decoris florentem, in affectum filii adoptavit. In quo quia salutaris consilii stationem saluberrimam repperit, familiarius sibi adiunxit, ut ne minimum quidem sine eius consultu ageret.

2. Adeptus itaque a Willegiso venerabili archiepiscopo subdiaconatus gradum, aliquamdiu cum illo conversatus, cum propter morum honestatem ac vitae probitatem religionis profectum in illo sentiret, diaconum illum ordinavit. Interiecto quoque non longo spacio, presbiterii eum honore sublimavit. Reversusque ad praefatum comitem, suum videlicet avum, affectuosissime ab illo susceptus est, plurimumque rogatus ne ab eo discederet, facile acquievit; cui tanta humilitate ac instantia famulabatur, ut, caeteris refrigerandi causa interdum remotis, ipse dies noctesque continuans, indefessus ei adhaereret, aegri senis et aevo pleni imbecillitatem patientissime moresque supportaret, inter ipsum et familiam medius incederet, salutaribus monitis cottidie illos ad agenda informans, curam illorum apud comitem vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoque affectu ad filios totum se profudit, magnamque gratiam inter illos conciliabat. Et quamvis in huiusmodi familiaritate invidia facile subrepat, hanc maxima cautela in plerisque declinabat. Inter patrem quoque et filium, domnum videlicet episcopum[a], internuncius saepe discurrebat, magnamque inter illos familiaritatis gratiam conciliabat. Ipsi ergo episcopo tantum complacuit, ut Daventrensi coenobio sua vice illum praeponere vellet, fitque inter episcopum et comitem de tantae indolis iuvene religiosa concertatio, ut uterque pro morum gratia illum sibi adoptare intenderet. Sed ipse imbecillis avi infirmitatem sustentare, quam episcopales delicias appetere malebat. Cum quo usque ad diem sui exitus fideli devotione desudabat. Quo defuncto, ad palatium se contulit, in servitium[5] videlicet tercii Ottonis imperatoris, qui septennis adhuc puer, cum venera- 987. bili et sapientissima matre domna Theuphanu augusta rebus praeerat. A qua hic venerabilis iuvenis Bernwardus benignissime suscipitur, atque in brevi summae familiaritatis locum apud illam obtinuit, adeo ut domnum regem fidei illius literis imbuendum moribusque instituendum consensu cunctorum procerum commendaret. In quo ita excelluit, licet quorundam invidia morderetur, ut puer imperialis in discendo mirifice proficeret, et tamen ad cuncta foris obeunda liberalissimo negocio eius ingenium feriaret. Et cum alii regi puero adulando obsequerentur, adeo ut ludicra et quae tenera aetas poscebat illi persuaderent, imperatrix etiam, verita affectum filii sibi praeripi, in eiusmodi favore in tantum emollita esset, ut ad omnia quae puerilis aetas illum impelleret ipsa gratissimo affectu consentiret, hic solus tanta arte institit, ut a non faciendis metu illum prohiberet, et tamen plenissimo affectu eius animum sibi colligaret.

3. Interea domna Theuphanu imperatrix apud Neomagum maximo dolore totius 991. Iun. 16. regni rebus excessit. Unde domnus rex utroque parente desertus, totum se regendum in stationem fidissimi magistri contulit. Huius consilio examinabat, quodcumque alii adulando persuadebant; quia, quamvis in puerilibus auspiciis ociaretur, altiori tamen industria quorundam simulationes praevidebat. Praecipua itaque familiaritate magistrum suum amplectebatur, nec ab ullo inferius tractabatur, quem universali virtutum decore respersum venerabatur.

4. Per idem tempus venerabili episcopo Gerdago decedente, hic religiosus iuvenis 993 Ian. 15. Bernwardus votis omnium ad pontificatum eligitur. Et cum plerique nobiles clerici palatina militia diu certantes missionem optarent, consensus tamen omnium in hunc Deo electum iuvenem concordabat. Communi igitur electione sanctae Hildenesheimensi Ann. Hild. a. 993. aecclesiae ordinatur episcopus a Willegiso archiepiscopo, anno dominicae incarnationis nongentesimo nonagesimo tercio, indictione sexta, octava decima Kal. Februarii.

5. Adeptus itaque pontificatum, quanta continentia iuvenile corpus ad virtutum culmen coegerit, dici non potest, modum in cunctis agendis praecipue amplectens, iuxta illud viri sapientis: *Ne quid nimis.* Ter. Andr. 1,1,34. Morum quoque gravitate mirifice senes ipsos superabat, adeo ut subditos severitatis censura ad agenda in plerisque institueret. Frugali-

a) c. Folcmarum 3.

5) „factus est aulicus scriba doctus, Ottonis III. didascalus et primiscrinius"; infra cap. 51.

tatem vero in appetendis ciborum deliciis in eo laudare vix ullus sufficit; potum tanto moderamine temperabat, ut post coenam antequam stratum pergeret, nisi familiarium vel hospitum praesentia coactus, semel tantum biberet, saepius quoque penitus abstineret. Stratis vero compositus, lectioni interdum circa galli cantum intendebat, saepe somnum interrumpens, furtivae orationi, donec clerici ad matutinos ymnos consurgerent, vacabat, ymnisque expletis, multociens psalmodiam in diurnum usque crepusculum extendebat; deinde aliquantulum pausans corpusculum recreabat, donec item diluculo canonicum cursum primae horae in aecclesia persolvebat. Quo expleto, quasi regulariter sub disciplina constitutus, capitulum cum fratribus qui secum conversabantur adiit. Feriam quoque et lunationem, nomina quoque fratrum quorum annualis memoria instabat, cottidie recitari iubebat. Oratione vero peracta, circa horam terciam ad missarum sollempnia festiva celebratione procedens, magna animi contritione se ipsum totum Domino profudit. Inde in publicum progressus, forenses causas et oppressorum negocia breviter examinabat, quia et ingenio ac facundia adprime callebat. Sicque operiebatur clericum dispensatorem, qui elemosinae et pauperibus praeerat, quorum multitudinem, centenos videlicet vel eo amplius, diatim habundantissime victu refecit; plerosque etiam vel argento vel caeteris subsidiis, prout facultas concessit, sublevabat. Inde officinas ubi diversi usus metalla fiebant circuiens, singulorum opera librabat, donec circa nonam, rite omnibus peractis, cum timore et benedictione Domini, ad mensam, fratrum populique stipatus frequentia, consedit; non pompatice quidem, sed religioso silentio, cunctis ad lectionem honestissima disciplina intentis, quae inter coenandum non brevis legebatur. Infirmis quidem fratribus et senio confectis benedictionem de manu sua dirigebat hilariter, cum tamen nullum egenum in urbe vel in suburbio, quem scire posset, huiusmodi pietate privaret. Ita quippe iuxta apostolum [1. Cor. 9, 22.] omnia omnibus esse desiderabat, ut omnes in Christo lucrifaceret.

6. Arduum et difficile est cottidianum eius studium verbis perstringere, quia Deo teste omni nisu inter diem noctemque in divinis perstabat. Nichilominus quoque cunctos sibi adhaerentes ad huiusmodi negocium, ut ita dicam, ultra vires impellebat, nec aliquid artis erat, quod non attemptaret, etiam si ad unguem pertingere non valeret. Scriptoria namque non in monasterio tantum, sed in diversis locis studebat, unde et
6 copiosam bibliothecam tam divinorum quam philosophicorum codicum comparavit[6]. Picturam vero et sculpturam et fabrilem atque clusoriam artem[7], et quicquid elegantius in huiusmodi arte excogitare[a] poterat, numquam neglectum patiebatur, adeo ut ex transmarinis et ex Scotticis vasis, quae regali maiestati singulari dono deferebantur, quicquid rarum vel eximium reperiret, incultum transire non sineret. Ingeniosos nam-
8 que pueros[8] et eximiae indolis secum vel ad curtem ducebat vel quocumque longius commeabat, quos, quicquid dignius in ulla arte occurrebat, ad exercitium impellebat. Musivum praeterea in pavimentis ornandis studium, necnon lateres ad tegulam propria industria nullo monstrante composuit. Et ut breviter perstringam, nec punctum temporis supersedebat, sed fidelis dominicae familiae dispensator, conservis suis necessaria subsidia fideliter subministrabat. Et cum in Christi gazophilacio quaeque idonea scivit fideli devotione congereret, non minus tamen caesari sua iuxta euangelium persolvebat. Nam tercio Ottoni imperatori affectuosissimo animo pro scire ac posse obsequebatur. Unde et multorum invidiam in se commovebat, qui indignabantur, illum vigilantiori studio rei publicae negocia obire.

[994 995.] 7. Saxonia quippe magna ex parte pyratarum caeterorumque barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incursionibus sine intermissione patebat. Quam

a) vel ab aliquo investigare *addunt* 3. 4. 5

6) Ex libris iussu eius scriptis missale a. 1014, biblia, et tria euangeliaria, quorum unum a. 1011. et Guntbaldum scriptorem praefert, picturis ornata in ecclesia episcopali Hildesheimensi hodieque adservantur; adest praeterea „liber mathemathicalis“, quo Bernwardum in Ottone III. instruendo usum fuisse dicunt. V. Kratz der Dom zu Hildesheim a. 1840. T. II. p. 104—128. Liber alchemicus saeculo XVII. periit. T. III. p. 11. 12. 7) artem gemmas metallis includendi. 8) candelabrum hanc inscriptionem praefert: „Bernwardus presul candelabrum hoc puerum suum primo huius artis flore non auro non argento et tamen ut cernis conflare iubebat“. V. Kratz T. II. p. 32.

pestem rei publicae depellere magno sui suorumque periculo semper instabat, et nunc cum aliis, interdum quoque cum suis solus super eos irruens, fortiter illos attriverat. Sed cum huiusmodi irruptiones sedari nullo modo possent, quippe cum barbari, qui utrumque litus Albiae et naves omnes sua ditione tenebant, navali evectione per omnem Saxoniam facillime se infunderent, vigilantissimus Dei pontifex curam sibi commissae plebis agens, quomodo populum Dei de saevicia barbarorum eriperet, animo fluctuabat. Furorem namque sui impetus pene Hildenesheim usque intentabant, et ipsum sanctum locum praedam sibi promittebant. Divino itaque instinctu in extremo fere sui episcopatus, ubi flumina Alera et Ovokare confluunt, munitiunculam admodum munitam[9] extruxit, 9 in qua copiis militum dispositis, barbarorum impetum repulit, populumque Dei ab hostili feritate liberavit. Dei namque gratia tanta securitas pacis per illum in locis illis fidelibus condonata est, ut nichil dampni vel periculi postea a barbaris paterentur. Hac industria Christi sacerdotis barbarico tumultu in illis locis eliminato, acrius in circumsita loca debachati sunt. Unde vigilantissimus divini gregis pastor typo Christi, sui domini, adversariis aecclesiae, exultans ad currendam viam ut fortis gygas, se opposuit, et in rure Wirinholt[10] nuncupato, ubi tutissima illorum statio fuerat, liber quoque latrocinii ex- 10 cursus, quocumque suae fraudis insidias intentarent, praesidium munitissimum instituit, fossisque aquarumque meatibus per rivum influentibus tutissimum reddidit, copias quoque militum victu et armis caeterisque necessariis instructas habundantissime collocavit. Divina itaque gratia periculosissimum locum Dei populo pacificum fecit et tranquillum, in tantum ut omni spurcicia diabolicae ac barbaricae fraudis eliminata, baratrum irruptionis et hostilis incursionis locum faceret orationis, et oraculum sancti Lamberti pontificis et martiris Deo consecraret, atque ab illo die summa pace aecclesiae Christi reddita, ab omni hostili impetu Dei populus vivacissimi provisoris industria quietissime feriaret. Pro his et caeteris beneficiis, quae devotissimo studio in rem publicam populumque fidelem exercuit, multorum et maxime principum in se invidiam et indignationem commovit. Unde et a Magontino archiepiscopo plura et miseranda, ut in sequentibus plenius dicemus, apertis inimiciciis perpessus est. Cuius animositatem patientissime ferens, divina ac regalia benignissime amministrabat.

8. Et licet plura copiosissimis impensis ad repellendam saeviciam barbaricam foris impenderet, dici tamen non potest, quanta in episcopatu ad usum suae aecclesiae contulit. In praediis namque tanta congessit, ut triginta vel plures praecipuos curtiles cum litorum ac colonorum familiis, clarissimis aedificiis praenitentes, compararet, cum in aliis innumerabilibus locis decem mansos vel octo, aut plus aut minus prout causa acciderat, in possessionem suae aecclesiae conferret[11]. Antiqua quippe loca ab antecessoribus suis possessa, quae ille inculta reperit, optimis aedificiis collustravit, inter quae quaedam elegantiori scemate albo ac rubro lapide intermiscens, musiva pictura varia pulcherrimum opus reddidit. Quid dicam, quo studio vel ambitu sanctum locum nostrum vel principalem aecclesiam nobilitaverit, cum se ipsum et cuncta quae habere potuit in eius usum impertiri maluerit. Testantur eius opera[12], quae futuro aevo pium illius 12 animi votum apertis locuntur[13] indiciis. Ecclesiam namque miro studio decorare ardenter instabat. Unde exquisita ac lucida pictura tam parietes quam laquearia exornabat, ut ex veteri novam putares. Fecit et ad sollempnem processionem in praecipuis festis euangelia auro et gemmis clarissima, thimiamateria quoque precii et ponderis magnifici, calices nichilominus plures, et unum ex onichino, alterum vero cristallinum mira industria composuit. Adhuc autem unum aureum, valentem libras viginti publici ponderis, ex purissimo auro in usum ministerii conflavit. Coronam quoque argento auroque radiantem mirae magnitudinis in facie templi suspendit, et alia perplura, quae supersedenda putavimus, ne fastidium prolixitate ingeramus. Sanctum quoque locum nostrum muro-

9) Mundburg; cf. Heinrici II. confirmationem a. 1013. Origg. Guelf. IV. 435. 10) neque Wiringen neque Warenholz esse videtur, quum villa utraque nonnisi multo post tempore ab ecclesiis matricibus seiuncta sit. Varenholz infra Rinteln non in diocesi Bernwardi situm erat. 11) cf. Bernwardi chartam donationis pro monasterio S. Michaelis editam. 12) Supersunt crux aurea, crux argentea, duo candelabra, columna aerea, et valvae aereae ecclesiae cathedralis. Crux alia Heiningae, patena Hannoverae adservatur. De aliis deperditis v. Kratz l. c. p. 38. 13) i. e. loquuntur.

rum ambitu vallare summa instantia aggressus, dispositis per gyrum turribus, tanta prudentia opus inchoavit, ut decore simul ac munimine, velut hodie patet, simile nil in omni Saxonia invenias. Sacellum etiam splendidum valde, foris murum in honore vivificae Crucis exstruxit. Cuius etiam aliquantam partem, largiente domno tercio Ottone augusto imperatore, ibidem clarissimis gemmis auroque purissimo inclusam condidit[12]; ubi etiam divina pietas plurima suae pietatis indicia apertis signorum miraculis per virtutem sanctae crucis ostendit.

9. Inter quae illud unicum, quo Dominus antistitis nostri devotionem consolari dignatus est, inserere libet. Nam venerabilis pontifex Bernwardus thecam auro gemmisque lautissimam, in qua vivificum lignum includeret, paravit, et cum ex tribus particulis sancti ligni quartam si fieri posset excidere temptaret, ut per singulas absides singulas conderet portiones, nec gracilitas vel parvitas quacumque ex causa sectionem admitteret, cum devotissimus Dei famulus animo fluctuaret: ecce subito inter manus ipsius antistitis quarta particula sacratissimi ligni angelico ut creditur ministerio delata apparuit. Mox igitur praesul laetus lignum sanctum per quatuor absides paravit. O quanti inde potantes ardorem vehementissimae febris saepius virtute sanctae crucis restinguebant! Multociens obortam aeris inaequalitate pestilentiam fideles hoc vivifico ligno se suaque lustrantes sedaverunt. Nimiam etiam siccitatem, prolato in publicum hoc singulari ligno, ceu pluviis imperantes, repulimus, multaque virtute huius sanctissimi triumphi fiunt cottidiana remedia, dum quisque moerens ibi prostratus, prompta percipit solatia.

996. 10. Ipsum vero sacellum sanctae crucis, vario decore perfectum, dedicavit 4. Ydus Septembris, anno incarnationis dominicae 996. indictione 9. regni vero gloriosissimi tercii Ottonis imperatoris 13. imperii primo, ordinationis autem suae quarto; locumque quondam dumis et vepribus horridum, vicinis incolis — gloria tibi, Christe! — ex tuis datis baptismi, sepulturae, unctionis fecit aeternum solatium.

11. Pro talibus igitur aliisque piae devotionis actibus, quibus ad aecclesiae utilitatem omni nisu mentis et corporis insudabat, tam Deo cordi interius praesidenti, quam aecclesiae operis effectum exterius approbanti, felicis memoriae praesul acceptissimus
Iob. 1, 8. erat; et ideo consequens fuit, ut vir beatus, cui, sicut de sancto Iob legitur, tunc temporis in terra similis non fuisse putabatur, per temptationis incommoda, sicut aliarum virtutum ita etiam humilitatis et patientiae praeconio, mirabilis cunctis ostenderetur.
1000. Anno itaque ordinationis suae octavo, gravibus insecutionum molestiis pro territorio Gandenesheimensi ab archiepiscopo Willegiso plane contra aecclesiasticas sanctiones impetitur, sed eis minime a solitae humilitatis et patientiae tenaci observantia movetur. His tamen, quae archiepiscopus non tam iustae rationis executione quam liberae potestatis praesumptione attemptabat, auctoritatis constantia, non temeritatis audacia, sagacis
Rom. 11, 13. ingenii vir obviabat, et secundum illud Pauli: *Quamdiu gentium apostolus sum, ministerium meum honorificabo*, quoadusque aecclesiae Christi pastoris vice praefuit, episcopatus sui iura in proprii honoris statu conservari summa sollicitudine procuravit, quod et Deo annuente, laboriose licet, obtinuit. Sed ne similis controversia de ipsa Gandenesheimensi aecclesia postmodum valeat oboriri, omnem disceptationis ordinem inter Mogontiensem antistitem et venerabilem virum domnum[a] Bernwardum hic inserere commodum duxi. Necessarium autem reor ista paulo altius indagando repetere, quod tamen lectori minime debet esse onerosum, quia posteris fortasse in multis erit profuturum.

12. Territorium Gandenesheimense, situm in pago Flenithi, cum adiacentibus villis ad provisionem Hildenesheimensium episcoporum, ex quo primum episcopia per Saxoniam disterminata sunt, certum est pertinere. Quod ex hoc cunctis scire cupientibus liquido apparet, quia ab ipso principio novellae christianitatis nostrae gentis, etiam ante constructionem praefati monasterii, ad curam nostri episcopi pertinebat. Temporibus namque domni[b] Altfridi, qui quartus nostrae aecclesiae antistes extitit, Liudolfus dux cum religiosa contectali[c] sua Oda, magno studio in divino cultu accensi, consilio praescripti

a) dominum 1. b) domini 1. c) *codex lacunam praefert, quam* contectali *explendam esse patet; recens tamen scriba* contectrice *inseruit, quod et* 3. 4. 5. *legunt.*

12) Crux ista hodie in ecclesia S. Magdalenae adservatur.

antistitis Romam perrexit, ibique a domno Sergio papa magnifice suscepti; et cum votum illorum in divinis agnovit, datis reliquiis sanctorum praesulum Anastasii et Innocentii cum benedictione a se dimisit. Ad patriam itaque Dei gratia pervenientes, consilio domni Altfridi coenobium virginum Dei primo Brunesteshusen adunaverunt, filiam quoque suam domnam Hathumodam, duodecim annos habentem, praefato episcopo in regimen intromittendam assignaverunt, anno dominicae incarnationis 852, Rabono Mogonciae praesidente, omnem autem provisionem praedicti loci[a] et congregationis domno Altfrido commiserunt. (cf. Ann Quedl.) Unde evolutis aliquot annis, Karolo Rabano succedente, anno singularis nativitatis Christi 856. auspicatus est ipse quendam locum super fluvium Gandae, quem a fluvio Gandenesheim[b] nominavit; ibique consentiente duce fabricam monasterii maiori ambitu inchoavit, Liudberto Mogontino existente[c] episcopo, qui post Karolum subintravit. Locus namque pratorum ac nemorum amoenitate aptior, tutior quoque silvarum densitate ac palustri munitate ad habitationem Deo militantium visus est. Defuncti itaque sunt ante consummatam fabricam Gandenesheimensis[d] aecclesiae et dux ac domna Hathumod[e], sepultique in antiqua aecclesia Brunesteshusen[f], positaque in regimen domna Gerburgis[g] prima[h], soror domnae Hathumod[i], Altfrido venerabili episcopo mediante, Liudberto quoque[k] Mogontino archiepiscopo, qui Karolo successit. Nec multo post decessit, biennio tantum emenso, venerabilis domnus Altfridus. Consedit autem cum Mogontinis episcopis, Rabano[l], Karolo, et duodecim annos cum Liudberto. Consummata quoque cum omni decore Hildenesheimensi aecclesia, quam ipse a fundamentis construxerat, et Dei gratia consecrata, plenus operibus bonis decessit. Cui successit Marcwardus[m*], quintus praesul[m] aecclesiae nostrae, quatuorque[n*] tantum annos sedens, trabes aecclesiae posuit. Post hunc subintravit domnus Wicbertus, sextus episcopus. Hic fabricam consummavit, et aecclesiam nichilominus consecravit. Hic omnem religionem et disciplinam cum domna Oda et Gerburga[n] abbatissa in praefato loco inchoavit et perfecit; eius consilio omnia disponebant et agebant. Praeerat autem domna Gerburgis[o] congregationi 22 annos, positaque est in nova aecclesia, iuxta domnam Hathumodam[p]. Sororem autem eius Cristinam domnus Wigbertus in regimen intromisit et consecravit. Domna quoque Oda centesimo septimo aetatis anno, omnibus filiis praemissis, decessit, Cristina tantum superstite, positaque est iuxta filias suas. Sed et ipsa Cristina sex tantum annos matri supervivens, felici decessu migravit ad Dominum. Domnus quoque Wigbertus consedit cum Mogontinis episcopis Liudberto, Sunderaldo, et Hattone. Post hunc Walbertus succedens, septimus episcopus, Rotsuitham venerabilem feminam, de ipsa congregatione electam, in regimen intromisit, consecrationes quoque in aecclesia praescripta et ancillarum Dei velationes et caetera ad ministeria aecclesiastica pertinentia fecit. Post Walbertum[q] Sehardus, venerabilis vir, pastor octavus nostrae aecclesiae ordinatur. Hic absque omni contradictione quaecumque ad aecclesiasticum ministerium pertinebant in praefato loco administravit. Nonus post Sehardum Thiethardus[r] antistes nobis praeficitur, Fritherico archiepiscopo Mogontiae[s] praesidente. Hic consecravit novam aecclesiam, ubi monachae nunc Christo militant, et omnia episcopalia in praefato loco rite procuravit, nullo obviante. Decimus post Thiethardum[t] domnus Otwinus praefuit. Hic domnam Gerburgam[u] secundam[v] in regimen constituit et consecravit, et omnia episcopalia fideliter providit, domno Willehelmo[w] magni Ottonis filio in nullo sibi adversante. Similiter Hatto et Rodbertus in nullo illi adversantes amicissimum habuerunt. Willegisus[x] quoque illi[y] succedens, veritus tanti viri senectutem et morum gravitatem, publice illum percoluit, occulte vero paulo mordacius quadam animi indignatione illi adbellicabat, nil tamen in regimine praefati coenobii asperum, nec verbis nec[z] factis ostendit. Haec itaque ideo proposui, ut cuncti intelligant[*], quanta levitate ac temeritate sit violatum, quod fere per ducentos annos tam[a] venerabilium patrum utriusque loci antistitum concordia roboratum, omni canonica auctoritate fixum atque ratum duravit.

a) *hac voce incipit* 2. b) gandesheim 2. c) *deest* 2. d) gandeshemensis 2. e) hathomud 2. f) brunisteshusun 2. g) gerbergis 2. h) *manu* 2. *in marg.* 2. i) hathomod 2. k) *deest* 2. l) hrabono 2. m*) marquuardus 2. m) *deest* 1. n*) quatuor 1. n) gerberga 2. o) gerbergis 2. p) hathumodam 2. q) uualtbertum 2. r) thiuthardus 2. s) mogontia 2. F. a. M. p. *manu secunda in marg.* 2. t) thiothardum 2. u) gerbergam 2. v) *manu secunda* 2. w) uuillihelmo 2. x) Willigisus 2. *constanter.* y) illis 2. z) uel 2. *) intellegant 2. a) tot 2.

13. Sed secundi imperatoris Ottonis filia, fomes ut pace omnium dicam huiusmodi dissensionis, dum a suo episcopo, domno videlicet Osdago, sacrum velamen accipere spernit, Willegisum appetit, indignum aestimans nisi a palligero consecrari. Quod ipse libens annuit, haut considerans, quantum antiqua canonum statuta[a] temeravit. Nec fraterna caritate aditum quaesivit, sed fratri et coepiscopo diem imperavit, ut ad velationem ancillarum Dei in festivitate sancti Lucae euangelistae illi occurreret. Nactus itaque oportunum tempus domnus Osdagus, archiepiscopum secretius qua auctoritate id ageret requisivit; cum ille minaci vultu mordacius ad suam parrochiam pertinere respondit, et statuta die se ancillas Dei velaturum, omnemque episcopalem potestatem in illo loco se adempturum promisit. Cum itaque ad diem ventum est, restitit illi plena auctoritate domnus Osdagus, praesente rege domno tercio Ottone, cum matre imperatrice domna[b] Theuphanu[c], assidentibus quoque episcopis, Rethario[d] Patherbrunnensi episcopo, Milone Mindensi episcopo, Hildebaldo[e] Wormaciensi[f] episcopo, cum aliis principibus, qui ad sollempnitatem vȩlandarum virginum convenerant. Cum ergo longa disceptatio esset, domnus Osdagus, simplicis animi vir, divino monitu incitatus episcopalem cathedram ad absidem altaris poni praecepit, hac tuitione locum ac regimen sibi defendens, faventibus illi fere omnibus, quia archiepiscopi animositas, etsi metu illius dissimularent, cunctis displicebat. Destitutus itaque archiepiscopus multitudinis favore, qui prius suo iuri omnia promisit, vix domna Theuphanu et episcopis obtinentibus, ipso quoque ultra quam credi potest supplicante, obtinuit, ut ad principale altare misteria ipsa die ageret, ita videlicet, ut domnae Sophiae[g] velationem simul agerent, caeterarum quoque domnus Osdagus solus prospiceret; factumque est insolitum nec ante a nobis visum, ut duo episcopi ex latere altaris pariter sederent, pontificalibus paramentis festive infulati. Ventum est itaque ad ancillarum Dei consecrationem, cum episcopus, qui antea a pontificali iure timebatur deiectus, subito Dei gratia erectus, inter missarum sollempnia primo domnum regem, si in velationem suae sororis consentiret, humiliter requisivit, deinde caeteros mundiburdos. Quibus consensum fatentibus, primo domnam Sophiam, si ad Hildenesheimensem sedem sibi suisque successoribus subiectionem et oboedientiam profiteretur, interrogavit, deinde alias vȩlandas. Quae unanimi consensu religionem et subiectionem confessae sunt, publiceque[h] denunciatum est omni clero et populo, archiepiscopum nil iuris sibi in illa aecclesia vendicare[i] praeter consensum et permissum Hildenesheimensis episcopi. Omnibus quoque rite peractis, summa pace et concordia discessum est; stetitque unanimitas sub domno Osdago et Gerdago, et aliquot annis[k] domni Bernwardi, adeo ut aecclesias aliquas praesente archiepiscopo ibidem consecraret, synodum etiam magnam haberet, praesente domno rege tercio Ottone[l], assidente nichilominus praefato archiepiscopo, cum tamen nil sua auctoritate decerneret, praeter quod assensum aeque ut alii fratres domno Bernwardo, qui synodo praesidebat, praebuit. Interfuerunt Islarius[m] Magdaburgensis archiepiscopus, Liudolfus[n] Treverensis archiepiscopus, Milo Mindensis episcopus, Hildebaldus Wormaciensis[o] episcopus, Hugo Citicensis episcopus. Non tamen rata permansit huiusmodi concordia, quia in medium quaedam emerserunt, quae orientem caritatem falsitatis lolia[o*] peremerunt.

14. Odiosum quippe est nostro tempore veritate aliquem notare, sicut a quodam dictum est: *Veritas odium parit*, sed scribentibus gravis culpa est vel falsa dicere aut vera intermittere. Unde pace cunctorum liceat dici, quod scelus est cȩlari. Illa quippe praeclara ancillarum Dei congregatio[p] tanto studio et devotione dominorum nostrorum patrum patriae, ducum ac regum, per Altfridum eiusque successores instituta est, ut in principio omnibus imitabiles exemplar humilitatis ac caritatis florerent, episcopum suum a Deo[q] sibi praepositum quasi Dei nuncium ac patrem audirent colerent et amarent, omnes adventantes, prout cuique personae compȩtebat, praecipua benignitate susciperent. Hic illis usus, hoc studium fuit; hoc sancto loco reverentiam et illis apud omnes gratiam exhibebat; hoc humilitatis privilegio, cum pro causis aecclesiae ad palatium citabantur, habitu non admodum nitido vel abiecto venientes, ut verae Dei ancillae ab

a) instituta 2. b) *deest* 2. c) theofanu 2. *constanter*. d) hrethario 2. e) hildibaldo 2. f) wormacensi 2. g) sophyae 2. *saepe*. h) Publice quoque 2. i) *deest* 1. k) annos 2. l) d. O. t. r. 2. m) islarus 2. n) liudulfus 2. o) hildib. wormacensis 2. o*) *ita* 1. 2. p) *in marg*. Gandesheim 2. q) ac de eo 2.

omnibus habebantur ac venerabantur. Sed postquam luxus ac superfluitas accessit, morum insolentia subintravit, oboedientia torpuit, repulsa est episcoporum reverentia; quod cuique erat placitum, faciebat licitum. Addita est quoque ad augmentum mali diutina infirmitas domnae Gerburgis, eiusdem coenobii venerabillimae[a] matris, in quam Dominus plurima virtutum insignia contulit; decessus quoque religiosarum sororum, quae sub nutrimine antiquae disciplinae institutae fuerant. Numerosa autem iuventus virginum fructificaverat in tyrocinio Christi. Quae delicatius enutritae, metam prioris disciplinae ac severitatis ignorantes, ut est humanum post sua vota declinabant. Sophia quoque, domna Gerburga invita multumque renitente, ad palatium factione Willegisi archiepiscopi se contulit, ibique annum vel biennium commorata, dissolubilis vitae tramitem incedens, varium de se sparsit rumorem. Quod venerabilis Bernwardus episcopus non ferens, quippe qui illam semper summo amore et gratia percolebat, blandis illam monitis ad monasterium redire persuasit. Cumque illa exteriori auditu vix verba illius admitteret, saepius eadem repetens ad coenobium eam repedare familiarius admonuit[b]. Illa autem[c] eius accessum et confabulatum primo declinavit, deinde ad archiepiscopum velut patrocinanda ab illo confugit, amarioribus verbis eius animum exasperavit, pactum foedus in sua velatione inanibus verbis annullavit, dicens ab illo se velatam, non ab Hildenesheimensi episcopo, ad provisionem Bernwardi episcopi se minime pertinere, ad suam diocesim coenobium Gandenesheimense respicere, plures se invenisse qui hoc veraciter testentur. His et huiusmodi[d] verbis archiepiscopi animum adversus domnum Bernwardum graviter commovit. Post haec Gandenesheim[e] repetit, varia de episcopo inter sorores disseminavit, nisu quo poterat illum loco expellere atque abalienare parabat.

15. Interea episcopus cognoscens, talia circa se moliri, Gandenesheim venit, gra- [1000] viter tulit, se abalienari, nec aliquid caritatis vel honoris sibi ut antecessoribus suis exhiberi, sed infra extraneos episcopos se tractari, cum tamen ab antecessoribus suis ad sanctum locum innumera bona collata sint, decimae quoque ex sua parte plures et antiquitus et moderno tempore impensae; et pro his beneficiis iniuriam et contumeliam sibi reconpensari, tributa quae pro decimis solvenda essent imminuta, saepe quoque fraude negata; oboedientiam, qua nulla victima Deo gratior est, cum humilitate in ara cordis persuadet immolari, patienter se omnia posse sufferre, paveant tamen Christum, cuius vice fungitur, in se offendere, quicquid ingerant pro meritis[f] sibi suppetere, oboedientiam tamen caritatem et reverentiam suis antecessoribus ab illarum maioribus exhibitam, non ausum sua levitate negligere. Haec cum paterno animo perorasset, maiori odio peccatis stimulantibus illas in se concitavit, Sophia utrobique ex parte archiepiscopi ac congregationis perurgente.

16. Instabat autem hora, qua domna Gerburgis aecclesiam quam construxerat consecrari depoposcerat. Unde quia ipsa, diutina infirmitate fatigata, ad obeunda tantae festivitatis sollempnia minime suffecerat, Sophia, domina et matre consentiente, studium tanti laboris assumpserat. Et more suo proprium episcopum[g] postponunt et abiciunt; archiepiscopus accersitur, quo ordinante cuncta ad dedicationem pertinentia disponuntur; consecrationis diem statuunt, exaltationis videlicet sanctae crucis sollempnitatem. [Sept. 14.] Mittitur autem et legatus ex latere domnae abbatissae, qui domnum Bernwardum ad dedicationem invitet diemque denunciet. Sed quamquam plures illum anticipatum archiepiscopi advocatione obicerent, leni tamen animo sufferens, ad praescriptum diem se venturum promisit. Interea, incertum qua de causa, archiepiscopus statutum mutat, diem abdicit, atque eandem dedicationem in festivitatem sancti Mathei apostoli indicit, [Sept. 21.] domno quoque Bernwardo pari potestate ut olim in velatione Sophiae venerabili domno Osdago legationem dirigit, mandans ut incunctanter illi ad dedicationem in praefata festivitate occurrat. Ipse vero suum legatum atque scripta archiepiscopo remittit, astruens imperialibus iussis obstrictum, seriis quibusdam occupari, nec posse ad dedicationem ut iussum est ipsa die illi occurrere.

17. In exaltatione tamen sanctae crucis Gandenesheim venit, aecclesiam dedicaturus, sicut domna abbatissa in principio disposuit; nil paratum repperit, immo aliquos

a) *ita* 1. 2., *et* 1. *eadem manu* venerabilissimae. b) ammonuit 2. c) namque 2. d) huiuscemodi 2. e) gandeshem 2. *constanter*. f) m. suis s. 2. g) *deest* 1.

1000. Sept. 14. collectos, qui illi resisterent, et cum iniuria eicerent, si forte cum suis aecclesiam consecrare violenter appeteret. Hanc enim famam illae disperserant, cum Deo teste nichil huiuscemodi attemptaret vel mente conciperet. Iam enim tota mente ad archiepiscopum confugerant, se atque locum eius tuitioni devoverant. Sophia assidue illi cohaerens et cohabitans, haec interdiu noctuque ambiebat. Missarum vero[a] sollempnia domnus episcopus ipsa die ibidem celebravit, licet maxima congregationis indignatione, easdem tamen, ut oblationes[b] offerrent benedictionemque perciperent, admonuit. Plebs quoque, comperto sui episcopi adventu, quasi ad sollempnitatem convenit, moerens et ultra quam credi posset aegre ferens, episcopum insolentia atque inoboedientia loco detrudi. Quos et omnes adventantes limato sermone consolans, lacrimabili questu publice commemorabat, se ipsa die ad dedicationem aecclesiae invitatum, nil illi honoris exhibitum, immo exclusum; unde consecrationem aecclesiae, quae ad se pertineat, omnibus sine suo consensu canonica auctoritate interdicit. Qua de re congregatio sororum indignata, igne maioris indignationis accenditur[c]. Verum cum ad oblationem ventum est, oblatas indignatione et incredibili furore proiciunt, saeva maledicta episcopo ingerunt. Quo insolito tumultu perculsus, lacrimis perfusus antistes, non suam iniuriam[d], quam parvi ducebat, pensans, sed veri pastoris pro persecutoribus orantis exemplo, ignorantiam seu potius malivolentiam furentium feminarum deplorans, ad altare rediit, missam suo ordine magna animi contritione peragit, deinde populum alloquitur, benedicit et corroborat; deductusque honorifice ab illis, unde venerat repedabat. Ó[e] dignae memoriae virum, omnium ore celebrandum, cunctorum devotione intime amplectendum, apud se quidem incredibiliter humilem, sed apud Deum, cordis inspectorem, eiusque fideles vere sublimem! Quis eum crederet in tanto pontificalis dignitatis honore, generis nobilitate, ministrorum multitudine, contra irrogatas sibi contumelias patientiae potius quam potentiae maluisse clipeo muniri? Sed vir beatus humanae abiectionis probra non curabat, qui totus divino amori mancipatus, illius tantum oculis quem singulariter diligebat placere summopere gestiebat. Haec pro commendando magnae humilitatis exemplo ad imitationem audientium inserere libuit; nunc ad ordinem redeamus.

18. Interea archiepiscopus et Sophia omnem apparatum ad novellae aecclesiae consecrationem necessarium diligenter praeparant, inconsulto Bernwardo episcopo, quem tamen adiungere domna Gerburgis temptat, sed verita archiepiscopum, votis eius ob- Sept. 20. viare pertimescit. Praeterea archiepiscopus in vigilia sancti Mathei ad praefatum monasterium venit cum episcopis, Rethario[f] Paderbrunnensi episcopo, et Berengero[g] Verdensi episcopo, Bernhardo[h] quoque duce, cum aliis plurimis, consecraturus sequenti die aecclesiam. Mittuntur quoque domno Bernwardo episcopo, qui illum ad sollempnitatem aec- Sept. 21. clesiae invitent. Postera vero[i] die adest diluculo vice domini nostri venerabilis episcopus Eggehardus[k] cum maioribus natu nostrae congregationis et aliquibus primariis de nostro monasterio[l]. Qui, fandi licentia data, archiepiscopum cum omni honore ex nomine domni Bernwardi episcopi devoto obsequio salutant[m]; imperiali illum obsequio detentum, adesse non posse; mirari tamen vehementer, in sua parrochia et aecclesia ab antecessoribus suis absque omni contradictione semper possessa, sine suo consensu aecclesiae consecrationem indici; fraterna caritate depraecari, ut ab huiuscemodi invasione desistat, nec se intromittat nisi quantum canones concedunt; si suo iuri singulari privilegio quiddam suffragari aestimet, ipsum non defuturum, quin communi consilio fratrum, ubicumque delegerit, iusticiam plenissime exequatur. Archiepiscopus autem acerbiori indignatione inflammatus, mandat, ut primo mane sequentis diei, quae tunc Sept. 22. dominica illucescebat, ad consecrationem praefatae aecclesiae incunctanter properet; si venire tardaverit, nichilominus[n] aecclesiam dedicaturum. Hanc autem iram et indignationem archiepiscopi adversus venerandum praesulem creavit maxime praecipua familiaritas domni imperatoris, qua illum speciali devotione pietatis caeteris familiarius percoluit. Affectuosissimo namque obsequio devinxit sibi imperatorem, quia cuncta, quae ad gratiam illius competere sciebat, vigilantissimo studio obibat; et ob hoc animositatem

a) quoque 2. b) o. ad missam o. 2. c) i. m. i. a. *desunt* 2. d) n. s. i. *usque* f. deplorans *desunt* 2. e) *reliqua capitis desunt* 2. f) hrethario 2. g) berngero uardensi 2. h) bernwardo 2. i) namque 2. k) *Æ manu secunda* eggeardo 2. l) *deest, spatio relicto* 2. m) salutavit dicens i. 3. 4. 5. n) n. se aec. 2.

invidiamque[a] plurimorum in se commovebat, adprime quoque Mogontini episcopi, qui 1000. indignabatur, aliquem praeter se familiaritatis locum apud imperatorem habere. Dominica itaque irradiante, Sept. 22. adest praedictus episcopus Eggehardus[b] cum venerando fratrum nostrorum senatu[c] vice domini nostri directi, qui, canonica auctoritate et prisca sanctorum patrum consuetudine obiecta, fortiter archiepiscopi coeptis restiterunt; atque sic consecratio praescripti monasterii intercepta est. Ipse vero episcopus inter missarum sollempnia facto ad populum sermone, synodum suam biduo ante sancti Andreae natale cum banni approbatione denunciat; deinde ad altare regressus, in cathedra sedens privilegia quaedam ante incognita mandat recitari, in quibus continebatur, ut nemo de iure illius aecclesiae auferret, quicquid tunc in decimis vel praediis vel ulla re in vestitura contineret. Hoc quoque banno roboravit, sicque discessum est. Episcopi autem[d] qui aderant aegre admodum archiepiscopi animositatem conquesti, fratri et coepiscopo per nos mandant, pertinaciam ipsius et temerarium inceptum se cohercere non posse; id unicum suppetere, apostolicum atque imperatorem ut adeat; illius causam illorum esse communem; nec se defuturos, quin de eisdem utrisque, apostolico videlicet atque imperatori, scriberent.

19. Venerabilis itaque pater domnus Bernwardus ultra modum sollicite ferens quantulumcumque scisma in aecclesia grassari, sciens quoque, infusum venenum nisi apostolico et imperiali antidoto conprimi non posse, quamvis gravi corporis molestia saepius lassaretur, et tantum iter imbecilli eius corpori omnimodis esset contrarium, tamen, ut pacem reformaret, contra vires suas subire non recusavit. Nam iam pridem ardebat miro desiderio, domnum imperatorem, quem unice amabat, videre. Paratis itaque tanto itineri necessariis, per vallem Tarenti[13], quia ea via commodior est visa, ire[e] 13 procuravit, habens secum scripta[f] omnium cisalpinorum episcoporum. Porro anno incarnationis Domini millesimo[g] 4. Nonas Novembris Nov. 2. nimio moerore totius congregationis plebis quoque a monasterio egressus, magna compunctione universorum deducitur; Dei gratia comitatus, ad votum rebus cedentibus, secundo Nonas Ianuarii Romam ingressus 1001. Ian. 4. est. Quod humillimus ac piissimus imperator audiens, miro affectu dilectum magistrum videndi flagrans, ad suam praesentiam tamen eum fatigare nolebat, sed festinus a palatio fere duo miliaria ad Sanctum Petrum illi occurrit, benignissimeque susceptum, inter amplexus familiarissime deosculatum, ad hospitium deduxit, diuque cum illo confabulans, sequenti die ad palatium illum venire rogavit, nec permisit ut quantulumcumque de suo proprio in ministerium suum impenderet, sed per sex septimanas, quibus apud illum morabatur, sufficienter in usum sui suorumque cuncta indigua largiter ministrari praecepit[h]. Mane vero domnum apostolicum convocavit in occursum carissimi hospitis, Ian. 5. venientem quoque foris in atrium obviam procedentes libentissime susceperunt, nec permissus est ad suum domicilium reverti, sed iuxta ubi ipse domnus imperator habitabat[i], splendidissimum illi habitaculum[k] exhibebat. Vicissim quoque nunc imperatoris cubiculo, interdum episcopi considentes, et forenses causas et rei publicae necessaria conferebant. Nam de archiepiscopo et tumultu Gandenesheim oborto ante accessum domni episcopi fama praecurrens cuncta divulgaverat; unde non opus habebat singula evolvere, sed breviter strictimque, imperatore interrogante, pauca contexuit[l].

20. Sed archiepiscopus quod mente perceperat, actu perfecerat. Quidam enim 1000 Nov. 28. maligni illum impulerunt, Sophia nichilominus institerat. Venit itaque biduo ante sancti Andreae festum Gandenesheim ad synodum, ut disposuerat, habens secum venerabilem episcopum Retharium[m], aliosque complures extraneos, videlicet de Thuringis et Hassis, quorum id nichil intererat, nonnullos etiam de sua diocesi infra Saxoniam. Sed in principio actionis venerandus praesul Eggehardus[n] archiepiscopum commonet, ut a synodo desistat, nec in aliena aecclesia talia praesumat, praecipue cum domnus episcopus ad

a) et invidiam 2. b) *Æ. manu secunda* echeardus 2. c) *deest* 1. ceto et senatu 3. d) quoque 2. e) *deest* 2. f) s. fere o. c. fratrum 2. g) a. i. D. m. *desunt* 2. h) *codex 2. addit:* naturales quoque cibos, quibus in patria illum usum noverat, pius conviva exhibebat, medum quoque et cervisam fama praecurrente in adventum amantissimi hospitis praeparabat, vasa etiam, picarios[14] ac nitidas scuttellas, candelas quoque inter prandendum providit. i) habitat 2. k) cubiculum 2. l) contex̄. 2. m) *ita et* 2. n) eggihardus 2. *saepius.*

13) Tridenti. 14) *bichiere,* Becher; saeculi undecimi mores a nostris haud multum diversos cernis.

1000. Nov. 28. quem aecclesia pertineat absit, et cum domno apostolico et imperatore consistat. Ad haec incredibili furore archiepiscopus succensus, vultu torvo ac minaci iubet ut sileat; nil ad se talium pertinere; ut propriam aecclesiam habeat, illam gubernet! Econtra Eggehardus: *Peccatis*, inquit, *agentibus*, *termini episcopatus mei barbarica sunt feritate depopulati*, *civitas deserta*, *aecclesia desolata; sedem non habeo*, *servum me sanctae Mariae et Hildenesheimensis aecclesiae recognosco*, *et in cunctis quoad potero sancto loco prodesse studebo*. Archiepiscopus itaque, productis viris quos adduxerat, requisivit episcopos, si liceat illos homines banno suo ad sacramenta constringere, ad cuius diocesim illud coenobium pertineat. Illi quamquam metum illius veriti, aiunt, legitime fieri non posse, absente episcopo Bernwardo. Eggehardus[a] itaque praesul et fratres nostri, populus quoque, orant instanter, sacramenta suspendi. Qua unanimitate cleri et plebis archiepiscopus commotus, Eggehardo episcopo minatur, nisi sileat quod cum iniuria illum eiciat. Super hoc multi indignati et aliquanti quos archiepiscopus adduxerat, cum propemodum tumultus oriretur, Eggehardus praesul ab episcopis rogatus secessit, cunctosque Gandenesheimenses et omnes ad Hildenesheimensem diocesim pertinentes ad suam synodum invitavit. Ad cuius bannum unanimiter omnes egressi, illum secuti sunt, tantummodo cum archiepiscopo suis propriis, quos adduxerat, relictis. Cum vero de diocesi
14 sacramentis examinati requirerentur, alii Ethrinam[14], Frideslarensem fluvium, terminum Hildenesheimensis parrochiae affirmabant, errorem faciente nomine Edernae fluminis, quod Gandenesheim alluit; alii, certum nil se scire nisi quantum aliorum relatu didicerint, approbant[b]; nullus aliquid vel memoria dignum asseruit. Archiepiscopus tamen, acsi veritate cuncta fixa constarent, banno, ne quis illi sacramento retentum coenobium auferret, munivit; sicque libero errore discessum est. Populus vero, quicquid ab Hildenesheimensi senatu iubebatur, oboedienter obivit.

1001. 21. Interea legatus Romam super his domno episcopo dirigitur, scripta quoque domno apostolico et imperatori lacrimoso admodum stilo ferebat. Unde tam apostolicus quam imperator et omnes Romani graviter commoti: canonum auctoritatem, patrum nichilominus traditionem violatam; contemptum quoque maximum Romanae sedi et apostolico, imperatori etiam, tali praesumptione irrogari; periculosum scandalum in aecclesia hac insolentia[c] posse generari; huiusmodi virus funditus extirpandum[d].

22. Per idem tempus mansit cum imperatore unicum decus imperii domnus Heinricus, tunc dux potentissimus, in proximo quidem Dei pietate rex futurus, in quem Dominus cunctos thesauros divinae et humanae sapientiae contulit. Hic graviter semper ferebat Gandenesheim obortam controversiam, atque ardenter instabat aecclesiam pacificare, et sub Christi signis militantes ad caritatem et gratiam reformare. Huius itaque suasu et cleri plebisque coadunata est synodus viginti episcoporum de Romania; aliquanti etiam affuere de Italia et Tuscia; de nostris quoque Sigefridus[e] Augustensis, Heinricus Wirciburgensis, Hugo etiam iunior Citicensis; praesidente domno Gerberto aposto-
15 lico cum imperatore in palare[f, 15] in aecclesia sancti Sebastiani martiris, praesente nichilominus singularis meriti viro domno Heinrico[g] duce pacatissimo et abbatibus, astantibus quoque presbiteris et diaconibus omnique Romana dignitate. In fronte itaque actionis post euangelia lecta et quaedam patrum capitula, benedictione data cum consedissent, facto silentio venerabilis episcopus Bernwardus de loco sessionis suae modicum progressus, humiliter apostolico et imperatori et domno Heinrico duci omnique synodo causam suae aecclesiae elimato sermone exponit. Cunctis itaque eius questu compunctis, sapientissimus papa interrogavit concilium, si synodus habenda vel vocanda esset, quam archiepiscopus cum suis quos adduxerat collegisset, in aecclesia ab Hildenesheimensibus episcopis[h] semper possessa, praecipue cum episcopus defuerit et ad Romanam sedem pro eisdem causis confugerit; vel quo nomine tale conventiculum vocitandum sit. Sanctum concilium secessum petit, ut secretius inter se de his conquirant. Quod[i] piissimus papa[k] annuit. Egressique sunt soli Romani episcopi, et postmodum introgressi cum iterum consedissent, sapientissimus papa dixit: *Quid sancitis*, *fratres*, *de synodo?* Sanctum

a) Ekkihardus 2. b) approbabant 2. c) i. scientes p. 3—5. d) e. decreverunt 3—5. e) sifridus 1. Sigifridus 2. f) in p. *desunt* 2. g) H. 2. h) *deest* 1. i) *deest* 2. k) p. libens a. 3—5.

14) Eder. 15) Aspastico forte et salutatorio vel locutorio. BROWER. Vulgo Parlatorium vocant. LEIBNIZ.

concilium respondit: *In aliena aecclesia et ab aliis possessa nil iuris habuit; neque canonice ibi synodum habere aut aliquid constituere sine consensu proprii episcopi potuit, nec omnimodis synodus canonice dici poterit.* Sapientissimus papa dixit: *Ergo quo nomine rite vocari potest?* Sanctum concilium respondit: *Scisma concilians discordias.* Sapientissimus papa dixit: *Abicienda sunt quae ibi gesta sunt?* Sanctum concilium respondit: *Canonica auctoritate et sanctorum patrum exterminanda sunt, quae ibi adinventa vel statuta sunt.* Sapientissimus papa dixit: *Apostolica potestate et sanctorum patrum auctoritate dissipamus, effringimus et adnullamus, quae absente fratre et coepiscopo Bernwardo, Gandenesheim in sua diocesi ab archiepiscopo Willegiso et suis complicibus adinventa et sacramentis statuta sunt.* Et superadiecit: *Frater et coepiscopus*[b] *Bernwardus petit sibi restitui sublatam vestituram ab archiepiscopo; quid sanccitis, fratres?* Sanctum concilium respondit: *Vestituram, quam archiepiscopus non potuit auferre, non est necesse illi reddere; sed quia hoc ipse petendo instat, si domno imperatori placeat, apostolatus vestri ferula vestitura illi redintegretur et roboretur.* Sapientissimus papa dixit: *Fiat iuxta placitum vestri.* Et tradidit illi apostolicam ferulam, dicens: *Gandenesheimense coenobium cum adiacentibus villis et terminis tuo iuri redintegro et corroboro, et apostolica sanctorum Petri et Pauli auctoritate interdico, ne aliquis tibi, nisi quantum canones permittunt, obsistat.* His finitis, domnus apostolicus, quid faciendum esset, concilium requisivit. Responsum est, si utrisque principibus id conveniat, scriptis archiepiscopum incusandum, quod tam audax inceptum, canonibus patrumque regulis contrarium, vir summae gravitatis attemptaret; simulque ut in posterum a tali controversia desistat, nec aliquid se intromittat, nisi canonice emancipet; synodum quoque episcopis per Saxoniam indici, vicarium nichilominus ex parte domni apostolici destinari, qui synodo praesideat. Complacitum est; locus Palithi habendae synodi disponitur, dies 11. Kalendas Iulii denunciatur, Frithericus cardinalis presbiter sanctae Romanae aecclesiae, post quidem Ravennae archiepiscopus, Saxo genere, iuvenis aetate sed senior morum probitate, vicarius domni apostolici eligitur atque dirigitur, apostolicis paramentis atque insigniis non minus infulatus, quam si ipse papa[c] procedat[d]. 1001.

23. Illis quippe diebus domnus imperator Tyberinam civitatem[16] arta obsidione vallavit. Machinis autem et plerisque instrumentis ad expugnationem praesidii paratis, fossis etiam mirae magnitudinis, ut aquam a meatu deducerent, cum magnam vim civibus ingererent, nec ad deditionem cogere possent, imperator invitatur. Nec mora, adest cum apostolico et venerabili episcopo Bernwardo. Cumque, ut in talibus fit, alii augere obsidionem suaderent, alii diuturno ac grandi labore parum se profecisse dicerent, bonum videri, tantum ut cum honore fiat, obsidionem solvi, imperator Bernwardum praesulem seorsum abducens, quid agat consulit; aegre admodum ferre se, cum iniuria coepta desistere. Ad quem ille: *Non patior,* ait, *super his vos, anima mi, quem vita cariorem habeo, commoveri. Sed nunc praecipite, artiori obsidione urbem vallari; nam etsi reditum ad patriam cupio, non ante a maiestate vestra diverto, quam urbem populumque vestro iuri subacta, Dei pietate, videbo.* Ad haec imperator laetus dilecto gratatur magistro, locum artiori obsidione munit, milites ad expugnationem instruit, intrandi vel exeundi licentiam omnibus imperiali auctoritate interdicit. Aliquot diebus exactis, domnus Bernwardus et apostolicus praefatam urbem adeunt. Cives laeti adventantes servos Dei honorifice excipiunt, urbi intromittunt; nec prius desistunt[17], quam omnes pacatos imperatoris ditioni Dei gratia adiuti subdunt. Postera namque die, nobili triumpho subsequente, episcopi imperatorem adeunt. Nam cuncti primarii cives praescriptae civitatis assunt nudi, femoralibus tantum tecti, dextra gladios, laeva scopas ad palatium praetendentes; imperiali iuri se suaque subactos; nil pacisci, nec ipsam quidem vitam; quos dignos iudicaverit, ense feriat, vel pro misericordia ad palam scopis examinari iubeat. Si muros urbis solo complanari votis eius suppetat, promptos libenti animo cuncta exequi, nec iussis eius maiestatis dum vivant contradicturos. Imperator pacis conciliatores, papam et domnum Bernwardum episcopum, magnifice gratando extollit, atque ad illorum nutum reis veniam tribuit; placitoque habito, urbem non destrui in commune

b) episcopus 1. c) i. procedat apostolicus 2. d) *sequentia usque* Conuenerunt *capitis* 28, *nulla lacuna indicata, desunt* 2.
16) Tivoli. 17) papa et Bernwardus.

1001. deliberant. Urbani gratia imperatoris donantur, et ut se pacifice agant, nec ab imperatore deficiant, commonentur.

24. Romani denique indigne ferentes, Tyberinos cum imperatore pacatos, urbis quoque suae portas seris muniunt, vias obstruunt; libere intrandi vel exeundi Romam facultas negatur, vendendi et emendi mercimonium interdicitur; nonnulli quoque regis amicorum iniuste perimuntur. Palatini autem a domno Bernwardo episcopo salutaribus monitis instructi, confessione nichilominus purgati, sacro quoque viatico inter missarum sollempnia muniti, econtra egredi et hostes fortiter impetere parant. Bernwardus epi-
17 scopus dominicam hastam[17] subiit; se quoque atque omnes vivificae crucis munimine signat, benedictione publice data, ac vitalibus monitis consolans et corroborans, signifer ipse cum sancta hasta in prima fronte aciei egredi parat. Sequenti autem mane imperator cum suis post missarum sollempnia a venerabili Bernwardo episcopo sacramentis caelestibus ac divinis exhortationibus consolati, adversus hostes certamen instruunt, ipso
18 antistite cum sancta hasta in principio terribiliter fulminante[18], cordis vero instantia pacem ab auctore pacis suppliciter flagitante. Unde contigit, devoti militis sui precibus exoratam pacifici regis Christi mox adesse praesentiam, cuius et in nativitatis ortu primum pacis gaudia nunciantur, et postmodum eiusdem pacis amatores euangelica veritate filiorum Dei appellatione censentur. Ipsius itaque pietate totius discordiae rebellione sopita, hostes pacem exposcunt, arma proiciunt, in crastinum se ad palatium venturos promittunt. Mane Dei clementia assunt, pacem petunt, sacramenta innovant, fidem se imperatori perpetuo servaturos promittunt.

25. Interim piissimus ac mitissimus imperator cum paucis turrim quandam ascendens, ad illos concionabatur dicens: *Auscultate verba patris vestri et attendite, et ea mente diligenter reponite. Vosne estis mei Romani? Propter vos quidem meam patriam propinquos quoque reliqui. Amore vestro meos Saxones et cunctos Theotiscos, sanguinem meum, proieci; vos in remotas partes nostri imperii adduxi, quo patres vestri, cum Orbem ditione premerent, numquam pedem posuerunt; scilicet ut nomen vestrum et gloriam ad fines*
19 *usque*[19] *dilatarem; vos filios adoptavi, vos cunctis praetuli. Causa vestra, dum vos omnibus proposui, universorum in me invidiam et odium commovi. Et nunc pro omnibus his patrem vestrum abiecistis, familiares meos crudeli morte interemistis, me exclusistis, cum tamen excludere non potestis; quia quos paterno animo complector, numquam ab affectu meo exulari patior. Scio equidem et nutu oculorum seditionis principes assigno; nec verentur, dum publice omnium oculis notantur; nichilominus etiam fidissimos meos, de quorum innocentia triumpho, sceleratorum admixtione commaculari, nec posse distingui, monstro simile arbitror.* Hac ratione imperatoris ad fletus usque compuncti, satisfactionem promittunt, duos corripiunt, Benilonem et alium quendam, quos crudeliter caesos, nudos pedibus per gradus tractos, semivivos in praefata turri ante imperatorem proiciunt.

26. Hac autem seditione sedata, venerabilis pater Bernwardus ad Sanctum Paulum orationis causa accessit; apertoque sarcofago sancti Thimothei, de quo in vita sancti Silvestri legitur, astante custode quem ipse imperator ibidem posuerat, de integro brachium sancti martiris abstulit. Presbiter quoque eius[20] non minimam partem de eisdem reliquiis ad castra asportavit.

Febr. 16. 27. Egressi itaque papa et imperator dominica Exurge quare, inmensis lacrimis civium, non longe ab Urbe castra ponunt. Domnus quoque Bernwardus episcopus, iam pridem antequam Urbi excederent accepta licentia ad patriam redeundi, praemissis omnibus suis, simplici tantum veste imperatorem ad duas mansiones comitatus, quinta
Febr. 20. feria eiusdem septimanae ab eo dimissus est: dici non potest, quanto moerore, quantis utrorumque lacrimis fusis, ut in publicum procedere vererentur. Piissimus imperator, quae stilo vel legatorio intimare dubitaverat, fido magistro in archanum mentis secretarium sapienti trutina libranda commendat. Reliquias nichilominus, integrum videlicet corpus sancti Exuperantii martiris, diaconi sancti Sabini episcopi, Goslariae per illum

17) v. T. III. p. 322. Liudpr. Antap. IV. 24. 18) cf. Richeri I. 9. 19) scil. Orbis. 20) Thangmarus ipse; cf. c. 34.

direxit, ibidem sua industria in celebri loco[21] reponendas. Episcopus quoque mellito 1001. Febr. 20. affamine ut magisteriali moderamine, ut quondam puero alludebat, agenda quaeque commemorabat, fugienda suadebat vicia, mores omnium aequitatis lance pensare, patientiam familiarissimam in cunctis vernaculam sibi conciliare, ante omnia, ne quid nimium pertinaciter intentet. His gestis, unanimem magistrum in hospitium ducens, exquisitis donis remunerat; deinde apostolico convocato, benedictione data carissimum magistrum inter oscula flentes Dei gratia pace dimittunt. Socios quoque viae ex suis imperator cum illo dirigit, qui eum deducant, ad se quoque remeantes illius salutem, itineris quoque prosperitatem exponant. Rebus itaque Dei clementia ad votum cedentibus, Papiam pervenit, ubi eius adventum praesules ac comites totius Liguriae expectabant. Quibus legationem imperatoris dedit, atque in placito considens, plura cum illis de rei publicae utilitatibus contulit. Illius namque consilio cuncti parebant, quia, quantum ab imperatore diligeretur, sciebant. Leo quippe Vercellensis episcopus, vir litteris eruditus, fandi quoque copia exercitatus, ad suam civitatem maximo honore et affectu illum invitavit; vix quoque obtinuit; praeveniensque collecto maximo[*] cleri populique coetu, in laudem Dei cunctis psallentibus, campanis quoque personantibus, non minori ambitu quam si papa adveniret excepto, omniaque in ministerio eius opulentissimo luxu quantum imperatum est impendit, donis quoque eximiis honoravit. Socios quoque cum illo misit, qui sequenti die hospitium plenis copiis providebant. Inde per diversa loca et civitates veniens, plurimorum benignitate in multis locis usus, clusas excedens, Alpibus[22] Dei 22 pietate superatis, Octodorum[23] praetergressus, Agaunum[24] adiit, ibique a Rodulfo, rege Burgundiae, liberalissime excipitur. Qui tradidit episcopo in proprietatem infra Papiam cum manuscripto tres curtiles, et sua subscriptione anulique impressione roboravit. Inde Dei gratia munitus divertens, prospero Dei pietate itinere Hildenesheim cum maximo cleri plebisque tripudio in sancta festivitate heroycae coenae intravit. Reliquias quoque April. 10. sanctorum, quas advexit, magno honore in aecclesia condidit; immensam quoque pecuniam in altaris servitium atque in usus pauperum expendit. Totum autem aestivum tempus in exstructione murorum civitatis, quam Hildenesheim inchoaverat, instituit, interdum etiam gravi stomachi molestia laboravit.

28. Interea affuit, ab apostolico et imperatore vice papae directus, cardinalis presbiter Frithericus, omnibus insigniis apostolicis acsi papa procedat infulatus, equis apostolica sella Romano more ostro instratus. Scripta quoque a papa et imperatore episcopis et caeteris principibus mittuntur, ut Romanum legatum digno honore suscipiant, eiusque legationi indubitanter omnes, quasi apostolicus praesens cernatur, oboediant[a]. Convenerunt itaque Palithi ad synodum decimo[b] Kalendas Iulii, iuxta decretum apostolici praescriptum[c]. Iun. 22. Legatum ergo vario affectu excipiunt; archiepiscopus vero et qui ei favebant mira indignatione et execratione illum spernebant. Episcopus vero Bernwardus, et Lievezo[d] Hammenburgensis archipraesul aliique conplures, reverenter eum tractabant praecipuoque honore colebant. Sed postquam ad concilium ventum est, vix dici poterit, quanta seditione et tumultu agitaretur. Nam nec locus sessionis vicario apostolici idoneus conceditur, horribilis strepitus ingeminatur, ius fasque[e] contempnitur, canonica disciplina annullatur. Vicarius inter episcopos Lievizonem[f] et Bernwardum sedens, apostolici scripta et legationem ad episcopos se habere; facultatem exequendi quae ferat, sibi exhiberi orabat. Impetrato denique[g] silentio, primo dulci affamine episcopos de pace et caritate et concordia commonet, deinde epistolam papae archiepiscopo specialiter directam profert, publiceque in auribus omnium recitari precatur. Quam cum archiepiscopus tangere vel videre dedignaretur[h], episcoporum iudicio palam est recitata; in qua ipse episcopus aperte corripitur[i], et de fraterna concordia et oboedientia ammonetur. Vicarius autem quamvis[k] archiepiscopum irritare magno studio parceret, tamen miti affatu, quaecumque illi obiciantur, oboedienter fratrum consultu satisfacere, apo-

*) collectio maxima 1. a) *hic pergit* 2. b) X. die Kl. Iulii 2. c) Prescriptum quippe legatum vario affectu excipiunt archiepiscopus . et qui eum favebant 2. d) lieuizo hammab. 2. e) et fas 2. f) liauizonem 2. *saepius*. g) itaque 2. h) indignum duceret 2. i) carpitur 2. k) quamquam 2.

21) Goslaria igitur eo iam tempore, metallifodinis Ottone I. regnante detectis, celebris erat et diocesi Hildesheimensi adscripta. 22) monte Iovis. 23) Martinach. 24) S. Moritz.

1001. Iun. 22. stolica auctoritate commonet. Super his, etsi indignatus, consilium a fratribus et praecipue ab archiepiscopo Lievizone quaerit. Ad haec ille, bonum sibi videri, quia laesus frater dominorum nostrorum, apostolici et imperatoris, suffragia petiit, coram vicario illorum, episcoporum iudicio satisfaciat. Ianuae interim aecclesiae panduntur, laici intromittuntur, fit strepitus tumultusque validus, Mogontinis exultantibus[a] arma exposcunt[b], immensas minas ingerunt[c] adversus apostolici vicarium et Bernwardum episcopum. Legatus autem et episcopus Bernwardus, nec tumultu moti, nec minis territi, licet numerosiores haberent militum copias, non arma fremunt, sed seditionem compescunt. Episcopi negotium in posterum diem protelandum[d] suggerunt, in fidem suam suscipiunt, archiepiscopum adventurum iusticiamque oboedienter executurum.

29. Interea archiepiscopus furore nimio succensus egreditur, quem infra coronam fratrum vicarius insequitur, et banno apostolicae auctoritatis ad synodum in eandem aecclesiam sequenti diluculo invitat; sicque illa actio soluta[e] est. Matutino itaque cre-
Iun. 23. pusculo clam archiepiscopus, omnibus ignorantibus, cum suis abscessit. Vicarius autem[f] secundam actionem synodi sequenti die adorsus, in principio actionis archiepiscopum inquirit; quem, quia non aderat, ab omni episcopali ministerio usque ad praesentiam papae suspendit. Cunctis vero episcopis synodum in natali Domini ad praesentiam papae apostolica auctoritate indicit; archiepiscopo nichilominus scripta in hunc modum dirigit: *Quia synodo te subtraxisti et iussis Romani pontificis inoboediens fuisti, auctoritate sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et illorum vicarii papae Silvestri*[g], *ab omni sacerdotali officio scias te usque ad praesentiam illius suspensum.* Sic[h] secunda actio terminata est.

30. Vicarius autem[i] cum domno episcopo Bernwardo aliquantum moratus, praecipuis muneribus ipse et omnes sui remunerati, in pace dimissus est; perveniensque[k] ad apostolicum et imperatorem, legationis ordinem aperuit. Super quo graviter indignati[l], iubent universos Theotiscos[m] episcopos circa natale Domini ad illorum praesentiam
25 festinare, non solum ad synodum, sed cum omni suo vassatico[25] ita[n] instructos, ut ad bellum, quocumque imperator praecipiat, possent procedere. Praefatus quoque Frithericus non multo post episcopalem cathedram Ravennae obtinuit.

31. Praeterea episcopus Bernwardus sperans, Dei gratia et utrorumque principum clementia, summa pace se conversaturum, abbatiam[o] Hildewardensis[26] aecclesiae, sibi ab imperatore traditam, et sollempni ab ipso dedicatione devotissime consecratam, et divino servitio excultam, pluribusque beneficiis ac donis ab eo ditatam, ubi etiam sua matertera[p] matris regimen agebat, in praecipua festivitate illarum[q] adire disponebat, praemisso omni apparatu ad tantam sollempnitatem confluentibus necessario. Cum iam omnia parata essent, et ipse in proximo futurus esset, supervenientes nocturno tempore homines archiepiscopi, cuncta invadentes dissipaverunt, aliquantos vero domesticos episcopi crudeliter caesos dimiserunt.

32. Hac iniuria exacta, venerabilis praesul Gandenesheimense coenobium adire et quaeque emendanda essent corrigere disponebat, ne qua sua culpa esset neglectum. Cui obstitit immensa multitudo, non minus armis instructa, quam si ad publicum bellum cogerentur. Hos concivit[r] Sophya, cunctos videlicet quos vel de vassatico archiepiscopi vel de familia illius convocare poterat, omnes suos notos et familiares, et de propria familia manum validam; turres et munitiora loca circa aecclesiam armato complent milite, et contra unum hominem, suum videlicet episcopum, inermem, et benedictionem illis portantem, ita castellum muniunt, quasi barbarico procinctu se defendere parent[s]; ut veraciter illud apostoli impletum in illo videatur: *Omnes qui pie volunt vivere in*
2. Tim. 3, 12. *Christo, persecutionem patientur.* His praesul auditis, suos quid agat consulit. Cuncti

a) excitantibus 2. b) poscunt 2. c) ingerunt . cum tamen apud uicarium et dominum . B . esset numerosus exercitus. Sed nec tumultu moti 2. d) protelare 2. e) relicta *corr.* soluta 2. f) vero 2. g) *in marg.* qui Gerbertus 2. h) sic et s. 2. i) namque 2. k) Perveniens autem ad 2. l) commoti 2. m) theutiscos 2. n) *deest* 2. o) a. hildiuuardensis aecclesiae ab antecessoribus suis divino servicio excultam atque exercitatam . sibi quoque ab imperatore traditam . ubi 2. p) *in marg.* Hemma sanctissima per quam dominus multa facit miracula 2. q) illorum 2. r) consciuit 1. conciuerat 2. s) parant 1. parent. Mittunt tamen aliquos qui accessum non sine magno periculo temptandum referant; consulcius fore loco cedendum. Sin secus agere deliberet . nimirum maximum dampnum conciliet. His praesul auditis 2

25) vassallorum coetu. 26) Hilwardshausen ad Wiseram, infra Mundam.

periculo cedendum statuunt; diriguntur quoque qui veritatem diligenter investigent; 1001. qui omnia quae sparserant[a] vera, et his maiora renunciant.

33. His hoc modo gestis, episcopi huiusmodi controversiam in aecclesia grassari cernentes[b], superque tanti viri tam inauditis et intolerabilibus iniuriis nimium dolentes, conventum Francanavord[c] post assumptionem sanctae Mariae expetunt. Invitantur etiam Aug. 15. archiepiscopi Coloniensis et Treverensis. Ventum est ad diem concilii, praesidentibus archiepiscopis, Willegiso Mogontiensi, Heriberto Coloniensi, Liudolfo Treverensi, cum caeteris servis Dei, Rethario Patherbrunnensi, Rodberto Spirensi, Beringero[d] Vardensi, Eggehardo Sleswicensi[e]. Sed quia Eggehardus[f] ipse Hildenesheim hospitabatur, barbarico tumultu sua civitate et aecclesia depopulata, domnus Bernwardus[g] molestia corporis impeditus, ad conventum vice sua illum direxit, addens ei socium[h] Thangmarum[i], presbiterum et monasterii decanum, qui subcenturiatus adesset, si quid forte adversi ex parte archiepiscopi emersisset. In principio itaque primae[k] actionis archiepiscopus mitiori relatu fratribus absentiam domni Bernwardi conqueritur, iusticiam fraterno iudicio, si adesset, se illi facturum asserit. Econtra non temeritate vel inoboedientia deesse refellitur, sed gravi corporis molestia impeditum; quaecumque sacer conventus, divino flatu[l] illustratus deliberet, statuat, vel imperet, oboedienter se obsecuturum ac servaturum[m]. Sic quoque mutua benedictione data, ipsa die actio finita est. Sequenti die archiepiscopus, quibus impellentibus incertum, mordacior[n] ad sessionem progreditur. Aliqui namque et quidam de episcopis[o], favore illius adducti, episcopum Bernwardum publice in synodo requirendum suadent[p]; Thangmarus autem presbiter domnos episcopos commonet, ut archiepiscopum a pertinaci animositate compescant. Denique Dei pietate mitior archipraesul efficitur; instantibus tamen cunctis, ut vestituram Gandenesheimensis coenobii Bernwardus praesul possideret, nullo modo episcopus consensit, sed ut[q] neuter illorum, usque octavas pentecostes Fridislare[r] ad palatium conveniant, se[s] intromittat. Sicque concilium Dei gratia solutum est.

34. Episcopus perinde domnus Bernwardus gemina gratia Italiam ardebat adire, praecepto videlicet apostolici[t] satisfacere, et carissimum domnum regem[u] videre, quem vita preciosiorem colebat[v]. Direxit autem Thangmarum[w] presbiterum vice sua, qui et priori anno comes peregrinationis eius apud imperatorem fuerat, qui a primaeva iuventute usque ad caniciem scolari studio intentus, nutriendis pueris operam dabat. Hic ad praesentiam papae et imperatoris cum epistolis ac mandaticiis missus, plurimorum benivolentia per viam gratia domini sui usus, imperatorem in Spolitanis partibus repperit, a quo merito domni episcopi benignissime susceptus, apostolici adventum praestolabatur. Quibus convenientibus, legationem et scripta tradidit, imperatore clementer apud apostolicum episcopi causam prosequente. Deinde iubetur synodum expectare, quae apud Tudertinam civitatem[27] in natale Domini futura erat, bonis omnibus ex parte utriusque principis opulentissime sustentatus[x].

a) q. fama sparserat 2. b) c. s. t. v. t. i. et i. i. n. d. *desunt* 2. c) francanafordi 2. d) berngero 2. e) sliesuuicensi 2. f) *deest* 2. g) episcopus 2. h) notarium 3. i) T. 2. k) pronae 1. l) statu 1. flatu 2. m) seruaturum. Acerbiora namque utrobique asperius gesta a fratribus ante processionem consedentibus sunt publice explanata, quae in sinodo reticere imperant, ne forte litem generent. Sic 2. n) i. q. i. paulo m. 2. o) e. metu ac f. 2. p) suadent. Directos quoque ab eo, et praecipue presbyterum, commonent, sacramento ut episcopum excuset. Ille de se nil praesumens, cum tamen sepissime sinodicis interfuerit conciliis, cum caeteris qui illum favebant archiepiscoporum caeterorumque clericos, qui in divinis peritissimi aderant, negocium perpendere orat; sacramentum, quod sibi intendant, nunquam nisi canonum auctoritate subeat; postremo conventum nulla auctoritate subnixum, quem super apostolicam sinodum conciverint; humiliter se supplicare et obsecrare, ut dominos[*] episcopos commoneant, ut archiepiscopum a pertinacia et animositate compescant. Cum post hoc dei pietate mitior archipraesul efficitur 2. q) *deest* 1. r) fridislari 2. s) *deest* 1. t) aplico 2. u) *deest* 2. v) colebat. Sed frequenti febre laborans tantum iter subire timebat. Direxit 2. w) Thongmarum 2. *saepius.* x) sustentatus. Romani vero imperialibus iussis obnitentes, crebra incursione fatigantur. Copiae imperatoris Paternum munitum valde castellum insidentes, incessanter irruptione et depraedatione et multorum sepe internecione graviter illos vexabant. Frater quippe Bernwardi episcopi Tammo comes, imperatori gratus, cum aliquibus vassis, quos praefatus episcopus in arma imperialia destinaverat, praesidium servabant, et ad illorum nutum bellicus apparatus agebatur. Apostolicus perinde Tudertine singularem Christi nativitatem celebravit. 2. *cf. cap.* 35.

27) Todi. *) diminos 2.

1001. 35. Eodem tempore quibusdam iussis imperialibus obnitentibus, frater Bernwardi Tammo comes imperatori gratus, vir certe omni morum probitate praeclarus, ad regis 28 imperium[a] Paternum[28], munitum valde castellum, insedit; cuius sollertia atque industria in illis locis bene tuebatur res publica.

36. Anno singularis nativitatis domini nostri Iesu Christi millesimo secundo, indictione 15. apostolicus cum imperatore Tudertinae natale Domini celebravit; ubi in Dec. 27. festivitate sancti Iohannis euangelistae concilium coadunatur episcoporum per Romaniam et aliquorum de Tuscia et[b] Italia. De nostris quoque consederunt Notgerus Leodicensis, Sifridus Augustensis, Hugo Citicensis. Inter missarum itaque[c] sollempnia considentibus ad triginta patribus, praesidentibus quoque domnis principibus Urbis[d] papa atque imperatore, post[e] euangelium recitatis ex decretis sanctorum patrum aliquibus capitulis, ad praesentiam synodi per oblationarium legatus venerabilis[f] Bernwardi episcopi statutus[g] est. Ad quem[h] apostolicus dixit: *Dic, qua causa ad nostram praesentiam veneris*[i], *vel quid ad synodum habeas.* Mox legatus presbiter Thangmarus toto corpore ad terram prostratus, erectusque faventium manibus, pedibus utriusque principis provolvitur; consurgensque ita[k] incipit: *Dominus meus apostolatus vestri auctoritatem, imperialem quoque maiestatem magnifice gratatus est*[l] *pro cunctis in quibus clementer pro sua aecclesia laborastis. Quid autem*[m] *legatus vester profecerit, aut quid ei in sua legatione occurrerit, ipse, quia praesens est, melius exponet. Post discessum autem illius episcopi, dolentes litem et controversiam diutius bachari, conventum Francanavordi statuunt. Ad quem cum meus senior venire non posset, corporis gravi infirmitate impeditus, vice illius me direxit. Tandem in commune reverendi patres decreverunt, ut neque archiepiscopus nec meus senior in Gandenesheimense coenobium se intromittat, usque post octavas pentecostes, et tunc Frideslare ad synodum pro hac ipsa causa conveniant. Et quia haec ad apostolatus vestri sedem delata, vestris scriptis multociens est*[n] *annullata, vestrum expetit iudicium, ut vestra auctoritas iubeat, in quo foro vel sub quibus iudicibus causam terminare debeat. Ad praesentiam nichilominus huius sanctissimi conventus, gratia sancti Spiritus hic per vos aggregati*[o], *parvitatem meam destinavit, ut omnis senatus apostolicae aecclesiae publice cognoscat, illum devotissimo affectu domno apostolico et Romanae sedi oboedire et consentire, et vestro iudicio adinventa vel decreta poscere*[p] *et pro posse perpetuo servare.* Ad haec domnus apostolicus oboedientiam domni episcopi et devotionem ac studium magnifice collaudat. Prosequitur quoque venerabilis Ravennatis aecclesiae metropolitanus Fridericus[q], et quae Palithi illi atque in tota legatione sua occurrerint contexuit, archiepiscopi inoboedientiam, iniuriam, contemptum etiam Romanae sedis. Econtra domni Bernwardi benignitatem, caritatem[r] exponit, et quod ab illo praecipuo honore sit habitus et affluentia omnium bonorum opulentissime refertus. Ad haec animositas archiepiscopi palam ab omnibus Romanis episcopis improbata[s], temeritas praesumptionis illius carpitur. In commune tamen cuncti deliberant, Coloniensem archipraesulem caeterosque episcopos, qui proxime venturi erant, expectandos; mittuntur etiam nuncii, qui in epiphania Domini ad praesentiam utriusque principis illos venire iubeant. Sed cum minime venirent, expectantur ad 1002. tres inducias[t]. Cum autem nullomodo fieri posset ut convenirent, presbiter[u] Thang- Ian.13. marus, ut absolveretur, omni nisu institit[v]. Tercia itaque Ydus Ianuarii, imperator

a) i. de Sommerschenburg paternum *in loco raso 3; correctio insipientis librarii, qui Paternum in Italia ignorans, hic de castello Tammonis paterno, quod Sommerschenburg fuisse credidit, sermonem esse putabat!* b) uel 2. c) namque 2. d) orbis 2. e) ante 2. f) uenerandi 2. g) statuitur 2. h) q. domnus a. 2. i) uenires 2. k) Consurgens itaque 2. l) gratatur 2. m) a. uel l. 2. n) sunt 2. o) congregati 2. p) p. scire et p. 2. q) Frith. 2. r) caritatemque 2. s) improbatur 2. t) i. Nam per omnes regiones comitatus et marcas dispersi sedebant, sicuti necessaria invenire poterant. Cum 2. u) *deest* 2. v) institit. Immensa namque penuria omnium sumptuum miserabiliter laborabant; et iam in proximo imminebat miserabilis dies, obitus videlicet mitissimi imperatoris nostri, cum tamen validissime se haberet, nec signum aliquod infirmitatis ullus in eo sentiret. Tercia Idus Ianuarii, dimisit a se legatum cari magistri sui Bernwardi episcopi, sepe dictum presbyterum T. largissime remuneratum. Episcopo quippe munera praecipua direxit; inter alia onichinum vas maximi precii, species quoque medicinales diversas, pigmenta etiam. Confessus namque presbytero est, cum hoc ab illo interrogaret, leviter se febricitari. Sed ingravescente cotidie morbo, astantibus episcopis, communitus etiam sacramento corporis et sanguinis Domini, inter verba purae confessionis 10. Kal. Februarii mitissimus

28) Paterno.

dimisit a se legatum cari magistri sui Bernwardi episcopi, saepe dictum presbiterum [1002.] largissime remuneratum. Episcopo quippe munera praecipua direxit; inter alia onichinum vas magni pręcii, species quoque medicinales diversas, pigmenta etiam diversa.

37. Iam vero in proximo imminebat miserabilis dies, obitus videlicet mitissimi imperatoris. Confessus est namque presbitero, cum ab illo interrogaretur, leviter se febricitari. Ingravescente ergo cottidie morbo, astantibus episcopis communitus sacramento corporis et sanguinis Domini, inter verba purae confessionis 10. Kalendas [Ian 23.] Februarii[29] mitissimus ac humillimus imperator cum ingenti dolore omnium bonorum spiritum efflavit. Quis valet stilo exprimere vel fando disserere inremediabilem dolorem undique ad exequias confluentium? Funerea itaque Theutonum legio, praeparatis cunctis ad iter indiguis, corpus piissimi domini Aquis portabant; susceptumque est sancta die palmarum festivo obsequio totius regni, cunctisque principibus praecipuo affectu ad [Mart. 29.] exequias famulantibus, sepultusque est in medio choro.

38. Interea vota principum in diversa rapiuntur, plerisque regni fastigium sine respectu timoris Dei usurpare nitentibus. Unde princeps quidam Bruno nomine, sciens venerabilem Bernwardum episcopum domno Heinrico duci reverentissimo esse fidissimum, timens ne coeptis eius adversaretur si quid inciperet, quoscumque in exicium illius vel in dampnum Hildenesheimensis aecclesiae armare poterat, pro viribus institit, hinc praedis et rapinis passim bachatus in loca et homines episcopi. Sed ille more suo nusquam a fide desciverat, quamvis multis saepe lascessitus iniuriis. More autem sapientissimi architecti prudentissimus praesul fundamina novi regni pręcum iniciis inchoavit. Omnes namque fratrum ac sororum catervas, quae divinis sceptris sub eius vexillis militabant, intenta supplicatione in tanta rerum necessitate advigilare monebat. Ipse quoque, quod tamen cunctos cęlabat, arta abstinentia Domini clementiam exorabat. Unde fit mirabilis Dei pietate in electum adunatio, ut popularium vota primorum praevenirent studia. Nam sicubi publici conventus cogebantur, vox una vulgarium, domnum Heinricum debere imperare; ipsum, non alium quemlibet, rebus debere praeesse. Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus, Willegisus archiepiscopus et Bernwardus praesul cum caeteris regni principibus domnum Heinricum Mogontiam cum summo honore ducentes, dominica octava pentecostes regimen et regiam potestatem cum dominica hasta[a] illi [Mai. 31.] tradiderunt; ac deinde rite omnibus peractis, cum maximo tripudio universorum sollempniter illum Dei gratia unxerunt.

39. Novus autem rex Paderbrunnun sancti Laurentii natale celebravit, ibique [Aug. 10.] domna Cuniganda regalem coronam et benedictionem a venerabili Willegiso archiepiscopo accepit. Sophia vero ad[b] Gandenesheimense regimen electa, more suo, velut in sacro velamine proprium repudiata est episcopum, ita nunc quoque dedignata a suo pastore et patre regiminis[c] et consecrationem percipere, tumore et fastu vanitatis a palligero benedici obtentu regis et reginae ac principum expetit. Domnus autem[d] Bernwardus, non valens resistere, annuit.

40. Anno[e] incarnationis Domini millesimo tercio rex orationis causa episcopia et [1003.] abbatias, sancta videlicet loca, circumiens, ubi servi Dei vel ancillae religiosius in divino servitio excubabant, ut se regnumque[f] divinitus illi collatum illorum pręcibus tueretur, Hildenesheim adire magnifice desiderabat. Sed quia nullus regum ante illum religione loci id aggredi temptabat, Bernwardum episcopum convenit; qua ratione sanctum locum visitare audeat, consulit. Licentia quoque ab illo accepta, ante palmarum[30] sanctam diem [Mart.] praefatam aecclesiam adiit, susceptusque est sollempni honore. Ipse quoque in altaris ac fratrum ministerium praecipuam pęcuniam largitus, locum ditare et honorare promisit, atque ex magna parte benignissime perfecit.

41. Tercio[g] autem post haec anno occidentalibus Gallis rem publicam infestantibus, [1006.]

ac humillimus imperator cum ingenti dolore omnium in vespertino crepusculo spiritum efflavit. Post cuius discessum, domno Heinrico regalibus sceptris dei gratia potito, non minor fuerat predictae disssensionis disceptatio. Rege namque Patherbrunnun sancti Laurentii natale celebrante, domna Cunigunda (*etc., v. infra cap.* 39.) a) *vox* hasta *deest* 1. b) a. g. r. e. m. s. *iam crasa* 2. c) regimen 2. d) quoque 2. e) *hoc caput deest* 2. f) regnum 1. g) *hoc caput deest* 2.

29) ita et Ann. Hildesh. et Einsidl. — 9. Kl. Febr. Ann. Quedl. Thietm. et Necr. Fuld. 30) quae eo anno in d. 21. Martii incidit.

1006 idem imperator Heinricus expeditionem adversus illos movit. Cuius arma venerandus pontifex Bernwardus, iuxta praeceptum Domini, quae Dei erant Deo, quae caesaris caesari fideliter restituens, cum immensa militum manu secutus, vigilantissimo obsequio ad gratiam militabat. Expeditione vero soluta, quod prius voto decreverat, ad sanctum
31 Martinum[31] tetendit, non absque regali tamen licentia fraternaque episcoporum munificentia. Suos itaque omnes iter, quod disposuerat, diligentissime cęlabat, quia illorum lacrimas ne posset sufferre timebat; regi tamen commendatis, non multis comitatus iter aggressus, Parisius apud sanctum Dionisium aliquot dies consistens, sancta loca lustrando, magna animi contritione totum se Domino mactavit. Inde Turonis tendens, magna sedulitate Rodberti regis in via usus est. Ibi etiam septimanam conversatus, coram pio patrono sua suorumque commissa cottidianis ubertim lacrimis deflet. Honoratus denique a rege et episcopis prętiosissimis beati Martini de sacro corpore reliquiis — nam maximum aestimabatur, si cui aliquanta particula de casula sive caeteris paramentis sancti confessoris posset contingere — ipse caelesti thesauro remuneratus et aliorum complurium sanctorum, cum benedictione et gratia cunctorum inde digressus, Parisius perveniens, aliquot dies consueto exercitio precum intentus, nichilominus etiam a praefato principe et episcopis pręciosissimi martiris Dionisii sociorumque eius sacrosanctis pigneribus perceptis, cum benedictione et gratia ab illis digressus, felici cursu patriam repedabat. Et quamquam post tanti itineris difficillimum laborem, celerem reditum vota omnium praeoptarent, vicit tamen affectus, quo semper dominis obsequebatur, et benignissimum regem Aquis positum adiit. A quo affectuosissime excipitur, quia iam diu aegre illum videre cupiebat. Nam Bavenberg regali loco, qui sibi haereditario iure a maioribus suis competebat, episcopalem sedem noviter instituere disponebat. Unde synodum omnium episcoporum in Francanavord adunavit, ut scripta Romani pontificis super hoc et decreta communi iudicio comprobaret. Cui taxationi insignem Dei servum et antistitem Bernwardum primo regalis maiestas, tum episcopalis dignitas interesse magnis pręcibus postulabant; nec abnuit, quin promptissima oboedientia domnum regem honoravit. Reversus vero Hildenesheim, delatas sanctorum reliquias veneratione condigna servandas locavit, semet ipsum in sanctimonia solita sollicitius diatim exercuit, episcopatus sui terminos antiquitus praefixos labore nimio et sollicitudine custodivit[a].

42. Interea[b] domna Rothegardis dignae memoriae Hildewardensis aecclesiae abbatissa, venerabilis Bernwardi episcopi matertera, diutina corporis infirmitate castigata, resolutionis suae diem sibi semper optabilem, divino ut creditur instinctu, instare co-
Dec. 25. gnovit. Unde in sacratissima nocte dominicae nativitatis ad missam „Dominus dixit" in aecclesiam se ferri praecepit; ibique dominici corporis ac sanguinis viaticum percepit. Inde, rite peractis omnibus, denuo ad lectum reportata est, convocatis sororibus ita exorsa est: *Ex hac vita me hodie, carissimae, quo Deus iusserit invitari, vobis denuncio; sed hoc quia infra maioris missae sollempnia futurum esse non ignoro, ne qua divini famulatus fiat interruptio, vos, audita mea morte, minime turbari deposco. Dei namque tanto michi largius auxilium affuturum esse confido, si modo nulla eius servitii mei causa fuerit intermissio. Divinis itaque sollempniis ex more completis, ad communiendum exitum meum quantocius occurrere festinate, suoque creatori animam pręcibus attentius commen-*

a) *hic in* 3. 4. 5. *leguntur nonnulla Annalibus Hildesh. a.* 1013. *innixa, sed quae voces* beatus *et* sanctae Hild. civitatis patronus *posterioribus saeculis inserta esse docent:* Illis diebus miserabilis cunctisque sancte matris ecclesie filiis perpetuo lacrimabilis luctus, peccatis nostris exigentibus, exortus est, ita ut 12. Kalendas Februarii nobile monasterium sancte Hildennensemensis ecclesie diabolice fraudis faculis nostrorumque criminum flammis pene incendio perditum est. Nam in eadem nocte, prime quietis tempore, cunctis infra urbem commorantibus magis peccatorum pondere sopitis quam somni alterius quieti deditis, grandis ille dolor nobis miseris supervenit. Verum sancte Dei genitricis interventu sanctorumque nostrorum pio precatu* dominique nostri venerabilis Bernwardi episcopi acerbissimo ploratu, omnis ille vehemens ardor, divini roris infusione extinctus est, et illud venerabile templum mansit incolume, servatum Dei gracia, nisi quod nobis perpetuo est lugendum, quod cum preciosissimo missali ornamento inexplicabilis librorum copia periit, nosque spiritualium nostri armorum inarmes reliquit. Ipso quoque anno beatus Bernwardus sancte Hildennensemensis civitatis** patronus, sequenti omnium sanctorum festivitatis die, altare summum sancte Dei genitricis, quod, proch dolor! peccatis nostris promerentibus, valida, ut dictum est, ignis inundacione confractum erat, devotissima mentis intencione, 4. Nonas Novembris in melius restauravit et benedixit, Deoque accepcius hominibusque laudabilius auri argenti gemmarumque claritate effecit. b) *hoc caput deest* 2.

31) Turonis. *) s. n. deprecatu 4. **) ecclesie 4.

1006. *dare curate, vestrumque semper finem suspectum habentes, in illo tremendo iudicio dum licitum est per bona opera Deo dignae inveniri satagite.* His dictis, eas stupentes nimium pariter ac mirantes abire permisit. Quod quia spiritu prophetico praeviderit, rei patenter exitus ostendit. Nam, ut praedixerat, infra maiorem missam, incipiente sequentia, sancta illius anima carnis est ergastulo soluta. Unde manifeste datur intelligi, beatam hanc feminam plus aliquid caeteris mortalibus divinae gratiae concepisse, cui non solum suae carnis absolutionem tam evidenter concessum est praescire potuisse, verum etiam eo die praesentis vitae miseriam feliciter evasisse, quo ad eam pro totius mundi salute tolerandam Redemptor humani generis ex inviolato Virginis utero ineffabiliter prodiens creditur advenisse.

43. Anno autem[a] incarnationis domini nostri Iesu Christi millesimo septimo rex (Dec. 25.) venerandus Heinricus[b] totius Romani imperii potentissimus Palithi natale Domini[c] cum maxima gloria celebravit. Quocumque vero[d] sapientissimus imperator[e] ora sui sacratissimi vultus circumtulit, si quos dissidentes forte repperit, aut statim reconciliabat, vel si quicquam obstitit, ut id non posset efficere, numquam mente feriabat, donec violatam caritatem reformabat. Quod etiam tunc in ipso festo singularis nativitatis facere[f] prudenter instituit[f*]. Nam vetus odium, quod archiepiscopus Willegisus ad Hildenesheimensem Bernwardum episcopum[g] levibus de causis conceptum, saevis irarum stimulis inremediabiliter sub mente nutriebat, saepius delinire cupiens, animositate illius victus destitit. Veruntamen coram multis episcopis aliisque principibus, qui[h] ad palatium in illa praecipua festivitate confluebant, illum[i] conveniens, tanta auctoritate pertinaciam animi illius[k] digna invectione confregit, ut se totamque controversiam illius iudicio et fratrum submitteret[l], et in nullo vel eius iussis vel fratrum votis obstaret[m]. Deinde sapientissimus rex saepius interceptam[n] Gandenesheimensis aecclesiae dedicationem in vigilia epiphaniae Domini indixit, quae tunc prima feria dominicae resurrectionis accidit; velationem etiam ancillarum Dei in ipsa die epiphaniarum. Venerabilis igitur episcopus Bernwardus Willegisum archiepiscopum et caeteros fratres in auxilium sui ad consecra- (1007. Ian. 5.) tionem praescriptae aecclesiae invitavit. Nec mora, adest sacra sollempnitas; consecrationis misteria ex praecepto domni Bernwardi episcopi disponuntur; fiunt omnia fraterna caritate, ita ut archiepiscopus in aspersione primum locum teneret, et cum illo episcopus Bernwardus. In aecclesia vero ipse, cuius parrochia erat, misteria[o] consecrationis fratribus dispensabat; primum namque gradum ille obtinebat. Expletis itaque Dei gratia omnibus fraterna caritate, rex cum archiepiscopo et caeteris ad populum progressus, sic prosecutus est: *Diuturnam, peccatis agentibus, controversiam, karissimi*[p], *hodie deponere et terminare debemus. Agnosco enim et scio, hanc aecclesiam et adiacentes villas ad Hildenesheimenses episcopos semper pertinere, et ab illis absque contradictione possessam esse*[q]. Ad haec verba imperatoris Willegisus archiepiscopus tandem Dei pietate in se rediens, et quicquid proprio reatu vel aliorum instinctu in Deum et sanctam eius genitricem exercuisset, videlicet in iniusta invasione parrochiae Gandenesheim ad titulum sanctae Hildenesheimensis aecclesiae pertinentis, publice confitens, iuri et repetitioni eiusdem loci abrenunciavit, et in testimonium huius abrenunciationis ferulam episcopalem domno Bernwardo tradidit, dicens: *Frater karissime et coepiscope, abrenuncio iuri istius aecclesiae, et hanc pastoralem ferulam*[r], *quam manu gesto, tibi sub testimonio Christi et domini nostri regis et fratrum nostrorum trado in testimonium, ut post hoc neque ego neque ullus successor meus aliquam interpellationem vel repetitionem de hac re habere possit.* Sicque officium missae a Willegiso archiepiscopo cum consensu domni Bernwardi episcopi sollempniter peractum[s] est. Sequenti autem die epiphaniae Domini velatio virginum (Ian. 6) sollempni celebratione, praesente rege et omnibus episcopis, a domno Bernwardo facta est; sicque Dei gratia rebus in pace et caritate sapientia piissimi[t] principis compositis[u], discessum est. Archiepiscopus vero, hac lite sedata, praesulem nostrum omni honore et

a) vero 2. b) *deest* 2. c) D. celebravit cum magno honore 2. d) autem 2. e) rex 2. f) *deest* 2. f*) *ita* 2. instituit *corr.* institit 1. g) hildesheimenses episcopos 2. h) Verum dissidentes episcopos coram fratribus qui 2. i) *deest* 2. k) pertinaciam illorum 2. l) summitterent 2. m) obstare 2. n) s. i. *desunt* 2. o) ministeria 2. p) *deest* 1. q) Ad haec *usque* dicens *desunt* 2. r) *in marg. codex* 2. *manu secunda*: Nota de hoc ipso in vita S. Godardi plenius. s) peracta 2. t) *deest* 2. u) compositis, in Thuringia aliquamdiu commoratus ad Baioariam progressus, Raginesburhc sanctum pascha* iniciauit. *Reliqua capitis desunt* 2. *) *April* 21.

caritate ultro dilexit, et in nostro monasterio fraternitate honorifice acquisita, summam dilectionem et loco et fratribus providit.

1011. Febr. 24. 44. His[a] ita se habentibus, idem archiepiscopus quinto postea anno, plenus dierum et bonorum etiam operum, ad Christum migravit 6. Kalendas Martii.

45. Post quem Erkenbaldus subrogatur Mogontino regimini, prius abbas Fuldensis coenobii, cui nichil deerat catholicae fidei, quem domnus Bernwardus Kalendis Aprilis Apr. 1. Mogontiae consecravit. Divino itaque respectu surrexit in archipraesulem, quia in tempore iracundiae factus est reconciliatio. Qui quoadusque[b] vixit, prioris discordiae lenocinia posthabuit, insuper[c] ordinatorem suum, consanguinitate[d] etiam sibi propinquum, debita devotione ut patrem coluit et paterna caritate tractavit.

46[e]. Interea[f] venerabilis praesul Bernwardus, ampliare studens divinae servitutis obsequium in parrochia sui praesulatus, ob reconpensationem futuram Christum haeredem elegit, et quod praecipuum habuit, se ipsum cum omnibus acquisitis seu acquirendis rebus patri omnipotenti, sicut iam dudum in secreto mentis statuerat, in sacrificium obtulit. Monasterium itaque in septentrionali parte civitatis Hildenesheimensis, in loco quondam squalido, feris quoque seu brutis animalibus coaptato, tota devotione et apparatu decenti instituit, quod praediis sufficientibus dotatum, coenobitis Deo famulantibus ibi collectis delegavit.

1015. 47. Anno[g] vero incarnati verbi 1015. regni autem domni Heinrici piissimi imperatoris 14. ordinationis domni Bernwardi venerabilissimi praesulis 23. indictione 13. Sept. 29. 3. Kalend. Octobris, cripta eiusdem monasterii magno decore Dei gratia consummata, Ann. Hild. dedicatur a praefato antistite Bernwardo et honorabili Sleswicense episcopo Eggehardo atque venerando Mimigardevordensis aecclesiae pastore Thiderico, in honore salvatoris domini nostri Iesu Christi, et eius beatissimae et gloriosissimae genitricis perpetuaeque virginis Mariae, sanctique Michahelis archangeli, totius quoque militiae caelestis[h], et simul sexaginta sex reliquiarum, ab eisdem venerabilibus praesulibus ibidem digna veneratione reconditarum.

1020. 48[i]. Quinto deinde anno Erkenbaldus Mogontiae metropolitanus, plenus[k] dierum et meritorum, 15. Kalendas Septembris pacem aecclesiae Dei dereliquit, et animam in manus angelorum efflavit[l]. Huic Aribo, regius capellanus, successit in regimine; per quem rediviva restaurantur[m] arma discordiae, quae sub praedecessore suo sopita quieverunt, praevalente gratia concordiae. Quem futurum pontificem cum in sacerdotem[n] consecrare deberet[o] Deo dignissimus antistes Bernwardus, gladio verbi Dei illum obstrinxit[p] et anathematizavit, praesente domno[q] Heinrico benignissimo[r] imperatore et diversis episcopis, cum astantibus clericis et populis, ne post susceptum regimen sanctae Hildenesheimensi aecclesiae inferret iniuriam super parrochia Gandenesheim dicta. Quod id ipsum iterum[s] repetiit et confirmavit, dum illum[t] vice sua in archiepiscopum venerabilis[u] Eggehardus[v] episcopus consecravit. Sed quod tunc subdole promisit, grassante stulticia post fefellit. In ipsa enim promotione sua[w] domnum Bernwardum episcopum

a) His ita se habentibus, ea temporum tempestate 6. Kl. Marcii Dei iudicio tactus, humanae naturae concessit praedictus archiepiscopus Willigisus, in ipso mortis confinio sero poenitens et rerum confitens, quicquid proprio vel aliorum Deo odibilium instinctu in Deum et sanctam Dei genitricem exercuisset, videlicet in iniusta invasione parrochiae Gandeshem, ad titulum Hildinemensis aecclesiae pertinentis. Quantis synodalibus decretis, nunc in presentia Romanorum cardinalium a domno apostolico directorum tritus, tum etiam duobus imperatoribus tertio Ottone et benigno Heinrico cum eo conflictantibus, presidentibus multis archiepiscopis et episcopis seu etiam ducibus, ipse superatus, ab incepta sed numquam perpetrata iniuria, dum veritati et equitati cedere nesciens, predictam parochiam iuri domini Bernwardi episcopi reliquit semper impudens. Post quem Erkembaldus subrogatur Mogontino regimini, prius abbas Fuldensis coenobii, cui nihil deerat catholicae fidei. Quem Deus promoverat in archiepiscopatu Mogontiae unctione et consecratione Bernwardi episcopi Hildinemensis ecclesiae. Divino etc. 2. b) dum 2. c) i. B. episcopum 2. d) c. e. s. p. d. d. *desunt* 2. e) *caput deest in* 2. f) Interea domnus episcopus B. diutina infirmitate (*post c. 48.*) 2. *media capita* 46. 47. *et* 49—53. *desunt*. g) *caput deest in* 2. h) c. exercitus 3. i) *Sequentia in* (2.) 3. 4. 5. *ante capp.* 46. *et* 47. *habentur*. k) tractavit. Hic plenus 2. l) efflauit. Quem successit officio et nomine quidam Aribo vulgo dictus Aervo, qui consono nomine et agnomine vivere sibi instituit labore et tyrannide. Per quem 2; *in margine* Er(vo *absciso*) 2. m) inst. 2. n) sacerdote 2. o) d. domnus eps B. 2. p) obstrixit 2. q) *deest* 2. r) benigno 2. s) *deest* 2. t) eum 2. u) *deest* 2. v) egkih. 2. w) sui 2.

ficta pace per legatum suum convenit, et per falsa salutaria querimoniam super Gandenesheim temptavit. Cui domnus Bernwardus episcopus, divina inspiratione doctus, non eius vaniloquio attendens, obligationis suae anathema illi retexit, dicens, sibi nil commune cum illo[a] esse, si bene vellet, nisi ea quae Dei essent; de parrochia vero[b] sua absque dubio nichil sibi cessisse. Hac responsione obstruitur machinatio archiepiscopi; et[c] super hac re nec[d] mutire[e] quidem ausus est in vita venerabilis Bernwardi episcopi[f. 32].

49[g]. Anno perinde secundo, hoc est anno incarnationis dominicae 1022. regni autem domni Heinrici imperatoris 21. ordinationis vero Bernwardi episcopi 30. indictione 5. 3. Kalendas Octobris, supradictum monasterium, ad utilitatem monasticae vitae constructum, multiplicique, velut hodie patet, ornatu perfectum, dedicatum est cum omni devotione aecclesiasticae religionis a venerando eiusdem aecclesiae provisore Bernwardo pontifice, et ab honorabili Unewano archipraesule Hammenburgensis aecclesiae, ab Eggehardo Sleswicense episcopo, et a Bennone Aldenburgensis aecclesiae reverentissimo antistite, in honore salvatoris domini nostri Iesu Christi, et eius sanctissimae genitricis semperque virginis Mariae, ac salutiferi ligni adorandae et vivificae crucis, et ad speciale patrocinium sancti Michahelis archangeli, totiusque militiae caeli, et ad laudem venerationis omnium sanctorum Dei. 1022. Sept. 29. Ann. Hild.

50. Sed mox eiusdem monasterii habitaculum commissum est ad regendum abbatis officio Goderammo, coenobii sancti Pantaleonis praeposito.

51. Tandem vero sancti Michahelis aecclesiam vir beatus postquam praediis opulentissime dotavit, praesente apostolici legato, uno videlicet cardinalium, cum undecim episcopis, necnon et diversarum professionum personis, banni sui auctoritate roboravit. Hoc autem piae devotionis opus quam mature animo intenderit, quo fervore nacta oportunitate aggressus sit, qua vigilantia et assiduitate institerit, qua caritate sufficientiam exteriorum ei providerit, qua libertate construxerit, qua auctoritate firmaverit, quantum etiam ipse interim divino tactus verbere profecerit, ipsius verbis melius proferemus. Dicit enim ipse in privilegio eidem coenobio dato:

Omnis creatura homo nomine ideo a suo condita est creatore, ut iuxta ritum naturae potius suo serviat creatori quam creaturae. Cuius habitudinis status dum fit rerum discolor usus, animum tamen rationis compotem semper reflectit ad suae conditionis tramitem. Sed quo amplius quemque correxerit divinior haustus, tanto divinius se Deo quisque obligat in omnibus rebus. Et hoc fieri nequit, nisi ubi valida Dei manus quemque sibi attraxerit. Unde in appetitu gratiae se cuique imaginat et conformat protectio divinae misericordiae. Cuius rei experimentum dum consulimus, e vestigio nobis occurrit divinum responsum, quod, peccante Adam et inde exilii longa dispendia perferente, credidisse Abraham Deo et hoc illi reputatum esse ad iusticiam. Cumque, et divina praeveniente clementia, tum et exigentibus meritis, accipimus, legis latorem Moysen ducem ac praeceptorem extitisse populi Israel, pari examine sanctitatis miramur, miraculorum factorem Helyam humani aevi nondum cognovisse mętam, sed curru igneo sublatum esse ultimo saeculorum iudicio. Excedit mentem nec capiet finem, si de his et horum similibus nostra ratio ulterius se tendere voluerit. Satis indicio est, quantus assurrexerit in praeliis David manu fortis, et sole lucidius est, structo tabernaculo Dei, quantis religionum ritibus et libaminum misticis cultibus se Deo approximaverit sanctus Salemon, cuius poenitentiae meritis nullus umquam repertus est similis. Quibus omnibus ad habitudinem factorum revelavit Deus secreta meritorum, ut temporaliter merito et opere omnibus semper essent dispares, insuper aeternaliter angelicis spiritibus fierent coaequales. Haec ego considerans Bernwardus, Dei praeelectione non meis meritis dictus episcopus, et diuturna meditatione volvens, qua meritorum architectura, quóve rerum precio possem mercari caelestia, cum essem aulicus scriba doctus et beatae memoriae tercii Ottonis imperatoris didascalus simul et primiscri-

a) c. i. *desunt* 2. b) *deest* 2. c) nec 2. d) *deest* 2. e) muttire audentis in vita episcopi 2. f) episcopi. Explicit tangmarus. Interea *etc.* 3. *Quod iam auctoritate codicum* 1. *et* 2. *refellitur. — Antiquus alius auctor de Translatione S. Bernwardi expressis verbis dicit, Tangmarum de conversationis S. Bernwardi sanctitate, gestorum magnificentia et transitu plenissime narrasse. Nec stylus alium prodit autorem.* LEIBNIZ. g) *cap.* 49—53. *desunt in* 2.

32) Bernwardi constitutionem de synodis quater quotannis in diocesi Hildenesheimensi habendis a. 1020 d. 6. Idus Octobr. editam v. Legum T. II. B. 172. 173.

1022. *nius, divina tactus gratia, reatus mei superflua perhorrescens, divinamque gratiam concupiscens, distraxi animum in diversa, quomodo aeternae satisfacerem misericordiae sicque remedium meae obtinerem animae. Sed in tenuitate tunc meae qualitatis, quicquid animo proponebam, aut vix inchoandum, aut numquam hoc perficiendum timebam. Animus tamen magis ac magis ardore sancti propositi desudabat, licet tunc temporis fortuna quid inchoasse vetabat; cum ecce Dei electio senatuumque declamatio me pontificalis gloriae solio inthronizandum praeeligunt; et ne grex Domini turbaretur sine pastore, ne aecclesia mater nostra esset quasi vidua, in electione novi pontificis cor unum et animam unam omnibus fecit habere spiritus pacis. Inthronizatus Bennopolitanae*[33] *aecclesiae, quod diu conceperam animo, opere complere volebam, videlicet beatae memoriae tradere titulum nominis mei, aecclesias struxisse, ac officia Deo servientium inibi ordinasse, omnemque facultatulam meam Domino lucrasse. Et quia sunt occulta Dei iudicia, semper tamen iusta, consensu et hortatu Christi fidelium novam Dei aecclesiam condere coepi, in qua ad laudem et gloriam nominis Domini, et voti mei propositum adimplevi, et sanctae christianitati, adhibitis Deo dilectis fratribus, consului. Fundato enim novello opere, et designatis eo loci locorum qualitatibus, ne occasio terrenae vagationis esset dilatio incepti operis — gloria tibi, Christe! — tactus febris incommodo, aegrotare coepi quinquennio. Et dum nichil fit in terris sine causa, castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me, ut credo et confido in Domino, ne absentia meae praesentiae fieret quaedam intermissio spei meae. Cui loco, Deo sanctaeque cruci perpetuaeque virgini Mariae sanctoque Michaheli archangelo titulato, monastici ordinis indidi personas; quas ea ratione coadunavi, ut sicut iuxta monachicam normam sunt a saeculi actibus alieni, ita essent ab omni impedimento saecularis servitii liberi. Consilio itaque senioris mei imperatoris Heinrici, et magistri mei archiepiscopi Erkenbaldi, quem ipse ego cum confratrum meorum conventu in archiepiscopum consecravi, quicquid terrenarum facultatum in curtis, curtilibus, terris, pascuis, aquis, silvis, pratis, aecclesiis, sanctorum pigneribus, libris, argento et auro, et quicquid id est quod haereditario iure possedi aut saeculari coemptione acquirere potui, exceptis plurimis, quae altari sanctae Mariae in principali aecclesia in coronis aureis, calicibus, candelabris, palliis aliisque aecclesiastici ordinis ornamentis contuli, totum usibus fratrum per manus advocati mei tradidi, Deo et sanctis eius, pro animabus praedictorum seniorum meorum imperatorum et mea omniumque successorum meorum et eorum quorum patrimonia acquisivi, quatenus servitores Christi ab omni terreno servitio liberi, sub defensione et patrociniis successorum meorum praemuniti, in pace et misericordia quieta tempora ducant et in salutem viventium beatae contemplationi inhaereant. Si quis autem mei ordinis successor aut aliqua saecularis persona hoc effringere voluerit et haec tyrannicę sibi usurpare praesumpserit, gladio verbi Dei a Deo et sanctis eius illum submoveo, ut incumbente super illum omni maledictione careat benedictione, sicque exterminatus a caelo et terra, partem habeat cum Iuda et cum his qui in haereditate possident sanctuarium Dei. Insuper haeredes, Dei et nostra licentia, in suos usus sua studeant repetere, dum vident alienum invasorem in suis patrimoniis debachare.*

52. Haec beati viri dicta consideranti facile patebit, quanta vel ipse in Deum devotione profecerit, vel quanta superni respectus dignatio eum assumpserit. Qui enim tali insistens operi, caelesti verbere merebatur eliquari, manifestis indiciis probabatur a Domino diligi.

53. His itaque piae devotionis studiis Deo digne et hominibus laudabiliter omni vitae suae tempore conversatus, anno ordinationis suae 31. cum iam transitus sui diem, quem semper optaverat, imminere praevideret, capellam inter sacellum sanctae Crucis et monasterium suum constructam in honore beati Christi confessoris Martini a venerabili viro Eggehardo Sleswicense episcopo dedicari fecit, ibidemque pro augmento religionis ipso die habitum priorem mutans, monachicae professionis iugum suscepit.

54. Tactus deinde infirmitate ultima, cum adesse sibi exitus sui horam sensisset, in eandem capellam se ferre praecepit, iustum esse asserens ibidem vitae terminum

a) qui esset pars et haereditas mea *addunt* 3. 4 5.

33) i. e. Hildesheimensi; v. Annales Hildesh. SS. III. pag. 22.

sortiri, ubi saecularis abrenunciationis habitu se contigisset insigniri. Sic[a] itaque vir 1022. beatissimus diutina corporalis molestiae infirmitate tritus, bonum certamen certans, cursum consummans, fidem servans, viam[b] universae carnis ingressus, ut credimus divinis admixtus spiritibus, duce Michahele archangelo, beatae immortalitati est praesentatus. Qui[c] quoadusque vixit, Domino se sacrificium iusticiae sacrificavit; sicque plurimis mirificatus insigniis[d], caelesti pace quiescit. Obiit autem 12. Kalendas Decembris. Nov. 20. Sedit autem[e] in cathedra triginta annis. Cuius discessus ad Deum fecit nos pupillos absque patre, matrem nostram sanctam Hildenesheimensem aecclesiam[f] quasi viduam[g]. Nam mox tanti patris excessu tota civitas permota congemuit, et tam cleri quam plebis coetus omnis corde tenus indoluit. Ubique vociferatio lugubris exoritur, moeror inconsolabilis cuiusque professionis auditur; et quem secum manentem communi affectu semper amplectebantur, hunc non immerito decedentem communi lamentatione prosequuntur. Hinc pauperum, hinc viduarum orphanorumque turba miserabili eiulatu patrem se amisisse proclamat, hinc patriae defensorem, pacis amatorem ac totius rei publicae sagacissimum provisorem, tam nobilium dignitas, quam plebium humilitas, concordi dolore subtractum esse deplorat. Mirum nempe in modum vir iste omnibus omnia factus, inter divites et pauperes, inter elatos et humiles, auctorabili quadam modestia medius incedebat; et utrobique iuste providus, nec mitibus intractabilis, nec protervis despicabilis apparebat. Communi ergo, ut dictum est, querimonia defunctus plangebatur, qui communi dilectionis honore vivens colebatur. Sed ne irrationabiliter more eorum qui spem non habent contristemur, si consolantem dolemus perdidisse in terris, patrocinantem habere gaudeamus in caelis, et sic corpori compassionis officia impendamus, ut etiam spiritui feliciter cum Deo regnanti congratulationis debita persolvamus.

55. Praeceperat autem adhuc vivens, ut feretrum, quo ad tumulandum corpus eius Nov. 20 efferebatur, non pallio, ut moris est in talis personae funereo obsequio, sed cilicio tantum operiretur. Quod ideo hic inserendum putavimus, ut cunctis legentibus pateat, quanto vir iste a Domino etiam temporali honore sublimatus, semet ipsum humilitate depresserit, cuius viventis spiritus devotio tam humile obsequium defunctae quoque carni providerit. More itaque aecclesiastico exequiis rite celebratis, corpus Deo dilecti praesulis in cripta coenobii quod ipse fundaverat, ante altare sanctae Mariae, maxima cum fidelium Christi devotione sepelitur. Sepulchrum autem suum sancta sibi devotione ipse praeparaverat, et tale solitae humilitatis epytaphyum superscripserat:

Pars hominis Bernwardus eram; nunc claudor in isto
Sarcophago diro, vilis et ecce cinis.
Proh dolor, officii culmen quia non bene gessi!
Sit pia pax animae, vos et Amen canite!

56. Quid hac beati viri mansuetudine dulcius, quid abiectione laudabilius? Quo enim se vilius sub humilitatis deprimit modio, eo lucidius in aecclesiae apparet candelabro; et quantum suo iudicio sacerdotali honore indignus deputatur, tantum laudabilis vitae testimonio dignus per omnia comprobatur. Pie denique consideranti modum conversationis eius et sanctae a puero institutionis, magni meriti luce clarius apparebit, quamvis longe aliter se ipse aestimaverit. Valles enim secundum psalmistam frumento habundant, hoc est, humiles spiritu potioribus divinae largitatis muneribus exuberant. Sed pius pater Deo plane et aecclesiae dignissimus, et inter caeteras virtutes, quibus adornatus erat, humilitatis cultor praecipuus, quid pro ipsa cordis humilitate consolationis, quid fidei ac spei conceperit, manifestat in titulo quem his verbis interioris sarcofagi insculpsit loculo: *Scio*[h. 34], *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de* 34 *terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt et non*

a) *Hic iterum incipit 2:* Interea domnus episcopus B. diutina infirmitate tritus. b) uias 2. c) *deest* 2. d) insignis 2. e) qui sedebat 2. f) s. H. e. *desunt* 2. g) *Reliqua desunt in 2. qui eorum loco haec subiungit in Vita Godehardi episcopi edenda:* Sed ne *etc.* h) SCIO ENIM QUOD etc. *Sarcophagus.*

34) Inscriptio haec hodieque in sarcophago extat; v. Kratz descriptionem ecclesiae metropolitanae Hildesheimensis T. III. tab. 13. Inferior sarcofagi pars hanc inscriptionem exhibet: BERNWARDUS EPS SERVVS SERVORVM XPI.

1022. *alius*[a]. *Reposita est haec*[b] *spes mea in sinu meo.* Quae nimirum dicta eo spiritu ab ipso creduntur repetita, quo primum ea constat fuisse prolata, acsi aliis verbis apertius diceret: „Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de relique reposita est michi corona iusticiae“[c].

57. Cernitur nichilominus ad dextram partem sepulchri, super columpnarum conscriptio talis*:

Hac tumuli fossa clauduntur praesulis ossa
Bernwardi[d], *miri magnificique viri.*
Qui patriae stemma radians ut gemma serena,
Acceptus Domino, complacuit populo.
Nam fuit aecclesiae condignus episcopus ille;
Quem Deus Emmanuel diligat et Michahel.
Tandem bis senis undeno mense Kalendis
Felix hanc vitam mutat in angelicam.

MIRACULA SANCTI BERNWARDI.

1. Quantis[e] post haec miraculorum insigniis confessorem suum Dominus glorificaverit, non est nostrae parvitatis explanare. Sed ne cuncta praeterisse videamur, pauca de pluribus explicamus.

2. Puella quaedam de Erpesford oriunda, Hildegard nomine, cum multa languentium turba diversis egritudinibus vexata Hildenesheim advenit, miserabilem in modum

a) ALIUM *Sarc.* b) HEC *Sarc.* c) *in* 3. *haec inseruntur, quae haud ante annum* 1195. *scripta esse, ultima verba demonstrant*: Ista que sequuntur in plerisque libris et codicibus inveniuntur de obitu sancti presulis. Transitus viri Dei sanctissimi presulis nostri Bernwardi nonnullis divinitus ostensus est, sed ad ista prosequenda libet priora paululum attendere. Sedebat aliquando vir Dei Bernwardus adhuc vivens cum hospitibus suis in aula sua. Scolaris vero quidam pauper ante fores elemosinas petendo, pium presulem, ut sui misereretur, invocavit. Quod audiens homo propheticus et spiritu Dei plenus, iussit, ut episcopus Coloniensis foris stans mox introduceretur. Currentes ergo ministri renunciaverunt, neminem foris esse preter illum scholarem pauperem. Sanctus autem ~~Bernwardus,~~ affirmans ipsum esse Coloniensem episcopum, festinanter adduci precepit; adductumque benigne suscipiens, in capite mense pauperem renitentem collocavit. Cui, post mensam rubore perfuso et verecundo pro reverencia sibi a tanto presule exhibita, vir beatus, quod ipse Coloniensis episcopus esset futurus, predixit; humiliter exorans, ut primam missam, quam in Colonia celebraret, pro paupere Bernwardo decantaret. At ille, cum summa devocione precibus eius annuens, benedictione petita et accepta, recessit ab eo.
35 Factus igitur archiepiscopus[35] iuxta vaticinium viri sancti regnante domno Hinrico de Bavenberch, anno Domini 1023. duodecimo Kalendas Decembris ad altare missam celebraturus accedens ipse Coloniensis episcopus, cantoresque preveniens, missam pro defunctis, omnibus qui aderant stupentibus, inchoavit, nec immemor interpretis sui, beati scilicet Bernwardi, cum venisset ad canonem, devotissime, sicut promiserat, memoriam ipsius egit inter vivos. Sed inter salutaris victime consecracionem transitus viri Dei divinitus ei revelatus est; unde mox eciam in memoriam defunctorum nominis eius mencionem fecit; et omnia quae acciderant, finita missa, fidelibus publicavit. Qui celeste miraculum curiosius investigare cupientes, missis exploratoribus in Hildensem, certissime cognoverunt, quod eadem hora, quando archiepiscopus hostiam nostre salutis immolavit, anima sanctissima fidelis et prudentis servi domini nostri Iesu Christi celeste gaudium introivit. — Fuit nichilominus in remotis
37 partibus a civitate, Lunda[36], ad 12 miliaria[37], viginti sex annis quidam inclusus in quadam silva devotus heremita, Anselmus nomine, qui solitas Deo preces fundens, statim fuit in spiritu. Et vidit ipsa die, qua anima viri Dei celestia claustra petivit, celos apertos cum ingenti lumine; et audivit inter dulcem melodiam beatorum spirituum hoc carmen ab angelis iterari: „O felix anima Bernwardi, cuius merita hominibus adhuc sunt incognita, Deo autem et nobis valde nota“. Hec tribus vicibus continuis die deposicionis vidit et audivit. Predictam revelacionem vir Dei dum sepe cum devocione revolveret, ubi tamen illius nominis vir tam beatus habitasset, ignoraret, ecce astitit ei venerabilis persona procere stature, venusta facie, respersa canis, et operimentis pontificalibus vestita, dicens ei: „Ego sum Bernwardus episcopus Hildensemmensis, quem trina visione in choro angelorum collaudari audisti. Ego templum in Hildensem angelis construxi, et Virginis filium patrimonii mei successorem feci, cunctisque seculi voluptatibus renunciavi; habitum angelicum suscepi; nunc quoque centuplum omnia recepi, ac in tali iubilo, sicut vidisti, vitam eternam possideo“. His sibi cum aliis quibusdam revelatis, cum ingenti lumine disparuit, et pro gloria sancti viri solitarius que audierat et viderat fidelibus revelavit. Obiit itaque sanctus presul anno Domini 1023. ut dictum est, et sepultus in cripta ecclesie sue, quam construxerat; latuit autem sub terra annis centum et septuaginta duobus. *Codex* 4. *ea inter miracula post cap* 7. *scribit.* d) Berwardi 1. e) *Quae sequuntur in codice* 1. *alia manu, saeculi tamen duodecimi ineuntis, adiecta sunt.*

*) *eam a Bennone episcopo Misnensi compositam esse, tradit conversio Theutonica.*

35) Pilegrinus. 36) Lühnde ab oriente Hannoverae. 37) Romana.

tota contracta, ita ut genibus pectori inhaerentibus, manu dextera incurvata, cubitali mensura vix a terra subrecta, se rependo traheret. Quae per sex menses et eo amplius circa loca sanctorum reptando, mendicans a Deo salutem, a populo stipem, admonita, ut ipsa referebat, per somnum, ad tumulum beati Bernwardi reptando pervenit; et superposita eidem tumbae cerea effigie, continuo coram populo, cuius eodem tempore multitudo forte convenerat, nervorum distensione durius cruciari coepit. Quid plura? Infra biduum erecta est, ita ut non post longum tempus sana rediret. Testis est tota civitas nostra, cui, miseria notificante, dudum erat notissima.

3. Fuit in civitate nostra miles quidam ministerialis habitans. Cuius filia infantula egritudine pressa, cum desperaretur, saltem baptismi gratiam opperiri posse, pater anxius ne sine regenerationis sacramento deperiret anima, caeream imaginem ad sepulchrum beati Bernwardi deferre vovit, ut eius meritis spacium infantulae ad baptismi tantum gratiam accipiendam optineretur a Domino. Facto voto, ilico cera effigiata, nudipes ad tumulum beatissimi praesulis adiit; qui inde rediens, infantulam ex integro convaluisse repperit.

4. Quaedam etiam puella in vico Hanovere[a][37] tanto cruciabatur oculorum dolore, ut penitus elici orbibus suis ipsi oculi putarentur vi doloris. Promissa igitur oblatione ad tumbam sancti praesulis, ilico sospitate redeunte conquievit vis doloris.

5. Simili passione quidam in Runeberge[38] vexatus, in nocte decollationis sancti Iohannis baptistae, cum iam penitus oculorum salutem desperaret, invocato eiusdem viri auxilio, in somnum resolutus est. Facto autem diluculo, penitus omni dolore fugato surrexit, eademque die cum testibus suae sanitatis ad tumulum beati praesulis gratias acturus venit.

6. Bukenem[39] vicus est a civitate Hildenesheim per tria distans miliaria[40], ubi faber quidam ferrarius, Dodo nomine, tactus est infirmitate gravi per tres septimanas, ita ut manus et pedes iam praemortuos occasuros a sua compagine arbitraretur. Vocatus autem presbiter, cum iam desperaretur, advenit; cuius consilio ceterorumque propinquorum vovit, ut si infra triduum meliorari coepisset, sepulchrum beati viri Bernwardi gratias acturus visitaret. Haec cum agerentur, quarta feria ante dominicam rogationum sequenti die ac nocte ádeo convaluit, ut proxima sexta feria nudipes per iter praescriptum Hildenesheim adveniret, sic tamen luridus ore, ut ipsa facies conspecta viri audientibus fidem faceret miraculi.

7. Mulier quaedam Goslariensis Eilmod nomine a demone possessa, cum venisset ad beati memoriam, per aliquot dies ibidem horribili modo vexata, pręcibus eiusdem sanctissimi praesulis curata est. Septem aut plures dies postea nobiscum mansit, cotidie sepulchrum pontificale cum devotissima gratiarum actione visitavit, crebro ibidem corpori et sanguini Domini communicavit. Inde digrediens, post septimanas sex iterum rediit, et ceram duobus denariis comparatam tumbae superponens, pro sanitatis suae perseverantia retulit gratias. Testis est tota Goslaria, ubi pro mercimonii sui negocio probatur esse notissima.

8. Iuvenis quidam in Boemia in sacratissima nocte dominicae nativitatis cum duobus fratribus suis ceterisque coaevis suis[b] ludis quibusdam invigilans, dirissimo demoni vexandus est traditus, fratribus utrisque subitanea morte praeventis, ceterisque omnibus qui eisdem infaustis ludis intererant aut morte subtractis, aut demonum vexationi contraditis. Itaque post triennium, durante infelici passione, iuvenis idem ignaris parentibus huc illucque cursitans, tandem Hildenesheim pervenit. Ibi dum completorium caneretur, monasterium sancti Michahelis ingressus, tam dure ante altare sanctae Crucis vexatus est, ut omnes qui aderant, horrore nimio stupidi et misaeratione compuncti redderentur. Introducitur itaque vi impellentium, nimium renitens ipse, in criptam ad beati Bernwardi tumbam. Ubi diutius furore rotatus et verba blasphema garriens, ut quidam linguam eius intelligentes, qui tunc forte aderant, cum stupore pavidi retulerunt, tandem concidit, apertoque ore inhians, liquorem spurcissimum cum fetore nimio eructans,

a) honovere 4. b) uis *codex*.

37) antiquissima civitatis patriae mentio, quam igitur saeculo XI. et XII. ineunte vicum fuisse hinc constat. 38) Ronnenberg prope Hannover. 39) Bokenem. 40) scilicet germanica.

incolumis surrexit. Postera die populo praesentatus est sanus, et ex eo per 15 ferme dies sepulchrum frequentans, et pavimentum per circuitum assidue lambendo exosculans, devotissime cum lacrimis liberatori suo gratias egit.

9. Quidam autem mercatores Bremenses cum in mari versus Angliam navigarent, tempestate gravissima praeventi sunt, ita ut, rupto fune anchore, et navi tota concussa, iam vicinum cunctis pelagus intentaret interitum. Cumque supplicatio communis et clamor lacrimabilis concreparet ad sanctorum patrocinia, repente quidam intulit, quendam sanctum pontificem Bernwardum nomine in Hildenesheim coruscare miraculis. Eius ergo communi voto suffragium postulantes, continuo inter medios undarum vertices sine labore in solita tranquillitate portum petierunt; et in minori navicula redeuntes, anchoram suam in mari elapsam retulerunt. Exinde domum reversi, duos ex comitibus suis, quorum unus Godescalcus, alter Elvericus vocabatur, cum navicula cerea ad tumbam beati viri in feria tertia post dominicam Laetare Iherusalem pro gratiarum actione transmiserunt. Idem quoque postea simili periculo per eum liberati, argenteam anchoram per semet ipsos obtulerunt.

10. Negociator quidam Hildenesheim habitabat. Huius coniux cum die parasceue loca sanctorum more sibi annuatim consueto nudipes circuiret, thuris partem comparavit, quam ad tumbam beati Bernwardi ferre destinavit. Ergo via quae tendit ad monasterium sancti Michahelis, in aqua lutea, quae per civitatem versus urbis murum decurrit, pedes lavit, inde ad monasterium pertendit. Cumque cimiterium eiusdem aecclesiae conscendisset, agnovit elapsum esse thus quod emerat. Unde graviter, ut ferebat, animo consternata, excussis vestimentis sicubi adhesisset, eádem via qua venerat, usque ad aquam qua prius pedes laverat, querendo reversa, nichil invénit; mestaque nimium ad monasterium rediit. Inde cryptam ingressa, ante tumbam beatissimi pontificis in orationem cum largo fletu procubuit, reputans apud se, ideo oblationem sibi elapsam, quod quasi indigna fuerit eam perferre ad sancti viri memorium. Finita oratione humili et lacrimosa, surrexit, thus perditum in manu sinistra invenit. Quod tumulo superponens cum ingenti pavore abscessit, quod gestum erat sub silentio abscondit, donec quinto aut sexto die a familiaribus eius proditum innotuit. Quae et postmodum cum rei gestae veritatem a quodam fratre nostro promere peteretur, non sine lacrimis eam narrare potuit.

41 11. Miles quidam Thietmarus nomine, ministerialis regis, in vico Hogen[41] iuxta Wiseram fluvium habitat. Huius filius, Machelmus, annorum circiter octo, cum per quinquennium fistulae incommodo in maxilla sinistra vexaretur, omnisque medicorum in illo opera frustraretur, tandem ad tumulum sancti episcopi oblationem suam, cereum videlicet caput, ferre vovit, si infra novem dies incolumitas illi meritis beati viri redderetur. Igitur infra triduum ante tempus praeoptatum puer remedium accepit; et tertia feria infra ebdomadam pentecosten, cum patre matre et avia, in testimonium sanitatis receptae cum votis promissis ad memoriam beati viri sospes pervenit.

42 12. Abbas etiam coenobii sancti Michahelis, Conradus[42] nomine, cum quadam die causa utilitatis monasterii iter ageret, forte accidit, ut equo labente, cui insederat, tibia collisa prorsus debilis et dolore cruciatus in sella gestatoria referretur. Iussit itaque, se ad sepulchrum beati pontificis Bernwardi deferri; ubi in oratione prostratus, cum vovisset se, quoad viveret, candelam nocte et interdiu ibi provisurum, incolumis continuo surrexit; quique alienis manibus est illatus, propriis pedibus est egressus[a].

13. Mulier quedam provinciae Marehern de civitate Olomuz, non infimis parentibus oriunda, septem annis digitis sinistrae manus in volam contractis, eiusdem brachii ulna concreta pectori paene coherente, debilis aruerat; quae multa sanctorum loca sanitatis gratia frequentare solebat. Venit itaque multo itineris labore fatigata mane 7. Kalendas Iunii ad sepulchrum beati Bernwardi, ubi infra priorem missam posita, populo inspectante pristinam sanitatem recepit. Cuius rei testes idonei plurimi tunc

a) 3. 4. 5. *addunt:* Neque hoc reticendum videtur, quia plures Deo devoti, tam viri quam femine, nocturne quietis tempore ad sepulchrum beati presulis psalmodie cantus se audisse et luminaria divinitus accensa vidisse et miri odoris fraglanciam sensisse, testati sunt.

41) Hoya. 42) a. 1102 – 1124.

temporis astiterunt, qui illam prius se debilem veraciter agnovisse asseruerunt. Mox ergo omnes qui huic miraculo praesentes affuerunt multique de civitate accurrentes, qui hoc factum scire potuerunt, Deum, qui tantis famulum suum glorificat miraculis, in ymnis et laudibus, campanis etiam concrepantibus, devotissime benedixerunt.

14. Quidam in Thuringia manum habens aridam omnique operis officio privatam, cum se ad beati Bernwardi memoriam cum oblationibus ire vovisset, si meritis illius sanitatem consequi promeruisset, inopinata celeritate quod optaverat adeptus est. Ille autem tantam gratiam parvipendens, et votum quod fecerat implere dissimulans, eiusdem manus itemque brachii simul debilitate multatus est. Qui, nimio dolore cogente, licet sero in se reversus, et cur hoc pateretur haut ignarus, cum oblationibus promissis ad beati confessoris auxilium invocandum ire coepit, nondumque peracto itinere, perfectam sospitatem recepit. Ut ergo ad locum pervenit, ubi sancti praesulis corpus requiescit, condignas suo sanatori gratiarum actiones persolvit, nobisque, qualiter hoc gestum sit, cum pluribus sue sanitatis testibus enarravit.

15. Alter quidam Volquardus, omni civitati nostrae notissimus, simili passione vexatus, quodam tempore cum aecclesiam beati Michahelis introductus fuisset, corporalesque medicinas sibi adhiberi petisset, quidam presbiter a Deo potius sibi sanitatem esse petendam illum admonuit, et in criptam ad beati Bernwardi tumbam spe sanitatis ire persuasit. Quo facto, vix hora dimidia transacta criptam laetus exivit, seque sanatum fuisse cunctis in aecclesia consistentibus evidenter ostendit. Qui postea septem diebus peractis revocatus, et de perseverantia sanitatis interrogatus, cum se nichil doloris habere fuisset professus, populo, cuius tunc multitudo aderat, est praesentatus; Deusque pro eo quod factum fuerat ab omnibus magnis laudibus est glorificatus.

16. Rusticus quidam in vico qui Liuline[a. 43] nuncupatur habitans, Romam ad sanctum Petrum orationis causa tendens, in eodem itinere gravi coepit infirmitate detineri. 43 Qui cum omnimodis a carnium esu se abstinere vovisset, quoadusque ad beati Bernwardi tumbam gratias acturus venire potuisset, si per eum contigisset se a mortis periculo liberari, continuo pristinae restitutus est sanitati.

17. Puella quedam parvula Machthild nomine, de Bawaria nata, set apud nos a primis fere annis in vico Tosseim[44] conversata, religiosi cuiusdam viri[b] sustentata elemosinis, manum habens contractam, venit ad beati Bernwardi tumbam; quam mox ut attigit, optatae salutis remedium invenit.

18. Fuit quoque Bremis mulier quedam non ignotae inter suos opinionis; cuius facies morbo ingravescente adeo intumuerat, ut narium et oculorum discretionem pene funditus ademisset. Cumque noti eius beati pontificis Bernwardi compassionem implorassent, super nimiam illius afflictionem voventes eam sepulchrum illius visitaturam, dolor statim cessavit, et inopinata celeritate sanitas pristina rediit.

19. Fuit item in Nitelogon[45], qui est vicus duobus miliaribus[46] a civitate Hildenesheim distans, puella quedam ita diversis per quinquennium passionibus et molestiis 46 corporis affecta, ut novissime nervis et membris pene omnibus contracta, et sibi esset inutilis, et suis efficeretur gravis. Haec igitur 6. Nonas Maii vehiculo adducta, criptam basilicae nostrae difficillimo labore duobus innixa baculis irrepsit, ac se super beati viri tumbam inclinavit; ibique ab omni quo laborabat incommodo mira celeritate convaluit. Die sequenti convenit incredibilis multitudo populi nostrae civitatis, peregrinorum quoque et aliorum, qui de diversis locis ad sollempnitatem inventionis sanctae crucis eo die confluxerant, non modica turba; acceptoque testimonio a parentibus et civibus puellae de eo quod acciderat, omnipotentem Deum publicis laudibus in sancto suo devotissime glorificaverunt. Puella vero eodem die ad sua incolumis reversa est[c].

a) liunine *corr.* liuline *eadem manu* 1. b) Ekberti nomine *addit* 3. c) *Huc usque codex* 1. *foliis aliquot vacuis exstantibus.* — C. 3. 4. 5. *ita prosequuntur*:

20. Vir quidam de civitate Lubek, Adelwardus nomine, ita paralisis morbo longo tempore dissolutus iacebat, ut nec in lecto semet ipsum erigere, nec ad os manum propriam potuisset adducere. Huius uxori beatus pontifex Bernwardus in visione apparuit, eamque ut pro salute viri candelam iuxta longitudinem ac latitudinem sepulchri sui factam Deo vovere debere, edocuit. At illa de sompno evigilans et visionem retrac-

43) Lühnde. 44) in loco ubi iam Marienburg, inter meridiem et orientem Hildesiae. 45) Nettlingen. 46) germanicis, ab oriente.

tans, ilico surrexit, et assumptis duabus feminis, in vestibulo domus sue solo prosternitur, postque oracionem et votum promissum ad maritum reversa est; invenitque eum pro recuperata iam sanitate Deo gracias agentem. Qui ab illa hora tam plene convaluit, ut non longe post ad votum persolvendum cum uxore sancti viri sepulchrum visitaret, ac patrati in se miraculi relator certissimus existeret.

21. Alio quoque tempore iam dicti patrisfamilias filius adhuc infantulus, cuiusdam molis desuper venientis ruina oppressus atque contritus, cum iam pene videretur exanimis, eiulabunda mater ad sancti Bernwardi patrocinium confugit; nec spe sua frustrata est. Nam continuo post preces et lacrimas eius ad Deum fusas, sub invocacione sancti presulis puer tamquam ab ipsis mortis faucibus ereptus, vite redditus est.

22. Miles quidam Herebordus de villa Horhusen [*, 1] diutina infirmitate consumptus, ad extrema pervenerat. Cognatis autem et amicis illius pro amissione carissimi sui nimium dolentibus, sacerdos eiusdem loci suggessit, ut pro eo patrocinium beati Bernwardi implorarent, votum facientes, ut si vite restitui et salutem consequi potuisset, ad sepulchrum sancti laneis indutus et discalciatus, de domo sua incipiens, venire debuisset. Omnibus ergo id fideliter voventibus, eger melius habere cepit; et proficientibus melioracionis sue augmentis, in brevi ad plenum convaluit. Qui postmodum alterius cause occasione Bruneswich civitate consistens, ex eodem loco ad persolvendum votum iter arripuit, eo quod brevioris vie compendio usus, in ambulando minus esset laboraturus. Perveniens itaque ad civitatem Hildensemmensem, graviter infirmari cepit. Sed tamen ceptum adimplere desiderans, ecclesiam sancti Michaelis, in qua sanctus presul requiescit, expeciit; sed ante atrium ecclesie tamquam ab aliquo impulsus corruit. His autem qui comitabantur eum apprehendentibus atque ducentibus, ut ad ianuam basilice ventum est, horrore nimio perculsus et pavore inter manus eorum collapsus est, nec ullo modo assurgere aut intrandi ecclesiam vires habere potuit, usque dum publica confessione omnibus qui aderant, pro quo reatu hac pena multaretur, aperiret. Receptis ergo viribus, ad sua revertens, et inde procedens, voti sui ordinem tanto iam devocior, quanto divino[**] verbere erudicior, explevit.

23. Matrona quedam Bremensis, in infirmitate posita, vidit assistere sibi quendam reverendi vultus in habitu sacerdotali, interrogantem eam, utrumnam agnosceret quem aspiciebat. Que respondens, ut poterat — vix enim in solo pectore vitalis spiritus anhelabat — dixit, eum sibi prorsus incognitum esse. At ille benignissimo affatu, quod ipse esset Bernwardus Hildensemmensis episcopus, indicavit; et, quia salutis causa advenisset, asseruit. Ammonuit eciam, ut ad sepulchrum ipsius nummatam vini[2] ad celebracionem missarum, recuperata sanitate, offerret, atque hoc dicto disparuit. Mulier vero, que morti vicina putabatur — nam solo prostrata more fidelium ex hac vita migrancium iacuerat — erigens se paulisper, omnibus, qui ad exitus eius expectacionem convenerant, visionem enarravit; atque ab eadem hora salva facta est. Postmodum visitans sepulchrum sancti, oblacionem prescriptam fideliter obtulit, aliisque fidelibus ad sequendam huiuscemodi devocionem exemplo fuit. Nam multi postea tam pium factum imitantes, suffragantibus meritis beati Bernwardi, a variis languoribus et calamitatibus sunt liberati. —

Hic finis codicum 4. 5. *Adiicit scriptura paulo minori* 3:

24. Miles quidam de ducatu Mekelenborch febre acriter correptus, ad exhortacionem aliquorum ammonitus, ut sancto Bernwardo, Hildenesemensium patrono, votum faceret, et sine dubio relevamen et sanitatem recipere non dubitaret, faciliter acquievit; et voto facto, mox ut verba de eius ore exierunt, sanatus est; in cuius evidens testimonium misit idem miles florenum aureum per duos sacerdotes ad sepulcrum sancti presulis; que predicta sic contigisse, fideliter testati sunt.

25. Rusticus eciam quidam de diocesi Hildenesemensi cum diu febriscitaret, aquam de tumba sancti presulis sibi afferri peciit, quam mox ut bibere cepit, febris abscessit, et post illum diem non comparuit, et ut ipse dixit, in sanitate perseveravit.

*) *ita* 4. 5; 3. *in loco raso* hornsen. **) diuine 3.

1) non est Horsum prope Alfeld. 2) i. e. pretium vini.

VITAE
HEINRICI ET CUNEGUNDIS IMPP.
EDENTE G. WAITZ PH. D.

Heinricus imperator secundus, Bambergensi episcopatu fundato aliisque rebus pie actis magnum apud omnes nomen consecutus, postquam ab Eugenio papa inter sanctos est relatus[1], *vitam eius scripsit Bambergensis quidam, clericus ut videtur ecclesiae cathedralis*[2]. *In codice praestantissimo Bambergensi primis paginis duae exstant imagines. Altera Maria repraesentatur cum filio sedens in throno, dextera liliam tenens; cui versus adscripti sunt:* 1

Floruit Heinrico decus imperiale pudico,
Iusto, munifico, summe pietatis amico.
Regi magnifico sit in exemplum Frederico;
Predico, predico, cui metra dico, dico.

Altera elegantius ornata Christum ostendit, qui dextera elevata benedictionem dat, sinistra vero librum quendam in genu positum tenet. Ad dexteram Petrus conspicitur, infra Heinricus imperator *et* Chunigunt imperatrix *ecclesiam Bambergensem offerunt; in ima pagina clericus apparet,* Adalbertus diaconus *nominatus, librum porrigens. Hi versus in margine leguntur:*

Obsequium presens rex regum suscipe clemens,
Quod rex Heinricus, divini iuris amicus,
Mente tibi munda cum coniuge fert Chunigunda;
Reddens heredem rerum quam condidit urbem.
Hosque post proceres fiat[3] celestis ut heres, 3
Per me scripta tibi, rex, hec est pagina libri.

Quum codex ille, quamvis non autographus, ex eo tamen descriptus esse videatur, his verbis clerici qui vitam scripsit nomen indicatum esse putarim, qui hoc modo devotionem suam apertius manifestare et nomen memoriae tradere voluit[4]. — *Quis Adalbertus ille diaconus fuerit, non plane constat, neque an idem sit qui a.* 1170—1184. *in diplomatibus memoretur*[5], *satis com-*

1) Mir. c. 10. In bulla Eugenii vita nondum memoratur. 2) Heinricus ab ipso *pater et dominus noster* appellatur, Mir. c. 3; cf. c. 7: *Hoc quoque successoribus nostris indicare curavimus.* 3) fortasse *fiar* legendum est. 4) Scribam, qui alieni operis exemplar fecit, hoc modo nomen suum annotasse, neutiquam verisimile est. 5) ita Iaeck catal. bibl. Bamberg. II. p. VI. cf. (Sprenger) Geschichte der Abtey Banz, Nürnberg 1803. 8. p. 335. 315. Ussermann episc. Bamberg. Probb. p. 126.

pertum habeo. Certe medio saeculo XII. vixit, quippe qui primis Friderici I.
6 *annis*[6] *tam ex diversis fontibus quam ex aequalium relationibus Heinrici imperatoris vitam et miracula scribenda susceperit. In hunc finem praesertim Ekkehardi Uraugiensis chronicon*[7], *Othloni vitam S. Wolfgangi*[8], *diplomata*[9] *aliaque monumenta Bambergensia*[10], *qualia in codice Udalriceo collecta sunt*[11], *adhibuit; quae omnia plerumque ad verbum exscripsit. Praeterea etiam Leonis Ostiensis historiam Casinensem quamvis non ad manus habuisse, legisse tamen*
12 *videtur*[12]. *His aliisque fontibus adiutus, satis uberem rerum notitiam sibi comparavit; sed in historia adornanda et disponenda ipsi felici esse non contigit. Nam temporum ordinem turbavit*[13], *saepe res fabulosas recepit*[14], *graviores multas omisit; in fundatione Bambergensis episcopatus enarranda nimium immoratus est, neque tamen quidquam novi attulit, sed multis etiam posterioris aevi chartis narrationem oneravit. Miracula quae addidit leviora sunt et vix memoria digna, licet vel certa maiorum relatione ea acceperit*[15] *vel ipse testis*
16 *viderit*[16]. *Nihilominus haec sancti imperatoris vita multis se commendabat, quae iam paucis post annis a Paderbornensi illo, qui vitam Meinwerci scripsit, adhibita*[17], *et tam saeculo XII. quam sequentibus temporibus saepissime est descripta.*

Inter libros manuscriptos primum habet locum, quem iam attuli,

1) *C. Bambergensis mbr. s. XII. ex. fol. min., quatuor constans quaternionibus, ultimo tamen folio exciso; diligenter et eleganter in usum ut videtur ecclesiae cathedralis scriptus et litteris initialibus auro et variis coloribus pictis*
18 *ornatus*[18]. *Librum nobiscum a V. Cl. Iaeck benevole communicatum ubique fere secutus sum, nonnullis tantum verborum formis correctis*[19]. *Capitum divisionem retinui, numeros vero in codice perturbatos emendavi, opusque in duos libros distribui, altero vitam, altero miracula comprehendens; quamvis olim tres fuisse libros pene suspicarim.*

1[a]) *C. olim Rebdorfensis mbr. s. XIII. fol., qui 263 foliis constans, Vitas S. Thomae Cant., Mathiae apostoli, Kunegundis imper., Heinrici imper., Servacii Tungr., Mariae Magdalenae, Marthae, Georgii, Patritii, Ottonis Bam-*
20 *berg., Catharinae, Otiliae et homiliam S. Bernardi super missas continebat*[20]. *Ex hoc primus Gretserus hanc vitam integram edidit (Divi Bamberg. Ingolst. 1611. 4. p. 6, repetitum ap. Ludewig SS. Bamberg. I. p. 269.), cuius apographum etiam in Act. SS. (Iuli III. p. 752; cf. ibid. p. 723.) adhibitum est. Ubi hodie asservetur, nescio.*

21 1[b]) *C. Norimbergensis III. 70. mbr. s. XV.*[21], *qui, ut a V. Cl. Lochner professore Norimbergensi accepi, ubique cum 1. convenit.*

6) Mir. c. 11; cf. versus supra relatos. 7) c. 6. 18. 20. 21. Mir. c. 1. 8) c. 2. 9) c. 9. 11. 13—19. 26. 27. 10) Acta conc. Francof. c. 10. 12. exscripsit. 11) Ita diploma c. 18. eodem modo quo in cod. Udalr. in epitomen redactum legitur. 12) Quae c. 23. 24. 32. 33. narrantur cum Leone conveniunt. Auctor vero aperte dicit, „illa in Cassino monte scripta inveniri,“ ubi ipse aliquando fuisse et haec vidisse putandus est. Ita etiam c. 23: *Haec,* inquit, *vero tametsi corporaliter gesta referantur.* Ideo haec quoque scripta invenit; nusquam vero nisi in Leonis codice exstant. — Quum haec vero non ad verbum exscribat, sed mutato sermone reddat, Ekkehardi vero et Othloni locos quam fidelissime exprimat, hos libros ad manum habuisse, Leonis historiam semel legisse et postea ex memoria secutus esse videtur; cf. Mabillon Acta VI, 1. p. 453. 13) c. 3. 4. 12. 23—25. 28. 14) c. 3. 21 sqq. 15) c. 2—8. 16) c. 9 sqq. 17) c. 19. 23. 26. 28. 60. magnam partem ex hac vita Heinrici hausta sunt. — In Ann. Mellicenses a recentiori manu plura ex hac vita inserta sunt. 18) cf. Archiv VI. p. 50. 19) Codex habet saepe *cc.* pro *ct*, *ę* pro *e*, quod recipere nolui. 20) Hirsching Versuch III. p. 490. 21) Hic a Murr et Hirsching in descriptione bibl. Norimberg. nondum memoratur, sed bibliothecae postea illatus esse videtur.

1c) *Codex Bambergensis chart. s. XV.*[22] *ex* 1. *descriptus esse videtur, neque tamen, ut V. Cl. Iaeck mihi retulit, idem, cuius apographum Gretserus habuit. Hoc enim quibusdam locis interpolatum praebuit textum*[23], *cum quo*

1d) *C. Norimbergensis IV.* 17. *chart. s. XV. convenit. Praeterea vero in huius fine adiecta est*

altera miraculorum historia, quam Gretserus ex codice monasterii S. Crucis Donawerdae edidit. Eius auctor in ecclesia Merseburgensi deguisse videtur, quippe qui miracula ibidem per merita S. Heinrici sive antea[24] *sive suo tempore*[25] *acta memoriae tradat. Quum rem a.* 1165. *gestam ab episcopo, qui praesens fuisset, se accepisse dicat, s. XII. vergente scripsisse videtur. Quae ex hoc libro recipienda erant, ope*

2) *C. Erlangensis mbr. s. XII. ex. fol.*[26] *emendavi, qui ipsam vitam Heinrici in epitomen redactam et non semel habet mutatam, miraculorum vero librum satis fideliter exprimere videtur.*

Aliam de S. Heinrico eiusque coniuge Cunegunde historiam vitae illi subiectam, a nescio quo saec. XIII. inc.[27] *satis luculenter scriptam, sed fabulis plenam, tamquam librum III. exhibet*[28]

3) *C. bibl. senatus Lipsiensis N.* 194. *mbr. s. XIII. a V. Cl. Naumann*[29] *bibliothecae praefecto summa diligentia in usus nostros exscriptus.*

In hoc quoque codice plurima vitae capitula, praesertim diplomata illa Bambergensia, sunt omissa; id quod etiam de caeteris quos novi codicibus dicendum est. Hanc vitae formam quominus genuinam, Bambergensem vero librum ms. interpolatum habeam, impedit, quod illi codices nusquam fere inter se conveniunt, sed alius alia omittit, ita ut nullum caeterorum fontem agnoscere liceat. Immo scribas, ut vitam publicae lectioni aptiorem redderent, modo haec modo illa reiecisse, semper vero integrum ante oculos habuisse opus, facile est perspectu. In 2. *desunt: c.* 8, 9, *finis c.* 10, *c.* 11—19, *c.* 26. *altera pars, c.* 27; *in* 3: *c.* 6. *fin. — c.* 19, *c.* 26, 27. *Econtra c.* 8—19, *maxima c.* 24—29. *pars et quaedam c.* 35. *verba desiderantur in C. Vindobonensi*[30] *Nro.* 289. *(olim Salisburgensi) mbr. s. XII. et C. Monacensi inter Ranshofenses N.* 35. *mbr. s. XIII, a V. Cl. Föringer evoluto. Reliquos codices Bruxellenses*[31], *Ultraiectinos, Lipsienses, Vindobonenses, Monacenses, partim a memet ipso, partim a Bethmanno aliisque nostri operis fautoribus examinatos, hic recensere longum est*[32]. *Omnes inter se discrepare, iam monuisse sufficiat. Magis etiam textus, quem ex codice Windbergensi Canisius (Ant. lectt. VI. p.* 383, *ed. Basnage III,* 2. *p.* 27.) *primus luci dedit, et quem in codice Monacensi inter libros S. Emmerammi E. XLII. mbr. s. XII. reperiri, V. Cl. Föringer nobis scripsit, a Bambergensi recedit, quippe qui c.* 6. *fin. — c.* 19, *magnam c.* 24. *partem, c.* 26, 27. *et plura ex Miraculorum libro omittat.*

Actis S. Heinrici subiicimus v i t a m *S.* C u n e g u n d i s *uxoris eius. Haec*

22) V. Archiv VI. p. 77. 23) Ita post c. 24. inserta est narratio, quare Heinricus claudicaverit. 24) c. 4. 15. 25) c. 7. 8. 11. 26) v. Archiv VII. p. 111. 27) c. 2. se quae narrat a Conrado ep. Wirzburgensi accepisse dicit, qui sedit a. 1198—1202. 28) Exstat etiam in cod. Norimberg. III. 69. mbr. a. 1449. Vitae Cunegundis praemissus. 29) cf. eius catalogum p. 62. 30) cf. Endlicher cod. phil. p. 107. 31) N. 219. et 3319. praebent praefationem alias incognitam, ab interpolatore adiectam, ex qua ultima verba attulisse sufficiat: *ad pro posse prelibati beatissimi vite Heinrici patefaciendum decursum, calamo simul et atramento minime parcere dulce duxi, quosvis obtestando lectores, ob ruditatem aspera vi correctionis lenificare runcina, ad* etc. 32) Accuratius de hac re agam Archiv Vol. VIII.

saeculo XIII. ineunte, certe post a. 1199., *fortasse ipso a.* 1200[32], *eo consilio scripta est, ut imperatricem inter sanctas referendam papae commendaret; id* 33 *quod eo anno d.* 3. *Aprilis factum*[33] *in hoc libro nondum memoratur. Auctor, nisi alterum vitae, miraculorum alterum statuamus, in ecclesia Bambergensi vixerit oportet*[34], *quam quum a Cunegunde cum Heinrico fundatam dicat*[35], *verba c.* 3., *quibus se in ecclesia ab imperatrice dotata viventem ostendit, huic opinioni repugnare nequeunt. De rebus ab imperatrice gestis, quasi ex Hein-* 36 *rici vita comperta essent*[36], *pauca monet, quae illa vero post mariti mortem in coenobio Caufungensi egit, ita, si eius verbis fidem habemus, exposuit, ut quae „in scriptis reperit vel veridica sanctimonialium, ubi illa pro Christo militabat, relatione cognovit," memoriae traderet; miracula in Bambergensi ecclesia acta ipse vidit et simplici fide narravit. Quae sane omnia non magnae sunt auctoritatis.*

Codicum quos novi praestantissimus est

1) *C. Bambergensis, vitae S. Heinrici supra memoratae assutus, qui saec.* 37 *XIII. scriptus*[37], *foliis* 17 *constat. Post vitam et miracula sequitur f.* 14. *oratio*[38], *sermo magistri Conradi*[39], *f.* 16'. *Visio cuiusdam, f.* 17. *Officium de S. Heinrico et S. Cunegunda.*

2) *C. Erlangensis N.* 317. *mbr.* 4to *s. XIV.* „Iste liber est sancte Marie in Fonte salutis." —; 37. *foliis constans, ex* 1. *descriptus est.*

3) *C. bibl. senatus Lipsiensis N.* 194., *ubi haec vita S. Heinrici actis addita est. Miraculorum habet continuationem (c.* 88 *sqq.) ab alio, ut videtur,* 40 *auctore post Cunegundis canonizationem additam*[40].

Etiam haec vita varias subiit mutationes, modo in epitomen redacta, modo hinc inde aucta; quae omnia hic recensere longum est. Unam prae ceteris affero, quae ita incipit: Ex praeclaro parentum sanguine et augustae nobilitatis gradu duo *etc. Capiti* 1. *vitae Heinrici c.* 21. *inseruit, c.* 4. *vero et miraculorum maximam partem omisit*[41] *et sermonem passim mutavit. Haec in pluribus codicibus exstat, ex quorum numero est*

4) *C. Vindobonensis N.* 596. *(H. eccl.* 148.*) mbr. saec. XIII., qui vitam f.* 44—55. *exhibet, V. Cl. Chmel curante cum editis collatus. Versus, ora-* 43 *tionem*[42] *et prologum vitae praemissa infra edenda curavi*[43]. *Eadem vita*

32) Mir. c. 1. 33) Duo sunt Innocentii III. diplomata, alterum episcopo et capitulo Bamberg. directum (ed. Henschenius Acta SS. Mart. I. p. 281.), alterum universis episcopis inscriptum (ed. Heyberger Ichnographia chron. Babenberg. p. 144. ex autographo), utrumque datum 3. Non. April. a. pont. 3. (1200). 34) Mir. c. 9. 12. 20. 23. 76. — Nonnosius, quem post Gretserum (not. ad c. 1.) huius vitae auctorem putaverunt plures, s. XV. ex. vitas S. Heinrici et Cunegundis germanice conscripsit; v. Sollerium Act. SS. Iuli III. p. 723. 35) c. 1. 36) cf. c. 3. 37) Orthographia in nonnullis a vulgari recedit; ita plerumque *mito (mituntur, promitit, amiteret)* scribitur, etiam *suplicare, eclesia* etc. 38) v. n. 42. 39) Incipit: *De trono procedebant* etc. 40) c. 94. 41) Continuatio illa ex N. 3. memorata hic est servata, fortasse ab eodem qui hanc vitae formam adornavit adiecta. 42) Haec etiam Gretserus in editionis fine habet; oratio eadem est quae in cod. Bamberg. legitur. 43)
Virginis iste docet Chunegundis gesta libellus,
Plura tamen dicenda tacet, dum flumine mergi
Cymba timet; moritur quae tangit bestia montem.
Sed quae lingua tacet, pro virgine signa loquuntur,
Quae famam laudis eius tam crebra sequuntur,
Dum cecis, mutis[a], *claudis optata salutis*
Cura venit, dum languor abit febrisque recedit,
Vita redit recipitque cutis conspersa colorem.
Hoc potuit qui cuncta potest dare virginitati,
Qui montes transferre valet dare credulitati.
Nupta viro, sub lege viri vult virgo latere,
Et Christum sub corde virum sibi legit habere;
Sponsa subarrata sponso, tamen inviolata
Servat virgo fidem; res claruit igne probata.
Discite coniugium celebs[b], *ubi nulla voluptas!*
Qui sine mixtura servant legalia iura,
Cuncta simul pensant, quae mox fuerint ruitura.
Hic in se fructus; mittentes semina luctus,
Gaudia longe metent agnumque sequuntur in albis.

INCIPIT PROLOGUS.

Oramus te, virgo sanctissima, imperatrix gloriosissima, que terras misericordiarum tuarum operi-

a) mitis *c.* b) celeps *c.*

5) a Gretsero (l. l. p. 107. Ludewig SS. I. p. 345.) ex codice Rebdor-
fensi[44] *(v. supra n. 1*[a]*.), postea etiam a Henschenio (Acta SS. Mart. I. p.* 44
272.) ex cod. Bodecensi, et Mabillonio (Act. VI, 1. p. 456.) edita est.

6) C. Monacensis inter Ranshofenses N. 40. mbr. s. XIII. fol. 107'—114.
eandem fere praebet recensionem, sed ordinem mutat et quaedam de coenobio
addit Caufungensi. Praeterea f. 114. haec de Cunegunda, quae Ranshofen
praedium possederat[45]*, eiusque familia leguntur, quae a V. Cl. Föringer ex-* 45
scripta, multa continent nova et notatu valde digna:

„16. Kal. Martii ordinatio Heinrici imperatoris et Chunigundis imperatricis.
15. Kal. Martii Gisila imperatrix, mater sancti Heinrici imperatoris, obiit.
6. Kal. Martii adventus sancte crucis in Confungen.
3. Kal. Martii Heinricus dux, frater Chunigundis imperatricis, obiit.
Anno dominice incarnationis 1033. indictione tertia 5. Non. Martii domina Chunigunda imperatrix augusta dignae memoriae obiit.
6. Nonas Maii Theodericus Metensis episcopus, frater Chunigundis imperatricis, obiit.
6. Nonas Maii Ermindrut abbatissa, soror eius, obiit.
15. Kal. Iunii Gisilbertus, frater Chunigundis imperatricis, Papiae occisus obiit.
2. Nonas Iulii Chuonradus imperator augustus, pater Heinrici imperatoris, obiit.
3. Idus Maii Liukart comitissa, soror Chunigundis imperatricis, obiit.
Anno dominicae incarnationis 1024. indictione septima, 3. Idus Iulii transitus ad translationem sancti Heinrici imperatoris. Eodem die dedicatio Confungensis ecclesiae, quando velata est domina Chunigundis imperatrix augusta.
4. Kal. Aprilis Dietmarus, pater abbatisse Uotae obiit.
13. Kal. Octobris abbatissa Uota, filia sororis Chunigundis imperatricis, obiit.
2. Idus Octobris Heinricus, filius fratris Chunigundis imperatricis, obiit.
5. Kal. Novembris Sigefridus Kunuz comes, pater Chunigundis imperatricis, obiit
Idus Decembris domina Hedewich comitissa, mater Chunigundis imperatricis, obiit.
Eodem die Agnes imperatrix eius consanguinea obiit."

Iam genuina vita, in antiquis legendariis[46] *et a Surio (II. p. 60.),*
miraculis plerisque omissis[47]*, edita, ex codicibus 1. et 3. integra primum prodit;* 47
cui ex miraculis ea subiunxi, quae rebus Bambergensibus et villarum eius
regionis cognitioni aliquid lucis afferre posse videntur.

G. WAITZ.

bus, celos respersisti virtutum floribus[a]*, fluctuantibus in mundo tuis assiste, procellas turbinosas adversantium tuis orationibus propelle, cunctos tibi devotos, vitiis propulsis, perpetuo tuis fac gaudere beneficiis et meritis, et omnes scribentes sive fidelium legentes huius textum lectionis fructu non priventur sue parte devotionis*[b]*. — Mundane machine conditor humano generi per inobedienciam lapso condolens, ut eterne vite fructus novam plantationem, primitivam scilicet ecclesiam insereret, patriarchas et prophetas in mundum mittere dignatus est, qui creditum officium quinque corporis sensibus, sexto quoque, qui est spiritus prophecie, mysterium incarnationis Cristi, et omnium que de ipso annuncianda erant predicentes, alii asperitate vite, alii diversarum mortibus ipsi quoque prophetabant, famulatum suum fideliter impleverunt. Horum limes Cristus eterni patris consilio pro liberandis hominibus de intemerate virginis utero processit, ut iam inchoate plantacioni, missis per orbem apostolis, atque de suo corpore fuso cruore, fabricate, novellam superedificarent ecclesiam. Que sancte Trinitatis fide imbuta et mundata baptismi gracia, martyres, confessores et infirmi sexus virgines, animo tamen constantes, primicias obtulit; inter quas beata Chunegundis Babenbergensis ecclesie cum sancto Henrico, qui Romanum tenebat imperium, sub coniugii specie inmortali sponso caste virginitatis honore deservivit. Inde iam eius sanctitatis merita per orbem manifesta declaracione apparent, quia in loco, ubi sanctum corpus eius quiescit, infirmi quacumque laborantes egritudine sanitatem recipiunt. Ut autem ad omnia cautissimi testes simus, veritatis amatoribus etatis nostre succedentibus de his que scribimus curiose indagantibus, scilicet de vita eius, quomodo et quanto tempore in monasterio vixerit, de obitu, de signis quoque, largiente Domino, prout possumus explicare volumus.*

EXPLICIT PROLOGUS.

44) Ex cod. Bambergensi capitula in Rebdorfensi omissa inseruit. 45) V. dipl. ap. Meichelbeck Hist. Frising. I. p. 219. 46) V. Acta SS. Mart. I. p. 267. 47) Mir. c. 1—4. tantum exstant.

a) *deest c.* b) *Hucusque Gr. qui addit* amen.

ADALBERTI VITA HEINRICI II. IMPERATORIS.

INCIPIT LIBER PRIMUS DE VITA ET DE GESTIS SANCTI HEINRICI IMPERATORIS ET CONFESSORIS[a].

1002. Ian. 24. Anno ab incarnatione Domini millesimo primo, ab Urbe autem condita millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, Ottone[b] puero Romae[1] defuncto, vacante regni solio, cum de principe subrogando ageretur, omnium vota nutu divino ad eum inclinantur, qui tunc in regno habebatur potissimus. Fuit namque per idem tempus dux Bawariorum Heinricus tam bonitate quam nobilitate regia conspicuus et universa morum honestate praeclarus. Hic initium sapientiae, timorem Domini, pleniter secutus est, quia erat omni litterarum studio principaliter imbutus et totus sane fide et actu catholicus. Hic ergo ab omnibus pari voto et conmuni consensu assciscitur, divina utique disponente clementia, ut per temporalis regni fastigia ad culmen coelestis regni pertingeret. Terrena enim bona omnia, sicut usu malo alios a salute praepediunt, ita alios usu bono ad salutem promovent.

1008? 2. Cui necdum caesaris vel imperatoris dignitatem obtinenti, apparuit Ratisponae sanctus Wolfgangus[c] in somnis visione tali[2]. Visum namque est ei, quod manens in sancti Emmerammi aecclesia, accederet orandi gratia ad beati Wolfgangi sepulchrum in eadem aecclesia situm. Cumque ibidem Deum sanctumque Wolfgangum precibus intimis conaretur exorare, subito videbatur ei ipse sanctus[d] astare et huiusmodi verbis ipsum appellare: *Intuere diligenter litteras in muro, qui est secus tumulum meum, scriptas.* Erat autem ibi, sicut videbatur, scriptum solummodo: *Post sex.* Evigilans vero Heinricus rex, tractatione diuturna secum revolvit paucissima huius visionis scripta. In primis ergo arbitratus, quod post sex dies esset moriturus, multa dispensat pauperibus. Cum autem sex dierum numerus praeteriret et nichil in se corporalis molestiae sentiret, putavit, ad sex menses pertinere, et eadem coepit timere. Transacto vero et huius numeri spacio, nichilque in se infirmitatis passus, arbitratus est, hunc numerum ad sex annos pertinere, ideoque quae et supra coepit timere. Cumque sex annorum numerus
1014. Febr. 14. integer pertranssisset et septimi anni dies revolutus venisset, ipso die cesaris dignitatem per apostolicam suscepit consecrationem. Tunc tandem sentiens, qualis esset sua visio, gratias egit Deo sanctoque Wolfgango, qui sibi talem revelare dignatus est sublimitatem[e].

3. Unctus igitur in regem beatissimus Dei famulus, temporalis regni non contentus angustiis, pro adipiscenda immortalitatis corona, summo regi, cui servire regnare est, militare disposuit. Summam etenim diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit; aecclesias ditare possessionibus et inmensis ornatibus augere coepit. Sedes autem episcopales, Hiltensheim[f], ubi a puero enutritus et litteras edoctus fuit, Magdeburch[g], Argentinam, Misenam et Merseburch[h], quae barbarica immanitate adiacentium Sclavorum vastatae fuerant, restauravit; et[i] tam ipsis, quam aliis episcopatibus per universum regnum, in possessionibus et ornatibus innumerabilia contulit. Hiltensheimensibus vero sanctum Gotehardum[k], divina edoctus revelatione, praefecit. Quid autem Merseburgensi aecclesiae specialius prae aliis contulerit, futurorum caritati volumus ex parte notificare. Haec etenim aecclesia tempore Magni Ottonis[l], — illius, inquam, qui ad Licum flumen sub sancto Oudalrico confessore Ungaros prostravit et reges eorum, Lelium videlicet et Assur[3], Ratisponae, principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulo suspendit — assiduis incursionibus et hostili vastatione Sclavorum ad nichilum redacta est. Et quia

a) Incipit liber primus de vita et gestis sancti Heinrici imperatoris 3. Incipit de vita cesaris Heinrici 2. b) ottone *corr.* otone 1. c) wolfkangus 2. *semper.* d) sanctus ipse 3. e) uisionem 3. f) hildensheim 3. g) *ante* a *littera* e *scripta sed deleta est* 1. magdeburc 3. h) mersburc 3. *semper.* i) *deest* 3. k) Godehardum 3. l) otonis 1.

1) rectius Paterni. 2) Haec ex Vita S. Wolfgangi c. 42. supra p. 542. 3) Lele iam in Ann. Alam. a. 955. occurrit, Assur sive Sur vero primum in chron. Ebersbergensi s. XIII. scripto ap. Oefele SS. R. Baioar. II. p. 7. nominatur.

violentiis vicinarum nationum non poterat resistere, in possessionibus, in religione et in
omnibus, quae ad pontificalem dignitatem pertinebant, penitus coepit deficere. Accidit
autem, ut eodem tempore Magdeburgensis aecclesiae archiepiscopus viam universae 981.
carnis ingrederetur, et Merseburgensis praesul, propter sapientiam sibi a Deo collatam
et propter multas virtutes, quibus adornatus erat, ob quas etiam Ottoni Magno gratissimus
extitit, in cathedram Magdeburgensem, praedicto rege[4] id efficiente, praeponeretur.
Factum est autem, ut Merseburgensis episcopatus penitus destrueretur[a], et quae
potiora erant illius aecclesiae in praediis, in ministerialibus, in ornamentis, in ditionem
Magdeburgensis aecclesiae transferrentur, et de quibusdam reliquiis possessionum[b], quae
Merseburch remanserant, abbatia inibi construeretur. Quod factum usque ad tempus
pii confessoris Christi[c] Heinrici immutatum permansit. Cum autem isdem rex, convo- 1003. Mart.
catis principibus regni sui, Chutelingeburch[d] curiam celebrasset[5], universis in id ipsum
consentientibus, Poloniam et Boemiam caeterasque Sclavorum adiacentes regiones, quae
fines regni sui vastabant, debellare disposuit.

4. Congregato[6] itaque exercitu, contra praedictas nationes aciem direxit. Et 1004.
faciens transsitum per locum qui Walbech[e] dicitur, gladium sancti Adriani martiris, qui
pro reliquiis multo tempore ibi servabatur, accepit. Quo accinctus, ex toto corde suo
clamavit et dixit: *Iudica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende* Psalm.
arma et scutum, et exurge in adiutorium michi. Inde progressus, castra metatus est in 34, 1.2.
campo, ubi Merseburgensis aecclesia sita est, et videns locum desolatum et in nichilum
redactum, ingemuit et ait: *Beate Laurenti, martir Christi, si tuo interventu has barbaras
nationes, ad quas pergo, Romano imperio et christianae religioni subiugavero, hunc locum
desolatum, tuo nomine consecratum, divina favente gratia, in pristinae dignitatis statum
reformabo.* Ut vero principes Poloniae et Boemiae caeterarumque Sclavicarum gentium
primates Romanum imperatorem cum exercitu ad[f] debellandos eos advenire cognoverunt,
innumerabili multitudine barbarorum collecta, in bellum ei obviam processerunt.
Quod regi pio per speculatores suos cito innotuit, et, sicut in omnibus angustiis suis
solebat, ad orationis arma confugit. Invocatoque super se nomine Domini, beato Laurentio
et sancto Georgio et beato Adriano martiribus se suumque exercitum protegendum
cum summa devotione commisit. Et cum omnes perceptione corporis et sanguinis
Domini confortati fuissent, ad locum certaminis venerunt. Ubi cum rex beatus verbis
exhortatoriis ad viriliter agendum singulorum animos erexisset, videns adversariorum
innumerabilem multitudinem, clamavit ad Dominum et ait: *Deus, qui conteris bella ab* Iud.
initio, eleva brachium tuum super gentes, quae cogitant servis tuis mala. Disperge illos 9, 10. Psal.
in virtute tua, et destrue eos, protector meus. Pone illos ut rotam et sicut stipulam ante 58, 12.
faciem venti[g]. Haec dicens, aperti sunt oculi eius, et vidit gloriosos martyres, Georgium 82, 14.
videlicet, Laurentium, Adrianum, cum angelo percutiente, exercitum suum praecedentes,
et hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Sennacherib ab angelo
percutiente contritus est et periit, ita et omnis ista barbarorum multitudo per virtutem
Dei contrita, proiectis armis, sine effusione sanguinis christianorum, fugae praesidium
quesivit. Quo viso, rex sanctus, elevatis oculis ac manibus in coelum, benedixit Deo
coeli et ait: *Benedico te, rex coeli et terrae, qui superbis resistis et humilibus das gratiam,
qui custodis diligentes te, et glorificatus es in gentibus, propter datam nobis de coelo
victoriam.* Victis ergo barbaris, et quae ad futuram pacem prodesse poterant firmissima
pactione stabilitis, vir beatus cum suis in sua redierunt cum pace, glorificantes et
laudantes Deum, qui salvat sperantes in se.

5. Cumque christianissimus rex Poloniam, Boemiam, Moraviam tributarias fecisset,
ob reverentiam sancti Laurentii martyris conculcationem et destructionem Merseburgensis
aecclesiae coepit pio intuitu misericordiae et pietatis respicere, et ad nichilum
redactam, in edificiis, in ministerialibus, in secularibus possessionibus, in aecclesiasticis

a) *in loco raso* 1. b) possionum *corr.* possessionum 1. c) *post additum videtur* 1. d) chŏtelingeburch 1. chutelenburch 2. quidelingeburc 3. e) walbec 3. f) ad de *in loco raso* 1. g) *post suppletum* 1.

4) potius Ottone II; cf. Thietmar. III, 8. 5) cf. Thietmar. V, 19. 6) cf. Thietmar. VI, 4. Sed Merseburgensis episcopatus restitutio hanc expeditionem praecedebat.

ornamentis, in pristinum gradum pontificalis dignitatis, sicut Deo et sancto Laurentio voverat, studuit restaurare. Nec prius ab operibus misericordiae destitit, quoadusque eam ad antiquum statum dignitatis et pristinum honorem religionis ex integro perduceret.

6. Denique episcopatum Babenbergensem ex integro in suo domate fundavit, terminis videlicet ab adiacentibus episcopatibus legitimo concambio conmutatis. Eundem[a] vero episcopatum, principibus apostolorum Petro et Paulo et preciosissimo martiri Georgio adtitulatum, speciali iure sanctae Romanae aecclesiae contradidit, ut et primae sedi debitum divinitus impenderet honorem, et suam plantationem tanto patrocinio firmius communiret.
7 In[7] meridiana quoque parte civitatis monasterium, in honore sancti Stephani protomartiris, sub ordine canonico construens, ex altera vero, hoc est aquilonari, aliud monasterium sub monachili regula in honore sancti Michahelis archangeli sanctique Benedicti abbatis constituens, sibi suaeque civitati, supra petram apostolicae firmitatis fundatae, muroque et propugnaculis meritorum sancti Georgii caeterorumque sanctorum munitae ac exornatae, contra incentivos vicinorum[b] iactatus turrim fortitudinis in Stephano, et contra refrigerantes flatus illius, qui in aquilone, unde malum omne pandetur, sedem ponere disposuit, refugium certum in angelico praeparavit praesidio, ut a dextris et a sinistris iusticiae armis vallatae in nullo sufficiat insidiator praevalere.

7. His tribus aecclesiis postea per Guntherum, eiusdem Babenbergensis sedis quartum[8] praesulem, et per Reginoldum quendam virum nobilem, addita est quarta aeccle-
1063. sia, in honore sanctae Mariae matris Domini et sancti Gangolfi martyris, extra urbem
1065. versus orientem, in loco Tierstat[9], sub ordine et professione canonica. Denique sextus
1075. eiusdem sedis episcopus Hermannus, extra urbem versus occidentem, in honore sancti Iacobi apostoli, filii Zebedei, aecclesiam sub ordine canonico iniciavit. Hanc Otto, humilis amator pauperum Christi, octavus eiusdem sedis episcopus, cooperante Eberhardo praeposito, consummavit et dedicavit, ac stipem ordinemque illic Deo servientium decenter disposuit. Sic locus Babenbergensis aecclesiis et patrociniis sanctorum in modum crucis undique munitus, Christo Ihesu crucifixo cottidianum et sedulum celebrat officium, et servitium pro primo suo fundatore Heinrico secundo, imperatore piisimo, eiusque cooperatoribus et successoribus vel augmentatoribus omnibus. Et ut inibi militantibus Domino maior tranquillitas et securitas ac reverentia ad supplicandum Deo perseveret, praedictae quinque aecclesiae sic sunt locatae, ut fere ab omni strepitu et tumultu forensi ac populari sint decentissime segregatae.

8[c]. Ut autem cunctis liquidius enitescat, qua vigilantia vir beatissimus novellae suae aecclesiae bona pacis et tranquillitatis etiam per succedentia tempora providerit, aliquas hic tam episcoporum quam regum inserimus confirmationis epistolas, ut, quia duo sunt quibus hic mundus principaliter regitur, pontificalis auctoritas et regalis potestas, ex utroque horum a dextris suffulta et sinistris, ab omnium molestia infestationum secure monstretur in[d] perpetuum defensa. Dicente enim domino Salvatore, duos aecclesiae gladios sufficere, quorum unus, id est verbum Dei[e], usque ad divisionem animae ac spiritus penetrat, alter, id est materialis[f], inflexibilia et dura corda rigore suo domat et premit; quicquid eorundem gladiorum iure hinc inde munitur, constat profecto, quod nullius mali incursione ab status sui rectitudine labefactatur. Prius tamen hic cartam
9 Ottonis tertii[10] imperatoris praescribimus, ut scire volentibus, qualiter ipse locus Babenbergensis in ditionem sancti regis obvenerit, ex eadem conscriptionis pagina colligatur[g].

9. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Otto divina providentia imperator augustus. Noverint omnes nostri fideles, praesentes scilicet et*[h] *futuri, qualiter nos, ob interventum dilectissimae genitricis nostrae Adelheidae*[i]*, caro nepoti nostro, Bawariorum*[k] *duci Heinrico*[l]*, quoddam iuris*[m] *nostri praedium, civitatem videlicet Babenberc*[n] *nominatam,*

a) Eundem — *c.* 19. *fin. desunt* 2. b) viciorum 1. 3. *alii.* c) c. 8. 9. *desunt* 3. d) imperp. 1. e) i. v. D. *superscripta sunt* 1. f) i. m. *superscripta* 1. g) *Hoc diploma ex autographo editum est Mon. B. XXVIII. p.* 201. *unde tamen Vitae scriptorem corrigere nolui.* h) ac *M. B.* i) adalh. *M.* k) baioariorum *M.* l) *deest M.* m) n. i. *M.* n) papinberc *M.*

7) Reliqua huius capitis ex Ekkehardo Uraug. 8) lege: *quintum.* 9) Teurstadt. 10) Error librarii; necessario Ottoni II. hoc diploma tribui debet. GRETSER.

cum omnibus ad hanc respicientibus et eo in servitium versis et Nendilin Uraha, in comitatu Bertholdi[a] *comitis Volcfelt*[b] *nuncupato*[c] *sita, nostra imperiali potentia in*[d] *perpetuae usum proprietatis concessimus firmiterque donavimus, cum utriusque sexus mancipiis, edificiis, aecclesiis, terris, cultis et incultis*[e], *et cum omnibus iure legaliterque ad haec iam dicta praedia pertinentibus, eo tenore, ut libero*[f] *ipse deinceps perfruatur arbitrio*[g] *haec tenendi, commutandi, dandi, posteris relinquendi, seu quicquid sibi libuerit inde faciendi. Et ut hoc nostrum praeceptum stabilius*[h] *firmiusque permaneat, hanc cartam inscribi iussimus, anuloque sigillatam propria*[i] *manu nostra roboravimus*[k]. *Data 5. Kalend. Iulii*[l], 973.
indictione 1. anno regni domni Ottonis 13. imperii autem 7[m].

10. Anno[11] igitur ab incarnatione Domini 1007. indictione 5. in Kalendis Novembris 11

a) berahtoldi *M.* b) volcflt *corr.* volcfelt 1. volcveld *M.* c) nuncupata 1. d) imp. 1. e) pratis. pascuis. siluis. forestis. forestariis. ceilariis. censibus. aquis aquarumue decursibus. molendinis. mobilibus et inmobilibus. uiis et inuiis. exitibus et reditibus. quesitis et inquirendis *add. M.* f) libere 1. g) arbitro *corr.* arbitrio 1. h) firmius stabiliusque *M.* i) m. p. *M.* k) Signum domni Ottonis magni imperatoris augusti. Uuilligisus cancellarius uicé Rotberti archicappellani notaui. *add. M.* l) anno dominicae incarnationis 975. (*lege:* 973.) *add. M.* m) Actum Uuormatiae *add. M.*

11) Haec — *episcopatum roborarent* ex notitia de synodo Francofurtensi (Eccard II. p. 60 ex coll. Udalrici Babenbergensis n. 57. Ussermann ep. Bamberg. Probb. p. 13.) hausta sunt; quam hic adiungendam duxi: *Anno dominicae incarnationis* 1007. *indictiore 5. Kalend. Nov. regnante piissimo ac serenissimo Heinrico secundo, anno regni sui* 6. *pro statu et augmento sanctae matris aecclesiae in loco Franckonofurt dicto magna synodus habita est et celebrata. Nam idem rex Heinricus magnus et pacificus, ut in Deum erat credulus et in homines pius, dum alta mentis deliberatione sepenumero cogitaret, in quo Deum sibi maxime placaret, summa inspirante divinitate, cogitando disposuit, ut Deum sibi heredem eligeret et conscriberet, et episcopatum in honorem sancti Petri principis apostolorum in quodam suae paternae hereditatis loco Babenberc dicto ex omnibus suis rebus hereditariis construeret, ut et paganismus Sclavorum destrueretur, et christiani nominis memoria perpetualiter ibi celebris haberetur. Sed dum parroechiam ad eundem locum respicientem non haberet, et sanctam pentecosten in eodem sui regni anno* 6. *Mogontiae celebraret, quandam partem Wirceburgensis dioceseos, comitatum videlicet Ratenzgowi dictum, et quandam partem pagi Volcfelt dicti inter fluvios Uraha et Ratentza sitam, ab Heinrico Wirciburgensi episcopo firma ac legali commutatione*[a] *acquisivit, tradens econtra Wirciburgensi aecclesiae* 150 *mansos in vico Meinungun dicto et in adproxime*[b] *iacentibus locis; hoc consentientibus et perspicientibus venerabilibus patribus, inprimis videlicet Wirciburgensis aecclesiae episcopo Heinrico, et Willigiso reverendo archiepiscopo Mogontino, et Burchardo Wormaciensi, et Walthero Spirensi, et Wernhario Strazburgensi, et Adalberone Basilensi, et Lamberto Constantiacensi, et Udalrico Curiensi, et Liudolfo*[c] *archiepiscopo Treverensi, et Theodorico Mettensi, et Berahtoldo Tollensi, et Heimone Virdunensi; et Hereberto archiepiscopo Coloniensi, et Notkero Leodicensi, et Eralwino*[d] *Kameracensi; et Daginino*[e] *archiepiscopo Magideburgensi, et Hildolfo Mantuano. Gloriosissimus vero rex Heinricus tunc voti compos effectus, pari supradictorum patrum consultu duos suis ex capellanis, Albericum videlicet et Ludowikum, adiunctis Heinrici Wirceburgensis episcopi litteris, Romam usque direxit, quatinus hic bene incepta in melius proficerent auctoritate Romana. Romanus vero pontifex et universalis papa Iohannes precatorias predicti Heinrici episcopi literas inspiciens, et piisimi regis Heinrici devotioni congaudens, habita in sancti Petri basilica synodo, pro confirmando Babenbergensi episcopatu privilegum fecit conscribi, et apostolica auctoritate roborari, universis Galliae et Germaniae episcopis rescribens, ut et ipsi pari communique auctoritate eundem episcopatum corroborarent et confirmarent. Quod videlicet privilegium venerabiles patres in supradicto Frankonofurt habito generali concilio consistentes summa veneratione legendo suscipientes, et apostolicae auctoritati obedientes, devotis mentibus subscribendo unanimiter laudaverunt communiterque corroboraverunt.*

Willigisus sanctae Mogontiensis aecclesiae archiepiscopus, qui eidem synodo vice Romanae aecclesiae praesidebam, conlaudavi et subscripsi.
Radherius[f] *Padelbrunnensis aecclesiae episcopus interfui et ss.*
Megingaudus Eichstatensis episcopus interfui et ss.
Berenwardus Hildinisheimensis episcopus interfui et ss.
Lambertus Constantiensis episcopus interfui et ss.
Arnolfus Halberstatensis interfui et ss.
Uodalricus Curiensis episcopus interfui et ss.
Burchardus Wormaciensis episcopus interfui et ss.
Werinharius Argentinensis episcopus interfui et ss.
Walterius Spirensis episcopus interfui et ss.
Brun Augustensis episcop. interfui, collaudavi et ss.
Liudolfus Treverensis archiepiscopus interfui et ss.
Berahtoldus Tullensis episcopus interfui et ss.
Heimo Wirdunensis episcopus interfui et ss.
Hartwigus Iuvavensis archiepiscopus interfui et ss.
Christianus Pataviensis episcopus interfui et ss.
Gebehardus Radesponensis episcopus interfui et ss.
Egilbertus Frisigensis episcopus interfui et ss.
Adalbero Brixiensis episcopus interfui et ss.
Heribertus archiepiscopus Coloniensis interfui advoc.[g] *sinodi et ss.*

a) tradicione *cod. U.* b) proxime *c. U.* c) Luidolf. *Uss. et infra.* d) Erlwino *c. U.* e) Daginone *c. U.* f) Ratherus *c. U. lege:* Retharius. g) ad votum *c. U.*

1007. magna synodus episcoporum aliorumque patrum habita est et celebrata in villa regia Frankenvurt, mediante rege magno et pacifico Heinrico, anno regni sui 6. Nam dum idem Deo devotus rex alta mentis consideratione secum volveret, in quo potissimum opere Dei misericordiam sibi facilius conciliaret, divini instinctu consilii inspiratus disposuit, ut Deum sibi heredem eligeret et conscriberet, et episcopatum Babenbergensem, ut praescriptum est, ex rebus hereditariis construeret, ut et paganismus Sclavorum ibi destrueretur et christiani nominis memoria perpetualiter inibi celebris haberetur. Sed cum parrochiam[a] ad eandem sedem respicientem non haberet, et sanctam[b] pentecosten
Mai. 25. in eodem regni sui anno Mogontiae celebraret, partem Wirziburgensis dioceseos, comitatum videlicet Ratenzgouwe dictum, et partem pagi Volcvelt dicti inter fluvios Uraha et Ratenza sitam[b*], ab Heinrico Wirziburgensi episcopo[c] firma ac legali traditione[d] acquisivit, tradens econtra Wirziburgensi aecclesiae 150 mansos in vico Meinungun dicto et in proxime adiacentibus locis, consentientibus et concurrentibus in haec vota illius Heinrico Wirziburgense et Willigiso Mogontiae metropolis archiepiscopo, multisque qui praesentes fuerunt archiepiscopis et episcopis legitimum hoc concambium attestatione sua et subscriptione roborantibus. Gloriosissimus vero rex compos voti effectus, pari supradictorum patrum consultu, duos ex capellanis suis, Albericum et Luodevicum, adiunctis Wirziburgensis episcopi literis, Romam usque direxit, quatenus bene hic cepta in melius proficerent auctoritate apostolica. At Romanus pontifex et universalis papa Iohannes, piissimi regis devotioni congaudens, habita in sancti Petri basilica synodo, pro confirmando episcopatu Babenbergensi privilegium fecit conscribi et apostolica auctoritate firmari, universis Galliae et Germaniae episcopis rescribens, ut et ipsi pari communique auctoritatę praedictum episcopatum roborarent. Cuius[d*] videlicet privilegii exemplar in hunc modum se habet[e]:

11. *Iohannes episcopus, servus servorum Dei. Officii nostri est, omnium sanctarum Dei aecclesiarum commoda generaliter considerare, et maxime earum, quae specialiter sub iure ac dominio[f] nostrae Romanae aecclesiae consistunt, si quod est incommodum, abolere, ne pro gravi incommoditate sua neglectae vilescant, vel qualibet nacta occasione, debita sollempnitate careant. Propterea omnibus sanctae Dei aecclesiae fidelibus, praesentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quia dilectus et spiritualis filius noster Heinricus gloriosissimus atque invictissimus rex, divina inspirante clementia, de propriis hereditariis rebus, pro sua suorumque parentum anima, episcopatum in loco qui dicitur Babenberc, perfectae[g] fidei et caritatis devotione, in honorem beatissimi Petri apostolorum principis esse constituit, commutatione facta iure ac legaliter cum Heinrico Wirziburgensi episcopo de aliqua parte parrochiae sui episcopatus. Unde etiam praedictus episcopus nobis suas litteras misit, ut suo consensu privilegio nostrae apostolicae auctoritatis episcopatus noviter factus fundaretur. Pro qua ratione Heinricus secundus gloriosissimus rex nuncios suos ad nos direxit, qui nobis haec omnia dicerent et nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cuius sanctissimam intimationem paterna et praecordiali dilectione intuentes, omnes res, quas beato Petro apostolorum principi in loco praenominato legitima ratione collectas contulit, nostrae auctoritatis privilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione, ut episcopus eius loci et qui in perpetuum sui fuerint successores, eas secura tranquillitate possideant, et liberam habeant potestatem, res et proprietates eiusdem aecclesiae ordinare atque conpo-*

a) barrochiam 1. b) scm̄ 1. b*) sita 1? c) episcopo — Wirziburgensi *in margine* 1. d) commutacione *recentiori manu* 1. d*) Cuius — c. 19. *fin. desunt* 3. e) *Exstat diploma etiam ap. Ussermann p. 12, sed ex hac vita, nisi fallor, repetitum, et in cod. Udalr. apud Eccardum p. 76, cuius lectiones ex codd. Vindobonensi et Zwetlensi correctas in notas retuli et E. significavi.* f) domino *corr.* dominio 1. g) quem ipse p. *E.*

Suidgerus Mimigardvordensis episcop. interfui et ss.
Ansfridus Traiectensis episcopus interfui et ss.
Theodricus Mindensis episcopus interfui et ss.
Thietmarus episcopus Osneburcgensis interfui et ss.
Dagino archiepiscopus Magedeburgensis interfui et ss.
Hildwardus Citicensis episcopus interfui et ss.
Burchardus archiepiscopus Laudunensis[a] *interfui et ss.*
Baldolfus archiepiscop. Tarentasiensis interfui et ss.
Anastasius Ungrorum archiepiscopus interfui et ss.
Adalbero Basilensis interfui et ss.
Hugo Genuensis[b] *ss.*
Heinricus Lausonensis ss.
Ekkehardus[c] *Slesvicensis ss.*
Albericus Cumanus episcopus interfui et ss.
Richolfus Tergestinensis ecclesiae episcopus †[d].

a) *i. e.* Lugdunensis. b) gennuensis *Uss.* c) *Haec desunt U.* d) interfui et ss. *c. U.*

nere vel etiam augmentare; dissipare vero atque confundere, nullam habeant[a] *potestatem.* 1007.
Nostra quoque auctoritate sancimus[b], *uti*[c] *in terminis et in rebus eiusdem aecclesiae nulla sit infestatio tyrannorum vel aliorum quorumlibet pravorum hominum, sive sint in civitate ipsa Babenberch, sive in castellis et villis, servis, ancillis*[d], *tributariis, decimis, forestibus, silvis, venationibus, piscariis*[e], *molendinis, campis, pratis, pascuis, terris*[f], *cultis et incultis; et quicquid modo illuc pertinet vel in futurum acquiri possit, per nostrae auctoritatis privilegium corroboratum, in secura quiete permaneat. Nullus ibi comes aut iudex legem facere praesumat, nisi quam per concessionem gloriosissimi regis Heinrici vel successorum eius*[g] *episcopus loci eiusdem deliberet. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber et ab omni extranea potestate securus, Romano tantummodo mundiburdio subditus, quatenus episcopus eo melius cum canonicis suis servitio Dei possit insistere et primi constructoris eiusdem loci et recuperatoris iugiter memoriam habere. Sit*[h] *tamen idem*[i] *suo metropolitano*[k] *subiectus atque obediens. Quicumque haec praecepta servaverit, divinam remunerationem et apostolicam benedictionem accipiat. Qui autem contemptor et violator extiterit, perpetui anathematis dampnationi subiaceat, nisi resipiscens ad satisfactionem perveniat. Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sanctae Romanae aecclesiae, in mense Iunio, indictione* 5.

12. Habito igitur rursum generali concilio in Frankenvurt[13], cui praesedit venerabilis archiepiscopus Willigisus Mogontinus, universi archiepiscopi et episcopi, qui interfuerunt, numero 37, debita cum veneratione privilegium hoc sedis apostolicae suscipientes, unanimiter devotis mentibus laudaverunt et subscribendo roboraverunt. 13

13. De supradictis vero parrochiae terminis, ab aecclesia Wirziburgensi commutatis, ne qua fieret in posterum querela vel dubitatio, subiectam conscribi paginam fecerunt; cui subscripsit primo quidem ipse Heinricus Wirziburgensis episcopus, deinde eiusdem aecclesiae praepositi sive presbyteri, numero novem[l].

Omnium[m] *sanctae Dei aecclesiae fidelium, tam praesentium quam futurorum, notitiam non latere desideramus, qualiter gloriosissimus rex Heinricus, divinae, ut credimus, admonitionis stimulo compunctus, de praediis, quae Dei gratia hereditarioque iure parentum in suae possessionis dominium*[n] *pervenerant, Dei servitium augere*[o], *episcopatum construendo*[p], *desiderans, quo id legitime rationabiliterque fieri potuisset, Heinricum venerabilem Wirziburgensis aecclesiae provisorem, quatenus quendam locum Babenberch nuncupatum, cum pago qui Ratenzgowe*[q] *dicitur, qui*[r] *ad*[s] *suae dioceseos statum pertinere videbatur, de suo iure in suum ius ad id perficiendum transfunderet, studiose*[t] *coepit flagitare. Qui, quoniam iustae atque rationabiles causae*[u] *videbantur, eiusdem augustissimi atque invictissimi regis petitionibus acquiescens, cum communi cleri sui atque militum necnon totius populi consilio et consensu, praefatum locum cum praedicto pago, tribus parrochianis aecclesiis exceptis*[v] *cum suis adiacentiis, quarum haec nomina sunt, Wachenrode*[w], *Lonerstat, Mulihusen, omni postmodum remota contradictione, suae potestati tradidit; alterius autem pagi, qui Volcfelt*[x] *vocatur, in quo praefatus locus situs est, partem eidem regi concessit, quantum est de Babenberch ad flumen Uraha, de Uraha in Ratenzam*[y] *flumen, et sic iuxta decursum eiusdem fluminis in Moin, et inde ad rivulum Wichebach*[z], *deinde ad caput eiusdem rivuli, sicque qua citissime*[*] *ac proxime perveniri potest ad Uraha*[a]. *Actum in civitate*

a) habent *corr.* habeant 1. b) sanccimus 1. c) uti *corr.* ut 1. d) et a. *E.* e) piscationibus *E.* f) terris *corr. recentiori manu* agris 1. g) suorum ep. eius l. d. *E.* h) Sit — obediens *desunt linea et dimidia erasa* 1. i) idem episcopus *E.* k) m. archiepiscopo Moguntiensi *E.* l) *Extat apud Ussermann p.* 18. *et in cod. Udalr. n.* 58. *ap. Eccard. p.* 62. m) In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Omnium *E. USS.* n) dominum *corr.* dominium 1. o) adaugere *USS.* p) c. atque ordinando *U. E.* q) redenzegewi *U.* r) quia *U.* s) *post suppl.* 1. t) stodiose 1. u) u. c. *U.* v) cum s. a. e. *U.* w) wachenrod, lonerstadt, mulinhusun *U.* mulehusen *E.* x) Uolgfeld nominatur *U.* y) ratennam *U.* z) Uichebach *U.* *) scitissime 1. a) Et ut haec traditio firma atque inconuulsa permaneat, ipse presul Heinricus corroborauit et subscripsit. *add. E. Eadem et:* Signum H. Wirciburgensis episcopi †. Hildelinus Wirzib. aecclesiae praepositus collaudando subscripsit. Fridini decanus subscripsit. Regenhardus presbyter subscripsit. Azzo presbyter indignus subscripsi. — — — Heribaldus presbyter collaudante assensumque praebente toto clero sanctae Wirciburgensis aecclesiae

13) Auctorem falli, quum duas statuat synodos Francofurdenses, ex notitia supra edita facile est intellectu. Etiam Thietmarus, quem ad hanc rem probandam attulerunt Sollerius, Harzheim, Ussermann alii, unam tantum novit (VI, 23), sed regis verba et res ibi gestas minus recte referre videtur, quippe qui Heinricum Wirzburgensem in hac etiam synodo reluctantem et vix tandem concedentem dicat, quum ille tamen iam antea praebuerit consensum.

Wirziburgensi[a], *praesente serenissimo imperatore*[b] *Heinrico, ea conditione, ut decimam in novalibus iam incisis et ad mansum*[c] *mensuratis cum veteri decima non*[d] *commutuata Wirziburgensis aecclesia retineat, in novalibus vero posthinc excolendis decimam Babenbergensis aecclesia possideat cum termino commutuato.* 1108. Mai 7.

14[e]. Sed et Iohannes Aquilegiensis patriarcha opus tam laudabile regis excellentissimi et piam erga Christum devotionem toto affectu amplectens, Heinrico episcopo Wirziburgensi gratulationis plenam scripsit ępistolam[f]:

Beatissimo domino et sincera caritate diligendo Heinrico sanctae Wirziburgensis aecclesiae episcopo[g] *venerabili, Iohannes Aquilegiensis aecclesiae patriarcha, cum omnibus suae dioceseos episcopis, fraternam dilectionem in eo qui prior dilexit nos et tradidit semet ipsum pro nobis, Ihesu Christo domino nostro. Licet, reverende frater, fraternae dilectionis cura nos ammoneat, ut in omnibus operibus bonis, quae Conditor humani generis misericorditer ad salutem cottidie disponit, immensas gratiarum actiones ipsi agere debeamus, quandocumque tamen vel ubicumque ex provectu sanctae aecclesiae, vel eius exaltatione, locatione aliquid nos magnifici operis audire contigerit, immensae devotionis affectu et spiritualis exultationis effectu illum laudare et benedicere et praedicare debemus, cuius haec dona sunt et a quo bona cuncta ineffabiliter procedunt. Qui inter innumerabilia sempiternae dignationis sacramenta ea etiam in suorum cordibus principum dictat, quae ad multorum exemplum et salutem*[h] *profutura procurat. In quibus unum est, quod nuper*[i] *divinitus factum maximam mentibus nostris leticiam generavit. Audivimus namque, quod dominus noster Heinricus gloriosissimus et invictissimus rex, divina sibi inspirante gratia, ex suis praediis et paterna hereditate in loco qui dicitur Babenberch episcopatum in honore beatissimi Petri apostolorum principis construxit, et commutatione facta digne et legaliter cum vestra aecclesia, partem quandam ex eius diocesi acquisivit, atque hoc concambium apostolicae sedis privilegio corroboravit. Quod quidem eximium et laudabile opus et*[k] *eius dignissimam liberalitatem et vestram caritatem satis egregie predicabilem commendat, cum et suum est per operationem et vestrum fit*[l] *per dilectionem. In quo omnipotenti Deo inmensas gratias referimus, ad cuius inestimabilem gloriam spectat, quod per regem nostrum Heinricum, bonum et fidelem ministrum suum, fundatissimam pacem omnibus ecclesiis prestat*[m] *et insuper novam aecclesiam format, per quam et de inimico humani generis in vicinas Sclavorum gentes, Deo opitulante, triumphabit, et innumerabilem familiam per lavacrum regenerationis sibi multiplicabit. Nos autem cum omnibus nostrae dioceseos episcopis hoc divinum opus in commune laudamus, atque in eo iuste consentientes et subter conscribentes, in*[n] *perpetuum valere confirmamus.*

14 15[o]. *Heinricus*[14], *divina praeordinante clementia rex, omnibus aecclesiae filiis, tam futuris quam praesentibus. Saluberrimis sacri eloquii*[p] *institutionibus erudimur et praemonemur, ut temporalia relinquentes bona et terrena postponentes commoda, aeterna et sine fine mansura in coelis studeamus adipisci consistoria. Gloria enim praesens fugitiva est et vana, dum possidetur, nisi in ea aliquid de coelesti aeternitate cogitetur. Sed Dei miseratio humano generi utile providit remedium, quando partem coelestis patriae terrenae substantiae fecit esse precium. Huius ergo nos*[q] *clementiae non inmemores, nec ignorantes, nos gratuito divinae miserationis respectu regali dignitate sublimatos, congruum esse ducimus, non solum aecclesias ab antecessoribus nostris constructas ampliare, sed ad maiorem Dei gloriam novas aedificare, easque devotionis nostrae donis gratissimis exaltare. Quapropter dominicis non surdum auditum praebentes praeceptis, et deificis obtemperando intendentes suasionibus, thesauros divinae largitatis munificentia nobis collatos in coelo desideramus reponere, ubi neque fures effodiant*[r] *nec furentur, neque erugo vel tinea demoliatur, ubi et, dum omnia nunc congesta recolimus, cor nostrum desiderio et amore sepius versetur. Proinde patere volumus omnium fidelium universitati, quod quendam paternae hereditatis nostrae locum, Babenberch dictum, in sedem et culmen episcopatus pro-*

subscr. Albuwinus diaconus subscr. Scripta autem est haec cartula anno incarnationis dominicae 1108. indict. 6. Non. Maii. *add. U.* a) wirciburg *U.* b) rege *U.* c) mansos *U.* d) decimarum c. *U.* e) 1. *novum caput* (XIII. *corr.* XI.) *incipit a diplomate sequenti.* f) *Exstat in cod. Udalr. n.* 82. *ap. Eccardum* p. 78. g) v. e. I. sanctae Aquileigensis p. *E.* h) s. et e. *E.* i) d. n. *E.* k) *deest E.* l) *deest E.* m) parat *E?* n) imp. 1. *saepius.* o) XII. 1. p) eloqui 1. q) *suppletum* 1. r) effodiunt *corr.* effodiant 1.

14) Hoc diploma inter plurima quae M. B. XXVIII. p. 337 sqq. ex autographis edita sunt non exstat.

veximus, et Romanae sedis auctoritate firmatum, atque venerabilis Heinrici Wirziburgensis episcopi consensu, et dilectae coniugis nostrae Chunigundae voluntate, pari etiam communique omnium nostri fidelium, tam archiepiscoporum quam episcoporum abbatumque necnon ducum et comitum consulto decretoque, ac totius regni nostri principum[a] *concordi devotione laudatum, ad honorem omnipotentis Dei et beatae Mariae semper virginis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli necnon sanctorum Kiliani et Georgii fundavimus, stabilivimus et corroboravimus, ut inibi nostrûm parentumque nostrorum et Ottonis tercii imperatoris, videlicet antecessoris nostri, celebre habeatur memoriale, et iugis pro omnibus orthodoxis mactetur hostia salutaris. Oblatis igitur Deo in eadem dilecta nobis aecclesia, ad honorem et decorem domus Dei, ex metallis lapidibusque preciosis in varios usus sanctuarii vasis seu vestibus aliisque ornamentis aecclesiasticis, contulimus praeterea ad supra dictam sedem episcopalem praedia, aecclesias, vicos, villas, cum omnibus suis pertinentiis sive adherentiis, videlicet utriusque sexus mancipiis, areis, edificiis, terris, cultis et incultis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, silvis, sagenis, venationibus, pratis, pascuis, campis, forestis, forestariis, ceilariis, censibus, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus et*[c] *immobilibus, et caeteris omnibus, quae rite scribi aut appellari possunt, quoquolibet modo utilitatibus; praesenti nostrae auctoritatis edicto statuentes, ut nobis in Deo dilectus sepedictae sedis episcopus Eberhardus suique successores liberam dehinc habeant potestatem, eadem praescripta bona cum omnibus appendiciis*[d] *suis tenendi, possidendi, seu in quoslibet usus episcopatus convertendi. Fratribus autem canonicis, Deo ibidem famulantibus, ad cottidiana temporalis vitae subsidia possessiones quas tradidimus nostra imperiali auctoritate proprietative possidenda confirmamus, ea videlicet ratione, ut praefati canonici et eorum per successionem praepositi liberam dehinc cum ipsorum canonicorum consensu et consilio potestatem habeant, in meliores usus commutandi, augmentandi et ad utilitatem suam quoquomodo redigendi; quatenus et ipsi, nostri benigne apud Deum memores ac dilectissimae coniugis nostrae atque consortis regni Chunigundae parentumque nostrorum, versa vice beneficiis nostris pia atque assidua intercessione respondeant. Si quis autem, quod absit, huius nostrae donationis munificentiam atque institutum, apostolicae sedis et tot venerabilium patrum auctoritate firmatum, destruere seu violare temptaverit, in die iudicii coram oculis Dei tormento inextinguibili aeternaliter luat. Quod ne eveniat sed haec nostra traditio atque decretum ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione insigniri iussimus.*

16[e]. Nec vero solummodo in vita adhuc superstite rege gloriosissimo, sed magis etiam post transsitum eius de morte ad vitam, felix ipsius plantatio, Babenbergensis videlicet aecclesia, divinae gratiae ymbribus irrigata, de die in diem semper accepit[f] incrementum, sepenumero a sancta specialique matre sua Romana aecclesia uberibus piae consolationis potata ac saciata, regum quoque succedentium auctoritate vel privilegiis nobiliter ac firmiter in perpetuum sublimata. Denique Swidegerus secundus Babenbergensis episcopus — quem Heinricus rex tertius, tribus invasoribus apostolicae sedis digne et iuste explosis, centesimum et quinquagesimum papam constituens[g], Clementem 1046 secundum appellavit, ipseque et coniux eius Agnes in die sancto dominici natalis imperialem benedictionem ab illo accepit — quanto amore primae kathedrae suae locum dilexerit, missis eidem a sede apostolica huiuscemodi privilegiis, satis ostendit[h]: Dec. 25.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, sacratissimae nostrae Babenbergensi aecclesiae 1047. *in filiis et filiabus eius, clero videlicet ac populo, perpetuam in Domino salutem. Dispensatio seculorum venit de principe coelorum, qui antequam secula efficerentur praescivit, qualiter disponerentur. Inde fit, ut non possit non impleri, quod ab aeterno illius oculo potuit praevideri*[i]. *Tanti numinis nutus te, suam karissimam filiam, Babenberc, nobis in sponsam legitimam desponsavit, et arte regere, quantum in nobis fuit, sua propitiatione donavit. Certe nulli marito circa uxorem fides*[k] *purior et amor ardentior quam circa te nobis, nec umquam vel in mentem venit, te destituere et alii adherere. Sed nescio quo*

a) principium *corr.* principum 1. c) et i. *desunt* 1. d) apendiciis 1. e) XIII. 1. f) accipit 1. g) ens *in loco raso* 1. h) *Exstat in cod. Udalr. n.* 87. *ap. Eccardum p.* 81. i) prouideri *E.* k) p. f. *E.*

divinitus consilio actum[a] *est, ut matri tuae omniumque aecclesiarum consociarer, et aliquid, non tamen omnino a te separarer*[b]. *Ecce enim, cum illud caput mundi, illa Romana sedes heretico morbo laboraret, et karissimi filii nostri domni Heinrici imperatoris augusti praesentia ad hoc invigilaret, ad hoc instaret, ut huiusmodi egritudinem propulsaret, explosis tribus illis, quibus idem nomen papatus rapina dederat, inter tot agmina sanctorum qui aderant patrum dignatio coelestis gratiae nostram indignissimam mediocritatem, cunctis nisibus refragantem, voluit eligi et altissimi apostolorum principis vice fungi. Avulsum me tunc a tuo gratissimo latere, sponsa dulcissima, quis dolor apprehenderit, quis meror confecerit, quo nescio pacto liceat exprimi, cum nobis omnem modum videretur transgredi. Plus honoris est, plus decoris plusque virium matri quam filiae, utpote cui omne genu terrestrium flectitur; pro cuius arbitrio ianua*[c] *coeli aperitur et clauditur; adversus quam nec portae praevalent inferorum; — non tamen tantae dominationis cupido ostio nostrae mentis irrepsit cordisque cervicem libenter inflexit. Satis nobis erat, tecum activam bene, contemplativam quoquo modo ducebamus vitam, praesertim cum perfectus amor nec speciem alterius umquam nec intueretur opulentiam. Testem invocamus aciem divinam, non commentari nos apologiam. Illa enim secreta cordis rimatur, cui nulla*[d] *nox obtenebratur. Pro teste quoque utimur ipsa conscientia, ubi tua est sollicitudo continua. Interiorem pupillam nec tanta terrarum spaciositas nec tot retundunt opposita, quin amicam meam, sororem meam, sponsam meam, columbam meam diligentiori cura circumspiciam et undique munitam faciam. Concessum est nobis divinitus, non ex nostris meritis, ut iam diximus, ius illud apostolicum, quo*[e] *et coelis imperatur et terris. Unde dignum duximus et accommodum decrevimus, ut de profectu nostro tu quoque proficias, et inde tibi amplius consulatur, unde ipsa potestas nobis ampliatur. Piissimae recordationis domnus Heinricus imperator augustus te fundavit, te erexit, te etiam in altum culmen evexit. Quo supplice, inexpugnabili muro et propugnaculis apostolici muniminis adversus omnes impias manus praevalentes bene circumvallata es per praedecessores nostros, Iohannem scilicet XIVmum*[15] *papam et Benedictum. Quod et idem nos facere cupientes, ut triplici tuicione circumcincta, per virtutem sanctae Trinitatis nichil umquam paveas lesionis, nichil umquam ab aliquo molestationis, secura semper et quieta manens, in filiis et filiabus tuis semper Deo devote serviens, devote obediens: statuimus per hoc nostri magisterii privilegium, ut de bonis illis omnibus, quae tibi, sponsa karissima, virgo castissima, aecclesia speciosissima, Babenberch, summa liberalitas eiusdem orthodoxi imperatoris, de summa devotione procedens, pio affectu contulit, et nomine tenus illa per concambium convenientissimum et acceptissimum a Wirziburgensi et Eistetensi*[f] *episcopis canonico et rationabili iuditio permutavit, vel quorumcumque post eum fidelium religiosa pietas obtulit et oblatura est usque in perpetuum, sive sint mobilia sive immobilia, nullus imperator, nullus rex, dux, marchio, comes, vicecomes, et praeterea non archiepiscopus, non episcopus, non abbas, nec ulla hominum persona audeat, temptet, praesumat quicquam vel violentia vel fraude vel furto detrahere, minuere, mutilare. Quod si quis, diabolico instinctu pulsatus, crudeli temeritate admittere non perhorruerit et admissum citius emendare neglexerit, huiusmodi hominem, quicumque sit, de communione sacrosancti sanguinis et corporis domini nostri Ihesu Christi et a participio totius christianitatis non solum excludimus sed etiam propulsamus. Quin etiam apostolici anathematis acutissima*[g] *lancea eum transverberamus, ut pro malefactis male perditus mortem gemat aeternam, associatus in gehenna inferioris inferni demonum principi, mortis inventori, et etiam Iudae sacrilego et proditori, undique circumcinctus draconibus tartareis in ultionem sevientibus, nec in ultimo tremendi diei iuditio ad vitam resurgat, sed crudelissimum corpus resumens, duplici contricione conteratur, infelicissimo et miserrimo vivendi genere mortem querens et non inveniens. Qui vero pio intuitu proprias manus ab huiusmodi temeritate subtraxerit, et si ita res exegerit, adversum omnes insurgentes et quicquam auferre conantes ea bona defenderit, ad tuum tuorumque opus, sanctissima Babenberch, illa scilicet, ut praedictum est, quae tibi collata sunt vel de caetero in aeternum tibi conferenda sunt, talis ab illo benedicatur, qui super Cherubin sedet et gloriatur, pro eo quod hoc nostrae apostolicae*[h] *auctoritatis privilegium*

a) c. evenit *E.* b) separare a te *corr.* a te separarer 1. c) c. i. *E.* d) *deest* 1. e) quod — imperat *E.* f) Eigistetensi *E.* g) accutissima 1. h) *deest E.*

15) Vulgo XVIII. nominatur.

studuit observare illesum suoque robore solidatum. Quod nimirum consilio et voluntate necnon alacri promptoque animo karissimi filii nostri, iam superius memorati domni Heinrici imperatoris augusti, de nostra apostolica sede tibi transmissum, eidem gratulare[a]. *Etenim ut te plantavit conditor tuus ille primus Heinricus caesar augustus, sic est hic secundus vestigia eius secutus*[b], *et ut pari nomine parique dignitate, sic pari devotione te rigavit, tibi incrementum dedit, et adhuc dum usque vixerit, Deo miserante et inspirante, dabit. In quo te, dulcissima sponsa, optamus in secula seculorum crescere, pollere, vigere, dicentes bene valete.*

17[c]. Post huius piae memoriae Clementis felicem excessum, cum Damasus papa, [1047. Oct. 9.] qui et Poppo, Brixiensis prius episcopus, sedisset 30 tantum dies[15], Leo nonus, qui et Bruno, a supradicto Heinrico tercio imperatore electus, et centesimus quinquagesimus secundus papa constitutus, in signum benignitatis, quam erga Babenbergensem locum habuit, Hartwico[d] tercio episcopo pallium direxit ab apostolica sede, scribens ei epistolam in haec verba[e]:

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hartwico Babenbergensis aecclesiae venerabili[f] [1052. Ian. 3.] *episcopo, perpetuam in domino Ihesu Christo salutem. Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua ex eis aut errando pereat aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore quantaque debemus pervigiles esse diligentia nos, qui pastores animarum dicimur? Attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiae reatus nos excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter caeteros iudicamur. Ad*[g] *missarum itaque sollempnia celebranda fraternitati tuae pallium transmittimus, quod antecessoribus tuis numquam ante concessum, modo tibi primo concedimus, rogatu dilectissimi filii nostri imperatoris Heinrici, et pro veneratione antecessoris tui*[h], *piae memoriae domni papae Clementis*[i], *et pro memoria Heinrici imperatoris primi, praefatae aecclesiae constructoris benignissimi. Quo tibi ter in anno uti permittimus, salva*[k] *auctoritate domnae metropolitanae Moguntinae aecclesiae, scilicet in die sanctae resurrectionis, et in nataliciis*[l] *apostolorum Petri et Pauli, et in sollempnitate sancti Dyonisii, eo quod tunc anniversarius dies celebratur domni papae Clementis supra memorati; hancque*[m] *diem sanctam apostolica*[n] *auctoritate statuimus celebrem esse*[o] *per totum episcopatum. Cuius quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa si qua tortitudo*[p] *illis iniecta est dirigatur, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa considerando semper*[q] *proficiant, ut tuum post Deum videatur esse quod bene*[r] *vixerint. Cor ergo tuum*[s] *neque prospera, quae temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa deiciant, sed quicquid illud fuerit, virtute patientiae devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniant*[t]. *Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibeto. Oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullius faciem contra iusticiam accipias, nullum querentem iusta despicias. Custodia in te aequitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud te*[u] *extra viam suadeat rationis audire, nec pauperem de se sua faciat humilitas desperare, quatenus, Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra lectio praecipit dicens: „Oportet episcopum irreprehensibilem esse". Sed his omnibus salubriter*[v] *uti* [1. Tim. 3, 2.] *poteris, si magistram caritatem habueris. Quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, fratrum karissime, inter multa alia ista sacerdotii, ista sunt pallii. Quae si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratia*[w] *suae protectionis circumdet, atque ita in itineris*

a) gratulari *E.* b) sequens *E.* c) X.... (*abscisum*) 1. d) harwico *alia manu corr.* hartwico 1. e) 1. *in margine habet:* Sequens littera legitur in festo sancti Dyonisii pro 6ª (*e corr.*) leccione. *Diploma legitur ap. Ussermann p.* 36. *et in cod. Udalr. n.* 99. *ap. Eccardum p.* 91. f) e. v. *E.* g) Pallium autem ad m. s. c. f. t. transm. *U.* — 1. *in margine:* Nota de pallio propr. festum Dyonisii. h) nostri *U.* i) Cl. prius eiusdem sedis episcopi ibidem in Christo requiescentis *U.* k) s. a. d. mog. aecclesiae *in* 1. *erasa sunt;* metropolitanae *defuisse videtur.* l) natalitio *U.* m) hanc quoque *U.* n) apostolicam *corr.* apostolica 1. o) *deest U.* p) tartitudo *U.* q) s. c. *U. E.* r) b. q. *U.* s) *deest U.* t) inueniant *U.* u) al. nos extra *U.* v) uti s. *U.* w) gratie sue protectione *U.*

15) 1048. Iuli 17 — August. 8.

sui via nos dirigat, ut post huius[a] *vitae amaritudinem ad aeternam simul pervenire dul-*
1052. Ian. 3. *cedinem mereamur. Data* 3[b]. *Nonas Ianuar.*[c], *anno domni Leonis papae*[d] *noni* 4. *indictione* 6.

Iuli 18[e]. Idem quoque praesul apostolicus, invitante Heinrico imperatore, Teutonicas partes adiens, Ratisponam[16] venit, sanctumque Wolfgangum, eiusdem urbis episcopum, de tumulo levavit; inde Babenberch cum ipso imperatore transsiens, privilegia eiusdem loci a cancellario suo Friderico, qui sibi postea successit, perspici et coram imperatore populoque pronuntiari mandavit, suaque auctoritate illa confirmavit. Cuius nimirum confirmationis descriptio in hunc modum se habet[f]:

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hartwico[g] *Babenbergensi episcopo sibique canonice in sede episcopatus*[h] *successuris in perpetuum, aeternam in Domino salutem. Cum exigente cura pastorali totius sanctae Dei*[i] *aecclesiae, nobis Dei providentia commissae, in partes Germaniae venissemus, quae orientali Franciae adiacent, prece dilectissimi filii nostri Heinrici, secundi imperatoris et tercii regis, ac supra fati dilectissimi confratris nostri episcopi Hartwici, Babenberch*[k] *venimus, et in die*[l] *natalis*[m] *beati Lucae euangelistae, inter missarum sollempnia, cum*[n] *verbum Dei haberemus ad populum, praesente nominato*[o] *karissimo filio nostro Heinrico, et episcopis*[p] *quam plurimis, astantibus etiam laicis et diversis potestatibus seculi, relecta sunt praedecessorum nostrorum privilegia, quibus idem*[q] *locus fundatus et corroboratus est auctoritate Romana sanctae sedis apostolicae. Relecta*[r] *est ibi et conscriptio et confirmatio Heinrici Wirziburgensis episcopi, qua praedictam Babenbergensem aecclesiam banno episcopali et episcopii termino, accepta placita conmutatione, firmavit; quae sic acta est:*

Dum Heinricus, in imperio primus[s], *in regno secundus, divini ignis amore succensus,*
17 *de*[17] *praediis, quae Dei gratia hereditario iure in suae possessionis dominium pervenerant, Dei servitium augere, construendo episcopatum atque ordinando, desideraret, quo id legitime rationabiliterque fieri potuisset, Heinricum*[t] *venerabilem Wirziburgensis aecclesiae provisorem, quatenus praedictum locum Babenberch nuncupatum, cum pago qui Ratenzgowe dicitur, qui ad suae dioceseos statum pertinere videbatur, de suo iure in eius ius ad id perficiendum transfunderet, studiose cepit flagitare. Qui, quoniam iustae et rationabiles causae videbantur, eiusdem invictissimi regis peticionibus acquiescens, cum communi cleri sui atque militum necnon totius populi consilio et consensu, praefatum locum cum praedicto pago, tribus parrochianis aecclesiis cum suis adiacentiis exceptis, quarum nomina sunt haec, Wachenrode, Lonerstat*[u], *Mulihusen, omni postmodum remota contradictione, suae potestati tradidit; alterius autem pagi, qui Volcfelt nominatur, in quo praefatus locus situs est, partem eidem regi concessit, quantum est de Babenberch usque ad flumen Uraha, de Uraha in Ratenzam flumen, et sic iuxta decursum eiusdem fluminis in Moin, et inde ad rivulum Wichibach*[v], *deinde ad caput eiusdem rivuli, sicque qua citissime ac proxime perveniri potest ad Uraha. Et ut haec traditio firma et inconvulsa permaneret, ipse praedictus praesul Heinricus cum canonicis suis corroboravit et subscripsit*[w].

Qua conscriptione[x] *relecta, cum iuxta votum omnium*[y], *ut semper iustis operibus favorem debemus, et nos praedictum venerabilem locum apostolica auctoritate vellemus corroborare, ipse praenominatus eiusdem loci episcopus Hartwicus*[z] *proclamationem suam*[*] *fecit, quia locus suus a clericis Adelberonis*[a] *Wirziburgensis episcopi temeraria praesumptione invasus esset. Quod nos, quia utrique episcopi praesentes aderant, inter quos*

a) u. h. *U.* b) IIII. *U.* c) per manum Friderici diaconi sancte Romane ecclesie bibliothecarii et cancellarii, uice domni Hermanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi *add. U. E.* d) n. p. *U.* e) XV. 1. f) *Exstat ap. Usserm. ex autogr. p.* 36. *et in cod. Udalr. n.* 100. *Ecc. p.* 91. g) Hartuuigo *U. semper.* h) eiusdem ep. *U.* i) *deest U.* k) babenberg *U.* l) inde *corr.* in die 1. m) natali *U.* n) *deest U.* o) denominato *U.* p) ep. subscriptis, Humberto Silvae candidae cardinali episcopo, Amantio Romano diacono et Maginardo subdiacono, Liudboldo Mogontino archiepiscopo, Beldingo (?) Salzburgensi archiepiscopo, Gebehardo Radasbonensi episcopo, Gebeardo Heistetensi episcopo, Azelino Hildenesheimensi episcopo, Ethichone Faventino, Waltero Veronensi, Hezilone Sirmensi (?), astant. *U.* — *E. cum nostro convenit.* q) hisdem *U.* r) Relata est etiam ibi c. *U.* s) p. in i. s. in r. d. amoris igne *U.* t) herincum 1. u) lonrstat 1. v) wihirtbach 1. w) Scripta autem haec est confirmatio a. i. d. 1008. Indict. 6. Non. Mai. Actum in civitate Wirzeburc. *U. Subscriptiones supra c.* 13. *n. a. relatae, in originali et apud Ecc. obviae, hic omissae sunt.* x) *deest U.* y) o. qui aderant *U.* z) H. e. l. e. *U.* *) *deest U.* a) adalb. *U. semper.*

16) *Ratisponam — confirmavit* ex Ekkehardo a. 1052. 17) Quae sequuntur ex carta sunt supra c. 13. relata.

causa stabat, ibidem volentes discutere, Adelberoni episcopo, a quo iniuria illata erat, deliberationem fecimus, ut obiectionem hanc, si posset, refelleret; si non, iusticiae[a] *satisfaceret. Tunc ille, inito cum suis omnibus qui aderant clericis et laicis consilio, regrediens ad ambonem, de illata iniuria se cum satisfactione excusavit, et de omnibus, quae ad bannum et episcopalem iusticiam et potestatem Babenbergensis episcopi pertinerent, extunc et deinceps renuntiavit, exceptis his causis, quas de bonis utriusque episcopii ipsi inter se episcopi possent legaliter definire. Verum*[b] *nos, sicut semper de*[c] *provectu gaudemus fidelium et iustis operibus debemus augmentum, eundem locum Babenbergensem*[d]*, ab antecessoribus nostris corroboratum, apostolica auctoritate ibidem viva voce corroboravimus, et eandem corroborationem nunc etiam literis signamus, ut eundem locum et omnia, quae ibidem Deo sanctoque Petro a felicis memoriae Heinrico*[e]*, secundo rege et primo imperatore, tradita sunt, et quae in posterum iure*[f] *acquiri possunt vel iuste acquisita sunt, praedia, mancipia, aurum, argentum, pallia, vasa, ornamenta vel alia*[g] *utensilia, nemo audeat in perpetuum surripere*[h]*, auferre aut commutare, nisi ad utilitatem eiusdem aecclesiae; sed episcopus eiusdem loci, vel qui in perpetuum eiusdem fuerint*[i] *successores, secura eas*[k] *tranquillitate possideant, ac liberam habeant potestatem, omnes res et*[l] *proprietates eiusdem loci*[m] *ordinare atque componere vel etiam augmentare; dissipare vero atque confundere, nullam habeant*[n] *inde potestatem*[o] *aut dominationem. Insuper pro*[p] *nostra auctoritate sancimus*[q]*, ut in terminis ac rebus eiusdem aecclesiae nulla sit infestatio tyrannorum vel aliorum quorumlibet hominum pravorum, sive sint in civitate ipsa Babenberch, sive in castellis, villis*[r]*, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestis, silvis, venationibus, piscationibus*[s]*, molendinis, campis, pratis, pascuis, agris, cultis et*[t] *incultis; aut*[u] *quicquid modo illuc*[v] *pertinet aut in futurum iuste acquiri poterit, per nostrae apostolicae*[w] *auctoritatis privilegium corroboratum, in secura permaneat*[x] *quiete. Nullus ibi comes aut iudex placitum seu districtionem aliquam facere vel tenere audeat, nisi quam per concessionem gloriosissimi imperatoris secundi Heinrici vel successorum eius episcopus eiusdem loci*[y] *deliberaverit*[z]*. Nulla in aliqua dignitate posita magna parvaque*[*] *persona per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber, Romano tantum*[a] *mundiburdio subditus, quatenus episcopus liberius et delectabilius cum clericis suis servitio Dei possit insistere, et Heinrici primi imperatoris, eiusdem loci venerabilis fundatoris*[b]*, nostrique, scilicet Leonis*[c] *noni papae, ac nostrorum successorum, Heinrici quoque, karissimi filii nostri secundi*[d] *imperatoris, atque omnium, quibus debitores sunt, memoriam iugiter habere. Sit*[e] *tamen idem episcopus suo metropolitano episcopo Mogontino, in canonicis causis tantummodo, subiectus et obediens. Deliberatis igitur, sancitis*[f] *ac corroboratis omnibus supra dictis rebus, eidem sancto loco placuit addendum insigne honoris aecclesiastici*[g] *a nostra apostolica auctoritate, ducti amore et reverentia Clementis, piae memoriae praedecessoris*[h] *nostri — quem Deus miro dispositionis ordine a praelatione huius loci ad sanctae Romanae catholicae et apostolicae aecclesiae apicem dignatus est accersire, et mirabilius e Romanis finitimis defunctum corpus*[i] *eius reducere, volens hanc aecclesiam, ut estimamus, quasi novam tanto decoratam esse patrono, Romanamque contentam*[k] *et sufficientem praeteritis et futuris patribus manere ornatam —, quin etiam amore et desiderio fratrum, qui nos in suis recepere aecclesiasticis stipendiis et cottidianis, unum nostra vicissitudine regere*[k*] *fratrem, mitras gestandi concedimus*[l] *licentiam, ea scilicet ratione, ut ab episcopo provideantur*[m] *digniores et honestiores presbyteri et diaconi, qui bonis moribus vel maturis aetatibus vel etiam praelationibus ipsius loci emineant, his videlicet diebus: in nativitate domini et salvatoris nostri Ihesu Christi, et in coena Domini, et in sabbato sancto, et in die gloriosae resurrectionis eiusdem, et sancto pentecosten, et in die sancti Georgii*[n]*, et in die sanctorum Petri et Pauli, et assumptionis beatissimae Mariae, et sancti Dionisii*[o]*, pro reverentia nostri praelibati prae-*

a) i. ipse *U.* b) Unde *U.* c) g. de p. *U.* d) babenberc *U.* e) heinrici 1. f) iuste adq. *U.* g) aliqua *U.* h) subripere vel a. *U.* i) canonice f. *U.* k) ea s. t. *U.* l) ac *U.* m) sancti l. *U.* n) habent *corr.* habeant 1. o) i. uel p. uel d. *U.* p) *deest U.* q) sanccimus 1. r) ac u. *U.* s) piscariis *U.* t) uel *U.* u) ac *U.* v) illic *U.* w) *deest U.* x) q. p. *U.* y) sancti l. *U.* z) deliberauit 1. *) paruaue *U.* a) tantummodo *U.* b) l. conditoris *U.* c) n. l. *U.* d) i. s. *U.* e) Sit — obediens *desunt duabus fere lineis erasis* 1. f) sanccitis 1. g) aec. h. *U.* h) nostri p. *U.* i) eiusdem c. *U.* k) contemptam *U.* k*) *ita* 1. *U.* regem *E.*? l) l. c. *U.* m) praeuid. 1. n) g. et anniuersario eiusdem loci et die *U.* o) 1. *habet in margine:* Nota de mitris (?) propr. festum Dyonisii.

decessoris domni Clementis papae, cuius anniversarius dies tunc[a] *ab eisdem fratribus agitur, et in anniversario die domni Heinrici imperatoris, eiusdem loci venerabilis constructoris*[b]. *His vero concedimus*[c] *hanc dignitatem, qui tantum specialiter excubant vel deserviunt apud praedicti praedecessoris nostri sepulchrum. Contentos tamen his sancimus*[d] *diebus*[e] *fore, nec ultra a quoquam temere usurpari, ne honor proprius apostolicae sedis vilescat. Haec vero omnia supra dicta*[f] *observari et custodiri in perpetuum, nostra apostolica auctoritate decernimus, confirmamus et corroboramus. Qui vero, quod absit, huius nostri privilegii temerarius transgressor extiterit, Dei et beatissimae Mariae et beatorum Petri et Pauli omniumque sanctorum et nostra aeterna*[g] *maledictione maledicatur, et perpetui anathematis vinculis*[h] *innodetur, nisi digna satisfactione resipuerit et canonice satisfecerit. Qui autem pio corde huius observator privilegii extiterit*[i], *Dei omnipotentis et almae Mariae et beatorum apostolorum Petri et Pauli benedictione ditatus, aeterni regni particeps fieri mereatur. Data*[k] *per manus Friderici diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctae Roma-*
1052. Nov. 6. *nae catholicae et apostolicae aecclesiae*[l], *anno dominicae incarnationis* 1052[m]. *anno pontificatus domni Leonis*[n] *noni papae* 4[o].

19[p]. Nec minus *ipse rex praefatus Heinricus tercius, Cuonradi imperatoris filius, dudum patre vivente rex constitutus, ordinationis suae anno 12. regni autem primo, ad
1039. Juli. confirmandum Babenbergense episcopium, privilegium, quod subiunctum est, scribi iussit, superstite adhuc Eberhardo, primo eiusdem sedis episcopo[q].

Heinricus[r], *Dei favente clementia rex. In examine Dei*[s] *cuncta conspicientis aequale meritum credimus fore dantis et corroborantis. Credimus etiam, ad regalem nostram maiestatem pertinere totius regni curas, praecipueque omnium sanctarum Dei aecclesiarum commoda considerare, et omnia eis*[t] *adversantia sub omni festinatione abolere, ne vel gravi incommoditate vilescant, vel qualibet pro nostra culpa orta occasione a pristino cultu et religione recedant, quatenus, dum haec pro amore pariterque timore Dei fideliter peragimus, illorum, qui haec pio affectu Deo contulerunt, meritis et gloria communicemus. Proinde omnibus in Christo fidelibus, scilicet tam futuris quam praesentibus, notum esse volumus, qualiter ob hanc spem, per interventum dilectissimae matris nostrae Gisilae*[u] *imperatricis augustae, pro amore etiam dilecti fidelisque nostri Eberhardi primi sanctae*[v] *Babenbergensis aecclesiae episcopi, eundem locum, a divo imperatore Heinrico secundo pro sua suorumque anima in episcopatum, divina inspirante clementia, perfectae fidei*[w] *caritatisque devotione in honore*[x] *principis apostolorum Petri et sancti Georgii martyris sublimatum, consensu fidelium nostrorum sancimus, et omnium contradictione remota, regalis nostrae maiestatis auctoritate corroboramus. Omnes etiam res mobiles et immobiles eiusdem sanctae Dei aecclesiae, quas ipse divus imperator pro ardore coelestis patriae ibidem larga manu contulit, ea ratione confirmamus, ut fidelis noster Eberhardus, eiusdem loci primus episcopus, eiusque in perpetuum successores, secura eas tranquillitate possideant, et liberam potestatem habeant, res et proprietates eiusdem aecclesiae cum consensu cleri et populi ordinare*[y], *commutare et augmentare. Nostra quoque auctoritate sancimus, ut in abbatiis, monasteriis, comitatibus, foris, mercatibus*[z], *monetis, naulis, theloneis, castellis, villis, vicis, areis, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestibus, silvis, venationibus, piscationibus**, *molendinis, aquis aquarumve*[a] *decursibus, campis, pratis, pascuis, terris, cultis et incultis, libris, argento*[b] *et auro, gemmis, vasis, ornamentis vel aliquibus utensilibus, in cultum et religionem Dei ibidem collatis, et in omnibus terminis rebusque eiusdem aecclesiae, aut*[c] *quicquid ad praesens illuc pertinet, vel ex his amplificari potest, nulla sit infestatio tyrannorum, nulla potestas ibi per violentiam irruat, nullus ibi comes aut iudex legem facere praesumat*[d] *praeter episcopum eiusdem loci, omnisque*[e] *possessio Deo famulantium ibi pro emunitate habeatur. Sit ille episcopatus liber et ab omni extranea et iniqua securus potestate, quatenus ibidem Deo famulantes et primi constructoris memo-*

a) *deest U.* b) structoris *U.* c) h. c. *U.* d) sanccimus 1. *saepius.* e) f. d. *U.* f) suprafata c. ac o. *U.* g) *deest U.* h) uinculo *U.* i) fuerit *U.* k) Datae *U.* l) uice domni Herimanni Coloniensis archiepiscopi archicancellarii *add. U.* m) indict. VI. *add. U.* n) n. 1. *U.* o) 8 idus Nouembris. Actum Triburi *add. U.* p) XVI. 1. q) *Diploma ex originali editum exstat Mon. B.* XXIX. *p.* 51. r) In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis Heinricus diuina f. *M. B.* s) c. d. *M.* t) eisdem *M.* u) giselae *M.* v) s. dei *M.* w) f. spei kar. *M.* x) honorem *M.* y) o. componere c. *M.* z) mercatis *M.* *) p. molis. m. *M.* a) aquarumque *M.* b) auro . argento *M.* c) ac *M.* d) p. infra urbem *M.* e) omnis p. f. ibi deo pro *M.*

riam digne celebrare, nosque fautores et corroboratores possint et velint Deo precibus suis commendare. Et ut haec nostrae auctoritatis traditio firma et inconvulsa permaneat, hoc privilegium inde conscriptum manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri[a].

Haec nos de fundatione vel confirmatione sanctae Babenbergensis aecclesiae, accepta occasione, dixisse sufficiant, nunc ad ceptam[b] narrationem de gestis beati viri animum stilumque vertamus.

20. Regis[18] autem frater erat Bruno, Augustensis sedis episcopus, qui felicibus 18
fratris actibus invidens, multas ei adversitatum iniurias, in quantum potuit, inferebat; et ubi per se non poterat, inferentibus se adiungebat, vel alios ad inferendas exhortando, stimulos eis[c] pravae incitationis subigebat. Cui frater non solum talionem non reddidit, verum etiam fraterna instructus dilectione, omnia dissimulando et patienter sustinendo, illum bono vincere satagebat.

21. Quanta eius munificentia, quanta erga Deum liberalitas extiterit, tam in illa[d] Babenbergensi aecclesia, quam in aliis compluribus locis, manifestis operum declaratur indiciis. Solum[19] quippe Deum sibi elegit heredem, quatenus et ipse in consortium 19
aeternae hereditatis[e] eum assumere dignaretur. Liberos etenim secundum carnem nec habebat nec expectabat, quoniam quidem eam, quam pro coniuge habere videbatur, Chunigundam[f], numquam cognovisse sed quasi sororem dilexisse, certissime conprobatum est[20]. Qualiter autem innotuerit, ad communem edificationem praetereundum non est, ut et castimoniae erudiamur exemplis, et divinorum secretorum admiratione moveamur, intelligentes, quemadmodum diligentibus Deum omnia cooperentur[g] in bonum. Rom. 8, 28.
Tantis namque ac talibus bonis temptatio deesse non potuit. Invidus enim omnium bonorum diabolus, ubi thorum inmaculatum sauciare non potuit, zelotipiae livore foedare cogitavit et eius saltem famam ledere, cui vulnus corruptionis infligere non potuit. Facta est igitur, auctore diabolo, suspecta[h] criminis, quae non noverat maculam corruptionis. Sed quia crudelis est qui famam negligit, expurgationis gratia ad vomeres candentes illud sibi iuditium elegit, quod propter duriciam hominum institutum esse cognoscitur. Cumque dilecta Deo ad illud iuditium velut ovis ad occisionem duceretur, ingemuit et ait: *Domine Deus, creator coeli et terrae, qui probas renes et corda, iudica iuditium meum et eripe me; te enim testem et iudicem hodie invoco, quia nec hunc praesentem Heinricum nec alterum quemquam virum carnali commertio umquam cognovi.* Hoc dicto, stupentibus ac flentibus universis qui aderant, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, et sine adustionis molestia secura pertransiit. Ita Deus omnipotens vinculum castae dilectionis servavit, innocentiam comprobavit, integritati custodiam humilitatis adhibuit.

22. Inter haec beatissimi principis gloria magis ac magis proficiebat, et gratia Dei erat cum ipso. Non declinavit clypeus eius in bello, et hasta eius non est aversa. Apuliam a Grecis diu possessam Romano imperio recuperavit, et eidem provinciae 1014.
Ismahelem ducem[21] praefecit. Qui postea in Babenbergensi loco mortuus est, et in capitolio maioris monasterii[i] sepultus, requiescit in Domino. Beneventanum monasterium condidit et omni ornatus decore locupletavit.

23. Cumque civitates Apuliae pertransisset, et quae ad utilitatem et ad honorem regni pertinebant in eis prudentissime disposuisset, coepit infirmitate calculi laborare[22].

a) Signum domni Heiurici regis inuictissimi. Theodericus cancellarius uice Pardonis archicapellani recognouit. Datum 6. Idus Iulii anno dominicae incarnationis 1039. indictione 7. anno autem domni Heinrici tertii ordinat. 12. regni autem 1. Actum Mogontiae feliciter amen. *add. M.* b) acceptam *post corr* ad ceptam 1. c) eius 1. ei 2. d) *deest* 2. e) beatitudinis 3. f) Chůnegundim 2. Cunegundam 3. g) cooperantur 3. h) suscepta *corr.* suspecta 1. i) ecclesie 3.

18) ex Ekkeh. Uraug. 19) *Solum — cognovisse comp. est* ex Ekkehardo. 20) cf. quae fuse disputavit Sollerius Act. SS. Iuli III. p. 727 sqq. 21) De Melo cogitat, quem in Germania obiisse, etiam Guillelmus Appulus I. v. 110—116. testatur; cf. diploma Heinrici III. (in cod. Udalr. n. 101. ap. Eccardum p. 94.), ubi Ismahel dux Apuliae, „qui et Melo vocabatur", Babenberg sepultus dicitur. 22) In miraculis S. Erendrudis (Canisius Ant. Lectt. ed. I. VI. p. 1128.) s. XIV. a. Caesario Nunbergensi scriptis haec de morbis Heinrici satis incerta leguntur: *Primo et principaliter de curatione sancti Heinrici imperatoris cognomento Pii, qui, ut dicitur, permittente sive disponente Deo morbum incidit phrenesis sive epilepsiae, et multa medicorum solicitudine curari non poterat, multorum etiam sanctorum liminibus*

Cuius morbi molestiam vir sanctus tanta patientia sustinuit, ut passiones carnis ad custodiam humilitatis a Deo sibi collatas esse assereret et flagellum correptionis certissimum signum dilectionis esse affirmaret. Fomenta tamen curationum fecit sibi adhiberi; sed nulla medicorum subtilitate ad integrum potuit liberari. Ingravescente
1022. autem dolore, ascendit montem Cassinum, petiturus, ut per intercessionem beati Benedicti et sanctae Scolasticae sanitatis ei a Deo prestaretur remedium. Veniens[a] autem ad locum, ubi sanctorum reliquiae fuerant reconditae, effudit animam suam in conspectu Altissimi, et per sanctorum suffragia, Benedicti videlicet et Scolasticae, precibus et lacrimis postulavit a Deo, salutem corporis et animae sibi prestari. Inpletumque est, quod
Psalm. 33, 5. per prophetam dicitur: *Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Nam petiit et exauditus est; pulsavit perseveranter ad ostium misericordis potentiae, et intromissus est. Interea rex coepit cogitare, quae de translatione sancti Benedicti audierat, et quia reliquiae eius dicebantur furtim sublatae et in alium locum translatae; ideo vir sanctus de corporali eius praesentia dubitabat.

24. Completa itaque oratione, homo Dei ad hospitium se contulit, et lassatus ac debilitatus in lectulo se collocavit. In quo obdormiens, vidit sanctum Benedictum sibi assistere, et ferrum sectorium, ad medicinales sectiones aptatum, manu tenere. Qui dixit ei: *Quia sperasti in Deo et in sanctis suis, ecce missus sum a Deo, ut per meam medicinam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego, cuius ossa furtim sublata esse putabas, praesentiam meam tibi exhibeo, et in argumentum veritatis passiones tuas curabo.* Haec dicens, partem illam corporis, ubi calculus herebat, medicinali ferro quod tenebat aperuit, et evulso molliter calculo, hyatum vulneris subita sanatione redintegravit, calculumque quem tulerat in manu regis dormientis reposuit. Quo facto, christianissimus imperator evigilavit, et pertractans secum, quae circa ipsum per confessorem Christi gesta fuerant, vidensque calculum, quem manu tenebat, vocavit satellites suos, qui regio more sibi semper assistebant, dixitque ad eos: *Pontifices regnique nostri principes vocate ad me, ut cognoscant et videant mirabilia Dei, quae ineffabilis misericordia et inenarrabilis potentia eius fecerunt in me.* At illi mandata regis celeri cursu perferentes ad principes, perduxerunt eos ad regem. Quos rex salutans resalutatusque[b] ab eis, sic allocutus eos[c] est: *Fratres et commilitones mei, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum, quia ipse est magnus dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis. Ipse percutit et medetur, flagellat peccatores et penitentibus*

a) Veniens — intromissus est *desunt Canis.* b) salutatusque 3. c) *deest* 3.

visitatis, tandem ad tumbam sanctae Erendrudis pervenit, et optatae sanitatis sortitus effectum, reliquias eiusdem gloriosae virginis impertiri sibi petivit, et easdem annulo aureo recludi fecit, collo suo iugiter portavit, et interim motum dictae infirmitatis nunquam sensit, et ad tumbam praedictam duo calcaria aurea obtulit, pro quibus curia quaedam in Austria, dicta Vladniz, comparata, adhuc ipsi monasterio deservit. Accidit quoque non longo temporis intervallo interposito, ut monasterium Nunbergense cum claustro adhaerente, quod beatus Rudbertus una cum duce Theodoberto fundavit, quod tunc situm fuit in loco, ubi nunc est cella sacerdotum, ut patet in ruina murorum et fundamentis ipsorum, per ignem penitus destrueretur; et eodem tempore praefatus imperator balneum quoddam intravit, et reliquiis perditis in infirmitatem saepe dictam recidivavit, praedicti monasterii exustionem in spiritu cognovit, et quod beata virgo Maria sanctaque Erendrudis per eum ruinam monasterii supradicti vellent reparari et ad meliorem statum et situm reduci. Unde factum est, ut pius imperator, urgente eum infirmitate, ad tumbam sanctae Erendrudis devote remearet; vidensque locum desolatum et igne deformatum, vovit Deo omnipotenti, beatae et gloriosae virgini Mariae sanctaeque Erendrudi, ut si ab ante memorata relevaretur aegritudine, monasterium a fundamento vellet reaedificare. Et statim ad tumbam sanctae Erendrudis cum lacrimis et oratione ferventi provolutus, sanitati pristinae est restitutus, et sicut voverat, monasterium cum adhaerente claustro, ubi nunc situm est, pulchro schemate, ut liquido apparet, construxit, et donavit Ehrnprechtstorff, situm in Longee sive Lungaw, cum omnibus suis attinentiis, ad honorem Dei omnipotentis et dictarum patronarum sanctae Mariae virginis et Erendrudis, sanctimonialibus ibidem Deo servientibus. Peracta quoque et aedificata structura tam monasterii quam aliarum officinarum, et dedicata ecclesia in honore saepedictarum patronarum, ipso imperatore praesente, per beatum Hartwicum archiepiscopum corpus sanctae Erendrudis de antiquo tumulo in crypta, ubi nunc requiescit, summo cum honore translatum fuit, scilicet in altaris medio collocatum, licet antea per beatum Virgilium, miraculis plurimis attestantibus, fuerit canonizatum et translatum.

miseretur. Hunc humiliat et hunc exaltat; quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. En ego, qui heri morti proximus fui, per misericordiam Dei hodie vobis appareo sanus; et aculeum mortis, quem heri gestavi inclusum corpori meo, hodie oculis vestris visibiliter ostendo. Haec dicens, ostendit calculum quem manu tenebat, et ostendens cicatricem vulneris, omnia, quae per sanctum Benedictum circa ipsum gesta erant, cunctis audientibus ex ordine referebat. At illi videntes et audientes mirabilia Dei, plus quam credi potest admirati sunt; et benedicentes Deo diuque in laudem eius acclamantes, de incolomitate regis gavisi sunt. Rursumque rex ad eos: *Quas,* inquit, *gratiarum actiones, aut quae munera tantis beneficiis condigna medico nostro Benedicto possumus rependere?* At illi omnes iudicaverunt, eum regia munificentia dignum esse. Rex ergo ex consilio principum suorum ingentia munera in praediis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis aecclesiae sancti Benedicti contulit[23]; et valefaciens fratribus 23 qui eidem aecclesiae presidebant, a Cassino monte hylaris et sanus recessit. Ab eo autem tempore et deinceps quadam speciali veneratione et dilectione sancto Benedicto[a] et omnibus monasticae religionis cultoribus studuit deservire, et in amplificandis et protegendis rebus aecclesiasticis benignus et devotus pater existere. Haec[b] in Cassino monte scripta inveniuntur[24], ut et moderni magnalia Dei in memoria habeant, et apud 24 posteros per antiquitatem temporis in oblivionem non veniant.

25. Inde iter faciens Romam pervenit, ubi a Benedicto papa benigne et honorifice susceptus, quantas miserationes et beneficia per sanctum Benedictum ei Dominus contulerit, indicavit. Benedictus vero papa gratias egit Deo pro omnibus beneficiis suis, et pro salute regis et totius populi catholici obtulit sacrificium laudis. Eodem tempore, sicut supra dictum est, rex sanctus Babenbergensem fundum cum omnibus pertinentiis suis beato Petro contradidit et apostolico praesuli extunc et semper defendendum commendavit, et in commemorationem huius pactionis singulis annis album[d] ambulatorem cum faleris Romano praesuli dari constituit. Hoc quoque humilitate et devotione apud dominum papam obtinuit, ut ad Alamanniam accederet et Babenbergensis fundi novellam plantationem visitaret. Quod et ita factum est. Nam in proximo Aprili Alamanniam 1020. Apr. 14. intravit, omnibusque civitatibus illius regionis peragratis, tempore quo condixerant[e] Babenbergensem locum adire disposuit. Venit ergo 5. feria maioris ebdomadae, hora sexta, sacris pontificalibus vestimentis indutus, sicut iam ad peragenda misteria Dei ac sollempne illius diei officium processurus erat; et suscipitur gloriosissime ab imperatore atque universis qui aderant principibus omnique clero et populo inestimabili[f] exultationis tripudio. Ut autem in adventu tam insoliti tamque exoptati hospitis Deo nostro iocunda decoraque laudatio exhiberetur, prudentissimus regum quatuor in occursum eius choros psallentium decenter ordinavit: primum in ulteriore fluminis ripa, alium in citeriori, tercium ante portam civitatis, quartum in atrio aecclesiae; ubi primus omnium ipse[g] rex, data manu, papam domum Domini introducens, divinis hinc inde ymnis canora suavitate resonantibus, in episcopali kathedra locavit. Debitum huius sacratissimae diei officium, cum duodenis episcopis cooperatoribus, apostolicus pontifex, similiter et aliorum dierum sequentium, summa devotione celebravit; in sancta[h] autem dominica paschae, cum in matutinali officio Aquileiensis patriarcha lectionem Apr. 17. primam, archiepiscopus autem Ravennas secundam, ipseque apostolicus recitaret terciam, omni denique ornatu et elegantia processionis sollempnia agerentur, veluti condecuit apostolicam dignitatem imperialemque magnificentiam in sancta sollempnitate sollempnitatum, quis non iudicet, tam religiosam nostrisque in regionibus inusitatam celebritatem merito in noticia[i] omnium Babenbergensis ecclesiae filiorum perpetuo haberi et memoriale eius in seculum non derelinqui?

26[k]. Sub eisdem diebus basilicam in honore sancti Stephani 8. Kal. Maii idem Apr. 25. venerabilis papa consecrans, preciosis muneribus, quae adhuc ibi servantur, adornavit; ubi inter missarum sollempnia, adoperatione septuaginta duorum episcoporum et unanimi consensu principum, episcopatum ab omni saeculari potestate liberum esse con-

a) sancti Benedicti 3. b) Haec — veniant *desunt Can.* d) album equum amb. 3. e) condixerat 3. f) li *post additum* 1. g) ipse *ante* rex *suppletum* 1. h) *e corr.* 1. i) ci *post add.* 1. k) c. 26. 27. *desunt* 3.

23) cf. diplomata ap. Gattulam hist. Casin. Acc. I. p. 119 sqq. 24) cf. Leo Ost. II, 43.

stituit, et cuncta, quae pontificali dignitati et utilitati congruebant, praesentiae suae auctoritate et privilegii sui attestatione bannique firmitate roboravit. Cuius[a] privilegii confirmatio talis est[b]:

1013. *Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo sibi in Christo semper domino et serenissimo regi Heinrico, a Deo coronato, suoque spirituali filio, Eberhardo quoque confratri et coepiscopo suo, sanctae videlicet Babenbergensis aecclesiae venerabili episcopo, aeternam in Domino salutem et apostolicam benedictionem. Inter omnia, quae divinae[c] providentiae consilio disponuntur, ad laudem respicit Creatoris, quod etiam a summis viris Deoque devotis, intuitu pietatis et spe aeternae retributionis, venerabilia loca eorum sumptibus sublimantur rectissimeque ordinantur, possessionum suarum beneficiis cumulantur, et in meliorem statum, Christo auxiliante, commutantur[d]. Unde, dilectissime fili, in[e] omnibus, quae te ad laudem et gloriam Redemptoris nostri devote et misericorditer fecisse, manifestum est, nichil perfectius nichilque melius ad promerendum regnum[f] coelorum agere potuisti, quam quod illum tibi fecisti heredem, a quo aeternam accepturus es hereditatem[g], quodque sancta Babenbergensis aecclesia ad episcopalis dignitatis fastigium per te sublimata, illic tibi beatissimam Dei genitricem semperque virginem Mariam, beatissimosque apostolos Christi[h] Petrum et Paulum, una cum sanctis martyribus Kiliano[i] et Georgio, elegisti in patrocinium; qui, Christo propitio, conpensata vicissitudine, adipiscendi regni coelestis perpetuum praestabunt auxilium. Pro tanto igitur Deo eiusque sanctis collato servitio in primis ipsi gratias debitasque laudes referimus, qui tibi tam sanctum opus faciendum[k] inspiravit, et ut ad votum tuum perficeres, largiflua pietate adiuvare disposuit. Deinde quoniam sancta Romana aecclesia, quae bene fundata est supra firmam petram, hoc semper habuit verae caritatis indicium[l], ut de exteriorum gauderet provectu aecclesiarum: competit nostro apostolico moderamini, ut nos, qui eidem Deo auctore deservimus, sancto studio tuo plenissime congaudeamus, sperantes tui operis habere portionem, si, quod tuum est per laborem, nostrum facimus per caritatem. Quapropter, quoniam petisti a nobis una cum confratre nostro Eberhardo, eiusdem sanctae Babenbergensis aecclesiae Deo[m] digno episcopo, ut omnia, quae privilegiorum auctoritate sibi suaeque aecclesiae a praedecessoribus nostris, videlicet domno Iohanne et Sergio, summis pontificibus, collata sunt, nostrae quoque auctoritatis privilegio confirmaremus, considerantes nos quidem vestrae devotionis affectum piaeque voluntatis propositum, libentissime petitionibus vestris assensum praebere decernimus. Quocirca statuentes atque promulgantes, coram Deo et terribili futuro[n] eius examine, per huius nostri apostolici privilegii seriem et constitutionem sancimus, et beatae Dei genitricis semperque virginis Mariae, necnon et beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctorumque martyrum Kiliani[o] et Georgii ceterorumque omnium sanctorum auctoritate, in quorum nomine praenominata aecclesia dedicata est, decernimus, atque obtestamur tam apostolicae sedis futuros pontifices, quam qui aecclesiasticas administraverint[p] actiones, cunctosque christianitatis titulo insignitos, ut nullus habeat licentiam, de his omnibus, quae eidem aecclesiae a praedecessoribus nostris per privilegia concessa sunt, vel a nobis data vel danda sunt, aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus praefatae aecclesiae tradita sunt, vel in antea futuris temporibus contradentur, tam in familiis quam in terris, seu in aliquibus possessionibus, convellendi, destruendi, molestandi vel alienandi. Si quis vero, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quae hac nostra stabili et inconvulsa firmitate pie et fideliter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire temptaverit, et haec, quae a nobis ad laudem Dei pro stabilitate praescriptae aecclesiae statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi: sciat se auctoritate beati Petri principis apostolorum omnium nostraque, cuius inmeriti vicem agimus, anathematis vinculis innodatum, et cum diabolo eiusque atrocissimis pompis atque cum Iuda traditore domini nostri Ihesu Christi aeterni incendii supplicio[q] concremandum, nisi resipuerit et eidem aecclesiae digna emendatione satisfecerit. At vero qui devota intentione observator[r] extiterit huius nostri privilegii[s] ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo[t] et domino multipliciter consequatur, et vitae aeternae particeps effici me-*

a) Cuius — c. 27. *fin. desunt* 2. b) *Sequens diploma iam a.* 1013. *datum legitur etiam in cod. Udalr. n.* 78. *apud Eccardum* p. 74. c) diuino *E.* d) committantur *E.* e) quia in *E.* f) c. r. *E.* g) h. es *E.* h) ch. a. *E.* i) Georio et K. *E.* k) i. f. *E.* l) iudicium *corr.* indicium 1. m) *deest E.* n) eius f. e. *E.* o) Georii et K. *E.* p) amministrauerunt *E.* q) supplicii *corr.* supplicio 1. r) o. in omnibus *E. Gr.* s) apostolici p. *E. Gr.* t) d. nostro *E.*

reatur. Sancta Trinitas caritatem vestram illibatam custodiat[a]. *Scriptum per manum Herhardi*[b], *scriniarii sanctae Romanae aecclesiae, in mense Iunio*[c], *indictione* 11. *Datum*[d] *per manum Benedicti, Portuensis episcopi et bibliothecarii sanctae Romanae aecclesiae, anno, Deo propitio, pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis et universalis octavi papae primo*[e].

27. Eberhardo quoque primo Babenbergensis aecclesiae episcopo idem papa Benedictus scripsit epistolam de confirmatione eiusdem episcopii in hunc modum[h]:

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in domino Ihesu Christo filio, Eberhardo sanctae Babenbergensis aecclesiae venerabili episcopo, perpetuam salutem. Quandocumque nostrae apostolicae corroborationis pie expositur suffragium, celeri affectu[i] *est attribuendum*[k]. *Et si in his expositur, quae durare perpetuo videntur, literis est etiam adnotandum, ne prolixitas temporum posteris hoc reddat dubium vel incertum. Quapropter notum esse volumus cunctis sanctae aecclesiae filiis, tam praesentibus quam futuris, quid de episcopatu, quem christianissimus Heinricus imperator ad honorem principis apostolorum Petri Babenberch devotissime perfecit, actum in eadem aecclesia nobis praesentibus sit. Sepius enim obnixe dictus imperator, fervens nimio amore episcopatus, quem, tactus divino impulsu, perfecerat honorifice, ad confirmandum eum*[l] *apostolica auctoritate, Babenberch adire nos deprecatus est. Cuius deprecationes assiduas et indesinentem*[m] *instantiam de iusto desiderio procedere cognoscentes, iniquum iudicavimus, praesentiam nostram illi denegare, et inhumanam*[n] *calliditatem, contra venerabilem locum aliquando occasionem sumere. Venimus igitur Babenberch, ubi ab eodem imperatore suscepti fuimus, prout poterat et noverat melius. Aecclesiam autem cum omni integritate episcopatus sanctae Romanae aecclesiae, cui Deo auctore presidemus, et nobis obtulit. Quod videntes, aequum consideramus*[o], *seriem huius nostri privilegii et episcopatum confirmare in perpetuum, eumque tibi, dilectissime, et tuis successoribus concedere, ea videlicet ratione, hoc ordine, ut nullus umquam viventium, cuiuscumque sit dignitatis vel ordinis, contra hanc nostram confirmationem episcopatus venire audeat, vel contra te tuosque successores ob hoc agere; neque liceat ei de omnibus, quae nunc habet vel habiturus est praelibatus episcopatus*[p], *vi, fraude aut iniqua calliditate aliquid abradere vel te tuosque successores de his omnibus inquietare aliquo modo; ita sane, ut singulis quibusque indictionibus sub nomine pensionis equum unum album nobis nostrisque successoribus persolvat cum sella conveniente Romano pontifici. Si forte, quod non optamus, aliquis superbus et arrogans temerario ausu contra hanc nostrae preceptionis seriem, pie a nobis promulgatam, venire aut agere temptaverit, sciat, se domini nostri Ihesu*[r] *Christi et apostolorum principis Petri, cui oblatus est a iam*[s] *dicto christianissimo imperatore episcopatus cum suis pertinentiis, et cuius suffragium et iudicium per nos nostrosque successores expectat, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et cum eius atrocissimis pompis atque cum Iuda traditore domini et Salvatoris nostri aeterno igni concremandum. Qui vero pio intuitu curator et observator huius nostrae salutiferae preceptionis extiterit, benedictionis gratiam et coelestis retributionis gaudia a iustissimo iudice Domino consequatur. Scriptum per manus Raphonis, notarii, regionarii et scriniarii sanctae Romanae aecclesiae.*

28. Ut autem ad superiora redeamus, unde paulisper digressi sumus, postquam vir sanctus Romae positus, omnia quae petebat a domno papa impetravit, confirmatus apostolica benedictione, Alpes Appenninas[t, 25] transcendit, et dimisso exercitu in terram suam, Cluniacum, eo quod multa de religione et statu loci illius audiret, orationis causa cum paucis familiaribus suis perrexit[26]. Ubi cum plurima signa religionis et sanctitatis vidisset, sancti Spiritus igne succensus, coronam auream preciosissimis gemmis adornatam ad missam, quae de cathedra sancti Petri celebrabatur[u], obtulit, et fraternitatem monachorum suscipiens, cum maxima humilitate et contricione cordis orationibus eorum se commendavit, et in supplementum necessariarum rerum in Alsacia optima praedia eidem congregationi contradidit.

a) c. dilectissime frater. *E. Gr.* b) Berardi *E.* c) Iulio *E.* d) D. XII. Kal. Feb. *E. Gr.* e) p. in mense supradicto. *E. Gr.* h) *cod. Udalr. n.* 77. *ap. Eccardum p.* 73. i) effectu *E* k) atr. 1. l) *deest E.* m) indeficientem *E.* n) inde humanam 1? *Gr.* o) consideravimus *E. Gr.* p) episcopatus episcopus 1. episcopus *E.* r) i. c. *desunt E.* s) anima *corr.* ab antea 1. t) apenninas 3. u) celebratur *corr.* celebrabatur 1.

25) i. e. Penninas. 26) Haec in vita S. Meinwerci c. 28. repetita aperte falsa sunt, quum Heinricus a. 1014. per Veronam et Ratisbonam regressus sit. De donis Cluniacensibus datis cf. Ademar. III, 37. Rodulf. Glaber. I, 5. et Odilonis decretum ap. Mabillon. Act. VI, 1. p. 666: *necnon ut memoria cari nostri imperatoris Henrici cum eisdem praecipue agatur constituimus, ut merito debemus, multis ab ipso ditati opibus.*

29[a]. Inde iter faciens, per Leodium et Treverim transsitum fecit, et congregationes inibi Deo famulantes plurimis largitionibus et praediis ditavit. Et mirum, quod homo Dei, qui circa ecclesiasticas utilitates tanto studio et salutem animae suae flagrabat, in nullo provectum regni negligebat, quin immo sine effusione sanguinis, pietate et sapientia terminos regni sui dilatavit et imperialem dignitatem gloria et honore ampliavit et ornavit. Boemiam vicit ac subiugavit, Burgundiam in deditionem recepit, Pannoniam quoque fidei catholicae et Romano imperio adunavit. Victor autem aliarum nationum, apostolus fit Ungarorum.

30[b]. Cum enim omnes adhuc infideles[c] essent, Heinricus imperator ad fidei catholicae confessionem illos adtraxit. Quod ut facilius fieret, sororem suam Giselam Ste-
phano regi eorum[d] matrimonio copulavit, secundum apostolum dicentem: *Sanctificatur*
1. Cor. 7, 14. *vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem.* Stephano itaque rege baptizato, universa Pannonia[e] verbum vitae suscepit et mira rerum novitate per reges apostolos sanctae catholicae aecclesiae incorporata est. O quam praeclara tanti apostolatus societas; quam colenda et veneranda utriusque sanctitas, per
27 quos tot salvati et sanctificati sunt! Praefatus autem rex Ungariorum[f] religiosus[27] Deoque devotus postea in executione bonorum operum permansit; quod divina pietas post mortem eius evidentibus inditiis ad sepulturam[g] eius factis signorum miraculis demonstravit.

31[h]. Burgundiorum quoque non humana sed divina fuit victoria; qui cum armis et omnibus belli copiis essent instructi, viri ad bella doctissimi, armis positis, non hominis metu, sed Dei nutu, rogantes ea quae pacis sunt, dextras dederunt[i]. Quemadmodum[k] ad declaranda beati Martini confessoris merita Dominus pacificum belli dedit exitum, ita et nunc servi sui meritis consimilem virtutem est ostendere dignatus. Similem igitur illum fecit gloriae sanctorum; et sicut Moyses precibus magis quam armis triumphavit, ita gloriosissimus princeps per arma iusticiae omnia bella feliciter consummavit, ac minime funestam et incruentam victoriam semper habuit[k*].

28 32[l]. Denique consummatis gloriosissime huius vitae laboribus, postquam[28] bonae opinionis odorem longe lateque redolere fecerat, locumque sibi dilectum cum caeteris monasteriis[m] ditando et ornando et excolendo ad perfectum advexerat, ad percipiendam inmarcescibilem coronam ab ergastulo carnis a Domino evocatus est. Qui[29] cum cer-
1024. neret imminere sibi mortis diem, citatis ad se parentibus et cognatis beatissimae imperatricis Chunigundae, nonnullis etiam regni primoribus, manu eam apprehensam, commendavit[n] illis huiusmodi verbis memoria dignis: *Hanc ecce,* inquit, *michi a vobis, immo per Christum consignatam, ipsi Christo domino nostro et vobis resigno virginem vestram.*

33[o]. In eius vero transsitu, terra plorante, coelum exultavit, sicut Dominus per
30 suam misericordiam revelare dignatus est. Sub[30] ipsa etenim hora exitus illius cuidam servo Dei in solitudine commoranti diabolus sub humana specie traditur apparuisse. Quem vir Dei per spirituum discretionem protinus agnovit et ait: *Quo vadis?* Cui ille:

a) *Hoc loco* XIV. *habet* 1. b) XV. 1. c) fideles *corr.* infideles 1. d) *post addit* 1. *deest* 2. in matrimonio 3. e) panonia 1. f) ungarorum 3. g) sepulchrum 3. h) XVI. 1. i) d. et ad insignia regalia lanceam clauo dominice passionis insignitam addiderant *add. cod. bibl. univ. Lips.* N. 844. k) Q. enim 3. k*) *cod. Brux.* N. 3391. *hoc loco addit:* Iste sanctus vir Henricus monasterium sancti Adelberti anno Domini 1018. Aquisgrani construxit. Item anno suo undevicesimo imperator Colonie natale Domini celebrans, Heribertum archiepiscopum, in inicio regni a se iniuriose tractatum, humili satisfactione placavit. Cui reconciliatus archiepiscopus predixit, se propediem moriturum. Et non multo post mortuus, magnis cepit clarere virtutibus. Cui Peregrinus episcopatu successit. Circa idem tempus et in eodem loco imperator dominica quinquagesime venatum pergens solus ad aream silve devenit, comitibus hac illacque dispersis. Ibi habebat ecclesiam presbiter quidam aggrestis, deformis valde et quasi portentum nature. Imperator se militem fingens, suppliciter missam rogat, et ille confestim se parat. Imperator interim cogitat, quare Deus, a quo formosa cuncta procedunt, tam deformem hominem sua sacramenta conficere sineret. Ventum est autem ad illum versum tractus: „Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.“ In quibus verbis cum discordaret puer presbiteri, sacerdos concitatiori voce respondit quasi imperatori cogitanti: „Ipse fecit nos et non ipsi nos.“ Quo audito, repercussus imperator, et propheticum verum estimans, invitum fecit eum episcopum. Qui postmodum prophetico spiritu claruit. l) XVII. 1. m) *deest* 3. n) c. eam 3. o) XVIII. 1.

27) *religiosus — demonstravit* ex Ekkehardo. 28) *postquam — advexerat* ex Ekkehardo. 29) cf. Leo Ost. II, 46: *Super caeteras autem bonitates seu virtutes, quas idem imperator habuisse narratur a Deo, fertur vixisse castissimus, ut ad mortis articulum veniens coram praesentibus episcopis atque abbatibus Cunibundae coniugis suae propinquis, eaque illis tradita, fertur: „Recipite quam michi tradidistis virginem vestram.“* 30) Haec quoque historiola in codice quodam Leonis Casinensis II, 47. legitur (Muratori IV. p. 368. n. 3).

1024.

Ad exequias, inquid, *principis pergo.* At ille respondit: *Vade, comple negotium tuum, in quantum tibi a Domino permittitur; veruntamen consummato officio tuo, adiuratus per Deum vivum, ad me revertere, ut per te rei exitum cognoscam.* Post modicum reversus coram servo Dei gemebundus astitit, et voce querula et ingenti ululatu dixit: *Heu, heu! delusi sumus, in vanum laboravimus, quin etiam ab angelis Dei confusi discessimus. Assistentibus enim hinc et inde nobis et spiritibus angelicis, merita animae iustę in statera appensa sunt; et fasciculis peccatorum deprimentibus, iam pene pars nostra preponderaverat. Tunc subito adustus quidam superveniens catino aureo partis dextrae lancem oneravit, mirumque in modum parti nostrae adeo praeponderavit, ut et ipsi catino ad terram collapso ruina signum collisionis impresserit. Itaque victores angeli animam nobis ereptam gaudentes in suum consortium abduxerunt.* Haec vero tametsi corporaliter gesta referantur, necesse tamen est, ut virtute spirituali completa intelligantur. Res etenim spirituales per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur aut dicitur, aliud intus geri significatur. Prememoratus et sepe rememorandus Dei famulus calicem aureum in honore Dei et commemoratione sancti Laurentii martyris aecclesiae Merseburgensi contulerat, cuius spetiali patrocinio coram Deo adiutus et in ipsa sui exitus hora creditur liberatus. Omni vero veneratione et admiratione dignum esse perpenditur, quod eadem hora calix certa custodia clausus habebatur, nec minus tamen praedictae collisionis materiale signum excepit.

34. De eodem quoque calice quid religiosorum virorum relatione in veritate audierimus, futurorum memoriis intimare operae precium duximus. Cum enim praedictus Christi confessor Heinricus pro disponendis regni negotiis Marsipolim venisset, accidit, ut quadam die ad altare sancti Laurentii missam attentissime audiret; qua completa, sicut semper facere consueverat, ablutionem calicis sumere volebat, sed interveniente magno negotio regni, quod vir sanctus proposuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato itaque custode aecclesiae, rogavit eum, ut calicem cum ablutione mundo loco reponeret, et cum omni diligentia servaret, quoadusque ipse exoccupatus aptum tempus et locum ad sumendam illam inveniret. Excrescentibus autem causis et placitis, tota die illa vir beatus non potuit se expedire. Postera vero die post matutinas cum paucis secretariis suis clanculo monasterium introivit, et diutius flexis genibus et profusis lacrimis Deum exoravit, accersitoque custode, calicem cum ablutione sibi afferre praecepit. Cumque allatus et discoopertus fuisset, invenerunt ablutionem illam in formam veri sanguinis transmutatam. Quod factum mirabile mox universis qui aderant innotuit, et nunc et semper in laudem Dei et gloriam confessoris sui omnis aecclesia successoribus suis enarrabit. Discite ergo divites huius seculi facere vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, ipsi vos in aeterna recipiant[a] tabernacula. Huius vero gloriosissimi principis ac beatissimi patris praeconia linguam carnis reticere non convenit, in cuius transitu angelis triumphantibus coelum exultavit.

35. Defuncto[b] itaque beatissimo Dei famulo, anno[31] regni sui 24. vitae quinquagesimo secundo, imperii vero undecimo, corpus eius in aecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli Babenberch[c] honorifice sepultum est, ac postmodum multis miraculorum virtutibus a Domino glorificatum est.

INCIPIT[d] LIBER II.

1. Anno[32] dominicae incarnationis 1025. ab Urbe condita millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, Chuonradus[e], ex regni primoribus unus, sed regno antea per rebellionem adversus, principibus pro eius electione dissidentibus, Aribone autem Maguntino[f] archiepiscopo et Eberhardo Babenbergensi praesule sibi faventibus, 85°. loco ab Augusto regnum suscepit, et annis 15 regnavit. Sublimatus autem in regni sede, consilio Brunonis, episcopi Augustensis, fratris Heinrici imperatoris, qui semper, ut supra dictum est, felicibus eius invidebat actibus, Babenbergensem episcopatum meditabatur destruere; quia idem Brun[g] episcopus promisit reginae Giselae, omnia praedia, hereditario iure ad se pertinentia, filio eius Heinrico contradere. Locus igitur et tempus conventui statuitur, ubi haec res ad certum perducatur. Nocte vero, quae diem praecesserat, in qua haec

a) r. in eterna t. 3. b) defunto 1. c) babenberg 3. d) *ita* 3. *deest rubra* 1. 2. e) cunradus 3. f) moguntino 3. g) brun *corr. post* bruno 1.

31) cf. Ekkehardus. 32) Totum hoc caput ex Ekkehardo.

ventilanda erant, Eberhardus episcopus ad tentorium predicti Brunonis clam accessit, lectoque eius assidens, multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando, cum eodem sollicitus egit. Qui ubi iam multa noctis hora transacta recesserat, et episcopum pro auditis sollicitatum somnus obpresserat, visus est ei frater suus imperator Heinricus lecto suo astare faciemque suam, barba ex una parte depilata, turpatam obiectare. Cui super hac re stupido et admiranti, ac quis tam temerarios ausus in eum praesumeret, interroganti: *Tu*, ait, *haec fecisti, qui me et sanctos Dei, quos rebus michi a Deo concessis dotavi, despoliare disposuisti. Cave iam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate.* Ad haec ille expergefactus ac de visione non parum perterritus, menbrorum quoque horrore ac tremore non leniter est attactus. Mane autem facto, cum diu expectatus ad conventum procerum non veniret, regina pro filio sollicita, nunciis missis, obnixe rogavit, ut adveniens promissa perficeret. Ille vero affirmabat, se tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto surgere nec pedem posset quoquam movere. Cumque rogaretur, ut se in lecto ad conventum deportari pateretur, quo vel sic promissio perficeretur, omnino abdicavit, seque in Deum et in sanctos eius peccasse, libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina pietas per merita famuli sui, ne spe, quam in se posuit, fraudaretur, omnia illius pravae conspirationis machinamenta repressit; idque, quod ab eo bene ceptum est, confirmando semper exinde ad meliora provexit.

2. Sed iam nunc ad miracula, quae post felicem illius transitum Dominus ad declaranda meritorum illius insignia circa gloriosi corporis eius sepulturam operatus est, veniamus, pauca ex his ad posterorum noticiam transferentes, quae aut veraci et indubitata maiorum relatione ad[a] nos delata sunt, aut ipsi modernis temporibus gesta probavimus et vidimus.

3. Mulier quedam contracta in ipsa civitate manebat, adeo incurvata, ut ad gradiendum erigi nullatenus posset, sed reptaret potius manibus, quam pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbenti divinitus inspiratum est, ut ad memoriam beatissimi viri accederet, atque omnipotentis Dei misericordiam obnixius imploraret. Accidit autem, ut dies anniversarius praefati patris et domini nostri congrua observatione celebrari deberet. Populo ergo more solito ad ecclesiam confluente, et clero vigilias vespertinas celebrante, mulier quoque illa incurvata et contracta advenit, et plena fide ac devotione, usque ad locum sepulchri accessit, dicens cum propheta: *Vota mea*
Psalm. 115,14. *Domino reddam in conspectu omnis populi eius.* Ibidem ergo pernoctans in oratione, universum quod habebat, id est cor contritum et humiliatum, Domino optulit, et in fide Christi lacrimis rigavit pedes eius, et capillis capitis sui tergebat et ungento ungebat. Et quoniam multum valet deprecatio iusti assidua, cum indefessa usque ad diem talibus sacrificiis insisteret, circa horam diei terciam inter ipsa missarum sollempnia, dum in secunda missa alleluia canitur, laus[b] Dei in hominibus ipso operis effectu adimpletur. Subito enim, cernentibus cunctis qui aderant, mulier quasi in extasi[c] facta est, ac deinde[d] sensim nervi, qui diriguerant, dissolvi, et universa corporis menbra concrepantia ceperunt extendi; ac sic ordine suo tota incurvati corporis deformitas in suam naturalem pulchritudinem reformata est, ut mulier erecta et usum ambulandi et reliqua menbrorum officia cum omni integritate reciperet. Id autem certissima fide cognitum est, referentibus fratribus boni testimonii, qui praesentes huic miraculo se interfuisse et vidisse testati sunt.

4. Neque hoc negligendum aut silentio pretereundum videtur, quod antiquitas tradidit et veridica relatione multorum memoriae commendavit. Quidam edituus, in ordine laico ad custodiam aecclesiae deputatus, furtis coepit assuescere, et in ipsa aecclesia quaeque poterat clanculo decrustabat. Sed quemadmodum bonis Dei male utendo, mali ipsa bona Dei, quantum in se est, quodammodo convertunt, immo pervertunt in malum, ita e contrario summus artifex malis malorum uti novit semper in bonum, et ipsa mala malorum quandoque etiam in bonum convertit ipsorum. Ut enim ad propositum redeamus, ille praedictus aecclesiasticae custodiae deputatus, cum iam inolita viciorum consuetudine ipsam consuetudinem peccandi iam sibi quasi legem fecisset, misericorditer a Domino visitatus atque correptus est iuxta illud[33]: *Si iusticias meas profanaverint et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum.* Nocte igitur quadam, dum in ipsa aecclesia somnum caperet, servus Dei aspectu terribilis illi apparuit, qui et aspere invectus in eum dixit: *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*[34]. *Quare hoc et hoc fecisti? Scito, quia rem iniquam operatus es.* Hoc dicto, illum de stratu suo protraxit, et multis verberibus cesum, cruentatum dereliquit. Haec quidem somnians pertulit, sed expergefactus signa plagarum evidentia demonstravit, et verba verberum argumentis conprobavit. Taliter ab immani praecipicio retractus, idem ipse postmodum in suo ministerio usque ad provectiorem aetatem in aecclesia permansit, et in eius correctione multi correcti sunt, glorificantes Deum, qui per servum suum, iam coronatum in coelis, talia adhuc operatur in terris.

5. Quadam vice incerto casu cuidam accidit, ut dissociatis ab invicem naturalibus instrumentis, mandibula loco suo dimota et oris impediret officium, et naturalem humani decoris conpositionem deformaret. Doloris etiam accedebat[e] molestia, quam perpendere in alio commode valebimus, si ad nostri corporis infirmitatem animo recurramus. Talibus circumventus incommodis, clamavit ad Dominum, et divinae pietatis obnixius imploravit auxilium. Ut ergo opera Dei manifestarentur[f] in illo, multis assistentibus et videntibus, ad tumbam

a) ad nos — gesta *desunt* 3. b) dei laus 3. c) extasim *corr.* in extasi 1. d) *e corr.* 1. e) accidebat 1. 2. f) *e corr.* 1.

33) Psalm. 88, 32. 33. 34) Dan. 13, 56.

beati viri accessit, et capite superimposito, tamdiu precibus institit, quoadusque per merita servi Dei sanitatem, quam desiderabat, accepit. Quid enim? Necessarium enim est, ut qui domino universae creaturae obediunt, illis creatura omnis certis legibus rationis per omnipotentis Dei virtutem obediat.

6. Item alio tempore contigisse in veritate audivimus, ut quidam a paralisi[a] usque adeo vexaretur, ut exinde usum brachii iam perdidisset. Nutu divino admonitus est, ut ad sepulturam sancti corporis accederet, et prostratus in oratione, Dei omnipotentis misericordiam per beatissimi viri ibidem requiescentis merita invocaret[b]. Toto itaque corpore prostratus, orationibus incubuit, corde magis quam ore decantans cum propheta[32]: *Adhesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Quid ergo? Christus filius Dei, qui super terram gradiens manum aridam habentem sanavit, idem nunc sedens ad dexteram Patris, eodem innovato miraculo per merita dilecti sui supplicem istum liberavit. Sanus equidem ab oratione surrexit, et Deum propitiatorem in commemoratione sancti sui glorificavit. Clamor ad coelum attollitur, et cum debita gratiarum actione ymnus gloriae omnipotenti Deo ab universis assistentibus decantatur.

7. Hoc quoque successoribus nostris indicare curavimus, quod in diebus rogationum ad sepulchrum predicti confessoris contigisse veraciter cognovimus. Quidam enim sacerdos cum populo suae procurationi commisso in diebus rogationum crucem cum ymnis et canticis ad monasterium sancti Petri et sancti Georgii deferebat; cum quo quidam caecus, alterius manu ductus, veniebat. Is cum ad sepulchrum confessoris Christi venisset, ex toto corde suo rogavit sanctum Heinricum, ut per eius interventum restitueretur ei lumen oculorum. Cumque diu precibus et lacrimis pulsaret ad ostium pii confessoris, cunctis videntibus et in laudem Dei acclamantibus, redditus est ei visus per gratiam Omnipotentis. Et mirum in[c] modum, qui ad alterius manum ductus crucem Domini secutus fuerat caecus, modo propriis manibus crucem ferens, cum laudibus Dei populo domum redeunti ductum praebuit illuminatus.

8. Aliud quoque divinae virtutis miraculum celebri commemoratione et certa fide cognitum est. Erat quidam languidus in ipsa civitate omnibus cognitus, cuius inferiora[d] omnia a lumbis et infra omnino[e] praemortua fuerunt, adeo ut nec pedibus solo niti valeret; sed instrumento cuidam[f], rotulis quatuor coaptato, pendulus inherebat, suique corporis molem manibus propriis pro possibilitate artificis volutabat. Idem loculum sanctissimi[g] corporis frequentius visitare solebat, et per Dei misericordiam ad declaranda servi sui merita tantam gratiam est consecutus, ut menbra premortua vivificarentur, ac deinde baculis utrique humero subpositis[h], pedibus terram tangeret et erectus incederet.

9. Modernis etiam temporibus contractus quidam, qui adhuc in carne superest, in eodem loco sanatus est, et naturalem ambulandi usum recepit.

10. Preter haec multa alia sanctitatis argumenta et experimenta frequenter in eodem loco visa sunt: debiles curati, caeci illuminati, demones ex obsessis corporibus visibiliter fugati, multi ex diversis infirmitatibus ibidem frequentissime liberati sunt, Domino testificante, quanta sanctorum gloria in coelis sit, quos tantis miraculorum virtutibus in terris coruscare concedit, ne apud homines loco humili teneantur, qui apud Deum meritis excelsi esse[i] comprobantur. Cum enim miraculorum attestationibus sanctitatem confessoris sui Dominus declararet, Babenbergensis aecclesiae praelati, crebrescentibus signis, cum mandatis et litteris Chunradi[k] regis ac principum Romam abierunt, et quam magna mirabilia Deus per confessorem suum operaretur, domno papae Eugenio et 1145?
Romanae curiae nunciaverunt. At illi gaudentes et pro tantae famae dulcedine Deum glorificantes, de canonizatione sancti Heinrici coeperunt sollicite ac diligenter ad invicem conferre, quatenus in decalogo[l] conscriberetur sanctorum[33], qui virtutibus

a) parylisy 1. b) *e corr.* 1. c) im 1. d) omnia inferiora 3. e) omnia 3. f) quodam 3. g) sanctisimi 1. h) subpossitis 1. i) *post suppl.* 1. k) cuonradi 3. l) *ita* 1. catalogo 3. *caett.*

32) Ps. 118, 25. 33) Bullam Eugenii, qua Heinricus canonizatur, ediderunt Baronius a. 1152. et Gretserus: *Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Egilberto episcopo, et dilectis filiis canonicis Bambergensis ecclesiae, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut per litteras et nuncios vestros vobis mandasse meminimus, venerabiles fratres nostros, N. sanctae Rufinae episcopum et N. presbyterum cardinalem, pro diversis negotiis ad partes illas de nostro latere delegavimus, eisque viva voce iniunximus, ut ad ecclesiam vestram accederent atque de vita et miraculis Heinrici regis rei veritatem diligenter inquirerent et litteris suis nobis significarent. Nunc autem eorundem fratrum nostrorum et multorum religiosorum et discretorum virorum attestatione de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis ecclesiae et multarum aliarum, quarundam quoque episcopalium sedium reparatione, et multiplici elemosinarum largitione, de conversione regis Stephani et totius Hungariae Domino cooperante per eum facta, de glorioso etiam ipsius obitu pluribusque miraculis post eius obitum ad ipsius corporis praesentiam divinitus ostensis multa cognovimus. Inter quae illud praecipuum et memorabile plurimum attendentes, quod cum diadema sceptrumque imperii suscepisset, non imperialiter sed spiritualiter vixit; in thoro etiam legitimo positus, quod paucorum fuisse legitur, integritatem castimoniae usque in finem vitae conservavit. Quae quidem nos omnia simul perpendentes, atque devotionem vestram et ecclesiae Bambergensis, quae sanctae Romanae ecclesiae soli subesse dignoscitur, diligenter considerantes, tametsi huiusmodi petitio nisi in generalibus conciliis admitti non soleat, auctoritate tamen sanctae Romanae ecclesiae, quae omnium conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque eiusdem memorabilis viri, cuius exaltationem re-*

et signis probaretur assumptus esse in regnum coelorum. Cui canonizationi quidam cardinalis, Iohannes nomine, coepit vehementer obsistere, et proiecto timore Dei, in quibuscumque potuit, non verecundatus est, praedicto confessori Christi detrahere. Sed divina ultio detrahentem coelesti verbere repente coercuit, et dum famam beati viri laceraret, potestas Dei lumine oculorum eum privavit. At ille adeo percussus et humiliatus caecitatis molestia, et reatus sui conscientia coepit torqueri, et quoniam hanc plagam in confessorem Christi peccando meruisset, publica voce confiteri. Et mirum in[a] modum, quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modo laudibus et praeconiis usque ad sydera extollebat. Conversus itaque ad penitentiam, celerem consecutus est indulgentiam, et per intercessionem confessoris Christi denuo est illuminatus, ob cuius ultionem iusto Dei iuditio fuerat excecatus.

11. Simili modo cum in loco Babenbergensi, ubi praedictus confessor tumulatus fuerat, de canonizatione eius celebris fama haberetur, vir quidam religiosus[b] de signis, quae per eum fiebant, coepit dubitare, et de permutatione exequiarum, quae in anniversario eius celebriter fiebant, intra semet ipsum dolere. Qui mox oculorum caligine adeo est plagatus, ut postea per[c] confessorem Christi sanatus, quantum sanctitas eius apud Deum posset, in curatione ipsius experiretur. Et mirandum est valde, quod de sanctitate tanti viri aliquis dubitare potuerit, cum conversationis sanctitatem, castitatis integritatem, elemosinarum largitatem, humilitatis custodiam, et omnia opera iusticiae usque in finem vitae suae cum summa devotione servaverit. Sed, sicut scriptum est: *nemo*
Luc. 4, 24. *propheta acceptus est in patria sua.* Vir ergo praedictus, gravatus defectu luminis, confugit ad patrocinia sanctorum, deprecans, ut per eorum suffragia sanitas sibi restitueretur oculorum. Et cum ex dolore et labore et assidua veniarum[d] incurvatione fatigatus fuisset, lassatum corpus somno reparavit. Cui dormienti sanctus Wolfgangus, eo quod eum familiarem in orationibus suis habuerit, apparuit, et ait ei: *Ora confessorem Christi Heinricum, et liberabit te, quia, quod eius sanctitati derogasti, idcirco haec plaga caecitatis*[e] *venit super te.* Post hanc visionem expergefactus, ex conscientia dilecti sui intremuit[f], et ad tumbam confessoris Christi concito gradu et devota mente properavit; et procumbens terrae, a confessore Christi lacrimis et precibus suis excessibus veniam postulavit. Qui statim exauditus et pristinae sanitati restitutus, gratiarum actiones Deo et sancto Heinrico retulit, et magnalia Dei, quae circa ipsum Deus fecerat, religiosis viris, qui nobis retulerunt, ipse enarravit.

Caveant[g] igitur habitatores seculi, domesticis Dei et civibus sanctorum detrahere; quia necesse est, eos hic et in aeternum perire, qui sanctorum bonis operibus solent obloqui et invidere. Quamvis ergo[h] nunc tempora miraculorum non sint — signa enim debentur non fidelibus, sed infidelibus — tamen cum aliqua nobis praeter solitum cursum ordinemque naturae eveniunt, omni veneratione amplectenda sunt, quatenus et ipse, qui mirabilis est in sanctis suis, honorificetur, et nostra tarditas ad meliora quaeque tantis virtutibus accendatur. Prestante domino nostro Ihesu Christo, qui cum Deo patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum, Amen.

Floruit[i] Heinrico decus imperiale pudico,
Docto, magnifico, summae pietatis amico.
Regi munifico sit in exemplum Friderico.
Predico, predico, cui metra dico, dico[k].

EX ALIIS MIRACULIS[l] S. HEINRICI.

34 1. Tempore illo[34], quo venerabilis abbas Merseburgensis aecclesiae Volcmarus reliquias beati Heinrici confessoris Saxonie terre invexit, sexus utriusque turba, fama divulgata, obviam venit. Ex quibus quosdam recuperande sospitatis causa, quosdam vero fervens studium, quod[m] ab antiquo circa eiusdem regis nomen habuerant, adtracxit; et quod terrae suae statum, frequenti paganorum incursu

a) im 1. b) presbyter quidam nomine Luipoldus maioris ecclesiae canonicus *Canisius.* c) post 3. d) uenarum 1. e) *e corr.* 1. f) ingemuit 3. g) Paveant 3. h) enim 3. i) *Iidem versus in prima codicis pagina leguntur* 1. *cf. praef. Desunt* 2. 3. *caett.* k) 1. *hos addit versus:*

In tua rex domne letatur virtute,
Et in tuo nomine fruitur salute;
Fraudes sustentamine iam sunt destitute,
Sub regis munimine vigent regna tute.
Ei desiderium cordis tribuisti,
Plantis eius hostium colla subegisti.
Regis firmans brachium in virtute Cristi,
Ora detrahentium et conclusisti.

l) *ex codice* 2. *et Gr.* m) eo quod 2.

quiritis, fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum qui praesentes aderant communicato consilio, memoriam inter sanctos de caetero fieri censemus, et anniversariam ipsius diem sollempniter celebrari constituimus. Vestra itaque interest, sic in sanctae Romanae ecclesiae obedientia et fidelitate persistere et sic ei dignae devotionis obsequiis respondere, ut ampliori beati Petri et nostra gratia digni inveniamini. Datum trans Tiberim, pridie Idus Martii. 34) Quo tempore factum sit, non constat.

quassatum, illum reformasse, relatione priorum didicerant. Sed meritorum eius preconia ceperunt in ipso itinere[a] evidentibus miraculorum indiciis declarari; in quo diversis morborum generibus obpressi quod saluti pristine ibi fuerint restituti, referre per singula, tedium scribenti et fastidium forsitan generaret legenti. Tamen hoc non est silendum, quod in plerisque[b] curationum locis, in testimonium divinitus ostense virtutis, cumuli haut grandes vulgi studio congesti[c] excrevere; ut his visis posteritas eorum illi reverentiam exhiberet, cuius meritis tot genti sue beneficia collata videret. Veruntamen his interim omissis, ea referenda sunt, quae in memoria hodieque tenentur a multis.

2. Inter egros, quorum multitudo salutem petens comitabatur, adolescens quidam . . . . .

3. Demoniaci tres . . . . . Hec ipsa die adventus reliquiarum infra missam gesta sunt.

4. Erat in territorio Merseburgensi mulier diu ceca . . . . Hec in eadem qua prius villa diu vixit; tamque clarum omni terrae illi eiusmodi miraculum fuit, ut nulli fere, maxime horum qui tunc temporis fuere, incognitum esse possit.

5. Item inter occursantes a remocioribus terrae illius partibus mulier quaedam . . . .

6. In civitate Hallensi, quae duobus a Merseburgensi loco miliaribus distat, fuit matrona quedam non ignobilis, quae . . . . .

7. In monasterio beati Petri, quod Merseburgensi civitati contiguum est, res talis accidit, cuius fere omnis congregatio meminit, ipseque frater, de quo sermo est, adhuc superstes inquisitus, cum gemitu referre consuevit. Cum festum beati Heinrici pari voto longe lateque omnes terrae illius aecclesiae ritu festiviore colendum exciperent, eadem[d], quanto vicinior, tanto in laude illius promptior, pro suo posse cepit esse ornatior. Sed quia impossibile est, ut in prosperis quis, quamvis iustus, quamvis sanctus, livorem invidiae effugiat, frater quidam, invidie stimulis actus, eius sanctitati non timuit derogare et modis omnibus eius, quantum in se fuit, reniti gloriae, in tantum ut in ea die culciora queque, quia tunc custodis officio fungebatur, occultaret et signorum grandium consonantiam prepediret. Sed non diu frater ille inpune Dei et beati Heinrici tulit offensam. Nam cepit subito toto[e] fere quinque sensuum officio privari; deinde animi rigore laxato, palam omnibus Dei iudicium in se protestari, sicque necdum ad perfectum sanatus, aliquantulum tantum in melius reparari.

8. Hoc quod subiungo, ipso, de quo dicturus sum, episcopo referente, Deo teste, cognovi. Cum Polonia imperii iugum, utpote gens rebellis et effera et magis saltuum ac paludum inviis quam virium robore confisa, de cervice sua niteretur excutere, ad reprimendam eius contumatiam gloriosus imperator Fridericus animum intendit. Cumque, indicta generali expedicione, copiosus[f] a diversis regni partibus coiturus[g] esset exercitus, principes terre illius et omnis populus timore correpti, quippe qui regni vires contra se commoveri, se autem impares et inexpertos pericie belli videbant, ad placandam regis iram legatos mittentes, iterata subiectione prioris discidii errorem corrigere omnimodis promittebant. Ad hoc igitur negocium reverende persone mireque prudentie episcopum Plocensis aecclesiae Wernherum nomine elegerunt, eumque cum donis regiam magnificentiam decentibus ad imperatorem, Aquisgrani morantem, 1165.
et ossa Karoli magni levata in thecis auro gem- Dec.
misque confectis recondentem, direxerunt. A quo diu repulsus, tandem interventu principum in gratiam est receptus[h], legationeque ad votum peracta, cum reliquiis sancti Heinrici aliisque donis ab imperatore perceptis rediit; et in nemore, quod Zurbie ac Polonie terminis interiacet, mediante iam die, tentoria figi precepit. Cumque post refectionem fessos ex itinere artus quieti dedisset, quidam in somno regia veste circumamictus et dextra sceptrum gerens illi astitit, hisque verbis eum allocutus ait: *Quid in hac vasta solitudine somno deprimeris? Me*[i] *tecum nesciens geris.* Et dum ille perterritus, quisnam esset, interrogaret, respondit[k]: *Ego sum Heinricus, Babenbergensis fundator aecclesiae; qui in temporalis vitae cursu immortalitatis compendium a Domino promerui. In eo ergo quo iaces loco aecclesiam nomini meo, prout tempus permittit, construe, sciens procul dubio processu temporis divinum in eo servicium augmentari.* Surgit igitur episcopus, statimque per famulantium sibi manus certatim ruentibus lignis[l], in modum habilem fecit aecclesiam. Sed de lapidum penuria, qui ibidem audiri non videri consueverant, dum anxius inter frutecta circuiret episcopus, casu baculum quem ferebat in congestum terrae cumulum figens, lapidum copiam in similitudinem quadratorum reperit; sicque altare componens, Dei et beati Heinrici sanctique Sigismundi regis nominę dedicavit. Ubi nunc, multis astipulantibus, maior aecclesia construitur ac monachilis professionis ordo inchoatur; quodque ille predixerat, iam impleri videtur. Hac igitur occasione nomen beati Heinrici apud illas nationes in veneratione cepit haberi.

9. Quodam tempore cum non modica multitudo pauperum, variis languoribus oppressa, in aecclesia Merseburgensi non solum sanitatem corporis, sed et stipem alimonie importune petens, confluxisset: populus, qui orationis causa advenerat, prout facultas permittebat, unicuique misericordiae manum porrigebat. Ubi rusticus quidam de proxima villa cupiditate sordens, nervorum contractionem simulavit . . . .

10. Est aecclesia parrochialis aecclesiae beati Petri in veteri castro contigua; iuxta quam sedens cecus quidam, audivit concentum popularium[m], in[n] reparatione cuiusdam egri devotissime congratulantium. Erat autem hic de terra et de genere Sclavorum; quibus simplicitas vel irrationalitas pravitate quadam ingenii naturalis est, adeo ut

a) itineris progressu *ed.* b) implerisque 2. c) congeste 2. d) terra *post additum* 2. e) t. corpore *ed.* f) et c. 2. g) contractus *ed.* h) g. admissus *ed.* i) quae *ed.* k) i. e. s. ait *ed.* l) lingnis 2. m) populorum 2. n) *deest* 2

vix vel tenuem fidei videantur habere scintillam. Causam igitur huius concentus a circumstantibus requisivit[a]. Cui cum pro sanatione languentis haec fieri indicatum fuisset, ait: *Iste Heinricus Teutonicus cum sit, solis Teutonicis gratie sue prestat subsidium; mihi vero gentisque mee hominibus nichil umquam beneficii contulit.* In risum ergo qui aderant excitantur. Quidam vero sanioris consilii[b], ut aecclesiam petat pro salute sua rogaturus, adhortantur. Ductus itaque, ubi reliquie beati confessoris servabantur, humo prosternitur; et paulo post pietatem Teutonici Sclavus ipse, quam negari sibi querebatur, gratiam[b*] experitur. Ceperunt enim ab occulis eius albedines in modum squamarum avelli, optatumque lucis suffragium in eo redintegrari. Unde gens illa, que, ut dixi, rustica simplicitate et fidei pusillanimitate se sperni arbitrabatur, hoc[c] beneficio fiducia speque resumpta, ultra omnes beatum Heinricum studio devociori venerabatur.

11. Huius rei, quam dicturus sum, tot fere testes habentur, quot fratres, qui tunc temporis fuere apud prefatam beati Petri aecclesiam[d]; qui eam tanto fidelius, quanto verius agnovisse contigit, attestantur. In quadam eorum villa civitati proxima rusticus quidam . . . .

12. In pago quodam[e], miliari uno a Mersebargensi castro distante, mulier surda et muta . . . .

13. Cum excubie sacre a fidelibus circa thesaurum incomparabilem[f] sine intermissione fierent, ita ut, aliis recedentibus, aliis supervenientibus, die noctuque fores aecclesiae non clauderentur, custos aecclesiae, inter oves lupos sub vellere ovium latentes non facile agnosci[g], considerans, auferri furtim reliquias metuebat. Ad quod precavendum, ex quadris lapidibus facto satis habili reconditorio, eas[h] in illo collocavit. Cui etiam hostiolum ex pino, quod causa poscente claudi et aperiri posset, imposuit. Nocte ergo quadam infra cursum matutinum lumen incaucius eidem apponens, chorum, quem studiosius aliis frequentabat, ingreditur; sed paulo post fumum sentiens, et quod acciderat animo presago concipiens, ad locum festinus revertitur, invenitque ostiolum a flamma tangi et fumum dare, sed non ledi. Cuius haec meritis, nisi eius cuius illic reliquie servabantur, possunt asscribi? Poterant quidem absque ligni[i] et lapidis repositione a raptu alieno, ipso mediante, servari; sed pius confessor Dei laborem et studium devote sibi obsequentium noluit incassum deperire, ne vel in parvo detrimento ianue illius viderentur contristari[k], ideoque in ligno, foci usui apto, vim virtutis suae ignem a Deo obtinuit oblivisci.

14. Mulier arrepticia . . . .

15. Verum si cuncta sigillatim, que diebus singulis facta sunt, miracula persequi voluero, tempus me prius quam materia deseret; presertim cum, numero possibilitatem excedente, custos ipse aecclesiae, qui omnibus fere intererat, vix pauca de multis memorie tradere se potuisse perhibebat. Hoc solum hic obmittendum non est, quod de calice aureo, de quo supra dictum est[35], quem ob speciale devocionis sue indicium idem imperator beato Laurentio confici iusserat, febricitantes, aque vel alterius liquoris haustu, curantur; prestante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

VITAE S. HEINRICI ADDITAMENTUM.

INCIPIT[1] LIBER TERTIUS.

1. Secretum regis celare bonum esse, opera vero Dei enarrare honorificum esse, psalmista nos ammonet, dicens: *Laudate Dominum in sanctis eius.* (Psalm. 150, 1.) Igitur ea que de glorioso imperatore confessore Christi Heinrico vel laudabili et gloriosa eius coniuge sed virgine luce clarius cognovimus, ad gloriam Dei, qui operatur in sanctis suis, licet inculto, vero tamen sermone propalare proponimus; quod in eorum legenda deesse videtur, hic plenius inveniatur. Si quis scire desiderat, cum beatus Christi confessor et beata Cunegundis antequam convenirent votum continentie virginalis Deo in odorem suavitatis optulissent, quare postmodum coniugale matrimonium contraxerint, hanc sciant esse causam. Cum fama incliti principis ubique divulgaretur, et hostes fidei per eum iugo Christi subderentur, ecclesie nove construerentur et primitus destructe reedificarentur, atque sicut imber temporaneus terram solet irrigare, sic iste imperator gloriosus victoriosus rem publicam augeret et exaltaret, universitas principum eius glorie congaudebat, habundantia pacis, qua per eum fruebantur, applaudebant. Proinde, si possibile foret, iugiter eum regnare volebant. Sed quia id humana conditio non patitur, sollertia principum rei publice in posterum prospiciens inclito imperatori suggerere studebat[m], ut ad propagandam sobolem uxorem duceret, ut, virtuoso imperatore viam universe carnis ingresso, virtuosa nichilominus proles hereditario iure gubernacula regni susciperet et paternam emulans virtutem virtuose gubernaret. Sed et Christi confessor, voti sui non immemor et ca-

a) sc. Quaerit ergo causam talis concentus *ed.* b) animi *ed.* b*) *deest ed.* c) hoc autem 2. d) e. inveniuntur *ed.* e) qđ 2. f) incompalem 2. g) agnoci 2. h) easque 2. i) lignii 2. k) constristari 2. l) *ex codice* 3. m) studebant *corr.* studebat *c.*

35) Vita c. 33.

stitatis amator, principibus uxorem ducere sibi suadentibus non facile poterat acquiescere. Illis autem oportune importune sibi suggerentibus et suggerendo monentibus, et, si non consentiret, eum regno privare volentibus, licet egre, coactus est consentire, sed Deum, apud quem nichil est impossibile, gemitibus inenarrabilibus exoravit, ut sic ordinare dignaretur, ut et voluntati principum satisfaceret et tamen continentie votum inviolabile conservaret. Itaque propicius Deus, qui piis supplicationibus semper presto est, desiderium anime eius ei est dignatus tribuere. Rex vero sperans in Domino tale responsum dedit principibus: *Vestre quidem voluntati paratus sum obtemperare, sed nullam non regie majestati condignam in matrimonio mihi volo consociare;* sed et hoc ipsum illorum commisit providentie. Hoc promisso pii regis gratanter accepto, vehementer gavisi sunt principes universi; multa satagebant deliberare diligentia, quam ei matrimonio copularent, nec tamen aliam reperire poterant, nisi quam ante tempora secularia divina preordinaverat prescientia. Erat autem apud Renum palatinus Sifridus nomine, habens coniugem Hedewih vocatam, ambo quidem clarissimo genere spectabiles, utpote de nobilissima descendentes augustorum prosapia, multis etiam divitiis insignes, et, quod laudabilius est, virtutibus operam dantes. His in primeva etate nata fuit filia, que fulsit velut gemma auro superaddita, dum preclarior preclaris hec accessit attavis. Erat enim venusta facie et optimis ornata moribus, precipue vero in ea primatum tenuit pudicitia. Nam, ut superius dictum est[36], virginalem continentiam Deo devota devoverat. Proinde cum esset tam genere quam moribus nobilis, nec alia inveniretur ei similis, inclitis placuit principibus, ut hanc potissimum imperatori glorioso legitimo coniungerent conubio. Igitur missis honorabilibus legatis ad ipsam vel[a] ad propinquos vel ad amicos eius — nam utroque iam fuerat orbata parente —, de nuptiis secum ceperunt tractare. Enimvero pudicissima, cui longe mens erat alia, audiens de nuptiis secum tractari, cepit inestimabiliter contristari et toto nisu reluctari, atque pre tristitia exitus aquarum deduxerunt oculi eius, quia, que regem angelorum[b] iam sibi sponsum elegerat, regi Romanorum licet inclito nubere recusabat. Propinqui vero eius arbitrantes, ad gloriam et magnum decorem suo provenire generi, si sua consanguinea Romano conregnaret imperatori, conturbatam eam blandiciis deliniebant, et ut imperatori tam glorioso nubere non recusaret, immo gratanter id faceret, interdum consulebant et consulentes attentius obsecrabant. Inter hec virginis animus variis cogitationum fluctuabat motibus ad instar navis, que in salo posita validis circumfertur flatibus ventorum; sed tandem anchoram spei sue in divino figens auxilio, salutem suam sedulis precibus commendabat Domino, sperans indubitanter, quod ipse, cui subest cum voluerit posse, etiam in coniugio sibi posite florem pudicicie sue, ne marcesceret, posset conservare. Hac spe fiduciata virgo prudentissima, propinquorum suorum voluntati, licet non animo volenti, se tradidit. Igitur principum legati super his letati novam sponsam cum maximo tripudio suo deferebant domino, quam propinquis et amicis prosequentibus, in comitatu eius facta est non modica turba. Universis itaque principibus facta est inestimabilis exultatio de regis et regine coniugio; sed frustra. Non enim, sicut speraverunt, more carnalium nupserunt, sed virgines permanserunt. Cum autem episcoporum benedictionibus firmati secreta thalami recepissent, sponsus pudicissimus cum sponsa nichilominus pudicissima non sine verecundia exorsus est tractare de pudicicia. Ex habundantia enim cordis os loquitur. Itaque prorupit in hec verba: *Sponsa mea carissima, notum tibi sit, quod amorem, quo carnales coniuges maxime delectantur et mutuo sibi consociantur, numquam expertus sum, sed nec experiri volo, quia celibem vitam elegi et hoc voto domino Deo me iam dudum obligavi.* His auditis, regina gloriosa virgo beata inestimabiliter est exhilarata, et ardenter cepit amare sponsum, cui etiam tale dedit responsum: *Verbum tuum, domine mi rex, in corde meo dulce est super mel et favum, et propositum castitatis beneplacitum est spiritui meo, et si michi detur optio, multis prefero regnis. Nam et ego votum virginitatis mee domino Deo quasi munus gratissimum me fateor optulisse, quam si quis michi subripere presumeret, quod absit, iram superni iudicis incurreret et eternam dampnationem incideret.* Rex vero letatus in his que dicta sibi sunt, et quia consimilem res omnis amat, virgo virginem, castus castissimam casto cepit amore complecti et manum ipsius candidam sue imponens manui, his verbis est eam allocutus: *O amica mea, sponsa mea, immaculata mea, revera Dominus est in medio nostri, qui nos unius voluntatis et propositi in suo nomine fecit convenire, qui est refugium nostrum et virtus. Unanimi consensu iam ipsi nos ipsos offeramus pollicentes, quod propter eius amorem omnibus diebus vite nostre celibem vitam ducamus; et hoc tibi polliceor sub testimonio Christi, quod te ut imperatricem gloriosam semper honorabo et ut proprium corpus amabo, fedus coniugale tecum firmiter servabo, et licet amore carnali te numquam contingam, nichil tamen tue caritati de amore coniugali vel honore tue caritati congruo minuam, sed te pre omnibus, ut iustum est, amabo et in omnibus honorabo.* Cum hec et his similia inter eos perdulcia vicissim haberentur colloquia, factus est ignis exestuans in cordibus eorum ipsorum mutuo se vehementer amantium; nam unus spiritus et idem fervor caritatis erat in eis. Enimvero superfluum estimo, describendis regalibus nuptiis diu detineri, presertim cum quilibet facile possit conicere, quod eedem nuptie cum magna liberalitate, prout regiam decuit excellentiam, sunt sollempniter celebrate, episcopis honorabilibus et totius regni principibus cum multa devotione concurrentibus, innumeris etiam personis utriusque sexus et diverse dignitatis ad regales nuptias invitatis. Licet autem in libris sacris non legerimus, audenter tamen affirmamus, quod inter ceteros hospites honorabiliores

a) *deest c.* b) anglorum c.

36) Vita c. 21. 32.

invitatos hospes unus prestantior omnibus invitatus sit, scilicet virginis Filius, qui primitus ad nuptias aque[a] liquorem in vinigatissimum converterat saporem. Et quidem ipse licet visibiliter in propria non affuit persona, in menbris tamen suis licet ultimis eisdem intererat nuptiis, in quibus etiam optimis dapibus est optime refectus. Ipse enim dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis* et cetera. Enimvero imperator gloriosus inclitam imperatricem regni sui vel thalami consortem in omnibus, ut debuit, honoravit, et ad ipsius nutum universa regni disponebantur molimina, et ipsa nobilissimus flos matronarum et omnium mulierum speculum clarissimum varia virtute decorata ad instar sideris radiabat. Ut autem beati coniuges isti facilius in conspectu hominum simularent se habere coniugium, secundum morem carnalium in uno pausare thalamo solebant, et tamen incontaminatam conservabant continentiam. Res mira et nostris temporibus inaudita. Et quidem quam plures in utroque sexu sunt virgines, sed ut sigillum virginitatis valeant intemeratum servare, seorsum mares et seorsum feminas expedit habitare. Quis enim ignem abscondit in sinu suo, et vestimentum eius non comburetur? Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. Unde isti, de quibus loquimur, in protectione Dei celi pre ceteris mortalibus familiarius commorantes, interdum commanebant, et tamen virgines incontaminati permanebant; et cum preter sanguinis effusionem duo sint genera martirum, scilicet castitas in iuventute et abstinentia in habundantia, beatos coniuges, quorum preconia non tacemus, gemina martirii corona coronatos esse confidimus, qui et castitatem omni vite sue tempore et abstinentiam summopere studebant conservare.

Matth. 25,40.

2. *Qualiter ceperit claudicare.* Si[a*] quis vero scire desiderat, quare gloriosus iste imperator claudicaverit, cum primum toto corpore sanus fuerit, hanc causam esse noverit. Cum tempore quodam venisset in Apuliam pro disponendis rei publice negociis, pervenit in montem Garganum, in cuius crepidine sita est civitas[b] et in latere montis in rupe concava extat basilica non ab hominibus fabricata, neque per hominem dedicata, sed operatione divina vel virtute mirabiliter extructa, divina etiam benedictione venerabiliter consecrata. Huius basilice patronus extat Michael archangelus. In hac etiam ecclesia qualibet ebdomada cantus angelicus ab his qui digni sunt audiri perhibetur. Hanc itaque basilicam orationis causa cum ceteris Christi fidelibus vir Deo devotus est ingressus. Cumque laudes divinas inibi celebrassent et vota precum suarum cum multa devotione Deo reddidissent, tempus iam aderat, quo celestis exercitus ad laudes Deo persolvendas templum hoc sacrum fuerat ingressurus. Itaque cum omnes egrederentur, et si qui moram facerent, exire compellerentur, vir sanctus postulabat, ut ei facultas intus remanendi concederetur. Igitur omnibus egressis, solus ipse, sperans in misericordia Dei, inibi remanere presumpsit, et preces precibus continuavit et genuum flexiones iteravit, et modo multis lacrimis divine se commisit clementie, modo animam suam beato Michaeli archangelo cum multa supplicatione studuit commendare. Cum pura pii regis oratio sicut incensum ascenderet coram Domino, Deus Israel, qui in sanctis suis semper est mirabilis, mirabilem ei dignatus est ostendere visionem. Vidit enim angelorum multitudinem copiosam ad instar solis splendidam templum sanctum ingredientem, ex quibus duo principale sollempniter adornabant[c] altare. Deinde vidit alias celestium virtutum cohortes innumeras in similitudinem fulguris coruscantis fulgentes et quasi primatem suum cum gloria maxima deducentes; nec dubium, hunc fuisse archangelum celestis militie signiferum. Novissime vero videre meruit ipsum regem angelorum, Dominum venientem cum potestate magna et virtute; in cuius obsequio fuit celestis exercitus innumerabilis et splendor eius incomparabilis, cuius etiam nutu reguntur omnia celestia terrestria. Denique chorus novo Ierusalem in predicta collectus basilica divinum sollempniter celebravit obsequium. Quo tandem completo, unus ex presentibus angelis sacrum euangelii textum cum maxima reverentia dominice detulit persone, que illo deosculato innuit angelo, ut eundem deosculandum deferret imperatori in angulo latitanti. Angelo vero iussa sibi complente, predictus Christi famulus ad insolitam tante maiestatis et glorie visionem cepit animo pavescere et omnibus menbris contremiscere, tamquam diceret cum propheta[37]: *Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea.* Hoc angelus ille videns, modeste femur eius tetigit et inquit: *Ne timeas, electe Dei, surge velociter, signum pacis divinitus tibi transmissum suscipiens alacriter.* Extemplo femur eius emarcuit, et exinde omni tempore vite claudicavit. Similis per omnia eventus de beato Iacob legitur[38], cuius femur ad tactum angeli secum luctantis emarcuit. Hec quidem, ut verum fatear, in scripturis non inveni, sed relatu veracium et venerabilium virorum, hec vera esse, in veritate comperi. Equidem prepotens cancellarius et episcopus Herbipolensis Cunradus nomine, qui persecutionem passus est propter iusticiam, hec que dicta sunt se legisse constanter affirmavit, et in ecclesia Babenbergensi positus multis audientibus enarravit, ex quibus unus mihi familiaris et ipse vir plane veridicus mihi fideliter intimavit, et volente me silentio supprimere, obnixe rogavit ut scriberem. Tandem ego petentis instantia et sedulitate monentis inductus, fideliter conscripsi, quatenus hec enarrentur in progenie altera. Mallem sompno meo requiescere, quam ficta vel frivola de sanctis Dei conscribere, presertim cum opus non habeant falsis laudibus exaltari, qui signis et prodigiis divinitus meruere decorari. Hec[d] omittamus et ad historiam redeamus.

a) atque 1. a*) *Hoc caput in apographo cod. Bamberg. quod habuit Gretser post vitae c. 24. insertum fuit, verbis quibusdam mutatis.* b) laevitas *Gr.* c) adorabant *c.* d) Haec de tam glorioso miraculo dicta sufficiant. Et in evidens huius signi testimonium ipsius sancti Henrici imago ante ianuam monasterii ad dextrum latus penes chorum sancti Georgii ex .... pillo uno supposito ex opposito imaginum Adae et Evae lucide apparet. *Gr.*

37) Ier. 23, 9. 38) Gen. 32.

3. Predicti et sepe dicendi fideles Christi unanimes habitabant in regno, quibus erat cor unum et anima una, et erant duo non tam in carne una quam in uno spiritu. Erat etiam eisdem idem velle et idem nolle, adeo ut quicquid alteruter inchoasset, alter hoc ipsum sagaciter consummare satageret; par enim voluntas erat eis ad omne, quod erat virtutis, quod pietatis, quod religionis. Quicquid acturus erat imperator, dilecte sue consilio committebat, et quicquid egerat, eius conniventia confirmabat. Itaque cum se tam tenere mutuo diligerent et tamen virginalem continentiam conservarent, spiritalis eorum dilectio soli Deo cognita, sed hominibus pene incognita erat. Enimvero invidus omnium bonorum diabolus eorum castimoniam considerans, invidit et tabescebat, et sicut faber ferrarius prunas operi suo necessarias magis et magis solet succendere, sic ad libidinem eorum casta pectora sua suggestione satanas satagebat inflammare. Cum autem hac arte nichil proficeret ille milleartifex, quos ad peccandum impellere non poterat, alia calliditate conabatur supplantare. Itaque permittente Deo, qui suos permittit probari temptationibus, non reprobari, beatos coniuges, sed virgines, hac arte molitus est infamare. Quadam die in ortu surgentis aurore, cum beata Cunegundis de thoro surgeret immaculato, ille callidissimus assumpta forma militis de cubiculo regine visus est exire; quem presentes imperatricis vernule cernentes et eum cum beata Cunegunde cubasse suspicantes, mirabantur, quia numquam huiusmodi sermo de ea fuerat auditus; et omnes invicem super hoc facto musitabant, quibusdam super hac infamia condolentibus, aliis autem eam maligne rodentibus. Ille vero milleartifex non contentus hac sola vice, sequenti die, sed et tertia die, multo pluribus quam prima die cernentibus, de thalamo matrone pudicissimo se simulabat exire, et miro modo presentibus videbatur quod eum agnoscerent, cum tamen quis esset ignorarent.

Extimplo[39] patulas populi pervenit ad aures
Velox fama, malum qua non velocius ullum.

Exinde viri cum mulieribus, senes cum iunioribus, pusilli cum maioribus imperatrici gloriose detrahebant; et facta est fabula omnibus, quibusdam quidem pro ea vehementer dolentibus propter varias virtutes eius, quibusdam vero maligne detrahentibus; et a multis obprobrium sustinuit et contumeliam, quibus numquam ipsa intulerat molestiam. Erat autem cor eius habens in Domino fiduciam, quia suam sciebat innocentiam. Previdit tamen, sibi gravamen et laborem imminere, et licet haberet thesaurum bone conscientie, tamen a lacrimis se non poterat abstinere; cui boni quique, ut dictum est, condoluere, malivoli vero et maxime nefarie muliercule, quasi suas nequitias per eam obtectare, detrahebant ei dicentes: *Ecce, quanta calliditate hactenus hac specie sanctimonie suam turpitudinem palliavit.* His et huiusmodi contumeliis innocenti detrahentibus, aura sinistri rumoris aures imperatoris procul positi percelluit, cuius etiam cor in ipso contremuit, et tristis nimium inquit: *Absit, inquam, absit hec iniquitas a coniuge mea dilectissima;* siquidem nichil sinistrum de dilecta sibi suspicabatur, quia tam sobriam et tam pudicam feminam se numquam cognovisse fatebatur. Tandem aliis atque aliis eundem sermonem confirmantibus, ipse nimirum credulus, tactus est dolore cordis intrinsecus, et statuit in corde suo, ut, quoadusque viveret, numquam ulterius eam videret. Interea negociis, pro quibus exierat, imperator bene dispositis, Babenberg est reversus in mente lugubri, et coniugem olim sibi dilectam more solito salutare neglexit. Itaque prudens imperatrix patenter intellexit, apud aures illius sese diffamatam esse; quapropter anima eius turbata est valde, et vulnerata caritate dilectum suum, quamvis sine causa sibi offensum, ardenti desiderio videre desiderabat. Igitur captata opportunitate, accessit ad eum plena caritate et dilectione, quem etiam benignissime suscepit et affectuosissime salutavit. Ille vero eam non resalutare dignabatur, nec saltem respicere. At illa mitissima offensum sibi placare cupiens, dixit voce lacrimabili: *Domine mi desiderantissime, cur mihi non loqueris; ut quid avertis faciem tuam a me?* Ille demisso vultu respondit: *Non oportet me super hac re respondere tibi; recurre ad conscientiam tuam, et invenies offensionis mee causam.* At illa fiducialiter respondens ait: *Conscientia mea munda est, et conscius meus in excelso, quia plane est testis mihi, quia facinus hoc pessimum, quod obiicitur mihi, numquam perpetravi. Obsecro te, domine mi rex, ut viriliter agere et patientiam in me digneris habere. Honor quidem totius imperii per me videtur imminutus, sed volente Deo quantocius per me reformabitur; quod qualiter fieri possit, si sit cum beneplacito vestro, breviter insinuo.* His auditis, imperator aliquantulum mitigatus, tunc demum precepit eam residere et qualiter hec fieri possent edicere. Ad hec illa: *Maiestas,* inquit, *vestra, domine, principes universos tam episcopos quam laicos ad curtem regiam convenire iubeat, et presentibus omnibus causa de qua agitur ordine iudiciario ventiletur, et quidquid ipsi suggesserint, salvo honore vestro fieri poterit. Spero autem de divina misericordia, quod eripiat nos de luto*[a] *fecis huius et miseria.* Cum hec verba prudentis imperatricis optime placerent in conspectu principis, ad ipsius imperium principes convenerunt in unum. Quibus cum imperatore sedentibus in iudicio, intravit imperatrix imperterrita, et secus pedes olim dilecti sui resedit, nigra et formosa filia Ierusalem, nigra per infamiam, formosa per innocentiam, et per hoc revera filia Ierusalem, que semet ipsam, sed et causam suam, divine commendavit providentie. Tunc proloquens rex voce lacrimabili dixit principibus universis: *O dilecti mei principes gloriosi, estimo plane, nequaquam nobilitatem vestram latere, quod per dies aliquot sustinui obprobrium, et operuit confusio faciem meam, propter quod potissimum vos convenire volui, quatinus ab imminentibus incommodis vestre prudentie consilio valeam absolvi. Nunc itaque a vestra dilectione requiro, cuinam sententie matrona debeat subiacere, que contempto coniuge legitimo alium ei superducere*

a) delicto c.

39) Virg. Aen. IV, 174. 175.

presumpserit. Obsecro ergo et obsecrando precipio, ut leges et decreta maiorum recolentes, prout iustitia dictaverit, sententiam proferatis. His auditis, tam principes quam omnis illa advocatio lacrimas fundebant uberrimas, imperatrici penam ut putabant passure compatientes, quam unimoda virtute preditam esse noverant; et ideo detrectantes in eam ferre sententiam, variis colloquiis tempus redimebant. Quod illa prudenter animadvertens et femineo pectori virilem inserens animum, surgens et stans in medio, prestitoque sibi silentio, sed et omnibus ei reverenter auscultantibus, eleganter allegabat dicens: *O principes omni honore digni et mihi dilecti, iam dudum vobis complacuit universis, et dominum vel coniugem meum dilectum imperatoria dignitate sublimastis et me participem regni eius esse voluistis, et tam Dei gratia quam vestra constitutione ceteris hominibus prestantiores esse videbamur. Quia igitur inter feminas prestantior esse videor, sed iam nunc de pessimo crimine incusor, necesse est, ut per iudicium durissimum, scilicet duodecim candentes vomeres, ab hac infamia me vobis presentibus expurgem. Sed enim serenitati vestre immensas refero gratias, quia mihi parcendo gravem in me ferre sententiam noluit vestra mansuetudo.* His dictis, resedit. Porro presentes omnes, his auditis, ad invicem conferebant dicentes: *Quod si perpetrati sceleris conscientia nostram stimularet dominam, nequaquam sibimet gravissimum hoc examen proponeret, immo etiam ab aliis propositum repulsaret*[a]. Interea vomeres vehementer igniti in unam delati sunt basilicam, in qua beata Cunegundis a duobus episcopis dignioribus sicut ovis ad victimam ducebatur, quam Christi confessor e vestigio sequebatur. Qui videns vomeres scintillas ignis vaporantes, in ira misericordie memor, memor etiam pristini amoris, dixit ad eam: *Quiesce, domina mi amantissima, quiesce mihi desiderantissima, parce, queso, tibimet ipsi, et ne intres in iudicium hoc, horribile etiam ad audiendum; credo enim, te immunem esse ab omni crimine.* Illa sereno vultu respondit ei: *Quod si vobis mihi parcentibus ad presens evasero iudicium, sed non evadam, quod hactenus innocens sustinui convicium. Quapropter necesse est, ut hoc examine, licet sit terribile, me accelerem expurgare, ut his, qui hactenus mihi detrahebant, iam detur alia de Cunegunde loquendi materia.* His dictis, fiducialiter accessit, et elevatis oculis in celum, dixit: *Domine, adiutor et protector meus, ne derelinquas me; festina, Domine, ne tardaveris, sed in presenti tribulatione subveni ancille tue. Te, Domine, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia, te, inquam, Domine, testem hodie invoco, quia nec hunc presentem Heinricum, nec quemquam virum alium carnali commercio cognovi.* Quo audito, rex infremuit, et secretum suum celari cupiens et ideo loquentis os oppilare satagens, atrociter compressit, ex quo linea copiosi sanguinis effluxit; quo viso, imperator subitanea ductus penitentia, flevit amare, et doluit super eam, sicut doleri solet in morte primogeniti. Erat enim fasciculus mirre dilecta sua sibi. Igitur ipse retrocedens exitum rei gemebundus expectavit.

In Domino vero posuit spem sancta virago
Atque genu flexit repetensque precem pia dixit:
Rex, opifex mundi, fer opem misere Cunegundi.
Et cum presentes tremerent nimis, aspicientes
Candentes vomeres, calcavit eos quasi flores.
Undenis ipsa peragratis, nil quoque lesa,
Stans super extremum vomerem veneranda, supremum
Regem laudavit, per quem satanam superavit.

Itaque cum imperatrix inclita de obiecto sibi crimine satis evidenter esset expurgata, imperator animum eius blandiciis delinire gestiens, ipsius sacris pedibus provolutus, ait: *Placare, domina mi, esto michi placabilis, et ne repellas me a gratia vel dilectione tua. Equidem, fateor, peccavi et insipienter egi in eo, quod molestus fui tibi, nunc iam ago penitentiam. Adhereat lingua mea faucibus meis, si non tibi de cetero ego satisfecero, quoadusque*[b] *vixero.* At illa columbine simplicitatis et mire patientie, immemor iniurie, memor clementie, dilecto suo ait: *Domine meus, non mea tibi sed Dei potius est optanda gratia; quam ut pleniter adipisci merearis, Deum time et mandata eius observa; mea vero erga te vigere devotio nec desiit nec desinet aliquando.* Enimvero visis virtutibus et signis his que fiebant ibi, collecta concio gaudens gaudebat in Domino. Siquidem tristicia imperatrici condolentium versa est in gaudium, et qui cum flente[c] fleverant, iam gaudenti congaudebant. Igitur omnes voce unanimi gratiarum actiones omnium persolvebant dominatori, qui facit mirabiles res, qui pia dispensatione suos permittit temptari electos, ut quemadmodum aromata, quanto subtilius trita fuerint, tanto maiorem reddunt fraglantiam, ita et electi tribulationibus probati Christi bonus odor sint Deo in omni loco. Revera vera est sententia, quam Dominus ait[40]: *Non potest civitas abscondi super montem posita, neque accendunt lucernam* et cetera.

Sub modio posita fuit ardens illa lucerna.
Hanc etenim nuptam prius omnes esse putabant,
Denique corruptam per adulterium reputabant;
Sed que virgineum florem servavit in evum,
Iudicio teste satis enituit manifeste.
Quod pius Heinricus fuerit, quod virgo pudicus,
Est manifestatum, licet haud fuerit sibi gratum.
Pessima figmenta satane sunt adnichilata.
Femina dum fragilis satana temptante probatur,
Omnibus odibilis zabulus per eam reprobatur.

a) *ita aut* recusaret *legendum esse videtur;* resultaret c. b) quodusque c. c) flenti c.

40) Matth. 5, 14. 15.

VITA SANCTAE CUNEGUNDIS.[a]

1. Ex nobilissimo parentum, magnorum videlicet augustorum, sanguine, duo inmarcessibilis[b] glorie flores[b*] enituerunt, secundus videlicet Heinricus, Romani inperii gloriosissimum decus, eiusque dignissima contectalis pie memorie Cunegundis[c] inperatrix. Eadem vero beata et Deo dilecta Cunegundis terreno inperatori copulariter, non carnaliter coniuncta, celesti regi virginitatem suam consecravit, quam usque in finem casti coniugis consensu, Deo teste, conservavit. Quod postmodum divinitas, ne lumen in tenebris lateret, ostendit; dum eam, ad confundendum virginitatis hostem et obstruendum os mendatium[d] contra virginem Christi loquentium, super ignitos vomeres incedere[e] et illesam procedere dedit[f]. In fascibus itaque constituta, continentie sue gloriam sub terreni clamide inperii satagebat abscondere[g], ut tanto propensius, quanto efficatius poterat, promoveret, que Deo instigante, illo quoque adiuvante, ad laudem ipsius cogitabat perficere. Denique post[h] novellam fecundissime plantationis sue ecclesiam, quam cum illo suo studiosissimo cooperatore Heinrico[i] in loco Babenbergensi venustissime, sicut hactenus cernitur, fabricavit sub patrocinio principis apostolorum beati Petri ac sancti Georgii[k] martiris, monasterium[1] sub regula beati Benedicti ad aquilonarem plagam in honore sancti Michahelis archangeli exstruxit non minori studio prediorum quoque ac diversorum donariis ornamentorum. Tertiam demum versus meridiem sub ordine canonicorum, sub titulo beati prothomartiris Stephani, parvo quidem scemate, sed maiori opera[l], de suo patrimonio[m] ecclesiam dedicavit. Ad quam dedicandam Benedictum papam, quem prefatus Deo dignus inperator Heinricus ad confirmandum Babenbergensem pontificatum advocaverat, venire rogavit. Ipsa quoque illud psalmigraphi secum decantans: *Domine, dilexi decorem domus tue;* Psalm. 25,8. diversa eidem ecclesie iuxta inperialem magnificentiam[n] munera contulit in diversis ecclesie ornamentis. Que omnia ipse domnus apostolicus, ut semper memoria fundatricis ipsius illic floreat, ne quando per fraudem aut violentiam vel furto inde subtraherentur, dura banni sui innodatione, septuaginta quoque duorum episcoporum, qui illic aderant, auctoritate ipso die confirmavit[2]. Item[o] monasterium ad honorem sancti Salvatoris nostri Ihesu Christi et eius victoriosissime crucis, in loco qui Confugia dicitur, magnifice construxit, et ancillarum Dei ibidem 1017. Deo secundum regulam beati[p] Benedicti servientium ibidem congregationem[q] decentissime ordinavit. Porro cooperante ei in omnibus inperiali magestate, idem monasterium omni ornatu decoravit. Ante principale altare iconam de[r] auro et lapidibus preciosissimis statuit, calices aureos et argenteos, catinos[s], urceos, pallas et casulas, vela et cortinas, cappas auro et gemmis preciosis intextas, et cetera utensilia sive[t] vasa ministerii[u] tanto studio et tam sumptuosis inpensis eidem ecclesie contulit, ut quicumque ea intuentur, regiam munificentiam et miram utriusque, inperatoris videlicet et inperatricis, devocionem in Deum magnopere mirari non cessent[v].

2. Preter has principales sue operationis[w] et

a) Incipit vita sancte Kunegundis imperatricis. 3. b) inmarcescibiles 1. 3. b*) in mundo *add.* 3. c) Kun. 2. *semper.* d) mendacia loquentium c. v. Chr. 3. e) incederet 1. 2. f) *In altera vita hoc loco c. 21. vitae Heinrici maxima pars addita est:* Qualiter autem id factum sit — humilitatis adhibuit. g) abscondi 2. 3. h) postmodum 1. 2. i) henrico 1. k) georgii *corr.* georii 2. l) opere 2 m) matrimonio 1. 2. n) munificentiam 3. o) *Cod. Ranshof.* (6.) *hanc narrationem ita incipit:* Ad augmentum bonorum operum tam gloriose imperatricis et uirginis Chunigundis et hanc narrationem piis eius actibus interserimus. Deuota itaque Deo imperatrix dudum ob omni sinistrae suspicionis nota liberrima, faciens iam mirabilia in uita sua, que potuit transgredi et non est transgressa, facere mala et non fecit, immo bonis operibus cepit propensius insistere, iuxta illud prophetae: „Ibunt sancti de uirtute in uirtutem,“ iamque ad superni regis triclinium totis cepit desideriis anhelare. Vnde monasterium p) sancti 3. q) *deest* 3. r) yconam ex 3. s) aurceos *add.* 1. t) sui et 2. u) minesteria 1. ministerialia 2. v) 6. *addit:* Preterea ministerialibus suis, uiris honestissimis, eandem ecclesiam pari uoto, pari manu, imperator et imperatrix sublimauerunt; imperiali priuilegio et sygillo dato, ut beneficia ipsorum ministerialium nulla ratione ex prebenda sororum augerentur, uel prebendae earum quacumque occasione minuerentur. Prima abbatissa eidem cenobio prefecta est, Outa nomine, consanguinea imperatricis, moribus et uita laudabilis. Item sanctissima imperatrix quasi thesaurum incomparabilem et super regum diuicias Deo obtulit in die consecrationis templi Confungensis ligni dominici crucem, paruam in materia, sed maximam in uirtute (*v. c.* 5.), et dote propria Confungensem ecclesiam dotauit, scilicet curte quae Cassele nuncupatur, cum omnibus attinentiis eius, in agris, in pascuis, in siluis, cultis et incultis, in piscationibus, in uenationibus, in riuis aquarumque decursibus. Hec omnia priuilegio imperiali diu confirmata, sigilli eius impressione muniuit, et eterno anathemati qui infringerent adiudicauit. Procedente dehinc tempore sub Hildegarda abbatissa, ut ecclesia Confungensis ab omni decimarum iure in Hassia prouincia esset libera, predium Gensingen cum omnibus attinentiis suis, facto concambio, Barthoni Mogontino archiepiscopo in proprietatem datum est. Item sanctissimus imperator consilio et uoluntate suae contectalis premonitus, et uiam malorum sua imperiali auctoritate sepiens in omnibus, nullum subaduocatum Confungensem ecclesiam habere debere constituit. Mogontinum archiepiscopum in spiritalibus eis prouisorem et rectorem esse censuit. Romanae uero domus aduocatum, ipsum videlicet imperatorem, sine totius exactione seruicii abbatissae inuestitorem, loci defensorem et ubique pium protectorem esse instituit. w) fundationis 3.

1) V. Vitam Heinrici c. 6. 2) cf. Vitam Heinrici c. 26.

primarias ecclesias, que conventualis ecclesia, que monasteria illorum donativo non gloriantur se aut in prediis dilatatas aut decoratas ornamentis? Alias enim antiquitate collapsas reedificaverunt, quasdam etiam destructas et ad nichilum redactas in pristinum vel etiam in meliorem statum instauraverunt, et sicuti prudentes virgines oleum sue misericordie in diversos effuderunt, ut merito dicere
2. Cor. 2,15. possint: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* O coniugium non voluptate, sed bona voluntate copulatum! O sanctum matrimonium, ubi una fides inviolate castitatis, ubi unus spiritus misericordie et[a] veritatis, ubi idem velle in virtutibus idemque nolle in vitiis; ubi nec primus nec alter discerni potuit, dum alter quod primus voluit; ubi par animus in multifariis operum effectibus pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Unum scio, quia nostra modo nescit regia[b] tales, dum illi propter regnum celorum se castrantes, nec prolem terrene fecunditatis expectantes, celibem a Deo generationem reciperent; a quorum ore laus Dei nunquam deficiet. Hec est generatio querentium Dominum, qui viventes in Christo, membra sua mortificantes propter Christum super terram morientium, modo regnantes cum Christo, bona Domini sui vident in regione viventium.

3. Quoniam de vita et virtutibus pii Heinrici christianissimi inperatoris et miscrationibus variis, quas fecit in domo Domini, de signis quoque ac miraculis, que post transitum ipsius per eum fecit Deus, satis ac digne scripta sancta recepit ecclesia: nunc animum pupugit ac in mentem venit, vitam memorande virginis nostre breviter explicare et memorie scripto commendare, ut ad exemplum eius se intuentes, quecumque virgines, quecumque vere vidue, perfecte vite normam arbitrentur conversationem illius. Indignum enim nobis, sed magis opere precium duximus, ut illi officium non subtrahamus oris, cuius providentia quotidie[c] alimenta percipimus corporis. Heinrico itaque suo, sue castitatis pacientissimo semper custode, ubi eam suis virginem, uti transduxerat[d], in Christo
1024. resignavit, ad celestia, que iugiter suspirabat, gaudia translato[3], illa se ad Deum ut semper totam contulit; ipsum sue castitati, necessitati ac saluti adesse, illum suis ecclesiis, illum filiis, quos ei in ipso aggregaverat, presentem affore, advocare; vigiliis, orationibus[e] instare, die practicam cum Martha, noctu contemplativam cum Maria vitam agere non cessabat. Quanta vero elemosinarum largitate, quanta orationis instantia pro beati coniugis defuncti anima desudaverit, in subscripta pagina, quam ipsa per se — nam litterarum et artium aliarum, distinguere auro gemmisque sacras vestes, peritissima fuit — conposuit et scripsit, quicumque scire voluerit, cognoscere poterit.

4. Epistola. *Cunegundis divina dispensatione solo inperatrix nomine, specialiter dilecte congregationi in Confugia[f], quicquid iuste convenit dilectioni[g]. Proprie adversitatis sarcinam facilius, veluti estimo, tolerarem, si vestras res salvas incolumesque existere viderem. Quamvis enim mens procellosis curarum fluctibus undique quatiatur, vestre tamen recordationis anchora a cordis profunditate non evellitur. Et licet longe remote[h] ab oculis, ab animo tamen nunquam recedetis. Quis nos separabit a caritate Christi, casus doloris, an longinquitas remotionis? Quin etiam si amisse facultatis usus concederetur, voluntas hec operis exhibitione conprobaretur. Ipsum tamen modicum, quod adhuc, Deo volente, reliquum tenemus, vestre communicationi alienum esse nolumus; ut participatione parvitatis reveletur magnitudo devocionis. Mater namque, si parum habuerit, parum filiis tribuit. Ecce hec modici sumptus munuscula ad refectionem vobis mittuntur carnis[i], ut animam senioris eiusque patris[k] vestri continua orationis alimonia reficiatis; quoniam tot iustorum preces unanimiter continuate apud Deum multum possunt proficere, Iacob attestante[4]: „Multum enim valet deprecatio iusti assidua.“ Ille etiam atque etiam iustus Dominus, qui iusticias dilexit, equitatem supplicationis[l] exaudire non respuit; sed vobis indefessis intercessionibus[m] supradicti cari memoriam facientibus, salutis dabit premium, quod ipse promittit dicens[5]: „Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.“ Atque bonum opus in[n] conspectu eciam Dei placitum esse cernitis, si non solum pro illis, qui in hac vita positi multa vobis bona, sed qui nulla fecerunt, oraveritis. Obsecro igitur, ut eum a cordibus vestris nunquam abiciatis, qui vos quasi proprias amavit atque hunc locum vestra servitute florere voluit. Estote quoque mee necessitatis memores, semper in hilaritate cordis misericordes, secundum illud apostoli[6]: „Dilectio sine simulatione.“ Necnon vestre mentes in quandam mutue caritatis soliditatem magis ac magis concrescant, quatenus in die tribulationis clamorem vestrum ipsius aures exaudiant, qui dicit[7]: „Ubi duo vel tres congregati fuerint[o], in medio eorum sum“. Quod vos omnimodis promereri hortor, eodem prestante, qui cum Patre et[p] Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen.*

5. Denique Conrado sibi succedente in regno, ipsa curis secularibus, sicut iam diu desideraverat, exonerata, in ipso anniversario die transitus sancti Heinrici archiepiscopos cum coepiscopis ad dedicationem Conphugensis[q] ecclesie convocavit; ubi inter missarum sollempnia, inperiali decentissime omni cultu[r] ornata, ante principale altare virgo Deo devota processit, ibique thesaurum inconparabilem, ligni videlicet dominici crucem, parvam quidem in materia, sed maximam in virtute, Deo obtulit. At ubi lectio ewangelii, in qua super arborem crucis ascendens suspicientem se Ihesum suscipere et ab eo benedictionem pusillus meruit accipere, lecta fuit, regalem purpuram exuens, tu-

a) ac 3. b) regia *corr.* regio 2. c) *ita* 1. cotidie 3. d) traduxerat 3. e) et o. 3. f) conphugia 3. g) dileccioni 1. *et ita saepius* cc. h) remoti 3. i) carius 3. k) parris 1. paris *corr.* comparis 2. eiusdemque quondam patris 3. l) supplicationis equitates 3. m) intercessoribus 1. n) etiam in 3. o) in nomine meo ibi *add.* 3. p) *deest* 2. q) comph. 2. conphugiensis 3. r) ornatu culta 1. 2.

3) cf. Vitam Heinr. c. 32. 4) Iacobi 5, 16. 5) Matth. 10, 22. 6) Rom. 12, 9. 7) Matth. 18, 20.

nicam fusciorem, quam ipsa sibi[a] manibus suis operata fuerat, sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit. Et multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus que iam seculum dampnasset in vestibus, capillis, qui huc usque in eodem monasterio pro veneratione servantur, precisis, inposito sibi ab episcopis[b] velo, anulo fidei subarrata, gratulabunda subcinuit: *Posuit signum in faciem meam et anulo suo subarravit me dominus meus Ihesus Christus.* Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non ut mater filiabus se preferebat, sed omnibus inserviens, servilem se personam ostendebat; ita tamen, ut, cum omnia faceret, ostentacionem fugeret singulorum, ne reciperet in presenti seculo mercedem suam. Operabatur manibus suis[c], sciens scriptum esse: *Qui non operatur*[8], *non manducet.* Sponso aut orans loquebatur aut psallens. Ad ecclesie limina pene invisa properabat. Nichil severitate illius iocundius, nichil iocunditate severius. Tristis in risu, in tristicia suavis. Breve vite spacium eterna memoria conpensabat. Idem illi orationis[d] locus et quietis fuit; idem semper habitus; incultum corpus, dum sciret reiciendas delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum fuit[e]. Semper eam legere aut legentem audire videres. Multa illi circa contubernales devocio, frequens decubantium visitatio, solicita pauperum consolatio.

6. Preterea eam fecisse plura miracula credimus; sed quod gloriam humanam et oleum adulationis semper fugeret, esse suppressa, aut incurie hominum seu revolutioni temporum, non defectui deputandum virtutum. Unde etiam tante magestati indigna scribendi minor materia fuit. Pauca tantum[f], que in scriptis reperimus vel veridica sanctimonialium, ubi illa pro Christo militabat, relatione cognovimus, hic inserere dignum duximus. Cum post orationis frequentiam inter lectionis lassitudinem ancilla Christi in lecto, non plumis exstructo, sed cilicio strato, membra sopore gravata remisisset, puella sacrata[g], que de more illi assidebat sacros codices legens, cum fere ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit, lumenque e manibus elapsum paleas corripiens, sui fragore circumiacentes sorores excitavit. Clamore ex concursu[h] facto, virgo Christi de sompno excussa, dum colluctantes inter se flammas et concrepitantes flammas circa se aspexit, ad orationis arma se convertit, et signo crucis adustionem illam[i] absque omni suarum lesione vestium avertit. Tua haec, Christe, opera, qui Babilonium regem in suo furore confudisti et Babilonios ignes domasti[k], ut pueri tui liberarentur illesi[l].

7. Aliud miraculum tam[m] timendum quam mirandum huic placuit subscribere, in quo animi illius constantiam et rigoris severitatem discere poteris. Habuit secum sororis sue filiam, Utam[n] nomine. Quam a primis annis educatam, omni disciplina, secularium quoque literarum[o] scientia instruxerat. Hec materteram non minus religionis quam dilectionis amore in monasterio secuta et consecrata fuit. Hanc in omnibus plene instructam, ubi eius in orationibus vigiliis ac ieiuniis perseverantiam et ad omnia pacientiam perspexit, omnium assensu et rogatu primam in ipso cenobio eam abbatissam prefecit. Tum vero mater filiam suscipiens, iuxta commonitionem sanctam iam[p] dudum habitam, precedentium patrum[q] repetens alloquia, monet, ob salutis affectum[r] utilia ac Deo placita sepe dicere, frequenter audire, solitas religiosi itineris vias non deserere, magis magisque errorum devia et diaboli calcare figmenta; nullam luci ac tenebris, veritati atque mendatio, turpitudini atque honestati[s], aput Dei servos docet esse communionem; sollicite cavere, ne vana sectando, desineret esse templum Dei, fieret habitacio tenebrarum, fieret demonis monumentum; luminum suorum in Dei figere[t] aspectum; primam, que docet, facere, ut fructum doctrine sue ipsa in celis, Deo adiuvante, possit invenire. Hec et huiusmodi iterum atque iterum materno studio ei inculcans, quasi in omnibus iam perfectam et ipsa magistram venerari cepit. Illa ubi inmatura libertate potita est, paulatim a rigore suo deficere, molliorem cultum, lautiorem cibum, vitiorum alimenta desiderare, ultima in choro, prima in convivio, puellarum fabulis interesse, et in omnibus laxius se agere cepit. Pro huiusmodi levitatibus dum eam sancta Dei privatim[u] inter se, publice coram omnibus argueret[v] sepius, obsecraret, increparet, nec illa, velut matertere patrocinio aut familiaritate vane confisa, emendaret: quadam die, cum ipsa[w] cum conventu crucem — nam dies dominicus erat — sequitur, abbatissa defuit. Quam illa inquirens et epulantem cum coevis in conclavi reperiens, zelo pietatis armata, cum verbo correptionis dexteram maxillam eius percussit. Que quasi sigillum quoddam formam digitorum accepit; qua omni tempore vite sue non caruit. De quo nimirum facto constat, quia non tantum pro se, sed aliorum emendatione hoc pertulit, ut huius visio aliis proficeret et ad melioris vite statum a vitiis suis retorqueret.

8. Forte et illud detractoribus fabulosum et infidelibus incredibile[x] putabitur, quod sanctitatem illius, quam gratia[y] humilitatis ipsa homines latere voluit, elementa loquuntur[z]. Denique cum post lectionem ewangelii suo sollempni more ad altare sacrificatura accederet, dextere manus sue cirotecam detrahens, cum nullus qui reciperet adesset, a se reiecit; quam radius solis per fenestre rimulas intrans suscepit et tamdiu quasi famulando sustinuit, donec illa post sacrificium rediens eam reciperet. Tale eciam quid in beati veste Goaris aliquando divina virtute ostensum fuisse legitur; qui dum a sede Rustici Treverensis pontificis de-

a) *deest* 3. b) epos 1. *corr.* epo 2. c) *alia vita add.:* Nulli enim in distinguendis auro gemmisque vestibus plurimum, aut in stolis, aut in cingulis, aestimabatur inferior. d) l. o. 3. e) sit 3. f) tamen 3. g) sacra 3. h) concussu *corr.* concursu 2. i) *deest* 3. k) *deest* 1. 2. l) i. extinxisti 2. m) quam tam 1. 2. n) vdam 3. o) litterarum quoque 3. p) *deest* 3. q) p. illi 3. r) profectum 3. s) egestati 1. 2. t) defigere 3. u) dei frequenter inter se privatim 3. v) s. a. 3. w) ipsa cum *desunt* 3. x) videredibile *corr.* videre ridibile 1. videtur ridibile 2. y) h. g. 3. z) locuntur 3.

8) 2. Thess. 3, 10.

spicitur, a summa magestate per maioris luminaris famulatum honoratur. Omnium itaque capax erat meritorum, que iudicem cunctarum[a] meruit habere virtutum.

1033. 9.[b] Quindecim[9] in sancto proposito supervixit annos, tam humilitatis gratia quam pro religionis reverentia omnibus admiranda. Tandem pro[c] nimia ciborum abstinentia, orationis et vigiliarum incredibili perseverantia, cepit corpore languescere, et ingravescente morbo, paulatim deficere. Sed dum membra dolore contraherentur exterius, spiritu tamen, quia laus Dei semper in ore eius, confortabatur interius. Vocabat sanctos angelos, quorum hic vita illic nunc consortio fruitur; apostolos et confessores, quorum fidem semper et confessionem tenuit, interpellabat. Virginum Christi in suo exitu invitabat chorum, quarum emulatione in carne, dum preter carnem viveret, inmaculatum Christo consecraverat thorum; omnium Deo famulantium sibi adesse, sibi occurrere orabat auxilium. Vere
Rom. 8,28. quod est scriptum[d]: *Timentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, in obitu tante virginis vidimus conprobatum. Necdum spiritum exalaverat, necdum Christo debitam reddiderat animam,

et iam fama volans, tanti prenuncia luctus, non tantum sacratas virgines aut[e] diversi ordinis viros, [verum[f] etiam] totius urbis populos ad exequias congregabat. Sonabant psalmi, et totam domum, ubi sacrum corpusculum in medio super illo nobili sui[g] cilicio conpositum iacebat, in sublime resonans letania pro exeunte anima quaciebat. Interim ex more regales tanquam inperatrici[h], non ut paupercule debentur sorori, parantur obsequie; aurea feretro obtendenda proferuntur velamina. Tum illa pallentes[i] vultus, quos ante ut sponso venienti letos videres, ad hos[k] retorquere, manu abnuere: *Amictus iste*, ait, *non est meus; auferte hinc ornatus; hic alienus est. Hiis terreno sponso, istis*[l] *celesti sum*[m] *copulata. Nuda de utero matris mee egressa sum, nuda regrediar illuc. Hiis*[n] *misere vilem carnis materiam involvite, et corpusculum meum iuxta tumulum fratris mei ac domini Heinrici*[o] *inperatoris, quem me vocantem video, in proprio locello reponite.* Hiis dictis, in manum[p] Domini spiritum[q] commendans, carnis sarcina abiecta, ad suum anima revolavit auctorem, et in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit; terris, matrem communem se amisisse, flentibus, celis autem, concivem in suum consortium se suscepisse[r], gaudentibus. Ita demum sacro illo corpore feretro superposito, nobilium ordine preeunte, multis hinc inde confluentibus turmis[t] cum illo sibi semper familiarissimo pauperum contubernio, ad locum predestinatum sepulture felices exequie usque delate sunt. Tum vero relictas urbes, vacua rura, desolatas civitates, undique concurrere populos videres, matres parvulos suos in brachiis gestantes, infirmos in grabatis[u] iacentes sanitatis gratiam sperare, felicem se credere, si cui aut feretro iungi aut ab ipso contigisset obumbrari. Tandem in ecclesiam beati Petri[v] corpus non[w] sine labore deportatum, triduanas ibi meritis suis ac beneficiis condignas habuit exequias. Filii quos ipsa illic in Christo aggregaverat, de matris pace iam securi, pro se autem sollicili, incessanter psallebant, dum eam sibi ad horam[x] subtractam, sine timore amissionis in spe perpetue intercessionis recepisse, plaudebant. Mater de celo filiorum prospectans affectum gaudebat. Ita velatum sacrum corpus sacris vestibus, diademate Christi[y] superposito, suo loculo in dextro latere, sicut hactenus veneratur, repositum est[z]. O felix Babenbergensis ecclesia, recepisti thesaurum, quem amiseras. Procax et malefica lingua detractorum oculorum testimonio confutata est, dum virginitas eius rebus approbata, sanctitas clarescentibus signis videtur testificata per Christum dominum nostrum[*].

INCIPIT[a] DE MIRACULIS SANCTE CUNEGUNDIS.

Christiane religioni proficiens fidelis ecclesia — que in ewangelio, voce Domini testante, Dei mater et filia per gratiam nominatur, mater, quia sancte operationis exemplo filios Domino generat, filia, quia virginis Filio pro salute mundi incarnato eruditione sanctorum patrum quotidie[b] generatur — salutem missam a Domino, celestis archiatri effectibus medicine plenam, tam cordis quam[c] corporis auribus animadvertat.

[d]Mundane machine conditor humano generi per inobedientiam lapso condolens, ut eterne vite fructus facientem novam plantationem, scilicet primitivam ecclesiam, insereret, patriarchas et prophetas in mundum mittere dignatus est. Qui creditum sibi officium, quinque corporis sensibus, sexto quoque, qui est spiritus prophecie, misterium incarnationis Christi et omnium que de ipso annuncianda erant predicentes, alii asperitate vite, alii diversis penarum mortibus, ipsi, quem prophetabant, famulatum suum fideliter inpleverunt. Horum limes Christus eterni patris consilio pro liberandis hominibus de intemerate virginis utero

a) cunctorum 3. b) 3. *add. rubram:* De transitu eiusdem virginis. c) pro *corr.* pre 1. d) est s. est, *primo* est *deleto* 1. e) v. diuersi quoque 2. f) u. e. *desunt* 1. 2. 3. g) sui nobili 2. h) inperarici *post corr.* inperatrici 1. i) psallentes 3. k) os 1. *corr.* hos 2. l) istis *corr.* isti 1. isti *corr.* istis 2. *ubi correctoris manu post* sponso *adduntur:* Cilicia vero manu tenens ait. m) c. sum 3. n) His uilem m. c. 3. o) henrici 1. p) manus 3. q) s. suum 3. r) recepisse 3. t) turbis 3. u) grabattis 3. v) p. apostoli 3. w) *deest* 2. x) oram 1. *corr.* horam 2. y) capiti *add.* 3. z) *Altera vita add.:* Transiit autem anno dominicae incarnationis millesimo tertio (*lege* 1033.) indictione III. V. Nonas Martii, regnante in aeternum, qui est corona virginum, Christo domino nostro. *) 2. 3. *add.* amen. a) I. liber 3. b) cotidie 3. c) cordis q. *desunt* 1. 2. d) *add. rubram* Incipit 1. 2.

9) Quum Cunegundis a. 1033. obierit (Ann. Hildesb. h. a.) non 15, sed 9 tantum annos post mariti mortem in monasterio vixit.

processit, ut iam inchoate plantationi, missis per orbem apostolis, atque de suo corpore fuso cruore, fabricatam novellam superedificaret ecclesiam. Que sancte Trinitatis fide inbuta et mundata baptismi gratia, martires, confessores et infirmi sexus[a] virgines, animo tamen constantes, primicias obtulit; inter quas beata Cunegundis, flos Babenbergensis ecclesie, cum sancto Heinrico, qui Romanum tenuit[b] inperium, sub coniugii specie inmortali sponso caste virginitatis honore deservivit. Unde iam eius sanctitatis merita per orbem manifesta declaratione apparent, quia in loco, ubi sanctum corpus eius quiescit, infirmi quacumque laborantes egritudine sanitatem recipiunt. Ut autem ad omnia cautissimi testes simus, veritatis amatoribus etati nostre succedentibus de hiis que scribimus curiose indagantibus, scilicet quo tempore curationum operationes meritis prefate inperatricis inicium habuerint, largiente Domino, prout possumus explicare volumus.

1. Anno dominice incarnationis 1199. indictione 2. Thiemone[c] tercio decimo Babenbergensis ecclesie episcopo, quarto pontificatus sui anno, ad vincula sancti Petri, ne de sanctitate predicte[d] virginis ambigeremus, signorum experientia certificati sumus. Nam dum solito more populus ad predictum locum orationum et vigiliarum causa convenisset, affuit etiam quidam maniacus de villa que dicitur Beirrut[e]; qui nec pietatem agnoscens, nec scelus abhorrens, filium suum igne cremaverat. Hic duris funibus astrictus, ad sepulcrum sancte Cunegundis ita mansuescere cepit, ut furiali morbo absolutus, Deum omnipotentem laudaret, eique, cuius patrocinantibus meritis hoc[f] accidisse cognovit, cum caterva que presens astiterat debitas laudes declamaret.

2. Igitur dum hec cum sollempnitate chori et populi devocione agerentur, quidam contractus in suburbio de hospitali[g] sancti Egidii adductus, sanitatem postulabat, et misericorditer exauditus, quod precabatur obtinuit.

3. Dum[h] signorum fama totum Babenbergensem locum respersisset, contractus de domo Cunradi[i] prepositi maioris ecclesie sanitatem affectans, et quamvis natura in membris eius oberrasset, tamen, prout potuit, velocius reptans, venerabili sepulcro se ingessit; ubi a Domino salutem optatam[i*] invenit.

4. Audiens hoc etiam contractus de domo Ottonis in eadem ecclesia canonici, venit quantotius ad locum sepulcri, sperans sibi ex beneficio gracie sicut ceteris subveniri; cui sine mora subventum esse in Christo testamur.

8. Porro dum huius fame bonum odorem vicinia degustasset, atque ex diversis locis [infirmitatibus[k] laborantes ad supradictum locum] confluerent, claudus de castro quod Iech[l] dicitur post momentaneam orationem vix conpletam celerrime cure gratiam[m] percepit.

9. Item in dyocesi nostra nobilis femina de castello quod Wiskenvelt[n] nuncupatur inmoderatum dolorem sustinens, quia nullo medicorum remedio curari poterat, se celesti medico commendans, pristine sanitati restituitur . . . .

10. Affuerunt ibi etiam[o] duo pueri, quorum uni tanta membrorum mollities inerat, ut fere ossibus carere putaretur; qui subito consolidatus ambulavit. Alteri vero de Licendorf tam mira macies corpusculum consumpserat, ut gressu et loquendi usu a nativitate usque ad etatem, que plantaria dentium dicitur, omnino careret[p]; hic bene utriusque defectus[q] sanitatem[r] recipiens, gressum recepit et loquebatur.

11. Puella sciatica de Gisfelt . . . . .

12. In civitate nostra debilis puer, filius cuiusdam vinitoris, ex contractione nervorum carens officio pedum, etiam ibidem sanus efficitur.

13. De Sezzelach quedam mulier, ex infirmitate diu inclinata, meritis beate inperatricis erigitur.

14. Quedam puella de burgo qui dicitur Nurenberc[s] plante pedis sursum recurve et geniculi contracti sanationem obtinuit.

15. Alia quoque puella de eodem burgo habens . . . .

16. In Haldenstat quedam puella visu carens bis illuminata est; et alia quedam gressum recepit.

17. Mutus[t] de Stetefelt[u], mutus de Liechtenfels et muta de Meingowe[v] loquelam receperunt.

18. Filia villici in Vorcheim[w] gressum recepit . . . .

19. Alia puella de eodem oppido. . . .

20. Hoc etiam opere precium adicere dignum duximus[x], quod pulvis, qui causa curationis de sepulcro sanctissime inperatricis egrorum manibus evellitur, cum receptione sanitatis in purum frumentum convertitur . . . . Et ut iterum inde evidentius[y] certi fieremus, quidam vir de Beierstdorf[z] et plures alii de Nurenberc[*] idem sibi accidisse affirmantes cum iuramento, mutatam terre naturam in veram speciem frumenti ostendentes, ad prenominatum locum detulerunt . . . .

22. In assumptione sancte Marie tria signa in quodam puero de Gundoldesheim[a], filio cuiusdam molendinarii, perpetrata sunt, ut mutus loqueretur, auribus eius auditus infunderetur, incessu pedum uteretur.

23. Ad hoc dictu mirabile negligendum non est, quod in loco nostro Babenberc uxor molendinarii inmundo spiritu vexata predicte virginis ad tumbam ducebatur, et continuo demon egressus filiastram illius intravit, iterumque ad ipsam rediit.

a) sexu 3. b) tenebat imperium 3. c) tyemone *corr.* tymone 3. d) prememorate 3. e) bairrut 2. f) h. sibi 3. g) osp. 1. h) Cum 3. i) conradi 3. i*) obt. 1. k) inf. — locum *desunt* 1. 2. l) lech 1. 2. giech 3. *vita altera.* m) : : : gram. 1. n) wischenuelt 3. o) etiam ibi 3. p) carent 2. q) *deest* 1. 2. r) r. s. 3. s) nuernberch 2. t) Mutus — receperunt *infra post* sine mora erecta est *leguntur* 2. u) stetfelt 3. v) meinegovve 3. w) uorchheim 3. x) ducimus 3. y) e. inde 3. z) beierstorf 2. beirstorf 3. *) nuernberch 2. a) gundoldisheim 3.

25. Dum hec latius divulgata fuissent, venit claudus de villa que dicitur Wertheim . . . .

26. De Veldin ceca mulier illuminationis gratiam experiri digna inventa est.

27. Quidam claudus de Castil[a, 10], in Baorria claustro monachorum, dum ei miraculorum fama innotuisset, venire proposuit, propositum perfecit, valitudinem recepit; sed quia incognitus fuit, et sufficiens testimonium, quoniam antea visus non erat, habere non potuit, inter curatos non recipiebatur; sed plagis affectus, quasi deceptor, abibat confusus. Postquam autem ad predictum claustrum rediit, omnia que sibi evenerant memoravit; unde multos levioris animi in risum convertit, multos etiam infirmos premunivit, quod nulli eorum sine testibus ad Babenbergensem locum gratia curationis audendo venirent.

28. Paralitica de Gisenwinden . . . .

29. Muta de Sahsendorf . . . .

30. De Stadelhofen[b] quidam . . . .

31. De Mihsendorf[c] puer contractus, et femina[d] de Holfelt eadem molestia turbata, dum ad curandum offeruntur, necessitatibus amborum a Domino et sancta Cunegunde subvenitur.

32. Mulier ceca de Ratelsdorf[e] et alia quedam de Diebowe, dolentes pro luminis defectu, et prostrate in orationibus, sanctissime inperatricis patrocinio illuminabantur.

33. Quidam mutus de Limpurc . . . .

34. De Botensteine[f] mulier . . . .

35. Beata Cunegundis plures sue sanctitatis[g] testes habere volens, mutam puellam de Abenberc[h] cum misericordia respiciens, soluto lingue vinculo[i], loquendi officio restituit.

36. De Nuwenchirchen[k] clauda . . . .

37. Ancilla quedam de Vorchendorf[l] . . . . .

38. Servulus[m] quidam de Eisch . . . .

39. De Wirceburgensi[n] loco quedam conversa . . . .

44. Itidem paraliticus consumptum nature vigorem recipere gestiens, et vocem attollens, medullitus precabatur, ut, sanati quo utebantur gaudio, et ipse uti mereretur; et continuo exauditus, incolumis effectus est[o].

45. Mutam de Wirnahe[p] locutam esse testamur, mutum quoque de Aschafenburc[q] loquelam recepisse, curvum erectum, duas mulieres illuminatas asserimus.

46. Monachus quidam de Swarzahe, presbiterii utens officio . . . .

53. Berngerus[r] de Guncedorf 20 annis ab auditu refrenatus, ut murmure venti per aurem emisso flatu, superni medicaminis ope recepit auditum.

60. Mutus de claustro monachorum quod Urahe[s] nominatur, loquendi officio, vocis via sane patefacta, gratulabundus utebatur, et claudus de castro episcopi quod Velseke[t] dicitur sursum erectus gradiebatur . . . .

63. Inter diverse conditionis ordines de claustro sanctimonialium quod Chisingen[u] nuncupatur tres moniales venerationis causa simul cum aliis catervis patrocinium sancte Cunegundis implorabant; quarum una candelam offerre volens, brachia stupida riguisse sentiebat. Unde homines, quid hoc portenderet mirantes, ad spectaculum propius accesserunt. Illa vero talem passa repulsam, hoc recognovit, quod in conventu predicti loci nomen sancti Heinrici nullius esset momenti, ob hanc causam, quod eundem locum ipse sanctus Heinricus Babenbergensi aecclesiae delegaverat[11], quam omni iuris et divitiarum honore Deo et sanctis eius fabricavit. Porro dum contemptus causam[v] et sancto confessori irrogatam cognovisset iniuriam, vovit intimo cordis suspirio, quod in suo cenobio diem predicti regis et eximii confessoris celebrem effici laboraret. Statim ut huius voti verba finierat, candelam quo ante prebuerat sine impedimento ponebat; quod factum omnes memorie tradi dignum iudicabant.

65. Si ausim sic dicere, ad yperbolicum huius miraculi rumorem in exhortationibus episcopi auribus hominum dissultatum, alii alios per penita[w] mundi premetantes[x], ad locum eximie regine meritis decoratum citatim perrexerunt. Et ecce quatuor hominibus utriusque sexus gressum recipientibus, quinque ceci limpido visu illuminantur, quorum unus piscator officio nostro colonie habitator, ut mereretur illuminari, ieiunium sabbati ob reverentiam sancte Cunegundis perpetualiter se observaturum promisit . . . .

66. Post talia mira quidam decanus in Erpisfordia canonicus sancti Severi, molestia nimium gravatus, in anniversario matris sue pauperibus et amicis suis largiores epulas preparavit; quibus affuit quidam iter agens, qui beate virginis beneficia commemorans, calculis laborantem hortabatur, quatinus pro liberatione precibus ad eam confugeret. Ad hanc ille monitionem citissime de strato doloris exurgens, viridarium subiit, et invocato Dei famule auxilio, sine mora in eodem loco calculum in 24 partes dissolutum cum lotio proiecit.

67. Wolframus in Rotahe[y] usu militie se nimis exercens, in obsidione cuiusdam castri per totam capitis regionem telo transfossus[z] est; unde dum omnium iudicio animam exalare diceretur, ut mortem evaderet, ad piisime auxiliatricis opera confugit, sanatusque, Deo et sancte Cunegundi exultim grates referebat.

a) castu 2. Kastil 3. b) stadelhoven 3. c) mishsendorf 1. 2. d) quedam f. 3. e) ratelstorf 2. radelstorf 3. f) botenstein 2. bodensteine 3. g) s. sue 3. h) abinberc 3. i) officio *et post* uinculo 1. 2. k) nuvvenkirchen 3. l) uorchindorf 3. m) Paruulus 3. n) wirtzb. 2. vvirzb. 3. o) *In codd.* 1. 2. *additur:* Posterorum delectationibus in hoc opere aliquantulum prospicientes, officio stili quedam annectimus, quorum superius parvam mentionem fecimus, videlicet quomodo predicta G. de Wischenvelt reddita fuerit sanitati etc. *quae tanquam nullius pretii et ab interpolatore ut videtur inserta omisimus. Pergunt:* Nunc ad alia sanctitatis mira transeuntes mutam de W. p) Iutam de Wiznahe 3. q) ascafinburc 3. r) berengerus de guncendorf 3. s) Vrach 3. t) uilseke 3. u) kizzingen 3. v) Deo *add.* 1. w) *a manu saec. XV. superscriptum legitur:* preterita 3. x) *recens manus correxit.* premeditantes 3. y) rotach 3. z) tranfossus 3.

10) Castel. 11) V. diploma Mon. B. XXVIII. p. 337.

69. Quidam miles de castro quod Seberc[a] dicitur, dives et imperialis aule ministerialis, condilosas manus sacro pulvere aspersas[b] sentiens sanari, omnium astantium personis indicavit, et sono campanarum tota civitate convocata, in Dei laudibus et sancte Cunegundis exultationibus[c] ingens clamor attollitur.

70. Dei virtus, cui nichil impossibile est, pueri super sepulchrum positi mutam linguam aperuit, debilem gressum solidavit, caput humero concretum sursum erexit, totumque, ut diximus, deformatum nobiliter reformavit.

76. Adiciendum quoque censemus, quod oculata fide cognovimus, videlicet pulverem busto avulsum in aromaticam herbam fuisse conversum, et hoc nulli posterorum dubium vel frivolum esse videatur. Et hoc fidelibus manifestissime constet, quod animalia usui hominum necessaria quamvis a furibus ablata et quamquam bestiarum rabie fuerint asportata, digno tamen voto intercedente, sancta quoque Cunegunda favente, ad proprias caulas recurrisse inveniuntur. Quotiens hec evenerint, lingua nostra non valet retexere. Propter infinitatem enim eorum quasi vilia esse putabantur, sed nos dignum ducentes, Deum in omni facto suo esse laudandum, hec ad laudem et gloriam ipsius recitantes, omnimodis pretermittere nolumus, cum quibus alia multa caritas nostra pio affectu subintelligere dignetur.

79. Cum hec omnia tam Iudei quam christiani oculata fide cognovissent, Iudei dixerunt, nisi puer, qui secum[c*] aderat, caput incomparabiliter agitans et mento pectus contundens, sanaretur, perpetrata signa laudanda non essent. Et quidam ex ipsis, nomine Iacob, ita infit, si puer ille a tali ac tanto motu quiesceret, baptismi gratiam nullo modo recusaret. Quid factum est? Feria tercia paschalis[d*] ebdomade puer et populus pro eo ad sepulchrum sancte Cunegundis orabat, et exaudita eorum oratione, tamquam fragor cervicis sonus audiebatur; in quo sono ille optate sanitati reparatur.

85. Igitur homo quidam natione Boemus de claustro quod dicitur Claderun[12], manuum et pedum carens officiis tercia vice in sompnis ammonitus, ut pro sanatione ad limina sancte Cunegundis venire disponeret, quamquam pauper, quamvis etiam nimis invalidus, cum fiducia tamen iter arripuit, et in ipso itinere curam consecutus, plures secum venientes premetari dicebatur.

86. In confinio Boemorum, in loco qui Chambe[d] nuncupatus est, uxor cuiusdam militis demonibus mirabiliter vexata ferreis vinculis stringebatur; que dum a viro, parentibus et propinquis ad prenominate virginis patrocinia duceretur, subito ruptis catenis soluta, medullitus ab omni demoniorum spurcicia Domino adiuvante liberata est.

87. Omnium fidelium devotioni, omnium religiosorum sanctitati certo certius constare cupio, quod si omnia membra mea lingue officio uterentur, sicut a multis compertum esse non dubito, elegantiam signorum narrare non sufficerent[e].

---

88. Quidam pro equo furtim sublato apud Weraham fluvium in castro quod dicitur Wasungen[f] suspendio addictus fuit[g]. Qui in tormento positus, voce qua poterat beate virginis aures appellavit; cuius etiam festinatam opem sibi adesse presensit. Divina enim virtute, ubi populus abscesserat, vincula manuum dissoluta[h] sunt, et ipse laqueum sibi deponens, in civitatem reversus, cunctis ereptionem sui, dans gloriam Deo et sue salvatrici, exposuit. Quorum fideli testimonio ad nos usque perductus[i], ad censum quinque denariorum a suis parentibus, ut pridem dum dampnaretur pro ipso devoverant, inscriptus est.

90. Tali modo apud Rodenburc[k] imperiale castrum, duobus absolutis[l] multorum attestatione[m], ad nos usque pervenerunt.

91. Mira et, nisi Deo nichil impossibile, forsan[n] nostrae aetati incredibilia dicturus sum, sed[o] tota Babenbergensium civitas huius facti[p] expers non fuit. Mulier de proxima villa Elrin vagientem suum, infra quadraginta dies sine baptismo defunctum . . . .

92. Aliud huic non dissimile signum alio vero eventu in trienni puero in vico Greumberc[q] celebratum est . . . . Huius facti primum ipse sacerdos sub stola, deinde milites octo sub sacramento, ipso puero in medium locato, cum omni frequentia sue plebis testes ad nos venerunt.

93. Puella septennis in barrochia Louberstat[r], dum ad fontem incaute hauriret, infelici casu submersa est. . . . .

94. Illud quoque clarissimum, clarissimis regni primoribus coram astantibus celebre super muto factum sub oculis omnium, memoriae hominum tradere, non indignum duximus. Nam rem gestam ita per famulam suam Christus clare operari voluit, quod pene nullum latere potuit. Inter multos, qui eo tempore tum gracia sanitatis tum criminibus relaxandis confluxerant[s] ad imperialem curiam, quam[t] in eadem Babenbergensi civitate Philippus rex, propter sui confirmationem, interim 1201. Sept.
vero, quod magis favorem sibi praestare credebat, propter translationem sancte virginis, indixerat: mutus quidam servulus in comitatu probabilium virorum de Bogin[u] convenerat; quorum vasa, quia et ipsi penitentes erant, portabat. Regina ad ecclesiam processura, cum de more sollempniter[v] a clero suscipitur, confusus interim populorum clamor exoritur, non fausta[w] morituro[x] denique homini, sed laudes imperatrici[y] cum Christo suo iam viventi conclamantium. Testor Christum et eius apostolos, iste, qui prius nullam, utpote mu-

a) seberg 3. b) *deest* 3. c) exultationis 3. c*) tecum 3. d) paschali 3. d*) cambe 1. e) *Hic desinunt* 1. 2. *Quae sequuntur ab alio auctore adiecta leguntur* 3. *et in altera vita, cuius codicem Vindobonensem* (4.) *adhibui.* f) in uico, qui dicitur Wasegin 4. 5. g) est 4. 5. h) eius soluta 4. i) delatus 4. 5. k) rotinburch 4. l) duobus absolutis *corr.* duo absoluti 3. m) testificatione usque ad nos 4. n) forsitan 4. o) sum sed *desunt* 3. p) *deest* 3. q) grauenberch 4. r) lůberstat 4. s) *deest* 4. t) *deest* 3. u) bogen 4. pogen 5. v) *deest* 4. w) frustra 4. 5. x) moritura 4. y) *deest* 4. 5.

12) Kladrau.

tus, linguam noverat, singulis ad interrogata propria lingua disertus respondebat.

95. Quid referam de bruto animali, cuius innata sibi rapacitatis ingluvies, dum predam rapuit, quasi nomen beate[a] Cunegundis contra se invocatum sensisset, a suo furore[b] quievit. Lupus dum circa[c] caulas ovium vespertinus naturae suae ingenio versatur, parvulum, ante fores incaute relictum in pellibus ovinis pro ove abstractum lustris suis intulit . . . .[d].

96. Hec[e] paucissima de virtutibus et signis Cunegundis, sanctissime virginis, prudentissime caritati vestre inter innumerabilia dixisse sufficiat; que si quis evolute perstringeret, prius ipsum pagina quam materia deficeret. O beatam, o predicandam virginem, o seculis omnibus commendandam, que regnum mundi et omnem ornatum seculi pro celesti ornatura despexit, Christum sibi sponsum, regio sponso legaliter non carnaliter copulata, delegit; que virginitatem suam inter regales thalamos probare, ubi infamie malum sibi obiectum expurgare voluit, ignes calcavit. Que dum non prolem morituram exspectavit, eius casta generatio numquam patitur successionis detrimentum, quando ecclesia in filiis suis per elemosinas ipsius divine laudis semper accipit incrementum; quam cum Christo suo, quem amavit, in quo credidit, quem dilexit, etiam post mortem vivere, signa crebra locuntur, dum ad memoriam eius cecitas visum, debilitas gressum, extincti vitam, muti loquelam, obstructe aures recipiunt auditum. Quanta igitur illa fuisse credimus, quae vivens, nullo teste, dum iactantiam vitat, sola exercuit, cum tanta illam post mortem signa fecisse, sub oculis omnium viderimus. Ad nos ergo signa ista, quae foris miramur, intus transferamus, vitam nostram et mores corrigamus, ut si virginis consortium non meremur, post declivia viciorum sit nobis premium per virginem tantum evasisse supplicium peccatorum, Amen.

a) *deest* 4. b) fervore 3. c) *deest* 3. d) 4. et 5. *duo addunt capita, ex quibus alterum quod hic repetatur dignum:* Illud autem in ultimo, quod tamen signorum eius non ultimum fuit, subnectam. Quoniam terra circa sepulcrum eius a fidelibus collecta in speciem lucidissimi thuris aut etiam mundissimi grani fuit frequenter redacta. Super hoc Innocentius papa in sermone ad populum in Lateranensi palatio habito, vitae illius merita et miraculorum insignia commemorando, ita subintulit: „Recte, fratres carissimi, pulvis ille, quo gleba huius sanctissimae virginis debito humanitatis sepulta tegitur, in thus atque granum redigitur, quae se sub sexu fragili, dum viveret, a licitis continens, ab illicitis abstinens, illibatum Domino holocaustum obtulit et dives Christo, pauper sibi, pauperes Christi sub diversi ordinis atque sexus professione cotidie pascit. Merito ergo in catalogo sanctorum erit adscribenda, quae vitam sanctorum semper studuit imitari. Collectam itaque a nobis conscriptam cum officio totius missae huic nostro sermoni apposuimus, et apostolica auctoritate omnibus ecclesiis in honore tantae virginis decantari direximus.“ e) *Hoc caput deest* 4.

VITA BURCHARDI EPISCOPI

EDENTE G. WAITZ PH. D.

Burchardi Wormatiensis episcopi vitam, rebus publicis et privatis claram atque celebrem[1]*, clericus exposuit Wormatiensis, qui illum viderat eiusque morti affuerat*[2]*. Quod munus quo consilio et quo animo susceperit, ipse in praefa-* 1
tione latius explicat, qua librum episcopo cuidam inscribit, quem Burchardo familiarissimum et amicissimum, sibi vero fuisse magistrum et alterum quasi patrem profitetur; cuius nomen vero indagitare nequivi[3]*. Certe aliquot post Burchardi mortem annis exactis scripsisse videtur*[4]*; sed „quae viderat et quae religiosis viris referentibus bona de illo didicerat", luculenter memoriae tra-* 4
didit et historiae monumentum preciosum et magni faciendum posteris reliquit.

Haec vita vero, per medium aevum a nemine, quod sciam, lecta, quod etiam a recentioribus valde negligitur, editionis unicae raritas in causa esse videtur. Prodüt enim semel tantum in volumine, cui titulus:

1) „D. Burchardi Wormaciensis eccl. episc. decretorum libri XX. — Opus nunc primum excusum. Coloniae ex officina Melchioris Novesiani 1548. *fol." Hunc librum, tam in bibliotheca regia Hannoverana, quam Gottingensi et Berolinensi frustra quaesitum, ex ubere illo librorum thesauro Guelferbytano, V. Cl. Schönemann precibus nostris solita humanitate annuente, accepimus, atque ex eo vitam illam, cuius iam codicem nullum, Wormatia a.* 1689. *a*

1) Eius memoriam saec. XII. exeunte etiam Heremannus clericus Wormatiensis in chartulario Wormatiensi celebrat, cuius locum iam olim cum vita editum, hic quoque ex cod. praestantissimo bibl. regiae Hannoveranae mbr. s. XII. ex. fol. 25'. exhibendum duximus: INCIPIT PROLOGUS DE PRIVILEGIIS BURCHARDI WORMAT. ECCLESIE EPISCOPI. *Decursis venerabilium antistitum temporibus, quibus ecclesiam Wormatiensem sibi a Deo commissam in undis diversarum procellarum secundum debitum offitii sui pervigili cura gubernabant, et eam vel propria largitione vel regum seu imperatorum traditione facultatibus, honoribus exuberantem reliquerant, accedendum nobis est ad introitum pii pastoris et tempora Burchardi episcopi, cuius memoria propter prerogativam meritorum apud homines est celebris et in conspectu Altissimi immortalis. Qui qualiter se in episcopatu habuerit, non est necessarium verbis exponere, cum fama virtutum eius ubique terrarum comprobata sit operum attestatione, et ut pace omnium dicam, licet plures precesserint eum viri mirae sanctitatis in sede Wormatiensi, respectu eius plantationis et superedificationis ecclesia ista tam in spiritualibus quam in temporalibus erat quasi informis. Hoc testatur clerus et populus, paterna dilectione educatus, hoc civitas adornata et adaucta, hoc universus episcopatus rebus et largis possessionibus ditatus, hoc testantur congregationes huius ecclesie, quas ipse permodicas inveniens, largitionibus habundanter ampliavit vel ex novo instituit, corpus canonum in unam faciem castorum eloquiorum multo labore collegit, legem specialem familie sancti Petri, ut infra videtur, dedit, et ut breviter concludam, ecclesiam Wormatiensem in meridiano splendore omnibus bonis lucentem feliciter reliquit, unde 13. Kal. Septembr. in pace factus est locus eius et apud Sanctum Laurentium sepultus.*

2) c. 20—23.

3) Azzecho, qui post Burchardum ecclesiam Wormatiensem rexit, vix intelligi potest, quum auctor nusquam alterum alterius successorem indicet. Neque verba c. 20: *illo* (Burchardo) *mortuo, in hoc loco nullum sui consimilem tam clarissima vita esse futurum,* in libro Azzechoni directa scripsisset.

4) prol., c. 2.

Francogallis funestissime diruta et incensa, inveniri puto, exprimendam curavi. Editor, qui vitam post decreti capitulorum indicem posuit, codice bono satis accurate usus esse videtur, ita ut nonnisi leviora quaedam emendare conatus sim. Quam ad rem adhibui

2) *Chronicon Wormatiense, quod saeculo XVI. incipiente monachus quidam Kirsgartensis conscripsit. Hic enim:* Borchardus, *inquit,* sedecimus episcopus Wormatiensis fuit, cuius historiam ante annos viginti quinque invenimus ad Sanctum Paulum. Similiter et in maiori ecclesia habetur; quam hic ad laudem civitatis nostrae de verbo ad verbum annectere volo prout invenio scriptam. *Neque tamen tam fideliter illa usus est, sed sermonem saepe mutavit, alia addidit, alia omisit, et opus satis depravatum reddidit. Huc accedit, quod tam Ludewigii editio (Reliq. mss. II. p.* 43—72.*) quam codices, quos VV. Cll. Böhmer et Petersen benevole nobiscum communicarunt,* 6 *Francofurtensis*[5] *et Hamburgensis*[6], *uterque saeculo XVII. scriptus, mendis foedissimis scatent, quae an Kirsgartensi monacho aut scribis imperitis sint tribuenda nescio. Nihilominus quaecumque alicuius momenti esse videbantur lectiones, in notas retuli, quas certo omisissem, nisi liber oblivione pene sepultus et codicum auctoritate iam prorsus destitutus edendus fuisset.*

G. WAITZ.

PROLOGUS[a].

Vitam actusque felices beati patris et carissimi[b] *senioris mei Burchardi episcopi cum scribere mecum deliberarem, tu praesul piisime N. occurrebas menti meae, ut nomini tuo scripta consignarem atque consecrarem. Tua namque sapientia cunctis est cognita, et non solum in propriis, sed etiam in imperialibus castris sollertis hominis officium exercere ab omnibus comprobaris. Ecclesiam autem a Deo tibi commissam maxima auctoritate construis et regis, et summae vir virtutis aperte praedicaris, et pater pauperum egenorumque solatium merito nominaris. Quod in me misero apertissime ostendisti, quando per varios labores me valde confractum et ab omnibus despectum ac proiectum misericorditer recepisti atque, ut decuit te, clementer consulendo tecum fovisti. Talia, mi pater, erga et non promerentem. Non enim quae hominum sunt quaeris, sed quae Dei sunt, ut omnibus patet, pura mente meditaris, et non ad personam alicuius respicis, sed rectam coelestis itineris semitam gressu nec titubante sequeris. Ergo dilectioni vitae tuae perpetua conglutinatione, si praesumo confiteri, sigillum Christi caritatis pectori meo impressum est. Quamvis enim inopia rei familiaris in exequiis exhibendis copiam mihi negaverit, tamen mea voluntas semper devota in Christo tibi manebit. Unde nomini tuo istud consecravi opusculum, de amicissimi ac familiarissimi tui actibus compositum. Noverit autem dignitas tua, quod non pro superbia aliqua haec sunt composita, sed, Deo teste, ad evitandam ociositatem cordisque desidiam, et maxime ob suae beatae vitae memoriam, ut, cum sua legantur gesta piissima, obstruantur ora contra illum loquentium iniqua. Si quid vero inordinate vel imperite connexui, tuae correctioni et auctoritati proferre decrevi, sperans hoc tua misericordia corrigi et defendi. Ad ultimum quoque opusculum istud tuo iudicio subiaceat, ut, si tibi displiceat, aboleatur, si vero placeat, ad testamentum factorum Dei servi remaneat. — Istud autem opusculum hoc modo sumpsit exordium. Cum die quadam loco secretiori sedens mecum diversa volvendo non sine suspiriis cogitarem, meus quidam familiaris interveniens huiusmodi allocutus est verbis: „Quid tu, inquit, mi carissime, solus hic sedens animo turbato meditaris? vel cur solito tristior obstipo capite terram intueris? Si enim*

a) *Prologus totus deest* 2. b) charissimi 1. *Eiusmodi verba correxi.*

5) V. Archiv I. p. 323. Liber, ex bibl. Iohannis Maximiliani Zum Iungen, s. XVII. med. in folio scriptus est. 6) V. Archiv VI. p. 244. Ex cod. Francof. descriptus esse videtur.

dictis vel factis aliquis te commoverat, tecum me iam turbaverat. Ergo, si quid tibi mentem conturbat, narrabis, et propositum animi tui a me non celabis, quia ad quaecumque me vocabis, meum consilium atque auxilium paratum habebis." — „Oportune, frater, inquam, dilecte mi, me hic invenisti, et quasi exoptatus mihi advenisti. Iam dudum enim animi propositi aliqua vel dictatis vel proditione sermonis tibi aperire cogitabam. Sed multis affectum meum impedientibus, usque modo differebam. Verum inter haec multa maximum mihi fuit hoc impedimentum, quod quae excogitavi in palam promere dubitavi. Ipse enim nosti, quam perniciosi sunt homines moderni, quam pleni diversarum cogitationum. Quid si aliquis, invidia stimulante, videns haec dicta, his verbis vituperando me confundat? scilicet magnam esse audaciam, quod ego pauper et stultus prudentibus viris propono meas propositiunculas, nudo et sitibundo ingenio vix compactas. Esto, fateor, me pauperem esse ac stultum. Sed si pauper sum, dives fieri non erubesco; dives vero pauper fieri erubescit; sicuti divitem villicum legimus dixisse: „Mendicare erubesco." Carius (Luc. 16, 3.) mihi est, cum Lazaro vivere pauperem, quam cum divite mitti in aeternum ignem. Pauperes et nudi omnes nati sumus. Sed qui dedit animam, largitur et escam, quique corpus creavit, vestimentum tribuit. Ipse enim habet, ipse mihi dabit, quia anima plus est quam esca et corpus plus quam vestimentum. Ille quoque pauperes non spernit, sed eligit infirma, ut confundat fortia. Si vero nudus aridusque sum ingenio, tamen induo me temeritate loquendi, quoniam illum spero adiutorem, qui dixit: „Aperi os tuum et implebo (Psalm 80, 11.) illud." Ipse quippe iuxta suae promissionem clementiae quae facturus dicturusque sum perficiet, confirmabit solidabitque. Ergo de iis ultra loqui differo, et quae nostra series poscit promenda tuae dilectioni aperio. Sanctam Deoque consecratam vitam beati patris nostri Burchardi episcopi, omni laude dignissimam, secundum mei ingenii modulum et conscientiae testimonium scribere, animus me assiduis suggestionibus incessanter impulsat. Ad quod opus perficiendum tuum consilium pariter et auxilium supplex imploro, quia divinis perdoctum istorumque te conscium et ad hoc negocium satis idoneum esse scio. Adhuc enim non sum oblitus, quomodo quodam confabulationis tempore multum de praedicti viri virtutibus me interrogasti; et cum illius studia sancta et morum honestatem tibi retulissem, etiam quanta stabilitate in Christi operibus, in scripturis sanctis, in ieiuniis et vigiliis et orationibus permansisset, fateor, non sine lacrimis tibi exposuit necnon quomodo seculares turbines diversasque adversitates et aeris terrores orationis constantia saepissime compescuerit, narravi, et ita iucundissimum duximus diem. Intendis? Quidni? Nam postea sancti desiderii manu pulsando die noctuque me instigans petisti, ut de vita vel virtutibus huius viri aliqua scripta proferrem sive ad proferendum tibi suggererem. Tuis quippe piis petitionibus obtemperans, aliquas compositiones, quamvis elingues, superna gratia mentis meae raritatem imbuente, cum tuo auxilio de eius vita narrare studebo. Sed quoties illius beatissimi mentio mihi occurrit, toties fletus gemitusque me affligit. Nihil mihi tunc est, dilecte, nisi lacrimas et suspiria incessanter effundere, hasque miserabiles cogitationes tacite mecum volvere: Quis fui, aut quis sum, vel quis ero? Ego sum ille misericorditer nutritus et miserabiliter derelictus, in labore et aerumna constitutus et pene omnium vilissimus, infimi generis, parentelae peccatricis, cunctis incognitus, sed tamen mihi conscius. Similitudo gentis et commotio capitis in populis. Nam ut deses respuor, ut foetens expuor, ut putridus despicior, et hoc non immerito. Cotidie namque infelicissimus ego in peccatorum volutabro putresco, et onera gravia et meo collo importabilia miser gerere fervesco. Quicquid enim labilis desiderat animus, velut lutum nullo camino probatum, ad peragendum mollesco, et commissa, quae semel vix exortis lacrimis defleo, totius animi salutis oblitus, statim centuplico. Unde et verba mea dolore sunt plena. Haec te, frater, similiter mecum cognoscere puto, quem similibus terminis[a] non semel sudasse, haud ignoro. Sed quorsum haec? Quorsum te, dilecte, supervacua ratione demum duco? Supervacuam rationem dico, quam verbis profitemur sed factis non consequimur. Nam in primordio huius rationis non ad tristitiam, sed ad iucunditatem, non ad dolorem, sed ad laetitiam, non ad vitia, sed ad virtutes proferendas te, dilecte, vocabam. Ergo ad inceptam redeo sententiam, dilectionemque tuam[b] rogito atque subnixe flagito, ut vel interrogando praecedas meque de huius viri vita narrantem intelligas, seu me interrogantem corrigas et

a) thermis videtur legendum. 1. in marg. b) s. tuam, dilectionemque 1.

praedictas virtutes narrans pleniter edoceas." — *Econtra ille grates referens, inquit: „Tua petitio vel admonitio, carissime, non vituperanda sed multum mihi videtur laudanda. Quae enim petendo quasi scripsisti, ad haec me salubria narrando admonuisti, sicque salutiferis verbis me commotum fecisti. Dixisti namque, te non adhuc esse oblitum meae interrogationis et de actibus nostri senioris. Et ego quippe memor sum meae inquisitionis ac tuae de eius virtutibus expositionis. Petivi ergo et peto iterum, ut de felicibus illius factis aliqua scribas sive ad scribendum mihi suggeras. Turpe est enim vela deponere, cum prosper ventus non cessat afflare. Ergo promissio tua impleatur, et quia fortuna aspirat, ultra non differatur. Sed illa de quibus dixisti gravia onera et miseras mundanarum rerum curas, usque modo vix mecum nomine notas, ita acclivis iam humeris porto, ut heu! nec respirare nec prae magnitudine ponderis suspicere potero. Illos autem fluctuantes seculi turbines diversasque adversitatum incursiones aerisque terrores, quos vivente beato patrono nostro rarissimos sensimus, promerentibus peccatis nostris iam quasi cotidianos vel momentaneos sustinemus. Illius namque piis orationibus dum vixit apud Deum adiuti, a periculis omnibus quasi muro muniti fuimus*[a]. *Postquam autem eius benedicta praesentia orbati sumus, quo secundum vocem dominicam extincto pastore, quasi oves sine offensaculo positi, sumus dispersi et pene ad nihilum redacti. Unde quoties talia te loquente modo audiebam, toties per singula pene verba tacite flebam, nec nudis lacrimis, sed, teste conscientia mea, ex intima compunctione concretis. Ergo quaeso, perge narrando de hoc viro quae promisisti, et si quid potero, tibi, frater, suggerere non desisto."* — *„Fateor, inquam, quod piis eius orationibus a telis periculosis semper protecti sumus; et ideo me impune peccasse, stultissimus tunc putabam, quoniam illum pro nobis incessanter orare sciebam. Multum enim pro grege sibi commisso pastor pius apud Deum laboravit, multasque calumnias et calamitates pectore forti viriliter resistendo apud seculum sustinuit. Quae omnia in locis congruis Deo adiuvante planius*[b] *enarrabimus. Sed respondendum est ad hoc, quod sub exemplis promissa peragenda admonuisti. Turpe esse dixisti deponere vela, cum non cessant ventorum prospera flabra. Et hoc verum esse consequor, sed hoc non incautum esse puto: ut si aliquis magnitudinem maris transcurrere disponat, primum contra pelagi minas navim undique muniat, deinde aquae profunditatem explorando latentes sub undis scopulos cautus provideat, ut cum navigare incipiat, marinas minas securus non timeat neque in latentes silices incidat, sed firmo regiminis gubernaculo navim dirigendo, plenis velis ac prosperis ventis ad portum salutis perveniat. Similibus modis magnitudine huius fides nobis est imploranda; ingenii exiguitas ex utraque parte acuenda, ut in vituperationem invidorum non incidamus, sed cum salute ad finem perveniamus. Nam invidus adulando saepe hominis facta praesens laudat, absens vero quasi rabidus canis inaniter latrando vituperat. Sed quoniam timeo ultra narrare iniquissimos hominum mores, veneno invidiae toxicatos ac nulla fide stabilitos, ponam ori digitum, ut non loquatur os meum opera hominum. Ergo adulantium sive obloquentium invidiam non timentes, de huius iusti actibus, divina adiuvante misericordia, aliqua saltem enarrare aggrediamur. Attamen si ea, quae vidimus et quae religiosis viris referentibus bona de illo didicimus, enarrare debemus, diem antea quam sententiam inclinatam videbimus. Idcirco a nativitate eius, summitatem rei tangendo, cum auxilio divino incipiamus, et ita breviter eius gesta narrando ad finem usque pervenire probemus.*

1. Erat igitur[c] Burchardus in provincia Hassia genitus, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis. Hic nempe[d] puer commendatione parentum apud Confluentiam canonice primum nutritus[e], deinde per loca diversa causa studii directus[f] est[1]. Postea vero Willigiso[g] Moguntinensis[h] sedis venerabili archiepiscopo se adiunxit, illiusque salutari sapientia repletus, et secundum suos nobiles mores imbutus, quamquam aetas denegaret, vitiosa facta fugiendo vitabat, et ad meliora paulatim animum torquebat. Nam post primaevum iuventutis florem omni bonitate refulsit praeclarus, in[i] iusto sta-

a) sumus 1. b) plenius? c) Erat namque Borchardus *incipit* 2. d) quippe 2. e) eruditus 2 f) deiectus 2. g) Vuilligoso 1. *semper.* h) arch. m. s. se iunxit 2. i) in i. s. *desunt* 2.

1) canonicus Leodiensis in cont. Gest. abb. Lobiensium, nescio an recte, nominatur, Dachery ed. 2. II. p. 744.

bilis, in commisso fidelis, in consilio providus, in prosperis non elatus, in adversis non turbatus, sublimioribus obediens, egenis compatiens, miseris affabilis, misericors subditis, multum largus, moribus honestissimus, atque in omni opere Dei[a] strenuus. Patientiam in eo laudare necesse non est, cum sibi servientibus, quamquam[b] saepe contra illum delinquentibus, nec[c] ullum contradicendo aliquando obiceret verbulum.

2. Istis quippe[d] hisque similibus pollens virtutibus, per singulas graduum scansiones[e] ad diaconatus ordinem ab archiepiscopo[f] sublimatus[g] est, et[h] loco cuidam pauperrimo praepositus est[h]. Hunc ergo locum, archiepiscopo adiuvante, summo nisu statim adauxit totisque viribus decoravit[i]. Nam egregium monasterium simul et claustrum canonicorum in honore sancti Victoris ibidem[k] construxit[l]. Positisque[m] ad electionem fratrum claustri primatibus, cursum certis temporibus ex signis decantari servarique praecepit. Et ita rebus ecclesiasticis secundum regulam canonicam rite ordinatis, praedia et mancipia multa, quae vel traditione parentum vel donativo regio acquisierat[2], huic ecclesiae in proprium contulerat. Sicque piis viri huius laboribus laudes et gratiarum actiones officio cotidiano in loco praedicto Deo nostro persolvuntur. Ergo[n] religiosissimus Willigisus[o] sanctam hominis Dei intelligens meditationem, sibi familiarissimum[p] elegit et suae camerae magistrum ac civitatis primatem constituit. In quo officio non solum apud homines, sed etiam apud Deum praemia[q] lucratus est sempiterna, quia neque muneribus neque donis nec[r] alicuius personae respectione a rectitudinis calle reflecti potuit, sicut quidam, quos modo plerumque aut[s] amicitia aut invidia a iudicio recto facile labi conspicimus. Ex his aliisque plurimis pietatis studiis crescente fama beati viri, ad aures imperatoris Ottonis tertii notitia eius pervenit; qui[t], ut erat piissimus, valde illum dilexit et saepe ad se[u] venientem clementer suscepit, ac diversis donis onustum honorifice remisit, gratiam sibi promittens esse futuram.

3. Interea contigit, ut Hildebaldus Wormaciensis ecclesiae[v] episcopus diem claude- 998.
ret ultimum, et vice illius Franco[w], praedicti domini Burchardi frater, constitueretur Aug. 4.
episcopus. Multa[x] de hoc viro narranda sufficerent, si ingenii exiguitas non impediret. Sed[y] quia mentio eius nostri rationi intervenit, si non possumus de factis illius maioribus, tamen aliqua dicamus de minoribus. Accepto[z] igitur episcopatu, aliquandiu in Wormaciae finibus morabatur; deinde[*] rebus ecclesiasticis rationabiliter ordinatis[a], in expeditionem Italicam cum imperatore[a*] profectus est; ibique[b] plus quam unius anni[c] spacio in servitio imperatoris vigilanti animo studebat, eiusque secretis saepe[d] intererat, et quando[e] de rebus maioribus tractandum aliquid erat, tanta familiaritate et auctoritate, quamvis iuvenis esset, apud imperatorem habebatur, ut sine ipsius consilio raro aliquid statueretur. Cunctis affabilis erat[f], cunctis benignus extitit, et plurima donando gloriam non modicam apud cunctos acquisivit. Unde et omnes maximo honore ac dilectione illum habebant, et quasi sanctum iam divinabant[g]. Et idcirco ab imperatore multum honoratus et carus prae aliis habitus, illius consilio et malos coercebat et rem publicam in pace regebat[h]. Unde contigit, ut imperator abbatiam Laurissatiensem[i] Wormaciensi ecclesiae concederet et carta ac privilegio perpetuo stabiliret et in conventu ac concilio[k] Romanorum[l] hanc traditionem recitare ac pronunciare praecepisset[3]. Eodem tempore imperator et praedictus episcopus[m], induti ciliciis, pedibus[n] penitus denudatis[o], quandam speluncam iuxta sancti Clementis ecclesiam clam cunctis intraverunt, ibique in orationibus et ieiuniis necnon in vigiliis quatuordecim dies[p] latuerunt[4]. Ferunt quidam,

a) *deest* 1. b) quamvis 2. c) nec — verbulum *desunt* 2. d) Istisque p. v. et similibus 2. e) stationes 2. f) a. Willegiso 2. g) sublatus 1. h) *deest* 2. i) decreavit 2. k) extra muros Moguntinae civitatis 2. l) Est autem Victor iste socius sancti Gereonis in Colonia quiescentis, qui uno die passi sunt, sed Victor cum suis in Xantum, et Gereon cum suis in Colonia. *add.* 2. *verba Kirsgartensis monachi.* m) Positis ergo ibi 2. n) Rel. autem 2. o) willegisus archiepiscopus 2. p) f. illum 2. q) p. s. est consecutus 2. r) *deest* 2. s) et a. vel i. et i. 2. t) quia 2. u) illum 2. v) *deest* 2. w) francko 1. x) de quo viro multa n. 2. y) Sed — minoribus *desunt* 2. z) Hic ergo Franco accepto ep. 2. *) demum 2. a) expeditis 2. a*) i. Ottone tertio 2. b) ibique quoque 2. c) spatium a. 2. d) saepissime 2. e) cum 2. f) e. a. et benignus et 2. g) indicabant 2. h) gubernabat 2. i) Laurissam ...... 2. k) consilio 2. l) Romanarum provintiarum praeciperet 2. m) e. Franco 2. n) pedibusque 2. o) nudatis 2. p) dierum 2.

2) Ottonis III. diplomata duo, quibus Burchardo clerico bona quaedam dedit in pago Hassiae in comitatu Thancmari sita, quae Hermannus comes in beneficio habuerat, edidit Schannat Hist. Worm. II. p. 32. 33. 3) Diploma non reperio. 4) Haec eodem fere tempore egit, quo Garganum montem adiit et S. Nilum visitavit.

999. visionibus et allocutionibus divinis eos crebro hoc loco fuisse consolatos. Nos autem hanc rem parum[a] nobis compertam existimatione vulgi ruminandam relinquimus. Sed tamen hoc pro certo scimus, quod episcopo dies et hora obitus sui divinitus praenotata est. Et hoc ipse[b], postquam domum[b*] reversi sunt, imperatori pronunciavit. Quare imperator multum contristatus, quem in[c] locum ipsius habere vel cui episcopatum eius[d] committere debuisset, multum lacrimando ab eo exquisivit[e]. Tunc tandem quasi coactus sic respondit: *Fratrem unum habeo; si Deo placuisset*[f], *hunc mihi successorem rogassem*[f]. *Super haec autem omnia Deus unum*[g] *provideat, in quo sibi bene complaceat.* Tunc imperator sub testamento Dei iuravit, antedictum episcopatum fratri illius se daturum. Et ut melius ac[h] facilius recordari potuisset, epistolam deprecatoriam pro hac re ab episcopo accepit, quam in sacculum suum ad testamentum[i] posuit. Quid plura? Eadem[k]
Aug. 27. die et hora qua[l] ipse praedixit[m] morte succubuit, corpusque suum Romae cum magno honore in pace sepultum est.

4. Defuncto autem episcopo, statim aderant varii[n] deprecatores, imperatorem pro episcopatu invocantes. Ex quibus quidam Erpho[o] pastorali nomine insignitus[p] est. Sed hic postea quartum diem non vidit, quia die tertia defecit. Quo extincto, adfuerunt iterum non pauci, aures imperatoris variis rogationibus pecuniaeque promissionibus pro episcopatu incessanter adimplentes; inter quos unus Razo[q] nominatus, maxime laborando et non pauca promittendo, virgam pastoralem accepit. Qui statim cum gaudio de Italia regressus, ad locum qui dicitur Curo[r] pervenit, ibique vitam finivit. Nuncii autem revertentes, baculum imperatori retulerunt, et huius interitum dixerunt[s]. Tunc tandem imperator suae memor promissionis, manum[t] clausit et episcopatum hunc nemini, priusquam in patriam reverteretur, se daturum promisit. Quis hoc meritis[u] beati patris nostri[v] non computabit, eiusque vitam in hoc non[v*] laudabit, quod ita a Deo erat electus, ut istorum virorum ostenderet defectus? Mira res multumque stupenda, ut unus post electionem et episcopatus acceptionem[w] quartum decimum diem non vidisset[x], alter vero quartum diem non vixisset[x]. Hic intelligere necnon et mirabilia Dei possumus videre. Non est enim sapientia neque[y] prudentia nec ullum consilium contra Dominum. Quod enim hominibus placuit, Deo displicuit; quod imperator elegit, Deus reiecit, et elegit infirma, ut confunderet[z] fortia. Sciebat enim[*] suum se timentem, se diligentem[a], se totis viribus colentem; hunc praedestinatum vocavit[b], et vocatum iustificavit, et iustificatum non laude hominum sed sua misericordia magnificavit.

1000. 5. Imperator enim de[c] Italia regressus, Saxoniam ingreditur, et in locum qui dicitur Kirichberg[d, 5] pervenit. Illuc episcopus Moguntinus, et cum eo venerandus Burchardus ad imperatorem venit. Imperator archiepiscopum honorifice suscipiens, causam Wormaciensis episcopatus illi[e] exposuit, duorumque virorum mirabiles interitus omnino narravit. Et post multas confabulationes imperator[f] per fenestram prospiciens[g], Burchardum vidit, quem statim celeriter ad se vocavit. Et arripiens manum[h], seorsum duxit[i]; quid frater eius[k] pro eo rogarit[l] quidve sibi demandarit[l], diligenter exposuit. Ac deinde epistolam, quam in sacculo reservavit, illi aperuit; sicque[m] Wormaciense sacerdotium illi offerre coepit. Cumque ille multum reniteretur, seque indignum esse pontificale officium suscipere contenderet[n], imperator vehementer[o] instans quasi vi ad suscipiendum eum compulerat[p]. Tandem conspiciens[q], quia potenti resistere non posset, ut[r] cum seniore suo archiepiscopo causam deliberaret exposcit[s]. Quo impetrato et ab[t] archiepiscopo accepto consilio, quod[u] imperator iussisset se passurum promisit. Hoc cum diceret,

a) parvam n. comparatam 2. b) i. episcopus imperatori p. d. r. s. p. 2. b*) domi 2. c) *deest* 2. d) *deest* 2. e) quaesivit 2. f) placeret — rogarem 2. g) virum praevideat 2. h) et 2. i) testationem tali 2. k) eodem 2. l) quam 2. m) p. Franco, vir venerabilis et Deo dilectus episcopus Wormatiensis, naturae succubuit et debitum mortis solvit et corpus eius Romae ab imperatore cum 2. n) quidam ad. 2. o) epho 2. p) assignatus 1. q) raizo 1. raso 2. r) chur 2. s) nuntiaverunt 2. t) m. suam 2. u) meritum 2. v) n. burchardi 2. v*) *deest* 2. w) acceptationem 2. x) vidit — vixit 2. y) nec 2. z) confundat 2. *) namque 2. a) colentem, se t. v. diligentem 2. b) v. et v. i. et i. *desunt* 2. c) ab 2. d) Kyritzberg 2. e) ille 2. f) ipse i. 2. g) aspiciens 2. h) eum manu 2. i) dixit 2. k) e. franco 2. l) rogavit — demandavit 2. m) sic quoque 2. n) *deest* 2. o) vehementius instabat et q. 2. p) compulit 2. q) T. vir venerabilis Burchardus videns 2. r) petiit ut 2. s) *deest* 2. t) i. aetas (?) 2. u) c. tandem se facturum 2.

5) Kirchberg.

omnium[a] qui aderant lacrimis obortis[a*], illius dignissimis meritis committitur virga pa- 1000.
storalis.

6. Post aliquos[b] autem dies, licentia ab imperatore accepta, cum archiepiscopo in[c] locum Helingunstat[d.6] pervenit ibique sacerdotalis officii infulam accepit[e]. Sequenti[f] autem die pontificalis benedictionis unctione venerabiliter consecratus est. Deinde post multas salutationes diversasque[g] amplexiones ab archiepiscopo[h] honorifice dimissus[i], sibi commissum episcopatum visitavit, Wormaciamque venit, quam destructam ac pene desolatam invenit. Nam non usui hominum sed ferarum et maxime luporum latibulis aptissima erat. Planities enim valli et destructio muri latronibus et feris facillimum praebebat introitum. Ferunt namque, quod lupi saepissime cunctis videntibus pecora ibidem devorassent[k], et homines hoc prohibere volentes assiduis insultationibus audacter terruissent[l], et tandem, quamvis cunctis insequentibus, illaesi evasissent[m]. Latrones vero hunc locum ad perficiendam suae voluntatis nequitiam aptissimum esse iactabant[n], quia neque munitio valli neque obstaculum muri aliquam difficultatem ingrediendi illis aliquando afferebat[o]. Si quis autem civium voluntati eorum aliquid contradixit, hunc nocturnis aggressionibus petierunt, et cuncta quae habuit rapientes secum asportaverunt, ipsum seu mortuum[p] vel semivivum relinquentes. Tali pace, tali[q] securitate necnon[r] tali munitione cives Wormacienses illis diebus usi sunt. Ad ultimum vero[s] relinquentes civitatem desolatam, extra murum omnes abierunt, ibique domus[t] et aedificia ad suos usus necessaria condiderunt, et sepibus ac trabibus aliisque lignis contra raptores et feras, in quantum potuerunt, se suosque munierunt. Igitur[u] episcopus Burchardus videns desolatam civitatem, multum doluit, acceptoque a suis consilio, vallo firmissimo circumdedit civitatem. Undique reaedificavit murum, et cives intra murum aedificare necnon[v] et habitare praecepit. Ita quippe in quinque pene annis cives expulsos revocavit, pacemque[w] in his finibus firmavit, et[x] civitatem omnino desolatam rite restauravit. Sed haec una res piis huius viri laboribus fuit maximum impedimentum.

7. Otto[y] dux[7] suusque[z] filius Conradus intra civitatem habebant munitionem[*] tur- 7
ribus et variis aedificiis firmissimam. Ad quam domum[a] raptores et fures et omnes[b] contra episcopum delinquentes refugium tutissimum habebant. Si quis enim contra episcopum suosque fideles verbis vel factis aliquid deliquit, ad hanc partem statim se recepit, et ob hoc obtruncationes et homicidia multa ex utraque parte fiebant. Hoc quippe dedecus hasque duras[c] calamitates homo Dei[d] tolerabat; sed forti pectore audacibus eorum actibus quasi imperterritus semper tamen resistebat. Unde et contigit[e], ut idem vir Dei hoc genus hominum[f] omnibus vitae suae diebus exosum habuisset et quasi ecclesiae Dei invasores omnes respuisset; uno tantummodo iuvene excepto, quem parentes caeterique cognati, quia pacificus erat et innocentiam vitae diligebat, indignando respuerunt[g]. Hunc vir Dei venerabilis ad se vocatum, Dei timorem pariter et amorem[h] docuit et quasi adoptivum[i] nutrivit. Et quia stabilitatem animi in eo intellexit, prae ceteris multum illum dilexit. Quem Deus postea in solium[k] regni clementer exaltavit[l]. Cum episcopus[m] potentium viribus aliter resistere desperasset, curtim suam muro, civitatem[n] ad instar castelli circundedit, et interius, turribus et habitaculis ad pugnandum idoneis non segniter excitatis, munitionem satis firmam construxit. Castello itaque confirmato[o] et constructo, inimicorum[p] audacibus factis[q] fortiter resistebat et spem suis[r] augebat; plerumque etiam ipsos[s] hostes dictis et factis intrepidus terrebat.

a) omnes 2. a*) abortis 1. b) aliquot 2. c) ad 2. d) Heilegenstat 1. e) H. accessit 2. f) Sequente 2. g) que *deest* 2. h) a. Moguntino Willegiso 2. i) d. est 2. *qui novum incipiens caput rubram addit:* Quomodo Burchardus episcopus Wormatiensis factus Wormatiam visitavit, quam desolatam invenit, *tunc vero pergit:* Burchardus itaque recedens ab archiepiscopo Wormatiam venit, quam destructam. k) devorabant 2. l) terruerunt ac 2. m) evaserunt 2. n) aiebant 2. o) i. offerret 2. p) i. semimortuum 2. q) talique 2. r) n. et 2. s) v. cives 2. t) domos 1. u) 2. *add. rubram:* Quomodo episcopus Burchardus civitatem munire coepit. v) domos 2. w) et pacem 2. x) atque c. Wormatiensem 2. y) 2. *add. rubram:* Sequitur de Ottone duce et de Conrado filio eius. z) eiusque 2. *) m. firmam t. et v. a. munitissimam 2. a) *deest* 2. b) o. qui c. e. eiusque fideles v. v. f. a. deliquit ad hunc statum se recepit, et sic tutissimum ibi habebant refugium. Unde et ob 2. c) *deest* 2. d) d. Burchardus diu t. 2. e) c. eisdem ut vir 2. f) *deest* 2. g) respuebant 2. h) a. habere d. 2. i) ad optimum 2. k) p. spolium 2. l) collocavit 2. m) Episcopus igitur Burchardus cum p. 2. n) *deest* 2. o) firmato 2. p) in i. 2. q) fortis 2. r) s. et civibus 2. s) suos i. 2.

6) Heiligenstadt. 7) filius Conradi, quondam ducis Lotharingiae.

1001. 8. Postea vero[a] sedatis seditionibus et pace inter illos vix firmata[b], iussu imperatoris episcopus cum apparatu magno et milites Moguntinenses[c] necnon et abbas Fuldensis atque[d] episcopus Wirtzburgensis cum non modica multitudine in Italiam profecti sunt. Cumque maximo sudore Tuscaniam[e] pertransissent[f], imperator mortuus illis nun- 1002. ciatur. Qui, ut necesse erat, valde contristati, viam per quam venerant[g] reversi sunt. Tunc urbani de Luca[h] et de circumiacentibus villis, congregata[i] maxima multitudine equitum et peditum, vias undique concluserunt, et quasi ad bellum instructi, nostrorum adventum armati[k] expectaverunt. At[l] nostri, visa tam magna[m] multitudine, turbabantur[n] et illis invitis per terminos eorum transire diffidebant. Inito tandem episcopi consilio, legatos mittunt; ut ipsos per fines eorum cum pace transire permitterent[o], suppliciter precabantur. Quo vix impetrato, illo die usi sunt pace. Intermisso noctis spacio, valde diluculo hostes in unum conglomerati magno clamore et levibus praeliis primos de nostris lacescere coeperunt, et utrimque paucis aut[p] vulneratis aut occisis, clamor ab aliis auditur. Itaque omnes celeriter consurgentes arma capiunt, et omnes in unum conveniunt. Inter quos erat[q] quidam Thiemarus[r], miles episcopi Wormaciensis, vir strenuus et omni bonitate praecipuus, qui in hoc exercitu in militari re opinatissimus[s] habebatur. Hunc episcopus ad se vocatum[t] rogavit[u], ut, si fieri posset, rem istam sine humano sanguine finiri adiuvaret. Qui se eius iussa facturum promittens discessit, convocatisque aliis, quod animo habuit[v], tacite aperuit. Deinde montem ad ascendendum periculosissimum cum suis maximo labore ac sudore non segniter ascendit, et inimicam[w] manum clam circuivit. Itaque hostes, visis nostris, et mirabili eorum adventu perterriti, animo dissoluti sunt, ac praecipites se fugae dederunt. Nostri insequentes, tot in ea fuga peremerunt ac truncaverunt, quot[x] consequi potuerunt. Ex hac caede episcopus[y] conturbatus, lacrimas fudit et Thiemarum multum[z] pro hac re arguit, tandemque non paucos denarios quasi pro expiatione civibus remisit. Itaque[*] Dei gratia adiuvante in patriam reversi sunt.

Mai. Iuni. 9[a]. Interea Heinricus[b] Bavarorum dux, undique collectis viribus, Wormaciam venit, et ut sceptra[c] regni acquireret, non modicum laboravit. Ibique[d] cum episcopo Moguntinensi necnon et Wormaciensi de his[e] rebus consilium iniit. Igitur causam adventus sui illis exponit. Deinde omnia quae voluissent, si voluntati[f] consentirent, se facturum promisit. Promiserat enim, se munitam domum Ottonis[g] acquisiturum et in potestatem episcopi Wormaciensis redditurum; sicque multa dando et promittendo, ad voluntatem Iuni.6. sententiae suae hos viros perduxit. Deinde Moguntiam cum illis venit, ibique collaudantibus[h] cunctis qui aderant, sceptrum[i] regni accepit. Ubi vero Heinricus[k] in solium regni est exaltatus[l], Burchardus episcopus[m] suae non immemor promissionis, die noctuque ob[n] libertatem suae civitatis regem incessanter admonuit. Tandem vero[o] rex Ottonem ducem ad se vocans, de his rebus sententiam cum eo habuit, ac studium suae voluntatis aperuit[p]. Qui, ut erat vir prudens, sic[q] prudenter respondit: *Pater, etsi rem grandem mihi dixisses, certe[q] facere voluissem[r]. Hoc autem te pro certo scire cupio, quod pro his rebus* Octob. *in aeterno Dei regno mercedem sempiternam tecum me habiturum, firmiter spero.* Istis hisque similibus sententiis[s] res ista est finita[t], et quaedam villa quae dicitur Bruchsella[7] cum omnibus utilitatibus et appenditiis pro hac domo in commutationem duci tradita est. Ita quoque Wormacia iniquo servitio diu subacta piis episcopi laboribus liberata est[8]. Ergo[u] eadem die qua dux de hac munitione[v] discessit, episcopus multis congre-

a) vera 1. b) facta 2. c) mag. 1. d) ac 2. e) tussaniam 1. iustamani *vel* nstamani 2. f) pertransierunt 2. g) venerunt 2. h) Quam urbem Deluca 2. i) *deest* 2. k) *deest* 2. l) Et 2. m) v. tanta 2. n) turbantur 2. o) putarentur 2. p) et v. et o. 2. q) *deest* 2. r) Tremarus 2. *et infra.* s) ornatissimus 1. t) vocat 1. u) rogat 2. v) habebat 2. w) in i. 2. x) quod 1. y) venerabilis e. Burchardus turbatus 2. z) militem supradictum 2. *) Ita quoque 1. a) 2. *add. rubram:* Quomodo Heinricus sanctus Wormatiam venit et de sublimatione eius in imperatorem, *et sic pergit:* Mortuo itaque Ottone tertio Henricus. b) henricus 1. 2. *semper.* c) summa r. adhaereat 2. d) Ibi quoque 1. e) iis 1. f) v. suae 2. g) O. supradicti ducis, quam in Wormatia habebat a. 2. h) eum laudantibus 2. i) sedem 2. k) H. imperator factus 2. l) elevatus 2. m) e. Wormatiensis 2. n) ad 2. o) Et sic tandem 2. p) illi a. 2. q) *deest* 2. r) debuissem 2. s) exemplis 2. t) ita f. est tali modo. Quaedam namque v. cum o. u. et a. pro castro ducis Conradi in Wormatia pro h. d. in cambium d. t. est quae dicitur Bruchsella. *Reliqua desunt; sequitur vero rubra:* Quomodo episcopus Burchardus castrum destruxit et ibidem ecclesiam sancti Pauli aedificavit. u) Igitur 2. v) de m. sua sive de castro d. 2.

7) Bruchsal. 8) V. Heinrici diploma d. Oct. 3. a. 1002. ap. Schannat Hist. Worm. II. p. 35; et cf. quae de hac libertate Thietmarus canit V. fin. SS. III. p. 804.

gatis eandem domum[a] duce inspiciente invasit, et usque ad fundamentum avida manu omnino destruxit[b]. Deinde quoque cum eadem materia eisdemque lapidibus monasterium et claustrum in honorem sancti Pauli construxit, consignans hoc titulo: ecclesiam ob libertatem civitatis. Ergo cunctis quae ad canonicam regulam pertinebant rationabiliter ibi compositis, viginti fratres, qui cursum certis temporibus ac signis conservarent, ibidem instituit[9]. His modis vir Dei domum belligeram mutaverat in Christi ecclesiam, et quae erat domus contentionis, facta est domus reconciliationis, in qua[c] Deo nostro laudes et[d] gratiarum actiones die noctuque solvuntur.

10. Forestus silva[e] est duobus miliaribus[f] a Wormacia distans, abietibus abundans, et hanc palus limosa ex una parte ambiendo circumcingit. In cuius medietate collis pulcherrimus consistit, ad quem vir Dei se transferri praecepit[g]; et quia mundanos tumultus devitare voluit, arboribus[h] fruticibusque succisis[i], collem explanavit; ibique[k] primum fecit[l] oratorium, deinde[m] aliis officinis peractis, cellam egregiam construxit. Illic se[n] post concilia regiaque colloquia et post curam synodalem diversosque mundi strepitus receperat[o]; ibique[p] negociis secularibus post tergum proiectis[q], totis viribus in obsequio Dei studebat[r]. Eodem quippe[s] tempore in collectario[t] canonum in hac cella[u] non modicum laboravit[v]. Nam[w] domino Walterio[x] Spirensi episcopo adiuvante[10] et Brunichone[y] praeposito exhortante et suggerente[11], canones in unum corpus collegit; non pro ulla arrogantia, sed ut ipse[z] dixit, quia canonum iura poenitentiumque iudicia in episcopatu suo omnino fuerant[*] neglecta ac[a] destructa. Hoc vero corpus sive[b] collectarium distinxit et in viginti libros distribuit[c].

11. Praeterea vero vir Dei[d] a[e] piis laboribus non cessans, ecclesiam sancti Petri ad sedem[f], quia ultra modum exigua fuerat[g], deposuit, ponensque fundamentum, consignavit mirae magnitudinis monasterium, quod quidem magna celeritate paucis annis pene ad perfectionem perduxit, ut non videretur aedificando constructum esse, sed quasi exoptando subito ibi constitisse.

12[h]. Istis quippe diebus sororem suam nomine Mahildam[i], mulierem honestissimam et omni claritate dignissimam, ad se vocavit et fraterna dilectione secum nutrivit. Erat enim haec ipsa domina ad opera muliebria magno ingenio sollertissima, et feminas ad rerum textrilium diversitatem[k] doctas habuit[l], et in conficiendis vestibus preciosis mulieres multas superavit[m, 12]. Interea contigit, ut abbatissa in monasterio sanctimonialium ibidem Deo servientium diem clauderet ultimum. Post cuius obitum omnes sorores quasi uno ore episcopum deprecantes orant[n], ut eidem sorori suae abbatiam donaret et curam eas custodiendi committeret[o]. Vir quoque venerabilis earum[p] petitionibus consentiens, sororem suam ad se vocavit, ac diversis circumlocutionibus illam exhortans, tandem sic ait: *Dilectissima*, inquit, *soror mea*, *vides res mundanas*, *quam fragiles ac defectibiles sunt*, *quam plenae omni iniquitate consistunt. Nam aurum et*[q] *argentum lapidesque*[r], *qui nobis videntur preciosi*, *quid aliud quam sordes computantur apud Deum*[s]. *Nihil in his aliud agimus*[t], *nisi cupiditate rerum temporalium*[u] *miseras animas decipimus. Quocumque enim gradimur*, *mortis umbra nos sequitur; et qui securiter*[v] *hodie in deliciis vivit, cras infeliciter morti*[w] *succumbit. Beatus autem ille est*, *qui rectam iusti itineris se-*

a) d. sive castrum 2. b) d. ne amplius civibus in laqueum. Dehinc de eadem 2. c) q. modo d. l. 2. d) et g. a. *desunt* 2. e) una 2. f) millibus 2. g) transferre fecit quando m. 2. h) deinde a. 2. i) fructibusque excisis c. planari fecit 2. k) ibi quoque 1. l) *deest* 2. m) dein 1. n) c. atque illuc saepius 2. o) saepius se transtulit 2. p) ibi quoque 1. q) positis 2. r) se exercebat 2. s) *deest* 2. t) collectorio 2. u) hoc colle 2. v) l. quia a tumultibus alienus locus erat 2. *et add. rubram:* Quomodo episcopus Burchardus canones elegit. w) Iam 2. x) walthero 2. y) brunrechone 1. z) saepe 2. *) fuerunt 2. a) et 2. b) seu collectorium 2. c) Sed hoc opus adhuc in Franckendael maiori habetur in pulcherrima libraria, licet modo post opus Gratiani non utantur iuristae *add.* 2. *verba Kirsgartensis*, *ibique rubra sequitur:* De constructione novae ecclesiae sancti Petri, quae modo summa dicitur sive maior ecclesia. d) P. vir d. Burchardus 2. e) *deest* 1. f) p. apostoli 2. g) erat 2. h) 2. *add. rubram:* De sorore eius, quam praefecit monialibus in Nonnonmünster in suburbio civitatis. i) mahillam 2. mahtildam? k) diversitates 2. l) secum h. 2. m) superabat 2. n) erant 1. o) ei c. 2. p) eorum 1. q) *deest* 2. r) lapides pretiosi 2. s) reputantur 2. t) agunt 2. u) secularium 2 v) secure hoc die et d. 2. w) morte 1.

9) cf. chartas Burchardi ap. Schannat l. l. p. 41. 42. 10) Olbertum, qui postea abbas constitutus est Gemblacensis, praecipue Burchardo opem praestitisse, Gesta referunt abb. Gembl. ap. Dacher. ed. 2. II. p. 763. 11) cf. Burchardi epist. ad Brunichonem decretorum collectioni praemissam. 12) cf. Alpertum I, 2. supra p. 702.

quitur semitam et gloriam huius mundi respuit et quae Dei sunt intra domicilium puri cordis recipit. Ergo, carissima soror mea, armillas et inaures vestesque deliciosas volo ut deponas, et velamen sanctum accipias, sicque regi sempiterno te adiungas[a]. Haec cum illa audisset, vehementer expavit, et ultra quam dici possit admirans, ait: *Numquid scis, senior sancte, omnibus diebus vitae meae in secularibus me versatam, istius officii omnino esse insciam? Nam, tantum psalterio excepto, libros penitus ignoro; in hoc officio versari nescio; et quomodo tunc in hac vita, domine*[b], *sine offendiculo vivere potero?* Econtra vir Dei: *Desine*, inquit, *ut his verbis aliquid*[c] *addas, et exhortationem meam citissime adimplere [ne*[d]*] differas. Quid tibi obsistit? Quid impedit? Felicissima est commutatio*[e], *res transitorias derelinquere et aeternas divitias vitamque*[f] *perpetuam feliciter acquirere.* His aliisque exhortationibus plurimis sororem suam ita superavit, ut tandem quicquid voluisset se facturam devovisset[g]. Hoc[h] cum Dei servus audiret, gratias Deo toto corde rependens exultavit. Statimque regulam canonicam simul et computum necnon et vitam patrum ac dialogum aliosque libros huic vitae convenientes eam discere praecepit. Quae continuo omnia quae iussit obedienter discere ac perficere studuit[i]. Cum autem vir Dei tantam voluntatem et tam pium studium in hac Dei famula intellexisset, imposito velamine ad Dei officium eam consecravit. Congregatis[k] in unum sororibus, abbatiam sororumque curam illi commendavit. Accepto vero velamine, cunctis virtutibus honestisque moribus clarissima enituit, et quasi omni vita sua secundum regulam fuisset enutrita[l], cunctis praebuit exempla divina. Non enim voluit ministrari[m] sed ministrare, neque more magisteriali[n] super[o] caeteras se exaltavit, sed quasi mater cunctas dilexit ac docuit. Mira res, ut femina secularis in hoc negocio ne quidem ad horam gravaretur, sed potius delectaretur. Omne quoque praedium quod acquisierat ecclesiae cui praeerat cum auxilio fratris in proprium contulerat. Praeterea, fratre exhortante et adiuvante, claustrum simul[p] et monasterium pene desolatum non solum renovavit, sed etiam reaedificavit et[q] dedicari fecit, et in servitio divino[r] cum sororibus sibi commissis die noctuque corde et animo stabilissimo[s] permansit, earumque conversationem fratris adiutorio[t] rationabiliter, sicut canonicus deposcit[u] ordo, per omnia disposuit.

13. Illius quoque[v] exemplis ac[w] documentis una ex eisdem sororibus, Caritas nominata, Deo devota, altioris maiorisque vitae districtionem ab episcopo postulabat. Cumque ille Dei voluntatem in tali vita iustis factis[x] bene adimpleri[y] posse firmaret, tamen[z] virgo Dei petitione incessabili assidue rogabat, ut, quia maiora facere vellet, inclusam se a secularibus removeret. Tandem vir Dei petitioni eius consentiens, clusam[*] fieri iussit, diem certum constituit[a], et ad[b] peragendam Dei famulae voluntatem ad monasterium sanctimonialium cum universis fratribus venit. Cumque illuc ventum fuisset, fratribus in unum convocatis, virginem in medio statuit, et dixit[c]: *Fratres mei carissimi, videtis hanc virginem, Dei amore pariter et timore accensam, lubricas huius mundi delicias respuentem et Deo placere concupiscentem. Haec*[d] *sermonem euangelicum non*[e] *surda aure recipiens, patrem et matrem, cognatos et amicos, domos et agros respuit, et*[f] *soli Deo se adiungere disposuit. Erubescite senes necnon et vos iuvenes, nihil huic simile facientes! Quid tacetis? Quid rubore contenditis? Ecce puella tenuissima erecto vexillo intrepida vos praecedit, et contra spiritales nequitias pugnare non metuit. Ecce lorica*[g] *fidei galeaque salutis induta, animo imperterrito contra inimicum dimicare*[h] *est parata. Ergo si neque praecedere neque huic*[i] *concurrere possitis*[k], *saltem eam similibus pietatis exemplis consequi studeatis.* Post haec aliaque verba divina, completis missarum officiis[l], cellulae eam inclusit; et quae[l*] compunctione divina secularibus[m] mortua fuit[n], ordine mortuorum Deo illam commendaverat. Ibique[o] Deo serviendo tres annos vita angelica vivebat, et

a) coniungas 2. b) vita Domini sine 2. c) aliqua 2. d) *deest* 1. e) felicissimum est concambium 2. f) et p. salutem 2. g) novisset 2. h) Haec 2. i) curavit 2. k) congregatisque 2. l) nutrita 2. m) m. sed *desunt* 2. n) magistrali 1. o) voluit s. alias exaltari 2. p) similiter 1. q) ac 2. r) Domini 2. s) stabilissime 2. t) fratre adiuvante 2. u) poscit 2. v) Istius ergo sanctae foeminae 2. *ubi rubra praemittitur:* De quadam sorore, quae petiit solitariam vitam agere ab episcopo, quod et ille fecit. w) et 2. x) operibus 2. y) adimplere 2. z) et tamen virgo non cessabat assidue rogando eum, ut eam a secularibus rebus magis excluderet et eam includeret solitariam. *) clausuram 2. a) d. statuit c. 2. b) *deest* 2. c) ait 2. d) Hic 2. e) cum 2. f) respuente soli 2. g) puella f. scuto g. 2. h) pugnare p. est 2. i) *deest* 2. k) potestis 2. l) solemniis 2. l*) quia 2. m) a s. 2. n) erat 2. o) Ibi quoque 1.

diversis passionibus temptata[a], ad ultimum animam pleniter expurgatam[a*] suo reddidit Creatori, ut in omnibus honorificetur Deus, qui in sanctis suis semper est mirabilis[b].

14. Eodem tempore quippe[c] Heinricus imperator cum exercitu in Burgundiam ire 1009? disposuit, et eo itinere Wormaciam[d] venit. Cum autem egregium illud monasterium pene peractum vidisset, episcopum, ut se praesente consecraretur, assiduis rogationibus[e] petivit. Cumque vir Dei multum reniteretur, tandem imperatoris voluntati quasi coactus consensit. Ergo omni spurcitia foris proiecta omnique fuligine detersa[f], die sequenti, imperatore praesente et iubente, cum magnis laudibus et maximo cleri plebisque tripudio, multis episcopis praesentibus, Deo dicata est haec domus[g].

15. Post biennium autem res miserabilis in monasterio eodem acciderat[h]. Nam 1011? pars occidentalis subita ruina nocte quadam funditus cecidit. Sed hoc mirabile fuit, quod nulla campana sub tam magna mole, nisi tantum una exigua, confracta est. De hac re Dei servus, ut erat necesse, conturbatus[i], quandam quasi moestitiam in vultu praeferebat. Accedentes autem discipuli[k] eius, quorum non pauca multitudo assidue[l] illum sequebatur, talibus eum dictis consolabantur: *Miramur, senior, iuste, quod ex infortunio huius operis in tantum turbaris, cum cotidianis postules*[m] *oblationibus*[n], *ut ita peragi liceat sicut Deo placeat. Orationes namque tuas Deus exaudit, tuam voluntatem publice adimplevit. Namque*[o] *quod Deo placet, saepe probatur, sicut legitur: „Quem Deus* Prov. 3,12. *diligit corripit.“ Quod enim*[p] *Deo displicuit, sicut petisti, reiecit. Idcirco suspiria deponas et patientiae fortitudinem recipias. Hoc est laudabile Deoque acceptabile. Deus enim, sicut tu optime nosti, inter alias dogmatis sui sententias istiusmodi dederat dicta consolationis: „In patientia vestra possidebitis animas vestras.“ Attende, pater, haec, attende,* Luc. 21,19. *et molem curarum postpone, tristitiamque obliviscere, quia iuxta Domini promissum tua tristitia convertetur*[q] *in gaudium.* At[r] vir Dei, quasi de tristitia excitatus, hilari vultu respondit[s]: *Grates magnas et gratias multimodas vobis rependo pro tanta consolatione talique admonitione. Sicut enim Domino placuit, ita fecit. In hoc*[t] *quippe gaudeo, ut quod sibi non placuit, sicut rogavimus, voluit in melius mutari. Sed audite nunc, rogo, et quomodo haec perdiscebam vobis dico*[u]. *Quadam die cum duobus pueris solis hortum meum*[v] *maiorem ingressus, in ipso vestibulo vidi diabolum in vestitu et habitu humano. Stabat enim contra aquilonem, herbas arboresque fructiferas extirpans, et ita facta congestione cum multo murmure viam conclusit. Quem, quia in similitudine et imagine hortulani incedebat*[w], *quare viam conclusisset, cum iratus interrogassem, respondit: „Utinam viam vitae aeternae tibi possem concludere, qui possum maius*[x] *incommodum brevi tempore*[x] *tibi congererel“ Ego autem admirans*[y] *audaciam eius, quia*[z] *putabam custodem horti*[*], *dixi: „In hoc quod*[a] *minitaris*[a*], *in nomine Domini mihi non nocebis; nisi a nequitia tua cessaveris, perpetuum exitium*[b] *tibi congeres*[c]. *“ His dictis, usque ad sedem, quae in horto est, perveni, et circumspiciens illum non vidi. Igitur, quod tam subito nusquam*[d] *comparuit, multum miratus, pueros, si illum vidissent, interrogabam. Qui ambo, neminem nisi me solum ibi vidisse, dicebant; sed quendam mecum contendentem se audisse confirmabant. Tunc ego: „Scio, inquam*[e], *filii; quis est scio. Sed minas eius non timebo, neque in eius verba sperabo, quia*[f] *veritas in eo non est, ut Dominus ait*[g]. *“ Et statim inde recedens, hunc* Ioh. 8, 44. *versum mente percepi: „Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu* Psalm. 37,18. *meo semper est.“ Sequenti vero nocte in hora*[h] *matutina facta est haec miserabilis templi ruina.*[i] *Ego quoque*[k] *audiens, mente consternatus sum, et illam Davidicam, fateor, non sine lacrimis repetivi*[l] *querelam: „Et fui flagellatus tota nocte*[m], *et castigatio mea in ma-* Psalm. 72,14. *tutinis.“ Ergo fratres mei, quoniam Dominus castigando me castigare dignatus est, gau-*

a) temptam 2. a*) purgatam 2. b) admir. 2. *qui add. rubram*: De dedicatione maioris ecclesiae in praesentia Heinrici imperatoris et aliorum multorum praelatorum. c) *deest* 2. d) in w. 2. e) precibus 2. f) detrusa 2. g) altera die Philippi et Iacobi *add.* 2. *qui etiam rubram habet*: Quomodo post biennium quaedam pars ecclesiae illius cecidit. h) accidit in e. m. 2. i) satis c. est et q. m. 2. k) consiliarii 2. l) *deest* 2. m) postulas 1. n) orationibus 2. o) Namque — corripit *desunt* 2. p) *deest* 2. q) vertetur 2. r) Tunc 2. s) sic r. h. v. 2. t) quo 2. u) haec praedicebam vobis aliquando 2. *qui add. rubram*: Quomodo Burchardus episcopus intrans hortum suum vidit ibi diabolum in specie humana torve respondentem sibi. v) *deest* 2. w) i. interrogasse q. v. c. iratus v. 2. x) in t. 2. y) admiratus 2. z) quoniam 2. *) h. dixisse dixi 2. a) *deest* 1. a*) minaris 2. b) exitum 1. c) congeris 2. d) nunquam 1. e) inquit. scio. f. scio quid est 2. f) quoniam 2. g) dicit 2. *ubi* Et — percepi *desunt*. h) *deest* 2. i) est ruina templi huius miseranda 2. k) hoc 2. l) reptiui 1. m) toto die 2.

deo, et iuxta vestram adhortationem patiens ero, atque conversus pro factis dictisque meis poenitentiam agam[a], *et te Deum meum laudabo, ut in omnibus honorificeris, qui irasceris et propitius eris et omnia peccata hominum*[b] *in tribulatione dimittis.* Post haec quoque ligna et lapides extra templum exportare praecepit[c], positoque fundamento, firmiter aedificavit, et in duobus pene annis ad statum pristinum perduxit. Tunc capita columnarum necnon quadratos lapides in giro monasterii circumpositos deauravit, et omne templum variis ornamentis undique decoravit.

16. Deinde praebendam fratrum ad sedem[d] Deo servientium, quae ex vetustissima antiquitate iam defecerat[e] ac[f] omnino pene neglecta erat[e], rationabiliter revocaverat[g] et in optimum usum mutaverat. Ergo cunctis canonice ordinatis, omnes fratres secundum regulam victu cotidiano refici ad refectorium[h] simul praecepit[i]. Similiter praebendam[k] fratrum apud Sanctum Cyriacum, ex incursorum negligentia pene destructam[k], misericorditer renovavit, et eos[l] simul refici iussit[m]. Omnia autem loca ad se pertinentia ex vetustate pene destructa ac desolata miro ingenio renovavit et muris variisque aedificiis egregie decoravit. Monasterium[n] autem simul[o] et claustrum sancti Andreae, quod extra[p] murum constitutum per neglectionem desolatum erat, intra[p] civitatem aedificavit, et causis canonicis ad usum fratrum venerabiliter[q] ordinatis, ad laudem et gloriam Dei nostri vitam regularem instituit.[r]

17. In illis etiam diebus Brunicho[s], de quo supra diximus[13], venerabilis[t] eiusdem praepositus sedis, videns beati viri constantiam, quomodo pompas mundanas respuisset[u] et in servitio Dei ferbuisset[v] humanasque laudes vitando fugasset[w], in se reversus vitam monasticam aggressus est, et per exempla servi Dei diabolum decepit et corde contrito spirituque contribulato soli Deo placere studuit. Similiter et alii illustres viri per assidua servi Dei documenta mundum relinquentes, de civitate fugerunt et vitae monachorum se subdiderunt. Tandem vero episcopus veritus, ne monasteria[14] fierent desolata, ab omnibus monasteriis fratribus convocatis[x], istis eos allocutus est verbis: *Nolo vos ignorare, fratres, quod omnis, qui*[y] *timet Deum et operatur iustitiam, acceptus est illi, non solum monachus, sed et canonicus, etiam*[y*] *et laicus. Non est bonum, ut omnes qui*[z] *in navi laborant uni operi insistant, ut vel omnes sint gubernatores et nullus navigator, aut omnes navigatores*[*] *et nullus gubernator. Consultius est*[a], *ut apposito gubernatore unusquisque operi*[b] *suo insistat, quidam navigent, alii altitudinem aquae explorent, alii, si necesse sit, malum scandant*[c], *alii vero sentinam hauriant, sicque navim omnes in pace dirigant. Similiter intelligere debemus, fratres, quod non omnia possumus omnes. Si enim omnes*[d] *monachi et canonici, ubi sunt laici? Quis tunc ministrabit monachis, vel quis serviet*[e] *canonicis? Si autem omnes laici, ubi tunc laudes et servitia Dei? Diversa est enim familia in ecclesia Dei, non solummodo monachi, sed etiam canonici, necnon et fideles laici. Et hi omnes egent gratia Dei. Ergo qui canonicus sit*[f], *pro monastica vita de monasterio suo sine licentia non exeat, sed cum fratribus in commune*[g] *laboret; et si districtiori vita vivere desideret*[h], *intra monasterium suum operibus Deo placentibus inserviat et de malis se sustineat, sicque holocausta medullata in ara occulti cordis Deo adferre*[i] *non desistat.* Tali quoque sententia et iuvenum animos sedavit, et quod stabiliori mente in servitio Dei postea permanebant, incitavit.

18. Ad haec quippe[k], ut unusquisque illorum secundum ingenii quantitatem dicta vel scripta studiosa[l] sibi cotidie proferrent[m], firmiter praecepit. Tunc vero quia Dei famulum studio deditum et sacrae scripturae paginis eruditum ac sapientia Dei repletum vi-

a) ago 2. b) horum 2. c) exportari iussit p. firmamento 2. d) s. episcopalem Deo ibi s. 2. e) defecerant — erant 2. f) et 2. g) renovaverat 2. h) in refectorio 2. i) 2. *add. rubram:* Quomodo fratrum praebendas in Nuhusen etiam refecit. k) praebendas — destructas 2. l) eas 2. m) sed qui modo unus locus in multis divisus est. 2. *verba Kirsgartensis monachi.* n) 2. *add. rubram:* De translatione collegii sancti Andreae, quod foris civitatem erat, quod intra civitatem constituit. o) *deest* 1. p) foras muros constructum erat et per negligentiam d. intra 2. q) pertinentibus et v. 2. r) ibi i. ubi modo est, sed prius erat in monte extra portam sancti Andreae in suburbio ibidem. Et sunt modo moniales vel sorores poenitentes ibidem; *verba Kirsgartensis monachi, qui rubram addit:* Qualiter praepositus maioris ecclesiae et alii monachi effecti sint et de doctrina viri Dei, quomodo unusquisque in vocatione sua permanere debet. s) brunecho 1. t) vir v. 2. u) respueret 2. v) ferveret 2. w) vitaret 2. x) canonicis fr. 2 y) etiam qui 2. y*) *deest* 2. z) qui — aut omnes *desunt* 2. *) n. sint et n. sit g. 2. a) est ergo 2. b) opere 2. c) ascendant 2. d) o. sunt 2. e) servit 2. f) est 2. g) communi 2. h) desiderat 2. i) offerre 2. k) item post haec praecepit 2. l) studiose 2. m) praeferrent. Tunc illi videntes 2.

13) c. 10. 14) canonicorum, ut patet.

debant[a], sermones et epistolas quaestiunculasque varias illi proferre non timebant. Ergo[b] quidam illorum inter[c] alias quas saepe praetulit sententias de ieiunio Moysi[d] et Heliae verba quaestionis composuit, et[e] illi, nobis praesentibus, quasi pro occasione dictandi, humili manu porrexit. Ita enim scripserat ille:

Mentis ingeniique mei aridam si non pertimuissem intelligentiam, clementissimae tuae dominationi quasdam sacrae scripturae sententias, quae animi mei exiguitatem constringunt necnon in dubitationis nodositatem cadere cogunt, aliqua ratione protulissem, ut tuae probitatis doctissimo eruditus documento, rei agnoscerem veritatem; quoniam quicumque ex sanctarum sententiis scripturarum titubationis incidit periculum, nisi emendatus confessionis satisfactione mundatur ipsamque cognoscat veritatem, gravis culpam reatus incurrit. Quapropter meae vulnus conscientiae valde dolens ultraque celare metuens, tuae dignissimae sanctitati fiducialiter aperio, ut hoc quod latet intrinsecus patefiat extrinsecus. Nam huius dictaminis compositionem, nullius sagacitatis protervitate succinctus, sed sitibundi ingenii raritate, Deo teste, valde coactus, sanctitati tuae propono, quo me corrigas certioremque istius investigationis me facias, quia te typum illorum gerere vicemque scio tenere quibus Marc. 4,11 *dominico dicitur alloquio: „Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.“ Cum autem veram conscientiae meae confessionem faciens, ad veritatis agnitionem, tua monstrante prudentia, pervenero, ab omni reatus mei sorde mundatum ac tuae sanctitatis innocentiaeque me fore participem, et spero et firmiter credo, quoniam, si verum non esset, psalmista non* Psalm. 17,26. *dixisset: „Cum sancto sanctificaberis et cum innocente innocens eris.“ Sed quia ulceris mei dolor me semper angendo tuam cogit adire clementiam, quaestiunculam, pro qua istius pitatioli congeriem composui, ambagibus cunctis proiectis, tuae prudentiae, quam mihi succurrendam[f] fore non dubito, prout potero ungue tenus exprimere non desisto. In sacrosanctae scripturae voluminibus Moysen et Heliam quadraginta dies ieiunasse legimus, sed an ab omni alimento se abstinuissent, multi dubitamus. Christum dominum nostrum cursum quadraginta dierum ieiunasse et triplicem idcirco temptationem tolerasse, scio et veraciter credo; sed an ullus hominum hoc fecerit dubito; quia si Moyses vel Helias aut prophetarum aliquis quadraginta dies uniuscuiusque cibi abstinuisset, diabolicae temptamenta probationis, ut autumo, non evasisset; nam, ut ita dicam, facilius esset, hominem passibilem probari quam dominatorem totius creaturae temptari. Nunc autem tibi hoc tranctandum relinquo, quoniam de talibus ultra loqui tremisco. Scriptum namque est: „Omne* Matth. 12,36. *verbum ociosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.“ Istius vero investigationis interrogationem quam pluribus proposueram sapientibus; cum non sum edoctus, crescit morbus praedictus centuplicatus. Quapropter tua me sancta veritatem edoceat sapientia, ut laqueum reatus non incurram, sed poenitentiae vel verae confessionis* Rom. 10,10. *fructum acquiram, quem apostolica dicendo promisit sapientia: „Confessio fit ad salutem.“*

19. Ut autem haec servus Dei perspexit, huiuscemodi correctionis verba eidem iuveni die tertia rescripsit:

Quod me de quadragesimali ieiunio Moysi et Heliae quasi dubitando interrogasti, ex hoc te, fili care, diutius dubitare nolo. Quia Deo adiuvante planissima expositio est, hac te instruere cupio. Nam ut ipse confessus es, si quis de sententiis sanctarum scripturarum dubitaverit, nisi satisfactione resipuerit, gravis culpam reatus incurrit; si autem ingenii ariditate seu aetatis temeritate sive ignorantiae obscuritate aut negligentiae conculcatione illusus, titubationis incidit periculum, et corrigit quis eum: scire debet, quoniam qui conver- Iac. 5, 19.20. *terit peccatorem ab errore viae suae, salvavit animam suam a morte, ut ait Iacobus apostolus. Ergo animam tuam a morte salvabimus, si dicta quae demonstramus caute perscrutando pura mente recondis. Scripsisti namque hoc: „In sacra scriptura Moysen et Heliam quadraginta dies ieiunasse legimus, sed an se ab omni alimento abstinuerint, multi*

a) *deest* 2. b) et 2. c) i. a. q. s. p. s. *desunt* 2. d) mosi 1. *semper fere.* e) 2. *sequentia ita in compendium redegit:* et sibi proposuit, utrum nullum cibum Moyses in XL diebus sumpsisset. Ad haec vir sanctus post multa verba sic intulit: „Quid mirum, si Moyses illo iubente ieiunavit, in cuius regno nullus unquam ieiunavit et esuriit. Putasne cives coelestes sicut terrenos rastro vel aratro sudantes laborando panem quaerere. Nequaquam. Sed est panis iustorum indefectivus Deus Dei filius, angelorum creator et hominum. De quo scriptum est: In principio erat verbum; et ibi: Ego sum panis vivus. Per quem panem mundus consistit et populus Israel XL annis in deserto vixit. De quo tunc Moyses gustavit, quum in monte cum Domino fuit. Et ideo non mirum, si tunc tam diu absque cibi corporali fuit.“ Multaque alia fuerunt ibi facta et dicta verba, quae causa brevitatis pertranseo, sed in historia eius plenarie habentur. f) succurrendum 1.

dubitamus.“ Nodum in scyrpo quaeris; labores quippe perdit, qui nodum in scyrpo quaerit. Est enim nodum in scyrpo quaerere, ex apertissima ac verissima ratione dubitationis nodositatem connectere et ex serenissima luce densissimae nebulae crassitudinem contrahere. Serenissimam dico lucem videlicet sanctam scripturam, in qua factis et dictis unusquisque fidelium corrigitur; per quod et speculum vitae merito nominatur. Est enim sancta scriptura utrarumque legum et novae et veteris testamenti declaratio. Si quis autem insani capitis ex illius lucidissimis iudiciis non corrigitur, vanitatis ludibrio illusus decipitur. Vanitatis ludibrio unusquisque decipitur, qui stultitiae vitio vanissimo capitur et non virtutem quaerit nec vitium fugit. Igitur omne vitium fugiendum est; certe stultitia fugienda est; hoc quippe vitium hominis est. Et econtra omnis virtus requirenda est; sapientia quidem requirenda est; ipsa enim virtus Dei est. Quam summo studio maximaque diligentia requirat, qui Dei fortem virtutem cognoscere cupiat. Quid enim est fortius quam Dei virtus, quid lucidius quam quod Dei veri solis illuminat radius, quid veracius quam quod scripsit ipsius veritatis manus? Ait enim scriptura: Descendit Moyses de monte, duas tabulas lapideas portans in manibus suis, scriptas utrasque digito Dei. In quibus etiam tabulis subtitulatum est: Moyses Dei servus ieiunavit quadraginta dies et totidem noctes, ut legem Domini mereretur accipere. Quid mirum, si Moyses illo iubente ieiunavit, in cuius regno numquam ullus esurivit, sub cuius persona ad corrigendum Israeliticum populum Psal. 49,12. 13. *huiusmodi verba correctionis propheta proclamavit: „Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terrae;“ et iterum: „Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?“ Ille quippe, qui ex nihilo cuncta creavit, in regno gloriae suae* Psal. 120,4. *numquam esurivit, numquam sitivit, nec umquam dormivit, ut scriptura ait: „Ecce non dormitat neque dormitabit qui custodit Israel.“ Igitur, filiole, verbi gratia mea dicta intellige. Si quis nostrûm alicuius regis vel praepotentis imperatoris consilio interfuisset, cum diversas sui regni divitias inspiceret, cuius cibi vel potus interim dulcedine capi potuisset? Vidisset namque ministros diversi generis vestibus indutos, domum inclitam variis ornamentis insignitam, aurum purissimum signis ac preciosissimis lapidibus ornatum, ipsumque regem, corona ac regali diademate renitentem, divitias regni sui caute tractantem ac mysticas consilii sui rationes enucleantem. Et si lubrica et transitoria huius mundi gloria hominem in tantum delectet, ut praecedens natura naturalia non reputet, quanto magis coelestis aeternalisque gloria Summi Moysen, Deum timentem eiusque praecepta sequentem, mundana oblivisci fecit? Interfuit enim sancto consilio regis aeterni; viderat et gloriam Domini, hoc est tabernaculum non manu factum, id est non huius creationis; audierat vocem Do-* Exod. 33,12. *mini dicentem sibi: „Prae caeteris diligo te et ex nomine novi te.“ Quadraginta enim annos pro quadraginta diebus per manum Moysi eduxit Deus populum suum per desertum,* 33,11. *et cum eo locutus est facie ad faciem, sicut loqui solet ad amicum suum homo, ut scriptura ait; diem in annum mutavit, pabulo coelesti populum suum pavit, panem angelicum homo manducavit. Quis est cibus coelestis, vel quis est cibus angelicus? Quid ergo, fili, dices ad haec? Si nodum quaesisti, ecce invenisti. Iam resolve nodum, et hunc cognosce modum. Putesne, coelestes cives sicuti terrenos rastro vel aratro sudantes laborando quaerere panem? Nequaquam. Sed est iustorum panis indefectivus Deus, Dei filius, angelo-* Ioh. 1,1. *rum creator et dominus, de quo scriptum est: „In principio erat verbum et verbum erat apud Deum et Deus erat verbum.“ Ecce panis angelicus! „Et verbum caro factum est* 1,14. *et habitavit in nobis.“ Ecce cibus coelestis descendit, et panem angelorum homo manducavit, quando verbum caro factum in nobis habitavit. Ipse enim ait: „Ego sum panis* 6,51. *vivus, qui de coelo descendi;“ per quem panem mundus consistit, et per quem populus Domini quadraginta annos vixit; de quo Moyses iam tunc gustavit, quando rubo flagranti* Exod. 4,13. *affatus sic respondit: „Obsecro, Domine, mitte quem missurus es;“ et alibi de eodem gu-* Deut. 18,15. *stavit, quando inter plurima doctrinae suae verba filiis Israel ait: „Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ipsum audietis“. De quo pane gustavit, cum quadraginta* Luc. 4,4. *dies ieiunavit; quia „non in solo corporali cibo vivit homo, sed in omni verbo Dei.“ Per quod verbum cuncta creata sunt, et omnia quasi ex nihilo consistunt, quia ipse Deus verbum est. „Verbum erat apud Deum et Deus erat verbum.“ In hoc quippe intelligimus, quia Deus pater filius ipse est, et filius, hoc et verbum, panis coelestis est, et panis coele-* Ioh. 6,52. *stis, hoc est verbum, caro factum est, ipso fatente et dicente: „Panis quem ego dedero*

caro mea est pro mundi vita." Ipse quippe vita est et alimentum angelorum ac hominum, qui facit utraque unum; ipse quoque Moysen spiritaliter saciavit, quando quadraginta dies corporaliter ieiunavit. Cuius excelsam potentiam magnamque misericordiam et antiquum consilium diabolus non recognovit, cum ei triplicem temptationem proposuit. Erat enim ab initio fratrum accusator ac nequitiae arbiter mendaciique inventor et nugarum canopicorum sagacissimus magister. Latuit enim in corde Pharaonis, exagitans Moysen per temptamenta diversae quaestionis. Ergo Moysen hominem recognovit, sed Christi divinitatem carne velatam non intellexit, ideoque Deum hominem perfectum dubitavit. Quamvis enim uxorem Pilati per visum pro redemptione eius vexaret, tamen Deum hominem esse venenosus ille dubitabat. Dubitabat namque, apud Deum esse misericordiam, ut humanitatem induere suosque servos divinitatis suae admirabili commercio renovare vel redimere voluisset. Si enim non dubitaret nec iusto invideret, Iudaeos infelices ad inobedientiam ac perfidiam contra Deum non sic excitaret neque per ora illorum: „Crucifigatur" clamaret. Et quia dubitabat, nesciebat. Igitur quia ab initio fallax ac dubiosus fuit, inter suspensionem dubitationis incidit periculum desperationis, et per ruinam desperationis passionem patitur aeternae damnationis, atque expulsus in tenebras exteriores, infernales merito pertulit passiones. Quod autem interrogasti de ieiunio Heliae, hac sententia intellige. Legisti etiam, puto, et intellexisti, quomodo post imprecationem, quam fecit super habitatores Galaath, Helias absconsus ab Achab rege in torrente Carith Deo iubente a corvis recreatus et pastus est. 3. Reg 17. *Post tres autem annos praecepto Dei ostendit se Achab, quando zelans zelum Domini quadringentos quinquaginta sacerdotes Baal interficere iussit; eodem die a Deo impetrans pluviam. Deinde timens minas Ihesabel furibundae reginae, per desertum fugit et in umbra iuniperi pro taedio animae obdormivit. Tunc quoque ab angelo bis excitatus, et de longitudine viae instructus, ac subcineritio pane et aqua refectus, in fortitudine cibi illius ambulavit quadraginta dies et totidem noctes. Unde putas panis iste venit, vel quo de fonte haec aqua hausta fuit? Nam, ut legimus, Helias a Deo raptus per turbinem in coelum adhuc corporalis vivit. Sed de quo pane reficitur, aut de quo fonte putas potare? Dico tibi pro veritate, quod ipse, qui, ut dixi, panis iustorum consistit, alimentum saturitatis Heliae absque dubio tribuit. Aqua vero potationis ex illius fonte emanat, qui dixit:* Ioh. 4, 13. 14. *„Aquam quam ego dedero qui biberit, ex ea non sitiet umquam;" et iterum: „Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam". Helias enim est iustus, et erat ideo iustitiae pabulo refectus; vivit et vivebat, sicut scriptum est: „Iustus ex fide vivit."* Gal. 3, 11. *Sufficiant, fili, tibi haec pauca correctionis verba, ut ex his minimis imbutus discas maiora perfecte intelligere et nodum similis quaestionis leviter dissolvere, quia quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus in Christo Iesu domino nostro, qui vivit et regnat Deus in omnia secula seculorum, Amen.*

Convenienti vero tempore confabulationis praedictus iuvenis, quibusdam familiaribus suis convocatis, ut ipse fatebatur, ne tam delectabiles animarum epulas[a] solus ruminando absconderet, larga manu illis haec distribuit. Illi autem caput cum pedibus et intestinis, ut scriptum est, devorantes, quae superfuerunt cum aliis fratribus partiti sunt, et ita ad nostram notitiam pervenerunt. Sed quia propter hoc longius a rectitudine viae nostrae digressus demoror, ad coeptum iter redire quantocius conabor. Exod. 12, 9.

20.[b] Igitur[c] quia Deus ad suam servitutem nostrum pium[d] pastorem elegit, consueta misericordia eum[d*] flagellare curavit, sicut legimus: *Quem enim diligit Deus*[e] *corripit, et quasi pater*[f] *in filio complacet sibi.* Prov. 3, 12. Tactus enim morbo paralysi, aegritudine maxima premebatur. Sed hoc incommodo numquam superatus aut animo dissolutus, in eodem vultu et eadem hilaritate cum patientia summa permanserat. Ex hac quippe Dei castigatione in se[g] rediens, hanc salubrem cogitationem recepit, videlicet mundanas res apud Deum esse execrabiles et non solum ad detrimentum sed etiam ad perpetuam[h] animae ruinam pertinere. Unde ergo per omnem sancti Petri familiam diligenter[i] inquirere praecepit, si alicui illorum aliquid ex sua parte iniuste ablatum sive incommodum factum fuisset; et si quis ullam iniustitiam factam sibi fuisse retulit, huic duplici-

a) epistolas 1. b) 2. *add. rubram:* De infirmitate sancti Burchardi episcopi. c) Iugiter 2. d) suum ac n. past. 2. d*) *deest* 1. e) Dominus 2. f) *deest* 2. g) se ipse 2. h) perpetuae 2. i) *deest* 2.

ter ablata reddere iussit. Verba eius discretione[a] ita fuerant temperata, ut firmitas cordis eius ab audientibus facile intelligeretur. Quicquid enim loquebatur, scripturarum sanctarum[b] exemplis dulcissimis condiebat. Eius autem ori iusticia sive legum iudicia aut sacrae lectionis[c] assiduitas numquam deerat. Prudentiam in eo laudare non est necesse, cum non solum ex palatio, sed etiam ex diversis regionibus maximus hominum numerus ad intelligendum eius consilium cucurrissent[d]. Frequentationi[e] ieiuniorum, elemosinarum, vigiliarum et orationum ita erat intentus, ut pauci nostrae aetatis viri huic possent adaequari. Nam nisi infirmitate compellente vel maxima necessitate cogente, pane, holeribus et pomis tantummodo vitam aluit. Assidue vero cunctis putantibus, quod vinum[f] bibisset, aqua se refecit. Saepissime autem post tertiam vel[g] quartam vigiliam noctis cum quodam sibi familiarissimo, cui, ne aliquis hoc ab eo cognosceret, summopere interdixit, omnes civitatis plateas tacitus circuivit omnesque angulos et foveas perlustravit, et ubicumque pauperes sive infirmos invenit, elemosinarum solatia larga manu illis impendit. Cotidie quippe ante lucem intra oratorium se clausit, ibique[h] usque ad horam diei primam permansit, et quid intus ageret, non nobis sed soli Deo cognitum est. Cotidianis missarum officiis[i] animo infatigabili tam pro defunctis quam pro vivis sacrificia offerre non distulit. Pauperes eum[k] quasi patrem habebant et ex locis longinquis[l] frequenter ad eum veniebant, quorum nullum inconsolatum abire permisit. Quoties vero subitaneae mortis incursio sive aeris terror vel sevitia inimicorum seu alicuius adversitatis periculum imminebat, statim convocatis fratribus orationum ac ieiuniorum constantia hoc superabat. Ecce coram Deo et angelis eius veritatem scribo. Ergo[m] assidue in unum congregati, dum eius varias virtutes collaudaremus, fateor, nos iam hoc divinasse, quod verum est, illo mortuo in hoc loco[n] nullum sui consimilem[o] tam clarisima vita esse futurum. Nam quamvis aegritudine detentus, in Dei servitio tamen mansit invictus[p]. Monasterium enim in honorem sancti Martini consignavit. Sed muro[q] ex parte peracto, regalis[r] crebrositate serviminis et maxime assidua infirmitate necnon variis adversitatibus impeditus, proh dolor! peragere non potuit; et ita illud monasterium quasi semifactum usque hodie remansit[s].

1024. Iul. 13. 21. Post haec[t] vero[u] imperator Heinricus moritur, eiusque[v] corpus ad Babumberg effertur[w] ibique cum maximo honore sepelitur. Quo mortuo, Conradus iuvenis, quem[x] supra diximus[15] ab episcopo in Dei timore nutritum et doctum, Dei gratia favente summa rerum potitus est. Post hinc biennium, quam rex in regni solium est sublimatus, 1025. Iul. imbecillitas virium servo Dei ultra[y] solitum accrescere coepit. Cumque languore nimio aegrotaret, intra civitatem se recepit, diem[z] et horam futurae redemptionis exspectans. Et cum aliquanto tempore aegritudine magna detineretur, legati regis ad eum veniebant, qui in proxima hebdomada regem esse[a] venturum nunciabant. De hac legatione servus Dei conturbatus, pro infirmitate sua multum doluit, quia neque[b] regem digne suscipere nec servitium se dignum pro infirmitate potuisset[c] praebere. Inter haec verba ad consuetam conversus consolationem, oratorium intravit et ianuam post se clausit, ibique diem integrum in oratione permansit. Cum sero autem factum esset, more solito discipulos convocari[d] praecepit, laudibusque vespertinis peractis, cum laetitia est regressus, nobisque omnibus[e] Dei gratia repraesentatus est validus. Ita quippe omne spacium quod[f] rex nobiscum fuerat, quasi impetratis induciis, validus erat. Discedente autem rege, Triburiam[16] cum eo ivit, ibique tres dies mansit. Deinde accepta licentia cum abiret, regem se [ultra[g]] non visurum, multis audientibus quasi ioculando praedixit. Cumque Wormaciam venisset, dysenteria morbo[h] ultra modum comprimebatur.

a) discretionis 2. b) sanctorum 2. c) sacra hominis 2. d) concurreret 2. e) Frequentatione 1. f) vino se refecisset, aquam bibebat. Saepe 2. g) sive 2. h) i. se u. ad h. d. p. 2. permansurum fecit 2. i) solemniis et o. 2. k) enim q. p. h. eum 2. l) propinquis 2. m) et ergo 2. n) *deest* 2. o) similem 2. p) 2. *add. rubram:* Quomodo monasterium sancti Martini incepit sed non perfecit. q) multa 2. r) regulis causae cerebrositate et 2. s) permansit 2. *ubi Kirsgart. add.* Imperator tamen Otto tertius aliqua bona in Bopardia monasterio illi contulit *et deinde rubram subiungit:* De morte Henrici sancti imperatoris et de substitutione Conradi quem dominus Borchardus nutrivit. t) hoc 1. u) sanctus 2. v) et eius c. in bamberg 2. w) offertur 1. x) de quo s. d. quem dominus Borchardus enutrivit in Dei timore et docuit 2. y) ultimum 2. z) d. et h. f. r. e. *desunt* 2. *sed infra post* detineretur *exstant.* a) illuc esse 2. b) nequivit 2. c) potuit 2. d) convocare in unum 2. e) *deest* 2. f) quo 2. g) *deest* 1. h) *deest* 2.

15) c. 7. 16) Ibi rex fuit d. 26. Iulii.

1025.

22. Quadam vero die cum corpus ad occasum vergere intellexisset, convocatis discipulis, oratorium intravit, omnibusque[a] debitoribus suis commissa adversum se piacula[b] dimisit, et bannitos seu a se[c] anathematisatos clementer absolvit, eisque omnibus scripta absolutionis singulariter direxit. Deinde aqua purissima totum se lavit, et collum ac[d] barbam atque coronam radere iussit, indutisque vestibus puris, suos milites atque[e] clientes necnon et alios qui aderant ad se intrare praecepit. Tunc universis magno fletu singultantibus, vir Dei vix[f] qua poterat manu silentium indicens, ait: *Patres venerandi, fratres amandi, filioli dilectissimi, vestro auxilio apud Deum iam indigeo. Multum enim doleo, quod vos usque modo negligenter praecedebam meque ultra modum supra[g] vos superbe exaltabam[h], et non, ut iustum erat, vos honorificabam nec diligebam. Sed superbia illa quid mihi modo proficit[i], vel arrogantia quid me adiuvat[k]? Multum mihi nunc obficit[l] multaque[m] mihi offendicula parit. Hesterno namque[n] unus fui ex ditissimis[o], sed iam expecto, quod[p] mox futurus sim quasi stercus et cinis. Talis enim[q] est gloriatio[r] nostra[q], talis et dominatio mundana[s]. Nudus quippe egressus sum de[t] utero matris meae, nudus[u] revertar illuc, nihil praeter peccata[v] mecum reportans, nisi Dei misericordia[w] exhortante aliquid boni fecerim, aliquando hoc apud Deum me inventurum esse spero. Ecce nunc sum lotus; ecce viam longissimam iturus, legationem durissimam expecto paratus. Ex his miseriis facile cognoscere potestis, liventes[x] mundanarum rerum gloriationes quam fragiles et instabiles sint[y], quam plenae mali, quam caecae futuri[z]; quas per speculum nunc cognosco quasi in aenigmate, quamvis eisdem adhuc subiaceam ex parte. Ergo cui servivi ab initio[*], Deo meo, regi sempiterno, me meaque omnia indubitanter committo, ut ipse me[a] defendat et secum illuc perducat, ubi anima mea terribiles occursus non timeat.* Talibus dictis nos admonebat, et verbum Dei non humane sonans docebat; tandemque corporis sui dissolutionem aperte pronunciabat. His dictis finitis, cum maxima tristitia foras exivimus, et tanti pastoris interitum omnes in commune lamentando flevimus. Tunc principes qui aderant intrantes, thesaurarium et cameram, ubi pecuniam putabant reconditam[b], diligenter angulos omnes perscrutati sunt, et tandem scrinia librorum voluminibus plena spe pecuniae subvertentes, vano fortunae labore illusi[c] sunt. Nam praeter thesaurum ecclesiasticum nec aurum nec argentum ibi invenerunt[d], exceptis tribus tantum denariis, quos vir sanctus in wantone[e. 11] suo reliquit, quando alios pauperibus 11 erogavit. Igitur soror ipsius, de qua supra diximus[12], abbatissa venerabilis, in orationibus[e*] et vigiliis perdurando, ab eo non discessit[f].

Aug. 20.

23. Cumque dies paucos maxima infirmitate aegrotaret, nocte[g] quadam, antequam diesceret[h], Dei servus de lecto se erexit, et oculis ac manibus in coelum intentis[i], diutius oravit. Illi autem qui aderant labia eius moveri videbant; sed quid oraret, quamvis caute intenderent, penitus non intelligebant. Deinde in lectum se deponens[k], sororis dexteram[l] tetigit[m], et dixit: *Ecce quod concupivi iam video.* Deinde dixit[n]: *Dominus vobiscum.* Hoc cum tertio diceret, Redemptori nostro, cui servivit, quem amavit, quem quaesivit, quem semper optavit, spiritum immaculatum reddidit. Habuit autem servus Dei quoddam scrinium, quod nullus nostrûm aliquando apertum vidit. Huius quidem clavem sorori commisit, ut quicquid [interius[o]] invenisset, in dilectionem et memoriam vitae suae habuisset. Quae[p] statim post obitum fratris, quibusdam convocatis ex nostris, dicta illius narravit et tunc scrinium aperuit. Invenimus autem in[q] eo cilicium hirsutissimum et catenam ferream ex una parte quasi ex usu contritam. Quod ut vidimus, primum, contra Dei famulum[r] saepe nos negligenter deliquisse, tunsis[s] pectoribus communiter[t] doluimus. Deinde eius felices actus apud Deum ita tectos[u] et absconsos[v] digne admirantes, gratiarum actiones Deo nostro non sine lacrimis pro eius

a) que *deest* 2. b) paucula 2. c) b. et a. 2. d) et b. ac 2. e) et 2. f) *deest* 2. g) super 2. h) extollebam 2. i) profuit 2. k) arrogat adiuvat 2. l) obfuit 1. officit 2. m) que *deest* 2. n) n. die 2. o) doctissimis 2. p) quam 2 q) *deest* 2. r) congloriatio 2. s) humana 2. t) ex 2. u) et n. 2. v) p. mea 2. w) me m. 2. x) lugentes 2. y) sunt 1. z) futurae 1. *) abitro 1. a) *deest* 2. b) absconditam 2. c) elusi 2. d) a. inveniebant 2. e) vir Dei in sacculo 2. e*) o. suis 2. f) recessit 2. g) n. q. *desunt* 2. h) descederet 1. i) intentus 2. k) reponens 2. l) dextera 1. m) attigit *rec. manu corr.* tetigit 2. *cod. Francof. et ita adnotatur in marg. cod. Hamb.* n) inquit 2. o) *deest* 1. p) Quod 1. q) *deest* 2. r) servum dei nos 2. s) saepe t. 2. t) *deest* 2. u) rectos 1. v) et a. *desunt* 2.

11) i. e. chirotheca, gallica *gant.* 12) c. 12.

1025. vita retulimus. Aderant in exequiis eius sui milites, viri venerabiles et illustres, corpusque[a] eius per omnia monasteria circumferentes, ad sedem principalem tandem detulerunt. Ibique ab universis fratribus venerabiliter acceptum, solitis custodiebatur officiis. Postera autem die in eadem ecclesia in choro occidentali, videlicet ante altare sancti
12 Laurentii, honorifice sepultum est[b. 12].

24. Sed ubi nunc sunt illi pestiferi, qui vitam et actus viri Dei venenosis linguis carpentes, multa, quae nec dici licitum est, super illum suosque fideles variis obtrectationibus mentiti sunt? O miseros et profanos, totius honestatis oblitos! O totius virtutis inscios totiusque pietatis nudos et sola ventris ingluvie saginatos! O totius bonitatis steriles, nihil huic simile facientes, sed spem suam seculo salutemque sepulchro supponentes, qui servi Dei facta mendaciis lacerabant, sed ipsi talia facere nesciebant; quorum Deus venter est et gloria eorum in confusione, qui terrena tantum sapiunt et quae Dei sunt penitus nesciunt. Hic autem sacerdos Christi toto animo totisque viribus ad Deum conversus, quicquid boni fecit, Christo soli cognoscendum diligenter abscondit, et inanes favores similiter et hominum obtrectationes parvi pendens surda aure transivit, qui tantum Deo placere studuit. Ergo fructum aeternum apud Deum pro talibus illum acquisisse et praemia sempiterna pro secularibus eum recepisse, speramus ac firmiter credimus, et ut cum Christo manens sempiternum habeat sacerdotium, praestante domino nostro Iesu Christo, cui sit laus et gloria per infinita seculorum secula, Amen.

a) que *deest* 2. b) anno Domini Mxxv. secundo anno Conradi imperatoris. Ubi nunc sunt, qui felices actus viri sancti venenosis linguis carpentes saepe opera eius parvi pendebant et annihilabant? Nunc ut pie credimus regnat cum Deo Abraham in excelsis illis et perpetuis gaudiis, Amen. *ita desinit* 2.

12) Sepulchrum paulo supra pavimentum eductum claudebat lapis hemisphaericus, addita hac epigraphe:

Hic iacet Buggo quondam istius loci episcopus.

Ita Schannat Hist. Worm. I. p. 334.

EX VITA S. ROMUALDI

AUCTORE PETRO DAMIANI

EDENTE G. WAITZ PH. D.

1 *Sanctus Romualdus ex nobili genere ortus*[1], *primum monasterium Classense intravit*[2], *postea heremiticam vitam elegit, in qua rebus pie actis, multis monasteriis fundatis, discipulis fere innumerabilibus educatis, ordine quem dicunt Camaldulensem instituto, maxima apud omnes auctoritate pollebat, et anno Domini* 1027. *mortuus*[3], *magnum apud posteros reliquit nomen. Quo Petrus Damiani, vir sui temporis celeberrimus, cuius vitam hic enarrare lon-*

1) c. 1: *Romualdus igitur Ravennae civitatis oriundus ex illustrissima ducum fuit stirpe progenitus . . . Huic pater erat nomine Sergius.* 2) c. 2: *Honestus autem, qui tunc Ravennae archiepiscopalem cathedram obtinebat, olim Classensi coenobio abbas extiterat.* 3) c. 69: *Vixit autem vir beatissimus* 120 *annis. Ex quibus* 20 *expendit in seculo, tres in monasterio duxit,* 97 *in heremitico transegit proposito.* Id quod nullo modo stare potest. Nam ita Romualdus a. 907. natus iam a. 927. monasterium ingressus esset, quum tamen Honestum, qui tunc Ravennatem archiepiscopatum tenuisse dicitur, a. 971—983. sedisse constet, et Petrus Urseolus, quocum Romualdus post tres vel quatuor annos in Galliam secessisse narratur, a. 976. Venetiae reliquerit ducatum.

gum est[4], *ut res ab illo gestas memoriae traderet permotus est. Qua de re* 4 *in prologo suo ita loquitur:*

„Ecce enim tria iam fere lustra transacta sunt, ex quo beatus Romualdus, deposito carnis honere, ad aetherea regna migravit; et nemo adhuc ex huiusmodi sapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitae eius praeconiis pauca saltim historico[a] stilo digereret, et avidissimae devotioni fidelium satisfaciens, ad communem utilitatem recitanda legivo[b] sanctae ecclesiae traderet[c]. Nobis autem in angusto cellulae angulo residentibus, utilius erat, sicut proposuimus, propria peccata ad mentis[d] oculos assidue revocare, quam alienae virtutis historiam texere; magis expediret, commissi reatus tenebras plangere, quam splendida sanctitatis insignia imperitis sermonibus obfuscare. Verumtamen cum ad sepulcrum eius ex longinquis terrarum[e] partibus toto anno, maximeque in eius festivitate fidelium multitudo conveniat, miracula per eum divinitus[f] facta conspiciat, audire vitae eius historiam desiderabiliter quaerat, sed, utpote quae non sit, audire non valeat: non irrationabiliter pertimescimus, ne celeberrima eius fama, quae adhuc populi tocius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur. Quapropter hoc timore compulsus, multorumque fratrum[g] precibus et germana caritate devinctus[h], quod de praedicto mirabili viro ab egregiis eius discipulis didici, aggrediar, Deo auctore, describere, vitaeque eius inicium, cursum et finem, nimirum inperitus homo non historiam texens, sed quoddam quasi breve commonitorium faciens, quibuscumque temptabo litterarum apicibus exarare. Hoc autem unum in primis lectorem meum nosse[i] desidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego descriptiuncula colligam, sed potius, quod ad aedificationem omnimodis attinet, conversationis eius ordinem referre contendam".

Haec vita, circa annum 1040. *in S. Vincentii monasterio prope Petram-pertusam scripta*[5], *quamvis ad res Italicas praesertim ecclesiasticas cognoscen-* 5 *das valde faciat, nimis tamen longa est nimisque rebus a nostro proposito alienis immoratur, quam ut integra hic possit prodire. Quae vero de familiaritate, quae inter imperatores et sanctum virum intercedebat, referuntur, vel de discipulis eius, inter quos Bruno sive Bonifacius claret, ad Prussos et Ungaros convertendos missis narrantur, praetermittere nequimus, iisque alia quaedam adiicimus notatu digna.*

Haec vero ad manus fuere subsidia:

1) *C. Parisiensis Nro.* 2470. *(Colb.* 284.*) mbr. saec. XIV. fol. max., qui in Italia, ut videtur, exaratus, inter Petri Damiani opera fol.* 108′—127. *hanc vitam diligenter scriptam exhibet.*

2) *C. Heidelbergensis, olim Salemensis, mbr. fol. s. XIII. a. V. Cl. Baehr, bibliothecario primo Heidelbergensi, nobiscum benevole communicatus, ubi vita f.* 28—55′. *exstat, cuius textus quidem mendis non caret, in gravioribus vero ubique cum* 1. *convenit. In utroque codice index* 72 *capitulorum operi praemittitur.*

3) *Constantinus Caetanus in secundo Operum Petri Damiani volumine Romae* 1608. *p.* 225. *hanc vitam ex codice quodam optimae notae integram et genuinam edidit, quum eam iam antea Surius (III. p.* 705. *ed.* 2. *p.* 812.*), sermone ubique mutato, luci dedisset. Cuius textum depravatum ab Henschenio (Act. SS. Febr. II. p.* 104.*) genuino saepe praelatum, a Mabillonio vero (Act. VI,* 1. *p.* 280.*) esse receptum, non possum quin valde mirer.*

G. WAITZ.

a) historice dig. 2. b) *in marg.* lconi 2. *i. e.* lectioni. c) tradidisset 3. d) ad mentem a. 3. e) *deest* 2. f) d. p. e. 2. g) p. f. 2. h) deuictus 2. i) d. n. 2.

4) Vitam a discipulo conscriptam v. Mabillon Act. VI, 2. p. 247. 5) c. 57: *Alius frater Gaudentius nomine, abbatis videlicet huius monasterii sancti Vincentii pater.* Huic monasterio Petrus praepositus est; v. eius Vitam c. 18.

5[a]. Eodem vero tempore Petrus, cognomine Ursiolus[b], Dalmatici ducatus gubernabat habenas. Qui videlicet ad huius fastigium dignitatis ascendere idcirco meruerat[c], quia decessoris sui, Vitalis[6] scilicet Candiani, peremptoribus fautor extiterat. Cur
974. Aug. autem ille a suis[d] extinctus sit, non ab re esse arbitror, si servatae[e] compendio brevitatis exponam. In coniugium namque germanam[7] Hugonis[f] magni[g] illius marchionis acceperat, et aemulatione leviri[h] suadente, multos ex Longobardiae[i] et Tusciarum partibus milites, profligatis pecuniarum stipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolae[k] non ferentes, clam iniere consilium, ut repentino impetu ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo sua in ore gladii absque ulla retractatione necarent. Huius denique conventiculae[l] coniuratione comperta, Vitalis dux nocturnis diurnisque[m] vallatus excubiis, hostiles insidias ad nichilum redigebat. Illis autem haec et illa temptantibus, set ad inceptae factionis effectum attingere non valentibus, tandem visum est, ut domum Petri, quae ducis palatio adiacebat contigua, prius incenderent, istoque modo et ducem caperent et universa eius domestica concremarent. Istius vero rei experiendae consensum a Petro, qui eorum consilii[n] particeps fuerat, flagitantes, huius[o] tandem mercedis foedere pacti sunt, ut pro una eius domo, quam igne consumerent, totam ditioni illius Venetiam subderent; et deleto illo, quem exosum habebant, ducem hunc loco eius protinus subrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus est principatum. Qui postmodum ambitionis suae iam voluptate potitus, respectu divinae gratiae demum corde compunctus est. Quidam autem venerabilis
8 abbas, Guarinus[p] nomine, ex ulterioris Galliae[8] finibus orationis gratia per diversas mundi regiones peregrinari solitus erat. Hic quoque ad ducem veniens, ab eo protinus, ut sibi ad evadendum tanti reatus periculum[q] consultum praeberet, exactus est. Accersitis igitur Marino et Romualdo, hoc sibi communi iubetur sententia, ut seculum simul cum ipso, quem per nefas[r] invaserat, ducatu relinqueret; et quia ad alienae dominationis arcem iniuste[s] proruperat, ipse se alienae potestatis dominio subiugaret. Ille autem homo, nimirum in potestate positus, quia conversionem suam manifeste facere ausus non est, tutum[t] putavit hoc utendum esse[u] consilio. Imminente[v] igitur festivitate sancti cuiusdam martiris, ex cuius vocabulo basilicam in propria possessione adhuc privatus habuerat, illuc pridie uxorem suam praemisit, ipse quasi mox secuturus; hoc ei praecipiens, ut et ornatum ecclesiae accuratissimum provideret, et secum venientibus sumptuosas epularum delitias in crastinum praepararet[w]. Ipse autem post coniugem remanens, his[x] de suis thesauris quae sibi videbantur ablatis, cum quodam suo[y]
976. Sept. 1. familiari, Iohanne scilicet Grandenico, qui praefatae coniurationis conscius fuerat, et cum tribus illis beatis viris[z] quos praeposuimus, navem ascendit, deinde Galliam[*] ad monasterium abbatis Guarini[a. 9] magnus conversus aufugit. Petro igitur et Iohanne
10 monachis in sancti Michaelis coenobio[10] factis, Marinus et Romualdus non longe a monasterio degentes, ad singularem vitam, qua[b] assueti fuerant, revertuntur. Quibus etiam ipsi iam dicti fratres, peracto vix annuo[c] spatio, ad perferendam eiusdem solitudinis districtionem aggregati sunt.

22. Eodem vero tempore iunior Otto[d] imperator Classensem abbatiam ordinare desiderans, optionem fratribus dedit, ut, quem ipsi vellent, indubitanter eligerent. At

a) 2. *add. rubram:* Qualiter Petrus Ursiolus et primo dux factus et postea sit conversus. b) ursiulus 1. urseolus 3. c) nequiuerat 2. d) a. s. ille 1. e) seruato 2. f) vgonis 3. g) magistri 2. h) leui 2. i) lonbardie p. atque tusc. 2. longabardiae 3. k) accole 2. l) conuenticuli 2. m) diuturnisque 2. n) consilio 2. o) huic merc. 2. p) warinus 2. q) *deest* 2. r) nephas 1. s) p. i. 2. t) tuto 2. u) *deest* 2. v) Imin. 1. w) proparet 1. x) hiis 1. *semper.* y) *bis scriptum* 2. z) *deest* 2. *) in G. 3. a) warini 2. b) cui 3. c) anno 1. d) octo 1.

6) Scriptor vitae Petri Urseoli non Vitalem, sed alterum Petrum, Urseoli decessorem vocat, Acta V. pag. 879. MAB. Ita etiam in chron. Veneto quod tribuunt Sagornino audit, ed. Zanetti p. 67. Vitalis C. Petro Urseolo successit. 7) Huualderadam, Walderadam; cf. chron. Sagorn. pag. 68. 8) Nempe ex monasterio Coxanensi in Catalonia, ut ex praedicta Petri Urseoli vita constat. MAB. cf. Act. V. p. 553. 875. cf. Chron. Sagorn. p. 72. ubi „Huuarinus venerabilis abbas sancti Michaelis monasterii, quod in Aequitaniae partibus in loco qui vocatur Cusanum situm manere decernitur“, appellatur. 9) cf. infra c. 11: *Alius quidam comes, Olibanus nomine, in eisdem Galliarum partibus erat, sub cuius iure monasterium quoque praedicti Guarini abbatis fuerat positum.* Et de ipso plura c. 15. narrat. 10) Coxanensi.

illi continuo unanimiter expetunt Romualdum. Imperator autem diffidens, beatum virum ad regiam aulam evocari posse per nuntium, ire ad eum per semet ipsum voluit, et ad cellam eius, sole iam occidente, pervenit. Cui Romualdus, quia magnum hospitem in parva domo susceperat, lectulum suum ad quiescendum dare dignatus est. Coopertorium tamen rex noluit, quia asperrimum iudicavit. Mane autem facto, rex eum secum[a] ad palatium duxit, tandemque sibi instare, ut abbatiam susciperet, multis precibus coepit. Qui cum reluctaretur et regiae[b] petitioni assensum penitus denegaret, rex autem e contrario excommunicationem et anathema ab omnibus episcopis, archiepiscopis[c] et toto sinodali concilio minaretur, tandem imminente[d] necessitate succubuit, et animarum regimen coactus accepit. Referebat tamen[e], hoc sibi nequaquam videri novum, set ante quinquennium sibi fuisse divinitus revelatum. Regebat itaque monachos sub districta[f] regulae disciplina, neque alicui ab ea declinare impune licebat; non denique nobilis, non litteris eruditus per actus illicitos in dexteram[g] laevamque partem deflectere[h] vel a rectae conversationis audebat rectitudine[i] deviare. Vir denique sanctus cordis oculos in caelum figens, ut Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere. Hoc autem suscepti[k] fratres sero considerantes, semet ipsos prius accusant, quia hunc sibi praeesse poposcerant; deinde multis eum detractionum susurrationibus lacerant et duris scandalorum aculeis vexant.

23. Romualdus itaque videns, et suam perfectionem aliquatenus minui, et illorum mores proclivius in deteriora converti, regem impiger adiit, et eo non leviter reluctante[l] una cum archiepiscopo[m] Ravennate, in utriusque conspectu[n] virgam proiecit, et monasterium dimisit. Porro autem rex Tiburtinam tunc[o] civitatem obsidebat[11]. 1001. Cives enim inclitum eius ducem Mazolinum[p] nomine interfecerant, ipsum quoque regem correptis armis de[q] suis moenibus exturbarant[r]. Unde non dubium est, beatum Romualdum illuc[s] ex divina providentia missum, qui imminens tot animarum periculum sequestra pace delevit. Hoc etenim inter eos pactus est, ut Tiburtes ad honorem regis murorum[t] partem diruerent, obsides darent, ducis vero interfectorem ad eius matrem catenatum dirigerent. Quae sancti viri fusis ad Deum precibus mitigata, crudeliter offenso[u] et crimen indulsit, et incolumem ad propria redire permisit.

25. Apud praefatam[v] quoque civitatem convertit beatissimus vir Tammum[w] quendam Teutonicum[x], qui, sicut dicitur, in tantum regi familiaris et carus extiterat, ut utriusque vestes utrumque contegerent, et amborum manus[y] una paropsis[z] communi saepe convivio sociaret. Crescentius namque senator Romanus indignationem regis 998. incurrens, in montem[*] qui dicitur sancti Angeli confugium petiit, et quia munitio inexpugnabilis est, obsidente[a] rege, ad defendendum se fiducialiter praeparavit[b]. Cui Tammus[c] ex praecepto regis iusiurandum securitatis praestitit; et ita ille deceptus, annitente papa, qui sibi inimicus erat, quasi reus maiestatis capitalem sententiam subiit. Cuius uxorem postea imperator in concubinam accepit. Quia igitur Tammus et fraudis conscius et periurio[d] tenebatur obnoxius, idcirco a beato Romualdo iussus est relinquere seculum. Qui mox a rege licentiam expetens, non modo facilem repperit set nimis[e] etiam alacrem fecit. Erat enim[f] praedictus imperator[g] monastico ordini valde benivolus et nimia circa Dei famulos affectione devotus. Ipse autem[h] ex eodem crimine beato viri confessus, poenitentiae causa nudis pedibus de Romana urbe progrediens, sic usque Garganum[i] montem ad sancti Michaelis perrexit ecclesiam[12]. 999. Per totam etiam quadragesimam in Classensi monasterio beati Apollenaris[k], paucis sibi adhaerentibus, 1001. Apr. mansit. Ubi ieiunio et psalmodiae, prout valebat, intentus, cilicio ad[l] carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto[m] etiam fulgentibus palliis strato, ipse in storia[n] de papiris compacta tenera delicati corporis membra terebat. Promisit itaque

a) *deest* 1. b) r. egregie 1. et regi a. 2. c) *deest* 2. d) imminenti necessitati 2. e) tunc 3. f) districte 1. g) destram 3. h) deflecte 1. i) tramite 2. k) *deest* 3. l) *deest* 1. m) episcopo rauennati 2. n) conspectum 2. o) *deest* 1. c. t. 2. p) mazolnium nece i. 2. q) a 3. r) exturbauerunt 2. s) *deest* 2. t) muros pariter 2. u) offensa 3. v) praedictam 3. w) taminum 1. tamnum 2. *saepius*. x) theotonicum 1. y) *deest* 2. z) parapsis 2. parobsis 1. *) monte 2. a) o. r. *desunt* 2. b) properauit 2. c) tamen 1. d) periurgio 2. e) nimium 3. f) autem 1? g) *deest* 2. h) etiam 2. a. rex 3. i) in G. 3. k) apollinaris 2. 3. l) a carne 2. m) Lecto — terebat *desunt* 2. n) storea de papiriis confecta 3.

11) V. Vitam S. Bernwardi c. 23. Balderici chron. I, 114. 12) V. Vitam S. Nili supra p. 617.

1001. beato Romualdo, quod imperium relinquens, monachicum susciperet habitum; et cui innumeri mortales erant obnoxii, iam ipse pauperculo Christo[a] subiectus coepit esse debitor sui.

26. Romualdus igitur cum eo, quem praediximus, Tammo, et cum Bonifatio viro clarissimo, quem nunc felicissimum martirem se habere Russiana[b] gloriatur ecclesia, et cum aliis conversis[c] Teutonibus, a Tiburis[d] opido ad monasterium sancti Benedicti, quod in Cassino constitutum est monte, devenit. Ibi nempe graviter infirmatus est, set cito ex divina misericordia[e] convaluit. Habebat autem equum satis egregium, quem
13 sibi Busclavi[f] Sclavonici regis[13] filius dederat[g], factus ab eo monachus. Hunc vir sanctus humilitatis studio permutavit, et lucroso concambio asinum laudabilis negotiator accepit. Nimio quippe Redemptoris nostri desiderio, qui asellae[h] tergo consederat, vir venerabilis hoc ipsum animal libentius equitabat. Cum his igitur omnibus superius nominatis Romualdus ad Pereum[14], ubi dudum habitaverat, rediit. Ibi denique his et aliis multis fratribus aggregatis et per cellas singulas constitutis, tanto fervore heremiticae conversationis rigorem et in se et in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret, quis non immutationem divinae dexterae praedicaret, cum vidisset prius homines sericis[i], immo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos[k], omnium delitiarum affluentiis assuetos, nunc eos cerneret uno birro contentos, inclusos, discaltiatos[l], incultos, et tanta abstinentiae ariditate contritos? Faciebant autem omnes[m] opera manuum, alii scilicet coclearia, alii nebant, alii retia nectebant[n].

27. Quorum tamen omnium vitam beati Bonifatii[15] conversatio longius transcendebat. Hic denique regis fuerat consanguineus et ita carus, ut rex illum non alio vocaret
16 nomine nisi anima mea[16]. Erat autem adprime liberalium artium doctrinis instructus, maximeque in modulationis musicae studiis approbatus. Hic itaque cum in capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui martiris Bonifatii, mox exemplo sui aequivoci ad martirii desiderium provocatus, ait: *Et ego Bonifatius vocor; cur ergo etiam ipse Christi martir esse non debeo?* Deinde quoque iam monachus factus, tanta se abstinentiae frugalitate constrinxit, ut saepe dominicis diebus et quinta tantum feria per ebdomadam manducaret. Nonnumquam vero[o] si urticarum vel etiam veprium cerneret densitatem[p], illuc se proiciens volutabat. Ex quo cum quidam frater aliquando eum corriperet, dicens: *Ypocrita[q], quare hoc ad captandos popularis aurae rumores coram omnibus facis?* nihil aliud respondit: *Tui sint[r] confessores, mei sint martires.* Cum vero post diuturnam heremiticae conversationis vitam ad praedicandum iam[s] ire disponeret, Romam primitus pergere studuit, et ab apostolica sede consecrationem archiepiscopatus accepit. Retulit michi quidam senex monachus, qui eum illuc comitatus de Ravennae finibus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis cum omnibus quidem qui eum sequebantur pedester ibat, set ipse iugiter psallens, et ceteros longe praecedens, nudis[t] semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris cotidie comedebat[u], set per singulos dies de medio pane et aqua vivens, in diebus festis, ignoto videlicet omni liquamine, cotidiano victui poma quaelibet vel herbarum radices addebat. Postquam autem consecratus est, cotidie observabat et monasticum pariter et canonicum in celebrandis horarum offitiis ordinem. Cum[v] vero iam ultramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, set venerabilis pontifex, sicut dicitur, nudis cruribus semper et plantis adeo intolerabilem frigidissimae regionis tolerabat algorem, ut volens descendere vix pedem ab subhaerente[w] ferro disiungeret, nisi aqua prius[x] calida subveniret. Ad gentiles autem postremo perveniens, cum tanta coepit fervidi pectoris constantia praedicare, ut iam nullus ambigeret, quia vir sanctus martirium flagitaret. Illi vero timentes, ne, sicut post martirium beati Adelberti[y], coruscantibus[z] miraculorum signis, Sclavonicae gentis plerique con-

a) Christi 2. *deest* 3. b) rusiana 2. c) *deest* 2. d) tyburis 2. e) miseratione 2. f) bluscaui 1. g) f. ab eo m. dederat 2. h) aselli 2. i) prius olosericis 2. k) obstipatos 2. l) discultiatos 1. m) *deest* 2. n) alii cilicia *add.* 3. o) *deest* 2. p) dempsitatem 1. q) hipocrita 2. r) sunt 2. s) *deest* 2. t) *deest* 1. u) commedebat 1. v) 2. *novum incipit caput, quod in indice non apparet.* w) a sustentante 2. x) *deest* 1. y) aldeberti 1. adilberti 2. z) corrusc. 1.

13) regis Poloniae. 14) prope Ravennam. 15) V. Thietmar. VI, 58 et supra pag. 578. 16) De Brunone, qui papa electus est Gregorius V., cogitare videtur.

versi sunt, ipsis quoque similiter eveniret; longo tempore a beato viro manus artifitiosa 1000. malitia reprimunt, et cupidissimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter parcunt. Cumque ad regem Russorum vir venerabilis pervenisset, et constanti animo praedicationi vehementer insisteret, videns eum rex squalidis vestimentis indutum, nudis[a] pedibus incedentem, opinatus est, quia vir sanctus talia non religionis[b] causa proferret, set idcirco potius ut pecunias congregaret. Promisit ergo sibi[c], quia, si ab huiusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem eius largissima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifatius itaque mox ad hospitium sine mora revertitur, pretiosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, et sic ad regis palatium denuo praesentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: *Nunc scimus*[d], *quia te ad vanam doctrinam non paupertatis inopia*[e], *sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi*[f] *quae asseris, erigantur duae excelsae lignorum catastae, brevissimo a se interstitio separatae; et igne subposito cum vaporatae fuerint, ita ut utriusque struis unus ignis*[g] *esse videatur, tu transi per medium. Quod si laesus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus tradimus*[h]. *Sin autem, quod credi non potest, sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque ulla difficultate credemus.* Cumque hoc foedus non solum Bonifatio set et cunctis qui aderant gentilibus[i] placuisset, Bonifatius ita vestitus velut missarum sollempnia celebraturus, prius cum sanctificata aqua et incenso thure[k] undique perlustrans ignem, deinde[l] stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illaesus, ut nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc rex et ceteri, qui huic spectaculo interfuerant, catervatim se ad pedes beati viri proiciunt, indulgentiam lacrimabiliter petunt, baptizari[m] se instantissima supplicatione[n] deposcunt[17]. Coepit itaque tanta 17 gentium multitudo ad[o] baptisma confluere, ut vir sanctus ad spatiosum quendam lacum pergeret et in ipsa aquarum habundantia[q] populum baptizaret. Decrevit autem rex, ut regnum relinquens filio, ipse, quamdiu viveret, se a Bonifatio nullatenus separaret. Frater autem regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifatio ab ipso rege peremptus est. Alius vero frater, qui iam a regis erat[q] cohabitatione divisus, mox ut[r] ad eum vir venerabilis venit, audire eius verba noluit; set de conversione fratris nimia adversus eum ira succensus, continuo comprehendit; deinde timens, ne, si vivum teneret, rex eum de manibus eius eriperet, in sua praesentia, circumstante Febr. non parva hominum multitudine, decollari praecepit. Statim vero et ipse caecatus est, 14. et tantus eum cum omnibus qui adstabant[s] stupor oppressit, ut nec[t] loqui nec sentire nec aliquod humanitatis offitium agere aliquatenus potuissent[u], set cuncti velut lapides rigidi et immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculsus, omnino deliberat non solum fratrem occidere, set et cunctos, qui sibi tanti reatus fautores extiterant, gladiis trucidare. Set cum illic[v] protinus advenisset, et corpore martiris adhuc[w] in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus[x] sine sensu et motu stupefactos[y] adstare conspiceret, hoc sibi cum[z] suis omnibus placuit, ut prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis divina misericordia sensum, quem amiserant[*], reformaret; deinde si acquiescerent credere, indulto crimine viverent; sin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur et[a] ab ipso rege et a ceteris christianis diutius fuisset oratum, non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, set insuper consilium quoque flagitandae verae salutis augetur. Nam continuo poenitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi sacramenta cum magna alacritate suscipiunt; super corpus quoque beatissimi martiris ecclesiam construunt. Verumtamen ego, si de hoc mirabili viro cuncta, quae dici veraciter possunt[b], virtutum dona referre temptarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia. Dum[c] igitur Bonifatii virtus proprio indigeat stilo, idcirco tamen illum cum aliis Romualdi discipulis summotenus hic memorare curamus, ut ex eorum laude, quam magnus vir gloriosus magister eorum fuerit, demonstremus;

a) ac n. 1? b) religitanus 2. (*ubi* talia *in marg. add.*). c) *deest* 2. d) inquit *add.* 2. e) paupertas sed 2. f) c. v. 2. g) *deest* 2. h) trademus 3. i) gentibus 2. quae ad. gentibus 3. k) ture 1. l) dein 1? m) et b. 3. n) supl. 2. o) c. ad b. 2. p) habuncia 2. q) *deest* 2. r) *deest* 3. s) adstapat 2. astabant 3. t) n. l. *desunt* 3. u) possent 3. v) illuc 3. w) *deest* 2. x) omnibus 2. y) stupefactus astare 3. z) et 2. *) admiserant 1. a) *deest* 1. b) p. v. r. *desunt* 2. c) Cum 2.

17) cf. Wiperti relationem supra p. 580.

1001. quatinus dum celsitudo clientium[a] auribus fidelium insonat, quam excelsus doctor eorum fuerit, ex scola quam tenuit innotescat.

28. Interea Romualdo in Pereo adhuc[b] habitante[18], Busclavus rex preces imperatori direxit, ut sibi spiritales viros mitteret[c], qui regni sui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum imperator aggreditur, et concedi sibi de suis monachis, qui illuc destinari utiliter valeant, deprecatur. Ille vero nulli suorum hoc praecipere velut ex praelationis auctoritate[d] voluit, sed in eorum voto ponens, sive manendi, sive abeundi omnibus[e] optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negotio voluntatem Dei; et ideo non illud suo, sed fratrum potius arbitrio committebat. Interrogante igitur eos rege[f] et humiliter obsecrante, tandem duo solummodo ex[g] omnibus inventi sunt, qui se ultro ad eundum promptos offerunt[h]. Quorum unus Iohannes, Benedictus alter vocabatur. Hi[i] itaque ad Busclavum euntes, in heremo prius, eo sustentante[k], manere coeperunt; et ut praedicare postmodum possent, Sclavonicam linguam laboriose discere studuerunt. Septimo vero anno, cum iam loquelam terrae plene[l] cognoscerent, unum[m] ad Romanam urbem monachum mittunt, et per eum summae sedis antistiti[n] praedicandi licentiam petunt. Iniungunt etiam, ut nuntius ille aliquos secum de beati Romualdi fratribus duceret, qui heremiticae conversationis edocti, cum eis simul in Sclavorum[o] partibus[p] habitarent. Busclavus autem volens coronam sui[q] regni ex Romana auctoritate suscipere, praedictos venerabiles viros coepit obnixa[r] supplicatione deposcere, ut ipsi plurima eius dona papae deferrent et coronam sibi a sede apostolica reportarent. Qui[s] regiae petitioni assensum penitus denegantes, dixerunt: *Nos in sacro ordine positi sumus, tractare nobis secularia negotia minime licet;* et ita relinquentes regem, ad cellam reversi sunt. Quidam vero regis agnoscentes consilium, set quid sancti viri responderint[t] ignorantes, copiosum auri pondus, quod mittendum apostolico fuerat, secum eos detulisse ad[u] cellulam opinati sunt. Deinde inter[v] se conventione pacta condicunt, ut noctu[w] heremum latenter ingressi, et monachos interficerent, et pecuniam asportarent. Quos cum beati viri temptantes irrumpere persensissent, adventus eorum causam protinus agnoscentes, confessionem inter se facere et sanctae crucis se[x] coepere vexillo munire. Erant autem ibi duo pueri, eorum obsequio ex aula regia deputati; qui, prout vires dabant, stare pro sanctis et furibus resistere nisi sunt. Fures vero reperto tandem aditu irruentes, extractis[y] gladiis omnes pariter occiderunt. Tunc thesaurum anxie perquirentes, et[z] eversis omnibus nichil invenientes, ut tanti reatus crimen obtegerent, et humana suspitio[*] non armis set flammis potius quod[a] factum fuerat deputaret, cellam incendere et ipsa conati sunt martirum cadavera conflagrare. Set admoti ignes, amissis[b] naturae viribus, nil[c] omnino consumere ullis hominum studiis potuerunt[d]. Ita enim eos ipsa etiam parietum materies repellebat, acsi pro lignis durissimi silices essent. Frustrati itaque fures in fugam se conferre nituntur; set et[e] hoc illis ex divina providentia denegatur. Tota siquidem nocte per fruteta[f] nemorum, per latitudinem saltuum, per opaca silvarum, viam anxiati sunt quaerere, quam tamen nullatenus valuerunt[g] errabundis vestigiis invenire. Set neque pugiones in vaginas recondere[h], arefactis brachiis, potuerunt. Ubi vero sanctorum iacebant corpora, copiosum lumen usque in diem splendescere et dulcissima angelicae cantilenae non desiit suavitas resonare. Adveniente[i] autem die, quod factum fuerat, regem latere non potuit. Qui ilico ad heremum cum numerosa populi multitudine festinavit; et ne fures evaderent, facta corona hominum, totam silvam undique circumcincxit. Qui tandem reperti sunt manifesti criminis rei, et ad gladios suos adhuc ex divina ultione ligati. Rex autem, quid de eis faceret, habita consideratione deliberans, hoc postremo decrevit, ut nequaquam eos, sicut merebantur, occidi praeciperet, set ferreis catenis vinctos ad sepulcra martirum destinaret; quatinus aut ibi usque ad obitum in vinculis miserabiliter viverent, aut si

a) discencium 2. b) *deest* 1. c) micteret 1. *saepius.* d) v. a. 2. e) eis 3. f) *deest* 3. g) sunt ex o. i. 3. h) offerrent 2. i) Hii 1. 2. k) subst. 3. l) perfecte 2. m) u. m. ad r. u. m. 2. n) *ita* 1. *cf.* c. 65: imperatori — quaerunt. — antistitis 2. a s. s. antistite 3. o) suavorum 1. p) *bis scriptum* 1. q) r. s. 2. r) o. c. 3. s) Quod 2. t) responderunt 2. u) ad c. *desunt* 2. v) hac inter 2. intra 3. w) nocte 2. x) *deest* 1. y) extractos omnes 2. z) sed 3. *) suspicia 2. a) q f. f. *desunt* 2. b) admissis 1 c) nichil 2. d) potuere 3. e) *deest* 1. f) frutecta 2. g) valuere 3. h) condere 2. i) Aueniente 1.

18) Reliquit hoc anno 1001. exeunte vel 1002. ineunte; v. c. 30.

sanctis martiribus aliter videretur, ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cum ad sanctorum tumulum fuissent ex praecepto regis attracti[a], mox ineffabili divinitatis omnipotentia fractis sunt nexibus absoluti. Deinde facta super corpora sanctorum basilica, innumerabilia non solum tunc, sed et[b] nunc ibi fiunt ex divina virtute prodigia.

29. Imperator autem Heinricus Busclavi consilium non ignorans, undique vias custodiri praeceperat, ut, si Busclavus Romam nuntios mitteret, in eius ilico manibus devenirent. Monachus ergo, qui nuper missus a sanctis martiribus fuerat, demum captus est et mox carcerali custodiae mancipatus. Nocte vero illum angelus Domini in carcere visitavit, et consummatos esse eos, quorum legatione fungebatur, innotuit[c]. Statimque aperto divinitus carcere, praeparatum sibi esse navigium in fluvio, quem transiturus erat, asseruit; quo festinans monachus, angelicae promissionis fidem veram esse probavit.

30. Dum[d] moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, imperator Otto monasterium ibi ad honorem[e] sancti Adelberti[f], eo suggerente, construxit. Cui contigua 1001.
Classensis coenobii praedia contulit, et ea sibi ex fiscali[g] possessione in Firmensis[h] monarchiae partibus recompensavit. Abbate ergo illic ex Romualdi discipulis constituto et fratribus aggregatis, coepit eos Romualdus sub magna tenere custodia, et docebat eos sub regulari vivere disciplina. Praecepit etiam abbati, ut in heremum secedens, per totam ebdomadam in cella consisteret, diebus vero dominicis fratres ad monasterium veniens visitaret. Qui sancti viri iussa contempnens, coepit seculariter vivere, et pede operis semel exorbitante, a rectitudinis tramite iam longius declinare. Videns ergo Romualdus, quod secundum suae voluntatis ardorem ibi laborare non posset, regem protinus adiit, et acceptae promissionis exactor, ut rex monachus fieret, insistere vehementius coepit. At ille facturum se quidem quod exigebatur asseruit, si tamen prius Romam, quae sibi rebellabat, impeteret, et ea devicta, Ravennam cum victoria rediret. Cui Romualdus: *Si Romam*, inquit, *ieris, Ravennam ulterius non videbis.* Et apertissime illi mortem propinquam[i] esse denuntians, quia eum revocare non potuit, procul dubio de eius certus interitu, dum rex Romam properat, Romualdus navim ascendens, ad civitatem Parentium transfretat. Rex itaque secundum beati viri prophetiam vix a 1002.
Roma reverti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus est.

39[k]. Interea Romualdus audiens, quia vir beatissimus Bonifatius martirium susce- 1010.
pisset, nimio desiderii[l] igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Ungariam[m] mox ire disposuit. Interim tamen dum in ipsa intentione persisteret, brevi tempore tria constituit monasteria, unum videlicet in valle de Castro[19], ubi nunc sanctissimum 19
corpus eius est conditum[n], aliud prope Isinum[o, 20] fluvium, tertium iuxta oppidum condidit Esculanum[21]. Deinde licentia ab apostolica sede suscepta, et duobus de[p] suis discipulis in archiepiscopos consecratis[22], cum viginti quatuor fratribus iter arripuit[q]. 22
Tantus enim ardor moriendi pro Christo in omnibus aestuabat, quod vir sanctus ad tale negocium cum paucis ire difficile poterat. Euntes ergo cum iam ipsis Pannoniarum finibus interessent, repente[r] Romualdus languore correptus, ulterius ire non potuit. Cumque diutius pateretur, si quando redire[s] disponeret, protinus ex aegritudine convalescebat; sin autem ire ultra temptaret, tota eius facies protinus intumescebat. Cibos quoque iam[t] retinere stomacho languescente non poterat. Advocatis itaque fratribus ait: *Perpendo*, inquit, *nequaquam divinae voluntatis esse iudicium, ut ultra progrediar. Verumtamen quia intentionis vestrae desiderium non ignoro, neminem vestrûm redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis nisibus studuerunt ad martirii culmen attingere[u]; set quia divina providentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere[v]. Licet ergo vobis[w] omnibus martirium defuturum esse non ambigo, qui tamen ire, qui mecum redire voluerint, uniuscuiusque relinquatur[x] arbitrio.* Quindecim igitur[y] Ungariam prodeuntibus, duobus alibi iam dimissis, vix septem cum magistro discipuli remanserunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur plures, dominos[z] subeunt; ad martirium tamen[*], sicut

a) adtracti 2. b) *deest* 1. c) admonuit 3. d) Cum 2. e) honore 2. f) adhelberti 1. adilberti 2. g) phiscali 1. h) firmentis 2. i) p. e. *desunt* 2. k) XXXX. 2. l) desiderio 1. m) ungriam 1. *et infra.* n) rec. 1? conditum est 2. o) insinum 2. p) e 3. q) a. i. 2. r) tunc r. 2. s) d. r. 1. t) *deest* 2. u) pertingere 3. v) manere 2. w) nobis 2. x) relinquetur 2. y) ergo 2. z) domino 3. *) uero 2.

19) in comitatu Camerinensi; de quo cf. c. 35. 20) Esino. 21) Ascoli. 22) cf. quae dicit c. 34: *fratri nomine Engelberto, qui postea archiepiscopus in gentibus factus est;* et 39: *Hic autem Gregorius archiepiscopus in gentibus postmodum consecratus est.*

vir sanctus praedixerat, non pertingunt. Romualdus autem, converso quodam nobilis-
23 simo viro, Adelberonis[a] videlicet ducis[23] consanguineo, qui postea monachus factus in
sancta usque ad mortem conversatione permansit, aliisque Teutonicis, ad monasterium,
quod in Urbis veteris[b] regione construxerat[24], rediit. Notandum itaque est, quia sanctus
vir[c] nequaquam velut[d] levitate usus falli inaniter potuit, qui secundum intentionem
quidem suam martirium subiit, iuxta divinum vero[e] consilium pro salute eorum missus
est quos convertit[f]. In praedicto igitur[g] monasterio multa persecutionis scandala pas-
sus est. Volebat enim, abbatem, ut revera monachum, extremitatem diligere, secularia
ex desiderio non tractare, res monasterii pro[h] vana gloria non expendere, fratrum
usibus necessaria ministrare. Quae omnia dum[i] ille surda aure contempnit, Romualdus
locum cum suis discipulis[k] deserens, non longe a castro praedii in virtute[l] Rainerii, qui
25 postmodum Tusciae marchio factus est[25], habitavit.

40[m]. Hic autem Rainerius coniugem suam occasione propinquitatis abiecerat, et consanguinei sui uxorem, quem ipse se insequentem quodammodo[n] invitus occiderat, in coniugium[o] copularat. Ob hoc itaque Romualdus, ne criminis eius particeps fieret, gratis manere[p] in eius possessione noluit, sed unum sibi aureum pro aqua, alterum vero pro lignis appendit. Quos cum ille omnino respueret, malens videlicet sua dare quam a sancto viro quicquam recipere[q], postremo tamen victus assensit potius quam Romualdus abiret. Dicebat autem idem Rainerius, cum iam monarchiam optineret: *Quia non imperator, non aliquis omnino mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante eius quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam, ullas excusationes invenio* . . . . . .

42. Post haec Romualdus denuo Parentium navigavit. Set apostolicae sedis antistes et Romani cives ad eum redeundi legationem dirigunt; quod si reverteretur, facturos se omnia eius praecepta promittunt; sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itaque modo suum Romualdum alumpna Italia recuperare promeruit.

1021. 65. Interea[26] imperator[r] Heinricus de ultramontanis partibus Italiam[s] veniens, misit beato viro deprecatoriam legationem, ut ad eum venire dignaretur, promittens se facturum quaecumque praeciperet, si suum ei colloquium non negaret. Cumque venerabilis vir prorsus abnueret silentium frangere, coeperunt omnes discipuli unanimiter illum obsecrare, dicentes: *Magister, vides, quia nos, qui*[t] *te sequimur, tanti iam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus. Vade ergo, si placet, et imperatori*[u] *magnum aliquod monasterium quaere, et multitudinem te sequentium ibi*[v] *constitue.* Quibus vir sanctus, nescio si accepta iam revelatione aut subita Dei inspiratione, fidenter scripsit: *Scitote, quia Montis Amiati monasterium ex dono regis habebitis; considerate tantummodo, quem illic*[w] *abbatem constituere debeatis.* Igitur inviolato silentio perrexit ad regem. Cui rex protinus assurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: *O utinam anima*[x] *mea esset in corpore tuo!* Quem mox, ut loqueretur, suppliciter obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit. Postera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Teutonicorum[y] multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita salutantes humiliter flectunt, villos quoque pellitiae vestis, qua erat indutus, anxie decerpentes, pro sacris reliquiis in patriam portaturi, studiose recondunt. Quae videlicet res venerabilem virum tanto moerore deiecit, ut nisi discipulis obstantibus acquiesceret, ad cellam protinus repedaret. Ingressus igitur ad regem, non pauca sibi locutus est de restituendo iure ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum. Et post multa unum sibi pro suis discipulis monasterium petiit. Cui postmodum rex Montis Amiati monasterium tradidit, et abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras eiecit. . . . . .

a) adhilberonis 2. adhelberonis 3. b) urbe ueteris regionis *corr.* regione 2. c) *deest* 2. d) *deest* 2. e) *deest* 2. f) conuertat 2. g) ergo 2. h) ex 2. i) diu 2. k) d. s. 2. l) predii in potestate *in loco raso* 2. m) XLI. 2. n) q. i. *desunt* 2. o) coniugio 2. p) *deest* 2. *qui post* noluit *add.* habitare. q) accipere 2. r) *deest* 2. s) in It. 3. t) *deest* 2. u) imperatore 1? v) *deest* 1. w) illuc const. 2. x) e. a. m. 2. y) theut. 1.

23) Quis fuerit nescio. 24) *in possessione Farulfi comitis,* c. 37. 25) cf. Muratori Antt. Ital. I. p. 300 sqq. 26) Capite praecedenti Romualdum Bifurcum secessisse narratur; quod cum Heinricus imperator d. 31. Dec. a. 1021. Romualdo confirmaret (Ughelli II. p. 493.), de hoc tempore Petrus Dam. iam loqui videtur.

INDEX RERUM

auctore G. WAITZ, Ph. Dr.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

S.

T.

U.

V. cf. W.

W.

X. Y. Z.

GLOSSARIUM

auctore G. WAITZ, Ph. Dr.[1]

abdictatus, abdicatio 571.
abiudicare 32.
accedia, ἀκήδεια 396. *accidiosus*, tristis 369.
accurtator (?) *equus* 714.
aceolum quid sit non constat 391. 392.
adbellicare 763.
admiratus apud Sarracenos 137.
advocatio 820. *advocatio ecclesiae* 395.
aggestus nivium 30.
alleviare, levem facere 82. 483 595.
allodium, *alodium* 24. 49. 50. 51n. 432. 726. 727. 732. 733. 734. 737.
alt-oudal, hereditas a proavis relicta 384.
amandi (?) 41. l. 34.
ambulator, equus 394. 807. *ambulatorius* 748.
amphipendulatus 552.
anastasis, ἀνάστασις 446*.
angaria 89. 269.
antiphonarius quod alias antiphonarium 118.
antistitium 64.
aorasia, ἀορασία 466 n. f.
apolegium 239.
apostolatus 774.
apparatura, ornamentum 167.
arcellare, sepulchrale 568.
archidux 261. 279. 467.
archilogoteta, archicancellarius 743.
archisacerdos, archiepiscopus 746.
archiva 57.

1) Omisi 1) verba quae in scriptoribus medii aevi praesertim ecclesiasticis ubique leguntur; v. gr.: *casula* (46. 49 etc.), *completorium* (242 etc.), *oratorium* (ecclesia), *parrochiana* ecclesia (797), *praebenda* (821n. 840), *refectorium*, *synaxis*, *sinaxis*, *symmysta* (566), *vicedominus*; *archicancellarius*, *bibliothecarius* (v. ind.), *hostiarius*, *oblationarius* (379n. 774), *primiscriniûs* (345. 779), *regionarius* (379n.), *scriniarius*. 2) formas diminutivas, quales quam plurimae occurrunt, e. gr.: *ammonitiuncula* (560), *bacellulus* (420), *carminulum* (319), *criptella* (87), *dextraliolum* (parvum dextrale 167), *facultatula* (780), *fiscellula* (216), *glossula* (488), *liberulus* (525), *mansiuncula* (394), *neptula* (301), *olfactoriola* (167), *precula* (324), *rescella* i. q. recula (748). 3) adiectiva, adverbia aliaque intellectu et explicatu facillima, pleraque etiam notissima e. gr.: *apostatrix* gens (592), *clericatus* (667), *comitatus* Graffschaft 152 etc.), *deitas*, *discretivus* (494. 515), *dualitas* (566. 568), *episcopaliter* (388), *essentia* (216. 753), *essentialiter* (469), *euangelizare*, *expletivus* (570), *paganismus* (607), *patriciatus*, *proprietative* (799), *praepositura* (358), etc.

archos antistes 275.
armarius, librorum custos 144.
aromatizare 118. 133. 281. 550.
ascella 435. l. 24. 441.
asciola, parva ascia 455.
assiduari 124.
auctentum, *autentum* 592. 605.
auctorabilis 781.
auctoralis 469. 530. 701.
aurifrisium 49.
avidencia, caecitas 466 n. f.
baccinum, vasculum, becken 275.
bach, rivulus 56.
baiulus 391n.
balatores, saltatores 35.
baldekinus 615.
balivus 35.
bangum, armilla 84.
banniti 845.
bannum 1) iurisdictio 51n. 503. 802. 803. cf.395(pannum). 2)interdictum 767. 768. 779. *pannum christianitatis* 399. — *bannum* apostolicae auctoritatis 772. cf. 808. 821. — *bannum regale* 692.
bannum aureum, banner 115.
beneficium sensu quo postea feudum, lehn, his fere locis dici videtur 69 81. 89. 133. 135. 136. 145. 147. 231. 232. 233. 257. 347. 364. 365. 368. 389. 390. 393. 399. 415—418. 423. 453. 457. 458. 472. 483. 716. *beneficiare* 229n.
bernwardus explicatur: bene custodiens 756n.
biblii, artifices (qui faciunt tapetas) 428.
biblioteca sacra, biblia 342.
vilinguitas 93.
bithalassum, mari utrimque cinctum 528.
bladum 34. 35.
bruoderchin, brüderchen 62.
bullatum privilegium 80.
burgum 825.
caballicare 393. 394. 396.
calciamentoria, sutoria, ars 72.
calculatoria ars 344.
cambuta, krummstab 90. 91. *cambota* 547. 553.
camerae magister 833. *camerarius* 241. 387 etc. avaritia *cameraria* 687.
caminata 559.
camisale 412. 414. 415.
camisia 559.
campania, campus, planities 688.
campiones 146.
cancellum, altaris locus 729.
candidati, candidi, mores 729.
canonici cursus 168
canopicus, Aegyptiacus 843.
capitularia, capita, kapitel 525.
capitulum, conventus canonicorum 33. 369. 391 (*capitolum*). 416. 760. *capitula*, clericorum congregationes ab episcopo convocatae 395. — *capituli domus* 70.
cappa 138. 142. 275.
capulatus, capulo instructus 389.
caracter, impressio, vestigium laesionis, cicatrix 426.
caraxator, scriptor 556.
caristia, annonae caritas 34.
carmula, seditio, tumultus 399. 417.
carraria vini (carri onus) 358.
carriota (*carriotum*?), carrus 662. l. ult.

casare 81.
catacumba 26.
cauma, καῦμα 563.
ceilarium (idem quod cellarium?) 795n. 799.
cellerarius, cellarius 224. *cellenaria* 406.
censor, censuum collector 366.
centena 37. *centana* 49. 50.
cerevisa, cerevisia 392. 767n.
chortis v. curtis.
circulatus, circulo ornatus 277.
circumlaterum agmen, quod undique aliquem circumcingit 844.
circutare, circare, circumire 719.
cirotheca 57n. *ciroteca* 823. *cirroteca* 232. handschuh.
civilitas, popularitas, landsmannschaft 55.
claustrum, kloster 34 etc. c. clericorum 345. c. canonicorum 833. (*clustra* 343). *claustra monasterii* 84. 90. *claustrales domus* 34.
clausula, cella inclusorum, klause 453. 455. 456.
clausura, agger 459.
cliothedrum quid sit 209 n. 92.
clocarium, campanarium, gallice *clocher* 139.
cluis quid significet 209 n. 87.
clusa, cella inclusae 838.
clusae, in Alpibus 687. 688. 691. 692. 771.
coccinum, vestis coccinea? 294.
coenobiota, coenobita 409.
collectaria utilitas 573.
collectarium canonum 837.
colobium 138 n. 6*.
coloratus, color, colorit 551.
columba, vas in columbae speciem fictum 172.
commanentia 445.
compatriota 744.
complacitatio 571.
computarius (liber) 301.
computatoria ars 118.
concambiare 418.
concavarium, aquarum receptaculum 70.
concineratio, cinis, reliquiae 73.
condilosa manus, quae nodositatis morbum habet 827.
conpontifex, coepiscopus 614.
consecretalis, secretorum particeps 82. 500.
consul = comes 444. 738. *consularis* potentia 726. *consulatus* 727.
contectalis, uxor 762 etc.
conterrales, qui sunt ex eadem terra 698.
convectatio 510.
conventualis ecclesia 822.
conviator 82.
crusina 218n.
cunctatio, percunctatio 202.
cundume, campus dominicus 512.
curia regis 498. imperialis 827.
curpire, (guerpire), dimittere, abdicare 147.
curtilis 761. 771. 780.
curtis, *cortis*, (chortis 611. I. 51) 51n. 89 etc. — *curtis regia* 685. 819. i. e. aula regia 583.
daemoniosus 515.
dapifer 497.
dapsilitas 560. 642.
decapitare 589. 594.

decrustare, auri incrustationes abradere 812. col. 2. l. 22.
densescere, densari 512.
deprecatoria epistola 834. d. legatio 834.
derivatim 622.
diatim 506. 508. 760. 776.
dictales tabulae 535.
didascalus, διδάσκαλος 779.
diescere 845.
diocesiani 663.
dioctes, διοικητής praepositus 356.
diptica, διπτυχα 58.
dirotanus (diarhodinus), roseus; *dirotanum*, pallium roseum 37.
discriminalia, quae dividunt capillos per medium frontem 167.
districtio 1) severitas 838. 2) iudicium 803.
diurnare, diem exigere 684. 691.
doctilogus (doctiloquus?) 42.
doma, praedium 794.
dorsale 46.
drudes 418.
duellium et *duellum* quid sit 197 n. 29.
dunum = mons 477.
duricordes 240.
ebdomadarius 341.
egredi, extingui, ausgehen 459.
eiterhof explicatur: veneni atrium, sive: aetheris spes 571.
emicedium quid sit non constat 70. l. 45.
emunitas, immunitas 481. 804.
episcopicida 687.
eptaticus, heptateuchus 360.
eulogia 233.
excoriatus, cute et carne privatus, geschunden 40. l. 36.
extaediare, taedio affici 468. l. 1.
facitergula, mappula 155.
faltestalium, sella plectilis 125. *val destolum* 209.
fano 391.
femorale 208.
fiduciata, confisa 817.
filargia, φιλαργυρία 396.
filiastra, privigna 825.
filiatio 164. 638.
filiolatus, donum patrini 119.
filtrum, filz 540.
fiscus, locus ad fiscum regalem pertinens 43. 45. 61. f. regalis 46. 231. 571. 626. regius 56.
florenus 786
fodrum 688.
forestarium, ius foreste utendi 795n. 799
forestis, *forestus* 56. 60. 503. 795n. 797. 799. 803. 804. 837.
foronomus, φερώνυμος 265.
fossatum, fossa 33.
framea 125 n. 5*.
fraterculus, brüderchen 62.
frigoreticus, febricitans 457.
frocus, cuculla 422.
fruticellus (lege: *fructicellus*) 555 col. 2. l. 42.
gabata, concha 141 n. 6*.
gastrimargia, γαστριμαργία 396.
glossis, culmus? scandula? 403.
grangia 34.
grossus 33. 34. *grossi antiqui* 35.
gutta, macula, varii coloris locus 37. l. 41.

helfandorf explicatur: aditutorii vicus 552.
herilitas 387.
herman explicatur: homo errans 657.
hoba 417. 418.
honor, beneficium, comitatus vel simile quid 135.
hortulatio, horti cultura 85.
hypatos, ὕπατος, consul, dux 567.
iconia, icon 562.
iconomus, *yconomus*, *echonomus*, ὀικονόμος 273. 274. 280. 463.
ierichomium, γηροκομεῖον 274.
imapum, vas 358.
impedemia, epidemia 34.
imperaliter, imperative, imperando 291.
indaganter 622
indominicatus 49. *indominicata vestitura* 503.
infrunalis (137 n. 14*. *infrunalibus* legendum esse videtur), demens?
inlevitas, ponderositas 427.
insensibilitas, stupor 561.
instans, momentum, gallice *instant* 34.
interspatiari 506.
introductorius 340.
investitor 821n.
investiturae 21.
iterare, iter facere 610. 666.
kimiliarchos, κειμηλίαρχος 274.
kuninga, regina 686.
laxare, dimittere, gallice *lacher* 147.
legatarius, legatus 538. 549.
legitimare 407.
legivum, pulpitum 847.
linguare, lingua donare 464.
liti 761.
lo, obumbratio nemorum 56.
lobia vertitur obumbraculum 56.
logius sive *rationalis*, panni species 468.
lucida quid sit non constat 387. l. 40. 403. l. 27.
lunatio, lunae cursus 760.
mandaticium 773.
mansionarius, aedituus 420.
mansus 49. 89. 126. 503. 684. 761. 798.
manthum, mantellum 620.
manus dare, *reddere* 686.
manutergium, mantele 50.
manzer, ex scorto natus 133. 135. 141.
marchia v. Index.
marchicomes 551. 553. 557. *marchisa* 30.
martia, possessio (?) 22. l. 46.
martirizare 580.
massa, ager, villa 126.
matricula, ecclesia matrix, cathedralis 387. 389. 392. *matricularii*, (*matriculi* 393), clerici illius ecclesiae 389. 407. 409.
matrina (i. e. matrix) ecclesia 646.
mediastinus, medius 569.
medo, meth 35.
mensale, mappa 274. 412.
metatus, hospitium 440.
millcartifex 819.
minare, ducere, gallice *mener* 478. 608.
ministerialis 242. 783. 793. 821n. min. regis 784. m. imperialis aulae 827. — *ministerialis cera* 459. — cf. *ministeria* 390.
ministeriarches, primus ministrorum 551.

missalia (ad missam celebrandam) vestimenta 536. *missaticus* apparatus 388. *missatica paratura* 406. 413. 415.
missaticum, nuntium 447.
monachatus 588.
morbidare, morbo afficere 614. col. 2. l. 27.
morose, tarde 559. *morosus*, longus 447*.
morositas, mores 464.
mortritus, *mutritus*, occisus 32. 33.
mundiburdium Romanum 797. 803 *mundiburdus*, patronus 764.
nonna, sanctimonialis 311. 315. 316.
nonnosus, monachus senex 447.
nota Romana, *Francisca* 118.
novale 798.
nummata, pretium rei 786.
nuncupative 469.
obambulatorium 70
obauditio, obedientia 554. col. 2. l. 51.
obripilatio cutis 420.
obumbraculum 56.
occursus, exactio 80.
officiare, officio ecclesiatico fungi 465.
oraculum, oratorium, ecclesia 761.
organari, organo cantare 118.
oroma, ὅραμα, visio 56.
oudal v. alt-oudal.
palaestrale tormentum 572
palare, locutorium 768.
palificare, palam facere 555.
palliger, archiepiscopus 764. 775.
papas, paedagogus 596. 602. 603. 607.
papatus 24.
paradysus, atrium 699. *parvisium* (gallice *parvis*) 35.
paramentum, ornatus 564. 776. *paratura* 412. *p. missatica* v. miss.
paropsis, vas 849.
passionarius dies 569.
pastina 34.
pastoralitas 58.
patella, salina 80. 81. 362.
patriota 500.
peciola, fragmentum 57.
pedia pastoralis, pedum 557.
pedullaneum (betulae) lignum 419.
peripsima, res vilis 637.
permittere, dimittere 411. *permissum accipere* 404.
petaculum, baculus 73.
petalum, pedum 465.
philacterium, φυλακτήριον, amulet 498.
philosophia S. Benedicti 609.
picarius, calix, becher 767n.
pigritari, *pigritare* 563. 574.
pitatiolum, schedula 841.
placitare, pacisci 401. 417. *placitatio*, conventio 418.
placitum 105. 106. 142. 215. 232. 233. 571. 769. 771. 803. 811. *p. regale* 67. 268. *p. generale* 150. *placitum tenere* 145.
plantaria dentium (aetas) 825.
platena, vestis sacerdotalis 37.
plumacium 440.
pluralitas 381. *pluritas* 401.
plurigenus 556. 569
pluriores, plures 670. *pluriora*, plura 699. 700.
polipticum, *polepticum* 14. 61. cf. pulegium.
pontaticum 80.

possibilitas (corporis) 410. 413.
praecoquus 387. a Benedictinis: prudens explicatur.
praedicamentum 360.
praeditare 646. col. 1. l. ult.
praefectus, *praefectura* v. Index.
praemetari, praeire 826. 827.
praesidiari, praeesse 501.
praesularis habitus 501.
praestaria 47. 50. 368.
precaria 43. 44. 45. 69. 274. 368. 503. *precarium* 77. 275. *precario iure* 233.
preciositas 447*.
presbiterium 273. 742.
processionalis crux 147.
prodigiare, praesignare 187.
proficuus 401. 492. 563. 584. 600.
prolium 550.
promaiores 167.
proseucha, προσευχή 190.
protus (et iconomos), πρῶτος 273. 274.
psallentium, cantus 470.
psiathius, ψίαθος 390.
pulegium (i. q. polipticum) 38.
pulveraticum 80.
raimburgi 122.
rasta, milliare 552. 572.
rationalis v. logius.
recalciare, calceos induere 566.
reclusoria (reclusi) cellula 351.
reconditorium, locus ad res recondendas 816.
referendarius 43.
remancipare 277.
repausatio, quies 411.
rescella, recula 748.
restare, manere, raſten 61.
revadiare 46.
rihc, divitiae 384.
rubricare 556.
ruchatica (?) militia 572. l. 23.
sacellarius, qui saccum portat ut pauperibus elemosinam det 562.
sacramentarium, liber sacramentorum 362.
sagena, piscaria 799.
sagimen, adeps 80.
sagiones 371.
sagmarius 80. *soumarius* 423. *summarius* 81. *saugmarium filtrum* 540. *saumatizare*, onerare 553.
saisire 27.
sammitum, ſammt 615.
sanctitas, sancta res, reliquiae, heiligthum 447*. 459.
sarcile, vestis 412.
saumatizare v. sagmar.
saxonizare 552.
scabinio 571.
scamnale, *scannale*, stragulum 274. 275.
scena, porticus 388. 393.
scenoma, (*scenonia?*) 459 n. 39.
sclavi cubicularii 371.
scobere (ex Psalm. 77, 7) 482.
scolastica (doctrina) 360.
scotomia, σκότωμα 562.
secretarius, secretus 811.
securare, securum reddere 519.
senior, dominus 99. 100. 128. 223. 243. saepissime; maritus 307. 308. 312.
senioratus, senior, dominus, herrſchaft 459.

sensibitas, sensus 425. *sensibiliter*, prudenter 387. l. 35.

sequentia, canticum 777.

setinum, vas magnum 210.

signum, campana 45. 91. 138. 170. 174. 300. 355. 630. 815 etc.

similiarius, *similarius*, pistor 419. 420.

sintichia, *συντυχία*, conventio 554.

solitus conflictus, duellum 127.

sparadorsum 64.

spassare, sanari? 226. col. 1. l. 38.

spata 234.

spermologus, qui serit verba, praedicator 141.

spherulatae lecticae 390.

staminea, vestis interula 666.

stirpigena 549.

stroma, stratagema? 400. l. 42.

subadvocatus 821n.

subdiaconalis tunica 57n.

subsellaria pellis, quae sub sella portatur 368.

summarius v. sagmar.

symphonizare 393.

syrma, *σύρμα* 104. l. 51.

tafus, *τάφος* 402.

tambuca, baculus 73.

techna, *τέχνη* 205.

in tempesta noctis 136. 500. 501. 572.

tertiatio 570.

teutonizare 571.

textrinale officium 505.

thesauraria 134. *thesaurarium* 845

thimiamaterium, *timiamatherium* 70. 90. 142. 143. 761.

tibicen quid sit 197 n. 30.

tornotorium opus 163.

tranaticum 80.

trigeris, *τριήρης* 447*.

tripedica, sella tripes 566.

tripes 435.

tripudium, gaudium saepe. *tripudialis* 496.

tropus, *τρόπος*, canticum 142.

tucetum 210 n. 95.

tuomum, dom 393.

typifer 568.

universalitas 364.

valdestolum v. faltestal.

vaniloquium 779.

vasallus, *vassallus* 43. 163. 390. 393. 399. 448. 449. 553. *vassaticum* 772. *vassus* 773n.

vectatoria (i. e. portatilis) cathedra 132.

venia, inclinatio 391. *venialiter* 531.

venipeta, qui veniam petit aut venias (inclinationes) repetit 562.

veredarius 88.

verroniwaida explicatur: longinqua pascua 550.

vestitura 387. 767. 769. 773. *vestitura indominicata* 503.

vexillum, feudum 684. l. 16.

vicaciter 342.

vicaria 126. *vicarius* 223 n. b.

vicecomes 123. 126 etc. *vicecomitissa* 136. *vicecomitatus* 135.

villani 38. *villani presbiteri* 45.

vinigatissimus, quam maxime in vinum mutatus 818.

vinnola vox 118.

virtus, possessio? 854.

wantum, *wanto*, chirotheca, gallice *gant* 232. 845.

werra, *guerra* 22. 23. 34.

wiborat explicatur: consilium mulierum 452.

wihegaza: sanctitatis via 457.

woitech (*woytech*) nomen explicatur: consolatio exercitus 596. 582 n. k.

wolfgangus vertitur: lupambulus 527. 556.

ydolagia 55.

zaberna 423.

zabulus, diabolus 163 etc.

zoa, *ζωή* 407.

CORRIGENDA.

p. 98. l. 49. *lege:* occurrentes. — p. 125. l. 5. *in marg. l.:* 963. (pro 936). — p. 148. n. d. *pro* 1. *l.:* c. (codex 2). — p. 255. l. 31. *l.:* caeterarum. — p. 255. l. 34. *l.:* persequi. — p. 331. n. d. *l.:* 650. — p. 377. l. 6. *l.:* silvaeque. — p. 397. l. 49. *l.:* fulgebunt. — p. 532. l. 34. *l.:* Deum. — p. 580. *ita lege pro* 480; *ibid.* n. 65. l. 45. *l.:* libros. — p. 587. n. d. *l.:* cassinum. — p. 610. l. 41. *l.:* demonum. — p. 612. l. 40. *l.:* Quod, l. 41. *l.:* detrimentum. — p. 784. l. 26. *l.:* memoriam. — p. 795. n. l. 22. *l.:* indictione.

ADDENDA.

p. 9. lin. 2. notae nonnullae (e. g. a. 646—659, 895, 963, quantum non in Leodiensibus etiam annalibus habentur) ex Sigeberti chronico descriptae sunt, ut V. D. Sigefridus Hirsch Ph. D. in libro: De vita et scriptis Sigiberti Berolini 1841. p. 417. adnotavit. Quod tamen reliqui operis, ante Sigebertum scripti, auctoritatem minime afficit. — p. 27. a. 1282.: archidiaconus *legendum esse videtur.* — p. 44. n. 35. *add.:* et supra p. 37. — p. 53. *Codicis Bruxellensis apographa Bethmannus noster in bibliothecis Insulana (Lille) et Ambianensi nuper evolvit.* — p. 84. n. 20. l. 60. *pro* Cunegundis *l.:* Giselae WAITZ. — p. 137. l. 51. *fortasse* infrunalibus *legendum est; v. glossar.* WAITZ. — p. 142. n. 50. *adde:* et supra c. 49. — p. 211. l. 30. *triplex Wencezlavi corona revera est mitra, ut ex Cencii libro censuum discimus:* „Item regnum Bohemiae est censuale et tributarium ecclesie Romane. Legitur in quodam tomulo Lateranensi inter alia, quod Spitioonus, pro tunc dux Bohemie, impetravit a domno papa Nicolao, quod possit portare mitram. Et promisit se daturum omni anno centum libras argenti de tota terra sua sub nomine census ecclesie Romane; postmodum autem auctoritate ecclesie titulum regium impetravit". *Sed nec Spitingnev sub Nicolao I. sedit, nec rex factus est, nec Bohemiae postea duces auctoritate ecclesiae, sed imperatoris, titulum regium sortiti sunt.* — p. 252. nota 5. *Necrologium tamen Fuldense a.* 969. *inter alios Bobbonem archiepiscopum obiisse tradit; et Ruotgerus infra cap.* 42. *Mahthildam* divam matrem *vocat, unde dubitari posset, an liber ante eius obitum d.* 2. *Id. Mart. a.* 908. *absolutus fuerit.* — p. 253. *Bethmannus noster, hac vita iam impressa, in bibliotheca Sancti Audomari duos reperit codices, quorum prior N.* 788. *s. X. XI. scriptus (v. tabulam I.) iam mutilus, nonnisi initium usque* quid agendum sibi esset (c. 12.), *et breve fragmentum ex c.* 25. Fama autem *usque c.* 28.: consilio provisum est *continet; alter N.* 716. *saec. XIII. exaratus integer est. Uterque semper fere cum* 2. 3. *convenit, propius vero ad* 3. *accedit, ita ut a singulis lectionibus afferendis abstinere liceat (p.* 254. *n. g. uterque habet:* praegressus). — p. 275. lin 12. *Cod. Bononiensis, in quo Bethmannus hoc epitaphium legit, loco* karus *habet* clarus. — p. 275 n. 28. *adde:* et vita Mahthildis c. 9. Ex eadem fluxit p. 276. c. 5. — p. 302. n. 1. *lege:* bis tantum, in praefat. comoediarum et Ottonis. — p. 379. *Codicem Parisiensem* (1.) *una cum aliis pluribus ex bibliotheca Rebdorfensi venisse, accurata codicis descriptio ap. Hirsching*, Versuch III. p.. 479—481.

ostendit. W. — p. 381. *In codice Carlsruhano olim Augiensi (de quo sermo est infra) etiam Bernonis vita S. Udalrici exstat, neque tamen ab ipso auctore scripta: Lectiones a Stuttgardiensi codice hinc inde recedunt; ita p.* 382. *l.* 4. *pro* videlicet *melius* Vindelicae *legitur.* W. — p. 466. nota f) aorasia *in codice bis radendo in* acrasia *mutatum est.* — p. 466. n. 7. *adde:* et Pauli Diac. Gesta epp. Met. supra II. 262, ex quo Sigebertum haec hausisse, Hirsch p. 229. notavit. — p. 482. l. 13. *adde in margine:* Psalm. 77, 7. — p. 524. et 544. *Saeculo XV. exeunte Andreas Bambergensis in vita S. Wolfgangi, quam operi suo de sanctis ord. S. Benedicti f.* 55 —57. (*v. p.* 166.) *inseruit, tam Othloni quam Arnoldi librum secutus est.* W. — p. 524. *nota* 45. *delenda est. Postea enim V. Cl. Föringer nobis scripsit, quatuor huius vitae codices inter libros mss. S. Emmerammi Monacenses inveniri: A.* 34. *f.* 277—286. *s. XIII., et O.* 3. (*f.* 120—130), *O.* 4. (*f.* 74—88), *O.* 5. (*f.* 112—131). *s. XV. scriptos. Codex O.* 5. *prologum habet, ibique* Otloch *auctoris nomen profert.* W. — p. 544. l. 21. 22. *dele verba:* sed rectius — videtur. *Exstat enim homilia, ut iam pagina sequenti n.* 37. *monere potui, in codice Arnoldi autographo Monacensi. Vocabulum* abba (n. 28) *patrem, i. e. monachum indicare videtur.* W. — p. 557. n. a. b. *Andreas Bamberg. qui Arnoldum exscripsit, cum Othlono in his verbis convenit, ita ut Canisii lectio sit corrigenda.* W. — p. 565. col. I. l. 30. *loco* Orno *legendum esse videtur* ordine *Certe Gebhardus tertius secundo successit; de Ornone episcopo nemo tradit.* W. — p. 613. col. I. l. 10. *codicis lectio* excucerant *emendanda est* exenterant. — p. 685. l. 8. *pro* egreditur *emendandum est* aggreditur. W. — p. 739. n. 1. *Lambertum inde ab a.* 1060. *abbatem S. Laurentii Leodiensis fuisse, Rupertus Tuitiensis in Historia huius monasterii (Martene Thes. IV. p.* 1067.) *tradit. Sigebertus Gemblacensis paucis lineis fortasse Lamberti opere usus est; v. Hirsch l. c. p.* 96. — p. 759. l. 37. *In codice* 3. *supra p.* 757 *et* 248 *laudato, fol.* 114' 115. *post translationem sancti Epiphanii haec leguntur:* „In vita sancti Bernwardi legitur de Theophanu imperatrice, matre scilicet tercii Ottonis, qualiter de hac vita decessit. Post mortem igitur apparuit cuidem venerabili Deoque dicate virgini in habitu miserabili per visionem, eamque, ut pro se oraret, suppliciter peciit. Que dum interrogaretur que esset, respondit dicens: „Ego sum Theophanu imperatrix, que olim de Grecia veniens in Franciam, coniuncta fueram connubio cesaris Ottonis". Ad hec virgo: „Et quomodo, inquit, nunc res tua se habet?" Respondit: „Pessime, quia in maximo tormento posita sum". „Quare?" ait. Iterum respondit: „Quia multa superflua et luxuriosa mulierum ornamenta, quibus Grecia uti solet, et eatenus in Germanie Francieque provinciis erant incognita, huc primum detuli, memetipsam quoque plus quam humane nature conveniret circumdans, et in huiusmodi habitu nocivo incedens, alias mulieres similia appetentes peccare feci. Hec sunt enim mea peccata maxima, pro quibus merui eternam dampnacionem pati. Que nimirum peccata tanto graviora fuere, quanto minus ea vel esse peccata sciebam. Nam si scissem, penitencia utique doluissem aliqua. Nunc ergo, quia divina gracia michi concessum est, ut tibi apparens peccata mea et tormenta que pro is pacior intimarem, tu ergo pro amore Dei in oracione tua memento mei. Scio enim, quia quantascumque meruerim penas sustinere, pro eo tamen quod in fide catholica perseveravi, si aliqui servi Dei pro me instanter orarent, de dampnacione liberare possent". His ergo dictis, discessit ymago loquentis. *Sequitur narratio de clericis in episcopio Hildenesheimensi, qui quum preciosissimis olim vestibus tam in cotidianis quam in festivis diebus uterentur, angelo per visionem monente et postea fulgure terrente correcti sunt, et:* usque in presens nemo clericorum apud nos pretendentes pellicii sui manicas pallio precioso ausus est circumponere. — p. 791. n. 43. *Maior huius praefationis pars:* Mundane machine *usque ad finem ex primo miraculorum capite (v. p.* 824). *descripta est; quod me fugisse doleo.* W.

HANNOVERAE . DIE . XXVII . IVLII.
ANNI . MDCCCXLI . TYPIS . CVLEMANNORVM.


GETTY CENTER LIBRARY
3 3125 00618 6585

